BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XLVIII
F
8
NAPOLI

XLVIII. F. 8

Digitized by Google

PONTIFICIUM DOCTUM,

SEU

VITÆ, RES GESTÆ, OBITUS, ALIAQUE SCITU AC MEMORATU DIGNA SUMMORUM

[illegible]

[illegible]

Eorum præcipuè, qui Ingenio, Doctrina, Eruditione, Scriptis, Libris editis, & Lucubrationibus quibuſcunque ab initio naſcentis Eccleſiæ,

ID EST

A S. PETRO APOSTOLO ROMANORUM PONTIFICUM primo uſque ad CLEMENTEM XI. hodie feliciter & glorioſè regnantem Orbi Chriſtiano inclaruêre:

DESUMTUM

Ex variis, iisque probatiſſimis, veteribus, mediis, recentioribus, ac noviſſimis ſacræ-prophanæque Hiſtoriæ Scriptoribus, item Genealogiis, Chronicis, Menologiis, Manuſcriptis, Epitaphiis, Inſcriptionibus, aliisque id genus Monumentis litterariis &c.

IN UNUM VOLUMEN

Cum uberrimis notis marginalibus, & quatuor Indicibus locupletiſſimis Perſonarum ac Rerum

Digeſtum ac in lucem editum per
GEORGIUM JOSEPHUM ab EGGS, S.S. T.D.
Cæſareo-Archiducalis Collegiatæ Eccleſiæ ad S. Martinum Rheinfeldæ Cuſtodem & Canonicum Seniorem.

Cum Approbatione & Permiſſu SUPERIORUM.

COLONIÆ,

Proſtant & veneunt Baſileæ apud DAVIDEM RITTER, & Francofurti ad Mœnum apud Frid. Wilh. FOERSTER.

ANNO M DCC XVIII.

SUMMO

CHRISTIANÆ REIPUBLICÆ MONARCHÆ

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XI.

PONT. OPT. MAX.

AUCTOR POST HUMILLIMA SACRORUM PEDUM OSCULA PERPETUAM FELICITATEM.

QUæ fuerit clementia Tua, quæ humanitas in excipienda PURPURA DOCTA annis abhinc tribus SANCTITATIS TUÆ pedibus adſtrata; quanta declaratio Pontificiæ benevolentiæ, quam erga me ſuſceptam habebas, nullis BEATISSIME PATER, verbis exprimere valeo: ſed gratitudinis meæ nunquam intermorituræ devotum hoc alterum munuſculum litterarium PONTIFICIUM DOCTUM publico teſtimonio erit. PONTIFICIUM inquam DOCTUM, à me ſic intitulatum, quòd Summorum Pontificum Romanorum, qui ab exordio naſcentis Eccleſiæ ad hanc uſque ætatem Rempublicam Chriſtianam doctiſſimis ſuis lucubrationibus, divinique ingenij monumentis non minùs eruditè, quàm piè ſalubriterque illuſtrárunt, ELOGIA, SCRIPTA, ACTA complectitur. Nam Tua hinc elici præconia, immortali memoria digna, nullus eſt, BEATISSIME PATER, tantiſper rerum intelligens, qui non ultrò fateatur. Deus enim opt. max. Eccleſiæ ſuæ in Perſona Tua conſulturus, tot tantisque Te exornavit donis, tot inſignivit virtutibus, tot cumulavit meritis, cùm Te voluit tanta eſſe dignitatè præditum, ut iſtam Tuam mentem tot arcanis ſcientiæ ac prudentiæ refertam ad publici boni curam maximumque Eccleſiæ incrementum conferres. Qua quidem præcelſa mente ſacroſanctam Apoſtolici culminis Sedem, primarium totius Orbis Chriſtiani decus fideique fundamentum, tot ſuſpiciendis in hanc uſque diem virtutibus excoluiſti, tot memorandis facinoribus condecorâſti, tot præfulgidis divinæ ſapientiæ radiis illuſtrâſti, ut meritò inter optimæ primæque

notæ

notæ Pontifices, ceu totidem lucentiſſima ſidera recenſeri; planeque *Stella illa matutina in vertice montium poſita*, dudum retrò antè in utriuſque Teſtamenti paginis (a) præfigurata (quam gentilitio ſcuto in triplici monte ſpectabilem præfers, & è qua ceu fonte quodam indeficiente omnis doctrinæ fulgor, omnis ſanctitatis ſplendor in univerſam Eccleſiam promanat) citrà palpum nuncupari poſſis, ac debeas. An non enim velut *Stella lucida* in Eccleſiæ monte poſita, emiſſo quaquaverſum fulgore, reſplendes? qui toties è ſuggeſtu Apoſtolico Dominicum gregem luce veritatis Evangelicæ imbuis atque colluſtras? qui toties per Orbem univerſum veluti *Sol exoriens* denſiſſimas hæreſum caligines diſſipas? noctes animorum fugas? opera tenebrarum diſſolvis? & quidquid uſpiam rebelle lumini eſt, repellis, arces, profligas? ſicut Roma ipſa (grande illud populorum terrarumque compendium) felicem ſe jactet, talem ac tantum coràm tueri, coràm audire, mirarique Paſtorem, qui vice *Patris luminum* fungens, priſcorum inſtar Leonum Gregoriorumque non tam ignito Dei verbi eloquio algida mortalium pectora, gelu vitiorum conſtricta, diſrumpit, emollit, calefacit, inflammat; quàm exempli operiſque ſanctiſſima luce diſrupta conſolidat, emollita conſervat, calefacta fovet, inflammata confirmat. Hæc Tua eſt profectò, PATER BEATISSIME, eximia gloria, noſtrique ſæculi mira atque invidenda felicitas! ob quam Tibi boni omnes profuſis laudibus meritò gratulantur, & certatim applaudunt.

Et ſanè quid ni applaudant, & gratulentur? videt enim jam Orbis Chriſtianus ad revelationem Tui luminis, quod decurſis undecim propè ſæculis videre nunquam potuit, Monarchiam videlicet Ottomannicam, ab anno ſalutis ſexcenteſimo vigeſimo ſexto immenſis victoriis, provinciis, & regnis auctam, nunc caſui vicinam, Tuiſque ſub auſpiciis in extrema propè conjectam. Quot Romani Pontifices per tot annorum volumina ardentiſſimis votis videre exoptárunt, quæ TUA nunc SANCTITAS videt, & non viderunt? quot ſuſpiriis, gemitibus, lacrymis, ſacrificiis, ut viderent, cœlum fatigárunt, & exauditi non ſunt? Tuis ergo meritis, PATER SANCTISSIME, Tuis precibus, lacrymis, curis, immenſæque liberalitati pretioſam hanc mercedem, nulli Prædeceſſorum Tuorum conceſſam, repoſuit Deus, ut nimirum Ottomannicæ Lunæ Eclypſes è Vaticana Tua ſpecula non tantùm otioſus ſpectares, ſed illi extinguendæ armis, conſiliis, ingentique auri profuſione partem etiam maximam conferres. Quod quidem peregregiè, & pluſquàm credi poſſit, glorioſè per Te geſtum vidimus hôc & ſuperiori anno; ruentibus ad arma

(a) *Job.* 22. 12. *Apoc.* 22. 16.

in

in barbaros (Te impulſore) terrâ mariqúe fortiter feliciterque hinc *Cæſare*, inde *Veneto*: irradiante eos, ac flammam benedictionis ad tantum opus impertiente *Stellâ Tuâ aureâ*, ampliſſimarum victoriarum, deditionumque, gentium ac urbium, quæ mox ſequutæ ſunt, indice.

Eſt verè omnium Patrum non improbabilis ſententia, ac ipſorum etiam Turcarum conſtans traditio; *Mundi finem* (a) *ſexto ab ejus creatione millenario futurum, ac inter fidelium perſecutiones in Apocalypſi deſcriptas (quibus militans Eccleſia acerbiſſimè hactenus conflictata eſt) Mahometanam ante Antichriſti adventum ultimam fore; & hanc poſt mille annos finem habituram.* Quam ingentem ergo gloriam, & par gaudium *Beatitudini Tuæ* afferre debet, quòd Deus & Pater miſericordiarum Turcicum Imperium (quo nullum aut potentius, aut Eccleſiæ funeſtius) Tuis manibus evertere velle videatur, Tibique ſoli, inclinante jam mundo, & in occaſum vergente, palmam permittere omnium nobiliſſimam, omnium exoptatiſſimam, ſolutæ nempè confractæque tam longæ ac duræ ſervitutis? ut meritò jam Tuis ſub auſpiciis ominari poſſimus & dicere *Luna non dabit lumen ſuum*: quia *ſub pedibus Tuis.*

Cæterùm *Sanctitatis Tuæ* felicitatem, divinamque protectionem, atque ex iſta profectas ingentes victorias æſtimanti mihi illud ſolùm mœrori erat, quòd nihil ad tam præclarè geſta conferre ego poſſem præter communia omnibus vota preceſque; pudebatque, ut ſic dicam, otioſum eſſe totâ Italiâ, Hungariâ, Auſtriâ, magnaque Germaniæ parte laborantibus, plenaſque palmarum manus de Turcis ad Tuos pedes referentibus. Quid igitur ego, ne inglorius deliteſcerem? Ecce ſtrinxi pro veritate non gladium, ſed calamum. Proruperat paucis abhinc annis neſcio quis infamis mendaxque libellus è latebris Hæreticorum, conviciis injuriis *in Sanctam Sedem ſacrumq; Collegium* mirè fartus. Auctor ex lingua, quam loquebatur, apertus facilè agnoſcebatur hæreticus, quanquam, ut incautos impudentiùs falleret, larvam induit pietatis, ſuppreſſoque genuino nomine dici voluit *Anonymus Veridicus*. Habent quippè hoc maleferiata Impoſtorum capita, ut ne agniti publico infamiæ ſtigmate inurantur, perſonati in theatrum prorumpant, ac tum mutuatâ ab orco licentiâ, quidquid impudentia, livor, odium, inſaniaque dictant, audacter promant, temereque effutiant. Sic Anonymus iſte *falſidicus*, non *veridicus*. Quippè ſumma Romanæ Eccleſiæ Capita petulanti ore,

(a) *Card. Sfondr. in præf. ad Gall. Vinc. & alii paſſim.*

ſacrilego calamo aggreſſus, Pontifices Romanos (ut alia ipſi pudenda non commemorem) *ignorantes, indoctos*; Cardinales *hebetis ingenii animalia, aſinosq; carnales* criminatur. Quanta, Deus immortalis, execrandi hominis impudentia! Ego, ut os loquentis iniqua contunderem, palamque Orbi Chriſtiano oſtenderem qui *Pontifices?* qui *Cardinales?* nullâ cum inſano cerebro (ſeu potiùs Cerbero) inſtitutâ controverſiâ (neque enim dignus, cui reſpondeantur bona pro malis) Sacroſancta Pontificum ac Cardinalium nomina, eorumque vitas & acta, & quæ ſinguli ſuo quilibet ævo ſumma eruditione, ſummo ingenio, ſummaque fide cum immortali ſui nominis gloria ad poſterorum memoriam inſtitutionemque ſcripsêre ac edidêre, duobus Voluminibus collegi, quorum unum *Purpuram doctam*, alterum *Pontificium doctum* inſcripſi: ut vel ex ſolo titulo Doctrina eorum atque eruditio, nondum inſpecto libro (ceu ex ungue leo, ceu ex cortice nucleus) conjectari poſſit. Idque feci potiſſimùm ex duplici capite; tùm ut tantorum Virorum memoria ad publicam omnium notitiam utilitatemque, ſuique non indebitam nominis commendationem veniret; tùm ut Anonymi impoſtoris vanitas omnium oculis expoſita, viſis tot egregiis eorum lucubrationibus, pudefacta de mendacio erubeſceret, convicta de impoſtura conticeſceret, atque adeò omni ex parte exploſa, in orci tenebras, unde emerſerat, evaneſceret.

Obtulêre ad *Sanctitatis Tuæ* pedes, durante hoc bello ſacro, inviĉtiſſimi juxtà ac glorioſiſſimi Heroës exercitus Cæſarei, ac Venetæ Claſſis Duces edomitas terra marique Turcici Imperii Provincias, gentes, Caſtra, Urbes. Patiatur *Sanctitas Tua* inter tot alia Chriſtianæ fortitudinis trophæa à me quoque offerri *Caſtrum mendacii* ab hæreticis adverſus doctiſſimos Pontifices & Cardinales extructum, nunc verò everſum deletumque, Romanorum videlicet Pontificum ac Cardinalium *vindicatam* ab impacto ignorantiæ mendacio *Doctrinam*: quod tum *Purpura docta*, tum *Pontificium doctum* ſacratiſſimo Tuo Nomini inſcriptum, Tuiſque beatiſſimis pedibus adſtratum luculenter admodum demonſtrat, atque evincit. DEUS Tri-unus publicam in Te Eccleſiæ felicitatem, quod boni mecum omnes efflictim exoptant, quàm diutiſſimè conſervet, ac tueatur incolumem.

APPROBATIO ORDINARII.

VT clariſſimus & doctiſſimus Author ſuæ PURPURÆ DOCTÆ ante triennium in publicum typum cum applauſu editæ, perfectum redderet, finisque coronaret *Opus*; hic labor, hoc PONTIFICII DOCTI præclarum deſiderabatur Opus, ab eodem eruditiſſimo Scriptore parili ſtudio, ingenii felicitate, eloquentia, ſtyli ac methodi claritate noviſſimè elaboratum, Nobiſque eapropter pro Cenſura ac Approbatione Ordinaria condecenter præſentatum: Quod proinde à Nobis, & commiſſis ordinarils Cenſoribus Theologis attentè perluſtratum, & exactè ad litteram reviſum ac examinatum, cùm non ſolùm ſanæ doctrinæ Catholicæ, aut probis moribus nihil prorſus contrarium continere, quin potiùs inconteſtabilem, continuam, ac non interruptam *Summorum Pontificum Romanorum* divi Petri Apoſtolorum Principis Succeſſorum & Chriſti in terris Vicariorum comprimis notoria ſanctitate & doctrina fulgentium ſeriem, tanquam veræ Chriſti Eccleſiæ ſuprà firmam petram ædificatæ præcipuam notam, ſolidiſſimis argumentis ex graviſſimorum auctorum certa traditione deductis, in evidentem cavillatorum Hæterodoxorum fruſtrà cum inferis prævalere conantium confuſionem, & convictam calumniam, ad oculum comprobare, ac demonſtrare compertum fuerit: Quapropter ut utiliſſimum hoc Opus in magnam Eccleſiæ ædificationem, & ad firmandam fidem Catholicam typo in publicam lucem prodeat, & Authorem ipſum, qui tam benè ac doctè de PURPURA DOCTA & PONTIFICIO DOCTO ſcripſit, meritò ampliùs commendet, atque pro condigno tanti laboris ac ſtudii præmio ad effectum potioris fortunæ ac promotionis comprimis abs SS. D. N. glorioſè regnante, doctorum Pontificum Romanorum doctiſſimo clementiſſimè reſpiciatur, digniſſimum cenſemus, & auctoritate noſtra ordinaria approbamus. Datum Arleshemij die 14. menſis Novembris Anno ſalutis 1716. ſub conſueto Sigillo Noſtro Pontificali in fidem appreſſo.

JOANNES CHRISTOPHORUS
Epiſcopus Domitiopolitanus, & ſuffraganeus Baſileenſis &c.

L. S.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

POſt Purpuram Doctam, *annis abhinc tribus abſolutam emiſſamq;, damus nunc* Pontificium Doctum : *qua duo in ejuſmodi operibus neceſſario conjungenda putavimus, tanquam ſibi invicem natura, ordine, & argumenti ſimilitudine cohærentia. Nam cum* Purpuram Doctam *contexerem, omnes quidem Purpuratos Patres doctrina & eruditione conſpicuos, quot quot uſpiam conſequi potui, eidem inſerui, non tamen eos, qui quandoque à purpura ad ſummum Sacerdotium vocati, divino conſilio Pontifices Romani ſunt effecti. Unde ne hos, contra datam fidem, vel neglexiſſe, vel appoſito ſtudio prateriiſſe viderer, peculiarem eorum Catalogum condere, huncq;* Pontificium Doctum, *ad ſimilitudinem prioris operis, nuncupare conſtitui. Id enim & ratio, & æquitas, ipſumq; Operis argumentum, magnam indiſſolubilemq; cum* Purpura Docta *connexionem habens, omninò poſtulare videbatur; ut nihil dicam de ſummo ſummi Antiſtitis imperio, Romà mihi per eminentes ſacrorum duorum Principum Cardinalium litteras intimato, quo me ad id præſtandum non tam invitatum, quàm impulſum ſenſi.*

Operi verò ipſi præfixi titulum Pontificium Doctum; *quòd omnes in eo Pontifices Romanos, quot quot uſpiam à divo Petro Pontificum primipilo uſque ad CLEMENTEM XI. hodie feliciter regnantem, doctrina illuſtres floruère, comprehenderem. Et licèt nonnulli inter eos (præſertim intruſi, aut exiguo temporis ſpatio ſedentes) parùm litterati inveniantur, atque adeò Criticorum fortaſsè judicio haud ſatis digni reputentur, qui inter doctos locum ſortiantur, quia tamen in comparatione aliorum admodum pauci ſunt, ut vix numerum faciant, non ideò reliquis & numero & doctrina longè præſtantibus, ſi immiſceantur, invidiam conflare, aut præjudicium invehere exiſtimandi ſunt. Ego certè, ne ordinis ſeriem, eorum excluſione, hinc inde interrumperem, hiansq; Opus lectori obtruderem, omninò eos reliquis accenſendos, ad vitandam in hiſtoria confuſionem, duxi. Et ſanè quid amabò intereſt, ſi viginti, aut ſi mavis triginta parùm docti (tot enim, nec facilè plures hoc in Volumine numerabis) inter ducentos eoq; ampliùs doctos, ad ſervandum ordinem, collocentur? ut enim magnam vini quantitatem modica infuſa aqua minimè corrumpit, ità nec longam doctorum Pontificum ſeriem exigua paucorum minùs eruditorum admixtio. Ratio eſt, quia vulgari axiomate* Denominatio *(nullo Hiſtoricis interveniente ſcrupulo)* deſumitur à potiori; *quidquid ſeveriores Philoſophi* bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu *æſtimantes, contradicant.*

Verùm miſſis hiſce minutioribus, gradum ad ea faciamus, quæ majoris ſunt momenti, & quorum Lectori ſcire magis intereſt. Conatus igitur ſum hoc in Opere (ut

paucis

paucis plenam Inſtituti rationem habeas) ſingulis Romanorum Pontificum, ea, quæ quivis durante vita ſcripſit, aut elucubravit, ac edidit opera, ad calcem vitæ adjicere: ſic ut primo nec operoſo intuitu Lector ante oculos collecta teneat, quæ hactenùs in pluribus vel diſperſa, vel mutilata, vel ſuppoſititia, corrupta, dubiaq́;, aut prorſus ignorata habebantur. Id quod à nonnullis ante me tentatum quidem, ſed minime confectum ſcio. Diſcute Hieronymum, evolve Trithemium, percurre Bellarminum, Corteſium, Turrigium, Eiſengrenium alioſq́;, qui Commentaria de Scriptoribus Eccleſiaſticis edidêre, pauciſſimos Pontificum extra Leones, Gregorios, Zacharias, Nicolaos, Paſchales, Innocentios, Bonifacios reperias, quorum nomina inter litteratos ſunt relata. Neque enim hi omnium, ſed doctiſſimorum duntaxat ſuis in Commentariis rationem habuêre: Nos verò nullo excluſo omnes ac ſingulos proferimus, & ut doctos fuiſſe evincamus, præclara ſingulorum opera, ceu indubia eorum doctrinæ argumenta, in medium producimus. Probabitur verò maximè conatus iſte meus (niſi vehementer fallor) Orthodoxis omnibus vel ex eo capite, quòd Hæreticorum mille convitiis inſcitiam Romanis Pontificibus objectantium impoſturas detegat, convellat, vanas, falſaſq́; oſtendat. Quis enim conſpectis tot illuſtribus ſummæ doctrinæ monumentis, quæ paſſim ad gregis eruditionem, inſtitutionemq́; luculenter admodùm nullo non ſæculo edidêre, facilè credat (quod ipſi criminantur) Romanos Pontifices aut inſcitia laboràſſe, aut, quod idem eſt, ignorantes, indoctoſq́; extitiſſe? Imò quis non potiùs ex tanta librorum, Epiſtolarum, legum, Decretorum, diplomatum, Conſtitutionum, aliorumq́; ingenij monumentorum ſegete, eos ſuſpiciat mireturq́; ut viros litteris addictos, magnaq́; eruditione pollentes? damnetq́; eapropter inſultantium hæreticorum temeritatem atque ſtultitiam, illoto mendaciq́; ore eos ut indoctos ignoranteſq́; traducentium? Probatio eruditionis (ne dubites) exhibitio eſt operis. Nil moramur virulentas calumniantium obloquutiones: provocamus ad opera. Cadet, mihi crede, ſtrues mendaciorum ſe ipſa, ubi ſemel, quæ ſinguli Pontificum Romanorum, ab exordio naſcentis Eccleſiæ in hanc uſque ætatem, magna ſui nominis gloria elucubrârunt, ac memoriæ poſterorum conſignârunt, in apricum producta ſpectabit orbis. Plura non addo. Tu interim, candide Lector, hunccè laborem noſtrum æqui boniq́; conſule, eoq́;, ſi lubet & vacat, ſoſpes fruere. Magnum erit impenſi temporis ſudoriſq́; levamen, tibi aliquatenùs placuiſſe.

INDEX I. NOMINUM
SUMMORUM PONTIFICUM
SACRÆ ROMANÆ ECCLESIÆ
JUXTA SERIEM TEMPORUM.

Sæculo I.

1 S. Petrus Galilæus, creatus Anno Chriſti 33. mortuus die 29. Junii Anno 69.

2 Linus Volaterranus, creatus Anno 69. die 30. Junij. Mortuus Anno 79. 23. Septe.

3 Cletus Romanus, creatus Anno 79. Mortuus die 26. Aprilis Anno 92.

4 Clemens I. Romanus, creatus die 17. Maij Anno 92. Mortuus die 23. Novemb. An. 100

Sæculo II.

5 Anacletus Græcus, creatus die 16. Decem. Anno 100. Mortuus die 13. Julij An. 110.

6 Evariſtus Bethlemites, creatus die 17. Julij Anno 110. Mortuus die 26. Octob A. 118

7 Alexander I. Romenus, creatus die 12. Novemb. Anno 118. Mortuus die 3. Maij Anno 129.

8 Sixtus I. Romanus, creatus die 7. Junij An. 129. Mortuus die 6. April. Anno 139.

9 Teleſphorus Græcus, creatus die 9. Aprilis Anno 139. Mortuus die 5 Januar. A. 150.

10 Hyginus Græcus, creatus die 13 Januarij An. 150. Mortuus die 11. Januar. A. 154.

11 Pius I. Aquileienſis, creatus die 15. Januarij Anno 154. Mortuus die 11. Julij Anno 165.

12 Anicetus Syrus, creatus die 25. Julij Anno 165. Mortuus die 17. Aprilis Anno 175.

13 Concordius Soter Fundanus, creatus die 15. Maij Anno 175. Mortuus 22. Aprilis Anno 182.

14 Eleutherius Græcus, creatus die 14. Maij. Anno 182. Mortuus die 26. Maij Anno 195.

15 Victor I. Afer, creatus die 1. Junij Anno 195. Mortuus die 28. Julij Auno 203.

Sæculo III.

16 Zephirinus Romanus, creatus die 8. Auguſti Anno 203. Mortuus die 26. Auguſti Anno 221.

17 Calliſtus I. Romanus, creatus die 2. Septembris Anno 221. Mortuus die 14. Oct. Anno 227.

18 Urbanus I. Romanus, creatus die 15. Oct. Anno 227. Mortuus die 25. Maij Anno 233.

19 Pontianus Romanus, creatus die 24. Junij Anno 233. Mortuus die 19. Novem. Anno 237.

20 Antherus Græcus, creatus die 21. Novembr. Anno 237. Mortuus die 3. Januarij Anno 238.

21 Fabianus Romanus, creatus die 17. Januar. Anno 238. Mortuus die 20. Januar. Anno 254.

22 Cornelius Romanus, creatus die 30. April. anno 254. Mortuus die 14. Septembris anno 256.

23 Lucius I. Romanus, creatus die 20. Novembr. anno 256. Mortuus die 4. Martij anno 258.

24 Stephanus I. Romanus, creatus die 6. April. anno 258. Mortuus die 2. Auguſti anno 260.

25 Sixtus II. Græcus, creatus die 24. Auguſti 260. Mortuus die 6. Auguſt. anno 261.

26 Dionyſius Græcus, creatus die 10. Septem. anno 261. Mortuus die 26. Decemb. anno 272.

27 Felix I. Romanus, creatus die 31. Decem. anno 272. Mortuus die 30. Maij anno 275.

28 Eutychianus Etruſcus, creatus die 4. Junij an. 275. mortuus die 8. Decembr. an. 283.

29 Cajus Dalmata, creatus die 17. Decemb. anno 283. Mortuus die 22. April. anuo 296.

30 Marcellinus Romanus, creatus die 1. Julij anno 296. Mortuus die 26. Aprilis anno 304.

Sæcu-

Sæculo IV.

31 Marcellus I. Rom. creatus die 21. Novemb. anno 304. mortuus die 16. Janua. anno 310.

32 Euſebius Græcus, creatus die 5. Februar. anno 310. mortuus die 26. Septembris, anno 312.

33 Melchiades Afer, creatus die 10. Octobr. anno 312. mortuus die 10. Decemb. anno 315.

34 Silveſter I. Romanus, creatus die 28. anno 315. mortuus die 31. Decembr. anno 335.

35 Marcus Romanus, creatus die 16. Januar. anno 335. mortuus die 7. Octobris anno 336.

36 Julius I. Romanus, creatus die 26. Octob. anno 336. mortuus die 12. Aprilis anno 352.

37 Liberius Romanus, creatus die 5. Maij anno 352. murtuus die 24. Septemb. anno 367.

38 Damaſus I. Hiſpanus, creatus 25. Sept. anno 367. mortuus die 11. Decemb. anno 384.

39 Siricius Romanus, creatus die 12. Januar. anno 385. mortuus die 22. Februar. anno 398.

40 Anaſtaſius I. Romanus, creatus die 14. Martij anno 398. mortuus die 27. Aprilis an. 402.

Sæculo V.

41 Innocentius I. *A*lbanus, creatus die 8. Maij anno 402. mortuus die 28. Julij anno 417.

42 Zoſimus Græcus, creatus die 20. *A*uguſti anno 417. mortuus die 26. Decemb. anno 418.

43 Bonifacius I. Romanus, creatus die 28. Decembr. anno 418. mortuus die 25. Octob. an. 423.

44 Cœleſtinus I. Romanus, creatus die 3. Novembr. anno 423. mortuus die 6. *A*pril. anno 432.

45 *S*ixtus III. Romanus, creatus die 28. *A*prilis anno 432. mortuus die 30. Martij anno 440.

46 Leo I. Tuſcus, creatus die 12. Maij anno 441. mortuus die 30. Martij an. 461.

47 Hilarus Sardus, creatus die 29. *A*prilis anno 461. mortuus die 17. *A*uguſti anno 467.

48 *S*implicius Tiburtinus, creatus die 20. Septembr. an. 467. mortuus die 2. Martij anno 483.

49 Felix II. aliis III. Romanus, creatus die 9. Martij anno 483. mortuus die 25. Febr. anno 492.

50 Gelaſius I. *A*fricanus, creatus die 3. Martij anno 492. mortuus die 21. Novemb. anno 497.

51 *A*naſtaſius II. Romanus, creatus die 27. Novembr. anno 497. mortuus die 19. Novembr. anno 499.

52 Symmachus Sardus, creatus die 22. Novembr. anno 499. mortuus die 19. Julij anno 514.

Sæculo VI.

53 Hormiſda Venafrinus, creatus die 26. Julij anno 514. mortuus die 6. *A*uguſti anno 523.

54 Joannes I. Tuſcus, creatus die 12. *A*uguſti anno 523. mortuus die 27. Maij annu 526.

55 Felix III. aliis IV. Beneventanus, creatus die 25. Julij 526. murtuus die 12. Octob. anno 530.

56 Bonifacius II Romanus, creatus die 16. Octobr. anno 530. mortuus die 17. Octo. anno 531.

57 Joannes II. Romanus, creatus die 22. Januar. anno 532. mortuus die 26. Junij anno 535.

58 *A*gapetus I. Romanus, creatns die 3. Julij anno 535. mortuus die 21. Maij anno 536.

59 Silverius ax *A*bella, creatus die 20. Julij anno 536. mortuus die 20. Junij anno 540.

60 Vigilius Romanus, creatus die 26. *A*pril. anno 542. mortuus die 10. Januar. anno 556.

61 Pelagius I. Romanns, creatus die 16. *A*prilis anno 556. mortuus die 2. Martij 559.

62 Joannes III. Romanus, creatus die 29. Maij anno 559. mortuus die 13. Julij anno 574.

63 Benedictus I. Romanus, creatus die 17. Julij anno 574. mortuus die 30. Julij anno 579.

64 Pelagius II. Romanus, creatus die 11. Novembris anno 579. mortuus die 8. Febr. anno 590.

65 Gregorius I. Romanus, creatus die 3. *S*eptembris anno 590. mortuus die 12. Martij anno 604.

Sæculo VII.

66 Sabiniaous Tuſcus, creatus die 1. Septembris anno 604. mortuus die 19. Februar. anno 605.

67 Bonifacius III. Romanus, creatus die 20. Februar. anno 605. mortuus die 12. Novembr. anno 606.

68 Bonifacius IV. Marſus, creatus die 18. Setembr. anno 607. mortuus die 25. Maij anno 614.

69 Deuſdedit Romanus, creatus die 13. Novembr. anno 614. mortuus die 8. Novembr. anno 616.

70 Bonifacius V. Neapolitanus, creatus die 25. Decembr. anno 616. mortuus die 25. Octobr. anno 625.

71 Honorius I. Campanus, creatus die 7. Novemb. anno 625. mortuus die 13. Octob. anno 638.

72 Severinus Romanus, creatus die 22. Octobris anno 638. mortuus die 2. *A*uguſti anno 639.

73 Joannes IV. Dalmata, creatus die 25. Decembr. anno 639. mortuus die 13. Octo. anno 64[illegible].

74 Theodorus I. Græcus, creatus die 26. Novembr. anno 641. mortuus die 14. Maij anno 649.

75 Martinus I. Tudertinus, creatus die 1. Julij anno 649. mortuus die 12. Novembr. anno 654.

76 Eugenius I. Romanus, creatus die 13. Novembr. anno 654. mortuus die 2. Junij anno 657.

77 Vitalianus I. Signinus, creatus die 6. Julij anno 657. mortuus die 27. Januarij anno 672.

78 *A*deodatus I. Romanus, creatus die 11. *A*pril anno 672. mortuus die 26. Junij anno 676.

79 Donus I. Romanus, creatus die 1. Novembr. 676. mortuus die 11. *A*prilis anno 679.

80 *A*gatho Siculus, creatus die 9. Junij anno anno 679. mortuus die 10. *J*anuarij anno 682.

81 Leo II. Siculus, creatus die 11. *A*uguſti anno 682. mortuus die 28. Junij anno 683.

82 Benedictue II. Romanus, creatus die 19. Junij anno 684. mortuus die 15. Maij anno 685.

83 Joannes V. *A*ntiochenus, creatus die 25. Julij 685. mortuus die 3. *A*uguſti 686.

84 Conon Thrax, creatus die 21. Octobrie anno 686. mortuus die 21. Septembris anno 687.

85 Sergius I. *A*ntiochenus, creatus die 21. Decembr. anno 687. mortuus die 9. Sept. 701.

Sæculo VIII.

86 Joannes VI. Græcus, creatus die 30. Oct. anno 701. mortuus die 7. Januarij anno 705.

87 Joannes VII. Calaber, creatus die 1. Martij anno 705. mortuus die 17. Octobris anno 707.

88 Siſinnius Syrus, creatus die 18. Octobris anno 707. mortuus die 6. Novembr. anno 707.

89 Conſtantinus I. Syrus, creatus die 22. Novembris anno 707. mortuus die 11. Februarij anno 716.

90 Gregorius II. Romanus, creatus die 21. Martij anno 716. mortuus die 11. Febr. anno 731.

91 Gregorius III. Syrus, creatus die 5. Martij anno 731. mortuus die 28. Novemb. anno 741.

92 Zacharias Calaber, creatus die 1. *D*ecembris anno 741. mortuus die 15. Martij anno 752.

93 Stephanus II. Romanus, creatus die 25. Martij anno 752. mortuus die 31. Martij anno 752.

94 Stephanus III. Romanus, creatus die 1. *A*prilis anno 752. mortuus die 26. *A*prilie anno 757.

95 Paulus I. Romanus, creatus die 29. *M*aij anno 756. mortuus die 28. Junij anno 767.

96 Stephanus IV. Romanus, creatus die 5. *A*uguſti anno 767. mortuus die 31. Jan. anno 772.

97 Hadrianus I. Romanus, creatus die 9. Februarij anno 772. mortuus die 26. Decembr. anno 795.

98 Leo III. Romanus, creatus die 27. Decembris anno 795. mortuus die 12. Junij anno 816.

Sæculo IX.

99 Stephanus V. Romanus, creatus die 3. Julij anno 816. mortuus die 25. Januarij anno 817.

100 Paſchalis I. Romanus, creatus die 28. Januarii anno 817. mortuus die 14. *M*aii anno 824.

101 Eu-

101 Eugenius II. Romanus, creatus die 18. Junij anno 824. mortuus die 12. Decem. anno 824.

102 Valentinus I. Romanus, creatus die 14. Decembr. anno 824. mortuus die 23. Januar. anno 828.

103 Gregorius IV. Romanus, creatus die 27. anno 828. mortuus die 25. Januar. anno 844.

104 Sergius II. Romanus, creatus die 2. Februar. anno 844. mortuus die 12. Aprilis anno 847.

105 Leo IV. Romanus, creatus die 13. Aprilis anno 847. mortuus die 27. Junij anno 855.

106 Benedictus III. Romanus, creatus die 29. Septemb. anno 855. mortuus die 26. Februar. anno 858.

107 Nicolaus I. Romanus, creatus die 24. Aprilis anno 858. mortuus die 13. Novembr. 867.

108 Hadrianus II. Romanus, creatus die 21. Novembr. anno 867. mortuus die 1. Novembris anno 872.

109 Joannes VIII. Romanus, creatus die 14. Decemb. anno 872. mortuus die 15. Decembr. anno 882.

110 Marinus I. Galeſinus, creatus die 19. Januar. anno 882. mortuus die 18. Januar. anno 884.

111 Hadrianus III. Romanus, creatus die 21. Januar.. anno 884. mortuus die 9. Maij anno 885.

112 Stephanus VI. Romanus, creatus die 13. Maij anno 885. mortuus die 21 Maij anno 891.

113 Formoſus Portuenſis, creatus die 26. Maij anno 891. mortuus die 14. Decemb. anno 896.

114 Bonifacius VI. Romanus, creatus die 17. Decembr. anno 896. mortuus die 31. Decembr. anno 896.

115 Stephanus VII. Romanus, creatus die 6. Januar. anno 897. mortuus die 24. Martij anno 900.

Sæculo X.

116 Romanus Faliſcus, creatus die 28. Martij anno 900. mortuus die 19. Auguſti anno 900.

117 Theodorus II. Romanus, creatus die 20. Auguſti anno 900. mortuus die 8. Sept. anno 900.

118 Joannes IX. Tiburtinus, creatus die 9. Sept. an. 900. mortuus die 23. Sept. 901.

119 Benedictus IV. Romanus, creatus die 24. Septembris anno 901. mortuus die 8. Aprilis anoo 903.

120 Leo V. è villa Pirapi Agri Ardeatini, creatus die 15. Aprilis anno 903. abdicavit die 24. Maij anno 903.

121 Chriſtophorus I. Romanus, creatus die 3. Julij anno 903. abdicavit die 24. Dec. anno 904.

122 Sergius III. Romanus, creatus die 25. Decembr. anno 904. mortuus die 9. Aprilis anno 910.

123 Anaſtaſius III. Romanus, creatus die 15. Aprilis anno 910. mortuus die 4. Junij anno 912.

124 Landus Sabinus, creatus die 7. Junij anno 912. mortuus die 28. Decembris anno 913.

125 Joannes X. Romanus, creatus die 24. Januarij anno 914. mortuus die 7. Aprilis anno 928.

126 Leo VI. Romanus, creatus die 9. Aprilis anno 928. mortuus die 23. Octob. anno 928.

127 Stephanus VIII. Romanus, creatus die 24. Octobris annu 928. mortuus die 8. Decembr. anno 930.

128 Joannes XI. Romanus, creatus die 11. Decembr. anno 930. mortuus die 25. Octobr. anno 935.

129 Leo VII Romanus, creatus die 27. Octobris anno 935. mortuus die 6. Maij anno 939.

130. Stephanus IX. Romanus, creatus die 7. Junii anno 939. mortuus die 21. Octobr. anno 942.

131 Marinus II. Romanus, creatus die 1. Novembr. anno 942. mortuus die 15. Maij anno 946.

132 Agapetus II. Romanus, creatus die 18. Maij anno 946. mortuus die 4. Julij anno 955.

133 Joannes XII. Romanus, creatus die 9. Januar. anno 956. mortuus die 14. Maij anno 964.

134 Benedictus V. Romanus, creatus die 14. Maij anoo 964. mortuus die 4. Julij anno 965.

135 Joannes XIII. Romanus, creatus die 2. Octobr. anno 965. mortuus die 6. Sept. anno 972.

136 Donus II. Romanus, creatus die 20. Septembr. anno 972. mortuus die 19. Dec. anno 972.

137 Benedictus VII. Romanus, creatus die 20. Decembr. anno 972. abdicavit die 19. Martij anno 974.

138 Bonifacius VII. Romanus, creatus die 30. Martij anno 974. abdicavit die 11. Maij anno 975.

159 Benedictus VIII. Romanus, creatus die 1. Junij anno 974. Mortuus die 10. Julij anno 984.

140 Joannes XIV. Papienſis, creatus die 16. Julij anno 984. Mortuus die 23. Julij enno 985.

141 Joannes XV. Romanus, creatus die 1. Auguſti anno 985. Mortuus die 10. Februar. anno 995.

142 Joannes XVI. Romanus, creatus die 11. Februar. anno 995. Mortuus die 25. Auguſti anno 996.

143 Gregorius V. Saxo, creatus die 29. Auguſti anno 996. Mortuus die 18. Februar. anno 999.

144 Silveſter II. Aquitanus, creatus die 1. Novembr. anno 999. Mortuus die 12. Maij anno 1003.

Sæculo XI.

145 Joannes XVII. Romanus, creatus die 7. Junij anno 1003. Mortuus die 30 Octob. anno 1003.

146 Joannes XVIII. Romanus, creatus die 20. Novembr. anno 1003. Mortuus die 18. Julij anno 1009.

147 Sergius IV. Romanus, creatus die 18. Auguſti anno 1009. Mortuus die 29. Maij anno 1013.

148 Benedictus IX. Romanus, creatus die 6. Junij anno 1013. mortuus die 1. Maij anno 1024.

149 Joannes XIX. Romanus, creatus die 6. Maij anno 1024. Mortuus die 8. Nov. anno 1032.

150 Benedictus X. Romanus, creatus die 11. Novemb. anno 1032. abdicavit die 1. Maij anno 1045.

151 Gregorius VI. Romanus, creatus die 2. Maij anno 1045. abdicavit die 20. Dec. anno 1046.

152 Clemens II. Germanus, creatus die 21. Decembr. anno 1046. Mortuus die 15. Octob. anno 1047.

153 Damaſus II. Germanus, creatus die 17. Julij anno 1048. Mortuus die 10. Augu. anno 1048.

154 Leo IX. Germanus, creatus die 12. Febr. anno 1049. Mortuus dia 16. April. 1054.

155 Victor II. Germanus, creatus die 15. Aprilis anno 1055. Mortuus die 28. Julij enno 1057.

156 Stephanus X. Lotharingus, creatus die 2. Auguſti anno 1057. Mortuus die 29. Martij anno 1058.

157 Nicolaus II. Burgundus, creatus die 2. Aprilis anno 1058. Mortuus die 3. Julij anno 1061.

158 Alexander II. Mediolanenſis, creatus die 30. Octobr. anno 1061. Mortuus die 22. April. anno 1073.

159 Gregorius VII. Soanenſis, creatus die 25. Aprilis anno 1073. Mortuus die 25. Maij anno 1085.

160 Victor III. Beneventanus, creatus die 20. April. anno 1086. Mortuus die 17. Sept. anno 1087.

161 Urbanus II. Gallus, creatus die 13. Martij anno 1088. Mortuus die 29. Julij anno 1099.

162 Paſchalis II. Tuſcus, creatus die 13. Auguſti anno 1099. Mortuus die 21. Januar. anno 1118.

Sæculo XII.

163 Gelaſius II. Piſanus, creatus die 25. Januarij anno 1118. mortuus die 29. Jan. anno 1119.

164 Calliſtus II. Burgundus, creatus die 1. Fabruar. anno 1119. Mortuus die 13. Dacemb. anno 1124.

165 Honorius II. Bononienſis, creatus die 21. Decem. anno 1124. Mortuus die 16. Febr. anno 1130.

166 Innocentius *II.* Romanus, creatus dia 17. Febr. anno 1130. Mortuus die 24. Sept. enno 1143.

167 Cœleſtinus *II.* Tuſcus, creatus die 17. Febr. anno 1143. Mortuus die 9. Martij anno 1144.

168 Lucius II. Bononienſis, creatus die 12. Martij annu 1144. mortuus die 25. Febr. 1145.

169 Eugenius III. Tuſcus, creatus die 27. Februar. anno 1145. mortuus die 9. Julij anno 1153.

170 Anaſtaſius IV. Romanus, craatus die 11. Julij anno 1153. mortuus die 3. Decem. anno 1154.

171 Hadrianus IV. Anglus, creatus die 5. Dec. enno 1154. mortuus die 1. Septe. 1159.

172 Alexander III. Senenſis, creatus die 2. Septembris anno 1159. mortuus die 27. Auguſti anno 1181.

173 Lu-

Index I. Nominum Summorum Pontificum S. R. E.

173 Lucius III. Lucenſis, creatus die 29. Auguſti anno 1181. mortuus die 25. Nov. anno 1185.

174 Urbanus III. Mediolanenſis, creatus die 24. Novembr. anno 1185. mortuus die 19. Octob. anno 1187.

175 Gregorius VIII. Beneventanus, creatus die 20. Octobr. anno 1187. mortuus die 15. Decembr. anno 1187.

176 Clemens III. Romanus, creatus die 6. Januar. anno 1188. mortuus die 25. Martij anno 1191.

177 Cœleſtinus III. Romanus, creatus die 28. Martij anno 1191. mortuus die 7. Janua. anno 1198.

178 Innocentius III. Romanus, creatus die 8. Januarij anno 1198. mortuus die 20. Julij anno 1216.

Sæculo XIII.

179 Honorius III. Romanus, creatus die 21. Julij anno 1216. mortuus die 18. Martij anno 1227.

180 Gregorius IX. Capuanus, creatus die 20. Martij anno 1227. mortuus die 22. Auguſti anno 1241.

181 Cœleſtinus IV. Mediolanenſis, creatus die 20. Septemb. anno 1241. mortuus die 8. Octobris anno 1241.

182 Innocentius IV. Genuenſis, creatus die 24. Junij anno 1243. mortuus die 13. Decembr. anno 1254.

183 Alexander IV. Anagninus, creatus die 25. Decembr. anno 1254. mortuus die 25. Maij anno 1261.

184 Urbanus IV. Trecenſis, creatus die 29. Auguſti anno 1261. mortuus die 2. Oct. anno 1264.

185 Clamens IV. Gallus, creatus die 5. Febr. anno 1265. mortuus die 29. Novembr. anno 1268.

186 Gregorius X. Placantinus, creatus die 1. Septembr. anno 1271. mortuus die 11. Januar. anno 1276.

187 Innocentius V. Gallus, creatus die 20. Januar. anno 1276. mortuus die 22. Junij anno 1276.

188 Hadrianus V. Genuenſis, creatus die 4. Julij anno 1276. mortuus die 22. Julij anno 1276.

189 Joannes XX. Luſitanus, creatus die 13. Septembr. anno 1276. mortuus die 16. Maij anno 1277.

190 Nicolaus III. Rom. creatus die 25. Nov. anno 1277. mortuus die 22. Aug. 1280.

191 Martinus II. dictus IV. Gallus, creatus die 22. Febr. anno 1281. mortuus die 29. Martij anno 1285.

192 Honorius IV. Romanus, creatus dia 2. Aprilis anno 1285. mortuus die 3. Aprili. anno 1287.

193 Nicolaus IV. Picenus, creatus die 22. Februar. anno 1288. mortuus die 4. Aprilis anno 1292.

194 Cœleſtinus V. Campanus, creatus die 7. Julij anno 1294. abdicavit die 13 Dec. anno 1294.

195 Bonifacius VIII. Anagninus, creatus die 14. Decembr. anno 1294. mortuus die 11. Octobr. anno 1303.

Sæculo XIV.

196 Benedictus XI. Taruiſinus, creatus die 21. Octob. anno 1303. mortuus dia 11. Octob anno 1304.

197 Clemens V. Gallus, craatus dia 21. Julij anno 1305. mortuus die 20. Aprilis anno 1314.

198 Joannes XXI. Gallus, creatus die 7. Auguſti anno 1316. mortuus dia 5. Decem. anno 1334.

199 Benedictus XII. Gallus, creatus die 20. Decemb. 1334. mortuus dia 15. Aprilis anno 1342.

200 Clemens VI. Gallus, creatus die 9. Maij anno 1342. mortuus die 6. Decembris anno 1352.

201 Innocentius VI. Gallus, creatus die 18. Decemb. anno 1352. mortuus die 12. Sept. anno 1362.

202 Urbanus V. Gallus, creatus die 27. Septembr. anno 1362. mortuus die 19. Dec. anno 1370.

203 Gregorius XI. Gallus, creatus die 30. Decambr. anno 1370. mortuus die 27. Martij anno 1378.

204 Urbanus VI. Neapolitanus, creatus die 18. Aprilis anno 1378. mortuus die 15. Octob. anno 1389.

205 Bonifacius IX. Neapolitanus, creatus die 2. Novembr. anno 1389. mortuus die 1. Octob. anno 1404.

Sæculo XV.

206 Innocentius VII. Sulmonenſis, creatus die 17. Octob. anno 1404. mortuus die 6. Novembr. anno 1406.

207 Gregorius XII. Venetus, creatus die 30. Novemb. anno 1406. abdicavit die 4. Julij anno 1415.

208 Ale-

208 Alexander V. Cretenſis, creatus die 7. Jul. 1409. mortuus die 3. Maij anno 1410.

209 Joannes XXII. dictus XXIII. Neapolitanus, creatus die 17. Maij anno 1410. Abdicavit die 30. Maij anno 1415.

210 Martinus III. dictus V. Romanus, creatus die 11. Novembr. anno 1417. mortuus die 21. Februar. anno 1431.

211 Eugenius IV Venetus, creatus die 3. *Maii* anno 1431. mortuus die 23. Febr. 1447.

212 Nicolaus V. Sarzanenſis, creatus die 6. Martij 1447 mortuus die 24. Mart. 1455.

213 Calliſtus III. Hiſpanus, creatus die 8. Apr. anno 1455. mortuus die 6. *Auguſti* 1458.

214 Pius II. Senenſis, creatus die 19. *Auguſti* anno 1458. mortuus die 16. *Auguſt.* 1464.

215 Paulus II. Venetus, creatus die 31. Augu. anno 1464 mortuus die 28. Julij 1471.

216 Sixtus IV. Savonenſis, creatus die 9. *Aug.* anno 1471. mortuus die 12. *Aug.* 1484.

217 Innocentius VIII. Genuenſis, creatus die 24. *Auguſti* anno 1484. mortuus die 25. Julij anno 1492.

218 Alexander VI. Hiſpanus, creatus die 11. Auguſti anno 1492. mortuus die 18. Auguſti anno 1503.

Sæculo XVI.

219 Pius III. Senenſis, creatus die 23. Septem. anno 1503. mortuus die 18. Oct. 1503.

220 Julius II. Savonenſis, creatus die 1. Nov. anno 1503. mortuus die 21. Febr. 1513.

221 Leo X. Florentinus, creatus die 15. Martij anno 1513. mortuus die 1. Decembr. anno 1521.

222 Hadrianus VI. Germanus, creatus die 9. Januarij anno 1522. mortuus die 14. Septembr. anno 1523.

223 Clemens VII. Florentinus, creatus die 19. Novembr. anno 1523. mortuus die 25. Septembris anno 1534.

224 Paulus III. Romanus, creatus die 3. Octobr. anno 1534. mortuus die 10. Novembr anno 1549.

225 Julius III. Romanus, creatus die 8. Febr. anno 1550. mortuus die 23. Martij anno 1555.

226 Marcellus II. Montepolitanus, creatus die 9. *Aprilis* anno 1555. mortuus die 30. *Aprilis* anno 1555.

227 Paulus IV. Neapolitanus, creatus die 23. Maij anno 1555. mortuus die 18. Auguſti anno 1559.

228 Pius IV. Mediolanenſis, creatus die 26. Decembr. anno 1559. mortuus die 9. Decembr. anno 1565.

229 Pius V. e Boſco, creatus die 7. Januarii anno 1566. mortuus die 1. *Maij* 1572.

230 Gregorius XIII. Bononienſis, creatus die 13. Maij anno 1572. mortuus die 10. *Aprilis* anno 1585.

231 Sixtus V. Picenus, creatus die 12. *Aprilis* anno 1585. mortuus die 26. Auguſti anno 1590.

232 Urbanus VII. Genuenſis, creatus die 15. Septembr. anno 1590. mortuus die 27. Septembr. anno 1590.

233 Gregorius XIV. Mediolanenſis, creatus die 5. Decembr. anno 1590, mortuus die 15. Octob. anno 1591.

234 Innocentius IX. Bononienſis, creatus die 30. Octobr. anno 1591. mortuus die 31. Decembr. anno 1591.

235 Clemens VIII. Florentinus, creatus die 30. Januarij anno 1592. mortuus die 7. Martij anno 1605.

Sæculo XVII.

236 Leo XI. Florentinus, creatus die 1. *April.* anno 1605. mortuus die 27. *April.* 1605.

237 Paulus V. Romanus, creatus die 16. Maij anno 1605. mortuus die 28. Jan. 1621.

238 Gregorius XV. Bononienſis, creatus die 9. Februar. anno 1621. mortuus die 8. Julij anno 1623.

239 Urbanus VIII. Florentinus, creatus die 6. Aug. 1623. mortuus die 29. Julij 1644.

240 Innocentius X. Romanus, creatus die 14. Septembr. anno 1644. mortuus die 7. Januar. anno 1655.

241 Alexander VII. Senenſis, creatus die 7. *April.* an. 1655. mortuus die 22. *Maij* 1667.

242 Clemens IX. Piſtorienſis, creatus die 20. Junij anno 1667. mortuus die 9. Decembris anno 1669.

243 Clemens X. Romanus, creatus die 29. April. 1670. mortuus die 22. Julij 1676.

244 Innocentius XI. Novocomenſis, creatus die 21. Sept. anno 1676. mortuus die 12. Auguſti anno 1689.

245 Alexander VIII. Venetus, creatus die 6. Oct. 1689. mortuus die 1. Febr. 1691.

246 Innocentius XII. Neapolitanus, creatus die 12. Julij anno 1691. mortuus die 27. Septemb. anno 1700.

247 Clemens XI. Urbinas, creatus die 23. Novembr. anno 1700. vivat feliciter.

INDEX

INDEX II. ALPHABETICUS
ROMANORUM PONTIFICUM
IN EPHEMERIDE CHRISTIANA DESCRIPTORUM.

S. AGAPETUS I. die 20. Septemb.
S. Agatho die 10. Januarij.
S. Alexander I. die 3. Maj.
S. Anacletus die 13. Julij.
S. Anaſtaſius I. die 27. Aprilis.
S. Anicetus die 17. Aprilis.
S. Antherus die 3. Januarij.
S. Benedictus I. die 7. Maij.
S. Bonifacius I. die 25. Octob.
S. Bonifacius IV. die 25. Maij.
S. Cœleſtinus I. die 6. April.
S. Cœleſtinus V. die 19. Maij.
S. Calliſtus I. die 14. Octob.
S. Cajus die 22. April.
S. Clemens I. die 23. Novemb.
S. Cletus die 26. April.
S. Cornelius die 14. Septemb.
S. Damaſus I. die 11. Decemb.
S. Deuſdedit die 8. Novemb.
S. Dionyſius die 26. Decemb.
S. Eleutherius die 26. Maij.
S. Evariſtus die 26. Octob.
S. Eugenius I. die 2. Junij.
S. Euſebius die 26. Septemb.
S. Eutychianus die 8. Decemb.
S. Fabianus die 20. Januar.
S. Felix I. die 30. Maij.
S. Felix II. die 29. Julij.
S. Felix III. die 25. Februar.
S. Felix IV. die 30. Januar.
S. Gelaſius I. die 21. Novemb.
S. Gregorius I. die 12. Martij.
S. Gregorius II. die 13. Februar.
S. Gregorius VII. die 25. Maij.
S. Hilarus die 10. Septemb.
S. Hormiſda die 6. Auguſti.
S. Hyginus die 11. Januarij.
S. Innocentius I. die 28. Julij.
S. Joannes I. die 27. Maij.
S. Julius I. die 12. Aprilis.
S. Leo I. die 11. Aprilis.
S. Leo II. die 28. Junij.
S. Leo IV. die 17. Julij.
S. Leo IX. die 19. Aprilis.
S. Linus die 23. Septembris.
S. Lucius I. die 4. Martij.
S. Marcellinus die 26. Aprilis.
S. Marcellus I. die 16. Januarij.
S. Marcus die 7. Octobris.
S. Martinus I. die 12. Novemb.
S. Melchiades die 10. Decembr.
S. Nicolaus I. die 13. Novembr.
S. Paſchalis I. die 14. Maij.
S. Paulus I. die 28. Junij.
S. PETRUS die 29. Junij.
S. Pius I. die 11. Julij.
S. Pius V. die 5. Maij.
S. Pontianus die 19. Novembr.
S. Sergius I. die 9. Septembr.
S. Silverius die 20. Junij.
S. Silveſter I. die 31. Decembr.
S. Simplicius die 2. Martij.
S. Soter die 22. Aprilis.
S. Stephanus I. die 2. Auguſti.
S. Symmachus die 19. Julij.
S. Teleſphorus die 5. Januarij.
S. Victor I. die 28. Julij.
S. Vitalianus die 27. Januarij.
S. Urbanus I. die 25. Maij.
S. Xyſtus I. die 6. Aprilis.
S. Xyſtus II. die 6. Auguſti.
S. Xyſtus III. die 28. Martij.
S. Zephyrinus die 26. Auguſti.
S. Zoſimus die 26. Decembris.

INDEX III.
SCHISMATUM IN ROMANA ECCLESIA:
SEU
PSEUDOPONTIFICUM,
JUXTA SERIEM TEMPORUM.

Anno Chriſti

254 *Schiſma primum* inter Cornelium Papam & Novatianum Antipap. *fol.* 35.

352 *Secundum* inter Liberium Papam & Felicem II. Antipapam putatum, *fol* 55.

366 *Tertium* inter Damaſum I. Papam & Urſicinum Antipapam, *fol.* 58.

419 *Quartum* inter Bonifacium I. Papam & Eulalium Antipapam. *fol.* 67.

499 *Quintum* inter Symmachum Papam & Cœlium Laurentium Antipapam, *fol.* 83.

530 *Sextum* inter Bonifacium II. Papam & Dioſcorum Antipapam *fol.* 91.

536 *Septimum* inter Sylverium Papam & Vigilium Antipapam, *fol.* 94.

686 *Octavum* inter Petrum Romanum & Theodorum Cardinales de Pontificatu certantes, *fol.* 148

687 *Nonum* inter Theodorum & Paſchalem Cardinales de Papatu contendentes, *fol.* 149.

757 *Decimum* inter Paulum I. Papam & Theophylactum Antipapam *fol.* 177.

767 *Undecim* inter Conſtantinum & Philippum Antipapas, *fol.* 182

824 *Duodecimum* inter Eugenium II. Papam, & Zinzinum Antipapam, *fol.* 204.

855 *Decimum tertium* inter Benedictum III. Papam, & Anaſtaſium Antipap. *fol.* 221.

891 *Decimum quartum* inter Formoſum Papam & Sergium III. Antipapam, *fol.* 243.

Anno Chriſti

897 *Decimum quintum* inter Joannem IX. Papam, & Sergium III. Antipapam, *fol.* 249.

907 *Decimum ſextum* inter Sergium III. Leonem V. & Chriſtophorum I. *fol.* 253.

956 *Decimum ſeptimum* inter Joannem XII. & Leonem VIII. Antipapam, *fol.* 269.

964 *Decimum octavum* inter Benedictum V. Papam, & Leonem VIII. Antipapam, *fol.* 273.

985 *Decimum nonum* inter Bonifacium VII. Benedictum VII. & Joannem XIV. *fol.* 280.

999 *Vigeſimum* inter Gregorium V. Papam & Joannem Philagatum Placentiæ Epiſcop. *fol.* 287.

1012 *Vigeſimum primum* inter Benedictum VII. Papam, & Gregorium quendam Antipapam, *fol.* 301.

1033 *Vigeſimum ſecundum* inter Benedictum VIII. Sylveſtrum III. & Joannem quendam Ant. *fol.* 308.

1057 *Vigeſimum tertium* inter Nicolaum II. Papam, & Benedictum IX Antipapam, *fol.* 326.

1061 *Vigeſimum quartum* inter Alexandrum II. Papam, & Cadaolum Epiſc. Parmenſem dictum Honorium II. Antipap. *fol.* 330.

1073 *Vigeſimum quintum* inter Gregorium VII. Papam, & Clementem III. Antipap. *fol.* 341.

1099 *Vigeſimum ſextum* inter Paſchalem II. Papam, & Albertum de Atellis Antipap. *fol.* 353.

1099 *Vigeſimum ſeptimum* inter eundem Paſchalem II. Papam. & Theodoricum Pſeudocardinalem, Antipapam, *fol.* 353.

1099.

Anno Chriſti

1099 *Vigeſimum octavum* inter eundem Paſchalem II. Papam, & Maginulphum Abbatem Farfenſem dictum Sylveſtrem III. Antipapam, *fol.* 353.

1118 *Vigeſimum nonum* inter Gelaſium II. Papam, & Gregorium VIII. Antipapam, *fol.* 360.

1130 *Trigeſimum* inter Innocegtium II. Papam, & Anacletum II. Antipapam, *fol.* 373.

1130 *Trigeſimum primum* inter eundem Innocentium II. & Victorem IV. Antipapam, *fol.* 376.

1159 *Trigeſimum ſecundum* inter Alexandrum III. Papam, & Victorem IV. Antipapam, *fol.* 396.

1159 *Trigeſimum tertium* inter eundem Alexandrum III. Papam, & Paſchalem III. Antipapam, *f.* 399.

Anno Chriſti

1159 *Trigeſimum quartum* inter eundem Alexandrum III. Papam, & Calliſtum III. Antipapam, *fol.* 399.

1316 *Trigeſimum quintum* inter Joannem XXII. Papam, & Nicolaum V. Antipapam, *fol.* 529.

1378 *Trigeſimum ſextum* S. inter Urbanum VI. Papam, & Clementem VII. Antipapam, *fol.* 563.

1389 *Trigeſimum ſeptimum* inter Bonifacium IX. Papam, & Petrum de Luna, dictum Benedictum XIII. Antipapam, *fol.* 569.

1417 *Trigeſimum octavum* inter Martinum V. Papam, & Clementem VIII. Antipapam, *fol.* 601.

1439 *Trigeſimum nonum* inter Eugenium IV. Papam, & Amadeum de Sabaudia, dictum Felicem V. Antipapam, *fol.* 600.

ANNO CHRISTI XXXIII.

Imperatoribus TIBERIO, CALIGULA, CLAUDIO I. & NERONE Auguſtis.

DE

S. SIMONE PETRO PRIMO ROMANORUM PONTIFICE.

I.

Cur à Domino Cephas appellatus?

SANCTUS SIMON PETRUS, Jonæ filius, Andreæ Apoſtoli frater, & in genere martyrii ſocius, à Chriſto Domino *Cephas* ſeu *Petrus*, ut Marcus *c. 13.* perhibet, appellatus eſt: Non quòd aliud *Cephas*, aliud ſignificet Petrus, ſed quòd, quàm nos Latinè & Græcè *Petram* vocamus, hanc Hebræi & Syri, propter linguæ inter ſe viciniam *Cepham* (Hieronymo teſte *Lib. 1. in 2. cap. Galat.*) nuncupent. Significat autem *Cephas* non qualemcunque petram, ſed ſolidiſſimam, ut rupem, aut cautem, quæ fundamentis ſubjecta, ſolet eſſe firmiſſima. Fuit autem hoc nomen Simoni à Chriſto impoſitum, non citra magnum myſterium, & indicium rerum clariſſimè gerendarum: ſicut in Jacobo & Joanne, filiis Zebedæi, accidit, qui *Boänerges*, hoc eſt tonitrui filii, fulgura inquam, ab eodem Salvatore fuerunt appellati, quòd alter occiduam, alter orientalem plagam, tractu temporis, eſſet illuminaturus.

Genus & patria.

Cæterùm ſtirpe fuit Simon Hebræus, ortus ex tribu Simeonis, (ut Metaphraſtes antiquus Author tradit in vita) natione Galilæus, ex Bethſaida, ignobili & parvo agri Capharnitani oppido, ad litus magni lacûs Geneſareth, ſeu maris Tiberiadis, ſito. Parentum Petri nulla extat in ſacris litteris mentio, præterquam quòd in Evangelio Jonas pater ejus indigitetur. Ante diſcipulatum Chriſti, uxorem duxit filiam Ariſtobuli, fratris B. Barnabæ Apoſtoli: ex qua ſobolem ſuſtulit Petronillam, vita & converſatio-

Uxorem ducit.

ne ſanctiſſimam : cujus memoriam Eccleſia Romana quotannis agit pridie Calend. Junii. Ad Apoſtolatûs apicem aſſumptus, thoro ſe conjugali continuit, ut præter Tertullianum & S. Hieronymum, B. Birgitta divinitus edocta *Libro 2. Revelat. c. 7. & Lib. 8. c. 1.* affirmat. Eam tamen aliquando, poſt Chriſti reſurrectionem, peregrinationum ſuarum comitem, non ut uxorem, ſed ut ſororem, & quæ tam ſibi, quàm diſcipulis eum ſequentibus, ſedulò miniſtraret, admiſit. Ut Paulus Apoſtolus in Epiſtola *1. ad Corinthios c. 9.* innuere videtur. Hæc poſtmodum annis & meritis gravis, hortante & inſpectante Petro, martyrium ſubiit pro Chriſti nomine in perſecutione Neroniana. Ut Clemens Alexandrinus, vetuſtiſſimus Theologus, *Lib. 7. Stromatum*, & Euſebius *Lib 3. hiſt. c. 24.* atteſtantur.

Apoſtolus factus eâ ſe continet.

Eandem ad martyrium hortatur.

Artem piſcatoriam eo uſque exercuit Petrus, donec à Chriſto Domino ex retibus ad diſcipulatum vocatus, tractu temporis Collegii Apoſtolici Primas & caput emerſit. Sancti namque Evangeliſtæ Matthæus, Marcus, & Lucas, qui nomina Apoſtolorum ſecundùm ordinem recenſuerunt, primo ſemper loco Petrum, etſi nondum Paſtorem univerſalem à Chriſto conſtitutum, reponunt, & ut caput cæterorum enumerant, licèt eſſet in vocatione Andreâ poſterior, &, ut quibuſdam placet, ætate junior.

Primas inter Apoſtolos tenet.

Porrò quamvis ab æterno divinâ providentiâ ita eſſet diſpoſitum, ut abjecto & humili piſcatori Pontificalis dignitas & Vicariatus Chriſti ſervaretur, in ipſo tamen clariora ſemper virtutum ſtudia, quibus cæteris dignior haberetur, emicuerunt. Præſtitit enim reliquis fide, præſtitit & ferventiori in Chriſtum affectu. Fidem certè illuſtriorem multa ejus teſtimonia apertiſſimè probant. Libet unum, alterumve ſtrictim attingere, inque medium proferre, ne quid temerè de tanto viro dixiſſe videamur. Redemptore noſtro palàm quondam docente (ut Joannis c. 6. narratur) ad æternam vitam conſequendam, neceſſe eſſe, carnem ſuam à fidelibus manducari, ſanguinemque ſuum bibi, cùm multi diſcipulorum, ob doctrinæ novitatem, auditu & creditu (ut ipſi quidem opinabantur) duriſſimæ difficillimæque, retrocederent: Chriſtus ad Apoſtolos converſus, ait : *Vultis & vos abire ?* Petrus omnium primus, omniumque fidelior, in medium prorumpens, tanquam caput pro omnibus reſpondit : *Domine, ad quem ibimus ? verba vitæ æternæ habes : quia tu es Chriſtus filius Dei vivi.*

Cæteros virtutibus antecellit.

Ejus in Chriſtum præclara fides.

Rurſùm in agro urbis Cæſareæ Philippi (ut Matthæi *cap. 16.* docemur) cùm Chriſtus diſcipulos ſuos interrogaſſet, quem ſe eſſe crederent, qualemque de ipſo opinionem concepiſſent? Petrus ardenti zelò inflammatus, divinoque æterni Patris conſilio inſtructus, cæteris ſubticentibus, in arcanam illam Theologiam prorupit: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Quam non humana aliqua cognitio, non carnalis affectus, non ſanguinis aut patriæ conjunctio, non Chriſti amicorum conſilium, non ambitio, aut adulatio ipſi ſuggeſſerat, ſed divini Spiritus patefecerat afflatus. Ob quam utique egregiam fidei confeſſionem ſummoperè à Chriſto commendatus, ac *Beati* etiam vocabulo nobilitatus, omnium dignior judicatus eſt, cui tanquam fideliſſimo, univerſalis Eccleſiæ cura opor-

Inſignis ejuſdi confeſſio.

portuno tempore concrederetur; claveſque regni cœlorum, ſeu, quod idem eſt, ſuprema ligandi atque ſolvendi poteſtas & imperium, committerentur.

Fides præterea Petri, præ cæteris etiam Apoſtolis, tùm egregiè eluxit, quando Chriſtus quartâ noctis vigiliâ (ut Matthæus *c.14.* narrat) pedibus mare calcans, creditus eſt phantaſma. Cæteris enim Apoſtolis magno timore correptis, ſolus Petrus fide ac fiducia plenus, clamare eſt auſus: *Domine, ſi tu es, jube me ad te venire ſuper aquas.* Et Chriſto reſpondente: *Veni.* Nihil hæſitans, audacter ſe mari, ventorum licèt vi agitato atque turbato, commiſit, ut recto tramite ad Chriſtum, quem unicè dilexerat, perveniret. Videns verò ventum validum, timuit: & cùm cœpiſſet mergi, Magiſtri opem inclamans, dixit: *Domine, ſalvum me fac.* Et continuò JEſus extendens manum, apprehendit eum, & ait illi: *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* Tanta viguit in animo Petri fides, ut non dubitaverit ad vocem Chriſti, nocte intempeſta, per intranquilli maris fluctus ad ipſum progredi, licèt, conſiderans imminentem ex valido vento procellam, dubitare cœperit, ſubmergique timuerit. Verùm tam magna fides naturalem hunc timorem præceſſit, ut fidem aliorum diſcipulorum, nihil tale auſorum, longiſſimè ſuperaverit. *Fiducia in Chriſtum.*

At ſi magna, ſi eximia fuit Petri fides in Chriſtum, haud minor certè ejuſdem extitit in eundem affectus. Qui, (ut multa paucis complectar) diffugientibus aliis, ſolus ipſe in horto, armatæ ſe militum cohorti oppoſuit, enſeque viriliter nudato eos, qui Chriſtum, duce proditore, captum advenerant, percutere cœpit. Qui, interno actus amore, primus ad monumentum Chriſti reſurgentis feſtinavit, ac Joanne foris ſubſiſtente, intrepidè ingreſſus eſt. Qui, poſt Chriſti reſurrectionem, conſuetæ piſcationi in mari Tiberiadis vacans, dum Chriſtum fortè ad litus ſtantem vidiſſet, ſeminudus è navi, urgente dilectione, in undas proſiliit, nihilque veritus periculi, per maris profunda ad litus, in quo Chriſtus ſtabat, quodque ducentis cubitis aberat, eluctatus eſt. *Ejuſdem affectus.*

Egregiam hanc præ cæteris in ſe fidem, & charitatem, trina etiam confeſſione teſtatam, quo trinam negationem dilueret, Dominus ac Salvator noſter præmiaturus, Petro, tanquam omnium fideliſſimo, omniumque digniſſimo, univerſalem Eccleſiam, ſuo ſanguine redemptam, anteaque illi promiſſam, præſentibus Apoſtolis, conſignavit. Non ſolùm agnos ei, hoc eſt novitios in fide, ſed oves etiam, Apoſtolos, inquam, & diſcipulos, ipſius magiſterio & curæ committens; eundemque caput omnium, Paſtoremque primarium, ac petram ſolidiſſimam totius Eccleſiaſtici ædificii conſtituens: adverſus quod, juxta factam divinitùs promiſſionem, nulla unquam terrena hominum vis, nulla dæmonum inferna poteſtas, tyrannorumque rabies, eſſet prævalitura. *Ei committitur Eccleſiæ cura.*

Anno igitur redempti orbis trigeſimo tertio completo, viginti circiter diebus à Chriſti reſurrectione decurſis, Petri Pontificatus in Eccleſia Dei cœpit, duravitque univerſim (juxta computum Ciaconii & aliorum) annis triginta ſex, menſibus quinque, die- *Petri Pontificatus.*

 bus

bus duodecim. Horum quinque Petrus in Judæa, ſeptem Antiochiæ traduxit. Reliquos viginti quinque non omninò completos exegit Romæ, poſtquam anno Chriſti quadrageſimo quinto; regiminis Claudii Imperatoris tertio, ſedem fixam & immobilem eò tranſtuliſſet, ac Monarcha primus Romanorum Antiſtitum, Urbi ac Orbi invigilans, ſacris Chriſtianis præſediſſet.

Ejus martyrium.

Anno demum Chriſti 69. ſæviente in Chriſtianos perſecutionis procellâ, à Nerone, Tyrannorum primo, omniumque crudeliſſimo, excitatâ, Petrus & Paulus, excelſiſſima Orbis capita, poſt optimè fundatam ubivis gentium Eccleſiam, ſanguinem vitamque fundunt pro Chriſti nomine, Romæ die 29. Junii. Petrus quidem, poſt Simonem magum, orationis telo potentiſſimo, in theatro victum proſtratumque, viâ triumphali, ſuffixus eſt cruci, ad ipſius votum inverſæ: ſeu ut patientiam ſpectaculo cœli armaret; ſive crucem, quaſi thronum incarnati Dei, non auderet rectam inſcendere.

B. Pauli martyrium.

Paulus, clarus victoriis de Idololatria ubique gentium reportatis, viâ Oſtienſi, capite plexus eſt: cujus in contracto corpore Dei capax animus, mundo ſublimior, jam olim cœli receptus adytis, uno ictu debuit in locum migrare, cujus erat hoſpes. Terra hauſit ſanguinem, fonteſque reddidit, quaſi lacrymis proſecuta jacturam, vel oſtenſura Martyrum ſanguinem fontes eſſe in Eccleſia Dei nunquam exſiccandos.

Utriuſque elogia.

Horum præſtantiſſimorum elogia virorum pulchrè concelebrat, conſona Patrum Græcorum Latinorumque antiquitas, ut apud Baronium in Annalibus Eccleſiæ videre eſt. Nobis ſuffecerit breviſſima unius Tertulliani audire verba: *Felix profectò Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt: ubi Petrus, Romana caput Eccleſia, paſſioni dominica adæquatur: ubi Paulus, gentium doctor, Joannis exitu coronatur.* Hi ſunt, Roma, Patres tui, verique Paſtores (dicam ego cum Leone magno) qui te regnis cœleſtibus inſerendam multò meliùs, multoque feliciùs condiderunt, quàm illi, quorum ſtudio prima mœnium tuorum fundamenta locata ſunt: ex quibus is, qui tibi nomen dedit, fraterna te cæde fœdavit. Iſti ſunt, inquam, viri glorioſiſſimi, qui te ad hanc, quam modò obtines, gloriam provexerunt: ut gens ſancta, populus electus, civitas ſacerdotalis & regia, per ſacram beati Petri ſedem caput orbis effecta, latiùs præſideres religione divina, quàm dominatione terrena.

Petrum Romæ fuiſſe, ac ſedem ibi fixiſſe, fruſtrà negant Sectarii.

Quòd verò hæreticorum aliqui, quibus cerebrum defluxit in pedes, anteſignanis putido Luthero & Calvino, blaterare audeant: nunquam Petrum Apoſtolum vel Romæ fuiſſe, vel ſedem ibi fixam tenuiſſe, miranda prorſus inſania, effronſque impudentia eſt, nulla ut reſponſione digna, ſic modis omnibus exſibilanda. Utut enim hi in omnem ſe partem contorqueant, ut mendacia corradant, falſitates coäcervent, dolos adſtruant, quibus ignarum vulgus, ſuaptè decipi pronum, ludificent atque ſupplantent, nihil tamen agunt apud viros prudentes, cordatoſque, quàm ut inſanientium impoſtorum inſtar explodantur. Clariora ſiquidem ſunt firmioraque contrariæ veritatis argumenta, quàm ut à malevolis hiſce

quo-

SS. Patrum teſtimonia.

quovis modo obfuſcari queant, aut refelli. Extant enim Romani regiminis Petri, ejusdemque Primatûs ac ſedis, præter monumenta illuſtria, eaque invicta, aſſertores ac teſtes, tam eximii, tam auguſti, tamque numeroſi, ut mirari ſubeat, poſſe reperiri aliquos, in tanta teſtium ac rationum luce cæcutientes. Vin' dictorum experientiam, ſole ipſo clariorem? Audi, non novitios aliquos, non heri natos fabulatores (ut ſunt Centuriatores, Funccius, Molinæus, Gallaſius, Velenus, quos ſolus livior in Romanam Eccleſiam armavit, odiumque ad ſcribendum mendacia pepulit) ſed viros, doctrinâ, fide, ſanctimoniâ, dignitate, & auctoritate præſtantiſſimos, primisque ſæculis ſuppares, ac ſuſpiciendos: Euſebium, inquam, Cæſarienſem: qui in Chronico ſuo, quod Sanctus poſteà Hieronymus continuavit, expreſsè hæc ſcribit: *Petrus Apoſtolus, natione Galilaus, Chriſtianorum Pontifex primus, cùm primò Antiochenam Eccleſiam fundaſſet, Romam proficiſcitur, ubi Evangelium prædicans, viginti quinque annis ejus Urbis Epiſcopus perſeverat.* S. Ambroſium: qui *libro 3. c. 1. de Sacramentis* diſſerens, inter alia ſic loquitur: *Utique ipſe Author eſt nobis hujus aſſertionis Petrus Apoſtolus, qui Sacerdos fuit & caput Eccleſia Romana.* S. Hieronymum: qui de viris illuſtribus agens, Petri memoriam hoc encomio commendat: *Simon Petrus Princeps Apoſtolorum, ſecundo Claudii anno ad expugnandum Simonem magum Romam pergit; ibiq; 25 annis Cathedram Sacerdotalem tenuit, uſq; ad ultimum Neronis annum.* D. Joannem Chryſoſtomum: qui oratione in Petrum & Paulum, præconium Principis Apoſtolorum hoc pacto proſequitur: *Petrus itaque orthodoxa fidei principium, magnus atque illuſtris Eccleſia Sacerdos, neceſſarius Chriſtianorum conſiliarius, firma fidei petra, Eccleſia Romana columna & turris, Apoſtolici Chori caput & Praſes, univerſo orbi terrarum à Chriſto prapoſitus, Urbium reginam Romam occupavit, in qua Eccleſiarum omnium velut matricem conderet.* Optatum Millevitanum: qui *libro 2.* adverſus Parmenianum Donatiſtam ſcribens, eundem hæreſiarcham his verbis compellat: *Negare non potes, ſcire te, in Urbe Roma à beato Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collocatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput.*

Aliorum teſtimonia.

His adde teſtes innumeros, omnique exceptione majores, beatiſſimos ſcilicet Martyres & Epiſcopos, aliosque Eccleſiæ *Doctores* quamplurimos: inter quos præcipui eminent, Ignatius, Juſtinus, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Lactantius, Athanaſius, Prudentius, Epiphanius, Auguſtinus, Leo Magnus, Gregorius, Bernardus, aliique Patres ſupra quinquaginta; ne ſimul inferioris nominis Authores adnumerentur, qui unà omnes concordi voce id ipſum, quod à nemine ſani cerebri in dubium vocatur, aſſerunt, probant, evincunt. Ut ob id S. Martyr Irenæus *Libro 3. adverſus hareſes, c. 3* Romanam Eccleſiam à glorioſiſſimo Apoſtolo Petro fundatam cum primis ſuſpiciat, & his verbis de ea pronunciet: *Ad hanc*, inquiens, *Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, omnes qui ſunt undique fideles; in qua ſemper ab iis, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, qua eſt ab Apoſtolis traditio.* Plura qui volet teſtimonia Doctorum, adeat Baronium, Canum, aliosque: præcipuè Card. Bellarminum *lib. 2.*

de Rom. Pontiſſ. c.2 3.4 5. & ſeqq. ubi cauſam hæreticorum, nullo fundamento nixam, planè deploratam oſtendit, ac validis rationum & auctoritatum argumentis ſic conficit, ut jugulet; jugulatamque omnium riſui meritò exponat. Juverit etiam legere *Romam Glorioſam* P. Chriſtophori Ott S. I. Germano Idiomate conſcriptam: ubi Sæculo 1. annotatione 1. n. 30. Quæſtio hæc *An Petrus Romæ fuerit?* ex profeſſo tractatur, ac doctè diſcutitur. Ex his omnibus, ne longior in re notiſſima ſim, facilè concludet lector, eos, qui Petrum Romæ fuiſſe, aut Cathdram ibi tenuiſſe, negant: vel rerum exploratiſſimarum ignorantes eſſe; vel, quod veriùs judico, mortalium omnium mendaciſſimos; quibus ut nulla ſcribentibus fides fuit, ſic nulla fallacibus adhibenda venit.

Petri Primatus adſtruitur.

Porrò Petrum Apoſtolorum Principem, primum à Domino Hierarcham, & vicarium Paſtorem univerſalis Eccleſiaſtici in terris regni inſtitutum eſſe, verba Chriſti *Matthæi 16.* clariſſimè evincunt, & voluntatem ejus hoc de Primatu perſpicuè demonſtrant. Nam quod Regi & Salvatori noſtro, poſt abſolutum humanæ redemptionis opus, Eccleſiæ ſuæ, ſinguliſque credentibus præſtandum adhuc videtur, id ipſum Petro plenè commiſit, & per Petrum, ſuis jam vicibus fungentem, præſtari voluit. Nam quòd Eccleſia conſtare & ſubſiſtere, niſi fundamento fulta, non poterat: fundamentum verò, ſeu petra eſſet Chriſtus: Ecce hic idem Chriſtus, Eccleſiæ ſuæ proviſurus, Petrum quoque petram fecit, dum Matthæi 16. dixit: *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Petram autem intelligimus perſonam, fidem, officium, doctrinam, ſedem Petri. Rurſum, quòd Eccleſiæ in futuras ætates opus erat firmitate, ne per adverſarios motus, ab orco excitatos, diſſolveretur: Ecce eam firmitatem, ſtabilitatemque perpetuam, Eccleſiæ & cathedræ Petri condixit: *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Quòd ad oves Chriſti curandas paſcendaſque paſtore opus erat: Chriſtus verò paſtor bonus eſſet: Ecce abiturus in cœlum, paſtorem quoque Petrum ſui loco ſubſtituit, quando ei munus paſcendi oves & agnos commiſit: *Paſce oves meas; paſce agnos meos*, Joan. 21. Quòd contra ingenii humani inconſtantiam, humanarumque opinionum incertitudinem firmâ fide, fideique indubitatâ doctrinâ opus erat, quæ nullo tempore deficeret: ecce ejuſmodi fidem, Chriſtus Petri fidem inſtituit, cùm dixit, *Simon ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos*, Lucæ 22. Quòd etiam poſt exantlatos labores cœlum fidelibus aperiendum erat: Chriſtus verò eſſet, qui haberet clavem David, quæ aperit, & nemo claudit: claudit & nemo aperit: Ecce hanc ipſam clavim etiam Petro commiſit, quando eum ſui loco ſummum in terris Vicarium elegit: *Et tibi dabo claves regni cælorum*, Matt. 16. Quòd fideles, ne à cœli aditu arcerentur, ſolvi oportebat ab impedimentis cùm pravæ fidei, ſi quæ eſſet; tùm impiarum actionum, ſi quæ exiſterent: Chriſtus verò eſſet, cui etiam humanitùs data erat omnis poteſtas in cœlo & in terra: eam ſanè facultatem pleno jure Petro quoque communicavit, cùm dixit: *Quodquid ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Matt. 16.

Quæ

Quæ cùm ita ſint: quis amabò neget, voluntatem Chriſti eſſe, Petrum ejus Vicarium primarium eſſe? Et cùm hæc ejus voluntas ſit, quis ſanæ mentis contradicat? Et cùm is Vicarium inſtituit Petrum, quis objiciat, illi non opus eſſe Vicario Petro? Rurſus, cùm Chriſtus paſtor bonus ſit, quis credat paſcendi modum ejus malum eſſe, qui eſt per vicarium Petrum? Et cùm oves ſuas Petro paſcendas commiſit, quis ſe ovem Chriſti profiteatur, & Petrum paſtorem ſuum neget? Itaque poſt inſtitutum in terris regnum, abiturus in cœlum Dominus (ut quemadmodùm Deus cœli & terræ Monarcha eſt, ita regni Dei inter Chriſti fideles monarchiæ forma conſtitueretur) Eccleſiæ militanti in terris ſummum Vicarium, & caput ſub ſe ſecundarium præfecit beatum Petrum Apoſtolorum principem: adverſus quam Chriſti Domini inſtitutionem tamen, mirum eſt, quanta adverſarii, urgente eos orco, machinentur. Atque inter alia, ne prolixior ſim, objiciunt: ubinam Primatum illum, à nobis adſtructum, exercuerit Petrus? vel, quod idem eſt, quid eo nomine luculenti unquam perfecerit, aut præſtiterit? Quibus primò reſpondetur: aliam Luthero, Calvinoque & ſequacibus agendi rationem fuiſſe; aliam ſanctiſſimo Apoſtolo Petro: illorum vim virtutemque omnem in arroqantia conſtitiſſe, qua vel cæteris ſe omnibus inſigni verborum jactantia anteferrent, vel præ ſe omnes contemnerent, deſpectuique haberent; Petrum è contrariò, à Spiritu Sancto edoctum fuiſſe, Primatem ſe non verbis arroganter jactare, ſed opere & veritate demonſtrare. Secundo loco eis dicitur: illos, ut aliis in rebus, ita hîc quoque in ſacra Scriptura cæcutire; & ſacrorum vim myſteriorum etiam apertis oculis ignaros prætereire, quamvis ſe in Bibliis omnium oculatiſſimos reputent, omniumque illuminatiſſimi haberi velint. At cæci ſunt, & duces cæcorum. Scripturas legunt; ſed non intelligunt, quia duce, paſtore, & interprete Petro, cui infallibilis aſſiſtentia Spiritus Sancti promiſſa eſt, carent. Audiant verò, ubi? quando? & qualiter? Petrus primatum ſibi à Domino collatum acceperit & exercuerit. Scripturas recto, non obliquo oculo ſcrutentur, & quæ dico, intelligent.

Sectariis breviter reſpondetur.

Quis enim ab Evangeliſtis inter Apoſtolos enumerandos primus ſemper ponitur, niſi Petrus? Quid egregium ab Apoſtolis ante diviſionem geſtum, quo primatum non exercuerit Petrus? Quid Apoſtolorum Choro duodenario neceſſarium magis erat, quàm in proditoris Judæ locum ſufficere duodecimum? actum verò id eſt conſilio, opera, & auctoritate Petri, cæteros ad id exhortantis. Quis primus, poſt Spiritus Sancti demiſſionem, os ad evangelizandum aperuit, & Apoſtolos à calumnia Judæorum purgavit, niſi Petrus? Cujus erat, poſt Chriſti in cœlos aſcenſionem, primum miraculum edere, niſi primarii Petri, ſanato ad portam ſpecioſam claudo? Cujusnam erat primam in ſceleratos fideles ferre ſententiam, niſi Principis in Ananiam & Saphiram? Ad quem magis attinebat, credentes in Judæa viſitare, vel (ut loquitur S. Lucas) tranſire univerſos, niſi ad univerſalem

Scriptura teſtimonia adducuntur.

lem Paſtorem ? id quod Petrus præſtabat, cùm Liddam quoque pervenit. Cui revelandum potiùs erat tempus Regni Dei etiam gentilibus aperiendi, quàm Primati Petro, quod cœlitùs ei factum eſt per viſionem animalium mundorum, & immundorum? Quis denique, ut multa alia hujus generis prætereantur, in Concilio Hieroſolymitano ſententiam primus dixit; & eam quidem, quæ quomodo propoſita fuerat, à concilio univerſo aſſumpta, probata, & divulgata eſt, niſi Petrus? Nec fabulas loquimur, nec figmenta damus: ne tergiverſentur Adverſarii: Acta ipſa Apoſtolorum luculentam de ſingulis fidem faciunt.

Suſcepto itaque primatu, Petrus Chriſti Vicarius primos duodecim annos in Judæa partim, ut in Actis Apoſtolorum eſt, partim Antiochiæ docuit: deinde Romæ Cathedram Eccleſiarum primariam conſtituens, viginti quinque ferè annos illic Eccleſiæ præfuit, ut non modò vetuſtiſſima illic monumenta; verùm etiam Patres, & Eccleſiæ doctores, teſtes omni exceptione majores, uno omnes ore tam Græci, quàm Latini loquuntur. Et quidem ex Græcis perſpicuè S. Chryſoſtomus homilia 11. *Matt.* ait: *Univerſalis Eccleſia Paſtor & caput eſt, Petrus, homo piſcator & ignobilis.* Et iterum eodem loco: *Jeremiam uni genti pater; hunc verò Petrum univerſo terrarum orbi Chriſtus præpoſuit.* Et S. Epiphanius contra *hæreſim* 51: *Petrum elegit Chriſtus*, ait, *ut dux eſſet diſcipulorum; regula fidelium; & Paſtor Paſtorum.* Tùm S. Cyrillus Alexandrinus *lib. 12. in Joan. c. 64.* de Petro ſcribit: *Princeps, caputq; cæterorum primus exclamat, Tu es Chriſtus filius DEI vivi.*

Petri Cathedra Romæ.

Ex Latinis in hunc modum S. Cyprianus martyr, de ſimplicitate Prælat. *Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi, honoris & poteſtatis: ſed exordium ab unitate proficiſcitur, & primatus Petro datur, ut Eccleſia una, & Cathedra monſtretur.* Et S. Hieronymus Lib. 1. adverſus Jovin. *Propterea*, ait, *inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.* Et S. Auguſtinus in Pſalm. 108. *Petrus Chriſti agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam, propter primatum, quem in diſcipulis habuit.* Et S. Ambroſius in Luc. 24. *Chriſtus*, inquit, *elevandus in cælum, Petrum amoris ſui nobis Vicarium reliquit.* Et iterum in 2. Corinth. 12. *Andreas prior*, ait, *ſecutus eſt Salvatorem, quàm Petrus, & tamen primatum non accepit, ſed Petrus.* S. Hilarius in Pſalm. 118. disertè pariter apellat Petrum; *Primum filii DEI confeſſorem, Eccleſiæ fundamentum, cæleſtis Regni Janitorem, & in & in terreno judicio Judicem cæli.* Atque hæc ex plurimis Patrum teſtimoniis pauca breviſſimè, obiterque excerpta, hoc loco ſufficiant. Plura, eaque ſolidiſſima ſuggeret doctiſſimus Cardin. Bellarminus *Lib. 1. & 2. de Roman. Pontif.* Aliique paſſim, ad quos lectorem remitto.

Imago Petri. Cæterùm non erit fortaſſe lectori injucundum, Petri effigiem, ſeu corporis ejus formam, ex antiquis monumentis & traditionibus deſcriptam hoc loco tueri. Hanc Nicephorus, ex Euſebio deſumptam, *Lib. 2. c. 37.* ad vivum his exprimit coloribus: *Petrus haud craſſa corporis ſtatura fuit, facie ſubpallida, & alba admodum; capilli capitis & barba criſpi & denſi, ſed non valdè prominentes; oculi quaſi ſanguine reſperſi*

ſperſi & nigri; ſupercilia propè evulſa; naſus autem longior ille quidem, non tamen in acumen deſinens, ſed preſſus, ſimusq́; magis. Hæc ille. Addit Clemens Romanus, citatus à Hieronymo *lib.1. in 2.c. Epiſt. ad Galatas*, calvum illum fuiſſe: quod & veteres ejus Icones, quæ Romæ aſſervantur & oſtenduntur, indicare videntur. Ad harum unam, quæ publicæ venerationi in Baſilica Vaticana expoſita extat, hi verſus vetuſtiſſimi leguntur:

Verbera, carnifices, gladius, crux, vincula, clavi,
Fecerunt Cathedram, qua modò, Petre, ſedes.

S C R I P T A.

Epiſtolas Canonicas duas ſcripſit Petrus, quarum ſecundam è Syriaca in latinam linguam vertit Balthaſſar Etzelius Societatis Jesu: Extant Grecè Venetiis apud S. Marcum: & Armeniacis characteribus reſcriptæ inveniebantur olim Romæ in famoſa Aſcanii Columnæ Cardinalis Bibliotheca. De prima Epiſtola (ut optimè obſervat Bellarminus in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis de Petro Apoſtolo agens, ad annum Chriſti 34.) nulla unquam dubitatio fuit. De poſteriori verò propter ſtyli diverſitatem nonnullà apud aliquos ambiguitas fuit: ſed Eccleſia utramque ut Canonicam, & S. Petri eſſe docuit in Concilio Laodiceno, Carthaginenſi III. Florentino item & Tridentino. Et meritò Beda venerabilis miratur, fuiſſe aliquos, qui Epiſtolam illam B. Petri fuiſſe dubitare potuerint, cùm author *Simonem Petrum* ſe initio nominet, affirmetque ſe in Monte Sancto cum Chriſto fuiſſe in Transfiguratione: & disertè dicat: *Hanc ſecundam vobis ſcribo Epiſtolam.* Hinc enim ſequitur, ut author hujus Epiſtolæ, vel fuerit inſignis impoſtor, quod nemo unquam dicere auſus eſt, vel fuerit S. Petrus. *Ejusdem Scripta.*

Cur autem diverſus eſſe videatur ſtylus prioris & poſterioris epiſtolæ, rationem reddit S. Hieronymus in Epiſtola ad Hedibiam, *quæſt. 11.* quoniam Apoſtolus non ſemper eodem Interprete utebatur.

Scripſit etiam Petrus, affirmantibus aliis, Liturgiam, ſeu Apoſtolicam Miſſam, vel Divinum Sacrificium, quod è Græco in Latinum tranſtulit Joannes à S. Andrea, notiſque illuſtravit. Extat hæc Liturgia tum Græcè, tum Latinè reſcripta in Bibliotheca Patrum, cum notis Guillelmi Lindani Epiſcopi Ruræmundenſis. An verò Liturgia hæc genuinus ſit partus Petri an ſuppoſititius, dubium facit, quòd ab Eccleſia nullibi recepta inveniatur.

Reliqua verò opera, quæ falsò S. Petro attribuuntur, tanquam apocrypha, imò ſpuria, & ſuppoſititia à Gelaſio I. rejiciuntur: Et ſunt: *Actorum ejus* Liber unus: *Evangelii* alter: *Prædicationis* tertius: quartus *Apocalypſeos*: quintus *Judicii*. Evangeliorum librum Serapion Epiſcopus Antiochenus commemorat: Librum Prædicationis citant Clemens Alexandrinus, & Origines. Judicii librum laudat Ruffinus. Sub nomine etiam D. Petri reperitur Epiſtola Græcè ſcripta, ad Jacobum Epiſcopum Hieroſolymitanum, *Quæ Petro falsò adſcribuntur.*

quæ in Bibliothecis Regum Chriſtianiſſimi & Catholici, teſte Poſſevino, aſſervatur: Sed illam Clementi Luti authori ſaniores omnes attribuunt. Præterea reperiri in Bibliotheca Magni Ducis Florentiæ apud S. Laurentium, *Præcepta Petri & Pauli* græcè m.ſſ. teſtantur Henricus Eruſtius & Ludovicus Jacobus à S. Carolo in Bibliothecis, quas ediderunt, videlicet in Medicea, & in Pontificia. De his judicium penes prudentes eſto. Audi Bellarminum in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ubi ſupra. *S. Hieronymus*, inquit ille, *in Libro de Script. Eccleſ multos alios libros olim ſub nomine S. Petri fuiſſe commemorat, quos ipſe ibidem enumerat, ſed omninò ſpurios & ſuppoſititios fuiſſe vel ex eo conſtat, quòd nunquam ab Eccleſia vel in Catalogum ſanctarum Scripturarum redacti, vel in Bibliis ſacris repoſiti, vel in templis recitati ſint; & hoc tempore non ipſi ſolùm, ſed eorum etiam nomina, & memoria evanuerint.*

Bellarmini de Scriptis B. Petri judicium.

Hactenus de Beatiſſimo Petro, Romanorum Pontificum primo, cujus primatum, ſedem, & acta ideo fuſiùs proſecuti ſumus, quòd norma veluti ſit, & regula cæterorum, Petraque firmiſſima ac ſolidiſſima, ſupra quam tota Pontificum machina ordinatione divina conſurgit; ac nullis unquam adverſitatibus ſuperanda conquieſcit. In reliquis brevitati, quantum poſſumus, ſtudebimus, & ſuccinctiori narratione utemur.

ANNO CHRISTI LXVIII.

Imperatoribus NERONE, GALBA, OTHONE, VITELLIO & FLAVIO VESPASIANO Auguſtis.

DE

S. LINO PONTIFICE MAXIMO.

II. *S. Lini primordia.*

SAnctus LINUS, ex nobili Maurorum familia, Oldoino teſte, ortum trahens, Volaterris in Etruria natus perhibetur patre Herculano. Is ætatis anno vigeſimo ſecundo, ſtudiorum causâ Romam à parentibus miſſus, in contubernio Q. Fabii amici paterni eo uſque commoratus eſt, donec omiſſis omnibus ſecutus eſt Petrum Romanum Pontificem. A quo, tractu temporis, ſacris initiatus ordinibus, ac Epiſcopus Veſuntinus conſtitutus, apud Onaſium Tribunum, quem Chriſti notitia illuſtravit, hoſpitatus eſt, ædificatâ ad officia pietatis in ejus fundo ſacrâ ædiculâ, quam in honorem Dominicæ Reſurrectionis, Deipare Virginis, & Beati Protomartyris Stephani dedicavit: illamque in Cœlio monte, hodie S. Stephani, fundaſſe, atque ad hujus montis radices Baptiſterium quod etiamnum viſitur, erexiſſe apud Sequanos Veſuntinos ſcribit Caccinus. Multos ex ejusdem civitatis incolis, cœleſti facundiâ, Chriſti ovibus aggregavit: Idolorum ſimulachra lapideis innixa columnis ſola voce colliſit: Dæmones ab inſeſſis corporibus ſæpè ſæpiùs crucis ſigno pepulit, ac mortuos etiam quam-

Multa patrat miracula.

quamplures ad vitam revocavit. Quare à furentibus ethnicis è civitate Veſuntina ejectus, Romam rediit. Ubi à B. Petro (dum is ab Urbe in diverſas Chriſtiani Orbis provincias, Univerſalis Eccleſiæ ſolicitudine, evocaretur) coadjutor in Romano Epiſcopatu ordinatus, unà cum Cleto, abſentis Petri vices ac munia Eccleſiaſtica, dum Petrus rediret, obivit. Et Linus quidem intra Urbem, Cletus autem extra in ſuburbiis.

Et licèt Petrus martyrio proximus, Clementem ſibi Succeſſorem in Romana Eccleſia ac Sede Apoſtolica deſignaſſet, Clemens tamen modeſtia uſus, juri ſuo ceſſit; ac Eccleſiæ, Lini in Romanum Pontificem eligendi copiam fecit. Clemens igitur, ſecundus fuit Petri ordinatione, non Eccleſiæ nominatione: Petri jure, non functione, & adminiſtratione, quæ Lino fuerat divino tributa conſilio: ne in poſterorum exemplum tranſiret jus, Succeſſores ſibi eligendi, & libertas ac providentia Eccleſiæ in conſtituendo ſibi paſtore adimeretur, ut Ciaconio teſte Epiphanius docet. *Clementi in Pontificatu cur prælatus ſit?*

Hic Sanctiſſimus Pontifex, (ad modum Pauli Apoſtoli *Corinth. 1.c.11.*) fœminas non niſi velatas templum intrare condixit, propter Angelos, ideſt, propter reverentiam ſacerdotum, qui Angeli in Scripturis appellantur, ut S. Ambroſius exponit. Demum, poſt Eccleſiam optimis moribus ac præceptis munitam, juſſu Saturnini Conſulis ingratiſſimi, cujus filiam Lymphatam à dæmonum vexatione liberaverat, ob fidei conſtantiam capite damnatus eſt die 23. Septembris anno ſui Pontificatûs undecimo, Chriſti octogeſimo. Sepelitur in Vaticano. De eo hos verſus ſcripſit Andreas Marianus. *Lini Inſtitutum.* *Martyrio afficitur.*

Hoc Lino, dum ſacra facit, Petrus utitur; aptat
Retia, velatum ſtat muliebre caput.

SCRIPTA.

Scripſit græcè de Petri & Pauli agone, ſeu martyrio libros duos, ab hæreticis multùm depravatos. Veſuntione tamen in Gallia puros aſſervari teſtatur Chiffletius. Scripſit prætereà hiſtoriam de altercatione Petri cum Simone mago Romæ habita, quæ tamen, Ciaconio, Baronio, ac Oldoino teſtibus, non reperitur. Epiſtolas item quaſdam, & Decreta reliquit. Aſſerit Nicolaus de Plove, Linum ſacræ liturgiæ addidiſſe *Communicantes*. Eruditiſſimus Bellarminus, ſacrorum librorum cenſor accuratiſſimus, de operibus Lini hoc fert judicium. *Similis narrationi Prochori* (quam confictam aſſerit) *eſt narratio, quæ ſub nomine S. Lini extat in Bibliotheca SS. Patrum. Narrat enim author ille multa de actis S. Petri, quæ vel falſa, vel dubia ſunt: neque teſtimonium habet hoc opuſculum S. Lini à veteribus. Inter alia ſcribit Author, Agrippam fuiſſe Præfectum Urbis, tempore paſſionis S. Petri, atque ab iſto Agrippa fuiſſe S. Petrum occiſum ſine conſenſu Neronis, à quo etiam id factum poſteà fuiſſe improbatum. Sed neque conſtat Præfectum Urbis tunc fuiſſe Agrippam: & necem S. Petri Neroni diſplicuiſſe, repugnat ejus crudelitati, ac omnibus veteribus Patribus. In eadem narratione ſcribit Author, Uxorem Albani, ſecundùm doctrinam S. Petri, repudiaſſe thorum viri ſui ob amorem caſtitatis, invito & reclamante marito. Hæc verò do-* *Ejus Scripta.* *Bellarmini de Lini operibus judicium.*

ctrina S. Petri eſſe non poteſt, cùm repugnet doctrina Coapoſtoli ejus Pauli, 1.Corinth.7. *Fateor quidem à S. Lino conſcripta fuiſſe acta S. Petri, vel potiùs Acta SS.Apoſtolorum Petri & Pauli, quod aliqui dicunt. Et de Actis S. Petri in Romano Breviario legitur: ſed ea non extare, & loco eorum ſuppoſita fuiſſe, quæ nunc extant, arbitramur.* Hactenus Bellarmini verba retuli, quæ etſi hæterodoxis, ſacrarum Scripturarum corruptoribus, maximè diſpliceant, Catholicis tamen ſanioribus non improbantur.

ANNO CHRISTI LXXIX.

Imperatoribus FLAVIO VESPASIANO, TITO VESPASIANO & DOMITIANO Auguſtis.

DE S. CLETO PONTIFICE MAXIMO.

III. *S.Cletus Pontifex creatus, multa ſalubriter operatur.*

SAnctus Cletus Romanus, patre Æmiliano, de regione quinta, è vico patricio, ab ipſomet Petro ad Chriſti fidem converſus, ac Coëpiſcopus cum Lino ordinatus, Urbis ſuburbia vicariâ poteſtate aliquamdiu ſanctiſſimè rexit. Is, adhortante maximè Clemente, ſuſcepto poſt Lini martyrium Pontificatus onere, Gratianum diſcipulum in Gallias ad prædicandum Chriſti Evangelium miſit; & ex præcepto Principis Apoſtolorum in Urbe viginti quinque presbyteros ad fidelium ſubſidium ordinavit. Pontificum primus, qui in litteris *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem* inſcripſerit, fuiſſe reperitur. Ferunt Cletum peregrinationes Urbanas ad ſacra Urbis templa (*ſtationes* poſtmodùm appellatas) inſtituiſſe, propriamque domum, juxta thermas Philippi in regione Tabernolæ, ſeu Montium, conſtructam, in Eccleſiam commutaſſe, Xenodochio pro peregrinis Romam adeuntibus, ibidem extructo. *Martyrio coronatur.* Cletus Eccleſiâ optimè conſtitutâ, cùm ei præfuiſſet annos duodecim, menſes ſeptem, dies duos, Domitiani Imperatoris juſſu in ſecunda poſt Neronem perſecutione, capite plexus, ac in Vaticano juxta corpus Beati Petri ſepultus eſt, anno ſalutis nonageſimo ſecundo.

SCRIPTA.

Ejus Scripta. Hujus Pontificis Epiſtola nulla extat, quamvis aliquas ſcripſiſſe certiſſimum vel ex eo ſit, quòd primus Pontificum in literis verbis illis uſus ſit; *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* Scripſit etiam, Dionyſio Areopagita teſte, Libellum de ſui prædeceſſoris paſſione, ſeu de martyrio Lini Papæ, qui libellus extat in Menologio Græcorum, Romæ in Bibliotheca Barberina m. ſſ. aſſervato.

ANNO

ANNO CHRISTI XCII.
Imperatoribus DOMITIANO, NERVA & TRAJANO Auguſtis,

DE

S. CLEMENTE I. PONT. MAX.

IV.

S. Clemens egregius Philoſophus, ac Theologus.

SAnctus Clemens, Fauſtini filius, Romæ in regione Cœlii montis ſummo loco natus, & ad Cæſarum gentem (ſi fides adhibendà Ciaconio) ortum ſuum referens, ingenii felicitate & eruditione clarus primò Philoſophus, tùm ſuſcepta religione Chriſtiana Theologus longè clariſſimus evaſit. Eapropter à beato Petro Apoſtolo ſacris ordinibus initiatus, ac Epiſcopus & Coadjutor in negotio ſalutis animarum conſtitutus, tam ipſi, quàm beato Paulo individuus pænè ſocius adhæſit. Ejus luculentam memoriam agit idem Apoſtolus in Epiſtola ad Philippenſes *cap. 4.* his verbis: *Etiam rogo & te germane compar, adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio, cum Clemente, & cæteris adjutoribus meis, quorum nomina ſunt in libro vitæ.* Hunc paulò ante mortem Petrus Romanum Pontificem & Succeſſorem ſuum ſumma cum auctoritate, quam à Chriſto acceperat, deſignavit. Verùm Petro è vivis ſublato, divino conſilio cedens, munus illud recuſavit: ne ſuprema Eccleſiæ dignitas & poteſtas, hæreditaria fieret, & arbitrio unius, non plurium electione adminiſtranda crederetur. Proinde Lino & Cleto, qui Petro in regimine anteà coadjutores fuerant, prælatis, quartus ipſe Pontificatum inivit.

Succeſſor à B. Petro deſignatur.

Septem Urbis Regiones ſeptem Notariis dividit.

Pontifex renunciatus, ſeptem Urbis regiones diviſit ſeptem Notariis, ſingulas ſingulis attribuens, qui paſſiones Martyrum, & res ab eis præclarè geſtas diligentiſſimè conquiſitas litteris mandarent. Quorum munus hodie Romanæ Sedis Protonotarii, qui *participantes* vocantur, antea ſeptem, nunc autem duodecim, tenent. Porrò, probatorum Hiſtoricorum teſtimonio, lege ſancivit ſacrum veſtium uſum in Miſſæ ſacrificio: Epiſcopos pedo ſacro, amictu, ſandalibus, & chirothecis ornavit; Archiepiſcopos item pallio. Mandavit inſuper Epiſcopalem cathedram, ob dignitatis eminentiam, altiori loco in Eccleſiis ſemper ſtare: Epiſcopos ſine Diacono celebrare; ſummosque Pontifices, eorumque Legatos domo exire ſine crucis vexillo, prohibuit. Chriſtianos pueros rationis uſu præditos, Confirmationis Sacramento muniri juſſit, ac Corporale & pallam, linteamina item ſacra ad Miſſæ ſacrificium neceſſaria emundari in proprio vaſe. Sacrum liturgiæ ritum, à beatò Petro acceptum, Romanæ Eccleſiæ literis conſignavit. Eum etiam authorem principii Canonis verſiculi, *Dominus vobiſcum*, ac benedictionum frugum, quamplures faciunt.

Sacrarum veſtium uſum præſcribit.

Alia præclarè operatur.

Seditionem in Eccleſia Corinthiorum de rebus religionis exortam, ſcriptâ graviſſimâ epiſtolâ nomine Romanæ Eccleſiæ, compeſcuit;

Seditionem de rebus religionis exortā compeſcit. peſcuit; ac nutantium fidem ſua authoritate conſolidavit. Quibus obſervatur, Romanam Eccleſiam vel in primordio auctoritatem ſuam in moderandis tum Græcorum, tum aliarum nationum Eccleſiis, interpoſuiſſe.

Relegatur in exilium. Demum Sanctiſſimus Pontifex, poſtquam Eccleſiæ Romanæ res, ad morem prædeceſſorum, egregiè provexiſſet, ac doctrina & vitæ ſanctitate quamplurimos ad fidem quaqua versùm induxiſſet, tanquam ſuperſtitionis reus, Idolorumque everſor accuſatus, à Trajano Imperatore in exilium relegatus eſt trans mare Ponticum juxta ſolitudinem Urbis Cherſonæ: ubi duo millia Chriſtianorum, ad ſecanda marmora ab eodem Imperatore damnatorum, reperit: quibus aquæ penuriâ laborantibus, ac ſiti æſtuantibus, copioſo fonte, ſuis precibus excitato, ſubvenit. Quo miraculo infidelium plurimi ad Chriſtum converſi, hortatu Clementis, glorioſo certamine martyrii palmam acceperunt. Ipſe verò, confortatis in fide Chriſtianis, ac ſacro benedictionis munere donatis, juſſu Trajani, anchorâ ad collum ligatâ, in mare præcipitatus eſt, die 23. Novembris anno à partu Virginis centeſimo, ſui Pontificatûs nono. Ibi Angelico miniſterio Sacellum marmoreum in templi formam ſubter aquas conſtructum, inventum eſt, unà cum ſepulchro, in quo S. Martyris corpus conditum jacebat, & juxta illud anchora, qua merſus fuerat. Solebat verò quotannis, recurrente S. Clementis natali, mare ad tria millaria recedere, ſiccumque fidelibus iter ad beati Pontificis cineres præbere, ac celebrato natali rurſum in antiquam ſtationem redire, fluctibusque Sacellum & arcam per anni ſpatium cooperire. Unde accidit aliquando (quemadmodum ex antiquiſſimo Scriptore Nicephoro *lib. 3. c. 18.* refert Oldoinus in additionibus ad Ciaconium in Vita S. Clementis) ut parentum incuriâ relictus ſit in ædicula puer quidem, qui annui prodigii ignarus, in Clementis Sacello jacuit ſecurus, fors ſomno oppreſſus. Interim mare, elapſo die feſto, antiqua de more veſtigia repetens, vivo adoleſcenti ſepulturam, omnium opinione, conſtruxerat: ſolido anno funus ejus continuis lachrymis parentes celebrarunt. Anno ſequenti, redeunte S. Clementis feſto, ut mos erat, recedens mare, vivum puerum in Sacello, oculis ac deſiderio genitorum reſtituit. Quo mirabili facto permoti fideles, è toto Orbe peregrinationem ad Clementis monumentum obibant.

Præcipitatur in mare.

Inſigne miraculum.

Ejus corpus Romā translatum. Ejus porrò ſacrum corpus, ſeptingentis ſexaginta poſt annis, tempore Nicolai I. cognomento Magni, per Cyrillum & Methodium, Epiſcopos, Moravorum & Sclavorum Apoſtolos, & Cherſonæ ſolitudine Romam translatum, in Eccleſia ipſius S. Clementis unà cum corpore S. Ignatii martyris repoſitum eſt. De quibus eleganter pieque canit Marianus Poëta:

Quàm benè conveniunt, parili quos ordine junxit
Gloria Romana Sedis, & Antiocha?
Anchora vos merſit, vos contrivêre Leones,
Veſtra ſepulchra fera, veſtra theatra mare.
Quàm benè conveniunt, parili quos ſorte necavit,
Anchora dente tenax, & Leo dente vorax?

SCRI-

SCRIPTA.

Sed jam ad ea, quæ Sanctiſſimus Pontifex ſcripſiſſe ac elucubraſſe memoratur, gradum faciamus. Id enim nobis potiſſimùm hoc in Libro proſequi ſtatutum eſt. Scripſit igitur S. Clemens quampluṛimas Epiſtolas: duas ad Corinthios dedit, quam primam, etiamſi noſtris hiſce temporibus non habeamus, illius tamen perhonorificam mentionem faciunt Hieronymus, Damaſus, Euſebius & Irenæus. Duas pariter ad Jacobum fratrem Domini miſit: Unam ad omnes Cœpiſcopos alteram ad Julium & Julianum: Demum unam ad fratres Hieroſolymis cum Jacobo habitantes. Ex Hebræa in Græcam vertit linguam Pauli Apoſtoli Epiſtolam ad Hebræos. *S. Clementis Scripta.*

Scripſit prætereà de ſacra Liturgia librum unum. Recognitionum poſteriorum ad Jacobum fratrem Domini libros X. Decem item Itinerarii Clementis. Octo præceptionum Epiſcopalium. Unum Diſputationum S. Petri cum Apione. Plures reſponſionum ejuſdem S. Petri ad interrogationes Tripolitanorum. Sex Hiſtoriarum & Prædicationum. Actuum S. Petri unum. Unum item Actionum Apoſtolicarum. Alium de vita Clementis. Unum demum, quem de Verbis Domini inſcripſit. Apoſtolicos etiam Canones collegit in unum, diverſos quidem ab illis, qui ſub falſo Clementis titulo ab hæreticis conficti ſunt, & à Gelaſio Papa tanquam ſpurii omninò rejecti.

Hæc omnia Clementi Romano Pontifici attribuuntur; quæ verò dubiæ, quævé certæ ſint fidei, cùm mihi inveſtigare non vacet, videas apud Sixtum Senenſem, & quàm maximè apud Robertum Bellarminum libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis Anno 92. in Clemente. Ubi accuratam Operum Clementis diſcuſſionem facit.

ANNO CHRISTI C.

Imperatore TRAJANO Auguſto.

DE

S. ANACLETO PONTIF. MAX.

Sanctus ANACLETUS, Antiochi filius, Græcus Athenienſis, Sacræ Romanæ Eccleſiæ Diaconus primùm à beato Petro Apoſtolo, (ut ei divinis operanti peculiariter miniſtraret) deinde Presbyter, & tandem Epiſcopus ordinatus, S. Clementis martyris in Romana Sede immediatus ſucceſſor extitit. Vir pius, prudens, eruditus, excellentique ingenio præditus, & ad hoc munus, ſpeciali nutu à Deo vocatus. Hic adhuc in minoribus conſtitutus, Beati Petri, cujus fuerat Diaconus, ſepulchrum exornavit, ædiculâ ſuper eo extructâ, nam Tyranni in Chriſtianos ſæviſſimi, ampla ædificia in Chriſti aut Sanctorum honorem erigi non permittebant. Pontifex renunciatus, optimis inſtitutis, & V. *S. Anacleti vita primordia.*

ſanctis

ſanctis moribus Eccleſiæ Romanæ ſtatum ordinaturus, conſtituit; Ne Epiſcopi, vel Clerici comam nutrirent: Néve Epiſcopus à paucioribus, quàm à tribus Epiſcopis, conſecraretur: utque Clerici publicè, non privatim, præmiſſo rigoroſo examine, ad ſacros ordines adſciſcerentur. Innovavit etiam nonnullos Canones Apoſtolicos: nempè ut Epiſcopi Apoſtolorum loco, presbyteri diſcipulorum eſſent: ut Sacrificium Dominici corporis, nec ſine miniſtrante, nec prophano loco fieret: ut Epiſcopis ſepteni, aut quini Diaconi, feſtis celebribus, in ſacro adeſſent, qui, & ſimul totus clerus ſacram ſynaxim ſumerent. Omnibus deinde fidelibus mandavit, ut, conſecratione peractâ, communicarent, qui id facere abſque ratione renuerent, à ſacris ædibus arcerentur. Diſtinxit etiam ſeorſim à plebe, loca in Cœmeteriis & cryptis, ubi corpora eorum, qui martyrium pro fide ſubiiſſent, honorificè conderentur. Edidit quoque Decretum, de laicis non admittendis in accuſatione Epiſcoporum: & ab ipſis Epiſcopis annuatim deberi limina Apoſtolorum viſitari. Ad hunc Pontificem referunt nonnulli Scriptores, Oldoino teſte, perbrevem illam obſecrationem ſacris precibus appoſitam, *Dominus vobiſcum*, *& Pax vobis*. Quam identidem alii Clementi, ut diximus, adſcribunt. In Germaniam ad Agrippinenſes, tum ſilveſtres populos, direxit Clarum in Apoſtolorum Schola Romæ eruditum, ut eos, finitimasque gentes Evangelicæ lucis ſplendoribus illuminaret. Aram Cœli Romæ ab Octaviano Auguſto, ut ferunt, erectam conſecravit, Virginique matri dedicavit.

Ejus Inſtituta & Decreta:

Ingraveſcente deinde perſecutione, quam Domitianus anteà excitaverat, cùm nonnulli, qui Chriſto adhæſerant, tormentorum metu exterriti, à fide recedere cogitarent, inſigni Epiſtola ad omnes Eccleſias data, uſque adeò illos Pontifex confirmavit, ut res Chriſtiana longè latèque propagaretur. Unde multos ubique terrarum Chriſtiano vidit morte damnatos: inter quos, Simonem Domini conſobrinum, Hieroſolymorum Epiſcopum, Cleophæ filium: qui, cùm vigeſimum ſupra centeſimum ſuæ ætatis annum attigiſſet, vitam cruci affixus, glorioſo agone terminavit. Ipſe demum ſanctiſſimus Pontifex, annis & meritis gravis, juſſu Trajani capite cæſus, Romæ martyrium fecit die 23. Julii anno Domini centeſimo decimo, Pontificatus ſui nono, vel ut alii, decimo non completo.

Rem Chriſtianam egregiè provehit.

Martyrio coronatur.

SCRIPTA.

Ejus Scripta.

Tres Epiſtolas decretales præcipua ſapientiâ plenas, ſcripſiſſe fertur, quæ extant, *de judiciis*, *de teſtibus*, & *ordinationibus Epiſcoporum*. Addit Oldoinus: Ex his tribus unam eſſe, quæ ſedium Patriarchalium ordinem exprimat. Idem affirmat: Aliam illum Epiſtolam ad omnes Epiſcopos dediſſe, qua manifeſtum reddit, ſolum Pontificem Romanum, Chriſtianæ religionis caput eſſe.

Anacletum hunc cum Cleto Lini Succeſſore aliqui confundunt, ſed revera noſter hic Pontifex alius à Cleto fuit, qui etiam Ana-

Malè cum Cleto confunditur.

Anacleti nomen ſortitus eſt. Audi Ciaconium, id ipſum clariùs probantem: *Anacletus pro Cleto à quibuſdam, vel vitio ſcriptoris, vel nominum affinitate, vel alia occaſione, in ſerie Pontificum ponitur: cùm tamen alter ab altero, nomine, parente, patria, rebus geſtis, mortis anno & die multùm diſſideant. Nam Cletus Romanus; Anacletus Græcus; ille ſub Domitiano, IV. Kalend. Maij; hic ſub Trajano, tertio Idus Julii, martyrium ſubiit; & utriuſque feſtivitatem diverſam Eccleſia Romana celebrat.* Quæ, tollendæ Scriptorum diſcordiæ, ſi ritè perpendantur, ſufficere poſſunt.

ANNO CHRISTI CX.

Imperatoribus TRAJANO & HADRIANO.

DE

S. EVARISTO Pontif. Maximo.

VI.

SAnctus EVARISTUS, Orientalis Græcus, patria Bethlehemites, ex Judæo patre natus, poſt ſuſceptum baptiſmum, Chriſtianæ pietatis, ſi quis alius, ſtudioſiſſimus fuit. Hic enim, ut monumenta veterum teſtantur, primus in Urbe titulos ea ratione diviſit, ut unusquiſque certis paræciæ ſuæ terminis à cæterorum limitibus diſtingueretur. Rurſum mandavit, ut altaria, in quibus divina celebrantur, ex lapidibus extructa, benedicerentur: ac oratoria, prædicandi gratiâ ædificâta, à Sacerdotibus conſecrarentur. *Multa præclarè inſtituit.* Inſtituit etiam, ut ſeptem Diaconi, Romano Pontifici verbum divinum publicè annuncianti, per vices aſſiſterent, quaſi veræ ejus doctrinæ teſtes, ac defenſores adverſus æmulos & obtrectatores. Illud quoque, veſtigiis prædeceſſoris inſiſtens, decrevit: ne plebis in Epiſcopum accuſatio reciperetur. Et, ne connubia fidelium clanculùm & inconſultis parentibus fierent; ſed publicè cum Sacerdotis ac teſtium aſſiſtentia. *Clandeſtinum matrimonium prohibet.* Quin & Sponſi ac Sponſæ benedictionem, ab Apoſtolis inſtitutam, lege firmavit; ritumque in conſecratione Baſilicarum ſervandum dedit.

His & hujuſmodi ſalutaribus conſtitutionibus potiſſimum Pontificatûs ſui tempus tranſigens, ac Idolorum cultum aſſiduis concionibus convellens, Chriſtianam pietatem vehementer provexit. Unde ab Æthnicis ſuperſtitionis accuſatus, ac quæſtioni admotus, cùm intrepidè conſtanterque Chriſtum profiteretur, ſub Hadriano Imp. capitis abſciſſione, martyrium complevit, die 26. Octobris, Anno Domini centeſimo decimo nono, ſui pontificatûs anno nono, vel decimo inchoante. *Martyrio coronatur.* Corpus ejus ſepelitur in Vaticano juxta corpus B. Petri Apoſtoli.

SCRIPTA.

Scripſit duas inſignes Epiſtolas: quarum prima eſt ad Africanos Epiſcopos, altera ad fratres Ægypti. Ejus decreta extant inter alia Romanorum Pontificum. *Ejus Scripta.*

ANNO CHRISTI CXI.

Imperatore ÆLIO HADRIANO Auguſto.

DE

S. ALEXANDRO I. Pont. Max.

VII. *S. Alexandri primordia.* SAnctus ALEXANDER I. Romanus, Alexandri viri ſtrenui ex matre Victoria, ut aſſerit Oldoinus, filius, ſub Plinii Junioris, & Plutarchi diſciplina literis inſtructus, atque inter viros Apoſtolicos in Chriſtiana pietate eruditus, poſt Evariſti martyrium, juvenis adhuc electus eſt in Romanum Pontificem: vigeſimum enim, juxta aliquos, vel meliùs, trigeſimum nondum exceſſerat ſuæ ætatis annum.

Ejus Inſtituta, & Decreta. Alexander, vir immortali gloria digniſſimus, conſtituit, ut tantummodò panis & vinum in ſacrificii myſterio offerretur: vinum autem aquâ miſceri juſſit, propter ſanguinem & aquam, quæ ex Jeſu Chriſti in cruce pendentis latere profluxerunt: & in Canone Miſſæ addidit verba illa: *Qui pridie quàm pateretur.* Idem Apoſtolicum inſtitutum decreto firmans juſſit: ut aqua benedicta ſale admixto, perpetuò in Eccleſia aſſervaretur; & in cubiculis fidelium ad fugandos dæmones adhiberetur. Unde illud Mariani de eo Carmen:

Vino miſcet aquam; miſto ſale temperat undam,
Regnat Alexander *ſobrius, & ſapidus.*

Clerum item à ſæculari foro liberum atque immunem eſſe, pontificia conſtitutione ſancivit primus: Sacerdotes quoque prohibuit, niſi ſemel in die ſacrificare. Mandavit etiam, ut panis azymus, non fermentatus, quemadmodùm anteà in uſu erat, conſecraretur; tùm, quia ita purior haberetur, tùm ut Chriſti inſtitutioni ſimilior exiſteret. Nonnulli Authorem Alexandrum nominant legendi ante Miſſæ ſacrificium Epiſtolam & Evangelium: ſed ut verum fatear, errare illos exiſtimo, cùm antiquiorem ritum hunc inveniam apud quamplurimos probatæ fidei Scriptores: fortaſsè decreto ipſe formavit: juſſit tamen, Oldoino teſte, in hebdomada majori ſacram Chriſti patientis hiſtoriam publicè recitari.

Religionem Chriſtianam ſedulo propagat. Cùm autem eſſet vir ſanctiſſimus, & religionis Chriſtianæ ferventiſſimus propagator, magnam Romanæ nobilitatis partem, Senatores aliquot, ut Hermetem Urbis Præfectum cum univerſa familia; Quirinum Tribunum cum nobiliſſima filia Balbina aquis luſtralibus tinctos, ad Chriſtum convertit. Quamobrem delatus, quod Chriſtianus eſſet, ab Aureliano judice, Hadriani juſſu, captus, varieque tortus, tandem unà cum Eventio & Theodulo preſbyteris, via Nomentana, tertio ab Urbe lapide, ſecuri percuſſus *Martyrio afficitur.* eſt die 3. Maij Anno Chriſti centeſimo trigeſimo, Pontificatus ſui Anno decimo, vel undecimo nondum completo.

SCRI-

SCRIPTA.

Tres habemus hujus Pontificis Epiſtolas divino ſpiritu plenas: unam ad omnes Orthodoxos: alteram ad Epiſcopos: tertiam ad Sacerdotio fungentes: Ejuſdem decreta collecta habentur inter decreta Romanorum Pontificum. *Ejus Scripta*

ANNO CHRISTI CXXX.

Imperatoribus ÆLIO HADRIANO, & ANTONINO PIO Auguſtis.

DE

S. SIXTO I. Pontif. Maximo.

SAnctus SIXTUS I. Romanus, ex nobili Paſtorum gente natus, (ut Andreas Victorellus in Notis ad Ciaconium evincere conatur) eruditione & vitæ ſanctimonia, quoad vixit, illuſtris extitit. Hic, poſt obitum Alexandri, ſummus Eccleſiæ Monarcha electus, quum curam ſingularem rerum divinarum gereret, conſtituit. Ne à quoquam, niſi miniſtris ſacrorum, vaſa ſancta, divino myſterio deputata, tangerentur; maximè verò à fœminarum tactu immunia haberentur. Neve, quod Sacerdotes *Corporale* vocant, ex alio, quàm ex lineo panno, eoque puriſſimo fieret. Utque, Sacerdote Miſſarum actionem incipiente, populus hymnum decantaret alta voce, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaöth.* Quem ritum etiam temporibus Apoſtolorum in uſu fuiſſe, teſtimonio Conſtitutionum Clementis Papæ apertè demonſtratur. Decreto quoque firmavit, quam ab Apoſtolis acceperat, memoriam defunctorum in ſacris liturgiis. Idem cenſuit: ne Epiſcopi graviorem ob cauſam ad Apoſtolicam Sedem citati, à ſuis plebibus reciperentur, niſi litteris pontificiis inſtructi, cauſam ritè diſcuſſam probarent. VIII. *S. Sixtus Pontifex creatur.* *Ejus instituta.*

Cùm verò Sixti temporibus, propter frequentes, easque immaniſſimas cædes, pauci reperirentur, qui nomen Chriſti publicè profiteri auderent; & Galli Chriſtiani Epiſcopum ex Urbe ſibi mitti inſtanter efflagitarent, eò Sixtus ablegavit Peregrinum, civem Romanum, Epiſcopali charactere à ſe priùs inſignitum, cum aliis 4. viris Eccleſiaſticis: qui demum expleto commiſſæ prædicationis munere, capitali ſententiâ damnatus, Antiſſidori 17. Kalend. Junii (ut habet Martyrologium Romanum) coronam meruit ſempiternam. *S. Peregrinū inGallias ablegat, poſteà martyrio affectum.*

Sixtus autem, cumulatus meritis, poſt conſtitutam optimè Eccleſiam, anno Salutis 140. vel, ut Baronius habet, anno 142. Pontificatûs ſui anno undecimo nondum completo, 8. Idus Aprilis, ſub Antonino Pio, ſanguinem ſuum pro Chriſti gloria afferenda profudit. Sepelitur in Vaticano. *Martyrio coronatur.*

SCRIPTA.

Ejus Scripta.

Duas ſcripſit Epiſtolas maximè ſalutares, quas decretales vocant, datas ad Epiſcopos Orbis unam: alteram ad omnes Chriſti fideles: quas notis illuſtravit Severinus Binius.

Cæterùm falsò huic quidam attribuunt Commentarium Sixti Philoſophi Pithagorici, latinæ linguæ à Ruffino donatum. Volumen tamen Proverbiorum compoſuit ad inſtar Salomonis, tam brevi eloquio, ut in ſingulis verſiculis, ſingulæ explicentur ſententiæ. Cui quidem Opuſculo, hæretici, crabronum more omnia inficientes, nonnulla contra Eccleſiaſticam fidem inſeruerunt: ut eò faciliùs ſub tanti Martyris nomine incautos fallerent, ſuiſque perverſis dogmatibus auctoritatem conciliarent. Sed is, qui Catholicum ſe meminit, probando legat, & ea, quæ inimica ſunt veritati, ne recipiat. Alii eundem librum Hæreticos, non autem Sixtum, compilaſſe ſcribunt: contra hos S. Auguſtinus inſurgit, utque Sixti opus (demptis erroribus) agnoſcit, atque defendit.

ANNO CHRISTI CXXXX.

Imperatore ANTONINO PIO Auguſto.

DE

S. TELESPHORO Pontif. Max.

IX.
S. Teleſphori primordia.

SAnctus Teleſphorus, natione Græcus, patria Thurienſis, dictus Anachoreta (quòd vitam Solitariam, ſeu Eremiticam, à teneris annis, in adultam uſque ætatem produxiſſet) Romam Religionis ergô ſub Hadriano principe venit. Plurimis ſplendens virtutibus, poſt Sixti ejus nominis Primi martyrium, omnium plauſibus ac ſuffragiis, difficillimis Eccleſiaſticæ Reipublicæ temporibus, ſæviente undique procelloſa perſecutione, nonus in ordine ad ſacroſanctum ſummi Sacerdotii ſolium evectus eſt.

Jejunium Quadrageſimale, à multis neglectũ, in uſum redigit.

Quadrageſimale jejunium tam Clericis, quàm Laicis commune, ab apoſtolica inſtitutione manatum, cùm fideles traditione dumtaxat adducti, ſervarent; atque de ejus obſervantia, diverſa eſſet Eccleſiarum conſuetudo, nec non ob perſecutionum acerbitatem, multis in locis prorſus negligeretur, Sanctus Pontifex, editâ conſtitutione Apoſtolicâ, perpetuò ſtabilivit, Clericis ſaltem obſervandum: ut ex genuinis ejus verbis, quæ affero, colligitur: *Statuimus, ut ſeptem hebdomadas plenas, ante Sanctum Paſcha, omnes Clerici in ſortem Domini vocati, à carne jejunent.* Id ipſum, tractu temporis, etiam ſæcularibus adultis ab Eccleſia injunctum.

Triũ Miſſarum in Chriſti Nativitate auctor.

Mandavit pariter, ut in Chriſti Nativitate ter ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium celebraretur: primum, media nocte, cùm Chriſtus in Bethlehem natus eſt: ſecundum illuceſcente aurora, quando à paſtoribus eſt adoratus: tertium, hora diei tertia, qua dies nobis redemptionis illuxit;

luxit; cùm reliquo anni tempore, ante horam tertiam celebrare in Eccleſia Romana interdictum tunc eſſet. Conſtituit etiam, ut ante ſacram Liturgiam hymnus Angelicus, *Gloria in excelſis Deo*, caneretur. Edixit quoque, Sacerdotes à populo argui non debere, aut accuſari.

Porrò ſanctus Pontifex, cùm in fide Chriſti prædicanda, & propaganda fidelium Eccleſia, ardentiſſimus eſſet, à tumultuantibus Idolorum cultoribus, quibus inviſus erat, captus, ac capite minutus, glorioſo martyrio vitam ſanctiſſimè actam concluſit, anno humanæ redemptionis centeſimo ſupra quinquageſimum ſecundum, Nonis Januarij pontificatûs ſui anno undecimo, vel, ut Victorellus ex Libro Romanorum Pontificum arbitratur, anno duodecimo propè completo. *Ob fidei prædicationem ab Idolorum cultoribus occiſus.*

SCRIPTA.

Scripſit Epiſtolam decretalem ad omnes Chriſtianos, quæ invenitur inter reliquas Romanorum Pontificum, à Binio notis illuſtrata. Hanc fictitiam reputant hæretici, ſed eis opponuntur Auctores multi, iique antiquiſſimi. *Ejus Scripta.*

Falsò Teleſphoro tribuitur à Caſanata Liber Prophetiarum, qui M.S. aſſervabatur Venetiis in Muſæo Hieronymi Porri: nam eſt alterius Teleſphori Eremitæ, qui vixit Anno 1386. teſtibus Arnoldo Vuione in ligno vitæ, & Poſſevino in Apparatu ſacro.

ANNO CHRISTI CLII.

Imperatore ANTONINO PIO Auguſto.

DE

S. HYGINO Pontif. Maximo.

X.

SAnctus HYGINUS, Græcus, Athenienſis, non Philoſophi filius, ut perperam ſcribit Ciaconius, ſed Philoſophus nominatus, teſte Oldoino, quia Athenis Philoſophiæ vacaverat. Hic, Teleſphoro coronâ martyrii inſignito, cleri ſuffragiis Pontifex ſalutatus, antiquam Hierarchiæ Eccleſiaſticæ formam, Tyrannorum perſecutionibus multùm turbatam, collapſamque, reſtituit; ſeu, ut Liber de Romanis Pontificibus loquitur; *Clerum compoſuit, ac per gradus diſtinxit.* Inſtituit etiam, ne ſine Miſſæ celebratione Templa & Oratoria dedicarentur: nevé augerentur numero, aut minuerentur, inconſulto Metropolitano vel Epiſcopo. Vetuit item, ne trabes, aut tigna, reliquáve materies, ad fabricanda templa congeſta, in prophanos uſus converterentur: poſſe tamen ad ſtructuram alterius templi, vel oratorii, aut cœnobii, concedente Epiſcopo, transferri. Voluit præterea, Apoſtolicæ inſtitutioni inhærens, unum ſaltem patrinum, aut matrinam baptiſmo intereſſe: ſic enim Eccleſia Suſceptores, ſponſores, aut fidejuſſores *S. Hygini primordia.* *Ejus Inſtituta, & Decreta.*

res baptizandorum appellat. Decretum pariter edidit, ne Metropolitanus Epiſcopum provinciæ ſuæ, alicujus criminis reum ageret, aut damnaret, niſi antè à Comprovincialibus Epiſcopis cauſa diſcuſſa, plenè examinata, & cognita fuiſſet. Sunt tamen, qui decretum hoc Pelagio I. Pontifici, teſte Ciaconio, attribuant.

Cerdonem Hæreſiarchā è fidelium cœtu proſcribit.

Formā Templorum, eorundemq́; conſecrationem præſcribit.

Scribit Oldoinus, inſignem hunc Pontificem pro ſua vigilantia, eruditione, atque animi magnitudine, verſipellem Cerdonem Hæreſiarcham deprehendiſſe, confutaſſe, eque cœtu fidelium ejeciſſe. Inſuper, templorum rationem, & formam cum veſtibulis, adytis, cum Sanctis Sanctorum, Choris, Baptiſteriis, & Altaribus poſteris dediſſe; qualibusque etiam ceremoniis erigenda, ſale delibanda, & aquis ſacris expianda, chriſmate ungenda ſint, ſcriptis reliquiſſe.

Juſtinus Martyr clariſſimus.

Tempore hujus Pontificis, inquit Ciaconius, Juſtinus Martyr, clariſſimus orator & Philoſophus, Hygini hortatu, ut credere pareſt, Apologeticas orationes duas habuit in defenſionem religionis Chriſtianæ: unam ad Senatum, Populumque Romanum; alteram ad Antoninum Pium Auguſtum, quibus effecit, ut deinceps à cæde, & perſecutione Chriſtianorum, publico edicto, temperatum ſit. Hinc veteres Hiſtorici, & cum iis Ciaconius, Hyginum non martyrem tradunt, ſed Confeſſoris dumtaxat titulo inſigniunt, ut qui in ea Pii Imperatoris tempora inciderit, quibus à ſanguine Chriſtianorum effundendo, etiam Auguſti mandato, abſtinebatur.

Martyrio coronatur.

Verùm Martyrologia omnia Martyrem Hyginum ſub Antonino faciunt; etiamſi enim Antonini Pii edicto repreſſa tunc fuerit in Chriſtianos perſecutio, non tamen omnium impiorum adeò mitigata fuit ſævitia, ut non potuerit, vel alio prætextu à quopiam Judice morti addici, vel tumultu plebis ab Idolorum miniſtris concitatæ trucidari. Et quid conjecturis opus, ubi publica Martyrologii Romani auctoritas dubium tollit? Ejus verba hæc ſunt: *Tertio Idus Januarii Romæ natalis S. Hygini Papæ, qui in perſecutione Antonini glorioſè martyrium conſummavit.*

Porrò martyrio coronatus eſt Hyginus Papa tertio Idus Januarii, Anno à Chriſto nato CLVI. ſui Pontificatûs anno quarto. Ejus corpus ſepultum eſt in Vaticano juxta corpus B. Petri Apoſtoli.

SCRIPTA.

Ejus Scripta.

Scripſit Hyginus duas Epiſtolas, unam ad fideles omnes de Deo trino & uno; & de Chriſti Filii Dei incarnatione, doctrinam Catholicam plenè complectentem. Alteram ad Athenienſes ſuos concives: ambas notis illuſtravit Severinus Binius. Ejusdem Decreta leguntur apud Gratianum, Iſidorum, & alios.

ANNO

ANNO CHRISTI CLVI.

Imperatoribus ANTONINO PIO, & MARCO AURELIO ANTONINO Auguſtis.

DE

S. PIO I. Pontifice Maximo.

XI.

S. Pii Pontificiì primordia

SAnctus PIUS, Ruffini filius, natione Italus, provinciâ Venetus, patriâ Aquilejenſis, doctrina & vitæ ſanctitate conſpicuus, uniformi ſuffragio, Hygino Martyri ſuffectus eſt in Pontificatu. Anno pontificatûs ejus ſecundo, ortâ de celebrando Paſchate, in Aſia quæſtione, decretum edidit de celebrando Paſchate die Dominico, Hermete fratre ſuadente, ut ait Volaterranus, ne ob altercationum ſtudia, traditio in Eccleſia ab Apoſtolis accepta de celebratione Paſchatis die Dominico, convelleretur. Edixit etiam, ne fundi, prædia, domus, divinis uſibus conſecrata, in humanos uſûs diſtraherentur. Pœnam in Sacerdotes ſtatuit, quorum negligentiâ de ſanguine Domini aliquid ſtillaverit: *Pœnitentiam*, inquit, *agant quadraginta diebus, ſi in terram aliquid deciderit: ſi ſuper altare, tribus diebus: ſi ſuper linteum ſuperius, quatuor: ſi in inferius defluxerit, novem diebus: ſi uſque ad quartum, viginti diebus: ubicunque ceciderit, ſi recipi poteſt, lambatur: ſin aliter, aut lavetur, aut radatur: quidquid lotum, aut raſum eſt, comburatur, & cinis in ſacrarium reponatur.* Idem ſanctiſſimus Pontifex, ex Oldoino, Virgines ante quintum vigeſimum ætatis annum ſacrari prohibuit; certisque tantùm id anni diebus permiſit, hoc eſt in die Epiphaniæ, Dominicæ in Albis, atque in Apoſtolorum natalitiis.

Paſcha die Dominico celebrari mandat.

Alia ejuſdem Inſtituta.

Ad radices Viminalis collis in ea parte, quæ vicus Patricius cognominatur, Pudentis Senatoris domum in templum erexit, donis, ac titulo exornavit. Praxedem & Pudentianam ſorores religioſiſſimas, Pudentis filias, cum earundem utriuſque ſexûs domeſticis, numero nonaginta ſex, in eadem domo, in templum, ut diximus, à ſe conſecrata, aquis luſtralibus abluit. Sancto Pudenti, qui in confeſſione ſancta ſpiritum emiſit, & qui innocentem baptiſmi tunicam, ab Apoſtolis acceptam, uſque ad vitæ coronam immaculatè cuſtodivit, exequias perſolvit.

Pudentis familiam convertit, ejusq; domum in Templum erigit:

Quot annis in Pontificatu vixerit, certi nil habeo, Ciaconius in vita affirmat, ſediſſe eum in Cathedra Petri annis undecim, menſibus tribus, diebus 27. Baronius annos tantùm novem, menſes ſex eidem tribuit. Liber de Romanis Pontificibus, qui Damaſo inſcribitur, novendecim annos, menſes quatuor, dies tres Pium ſediſſe teſtatur. Euſebius inter Damaſum & Ciaconium mediam ſecutus viam, annos quindecim concedit. Veriorem ego facio Baronii ſententiam, quam firmatam video communi Eccleſiæ aſſenſu: nam Breviarium Romanum in Lectione totidem Pio adſcribit annos, quot notat Baronius, Eccleſiaſticarum rerum peritiſſimus Author. *Multis utiliter decretis*, inquit laudatum Breviarium, *martyrio corona-*

Quot annis ſederit, incertum.

tur

Martyrio coronatur. *tur in perſecutione Marci Aurelii Antonini, & ſepelitur in Vaticano quinto Idus Julii, cùm ſediſſet annos 9. menſes 5. dies 27.* qui fuit annus Chriſti centeſimus, ſexageſimus ſextus non completus.

SCRIPTA.

Ejusdem Scripta. Duas ſcripſit Epiſtolas, unum ad omnes Eccleſias: alteram ad fratres, id eſt ad Chriſtianos Italiæ, quæ extant cum ejusdem decretis tomo I. Conciliorum, & apud Gratianum. Alias duas ſcripſit ad Juſtum poſteà Epiſcopum Vienneſem, quas referunt Baronius, & Bibliotheca Patrum: in quarum altera in Euperpiæ domo ſe Romæ ſtare his verbis affirmat: *Ubi nunc cum pauperibus noſtris commorantes Miſſas agimus.* Notis has Pii quatuor Epiſtolas illuſtrarunt Binius, & Bignæus. Reprobantur de more ab Hæreticis, ſed protervè & falsò: Pungit enim eos mentio Miſſæ in iis facta.

ANNO CHRISTI CLXVI.
Imperatoribus MARCO AURELIO ANTONINO, & LUCIO VERO Auguſtis.

DE

S. ANICETO Pontifice Maximo.

XII. *S. Aniceti primordia.* SAnctus ANICETUS Syrus, ex civitate Humiſiæ (ut inquit Liber Damaſo adſcriptus) originem trahens. Hic, antequam ſummâ thiarâ ornaretur vitam duxit inter Clericos, qui ſimul Apoſtolicum Inſtitutum profitebantur Romæ. Extincto Pio ſubrogatus, decrevit: ne Clerici, juxta Apoſtoli præceptum, comam nutrirent; &, ut in capitis vertice coronam, inſtar ſphærulæ, geſtarent: Neve Epiſcopus à paucioribus, quàm à tribus ſui ordinis viris, conſecraretur: quod poſteà Sacroſancta Nicena Synodus confirmavit. Ejus quoque decretum fuiſſe fertur: Ne Epiſcopus crimen Metropolitani ſui ad alium, quàm ad Primatem ſeu Patriarcham, aut ad Sedem Apoſtolicam deferret. Ab eodem quoque ſancitum memorant: Ne Archiepiſcopi, niſi ex ſingulari prærogativa aut inſignium Civitatum, aut Apoſtolicæ conceſſionis, *Primates* appellarentur, (qui poſteà Patriarchæ dicti ſunt) reliquis Metropolitani, ſeu Archiepiſcopi nomen remaneret.

Inſtituta & Decreta.

Martyrium: Martyrii palmam, percuſſus gladio, accepit in perſecutione Marci Aurelii Antonini & Lucii Veri die 17. Aprilis, Anno Domini centeſimo ſeptuageſimo quinto non completo, Pontificatûs ſui anno circiter nono. Sepultus viâ Appia in Cœmeterio Calliſti.

Ejus corpus hodie requieſcit Romæ in ædibus Altempſianis. Mille quingentis nonaginta propè annis ſacrum hujus Pontificis corpus quievit in memorato Cœmeterio. At anno 1604. juſſu Clementis VIII. inde erutum, dono conceſſum eſt Joanni Angelo Duci ab Altaemps, qui in nobili Sacello propriæ domûs honorificè illud

Google

illud repoſuit die 28. Octobris prædicti Anni 1604. Hujus Epitaphium (dum annuæ ejusdem Martyris feſtivitati Anno 1687. Romæ in Ædibus Altaempſianis cælebratæ intereſſem) exſcripſi in hæc Verba.

PX.

Martyris oſſa Aniceti Papæ
Ab Arenario, quod poſtea Calliſti Cæmeterium appellatum eſt,
Auctoritate Clementis VIII. translata.
Joannes Angelus ab Altaemps Dux
Sacellum obtulit:
Corpus Ejusdem Martyris
In Labrum, quod Alexandri Severi Imperatoris
Sepulchrum fuit, collocavit.
Anno Domini M DC XVII.

S C R I P T A.

Scripſit Anicetus Papa & Martyr Epiſtolam decretalem ad Galliæ Epiſcopos, quam notis illuſtravit Binius. Hanc Magdeburgenſes hæretici, quòd ſectæ ſuæ in multis adverſaretur, oppugnare conati ſunt, ſed in caſſum, utpotè à Catholicis Scriptoribus validis rationibus retuſi, & confuſi. Multa prætereà idem Pontifex in Eccleſiæ bonum edidit Decreta, quæ à Gratiano commemorantur. *Ejus Scripta.*

ANNO CHRISTI CLXXV.
Imperatoribus LUCIO VERO, & MARCO AURELIO COMMODO Auguſtis.

DE

S. SOTERE Pontifice Maximo.

SAnctus SOTER, Concordii filius, Fundis in Campania natus, poſt Anicetum martyrio ſublatum, Romanam rexit Eccleſiam. Igitur Pontifex renunciatus, animum ad rem divinam, quæ ei obtigerat, adminiſtrandam convertens; ſancivit, ne ullus Presbyter, niſi jejunus, ſacrificium miſſæ conficeret: &, ne Deo dicatæ virgines vaſa ſacra, & pallas attingerent, neve thuris miniſterio in Eccleſia uterentur. Idem ſtatuit, ut Chriſti corpus in Cœna Domini ſumeretur ab omnibus, iis exceptis, qui propter gravia delicta id facere, edictô Eccleſiæ, prohiberentur. Decrevit pariter, ne legitima haberetur uxor, niſi cui Sacerdos ex inſtituto Apoſtolico priùs benedixiſſet; & quam parentes ſolemni ritu, more Chriſtiano, marito collocaſſent, quamque etiam paranymphæ, de more, cuſtodiſſent. Hoc autem decrevit, ut tanquam providus paſtor occurreret multis improborum præſtigiis, quæ XIII. *S. Soteris Instituta & Decreta.*

ſolent in novis nuptiis contingere. Gratianus tamen hoc decretum Evariſto Pontifici adſcribit.

Martyrium. Rexit Eccleſiam, ex Baronio & aliis, annos quatuor: martyrio coronatus in perſecutione Marci Aurelii Commodi; ac ſepultus via Appia in Cœmeterio, quod ipſe inchoäverat, poſteà Calliſti appellato. Paſſus memoratur die 22. Aprilis, Anno Domini CLXXIX.

SCRIPTA.

Scripta. Epiſtolas duas exaravit Soter, quas decretales vocant, unam ad Campaniæ; alteram ad Italiæ Epiſcopos, quas Corinthii publicè in Eccleſiis diebus feſtivis legebant. Prodierunt Tomo I. Epiſtolarum Pontificiarum, & Tomo I. Conciliorum cum notis Binii. Inveniuntur etiam apud Baronium, Joverium, & Gruterum. Has Hæretici fictitias arbitrantur, ſed ineptè, ut teſtimonia Catholicorum evincunt. Ejuſdem decreta apud Gratianum, Carranzam, Barboſam, & alios invenies.

ANNO CHRISTI CLXXIX.

Imperatoribus M. AURELIO COMMODO, ÆLIO PERTINACE, & DIDIO JULIANO Auguſtis.

DE

S. ELEVTHERIO Pontif. Max.

XIV. *Pontifex renunciatur.* SAnctus ELEVTHERIUS Abundii filius, natione Græcus, Nicopolitanus, Aniceti quondam Pontificis Diaconus, poſt affectum martyrio Soterem, Sacris Chriſtianis præfectus eſt, Commodo adhuc Imperante. Huic initio Pontificatûs ſupplices litteræ venerunt à Lucio Britannorum Rege, ut ſe ac ſuos in Chriſtianorum numerum reciperet, ac fidei fulgore illuſtratos Chriſto per Baptiſmum regeneraret. Quamobrem Fugatium & Damianum S. R. E. Presbyteros, ſingulari doctrina & pietate viros mitit in Britanniam, qui regiis votis ſatisfacerent. Hi Regem cum uxore, totaque domo & populo univerſo, cœleſti doctrina imbutos, ſacro lavacro tinxerunt; ſublatoque malorum dæmonum cultu, gentem illam modum veræ pietatis colendæ, editis pluribus miraculis, docuerunt. Erant tunc in Britannia Flamines, ſeu Idolorum Pontifices octo & viginti, & Archiflamines tres: in quorum locum Epiſcopi totidem, & tres Archiepiſcopi conſtituti: Templa porrò, quæ Diis gentium conſtructa erant, Chriſto Salvatori dicata; aliaque inſuper plura, magnificentiâ, regioque cultu erecta, dotata, atque exornata.

Britanniam ad Chriſtum convertit.

Ita Britannia tota, Eleutherii Romani Pontificis operâ, per Legatos Apoſtolicos Fugatium & Damianum, omnium Provinciarum prima, Evangelium Chriſti publicè amplexa eſt.

Inva-

Invaleſcente poſtmodùm Encratitarum hæreſi, quæ non ſolùm nuptias, ſed humanos etiam cibos damnabat; conſtituit Eleutherius, ne quis fidelium, ob ſuperſtitionem, genus ullum cibi rejiceret, quo homines ex conſuetudine veſcerentur. Noluit prætereà, quempiam de ſuo gradu dejici, niſi priùs accuſatus, examinatusque, reus criminis convinceretur: exemplo Salvatoris, qui ſcelus Judæ, licèt proditoris & furis, nondum tamen convicti, ita æquè tulit, ut quidquid interim pro dignitate Apoſtolatûs egiſſet, ratum firmumque eſſe voluerit. Prohibuit etiam, ne Judex adverſus reum abſentem & inauditum, niſi contumax eſſet, ſententiâ definitivâ procederet. Quod & jus commune pontificium poſteà roboravit. *Ejus Decreta*

Hujus Pontificatu, pax & quies Eccleſiis data eſt: hinc nomen Chriſtianum per omnem terram mirum in modum auctum, Romæ potiſſimùm, ubi multi ex primaria nobilitate cum conjugibus, liberis, familiis, in fidem recepti, baptiſmi charactere inſigniti ſunt: inter quos Apollonius, vir ſenatoriæ dignitatis, orator inſignis, qui martyrium in Urbe paſſus eſt, habita priùs oratione publica de laudibus Chriſtianæ fidei; quod illis temporibus capitale habebatur. *Hoc Pontifice floret Eccleſia.*

Annos quindecim, menſes tres, ac dies duos cùm vixiſſet Eleutherius in Pontificatu, naturæ debitum ſolvit, anno humanæ redemptionis 194. die 26. Maij: naturaline morte, an violenta? dubium. Martyrologium Romanum titulo Martyris eum exornat in hæc verba: *Romæ S. Eleutherii Papæ & Martyris, qui multos nobiles Romanorum ad fidem Chriſti perduxit &c.* Breviarium verò Romanum de ejus martyrio nullam mentionem facit. Sciendum tamen Martyris nomen non iis tantùm, qui cruenta morte, Chriſti causâ, mori coacti ſunt, attribui ſolitum; ſed iis etiam, qui fidei profitendæ zelo cruciamentum aliquod ſubiiſſent, licèt martyrium minimè conſummaſſent. *Ejus obitus.*

S C R I P T A.

Scripſit Eleutherius Epiſtolam ad Galliæ Epiſcopos de eſcis non irrationabiliter vitandis (quidam enim cibos aliquos quaſi ſua natura immundos ſuperſtitiosè vitabant) quam notis illuſtravit Binius. Hanc Centuriatores hæretici, & alii ejusdem farinæ, adulterinam proclamant, contra omnium Catholicorum ſententiam. Ejusdem decreta apud Gratianum, & alios invenies. *Scripta.*

ANNO CHRISTI CXCV.
Imperatoribus ÆLIO PERTINACE, DIDIO JULIANO, & SEPTIMIO SEVERO Auguſtis.

DE

S. VICTORE I. Pontif. Maximo.

XV.

SAnctus VICTOR I. Felicis filius, Afer, cùm eruditione & vitæ ſanctimonia plurimùm emineret, poſt obitum Eleutherii, Pontifex maximus renunciatus, inſtituit, ut ſacrum Paſcha

Pontifex creatur. die Dominico celebraretur : qui ritus ut poſteà in mores induceretur, plura habita ſunt diverſis in locis concilia: & in Nicæna denique prima Synodo, unanimi ſuffragio ſancitum eſt, ut, juxta mentem Victoris, & Pii I. ſummorum Pontificum, Paſchæ feſtus dies poſt quartam decimam lunam ageretur, ne Chriſtiani Judæos imitari viderentur. Statuit etiam, ut quavis aqua, modò naturali, ſi neceſſitas cogeret, quicunque baptizari poſſet. Inhibuit prætereà, ne ambigua, & quorum certa non eſſet notitia, judicarentur: quia, quamvis vera ſint, non tamen credenda ſunt, niſi quæ manifeſtis judiciis convincuntur, vel quæ judiciario ordine publicantur : nam reliqua examini divino relinquenda. Item cauſas Epiſcoporum à Comprovincialibus non eſſe judicandas, ſed ad Sedem Apoſtolicam, tanquam ad infallibile tribunal, deferendas; atque inde ſententiam eſſe expectandam ſtatuit.

Ejus Decreta & Inſtituta.

Theodotum Coriarium à fidelium communione removet. Theodotum Byzantinum, Coriarium quidem arte, multæ tamen eruditionis ac doctrinæ ceu impium Apoſtatam, pontificia auctoritate damnavit, penituſque ſimulatum virum ab Eccleſiaſtica communione proſcripſit : quod is Chriſtum tantummodò hominem, negata deitate, profiteretur.

Martyrio coronatur. Cæterùm quamvis Severus Imperator, Tertulliani teſtimonio, benignè habuerit Chriſtianos, quamdiu ſui compos fuit, ſub ſæviſſimo tamen Lautrano, vel ut alii habent, Plautiano Severi Auguſti Socero, Eccleſiæ hoſte acerrimo, Romæ cum multis aliis martyrio glorioſè occubuit Victor, die 28. Julii anno Chriſti 205. Pontificatûs ſui anno decimo.

SCRIPTA.

Ejus Scripta. Scripſit S. Victor de Paſchatis celebratione Epiſtolas tres, ſive, ut placet Binio, quatuor, quæ extant cum notis ejuſdem Binii tomo I. Concil. Hæretici, more ſuo mentientes, adulterinas nominant, quia erroribus, quos profitentur, adverſari cognoſcunt. Decreta quoque edidit nonnulla, quæ apud Gratianum, cæteroſque decretorum Collectores invenies. Alia inſuper ſcripſiſſe fertur opuſcula à Poſſevino in Apparatu ſacro, inter quæ unum inſcriptum: *Ratio fidei reddita Hunnerico Regi Vandalorum.* de quo valdè dubito, cùm nullum Hunnericum Vandalorum Regem Victoris tempore fuiſſe ſciam.

ANNO CHRISTI CCV.

Imperatoribus SEPTIMIO SEVERO, ANTONINO CARACALLA, MACRINO, & ANTONINO HELIOGABALO Auguſtis.

DE

S. ZEPHYRINO Pontif. Max.

XVI. *Pontifex creatus rebus ſacris ſtudet.* Sanctus Zephyrinus, Abundii filius, Romanus, Victore è vita ſublato, Pontifex maximus renunciatus, divinis potiùs, quàm humanis intendens, conſtituit: ut qui ordinandi eſſent, oppor-

portuno tempore, & multis præſentibus clericis & laicis, de more ſacris initiarentur; doctique ac ſpectatæ virtutis & vitæ homines ad id officii munus deligerentur. Statuit item, ut conſecrato divini ſanguinis in vitreo vaſe fieret, non autem in ligneo, ut anteà moris erat. Hæc autem inſtitutio, ut benè notat Ciaconius, ſequentibus temporibus immutata eſt. Vetitum enim fuit, ut nec in ligno fieret, propter raritatem, qua Sacramentum imbibitur; nec in vitro, propter fragilitatem; nec ex ære, ob tetrum ſaporem, quem inde concipit. Sed ſancitum, ut ſanguinis conſecratio in aureo, vel argenteo, aut ſtanneo vaſe fieret: ut in Tiburienſi can. 12. & Rhemenſi Conciliis ſcriptum apparet,

Decrevit prætereà, ut rem divinam facienti Epiſcopo Sacerdotes omnes adſtarent: id quod etiam Evariſto placuit. Rurſum, ut omnes Chriſtiani, ad ætatem pubertatis pervenientes, ſinguliis annis ſolemni die Paſchatis publicè ſacra Synaxi reficerentur: quòd quidem inſtitutum Innocentius III. poſteà non ad communionem ſolùm, ſed & ad peccatorum confeſſionem traduxit. Idem inſtituit, ut Patriarcha, & Primas Metropolitanus adverſus Epiſcopum non ferant ſententiam, niſi conſulta Apoſtolica ſede, ejuſque auctoritate fulti. *Communionem Paſchalem præcipit.*

Erat quoque Zephyrinus (reſpirante paululùm à perſecutione Eccleſiâ) totus ad expugnandas hæreſes comparatus, Marcionis inquam, Praxeæ, Sabellii, Valentini, Procli, & ſequacis Tertulliani, quos anathematæ confixit: ut fuſiùs videre eſt apud Baronium, Euſebium, Ciaconium, & alios. *Hæreſes expugnat.*

Pontificiam Cathedram moderatus eſt Zephyrinus, juxta Euſebii & Baronii calculum, annis octodecim: vivere deſiit Romæ anno ſecundo regiminis Heliogabali Imperatoris, qui fuit Chriſti ducenteſimus ſupra vigeſimum tertium. Omnia Martyrologia Martyrem Zephyrinum ponunt: quod ſanè, ait Baronius, illi privatim accidiſſe opportuit, quia Imperatori reſtiterit, cupienti cùm aliorum omnium, tùm etiam Chriſtianorum religionem ſub Heliogabali Dei ſui cultu referre: vel Martyr vocatur, quia multa pro Chriſti confeſſione ſupplicia Romanus Potifex pertulerit, licèt martyrium non compleverit: vel denique, quia inſidiis hæreticorum, quos anathemate perculit, occiſus fuit. *Martyrio affectus creditur.*

SCRIPTA.

Epiſtolas duas decretales exaravit: quarum primam ad Siciliæ; ſecundam ad Ægypti Epiſcopos mitit. Extant ambæ cum notis Binii tomo I. Conciliorum; & apud Baronium, Joverium, & Gruterum. Decreta verò ejuſdem apud Iſidorum, Creſconium, Ivonem, Gratianum, & alios. *Scripta.*

ANNO CHRISTI CCXXIII.
Imperatoribus ANTONINO HELIOGABALO, & ALEXANDRO SEVERO Auguſtis.

DE

S. CALLISTO Pontif. Maximo.

XVII. *Pontifex eligitur.*

SAnctus CALLISTUS, Domitii filius, Romanus, in ſummum Pontificem electus eſt poſt obitum Zephyrini. Is ſpurciſſimos mores, luxum, & luxuriam Heliogabali Auguſti deteſtatus, fidelibus jejunium, temperantiam, ac pœnitentiam ſummoperè commendavit. Hinc ſolennia quatuor temporum jejunia inſtituit, vel collapſa potiùs, durante perſecutionum procellâ, ad antiquum Romanæ Eccleſiæ uſum revocavit, decretoque firmavit. Voluit autem ut hiſce quatuor anni temporibus Sacrorum ordinum ratio haberetur, & qui ordinandi eſſent, præmiſſo publico jejunio & oratione, ſacris initiarentur. Cùm anteà tantùm menſe Decembri ordines ſacri conferri ſolerent. Idem decrevit, ne Clericorum delatores & accuſatores, infames, vel ſuſpecti, aut inimici, in judiciis reciperentur. Eos verò hæreticos cenſuit, qui docerent aut crederent, Sacerdotes poſt crimen admiſſum, etſi pœnitentiâ dilutum, ad priſtinos honores & munia recipi non poſſe. Ædificavit Eccleſiam Sanctæ Mariæ trans Tyberim: & via Appia vetus cœmeterium ampliavit, in quo multi ſancti Sacerdotes & Martyres ſepulti ſunt: quod hodie dum ab ejus nomine *Calliſti cœmeterium* appellatur.

Quatuor temporum Jejunia inſtaurat.

Decreta.

Plures ad Chriſtum convertit.

Inter multos, quos ad Chriſti fidem perduxit Calliſtus, Palmatium Conſulem, & Simplicium Senatorem numerat Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ: Palmatii enim oculi tunc aperti, quando milites, in Sanctum Pontificem miſſos, impiæ temeritatis pœnas perſolventes, cœcos vidit. Simplicius verò Idolorum cultum tunc abjecit, quando mulierem à dæmone correptam, Calliſti Deum, ut verum, prædicantem in Capitolio audivit. Blandinam item paralyticam, & Privatum ulceribus plenum, ambos genere nobiles, ſanitati non aliâ medicinâ, quàm ſalutaribus baptiſmi aquis, reſtituit.

S. Pontifex, quinto ſui regiminis anno, ob Chriſti confeſſionem, à Domitio Ulpiano Juris-Conſulto, hoſte fidelium acerrimo, qui Romæ abſente Alexandro Severo ſumma cum auctoritate res moderabatur, in carcerem conjectus, in eoque diutiùs fame cruciatus, ac fuſtibus quotidie cæſus, tandem 14. Octobris anno ſalutis 208. è feneſtra domûs, in qua captivus detinebatur, præcipitatus, atque in puteum demerſus, martyrii palmam glorioſo fine aſſecutus eſt. Extat ipſe puteus in Baſilica S. Mariæ trans Tyberim, in quem dejectus fuerat, & ex quo, dum viveret, aquam ſæpè ſæpiùs ad baptiſmum hauſerat. De hoc puteo non ineleganter cecinit Andreas Marianus.

Præceps in puteum datur.

Unde

Unde aliis hauſto dederat baptiſmate vitam
Calliſtus, mortem præcipitatus habet.
Per breviora viæ petiit compendia cælum,
Cui puteus ſummos junxit ad aſtra gradus.

SCRIPTA.

Tanti Pontificis duas Epiſtolas decretales habemus, notis à Severino Binio illuſtratas, quæ extant tomo I. Conciliorum: quarum primam ad Benedictum, alteram ad Galliæ Epiſcopos dedit: Ejusdem decreta inveniuntur apud Gratianum, & apud alios decretorum collectores. *Ejus Scripta.*

ANNO CHRISTI CCXXVIII.
Imperatore ALEXANDRO SEVERO Auguſto.

DE

S. URBANO I. Pontif. Maximo.

Sanctus URBANUS I. Pontiani filius, Romanus, in Calliſti locum ſuffectus, in id unum incumbere viſus eſt, ut Dei honor, ac fides quàm maximè propagarentur. Hinc non ſolùm Idola quamplurima, è quibus pater mendaciorum congrua ſuperſtitioni oracula fundebat, ſpiritu oris ſui ſufflavit, atque disjecit; verùm etiam doctrina & vitæ ſanctitate, qua inſigniter reſplenduit, multos ad Chriſti fidem convertit: inter hos Valerianum, virum præſtantiſſimum, beatæ Cæciliæ ſponſum, & Tiburtium Valeriani fratrem, ac Maximum, Severi Auguſti cubicularium. Qui poſteà martyrium conſtanti animo, ejus hortatu, ſubierunt. XVIII. *Pontifex elò ſedulò converſioni gentium ſtudet.*

Urbani inſtitutum fuit, ut Eccleſia, fundos ac prædia à fidelibus oblata, reciperet; partireturque proventus Clericis Deo ſervientibus viritim, in commune bonum. De bonis Eccleſiæ attributis in hunc modum ſcribit: *Ipſa res fidelium, quæ Domino offeruntur, non debent in alios uſus, quàm in Eccleſiaſticos, ac fratrum indigentium ſubſidia converti: quia vota ſunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum.* Cumque animadvertiſſet, Clericorum regularium, ſeu in commune viventium ordinem, à prima illa norma Apoſtolica deflectere, generali decreto per Orbem univerſum emiſſo, eundem ad priſtinam vitæ regulam, atque ad votorum obſervantiam reſtituere ſtuduit. *De bonis Eccleſiæ ſaluhriter diſponit. Ordinem Clericorum Regularium inſtaurat.*

Rerum Eccleſiaſticarum Scriptores circa annos Pontificatûs Urbani multùm inter ſe diſſentiunt: nam quidam annos tantùm quatuor, quidam novem, quidam decem ei attribuunt; Ego verò cum Baronio & Ciaconio ſentiens, atque etiam Romano Codici horario inhærens, Urbano menſes ſeptem, dies quatuor, ſupra ſextum annum, aſſigno. Qui Prædeceſſorum ſuorum veſtigia ſecutus, poſt multos tandem labores & ærumnas, cervicibus via *Martyrio afficitur.*

Momen-

Nomentana abſciſſis, glorioſus Martyr occubuit die 25. Maji anno Salutis 234. ſepultus via Appia in Cœmeterio Prætextati.

SCRIPTA.

Scripta. Scripſit Urbanus Epiſtolam unam ad omnes Chriſtianos, quæ extat cum notis Binii tomo primo Conciliorum. Ejus verò Decreta habentur apud Gratianum & alios.

ANNO CHRISTI CCXXXIV.
Imperatoribus ALEXANDRO SEVERO, & JULIO MAXIMINO Auguſtis.

DE

S. PONTIANO Pontif. Maximo.

XIX. *Quæ inſtituerit?* SAnctus PONTIANUS, Calpurnii filius, Romanus, poſt Urbani mortem ejuſdem Succeſſor declaratus, inſtituit, (teſte Oldoino in additionibus ad Ciaconium) ut Pſalmi in Eccleſia publicè canerentur; & ut Miſſæ ſacrificium à Sacerdotis confeſſione inchoäretur. Alii tamen ad Damaſum hujus nominis primum ſacros hos ritus referunt.

Provehendæ rei Chriſtianæ intentus martyrio coronatur. Cæterùm Pontianus famâ ſanctitatis longè clariſſimus, nihil magis concivibus ſuis Romanis, & cunctis gentibus perſuadere conatus eſt, quàm ut rejectis ethnicis ſuperſtitionibus, Chriſtianæ veritati acquieſcerent; & relicta Idolorum caterva, Chriſtum unicum Deum & Salvatorem omnium ſequerentur. Ob perpetuam igitur fidei tuendæ conſtantiam, odium ingens gentilium Sacerdotum contraxit: quare falſis delationibus apud Alexandrum Imperatorem accuſatus, ejuſque decreto Urbe ejectus, in Inſulam Sardiniam eſt relegatus. Ibi diutiùs fame, exilio, tormentis vexatus, denique fuſtibus pro Dei gloria mactatus eſt decimo nono die menſis Novembris, Anno Chriſti 238. Pontificatus ſui anno quarto. Sacrum ejus corpus triennio pòſt, à Fabiano Pontifice Romam è Sardinia relatum, in cœmeterio Calliſti conditum eſt.

SCRIPTA.

Scripta. Scripſit Epiſtolas decretales duas: quarum primam ad Felicem Succribonum dedit, in qua honorem exprimit, Sacerdotibus novæ legis debitum. Alteram exaravit ad Chriſtianos, de fraterna dilectione, & de vitandis malis. Utramque notis illuſtravit Severinus Binius. Ejus decreta leguntur apud Gratianum, aliosque decretorum pontificiorum collectores.

ANNO

ANNO CHRISTI CCXXXVIII.

Imperatore JULIO MAXIMINO Auguſto.

DE

S. ANTHERO Pontifice Max.

Licеat hîc paucula, præter morem & inſtitutum, in gratiam Lectoris pro aſſerenda veritate interfari. Pontiano defuncto, non Fabianus, ut Anaſtaſio & ſequacibus placet, neque Cyriacus, ut recentiores ſcribunt (cujus nulla prorſus extat mentio in ſerie Romanorum Pontificum à Latinis deſcripta) ſed Antherus Romuli filius in Petri cathedram ſucceſſit. Hunc natione utique Græcum omnes faciunt: benè tamen de Sardiniæ Inſula meriti Scriptores, Sardum, & nonnulli Calaritanum fuiſſe contendunt: quibus aſſentri ſine duce uti non audeo, ſic nec debitus meus in viros maximè eruditos cultus diſſentiri permittit, fides penes ipſos ſit, lectores hac in re judices ſubſtituo, ipſi litem, ſi in re tam obſcura poſſint, dirimant.

XX. Error nonnullorum refellitur.

Antherus ſuccedit Pontiano.

Monaſticam ducebat vitam Antherus, ſeu, ut aliis placet, Clericorum Regularium inſtitutum profitebatur in Sardinia, quando Romanus poſt Pontianum renunciatus eſt Pontifex. Zelo fidei ac pietatis commotus, ſtatim ab electione ſua Romam contendit, ut afflictos, perſecutione Maximini ſæviente, ſolaretur; & captivos, ne in tormentis deficerent, animaret. Ut Romam appuiit, Maximus quidam cum nonnullis aliis ob Chriſti confeſſionem martyrio affectus eſt. Horum occaſione, ut res Martyrum diligenter conquiſitæ, à Notariis ſcriberentur, conſcriptæque in archiviis Eccleſiæ reconderentur, mandavit: ne unà cum vita benè agentium memoria aboleretur. *Hujus igitur ſanctiſſimi Pontificis fama æterna eſt futura* (inquit hoc loco Oldoinus) *quia æterna erit beatorum Martyrum memoria; quorum paſſiones nobis incognitæ jacuiſſent, niſi beneficio hiſtoriæ, curâ & ſtudio tanti Pontificis, conſcripta, ab oblivione fuiſſent vindicata.* Geſta itaque Martyrum, Clementis Pontificis exemplo, diligenter à Notariis, (qui & Exceptores dicebantur, quia ipſorum & dicta & facta, mirabili celeritate per notas quaſdam deſignabant) exquiſivit, & in Eccleſia ad poſterorum memoriam recondidit: propter quod à Vitaliano, Maximini Auguſti Præfecto, tentus, cruciatus, ac denique, cùm nulla arte à fidei conſtantia dimoveri poſſet, capite cæſus, glorioſo fine quievit, primo ſui Pontificatûs menſe, nempe III. Nonas Januarii, anno Chriſti 238. Sepultus via Appia in Cœmeterio Calliſti: ut habet Martyrologium Romanum.

Chriſtianis ob fidem vexatis ſuccurrit.

Acta Martyrum conſcribi jubet.

Martyrio coronatur.

SCRIPTA.

Scripſiſſe reperitur Epiſtolam unam decretalem ad Epiſcopos Provinciarum Bæticæ, & Toloſanæ. Hanc notis illuſtratam refert Binius. Decreta ejuſdem extant apud Gratianum, Ivonem Carnotenſem, & apud alios Canoniſtas.

Ejus Scripta.

ANNO CHRISTI CCXXXVIII.

Imperatoribus JULIO MAXIMINO, PUPIENO & BALBINO, GORDIANO, PHILIPPIS duobus, & DECIO, Auguſtis.

DE

S. FABIANO Pontifice Maximo.

XXI. *Cæleſti indicio Pontificatum adipiſcitur.* SAnctus FABIANUS, Fabii filius, Romanus de Regione Cœlii montis, in Antheri locum, non modò Cleri ſuffragio, ſed cœleſti etiam indicio ſuffectus memoratur Nam cùm omnes fratres, novi Pontificis deligendi causâ in Eccleſia conveniſſent (quamquàm Fabianus, qui tunc fortè præſto erat, nemini in mentem veniſſet) derepentè columba è ſublimi advolans, inſpectantibus omnibus, capiti ejus inſedit. Eapropter ii, penes quos jus electionis, & ſuffragii erat, tanto miraculo commoti, uno ore Fabianum ſummo dignitatis gradu dignum acclamarunt, abreptumque, magnâ populi Chriſtiani lætitiâ, in Sede pontificia collocarunt. Ita Euſebius, Optatus, Baronius, & alii.

Sacra ædificia condit. Julio Maximino Imperatore, Aquileiæ à ſeditioſis interfecto, quum Eccleſia pace ac tranquillitate frueretur, Fabianus plurima ædificia in cœmeteriis extrui juſſit, uſui fidelium ad celebranda divina myſteria accommodata. Idem ſeptem Diaconis regiones diviſit, qui pauperum, languentium, & peregrinorum curam haberent. Totidem quoque Subdiaconos creavit, qui res geſtas Martyrum à ſeptem Notariis conſcriptas, colligerent, & ad poſterorum memoriam in archiviis Eccleſiæ reconderent. Id quod jam olim à S. Clemente I. Papa inchoatum, & ab Anthero, ut paulò ante diximus, renovatum fuiſſe conſtat. Statuit præterea, ut *Chriſmatis renovationem præcipit.* quotannis feria quinta in Cœna Domini, Chriſma renovaretur, vetus combureretur. Extat hac de re Epiſtola Fabiani ad Orientales, in qua dicit Chriſti Domini inſtitutum eſſe; ut Chriſma ex oleo, balſamo admixto conficiatur: ubi etiam indicat, Confirmationis Sacramentum ab eodem Salvatore in ultima Cœna inſtitutum fuiſſe. Vide Bellarminum de Sacramento Confirmationis c. 8. & c. 9. Et Gretſerum contra Pleſſæum.

Sæva Decii perſecutio. Duobus Philippis, patre & filio, Imperatoribus Chriſtianis, à Decio interfectis, acerbiſſima omnium ab eodem Tyranno in Chriſtianos excitata eſt perſecutio; quæ licèt brevis, vehemens tamen, maximeque Chriſtianis pernicioſa extitit. Decii namque conſilium fuit, non tam in privatos furere, quàm ſumma Eccleſiæ capita, utpote doctrinæ Evangelicæ fundamenta, evertere, necique dare: ratus, convulſis hiſce baſibus, totam mox machinam Chriſtianæ religionis ruituram. Hinc in præcipua Eccleſiæ membra, Epiſcopos, Clericos, ipſumque ſummum Pontificem Fabianum ſævitum *Fabiani martyrium.* eſt. Qui decimo quinto ſui regiminis anno, Chriſti verò ducenteſimo

ſimo quinquageſimo tertio, die 20. Januarii, gladio percuſſus, Martyr occubuit. Sepultus in Cœmeterio Calliſti.

SCRIPTA.

Scripſit Fabianus Epiſtolas decretales tres, quæ extant tomo primo Epiſtolarum pontificiarum; & tomo primo Conciliorum cum notis Binii. At Poſſevino in ſacro apparatu teſte, quæ illi adſcribitur Epiſtola ad omnes Eccleſiæ Comminiſtros, omninò ſpuria eſſe dicitur, niſi in ea corrigatur, quod de Novato, & Novatiano ſcriptum eſt: quod quidem à Sciolo quodam ſuperadditum exiſtimavit Baronius ad Annum 253. cùm adventum Novatiani Romam, Euſebius ponat primo Cornelii anno. Quin & Epiſtolam ſecundam, in qua agit Fabianus de chriſmate conſecrando, aliqui ut apogrypham recognoſcunt: conſulatur Bellarminus ubi ſuprà. Fabiani decreta invenies apud Ivonem, Gratianum, & alios. *Ejus Scripta.*

ANNO CHRISTI CCLIV.

Imperatoribus DECIO, GALLO, & VOLUSIANO Auguſtis.

DE

S. CORNELIO Pontif. Maximo.

XXII. *S. Cornelius Pontifex eligitur.*

SAnctus Cornelius ex nobiliſſima Corneliorum familia Romæ originem trahens, cùm doctrina & vitæ ſanctitate Clericis omnibus anteſtaret, anno poſt mortem Fabiani, ad ſublime ſummi Sacerdotii faſtigium aſſumptus eſt: tanta quippè fuit in Chriſtianos perſecutio, ut ſedes toto illo tempore vacaverit.

Venerat eo tempore Romam Novatianus Hæreſiarcha, homo Stoicus, turbandis rebus aptus, qui auctore Novato Epiſcopo Africano, corrupto quorundam perfidorum ſuffragio adjutus, primus cathedram peſtilentiæ adverſus Petri ſolium erexit, conflatoque ſchiſmate, ac rejecto Cornelio, Papa ipſe legitimus dici voluit. Electus itaque Pſeudo-pontifex, legatos è veſtigio, de ſua electione, ad diverſos Eccleſias, tum Orientis, tum Occidentis miſit, litteraſque addidit, quibus falſa in Cornelium Papa crimina enarrabat, ſeque invitum, ac renitentem creatum fuiſſe Epiſcopum Romanum aſſerebat. Docebat verò, lapſorum peccata eſſe irreconciliabilia, nec ulla medicina, aut pœnitentia curari, aut remitti poſſe. Negabat ſubinde articulum Symboli Apoſtolici, *Remiſſionem peccatorum*; & claves ligandi atque ſolvendi Petro à Chriſto datas, contemnebat. Hæc Novatiani electio & doctrina, ut primùm audita eſt, à Concilio Romano LX. Epiſcoporum, ac totidem Presbyterorum damnata eſt; ejuſque Sectatores excommunicati. Hinc turbæ in Oriente. *Novatianus hæreſiarcha Schiſma in Eccleſia primus conflat. Hæreſis Novatianaqua?*

 Audita

S. Cyprianus, ejurato Novatiano è partibus Cornelii ſtat.

Audita namque Cornelii electione in Carthaginis Urbe, ortoque ſchiſmate, quod Novatianus conflarat, percepto, cùm ea de re anceps eſſet multorum ſententia, ad removendam à trepidantium animis dubitationem, viſum eſt Cypriano, atque collegis ejus nonnullis in unum coëuntibus, Epiſcopos duos, Caldonium ſcilicet, ac Fortunatum Romam mittere, ut diſſidentes conciliarent, ſi poſſent; ſin minùs, cujusnam eſſent potiora jura, in Africam perſcriberent: ut veritas cunctis innoteſceret. Pro Cornelii electione, contra Novatianum, ſenſerunt iſti duo Epiſcopi ex Africa miſſi, litteraſque in reditu Cornelii Pontificis Cypriano dederunt; qui pro Cornelio ſcribere, calumniaſque in eum confictas virili facundia refellere non dubitavit.

Cornelius viciſſim pro Cypriano contra Fortunatum & Feliciſſimum agit.

Porrò Cypriani quoque ſanctiſſimi viri partes Cornelius ſuſtinuit; ac Feliciſſimum, qui Fortunati Pſeudo-Epiſcopi legatus cum magna Schiſmaticorum caterva Romam contra Cyprianum adnavigaverat, rejecit, ut ad Cyprianum Cornelii litteræ datæ ſignificant. Quare in Romana Synodo ipſemet Feliciſſimus cum ſociis damnatus: in eaque quidquid in Africana decretum fuerat, eſt firmiùs ſtabilitum, ac modus procedendi cum lapſis, reclamante licèt Novatiano præſcriptus.

Cornelius SS. Apoſt. Petri & Pauli corpora curat.

Cæterùm Cornelius Pontifex cum Lucina religioſiſſima matrona Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli corpora è catacumbis in opportuniorem locum tranſtulit: Pauli ſcilicet cineres via Oſtienſi in prædio Lucinæ prope locum, in quo gladio percuſſus fuerat, condidit; ac fundamenta jecit Eccleſiæ, quam poſteà Conſtantinus Magnus regia munificentia in eadem via erexit in divi Pauli honorem. Petri verò haud longè ab eo, in quo crucifixus fuerat, loco. Saluſtiam Cerealis uxorem, quindecim annis paralyticam, priſtinæ reſtituit ſanitati, deinde baptiſmatis fonte luſtravit, unà cum Cereali, ac viginti militibus, qui omnes, hortatu Cornelii, martyrium pro Chriſti nomine ſubierunt.

Nonnullos ad fidem convertit.

Id, cùm ad Imperatores delatum eſſet, ægrè ferentes, tot Chriſtianos quotidiè, authore Cornelio, fieri; ipſe mittitur in exilium ad Centum-cellas: ubi eum Sanctus Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis per litteras amiciſſimè eſt conſolatus. Hoc autem Chriſtianæ pietatis officium, cùm frequens alter alteri perſolveret, deteriorem in partem interpretati Imperatores, accerſitum Romam Cornelium, tanquam læſæ Majeſtatis reum, primò plumbatis cædi jubent; tum raptum ad Martis templum, Idolo ſacrificare, ejurato Chriſto, mandant. Quam impietatem, cùm modis omnibus deteſtaretur, præciſo capite illuſtre martyrium fecit, die 26. Septembris, Anno reparatæ Salutis 256. Ejus corpus beata Lucina Clericis adjutoribus humavit in Arenaria prædii ſui propè cœmeterium Calliſti.

Eapropter mittitur in exilium, & martyrio coronatur.

S C R I P T A.

Ejus Scripta.

Hunc præclariſſimum virum S. Hieronymus, aliique inter Scriptores Eccleſiaſticos adnumerant. Scripſit verò ad Fabium, ſeu Flavia-

Flavianum Antiochenum Epiſcopum quatuor literas; primam de Synodo Romana, Italica, & Africana: duas de Novatiano, ejuſque ſchiſmatis origine, & de his qui lapſi ſunt: quartam de geſtis Synodi, quibus Hippolytus ejuſdem Antiochenæ Eccleſiæ Presbyter, jam penitùs Novatiano addictus, reſipuit: dumque ad martyrium duceretur, nobilem atque præclaram Catholicæ veritatis confeſſionem edidit.

Scripſit etiam Cornelius ad Lupicinum Viennenſem Epiſcopum de perſecutione in Chriſtianos excitata: alias de eadem perſecutione dedit epiſtolas ad aliarum Eccleſiarum Epiſcopos, quibus, ut ſtrenuè pro Chriſto agerent, eos adhortatur: ſed harum omnium una tantùm extat ad Lupicinum in Bibliotheca Sancta, & apud Baronium. Aliam etiam ſcripſiſſe dicitur Epiſtolam de translatione Corporum Apoſtolorum, quam non à Cornelio ſcriptam, ſed Cornelii nomine vulgatam agnoſcit Baronius.

Ad Cornelium autem octo Cypriani Epiſtolæ extant, Cornelii verò ad Cyprianum familiarem ſuum longè plures de rebus fidei, quas notis illuſtravit Binius: quarum etiam meminit S. Hieronymus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Judicium Bellarmini de Epiſt. Cornelii. De Epiſtolis Cornelii quid ſentiat Bellarminus in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis ad Annum 254. paucis accipe: *Scripſit Cornelius Papa*, inquit, *inſignes Epiſtolas, quarum meminit S Hieronymus in libro de Script. Eccleſ. è quibus extat ſolùm Epiſtola ad Fabium, ſive Fabianum Epiſc. Antiochenum, ſed non integra, apud Euſebium lib. 6. hiſtor. c. 35. Et alia brevis ad Lupicinum tomo I. Bibliotheca SS. Patrum: & alia dua inter Epiſtolas Sancti Cypriani.* Hæc ille. Cornelii decreta inveniuntur apud Gratianum, & alios.

ANNO CHRISTI CCLVI.

Imperatoribus GALLO, VOLUSIANO, & VALERIANO Auguſtis.

DE

S. LUCIO I. Pontifice Maximo.

XXIII.

Sanctus Lucius, Romanus ex patre Porphyrio, unus ex illis Sacerdotibus, qui cum Cornelio ad Centum-cellas proſcripto exularant, poſt ejuſdem Cornelii mortem concordi ſuffragio Romanus renunciatus eſt Pontifex. Hujus laudes, uti etiam Cornelii Prædeceſſoris, S. Cyprianus in Epiſtola 77. ad Stephanum poſteà Pontificem, enumerat his verbis: *Servandus eſt Anteceſſorum noſtrorum Beatorum Martyrum Cornelii & Lucii honor glorioſus, quorum memoriam cùm nos honoremus, multò magis Tu, Frater chariſſime, honorificare, & ſervare gravitate & auctoritate tua debes, qui Vicarius Chriſti, & Succeſſor eorum factus es: illi enim pleni Spiritu DEI, & in glorioſo martyrio conſtituti, dandam eſſe Lapſis pacem cenſuerunt, & pœnitentia acta, fructum communicationis & pacis negandum non eſſe litteris ſuis ſignificarunt,* *Cornelium excepit Lucius, quem S. Cyprianus commendat.*

 quam

quam rem omnes omninò ubique cenſuimus: neque enim poterat eſſe apud nos ſenſus diverſus, in quibus unus eſſet ſpiritus. Hæc ille. Auditâ Lucii electione in Romanum Pontificem, ſtatim Cyprianus ſcripſit Epiſtolam congratulatoriam ad eundem, quæ licèt non extet, ejus tamen ipſemet Cyprianus meminit in poſteriori ad eundem data, in regreſſu ab exilio.

S. Lucii ſtatuta ſeu Decreta. Lucius igitur ab exilio, quo poſt ſuam ſtatim creationem relegatus fuerat à Voluſiano, Romam reverſus, ſtatuit: ut duo Presbyteri, & tres Diaconi, in omni loco, Epiſcopum Romanum comitarentur, nec deſererent propter teſtimonium Eccleſiæ: calumniæ enim in Cornelium à Novatiano confictæ, hujus ſanciendi decreti cauſam dediſſe putantur. Alia ejuſdem Lucii Papæ apud Gratianum decreta, alibi in unum collecta, habentur. Inter quæ illud etiam extat: ut raptores, occupatores, & diſſipatores bonorum Eccleſiæ, atque ejuſdem facultatum alienatores, à limitibus ſanctæ Matris Eccleſiæ arceantur, anathematizentur, pellantur, & pro ſacrilegis habeantur. Item vetuit: ne Clericus ſolus, aut fœmina ad Tabernaculum (ſeu Sanctum Sanctorum) accedat; aliàs eum deponendum, & illam à limitibus Eccleſiæ arcendam: & ut nemo Clericorum cum extranea habitet fœmina, niſi ſoror, aut proxima fuerit. Hæc & alia pleraque ſanctiſſimè diſpoſuit pro temporum exigentia.

Capitur, & capitis damnatur. Cùm autem multùm adverſus Novatianum & ejus aſſeclas pro Deo & Eccleſia laboraſſet, accuſatus, captus, & ſententia capitali damnatus eſt juſſu Valeriani. Antequam verò ad martyrium raperetur, omnem poteſtatem Eccleſiæ Stephano Archidiacono ſuo, mox futuro Pontifici, commiſit, quòd eſſet vir bonus, doctus, utilis ac fidelis diſpenſator. Cervicibus tandem abſciſſis, præclarum Martyris nomen adeptus eſt die 4. Martii Anno à Chriſti nativitate 258. Sedis ſuæ 2do menſe 4to. Ejus corpus via Appia in cœmeterio Calliſti ſepultum fuit.

SCRIPTA.

Scripta. Plures ſcripſit Epiſtolas decretales: temporis tamen injuriâ unam dumtaxat ad Galliciæ & Hiſpaniæ Epiſcopos directam habemus in primo tomo Conciliorum cum notis Binii. Ejuſdem Decreta apud Decretorum collectores invenies.

ANNO CHRISTI CCLVIII.

Imperatoribus VALERIANO, & GALLIENO Auguſtis.

DE S. STEPHANO Pontif. Maximo.

XXIV. SAnctus STEPHANUS, Romanus ex patre Julio, tranſacto à Lucii morte menſe, in ejuſdem locum Romanus eſt Pontifex ſuffectus: qui ad ordinandam Eccleſiam, quàntum per dura illa

illa tempora licuit, converſus; inſtituit: ut Hymnus, quem Angeli in Chriſti nativitate cecinêre, diebus Dominicis in Sacris Liturgiis recitaretur. Item, ne Sacerdotes, & Levitæ, veſtibus ſacris alibi, quàm in Eccleſia ad ſacras functiones, uterentur. Et, ne ſæculares, vaſa ſacra, veſtes, ornamenta, Eccleſiæ uſibus deputata, uſurparent: ne ſi ſecùs facerent, pœnam Balthaſſaris Regis Babyloniæ ſubirent; qui vaſa ſacra manibus impuris contrectare auſus, profanis uſibus ut inſervirent, præcepit. Dan. 5. *S. Stephani I. electio, & Decreta.*

Hujus Pontificis celeberrima cum Hæreticis, vel in hæreſim inclinantibus Epiſcopis prælia fuêre. Nam adverſante ferè toto Orbe, doctrinam *de non rebaptizandis hæreticis, ad Eccleſiam Catholicam redeuntibus*, adverſus Epiſcopos tum Aſianos, tum Africanos, acerrimè, planeque viriliter tutatus eſt: eadem ſentiens, quæ glorioſus Anteceſſor ejus Cornelius, nimirum his, qui rebaptizarent, aut rebaptizarentur nullo modo communicandum eſſe. Unde Dionyſius, Cyprianus & alii Epiſcopi, qui anteà hac de re cum Orientalibus ſenſerant, ad concordiam & ſanam doctrinam cum Stephano Pontifice redierunt. Atque ita pax conflata, & incendium, quod timebatur, ne multas provincias corriperet, extinctum. *Baptiſmum iterandum non eſſe contendit.*

Præcipuas Stephani Papæ virtutes admirati ipſimet Donatiſtæ, quamvis adverſariam huic Pontifici ſententiam de rebaptizandis hæreticis obſtinato animo defenſarent, in ipſum tamen Stephanum ob eminentem Judicii cum ſanctitate conjunctam auctoritatem, ne mutire quidem ſunt auſi, imò & laudare compulſi. Quamobrem hæc itidem miratus S. Auguſtinus, in Petilianum eorum Principem ſcribens; Stephanum illibatè Romanum Epiſcopatum geſſiſſe, Donatiſtarum teſtimonio, confeſſus eſt. Epiſcopis Synodi Iconienſis, quia hæreticos ritè baptizatos, denuò rebaptizandos eſſe affirmabant, ſacra interdixit: quare illi Apoſtolicæ Sedis communione privati, ex ſuis aliquot Romam ad Stephanum miſerunt, rationem de iis, quæ in Synodo à collegis Epiſcopis geſta eſſent, reddituros: hi nec auditi, nec recepti à Stephano, re infecta ad ſuos rediêre. Pœnitentiam poſteà agentes, ac ſanæ doctrinæ aſſentientes, interdicto ſoluti ſunt. Hac conſtantia uſus etiam adverſus alios Orientis Præſules Stephanus, ſolidis eos rationibus convictos, & auctoritate, qua polluit, perterritos, ad Romanæ Eccleſiæ ſenſum perduxit. Lucillæ, Nemeſii Tribuni filiæ, luminibus orbæ, oculorum uſum ſolo contactu reſtituit, & ſacro fonte cum filia patrem abluit. Quin & innumeros alios, atque inter hos primariæ nobilitatis viros ac fœminas, ſcripturarum eruditione inſtructos, Chriſto peperit: quorum plerique ſanguinem pro fide fundere non dubitarunt. Horum Catalogum benè magnum exhibent cum Baronio Oldoinus, & alii. *Donatiſtæ Stephani virtutes admirantur.* *In rebaptizantes Epiſcopos cenſurâ agit.* *Innumeros ad fidem convertit.*

Inter hæc Valerianus, rerum, quæ à Stephano gerebantur, conſcius, ægreque ferens, eo auctore, fidem Chriſtianam in dies creſcere, paganiſmum è contrà deficere, furores percitus, armatos milites miſit, qui beatum virum, ac Clericos omnes, quicum eo eſſent, comprehenderent. Adductum Stephanum in ſolio reſidens, his verbis afflatur: *Tu ne ille es, qui Romanam Rempublicam auſu temerario* *Comprehenditur, & Valeriano ſiſtitur.*

conaris

conaris evertere? tuiſq; ſuaſionibus populum nobis commiſſum à noſtrorum Deorum cultu, ad cultum tui Crucifixi, reducere? Ad quem Stephanus: *Ego quidem Rempublicam non everto; moneo tamen omnes, atque pro eo, quo fungor officio, hortor, ut relictis inanium Deorum ſimulachris, qua nihil divinitatis habent, Deum verum colant, & quem miſit JESUM Chriſtum.* Tum juſſit eum Valerianus deduci ad Templum Martis, ibique capitalem in eum ſententiam, ni Marti ſacrificaret, ex tabella recitari. Stephanus verò imperterriti animi vir, erectis in cœlum oculis, alta voce ſucclamavit: *Domine DEUS Pater, qui turrim confuſionis in Babylone deſtruxiſti, deſtrue hunc etiam locum, infami Deorum cultu contaminatum, ut tibi, Soli Deo, vivo, & vero, honor ſit & gloria.* Mox fulgura coruſcare, tonitrua audiri, fulmina cadere, terra cum templo contremiſcere, Martiſque delubrum decidere. Militibus hinc inde diffugia quærentibus, Stephanus ſolus cum ſuis in oratione ſtetit. Perrexit deinde ad proximum Lucinæ cœmeterium ad ſuos, quos divinis præceptis roboratos, ac Chriſti corpore refectos, ad martyrii palmam hortatus eſt. Valerianus rerum edoctus, iraque ſuccenſus, rurſum milites ad perdendum Stephanum expediri mandat. Hi Sanctum Pontificem in cryptis ſacrificantem invenientes, finito myſterio, intrepidum atque conſtantem, ante Altare ſua in ſede ſecuri percuſſerunt, die 2. Auguſti, Anno Salutis 261. Pontificatûs ſui tertio. Corpus unà cum ſede conſperſa Martyris ſanguine à Clericis ſepultum eſt in cœmeterio Calliſti.

Oratione Martis Templum cum idolo dejicit.

Securi ſui in Sede percutitur.

SCRIPTA.

Ejus Scripta.

Scripſit duas Epiſtolas, quæ extant tomo primo Conciliorum cum notis Binii; atque etiam inter Epiſtolas Cypriani. Oldoinus in additionibus ad Ciaconium, ubi de S. Stephano Papa agit, meminit tertiæ cujuſdam Epiſtolæ, quam idem S. Pontifex ad Luythobium Præſulem Moguntinum dediſſe fertur; alii negant, plures eum quàm duas ſcripſiſſe. Ego diſſidium hoc lectoris judicio diſcutiendum relinquo. Ejus Decreta collecta habes apud Gratianum, & alios.

ANNO CHRISTI CCLXI.

Imperatoribus VALERIANO, & GALLIENO Auguſtis.

DE

S. SIXTO II. Pontifice Maximo.

XXV.

Ejus Primordia.

SAnctus SIXTUS II. natione Græcus, Patria Athenienſis, vir doctiſſimus, ex Philoſopho factus Chriſti diſcipulus, Romæ inter Clericos vitam duxit regularem. Româ in Hiſpaniam Evangelii evulgandi causâ delatus, Laurentium ac Vincentium comites ſecum detulit, in Urbem rediens. Elapſo poſt obitum Stephani

Digitized by Google

phani menſe, electus eſt omnium votis Romanus Pontifex. Doctiſſimus juxtà ac ſanctiſſimus habitus eſt ab omnibus: quare Dionyſius Alexandrinus, qui illorum ſuffragabatur ſententiæ, qui dicerent ab hæreticis baptizatos, iterum baptizandos, erroris pœnitens, nolens ſua ſponte aliquid in re tam dubia decernere, Sixtum Pontificem, Supremum controverſiarum Judicem, conſulere decrevit, ſcriptis ad eundem litteris, quarum fragmenta recitat Euſebius. Decrevit inter alia, ut incruentum Miſſæ ſacrificium, nonnili in Altari conſecrato celebraretur.

Eligitur Pontifex.

Dionyſius Alexandrinus eum conſulit.

Decretum ejus de Miſſa.

Furente in electiſſima quæque Chriſti membra, ac eos præcipuè, qui Sacerdotalis ordinis erant, Valeriano; Sixtus à gentilibus delatus, quòd contra edicta Imperatoris, Chriſti fidem palàm prædicaret; & conventus in cœmeteriis ageret (quorum utrumque capitale erat) eo nomine comprehenſus, ad Martis fanum, ut delubro ſacra faceret, pertrahitur. Quam impietatem modis omnibus deteſtatus, capitis ultimo ſupplicio plectendus damnatur. Euntem ad martyrium, Laurentius Archidiaconus in lachrymas effuſus, alloquitur in hunc modum: *Quo progrederis ſine filio pater? quo Sacerdos ſancte ſine miniſtro properas?* Cui Sixtus: *Non ego te, fili, deſero, neque derelinquo; ſed majora te manent pro Chriſti fide certamina: nos, quaſi ſenes, leviori agone confligimus: te, quaſi juvenem, manet glorioſior de Tyranno triumphus: poſt triduum me ſequeris, Sacerdotem Levita. Intereà, ſi quid in theſauris habes, pauperibus diſtribue.* Hæc locutus ad ſupplicii locum contendit: ubi, unà cum aliis ex ſacro ordine, gladio percuſſus, nobiliſſimam martyrii coronam accepit, die 6. Auguſti, Anno Salutis 262. Anno ſui regiminis primo. Sepultus via Appia in cœmeterio Calliſti.

Ob Chriſti fidem comprehenditur, & capitis damnatur.

Colloquium Sixti & Laurentii.

Martyrio coronatur.

SCRIPTA.

Duas ſcripſit Epiſtolas: unam ad Gratum Epiſcopum, in quâ plura de æterna Filii ex Patre generatione habet. Alteram ad Epiſcopos Hiſpaniarum; qua illos ad unitatem, & Apoſtolicarum traditionum obſervantiam hortatur; prohibetque alterius Parochiæ, vel Diœceſis aliquem ordinari, vel judicari. Ambæ extant Tomo I. Epiſtolarum pontificiarum; & Tomo I. Conciliorum cum notis Binii. Ejus Decreta collegit Gratianus, & alii.

Ejus Scripta.

Dicitur quoque ſcripſiſſe Librum Sententiarum, ſive proverbiorum (qui citatur à S. Auguſtino Libro *de Natura & Gratia cap.64.*) & extat in Tomo 5. Bibliothecæ Patrum editionis Colonienſis 2. Quid verò de hoc Libro ſentiat eruditiſſimus Bellarminus, aperit ipſe his verbis: *Caterùm Liber Sententiarum falsò tribuitur S Sixto martyri, cùm ſit Sixti Philoſophi Ethnici, ut S. Hieronymus demonſtrat in Epiſtola ad Cteſiphontem; & in cap.22. Jeremiæ, & in cap.18. Ezechielis. Et S. Auguſtinus lib. 2. Retractationum cap.24. retractat locum citatum in lib. de Natura & Gratia. Denique Gelaſius in Concilio 70. Epiſcoporum reprobat Librum Proverbiorum ſub nomine Sixti ab hæreticis conſcriptum: dicit autem ab hæreticis conſcriptum, quia Ruffinus Presbyter Aquileienſis, Hieronymo coævus, eum librum plenum erroribus convertit ex Græco in Latinum,* E *& ſan-*

Liber Sententiarum falsò inſcriptus Sixto.

& ſancto Sixto attribuit. Idem de eodem libro ſentit Alphonſus Ciaconius in calce vitæ S. Sixti Papæ & Martyris, hujus nominis Secundi. Ejus verba hæc ſunt : *Circumferebatur Hieronymi & Auguſtini ſæculo, Liber Pelagii, inſcriptus* Liber S. Sixti Papæ & Martyris, *ut gregem Chriſtianum ejus mentito nomine faciliùs deciperet. Sed fallaciam primus detexit Hieronymus ; Auguſtinus autem ſeriùs , ut in Libro de libero arbitrio contra Pelagianos, & in Retractationibus teſtatur. Dicit autem ibi S. Auguſtinus, Librum illum Sixti Ethnici Pytagorici eſſe, non Sixti Chriſtiani. Detecta igitur per Hieronymum & Auguſtinum fraus Pelagii, & ab impoſtura B. Sixtus vindicatus.* Hæc Ciaconius , cui in additionibus conſentit Auguſtinus Oldoinus.

Bellarmino conſentit Ciaconius, & Oldoinus.

ANNO CHRISTI CCLXII.

Imperatoribus VALERIANO & GALLIENO, M.AURELIANO & CLAUDIO Auguſtis.

DE

S. DIONYSIO Pontif. Maximo.

XXVI. *S. Dionyſius doctrina & ſanctitate fulgens Pontifex eligitur*

SAnctus Dionyſius, monachus Græcus, ſeu potiùs Anachoreta, ut qui aliquando vitam ſolitariam , Ciaconio teſte, egerit. Is ex monacho cooptatus in Presbyterum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ (ut teſtatur S. Hieronymus in Libro de Script. Eccleſ. in Dionyſio Alexandrino) cùm doctrina & vitæ ſanctitate apprimè fulſiſſet , poſt Sixti obitum in Petri ſolium ſublimatus eſt. Hic convocata Synodo , Dionyſium Alexandrinum perperàm à nonnullis æmulis accuſatum defendit ; ſcripſitque contra Paulum Samoſatenum Epiſcopum Antiochenum, hæreticum, qui mutuatus à Sabellio venenum, nullam in Deitate perſonarum diſtinctionem admittebat : Chriſtumque hominem purum, excluſa omni deitate, aſſerebat. Hujus damnationem, in Synodo Antiochena factam, Dionyſius Pontifex confirmavit, ratamque habuit. Beatiſſimæ Virgini Deiparæ, affectu ſingulari , quoad vixit, addictus enituit. Denique multis pro Eccleſia Dei exantlatis laboribus , in pace quievit Romæ die 26. Decembris, Anno à Chriſto nato 273. Sedis ſuæ Anno XI. Ejus corpus ſepultum fuit in cœmeterio Calliſti via Appia.

Scribit contra Paulum Samoſatenū.

Sanctā morte obit.

S C R I P T A.

Ejus Scripta.

Edidit contra Sabellianos præclarum Commentarium,
Item Tractatum contra Arianos, ut teſtatur S. Athanaſius.
Epiſtolas pariter duas ſcripſit : unam ad Urbanum.
Præfectum ; alteram ad Severum Cordubenſem Epiſcopum.
Librum etiam compoſuit de ſitu Orbis.
Ejus decreta extant apud Gratianum, & alios.

ANNO

ANNO CHRISTI CCLXXIII.
Imperatore MARCO AURELIO VALERIANO JUNIORE Auguſtis.

DE

S. FELICE I. Pontifice Maximo.

SAnctus FELIX I. Conſtantii filius, Romanus, *Vir fuit omnium virtutum laude inſignis* (ut de eo ſcribit Euſebius) *re & nomine Felix.* Hic ex Clericorum regularium ordine, quorum vitam profeſſus fuerat, poſt Dionyſium aſſumptus ad Pontificatum, celebrem Eccleſiam, Divo Pancratio ſacram, erexit via Aurelia, ſecundo ab Urbe millario, propè cœmeterium Callepodii. Templorum conſecrationes inſtituit, ex Volaterrano, atque ſupra Martyrum ſepulchra, ſeu memorias, celebrari miſſas juſſit. Verùm hujuſmodi inſtitutionem longè ante Felicis Papæ tempora in Eccleſia viguiſſe, tam Græci, quàm Latini Scriptores atteſtantur; aſſerentes, *Sepulchra martyrum fuiſſe Altaria, ac ſuper ea, offerri conſueviſſe ſacrificia, à primis Eccleſiæ Patribus.* Felix ergo decreto ſtabiliviſſe videtur, quod anteà, abſque præſcripto canone, traditione tantùm ſimpliciter ſervabatur.

XXVII. *S. Felicis primordia.*

Templorum conſecrationes decreto ſtabilit.

Inſiſtens etiam Prædeceſſorum veſtigiis, nihil antiquius habuit, quàm inſurgentes hinc inde hæreſes profligare. Quamobrem, cùm recens vulnus à Paulo Samoſateno hæreſiarcha, catholicæ veritati eſſet inflictum, nondum plenè extincto errore Sabellii, qui unam tantùm in divinis mentiebantur perſonam; ex quo falſiſſimum illud ſequebatur: Patrem ſimul & Spiritum ſanctum cum filio carnem humanam ſumpſiſſe, ac etiam crucifixos fuiſſe. Felix utriusque Erronis peſtiferum dogma uno quaſi ictu profligaturus, Epiſtolam ſcripſit ad Maximum Alexandrinum, graviſſimis rationum momentis, & ſacrarum in primis litterarum auctoritate munitam, qua ſacrilega Pauli juxtà ac Sabellii deliramenta planè confodit, damnavitque. Citatur hæc Epiſtola à S. Cyrillo adverſus Neſtorianum: & laudatur tam in Apologia, quàm in Actis Concilii Epheſini.

Errores Sabelli & Samoſateni convellit, & damnat.

Motâ verò ab Aureliano Juniore in Chriſtianos horribili perſecutione, Felix anno pontificatus ſui ſecundo, quòd multos gentilium ad Chriſti fidem perduxiſſet, ab infidelibus tentus, Idoliſque immolare juſſus, cùm impietatem execraretur, capitali ſententia punitus eſt, die 30. Maij Anno ſalutis 275. ſepultus via Aurelia, in Eccleſia S. Pancratii à ſe condita.

Ob Chriſti fidem capitali ſententia punitur.

SCRIPTA.

Scripſit Epiſtolas decretales quatuor, quas Binius notis illuſtratas, primo Conciliorum tomo inſeruit. Quarum unam dedit ad Magnum Epiſcopum. Duas tantùm habet Joverius in ſua collectione.

Ejus Scripta.

ctione. Quædam Epiſtolæ extant manuſcriptæ in archivio Arelatenſi; certum tamen non eſt, primine ſint an ſecundi Felicis? Nonnulli, licèt inſigniter eruditi viri, Epiſtolam Maximo Alexandrino à Felice hoc Papa datam contra Paulum Samoſatenum, & Sabellium (cujus fragmentum extat actione prima Concilii Calcedonenſis, & apud Cyrillum) Felici ſecundo tribuunt, qui vixit ſub Conſtantino Imperatore, decepti, quia tam in Synodo Calcedonenſi, quàm apud Cyrillum, poſt Epiſtolam Julii Papæ attexitur fragmentum, quod extat, Epiſtolæ Felicis Pontificis. Sed Baronius doctiſſimè horum errorem confutat, & Felici primo fragmenta illa, ut revera ſunt, tribuit. Hujus Pontificis Decreta apud Ivonem, Gratianum, aliosque Canoniſtas leguntur.

ANNO CHRISTI CCLXXV.

Imperatoribus Aureliano Juniore, Claudio Tacito, Valerio Probo, Aurelio Caro, & filiis ejus Carino & Numeriano Auguſtis.

DE

S. EUTYCHIANO Pontif. Max.

XXVIII. *Pontifex eligitur.*

SAnctus Eutychianus Etruſcus, patria Lunenſis, Marino patre genitus, Felice per martyrium ſublato, Pontificatum adeptus eſt. Hic cùm eſſet vir probus, eruditus, ac Spiritu ſancto plenus, multa pro Eccleſia Dei graviter, ſanctèque conſtituit: inter alia, ut carnes, fruges, fabæ, uvæ, aliaque id genus obſonia in Altari à Sacerdote benedicerentur: idque fecit ex eo capite; ut erroribus Manichæorum adverſaretur, qui à malo principio creaturas ejuſmodi exortas dicerent, atque eas execrabiles affirmarent. Hinc à plantis, caſeo, lacte, vino, carnibus & mactationibus peculium abſtinebant, ut S. Epiphanius Lib. 2. hæreſi 66. tradit. Quas igitur creaturas Manichæi execrabantur, iisdemque maledicebant: has è contrario Eutychianus benedicebat, ſanctificabatque: voluitque, ut futuris temporibus id ipſum Sacerdotes in Eccleſia Dei, ſuo inſtructi exemplo & lege, peragerent. Qui quidem uſus, ut obſervat Ciaconius, jam antè viguit in Eccleſia, ſic, ut non primus habendus ſit Eutychianus, qui hæc ſervanda ſtatuerit, ſed potiùs ſuo decreto, noviter edito, roborarit. Conſtituit prætereà, ut nullus fidelium Martyrem quemvis abſque Dalmatica, & Colobio purpurato ſepeliret. Colobium veſtis erat ſine manicis, ut eſt Dalmatica, qua hodienum Levitæ ad aram utuntur. Porrò, adeò inſignis pietate hac extitit Eutychianus, ut trecentorum quadraginta duorum Martyrum corpora, diverſis in cœmeteriis, propriis manibus ſepeliſſe feratur. Quibus denique ipſe pro mercede ſociatus, ſub Numeriano Imperatore, martyrio coronatus eſt, die 8. Decembris, Anno 283. ſui regiminis octavo. Sepelitur via Appia in cœmeterio Calliſti.

Rerum comeſtibilium benedictionem; Decreto confirmat.

Defunctorū ſepulturæ ſtudet.

Martyrio coronatur.

SCRI.

SCRIPTA.

Duarum, quas ſcripſit, Epiſtolarum unam ad Joannem Hiſpalenſem, & ad omnes Bæticæ Epiſcopos dedit, quæ paratum adverſus Pauli Samoſateni venena antidotum habet: alteram ad Siciliæ Epiſcopos, qua modum in accuſationibus tenendum, Clericis præſcribit. Tres huic Pontifici Epiſtolas Vaſæus tribuit, alii etiam plures. At Baronius, Joverius, Gruterus & Cardinalis Caraffa duas tantùm Eutychiani Epiſtolas notis Binii illuſtratas agnoſcunt: reliquas verò ut ſuppoſititias, ac falsò ejus nomine ornatas, rejiciunt. *Ejus Scripta.*

ANNO CHRISTI CCLXXXIII.
Imperatoribus CARINO & NUMERIANO, DIOCLETIANO & MAXIMIANO Auguſtis.

DE

S. CAJO Pontifice Maximo.

XXIX.

S. Cajus nobiliſſimo genere ortus, Pontifex eligitur.

SAnctus CAJUS, natione Dalmata, ex nobiliſſimo ortus genere, patrem habuit Cajum Maximum, Diocletiani Imperatoris fratrem; & matrem Serenam, Philippi Romani Principis, qui primus Chriſtianus Imperator Romanus dignoſcitur, filiam. Cajus, cùm eſſet vir magnæ prudentiæ, eximiæque virtutis, ac vitæ continentiſſimæ, ſummo Sacerdotio auctus eſt, poſt ſublatum martyrio Euthychianum. Hic ordinaturus Clerum conſtituit, ut his honorum gradibus in Eccleſia Dei aſcenderetur ad Epiſcopatum; Oſtiarii, Lectoris, Exorciſtæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri. Idem quoque (ut quondam Fabianus) regiones diviſit Diaconis, qui res geſtas martyrum conſcriberent. Conſtituit etiam, ne prophanus quiſpiam ſacris initiatum in judicium vocaret: Neve paganus, aut hæreticus, accuſandi hominem Chriſtianum, jus haberet. *Ejus Inſtituta & Decreta.*

Martyrium S. Gabini, & Suſannæ.

Erat Cajo Pontifici frater germanus, Gabinus dictus, qui viridiori ætate uxorem duxerat ſummo loco natam, ex qua filiam ſuſtulerat elegantis formæ, nomine Suſannam. Uxore defunctâ, hortatu Caij, cælibem vitam duxit; ac Suſannam unicam filiam, legibus Chriſtianis imbutam, ſanctiſſimè educavit. Ipſe verò quotidianis increſcens virtutibus, Sacerdotio inauguratus eſt: & quia doctrinâ ſingulari polleret, defenſionem pro Religione Chriſtiana adverſus gentiles edidit. Inter hæc Diocletianus Auguſtus, cùm Galerium Maximianum, Cæſarem declaraſſet, conſortemque Imperii conſtituiſſet, volens eum arctiori vinculo connubii conſtringere, Suſannam virginem illi deſpondet, quòd nullam haberet generis ſui propinquiorem. Exquiritur conſenſus Gabini genitoris, Patruique Caij, ac Suſannæ filiæ. Datur locus triduanæ deliberationis. Virgo reſpuit nuptias, quamvis Auguſtas, dicens: nolle

ſe Chriſti thorum immaculatum, mortali conjugio fœdare. Conſentit pater, patruusque, virginemque in propoſito confortant. Quare inexorabilis ad blanditias, imperterrita ad minas, furente Auguſto, gladio cæditur paternis in ædibus. Gabinus non multò pòſt & ipſe comprehenſus, ac carceri mancipatus, quum nulla arte à Chriſti cultu dimoveri poſſet, virgis cæſus, amputatione capitis martyrium complevit.

Cajus ob Chriſti confeſſionem capite plectitur.

Cajus, progrediente tanta perſecutione, quanta nunquam anteà, ſibi ac Chriſti gregi conſulens fugit, latuitque in cryptis ac ſpeluncis annis minimum octo, non ob metum mortis, quam unicè pro Chriſto exoptaverat, ſed ut fidelibus undique impugnatis, commodaret, præſentique ſolatio eſſet. Diocletianus ea re offenſus, conquiri Cajum jubet, ſibique ſiſti. Inventus, cùm cultum inanium Deorum conſtanter execraretur, Chriſtumque unicum verum Deum profiteretur, Auguſti juſſu, capite plexus eſt, die 22. Aprilis, Anno Salutis 296. Pontificatûs ſui anno duodecimo ſupra menſes quatuor, dies quinque. Ejus ſacrum corpus in Calliſti cœmeterio mandatum terræ.

SCRIPTA.

Ejus Scripta.

Scripſit Epiſtolam unicam ad Felicem Epiſcopum, quæ invenitur in tomo primo Conciliorum, annotationibus Binianis exornata, notisque illuſtrata noviſſimè à Cæſare Becillo, Congregationis Oratorii Romæ Presbytero. Decreta Caij leguntur apud Gratianum, Ivonem, Carranzam, aliosque.

ANNO CHRISTI *CCXCVI.*

Imperatotibus DIOCLETIANO, & MAXIMIANO Auguſtis.

DE

S. MARCELLINO Pontif. Max.

XXX.

S. Marcellinus Pontificatum adeptus, rem Chriſtianam ſedulò curat.

SAnctus Marcellinus, Projecti filius, Romanus, poſt Cajum capite truncatum, univerſalis Eccleſiæ regimen adeptus, non ſolùm Chriſtianos Romæ præſentes viva voce ad conſtantiam fidei animavit, verùm etiam abſentes, longeque diſſitos ad martyrium fortiter pro Chriſti nomine ſubeundum ſcriptis litteris hortatus eſt. Quin & hæreſes, è ſchola dudum damnati Samoſateni progreſſas, quoad licuit, repreſſit.

Horrenda Chriſtianorum perſecutio.

Tanta vèrò hujus Pontificatu, in Chriſtianos mota eſt perſecutio, ut ſeptendecim eorum millia, intra menſem unum per diverſas Imperii Romani Provincias exquiſitis ſuppliciis affecta memorentur, præter eos, qui effoſſo altero oculo, crureque diffracto, vel ſiniſtro poplite inciſo, aut candente ferro debilitato ad metalla, arenamque damnati fuerant: quorum numerus identidem

multa

multa millia comprehendebat. In una Roma exiguo tempore quinque millia promiſcui ſexûs, pro Chriſti gloria, ſcorpiones, flagra, cruciatus, cruces, inaudita tormenta, cædem, flammas, omneque teterrimæ mortis genus paſſi interiêre: ſecabantur, exurebantur, dilacerabantur, feris ac belluarum laniatibus objiciebantur, ut tradunt Euſebius *l.9.c.31.* Oroſius *l.7.c.35.* Nicephorus *l.7.c.6.* & Martyrologia paſſim omnia.

Inter tot anguſtias, ac rei Chriſtianæ perturbationes, Marcellinus Pontifex à Maximiano Auguſto blanditiis & terroribus circumventus, ſimulato ad tempus animo, Deorum ſimulacris nonnulla thuris grana adhibuit. Cujus flagitii tantoperè mox illum pœnituit, ut Sinveſſam ad Concilium centum octoginta Epiſcoporum venerit, totus ſquallidus, cilicioque indutus, ac caput cinere adſperſus: ubi profuſus in lachrymas, ſceleris admiſſi gravitatem palàm confeſſus eſt. Quem tamen damnare auſus eſt nemo; ſed omnes una voce clamarunt: *Tuo te ore, non noſtro judicio judica: nam prima ſedes à nemine judicatur. Petrum quoque propter eandem animi infirmitatem deliquiſſe, & à Deo ſimilibus lachrymis veniam impetraſſe.* Marcellinus è Concilio Romam reverſus, Imperatorem adit, graviter eum objurgans, quòd ſe ad tantam impietatem impuliſſet. Quam ob rem ille Marcellinum, martyrii cupidiſſimum, unà cum tribus aliis Chriſtianis, Claudio, Cyrino & Antonio, capite plecti jubet, die 26. Aprilis, Anno Chriſti 304. regiminis Marcellini anno octavo propè completo. Quorum projecta corpora, cùm triginta ſex dies, juſſu Maximiani, ad terrorem fidelium, inſepulta jacuiſſent, beatus Marcellus à S. Petro in ſomnis admonitus, Presbyteris & Diaconis, hymnis ac luminibus admotis, honorificè ſepelienda curavit in cœmeterio Priſcillæ via Salaria.

S. Marcellinus labitur, reſurgit, ſeq; Concilio veſt ſiſtit.

Vetrò ad martyrium properat.

S C R I P T A.

Duas ſcripſiſſe Epiſtolas reperitur hic Pontifex, quæ extant tomo I. Epiſtolarum pontificiarum, & apud Binium tomo I. Conciliorum: unam, quam primo ſui pontificatus anno dedit ad Salomonem Epiſcopum, qui illum conſuluerat de hæreticis nuper emergentibus: alteram, quam dedit ad Epiſcopos Orientis, qua illos hortatur, ne Eccleſiæ litigia apud profanos Judices dirimant. Ejusdem Decreta referunt Gratianus, Ivo Carnotenſis, aliique Decretorum Collectores.

Ejus Scripta.

ANNO CHRISTI CCCIV.

Imperatoribus CONSTANTIO CHLORO, GALLERIO MAXIMIANO, & AURELIO MAXENTIO Auguſtis.

DE

S. MARCELLO I. Pontif. Max.

SAnctus Marcellus I. Benedicti filius, Romanus, in occiſi Marcellini locum ſubrogatus, rem Chriſtianam horrendis perſecutionibus jactatam, mireque afflictam, magna animi conſtantia XXXI.

Pontifex electus, rem Chriſtianam mirè procurat. Lucinam & Priſcillam coadjutrices nanciſcitur. Multa præclari operatur.

ſtantia erexit. Scripſit Epiſtolam graviſſimam de Primatu Eccleſiæ Romanæ ad Epiſcopos Antiochenæ Provinciæ, quam caput Eccleſiarum appellandam demonſtrat: ubi etiam illud inſinuat; nullum Concilium jure celebrari, niſi ex auctoritate Romani Pontificis. Ejus hortatu Lucina miræ probitatis fœmina Romana, bonorum ſuorum Dei Eccleſiam fecit hæredem. Priſcilla religioſiſſima pariter matrona, eo auctore, cœmeterium ſuis ſumptibus extruendum via Salaria curavit. In Urbe viginti quinque titulos inſtituit, quaſi diœceſes quaſdam, tùm ad Martyrum ſepulturam, tùm ad baptiſmum, & pœnitentiam eorum accommodatas, qui repudiatis falſis diis, Chriſto Domino adhærerent. Beati Marcellini Papæ corpus ex cœmeterio Priſcillæ in Vaticanum tranſtulit, & juxta Beatum Petrum, ejus Oraculo monitus, ſepelivit.

Ad curam beſtiarum damnatus, officium boni Paſtoris non intermittit.

Cognitis his Maxentius graviter offenſus, Marcello in carcerem detruſo ſupplicia quæque minatur, niſi depoſito mox Pontificatu, ejuratoque Chriſto, Idolis immolaret. Qui cùm nefanda inſani hominis juſſa contemneret, fuſtibus cæſus in catabulum ad curam beſtiarum, quæ publicè alebantur, gerendam mittitur. Ibi aſſiduis jejuniis & precibus intentus vitam novem menſes duxit omni morte acerbiorem, Parochias, quas præſens non poterat, viſitans per epiſtolas omni paſtorali ſolicitudine plenas. Inde à Clericis, inſcio Maxentio, ereptus, hoſpitioque à beata Lucina receptus, ejusdem ædes in Eccleſiam dedicavit, quæ hodie titulo S. Marcelli nominatur: in qua Chriſtiani ſtatis temporibus convenientes, ſacris operante Marcello, hymnis, precibus, concionibus vacabant.

Ærumnis pro Chriſto confectus moritur.

Quibus per exploratores ad Maxentium delatis, majori percitus ira, catabuli beſtias in eam Eccleſiam transferri, & à Marcello, omni humano ſubſidio deſtituto, cuſtodiri jubet. Ubi amictu indutus cilicino, intolerabili loci fœditate, multisque opprobriis ac ærumnis afflictus, enectusque, ab animalium conſortio ad frequentiam Angelorum feliciter migravit die 16. Januarii Anno Salutis 309. Pontificatus ſui anno quinto, vel, ut aliis placet, ſexto. Ejus corpus in cœmeterio Priſcillæ via Salaria, à beata Lucina ſepultum eſt.

S C R I P T A.

Scripta.

Duas ſcripſit Epiſtolas, quæ extant apud Binium cum notis. Primam dedit ad Epiſcopos Antiochenæ Provinciæ, de Primatu Eccleſiæ Romanæ, ut ſuprà diximus. Alteram ad Maxentium Tyrannum. Ciaconius alias duas refert: quæ an genuinæ ſint Marcelli, an ſuppoſititiæ, fateor me ignorare. Certè Oldoino eas non probari, ex his ejus verbis colligitur: *Illæ verò Epiſtolæ, quas Ciaconius huic Romano Pontifici tribuit, dubiæ ſunt fidei apud Baronium, cùm non aptè conſignatæ ſint Conſulibus, atque parùm ſibi cohæreant.* Refert idem Ciaconius in vita Marcelli, decem hujus Pontificis decreta extare collecta à Gratiano in Canonum Codice.

ANNO

ANNO CHRISTI CCCIX.

Imperatoribus GALERIO MAXIMIANO, AURELIO MAXENTIO, & CONSTANTINO MAGNO Auguſtis.

DE

S. EUSEBIO Pontifice Maximo.

Sanctus EUSEBIUS, natione Græcus, ortum habuit Conſignanæ, non incelebri magnæ Græciæ Urbe. Hic parentis Medici veſtigia ſecutus, ante pontificatum, medicinæ operam dedit, multumque ea in arte profecit, ut refert ex Paulo Gualterio, Malaterra, aliisque Oldoinus in additionibus ad Ciaconium. Romanus Pontifex in Marcelli locum electus, nonnulla edidit decreta, in Codicem Canonum à Gratiano relata. Inter alia ſtatuit: ut incruentum Miſſæ ſacrificium nemo Sacerdotum in ſerico panno, aut tincto coloribus celebrare præſumeret, ſed in puro, lineo, & candido: ſicut corpus Chriſti in ſindone linea & munda ſepultum fuit. Quod & S. Silveſter I. Papa poſteà confirmaſſe memoratur. Hæreticos Donatiſtas reſipiſcentes, ac pœnitentes, ſolâ manuum impoſitione, Eccleſiæ reconciliavit. Crudeliſſimos Chriſtiani nominis perſecutores Maximianum & Maxentium, hunc à Conſtantino magno interfectum, illum à Deo ulcere peſſimo percuſſum vidit. Reddita Eccleſiæ pace, cùm ſediſſet annos duos, menſes ſeptem, dies ſedecim, ſancto ſiccoque fine quievit, die 26. Septembris anno Chriſtiano 311. ſepulturam nactus in cœmeterio Calliſti.

XXXII. Ante Pontificatum medicinæ operam dat. Pontifex effectus plura ſalubriter ſtatuit. Reddita Eccleſiæ pace ſancti decedit.

SCRIPTA.

Epiſtolas decretales tres ſcripſit, quas refert notis ſuis illuſtratas Binius, & Cardinalis Caraffa: communiter tamen duas tantùm Euſebio tribuunt Epiſtolas; quarum unam ad Galliæ Epiſcopos, alteram ad Ægyptios dedit: tertiam falsò huic Pontifici adſcriptam Ferrarius putat. Ejus decreta extant apud Ivonem Carnotenſem, Iſidorum Mercatorem, Burchardum Wormatienſem, Gratianum, Barboſam, & alios Canoniſtas.

Scripta.

ANNO CHRISTI CCCXI.

Imperatore CONSTANTINO MAGNO Auguſto.

DE

S. MELCHIADE Pontif. Max.

XXXIII. *Lateranenſes ædes inhabitandas accipit.* SAnctus Melchiades, natione Afer, Euſebii in regimine univerſalis Eccleſiæ Succeſſor, primo ſui Pontificatûs anno, Lateranenſes ædes liberaliſſimo Imperatore Conſtantino Magno inhabitandas accepit, dono deinde S. Silveſtro cum omni jure ab eodem Principe in perpetuum conceſſas. *Ejus ſtatuta.* Hic decreto ſtabilivit, ut candelabra ſaltem duo in Altari ardeant, dùm incruentum Miſſæ ſacrificium immortali Deo libamus. Inſtituit etiam, ut nulla deinceps ratione, die Dominico, aut quinta feria, jejunium à fidelibus publicum ageretur: quòd gentiles his diebus ſua jejunia, ut ſacra celebrarent; ne cum eis Chriſtiani convenire, aut profanos eorum ritus imitari viderentur. Modum præterea excogitavit, quo Donatiſtæ, qui Majorano contumaci ſectario favebant, Catholicæ unirentur Eccleſiæ, teſte Auguſtino, qui ob id eum, recenſitis primùm laboribus, *virum optimum, ſanctum, manſuetum, filium Chriſtianæ pacis, & patrem Chriſtianæ plebis* nominat. *Donatiſtas reducere conatur.* Veteres Donatiſtas, ac eos, quo ſuo tempore reſipiſcere nollent, latâ ſententiâ ab uſu Catholicæ communionis removit. Denique rectè, ſanctèque adminiſtrata Eccleſia, cùm eam ampliſſima gloria, fœtu nempe novo, ac fide Chriſtiani Imperatoris Conſtantini illuſtratam, extincta Tyrannide, vidiſſet, inſtar Simeonis illius Evangelici gaudens, Deumque collaudans, ſpiritum Deo reddidit, die 10. Decembris, anno Domini 313. regiminis ſui ſecundo, vel, ut aliis placet, tertio. *Sancta morte decedit.* Sepultus in cœmeterio Calliſti via Appia.

Hic tamen (ne neſcius ſit lector) in antiquis Eccleſiaſticis monumentis, & apud plurimos tum veteres tum recentiores Scriptores titulo Martyris inſignitus reperitur, more majorum, quòd qui perſecutionis tempore perpeſſus ſit pro Chriſti fide tormenta, licèt ſuperſtes in pace quieverit, Martyr appellari conſueverit. *Martyris titulo cur decoretur?* Cùm igitur Melchiades acerbiſſimorum Perſecutorum temporibus, in fide perſtans Romæ vixerit; idemque in Eccleſiaſticis antiquis monumentis titulo Martyris decoratus, inveniatur, tale quid eſſe paſſum, ut Martyris nomine dignus fuerit, exiſtimandum eſt, ait Baronius; eodemque ſemel indito titulo, perſeveraſſe nomen ejus in Eccleſia recenſeri.

SCRIPTA.

Ejus Scripta. Cæterùm unam ſcripſit Epiſtolam, quam notis decoravit Binius. Hæcque data fuit ad Marinum, Benedictum, Leontium, aliosque Hiſpaniarum Præſules, *de Primatu Sedis Romanæ:* in qua de multis eos commonet, & eorum quæſtioni, *utrum majus Sacramentum ſit impoſitio manus Epiſcoporum, ſeu Confirmatio, an Baptiſmus?* doctè ſatisfacit. Falsò verò adſcribitur Melchiadi Epiſtola de primitiva Eccleſia, & munificentia Conſtantini Magni Imperatoribus, teſte Binio. Decreta, quæ edidit, apud Gratianum, Iſidorum, Ivonem, aliosque invenies.

ANNO

ANNO CHRISTI CCCXIV.
Imperatore CONSTANTINO MAGNO Auguſto.

DE

S.SILVESTRO Pontif. Maximo.

SAnctus Silveſter, Romanus, Rufino patre, matre Juſta Sanctorum faſtis adſcripta, natus, Cyrino Presbytero puer ſeptennis piè educandus, litteriſque inſtituendus traditur: cujus doctrinam & mores egregiè imitatus, trigeſimo ætatis anno Presbyter Romanæ Eccleſiæ à Marcellino Pontifice creatur. Quo in munere, cùm virtutibus ac eruditione aliis Clericis longè antecelleret, Melchiade vitâ functo, ſummus Pontifex omnium ſuffragio deſignatur. Suſcepta univerſalis Eccleſiæ gubernatione, multa memoratu digna geſſit, & inſtituit: Atque in primis Conſtantinum Magnum, Chriſti dogmate imbutum, in ovium ſuarum gregem, cujus Lupos piiſſimus Princeps anteà ſuſtulerat, admiſit; ac ſacris ablutum undis, leprâ corporis, animique ſuperſtitione, queis tenebatur, liberavit; totumque denique Imperium, ultrò volente Conſtantino, Deo vero, omnium primus inauguravit. Judæos duræ cervicis homines,publica diſceptatione inſtituta, coràm Cæſare ejuſque matre Helena convicit; cujus rei gratiâ Taurum ab ipſiſmet Judæis occiſum, redivivum reddidit his verbis: *Si Jeſus Chriſtus, quem ego prædico, verus eſt Deus, de Virgine natus, ſurge protinùs, & abjecta feritate conſiſte.* Agno manſuetior,ſtupentibus cunctis, illicò ſurrexit Taurus in pedes; Judæiſque fidem, quam Silveſter adſtruxerat, veram Judæis comprobavit. Romanam Calpurnii Præfecti Urbis filiam, inter Romanas virgines nobiliſſimam, cœleſti lavacro cum ingenti gentilium caterva expiavit, Chriſtoque ſponſam peperit. Innumeris aliis, eodem ſacro lavacro, corporis feces, ac mentis tenebras abſterſit. Draconem miræ magnitudinis, qui in ſpecu ad Tarpeium montem morabatur, & lethali halitu ſæpè mortales effaſcinabat ad mortem, unico crucis ſigno interemit. Aliaque id genus miranda plurima, quibus obcæcatis mentibus veritatis lumen inſtillaret, patravit. Arium cum ſequacibus, coactâ Nicænâ & Romanâ Synodo, condemnatum Eccleſiâ ejecit.

XXXIV. *Ejus primordia.* *Conſtantinũ Magnum Deo aſſerit.* *Pluramiranda patrat.* *Arium damnat.*

Edidit etiam quamplurima decreta, Eccleſiæ Dei ſummoperè ſalubria: inter alia; ut chriſma à ſolo Epiſcopo conficeretur: ut Presbyter chriſmate baptizati ſummum liniret verticem: ut Diaconi dalmaticis in Eccleſia, & palla linoſtina ad lævam uterentur: ut in lineo tantùm velo (vulgariùs Corporali) ſacrificium Altaris conficeretur. Præſcripſit quoque tempus omnibus, qui ſacris ordinibus initiati eſſent, exercendi ſingulos ordines in Eccleſia, antequam quiſque ad altiorem gradum aſcenderet: ut laicus Clerico non inferret crimen: ne clericus ad profanum Judicem cauſam diceret: ne Clerici inferioris gradûs, eos, qui ſuperioris ordinis eſ-

Salubria edit Decreta.

Dies hebdomadæ feriarum nomine diſtinquit: & cur? ſent, accuſare præſumerent. Rursùm, Sabbati, & Dominici diei nomine retento, reliquos hebdomadæ dies Feriarum nomine diſtinctos, ut jam antè in Eccleſia vocari cœperant, appellari voluit; quo ſignificaretur (ut Haræo placet) quotidiè Clericos, abjectâ cæterarum rerum curâ, uni Deo prorſus vacare debere. Huic cœleſti prudentiæ, inſignis vitæ ſanctitas, & benignitas in pauperes perpetuò *Ejus in omnes benignitas.* reſpondit. Quo in genere providit, ut Clericis copioſis egentes jungerentur: & ſacris virginibus, quæ ad victum ipſis neceſſaria eſſent, ſuppeditarentur. Par ejus in peregrinos & advenas, Romam Chriſti cauſa adventantes, comitas, amor, pietaſque eluxit, quorum neceſſitati atque indigentiæ, quotidianis, iiſque ampliſſimis diſtributionibus, dum vixit, patris inſtar amantiſſimi conſuluit. Ædificia ſacra, Templa, Cœnobia, Oratoria, Cœmeteria, numero, *Ingentes ſumptus in ſacra ædificia facit.* ſumptu, & arte magnificentiſſima; quæ partim ipſe erexit, dotavit, exornavitque; partim, ut à Conſtantino liberaliſſimo Principe quaquaverſum erigerentur auctor extitit, non commemoro; nuda dumtaxat Ciaconii hæc omnia expendentis verba in medium profero: ex quibus velut ex ungue leonem lector intelliget. Is narrationem ſuam de ſacris ædificiis à Conſtantino Magno, ſuaſu Silveſtri Pontificis, erectis, his verbis concludit: *Ex quibus omnibus Baſilicis & Eccleſiis conditis, ac theſauris in ſingulas erogatis, non ſolùm aquaſſe,* *Salomonem munificentia ſuperat.* *ſed & ſuperaſſe viſus eſt ſumptus Salomonis in templo Hieroſolymitano conſtruendo, ſi multorum impenſas uni ſoli templo conferamus. Quamquam enim Epolemus colligat quadragies ſexies centena millia Siclorum aureorum, in ea fabrica, & ornatu inſumpta eſſe, qui conficiunt centum octoginta quatuor milliones aureorum noſtratium, ut Budæus lib. 4. de aſſe ſupputat: ſi minutim expendamus ſingula, inveniemus longè plura Conſtantinum ſuaſore S. Silveſtro, quàm Salomonem erogaſſe, in innumera ſacra ædificia, quæ conſtruxit, & dotavit. Conatus namque eſt, ut conſtructa per Orbem templa Chriſtianorum celebriora, auguſtiora, numeroſiora eſſent, quàm ſana Gentilium ſumptuoſiſſima.* Hæc Ciaconius in vita S. Silveſtri.

Plenus meritis vitam concludit. Demùm celebratis multis in augmentum fidei, & Eccleſiæ Catholicæ emolumentum Conciliis Æcumenicis, poſtquàm ſediſſet annos viginti unum, menſes decem, & diem unum, ſanctitatis, ſanctæque factorum, & virtutum admirandarum laude clarus, deque Eccleſia univerſali optimè meritus, annoſa ætate, corporis vinculis ſolutus, ad præmium evolavit æternum, die ultima menſis Decembris, anno à Chriſto nato 335. Sepultus in cœmeterio Priſcillæ via Salaria, tertio ab Urbe milliario.

SCRIPTA.

Ejus Scripta. Epiſtolas varias divino ſpiritu plenas ſcripſit Silveſter, ut conſtat ex litteris ad eum ſcriptis ab Helena Imperatrice, teſte Joanne Pitſeo, ab Alexandro Patriarcha Alexandrino, Marino Archiepiſcopo decimo tertio Arelatenſi, Oroſio Cordubenſi Epiſcopo, Conſtantino Imperatore, & aliis. Ejuſdem Decreta extant apud Iſidorum, Ivonem Carnotenſem, Burchardum, Gratianum, & alios Decretorum collectores.

ANNO

ANNO CHRISTI *CCCXXXV.*
Imperatore CONSTANTINO MAGNO Auguſto.
DE
S. MARCO Pontifice Maximo.

SAnctus Marcus (qui primus & ſolus hactenus Marci Evangeliſtæ nomen, ſimul & Apoſtolici viri formam mutuatus eſt) Priſco parente genitus, patriâ Romanus fuit. *Vir*, ut acta veterum loquuntur, *Bonus, juſtus, Deo fidelis, ac multa virtute coruſcus:* Idem innuit S. Damaſus Papa in carmine funerali, quod de eo panxit in hæc verba: XXXV. *Marcus vir ſanctus.*

Inclyta vita fuit MARCI, quam novimus omnes;
Scilicet immundum poſſet qui temnere Mundum:
Invicti virtus tenuit penetralia cordis, &c.

Marcus Romæ inter Clericos regulares vitam duxit omni labe carentem, atque ex illorum familia, poſt obitum Silveſtri, uno virtutis ſuffragio ad ſummi Pontificatûs apicem aſcendit. Electus Pontifex ad curam religionis converſus, inſtituit, ut diebus Dominicis, ac feſtis celebrioribus, ſtatim poſt Evangelium, Symbolum Nicænum à Clero ac populo alta voce decantaretur, & eo modo, quo fuerat in eodem Concilio Nicæno declaratum: quod uſque hodie religiosè ſervatur. Præterea, ut Epiſcopus Oſtienſis, à quo Romanus Pontifex conſecratur, pallio uteretur. Duas Romæ Baſilicas ædificavit, alteram in Urbe juxta Palatinas Porticus; alteram via Ardeatina ad radices Aventini montis: quas Conſtantinus auctas, magnis muneribus exornavit. Rexit Eccleſiam nonniſi menſes octo, dies viginti duos. Obiit plenus meritis die 7. Octobris, Anno Domini 336. *Ejus Inſtituta.* *Eccleſias condit.* *Sanctè moritur.*

Marco ſacris Chriſtianis præſidente, ſceleſtus ille, & execrabilis Arius, qui blaſphemus in Chriſtum tot procellas in Eccleſia Catholica concitarat, cùm venenato corde fidei Chriſtianæ confeſſionem ſimulans, ut gratiam Principis, qua exciderat, recuperaret; & in gradum Presbyteratus, quo pulſus fuerat, reſtitueretur, magna pompa per mediam Conſtantinopolim à ſuis ſectatoribus duceretur: oborta ſubitò exonerandi alvum neceſſitate, ad latrinas publicas conceſſit, ibique fœdam cum excrementis animam novus Judas egeſſit, orcoque tranſmiſit. *Eo regnante Arius perit.*

S C R I P T A.

Marci Pontificis decreta leguntur apud Gratianum, Ivonem, aliosque decretorum collectores. Athanaſii Epiſcopi Alexandrini circa Concilii Nicæni capitula, Epiſtolas recepit, eidemque Athanaſio, cæteriſque Ægypti Epiſcopis de miſſione Capitulorum Concilii Nicæni, ſuas miſit Marcus, quæ extant tomo I. Conciliorum in Concilio Nicæno è græco, ac Arabico in Latinum converſo ab Piſano S. J. Has tamen Baronius & Bellarminus fictas, ac falsò huic Pontifici adſcriptas putans. *Ejus Scripta.*

ANNO CHRISTI CCCXXXVI.
Imperatoribus CONSTANTINO MAGNO & Filiis ejus Auguſtis.

DE

S.JULIO I. Pontifice Maximo.

XXXVI. *E Clericis regularibus aſſumitur ad Pontificatũ.* SAnctus Julius hujus nominis primus, Romanus, Ruſtico patre natus, antequàm Petri Cathedram conſcenderet, divino ſe famulatui inter Clericos regulares devoverat, vitamque inter illos, ut paucis dicam, duxerat ſanctiſſimam. S.Marco Romano Pontifice mortuo, in ejus locum ſuffectus, tria conſtru- *Cœmeteria conſtruit.* xit cœmeteria in totidem viis Flaminia, Aurelia & Portuenſi. Baſilicam S. Mariæ Trans-tyberim funditùs inſtauravit, columniſque diverſis ornatam muneribus auxit: quæ Baſilica, ejusdem Pontificis reliquiis munita, Julii nomen aliquando obtinuit.

Julius bellum continuum cum hæreticis Arianis gerens, pro Athanaſio, cæteriſque orthodoxis Epiſcopis inſignem ſcripſit Epi- *Orientales Epiſcopos redarguit.* ſtolam, increpans Orientales, quòd Imperatoris auctoritate ſubnixi, auſi fuerint, inconſulto Romano Pontifice, concilium cogere, Epiſcopos ſuis ſedibus pellere,& condemnare: cùm Romano tantùm Pontifici competat generale concilium indicere & celebrare; ac Epi- *S. Athanaſiũ ſede ſua depulſum reſtituit: ejus ſymbolum approbat.* ſcopos judicare. Athanaſium in odium fidei ab Arianis proſcriptum, ſuoque Epiſcopatu dejectum, ac Romæ de multis falsò accuſatum, causâ cognitâ, innocentem declaravit, priſtinoque honori reſtitui juſſit. Ejus Symbolum, doctrinæ Chriſtianæ ſynopſim continens, ipſo Athanaſio recitante, audivit, approbavit, ac Eccleſiæ Romanæ deinceps recitandum exhibuit. Julius denique *Sancto fine quieſcit.* multis præclarè geſtis, ac ſanctitate celebris, ſancto fine quievit die 12. Aprilis anno noſtræ Salutis 352. poſtquam Eccleſiæ univerſali præſediſſet annos 15. menſes 5. dies 17. Ejus corpus ſepultum fuit in cœmeterio Callepodii.

S C R I P T A.

Ejus Scripta. Epiſtolas decretales plures ſcripſit: quarum duæ leguntur in Apologia ſecunda S. Athanaſii, & in primo tomo Conciliorum cum notis Binii, & Epiſtolis ad Julium datis. Traditur etiam ſcripſiſſe unam ad Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum, *de Incarnatione Domini*, adverſus eos, qui duas in Chriſto perſonas adſtruebant, ſicut naturas. Verùm hanc non eſſe Julii Papæ, ſed Apollinaris Hæretici, vel certè Arianorum, validis rationibus probat Leontius Byzantius in Commentario de Sectis, *act 8. 9. & 10.* opinioni Gennadii contradicens: & Evagrius *lib. 3. cap. 31.* & Binius in notis. Quin & alteram ad Proſdocimum Epiſtolam, cujus teſtimonio una eſt ſancta Synodus Epheſina, non fuiſſe Julii, ſed Thimothei diſcipuli Apol-

Apollinaris, contendit idem Leontius. Illam tamen ut genuinam Julii agnoſcunt citra controverſiam viri docti & circumſpecti, inter hos Ephremius Patriarcha Antiochenus *lib. 3. de ſacris legibus* apud Photium; & Sirmundus in notis ad Facundum Hermianenſem. Julii decreta plurima, à Gratiano, Ivone, Iſidoro, & aliis collecta, extant in Corpore Juris.

ANNO CHRISTI CCCLII.

Imperatoribus Conſtantio, Juliano, Joviano, Valentiniano & Valente Auguſtis.

DE

LIBERIO Pontifice Maximo.

XXXVII

Invitus B. Silveſtro ſufficitur

LIBERIUS Auguſti filius, Romanus, à beato Silveſtro Diaconus Cardinalis ordinatus, Julio è vivis ſublato, omnium votis ad Petri ſolium expetitur, eidemque invitus diuque reluctans ſufficitur, ut ipſemet tradit in Epiſtola ad Conſtantium Imperatorem ſcripta. Vir pius, doctus, ac ſæculi contemptor, ut veterum monumenta teſtantur.

Sollicitatur ad damnandum Athanaſium.

Pœnas ſumit de Legati perfidia.

Liberius capitur & in exilium amandatur.

Orientales Epiſcopi hæreſis Arianæ tenaciſſimi, obitu Julii, ac ſubrogatione Liberii intellectâ, Legatos protinus Romam mittunt pro Athanaſii damnatione, Liberio exilium, ac necem à Conſtantio decretam, ni conſentiret, denuntiantes. Liberius animi dubius, coacto Romæ concilio, oratores ad Conſtantium mittendos decernit, qui ferocientem ejus animum delinirent, placatumque Cæſarem ſibi, Athanaſio, ac Epiſcopis orthodoxis, maximè occidentalibus, redderent. Eminebat inter Liberii Legatos omnium primus, Vincentius Epiſcopus Capuanus, vir annis, meritis, & eloquio gravis, in quem Pontifex ſpem ac fiduciam omnem collocaverat, nihil de ſecundo rerum exitu dubitans. Vincentius dolis Arianorum circumventus, ac Cæſaris nunc blandientis nunc minitantis imperio victus, arrepto calamo, ſacrilegè contra fidem Liberio datam, ſubſcribit in Athanaſii damnationem. Liberius cognita Legati perfidia, ſummo mœrore affectus, impiam hominis defectionem execratur, eundemque anathemate defigit, reſciſſisque ejus legationis actibus, Athanaſium innocentem, temereque damnatum declaravit. Ea re Conſtantius, urgentibus Arianis, in furorem actus, miſſo Romam Euſebio Eunucho, Præfecto Urbis mandat, ut Liberium Chriſtianæ pacis perturbatorem, dolo captum ad ſe in caſtra tranſmitteret. Capitur Liberius, vinctusque intempeſta nocte à militibus trahitur ad Conſtantium: ibi magna dicendi libertate uſus, & quòd nollet in communionem Arianorum conſentire, neque damnationem Athanaſii ratam habere proſcribitur in exilium.

Eo exacto, Acatius Princeps Arianorum, Cæſarienſis Epiſcopus, modis omnibus apud Conſtantium egit, ut in pulſi Liberii locum

In eliminati locum ſufficitur Felix. locum Felix ſufficeretur. Erat is Orthodoxus, ſacræ Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus, doctrina ac vitæ converſatione celebris, qui ob adeptum Arianorum operâ pontificium, facilè in Arii dogma, ac Athanaſii condemnationem conſenſurus credebatur. Sed contrà *Felix Arianis adverſatur.* accidit. Nam Felix, vixdum ſua in dignitate ſtabilitus, coacto quadraginta & octo Epiſcoporum Concilio, Urſatium & Valentem Arianos, contra omnium opinionem damnavit, damnatosque Eccleſiâ expulit. Conſtantium Cæſarem cum Arianis omnibus, niſi orthodoxam Athanaſii doctrinam amplexi, ejus damnationem reſcinderent, anathemate perculit. Hinc turbæ. Revocatur edicto Cæſaris ab exilio Liberius, ea conditione, ut, quæ Felix in Arianos molitus eſſet, ipſe reſcinderet, Athanaſiumque, ad votum Cæſaris, damnaret.

Liberius revocatur, faventque Arianis: hinc turba. Liberius diù animi pendens, quidque ageret neſcius, denique blanditiis Cæſaris, æmulatione Felicis, ac exilii tædio victus, conſenſit in damnationem Athanaſii. Pulſo igitur Felice, urbem quaſi victor ingreditur, ac plauſibus Arianorum feſtivè excipitur. Populus Romanus ægrè ferens Liberii lapſum & inconſtantiam, obedientiam eidem detrectavit. Clerus in duas partes diviſus, hinc Liberio, illinc Felici adhæſit. Utrinque pugnatum; cædesque mul- *Felix conſtanter agens, capitali ſententia punitur.* torum commiſſæ. Intereà Felix, Liberii defectionem execratus, ac Cæſaris odium nil veritus, adunato ſuæ factionis Clero, Conſtantium, Arianos, omnesque cum iis ſentientes iteratis cenſuris perſtringit, ac damnat. Conſtantius injuriam ſibi, ſuisque irrogatam ulturus, Felicem in oppido Cæræ propè Faliſcos comprehenſum, ac Arianos perpetuò deteſtantem, capitali ſententia punit die 29. Julii Anno Domini 355. Hunc Scriptores omnes inter Sanctos Martyres collocant, verum tamen Pontificem fuiſſe nonnulli apertè negant. Inter hos agmen ducit Ciaconius, qui eum *Dubium de Felicis Pontificatu ſolvitur.* *Pſeudo-Pontificem*, *Sedis Apoſtolicæ invaſorem*, *ac uſurpatorem* appellat; additque, *Eccleſia Ejus Pontificatum non probat, quia Pſeudo-Pontifex, ſed martyrium complectitur pro Chriſti fide exhibitum.* Sed pace viri docti, veritas magis amica eum refutat. Nam martyrologium Romanum vetus, à Baronio deſideratum, & à Roſweido olim in Belgio editum; & Martyrologium alterum Romanum, Gregorii XIII. juſſu vulgatum, & Urbani VIII. auctoritate recognitum, *Pontificem ac Martyrem* eum exprimunt; audi ipſiſſima Martyrologii verba: *Quarto Kal. Auguſti, Romæ via Aurelia Sancti Felicis II. Papæ & Martyris, qui à Conſtantio Imperatore Ariano ob Catholicæ fidei defenſionem è Sede ſua dejectus, & Ceræ in Tuſcia occultè gladio necatus, glorioſè obiit &c.* Jam verò cui magis credendum, Ciaconio privato Scriptori, an Martyrologio Romano, ſummi Pontificis auctoritate, ad incudem à doctiſſimorum virorum conventu diligentiſſimè revo- *Felicem defendunt Baronius & Bellarminus, aliique.* cato? Certè Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis ad Annum 358. magno veterum Scriptorum ſuffultus numero, Felicem verum fuiſſe Pontificem Romanum apertè fatetur & quomodo id fieri potuerit, Liberio ſuperſtite, eruditè oſtendit. Idem ſentit, & agit Robertus Bellarminus Libro 4. de Rom. Pontif. cap. 9. Cui adſtipulatur Andreas Victorellus in notis ad Ciaconium. Ad quos Lectorem, veritatis cupidum remitto.

SCRI-

SCRIPTA.

Scripſit verò S.Fèlix Papa & Martyr tres Epiſtolas decretales, quarum duæ tantùm tomo primo Conciliorum Generalium cum notis Binii leguntur. De tertia, quam ad Epiſcopos Ægyptios dediſſe fertur, Joverius in ſua collectione ſic loquitur : *Extat & tertia Epiſtola hujus Pontificis, quæ cùm nihil decretale habeat, ſed duntaxat cohortationem ad ſufferentiam æquanimem perſecutionum & tribulationum, quæ ab Arianis inſerentur, & ut invicem ſibi mutuo amore fraternè ſuccurrant, Deoq; vindictam relinquant, & ejuſmodi quædam : non eſt viſum nobis eam hic adſcribere, ne volumen in immenſum turgeſcat.* hæc ille. Epiſtola autem illa, quæ circumfertur Athanaſii, aliorumque Ægypti Epiſcoporum nomine ad Felicem Romanum Pontificem ex Synodo Alexandrina, data; Baronio non probatur. Ejusdem Felicis decreta apud Ivonem Epiſcopum Carnotenſem, Gratianum, Barbc-am, & alios Canoniſtas inveniuntur.

Quæ ſcripſerit Felix.

Jam, quæ reliqua Liberii ſunt, proſequamur. Hic ſublato per martyrium æmulo Felice, ſui juris factus, fidem catholicam (quam nunquam deſeruit, ſed tantùm ad tempus, vel minis Arianorum territus, vel blanditiis emollitus, oculuit) apertiùs explicare cœpit. Cùm enim aſſiduis Arianorum poſtulationibus, quid de Athanaſii damnatione, quid de ſua eorum communione, ac dogmate ſentiret, quæreretur : in Concilio Ariminenſi, indeque Romano palàm profeſſus eſt, nihil ſibi negotii deinceps cum Arianis futurum; & quæ anteà, æmulatione Felicis, ſuam ſedem occupantis, inconſultò feciſſet, improbare, revocare, execrari, atque damnare. Hanc ſuam eſſe mentem, nullis Arianorum terroribus aut blanditiis evertendam. Quare ab Arianis, quòd eorum decretis ſubſcribere nollet, imò eos cum decretis ſuis publicè damnaſſet, urbe expulſus, in Cœmeteria Novellæ & Oſtriani, hodie vetuſtate collapſa, ſe recepit. Ibi Deo, Eccleſiæ, ſibique vacans, reliquum vitæ tempus ſanctis operibus tranſegit. Obiit autem Romæ die 9. Septembris anno reparatæ ſalutis 367. poſtquam inquietè ſediſſet anno 15. menſes 4. dies 10. ſepultus via Salaria in Cœmeterio Priſcillæ.

Liberius poſt lapſum fortior.

Ab Arianis Urbe pellitur ac ſanctè moritur.

Laudatur à S. Ambroſio *lib 3. de Virginib.* à S.Baſilio *Epiſt.74.* & ab aliis. Vide Sanderum *lib.7. de Viſibili Eccleſiæ Monarchia*, multa præclara ex graviſſimis Scriptoribus de illo narrantem. *Pro Catholica fide, glorioſa obivit certamina* (inquit S.Athanaſius in Epiſt. ad ſolitariam vitam agentes) *& in exilium ab Imperatore Ariano pulſus; exacto exilii biennio, minis mortis ad ſubſcriptionem inductus eſt.* Polluiſſe Liberium ſe ſe hæreticorum communione dixêre nonnulli : hæreſeos labe non fuiſſe infectum tradit Albertus Pighius *lib.4. Hierarchiæ Eccleſ.* & fuſiùs Card. Bellarminus *lib.4. de Rom. Pontif. c. 9.* ex ipſo S. Athanaſio. Et Hoſius *libro 2. contra Brentium.* Subſcripſit quidem Liberius in Athanaſii damnationem, & cum hæreticis exteriùs communicavit : at non fidei, ſed conſtantiæ in ea tuenda, violator fuit : externo deliquit actu, & minùs fortaſsè, ut ait Bellarminus loco citato, quàm Marcellinus. Baronius quoque in Annal. & Gret-

Laudatur, ac defenditur paſſim à graviſſimis viris.

ſerus in Examine Myſterii Pleſſæani, notâ hæreſeos eum liberant. Addit denique Victorellus in notis ad Ciaconium: *Orthodoxus Liberius, poſt exilium piè vixit, & poſt Felicis martyrium, ad ſupremum Pontificatum, quem illi infelix lapſus ademerat, Cleri Romani electione iterum vocatus, priorem maculam vitæ innocentia delere ſtuduit, & ſancto fine quievit.*

SCRIPTA.

Scripſit Liberius Epiſtolam unam ad Oſium Cordubenſem Epiſcopum, cujus inſcriptio eſt *Concordia Canonum.* Dedit etiam nonnullas ad Euſebium Epiſcopum Vercellenſem; alias ad Conſtantium Imperatorem, quas Binius notis illuſtravit. Harum tamen aliquæ ex Baronio & Binio, Liberio falsò attribuuntur. Dialogus Liberii cum Conſtantio, Mediolani habitus, extat tomo primo Conciliorum. Scripſit etiam, teſte Simone Staravolſco, acta de curatione & lepra Conſtantini Imperatoris. Extat quoque apud S. Ambroſium *lib. 3 de Virginibus* ejusdem integer quidam ſermo, quem habuit in conſecratione ſororis S. Ambroſii. Ejus decreta apud Creſconium, Iſidorum, Gratianum, & alios inveniuntur.

Ejus Scripta.

ANNO CHRISTI CCCLXVII.

Imperatoribus Valentiniano I. Valente, Valentiniano II. Theodoſio & Honorio Auguſtis.

DE

S. DAMASO I. Pontifice Max.

XXXVIII. SANCTUS Damaſus I. Antonii filius, Hiſpanus, Vimarinis oppido Luſitaniæ, diœceſis Braccarenſis natus vitam ante adeptum Pontificatum inter Monachos duxit religioſiſſimam. Liberio Pontifice defuncto, nonnulli feſtinatis comitiis Urſicinum, alii Damaſum in defuncti locum ſubrogarunt. Verùm Urſicinus, ne Schiſma novum in Eccleſia naſceretur, edicto Valentiniani Cæſaris, Urbe exactus, atque in exilium proſcriptus, reliquum vitæ tempus inglorius tranſegit in Galliis. Quo factum, ut ſuus Damaſo ſalvus tranquilluſque ſtaret Pontificatus. Hic doctrina & ſanctitate celebris, indicto primo Conſtantinopolitano Concilio, nefariam Arii, Eunomii, Macedonii, Sabellii, Marcellini. Photini, & Apollinaris hæreſim damnavit, magnaque ex parte repreſſit. Acta Nicænæ Synodi corroboravit, ejusdemque ſymbolum fidei recepit. Idem Ariminenſem conventum, jam anteà à Liberio rejectum, iterum condemnavit: in quo, ut ſcribit S. Hieronymus, Valentis potiſſimùm, & Urſacii fraudibus, damnatio Nicænæ fidei conclamata fuit; & ingemiſcens orbis terrarum, ſe Arianum eſſe miratus eſt.

Schiſma inter Damaſum & Urſicinum.

Damaſus, eliminato Urſicino, multa præclari agit

Romæ Baſilicas duas erexit: alteram ſancti Laurentii nomine ad thea-

ad theatrum Pompeii, quam maximis muneribus auctam, prædiis inſuper ac ædibus locupletavit : alteram via Ardeatina ad Catacumbas. Exornavit etiam locum, ubi aliquando jacuerant corpora ſanctorum Petri & Pauli, ibique ſtruxit Placoniam, ſeu Placoton, hoc eſt Eccleſiæ pavimentum, tabellis marmoreis, variis decorè figuris contextum, & Epitaphium conſcripſit. Concilia Martyrum, ſeu Cœmeteria, ubi plura ſunt ſepulchra Martyrum, elegantibus pariter verſibus illuſtravit.

Sacris conſtruendis ædificiis operam dat.

Pœnam talionis conſtituit iis, qui alterum falſi criminis accuſaſſent. Pſalmos alternis in Eccleſia choris decantari, adjecto in fine verſu *Gloria Patri &c.* Atque Sacrorum initio peccatorum confeſſionem præmitti ſanxiſſe ſcribunt nonnulli : horum ſententiam rejicit ut falſam Baronius, & meritò : ſiquidem ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio viguiſſe in Eccleſia Catholica cum cantu diurnam, nocturnamque pſalmodiam, certum eſt : aliqua potiùs forma à Damaſo in cantu perſcripta, ſeu, ut Oldoinus ait, emendatum à S. Hieronymo Pſalterium LXX. Interpretum, à Damaſo canendum Occidentalibus traditum : additum tamen eſt ad finem Pſalmi *Gloria Patri &c.* ex inſtituto Damaſi, quamvis ante Damaſum compoſita fuiſſet laus illa, utpotè ab Apoſtolis emanata, ut ex S. Baſilio probat Baronius. Nec omittendum, quod S. Gregorius Magnus tradit; ex Hieroſolymorum Eccleſia per S. Hieronymum Damaſum accepiſſe, ut Romana Eccleſia concineret peregrinam vocem *Alleluja*, quæ ſignificat ex S. Auguſtino *Laudate Dominum*. Sunt enim hæc verba Gregorii : *Ut Alleluja hic diceretur, de Hieroſolymorum Eccleſia, ex beati Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damaſi Papæ traditur tractum.* Quod quidem non ſic accipiendum eſt, uti ſcribit Baronius, ut tempore Damaſi cani cœptum ſit Romæ *Alleluja*, ſed ut caneretur extra tempus Paſchale : nam hujus vocis uſum Romæ perantiquum fuiſſe certum eſt ex S. Auguſtino in Pſalm 106. Symbolum inſuper fidei certis diebus recitari juſſit in ſacris Liturgiis Damaſus ex Durando. Varias hæreſes, ſeu ab orientalibus, ſive occidentalibus promanantes damnavit, atque extinxit. Viguit enim ab ipſis Apoſtolorum temporibus uſus, ubi primùm Sedes Petri Romæ locata eſt, ut nova hæreſis, recensque emergens Hæreſiarcha non ab alio quopiam cujusvis auctoritatis Epiſcopo, quàm à Romano Pontifice, causâ exactè perveſtigatâ, Apoſtolica damnaretur auctoritate.

Multa ad decorem Eccleſiæ ſancit.

Alleluja quid ſignificet?

Varias hæreſes damnat, quod propriè Romani Pontificis eſt.

S. Hieronymo arcta familiaritate ob ſtudiorum ſimilitudinem conjunctus Damaſus, ſæpiùs præſentem alloquio, abſentem litteris dignatus eſt, crebris eum divinæ ſcripturæ quæſtionibus pulſans, prout ejusdem Damaſi litteræ ad eum datæ ſignificant. Frequenter etiam ipſe Hieronymus à Schiſmaticis in diverſa diſtractus, quid ſentiendum, cum quo communicandum ſibi eſſet, ab ipſo Damaſo, tanquam ab oraculo excipiebat. Ejus juſſu pariter Novum Teſtamentum Græcæ fidei reddidit.

S. Hieronymo familiaritate junctus.

Denique Damaſus miraculis in vita & poſt obitum clarus, poſtquam Eccleſiam rexiſſet annos decem & ſeptem, menſes duos, dies viginti ſex, propè octogenarius migravit è vita, die undecima De-

Miraculis clarus obit.

 cembris,

cembris, anno 384. & via Ardeatina, unà cum matre & ſorore ſepultus eſt in Baſilica, quam ipſe ædificaverat. Illius reliquiæ poſteà translatæ ſunt in Eccleſiam S. Laurentii, ab ejus nomine in Damaſo vocatam. Vivens ſibi Damaſus hoc ſcripſit Epitaphium.

Ejus Epitaphium.

Qui gradiens, pelagi fluctus compreſſit amaros,
Vivere qui præſtat morientia ſemina terræ,
Solvere qui potuit Lazaro ſua vincula mortis,
Poſt tenebras fratrem, poſt tertia lumina Solis
Ad ſuperos iterum Mariæ donare ſorori,
Poſt cineres Damaſum *faciet, quia ſurgere, credo.*

S C R I P T A.

Ejusdem Scripta.

Scripſit Epiſtolas varias, quarum ſeptem leguntur cum notis Binii Tomo primo Conciliorum, unà cum Epiſtolis S. Hieronymi, & Stephani Mauritaniæ Archiepiſcopi ad Damaſum. Elogia inſuper aliquot Sanctorum, quæ extant Tomo 8. Bibliothecæ Patrum, & manuſcripta in Bibliotheca Anglicana Bodlezana.

Scripſit etiam de fide contra Hæreticos Librum unum.

De Virginitate libros tam carmine, quàm ſoluta oratione.

Libellum de SS. Trinitate.

Miſſam de S. Nicolao Epiſcopo metricè.

Carmina in Pſalterium.

Obſervatio circa Volumen Romanorum Pontificum.

Romanorum Pontificum Vitas ad ſuam uſque ætatem eleganti & copioſo volumine complexus eſt. Circumfertur etiam alius Liber Romanorum Pontificum Damaſi nomine, qui tamen non eſt Damaſi Pontificis, ſed Damaſi Epiſcopi Portuenſis, ut ſcribunt Baronius, Bellarminus, Ciaconius. Eſt enim ſtylus Damaſi Papæ nitidus, terſus, latinus; hujus verò poſterioris totus diſſimilis, parumque latinus: Continet etiam multa, quæ nullius ſinceri Scriptoris teſtimonio probari poſſunt. Vitas Pontificum Damaſi Papæ continuavit Anaſtaſius Bibliothecarius: hinc fit, ut ab imperitis, quæ Anaſtaſii ſunt, Damaſo tribuantur.

ANNO CHRISTI CCCLXXXV.

Imperatoribus THEODOSIO SENIORE, ARCADIO & HONORIO Auguſtis.

DE

S. SIRICIO Pontifice Maximo.

XXXIX. *Pontifex electus ſcribit ad varios.*

SAnctus SIRICIUS Romanus, ex patre Tiburtio, poſt Damaſi obitum, in ejus locum ſubrogatus, ſtatim initio ſuæ ſedis decretales litteras dedit ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem, qui de nonnullis rebus fidei dubiis Romanum Pontificem Damaſum conſuluerat. At illo vita functo, cùm eas ſucceſſor ipſius Siricius accepiſſet, ad ſingula rogata accuratè, ſciteque reſpon-

reſpondit, illaſque Apoſtolica doctrina, & auctoritate plenas Carthaginenſibus, Luſitanis, Bœticis, aliiſque finitimis Epiſcopis tranſmitti juſſit.

Poſt hæc coacto Romæ Concilio, ad quod varii ex omni natione convenêre Epiſcopi, Jovianum Hæreſiarcham cum collegis damnavit, Eccleſiaque ejecit. Impius hic inter alia pudenda docuerat, matrimonia Virginitati præferenda: Deiparam Virginem poſt Chriſti partum viris commixtam. Hunc Imperator Theodoſius, tanquam ſacrilegum in Inſulam Boäm in Dalmatiæ littore ſitam deportari juſſit: ne infelicis arboris rami, truncato elongatoque ſtipite, ſe ſe extendere in Eccleſiæ detrimentum poſſent. *Jovinianum hæreſiarchā damnat.*

Damnato Romæ Joviniano, Siricius Creſcentem, Leopardum, & Alexandrum Legatos Mediolanum miſit, ut horum auctoritate Mediolani cogeretur Synodus Epiſcoporum, ab iiſdemque Jovinianus, & alii hæretici damnarentur: quod & factum eſt. Nam in Epiſtola ab Ambroſio, aliiſque Epiſcopis, qui conventui Mediolanenſi affuêre, ad Siricium data, hæc legimus. *Itaq; Jovinianum, Auxentium, Germinatorem, Felicem, Protinum, Genialem, Martianum, Januarium, & Ingenioſum, hæreticos, quos Sanctitas Tua damnavit, ſcias apud nos quoque ſecundùm judicium tuum eſſe damnatos.* Damnavit quoque Helvidium Jovinianæ impietatis ſocium, Manichæos, aliosque id genus impoſtores, jam aliàs damnatos. Scribunt aliqui Siricium Papam Canoni Miſſæ in ſacra Liturgia addidiſſe *Communicantes*; alii tamen id Lino anteceſſori tribuunt: fortaſsè Siricius decreto firmavit, quod Linus anteà inſtituerat. *Damnari hæreſiarchas præcipit.*

Siricius multis ſanctis operibus conſpicuus, cùm ſediſſet annos tredecim, menſem unum, dies quatuordecim, vitam ſancta morte concluſit die 26. Novembris, anno redemptionis humanæ 398. ſepultus in Cœmeterio Priſcillæ via Salaria. *Sancti moritur.*

S C R I P T A.

Epiſtolas varias ſcripſit, quarum tamen nonniſi quatuor extant apud Binium in tomo I. Conciliorum unà cum ejus Concilio Romæ habito, & cum reſcripto Ambroſii, Sabini, Baſſiani, & cæterorum Epiſcoporum, nec non Epiſtola Maximi Imp ad Siricium: ex qua apertè colligimus, Siricium quoque ad eundem Imperatorem litteras miſiſſe, quæ tamen hactenus nobis ignotæ; ſicut & illæ ad S. Ambroſium, qui Siricio tres Epiſtolas reſponſorias dedit. Multa etiam decreta in Eccleſiæ utilitatem reliquit, quæ apud Gratianum, Ivonem Carnotenſem Epiſcopum, aliosque decretorum collectores inveniuntur. *Ejus Scripta.*

ANNO CHRISTI *CCCXCVIII.*
Imperatoribus ARCADIO & HONORIO Auguſtis.

DE
S. ANASTASIO I. Pontif. Max.

XL. *Hæreticos Orientales perſequitur.*

SAnctus Anaſtaſius I. Maximi filius, Siricio ſuffectus, initio ſui Pontificatûs, hæreticos ex oriente ſub ovina pelle Romam intrantes, vigilanti oculo luſtravit, deprehenſos legibus proſcripſit, atque etiam ſæculari brachio uſus, exilio, pœnis, morte affecit. Unde rectè de eo Hieronymus ſcripſit ad Demetriadem: *Anaſtaſius Apoſtolicæ ſolicitudinis vir, ſtatim noxium percuſſit caput hæreticorum, & ſibilantia hydræ ora compeſcuit.*

Corruptos Clericorum mores emendat: ac præceptum de continentia inſtaurat.

Origeniſtas, eorumque *Periarchon* cum acerrimo ejus defenſore Ruffino Romæ damnavit, utque in Conciliis Alexandrino, & Carthaginenſi, pariter damnentur, curavit. Corruptos Clericorum mores legibus emendavit, ſæpiusque inculcatum de continentia Eccleſiaſticorum præceptum, ſancito canone, innovavit. Ex quo Novatores anſam ſumpſêre dicendi, ab Anaſtaſio cœlibatum clericorum introductum. Sed id falſum eſſe, ex eo liquet: quòd Apoſtoli hujus inſtituti auctores deprædicentur. Sic enim ſtatuit Concilium Carthaginenſe II. novennio ante Anaſtaſii aſſumptionem celebratum, *Omnibus placet, ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes, etiam ab uxoribus abſtineant, quas ante initiationem duxerant: ut quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.* Et S. Epiphanius hæreſi 59. ait: *Presbyteros conjugio vacantes ab Eccleſia non ſuſcipi, maximè ubi ſinceri ſunt canones.*

Ejus Conſtitutiones.

Conſtituit, ut quotieſcunque ſancta Evangelia à Diacono recitarentur in Eccleſia, ſacerdotes præſentes non ſederent, ſed curvi ſtarent. Cauſam hujus decreti exponit Oldoinus in Anaſtaſio, ad quem lectorem remitto. Conſtituit etiam, ut nullo modo tranſmarinus homo in Clericatus ordinem, aut communionem ſuſciperetur, niſi litteras, à quinque Epiſcopis obſignatas ac ſubſcriptas, exhiberet. Id autem fecit, ut Manichæis aliiſque hæreticis, clàm Romam petentibus, viam præcluderet. Interdixit prætereà, ut nemo, qui corporis membro mancus, mutilus, aut vitioſus eſſet, ſacris initiaretur. Inſignem Baſilicam, Creſcentianam dictam, via Mamurrina, atque Cœmeterium ad Urſum Pileatum, via Portuenſi, exædificavit.

Sanctè moritur.

Anaſtaſius, tranſacto in Pontificatu quadriennio, ſanctiſſimo fine quievit die 27. Aprilis, anni 402. ſepultus in ſuo cœmeterio ad Urſum Pileatum. De quo hæc habet Martyrologium Romanum. *Quinto Kal. Maij Romæ depoſitio beati Anaſtaſii, viri ditiſſimæ paupertatis, & Apoſtolicæ ſolicitudinis: quem (ut ait S. Hieronymus) diu Roma habere non meruit, ne Orbis caput ſub tali Epiſcopo truncaretur: nam haud multò poſt ejus obitum Roma à Gothis capta, atque direpta fuit.*

S C R I P T A.

Ejus Scripta.

Quod autem ad hujus Pontificis ſcripta pertinet, duæ ejus nomine habentur ſcriptæ Epiſtolæ decretales, quarum prior cùm data reperiatur Conſulibus Arcadio & Bautone ante annos XIV. ab ejuſdem Anaſtaſii in Romanum Pontificatum ingreſſu, planè appa-

ret, ſi

ret, ſi legitimam & non ſuppoſitam eſſe velimus, alteri Pontifici, quàm Anaſtaſio adſcribendam: ſuſpicionem auget, quia ejuſdem Epiſtolæ maxima pars, in qua agitur de Manichæis, reperitur apud Leonem Magnum in Epiſtola 2. ad univerſos Italiæ Epiſcopos data. Tres hujus Pontificis Epiſtolæ leguntur in tomo I. Conciliorum cum notis Binii; duæ verò in collectione Joveriana, unam ſcripſit ad Urſinum *de Incarnatione Filii Dei*, cujus tria extant fragmenta in appendice ad Breviarium Liberati Diaconi; ſed judicio Laurentii Surii, & Cæſaris Baronii, ut docet Binius, falsò Anaſtaſio tributa. Aliæ, quas dedit in cauſa Origeniſtarum, & Donatiſtarum, hactenus nobis ignotæ. Inter Epiſtolas D. Hieronymi una reperitur Anaſtaſii ad Joannem Hieroſolymitanum Epiſcopum de Rufini ſententia, quæ eſt 43. Ejus decreta collecta habentur apud Gratianum, Carranzam, & alios.

ANNO CHRISTI CCCCII.

Imperatoribus ARCADIO, HONORIO & THEODOSIO JUNIORE Auguſtis.

DE

S.INNOCENTIO I. Pont.Max.

Sanctus Innocentius hujus nominis primus, patria Albanenſis, Anaſtaſio in pontificatu ſuccedens, ob vitæ morumque ſanctimoniam tanti meriti, tantæque æſtimationis apud S. Hieronymum fuit, ut is Demetriadem Virginem alloquens, hoc eum elogio exornare non dubitaverit: *Sancti Innocentii, qui Apoſtolicæ cathedræ, & beatæ memoriæ Anaſtaſii ſucceſſor & filius eſt, teneas fidem, nec peregrinam; quamvis tibi prudens, callidaq; videaris, doctrinam recipias.* Eum, tanquam juſtum Loth, ſubtractum Dei providentia & ad Ravennam ſervatum fuiſſe, ſcribit Oroſius, ne Romani populi videret excidium. XLI. *Innocentii elogium ex S. Hieronymo.*

Hic Pelagio hæretico, divinæ gratiæ impugnatore acerrimo, unà cum ſociis Cœleſtio & Juliano damnatis, contra nefandam eorum hæreſim decretum edidit, quo ut parvuli ex Chriſtiana etiam muliere nati, per baptiſmum renaſcantur præcipit; ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Probavit etiam, conſultus ab Epiſcopo Eugubino, ut jejunium Sabbato ob Chriſti Domini ſepulturæ memoriam à fidelibus ſervaretur. Regulas vitæ monaſticæ convenientes, & obſervandas præſcripſit. Cathaphrigas, Montani ſectam tenentes, Urbe expulſos, in monaſteria ad converſionem relegavit. Multa Donatiſtarum millia, ejurata hæreſi, ad Eccleſiam reverſa, benigno clementiæ ſinu excepit. Baſilicam SS. Martyrum Gervaſii & Protaſii, illuſtri fœmina Veſtina ſumptus ſufficiente, conſtruxit, atque in titulum Veſtinæ erexit. Oſculum pacis feſtis ſolemnioribus in Liturgia jam anteà dari conſuetum, decreto firmavit. Feria quinta in Cœna Domini, hoſtiam *Pelagianos inſectatur, ac ſalutaria Decreta edidit.*

ſtiam ſacram cum particulis in ſequentem diem pro Sacerdote, & infirmis reſervari juſſit.

S. Chryſoſtomo adverſus Arianos patrocinatur.

Joanni Chryſoſtomo adverſus Theophilum Alexandrinum, & Arſacium Epiſcopos, quorum fraudibus è ſua Sede in exilium, (Arcadio & Eudoxia colludentibus) pulſus fuerat, egregiè patrocinatus eſt. Ut verò mortem ejusdem Chryſoſtomi in exilio pro Dei cauſa obitam intellexit, terrificas litteras ad Arcadium Imperatorem atque Auguſtam dedit, quibus eos cum Epiſcopis ſceleris complicibus ab Eccleſiæ communione ſecluſit. Placet hic eas reſcribere, ut tanti Pontificis exemplo, Præſules Romanæ Eccleſiæ animati, commiſſum ſibi gregem adverſus impios conatus defendere non horreant. Has ex Græco translatas in Latinum Baronius refert his verbis.

Arcadium cum uxore & complicib. excommunicat.

Innocentii literæ excommunicationis ad Arcadiũ Imperat.

V*Ox ſanguinis fratris mei* Joannis *clamat ad Deum contra Te ô Imperator, ſicut quondam Abel juſti contra parricidam Cain, & iis modis omnibus vindicabitur; nec id modo admiſiſti, ſed etiam pacis tempore perſecutionem magnam adverſus Deum & Eccleſiam ejus concitaſti. Ejeciſti è throno ſuo, non re judicata, magnum totius Orbis Doctorem, & unà cum eo Chriſtum perſecutus es: Neque enim de illo ita queror (ſortem enim ſeu hæreditatem cum ſanctis Apoſtolis in Dei & Salvatoris noſtri JESU Chriſti regno conſecutus eſt) quamvis jactura intolerabilis ea ſit; ſed affligor, propterea quod primùm de animarum veſtrarum ſalute, deinde de eis, qui ſapientiſſima, ſpirituali, & divina doctrina, ac inſtitutione ejus orbati, fame verbi Dei conficiuntur, ſum ſollicitus. Non enim Eccleſia tantùm Conſtantinopolitana mellita illius lingua jacturam fecit, ſed Orbis ſub ſole totus ad orbitatem redactus eſt, Viro tam divino amiſſo, perſuaſione unius mulieris ſabulam hanc, & ſpectaculum exhibentis: verùm excipiet & præſentem hîc pœnam non poſt multos dies ei advenientem. Tametſi enim* B. Joannes *vitam reliquit, fide ſervata, & fluctuantibus confirmata, in æterna tamen ſæcula ſempiternam deliciarum, & immortalis vitæ hæreditatem eſt conſecutus: Nova autem Dabila, Eudoxia, quæ paulatim te erroris ſeu ſeductionis novacula totondit, execrationem ex multorum ore ſibi ipſi introduxit, grave, & quod geſtari nequeat, peccatorum pondus colligans, atque id prioribus ſuis peccatis ſuperaddens.*

Itaq; ego minimus, & peccator, cui thronus magni Apoſtoli Petri concreditus eſt, ſegrego, & rejicio te & illam à perceptione immaculatorum myſteriorum Chriſti Dei noſtri, Epiſcopum etiam omnem, aut Clericum Ordinis ſanctæ Dei Eccleſiæ, qui adminiſtrare, aut exhibere ea vobis auſus fuerit ab ea hora, qua præſentes vinculi mei legeritis litteras, dignitate ſua excidiſſe decerno. Quod ſi ut homines potentes quemquam ad id vi adegeritis, & canones nobis à Salvatore per ſanctos Apoſtolos traditos tranſgreſſi fueritis, ſcitote id vobis non parvum peccatum fore in horrenda illa Judicii die, cùm neminem hujus vitæ honor & dignitas adiuvare poterit; arcana autem, & abdita cordium ſub oculos omnium effundentur, atque exhibebuntur. Arſacium, quem pro magno Joanne *in thronum Epiſcopalem produxiſtis, etiam poſt obitum exauctoramus, unà cum omnibus, qui conſultò cum eis communicarunt Epiſcopis, cujus etiam nomen ſacro Epiſcoporum Albo non inſcribatur, indignus eo honore eſt, qui Epiſcopatum quaſi adulterio polluerit: Omnis ſiquidem*

planta

planta, quæ à Patre noſtro in cælis plantata non eſt, eradicabitur. Ad Theophili anathematiſmum addimus abrogationem, & abſolutam à Chriſtianiſmo alienationem, &c.

Hactenus Epiſtola Innocentii ad Arcadium & Eudoxiam, qui, ut refert Glicas auctor Græcus, commiſſi ſceleris veniam deprecantes, ſupplices Innocentio, ut eos à ſegregatione tanquam miſericors pater liberaret, facti ſunt. Quos verè pœnitentes, etſi Innocentius pro ſua clementia in gratiam & communionem Eccleſiæ receperit, divina tamen ultio, quæ nunquam tardat, in eos non emanſit. Nam Eudoxia paulò poſt quadriuum partu laborans, inter aſſiduos dolorum cruciatus fœtum ſimul computrefactum, & animam enixa eſt. Arcadius in ipſo ætatis flore, annum agens trigeſimum primum, vel ſecundùm, haud longè poſt Eudoxiam, præmaturo fato extinctus eſt. *Supplices Innocentio facti, anathemate quidem liberantur, non tamen ultione divina.*

Innocentius, poſtquam Eccleſiam annos 15. menſes 2. dies 19. ſanctiſſimè rexiſſet, migravit è vita die 28. Julii anno Chriſtiano 417. ſepultus in Cœmeterio ad Urſum Pileatum. *Innocentii obitus.*

SCRIPTA.

Scripſit Epiſtolas varias, quarum triginta quatuor habentur tomo I. Conciliorum cum notis Binii. Epiſtolas verò tum Innocentii ad Baſilium, tum Baſilii ad Innocentium, ad alium potiùs, ut ſcribit Baronius, hujus nominis Epiſcopum ſcriptas eſſe ipſa diverſa temporis ratio palàm facit: cùm longè poſt obitum S. Baſilii ſedere cœpiſſe Innocentium ſit certum. Scripſit tamen ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum, clarum Oratorem, qui poſt Præfecturam Hiſpaniarum, in Burdegalenſis Eccleſia Sacerdotio priùs initiatus, deinde Epiſcopus Toloſanus nominatus, qualis quantuſque extiterit vitæ ſanctitate conſpicuus, ex S. Hieronymi Epiſtolis deducere quis facilè poterit. Scripſit etiam, teſte Ricordato, Librum unum contra Pelagianos, & Monachorum Regulam. Ejus decreta memorantur à S. Auguſtino, Gratiano, Iſidoro, Burchardo, Ivone & aliis. *Ejus Scripta.*

Joannes Trithemius in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis hoc eum exornat elogio: *Innocentius Papa primus, vir doctus atque ſanctiſſimus, natione Albanus, univerſali Eccleſia annis quindecim præfuit, & multa pro ejus utilitate glorioſè ordinavit. Ad hunc, cùm adhuc eſſet Presbyter Cardinalis, beatus Hieronymus hiſtoriam mulieris Vercellenſis ſepties percuſſa compoſuit, quod Prologus ejuſdem operis oſtendit. Qui, cùm in divinis ſcripturis eſſet eruditiſſimus, ſcripſit nonnulla pro ædificatione fidelium præclara opuſcula; nimirum:* *Inſigni elogio ornatur à Trithemio.*

Contra Pelagianos Lib. unum.
Contra Bonoſiacos Lib. unum.
Epiſtolarum ad diverſos Librum unum.

ANNO CHRISTI CCCCXVII.

Imperatoribus HONORIO & THEODOSIO JUNIORE Auguſtis.

DE

S. ZOSIMO Pontifice Maximo.

XLII. *Cœleſtium damnat: Decreta Concilii Carthag. approbat.* SAnctus ZOSIMUS, natione Græcus ex patre Abrahamo, Innocentium excepit. Pontifex electus, Cœleſtium Pelagii ſocium, Pelagianorumque anteſignanum, Catholicum ſe ſimulantem, & ut talis crederetur, cuncta mendaciis involventem, detractâ impietatis larvâ, damnavit. Decreta Synodalia Concilii Carthaginenſis V. per Patres ad ſe delata, Apoſtolica auctoritate probavit, confirmavitque. Quibus probatis, per totum Orbem, ut S. Auguſtinus ſcribit, hæreſis Pelagianorum damnata eſt. Dedit etiam Epiſtolam decretalem ad Gallos, Hiſpanos & Afros, adverſus *Ejus variæ Conſtitutiones.* eos, qui ad Sacerdotium, nullo minorum ordinum prævio exercitio facto, procurrebant: definiens, quantum temporis in quolibet ordine Clericus miniſtrare debeat, antequam ad Sacerdotium admittatur. Conſtituit, ut Diaconi, operante divinis Epiſcopo, vel ſacerdote, lævas linoſtinis tectas haberent. Item, ne Clerici in ſortem Domini vocati, popinas frequentarent, publicè biberent, aut publicè vina venderent. Vetuit etiam, ne ſervi in Clerum reciperentur, quòd hujuſmodi viros liberos & integros eſſe oporteret. *Benedictio cerei paſchalis.* Cerei Paſchalis benedictionem & uſum in Sabbato ſancto, qui in majoribus tantùm Baſilicis incendi ſolebat, etiam ad parochiales Eccleſias extendit.

Sedit in Petri cathedra, juxta Baronii, Ciaconii, & Oldoini *Sanctè moritur.* ſupputationem, annum unum, menſes quatuor dies ſex. Obiit ſancto fine die 26. Decembris, anno ſalutis 419. Sepultus via Tiburtina, in Baſilia SS. Martyrum Laurentii & Stephani extra muros.

SCRIPTA.

Ejus Scripta. Scripſit Epiſtolas decretales tredecim, quæ extant tomo I. Conciliorum cum notis Binii. Epiſtolam etiam dedit ad Galliæ Epiſcopos de vita & converſatione S. Trophimi Archiepiſcopi Arelatenſis, quam ex antiquo Breviario Arauſienſi refert Benedictus Gnonus Cœleſtinus in tomo 2. de vitis Sanctorum. De eo Trithemius *in libro de Script. Eccleſ.* hæc habet. *Zoſimus Papa, natione Græcus, vir doctus, ſanctus & Deo dilectus, verbo & exemplo commiſſam ſibi Eccleſiam ſtrenuè gubernavit, pro cujus ædificatione multa ſalubriter conſtituit: Scripſit pro ſtatu Eccleſiaſtico ad diverſos:*

Epiſtolarum Librum unum.
De Paſchate Librum ad Hilarium Epiſcopum:
De Sacerdotio Librum ad Eſytium.

ANNO

ANNO CHRISTI CCCCXIX.

Imperatoribus HONORIO & THEODOSIO JUNIORE Auguſtis.

DE

S. BONIFACIO I. Pontif. Max.

XLIII.

Schiſma inter Bonifacium & Eulalium.

SAnctus Bonifacius I. Romanus ex patre Jucundo, *Vir*, ut Cherubinus ait, *non minùs probitate morum venerabilis, quàm doctrina & eruditione clarus*, ſucceſſit in Pontificatu Zoſimo. Huic quidem Eulalius, corrupto ſuffragio à quibusdam factioſis Presbyteris Pontifex acclamatus, negotium fecerat; ſed mox edicto Honorii Imperatoris repreſſus, urbeque ejectus, tranquillam Bonifacio ſedem reliquit.

Juliano hæretico obſiſtit Bonifacius.

Anno Pontificatûs Bonifacii primo Julianus hæreticus, Epiſcopus Capuanus, ſectâ Pelagianus inſurrexit, duas ſcribens Epiſtolas hæreſibus, calumniis, ac mendaciis refertiſſimas. Quarum alteram Romam, Theſſalonicam alteram miſit, eo animo, ut Orientales Epiſcopos ab Eccleſia Romana, quam Manichæam portentoſo mendacio appellat, diſtraheret. Ut verò hæ Epiſtolæ ad manus Bonifacii pervenerunt, mox eas in Africam ad Auguſtinum Hipponenſem Epiſcopum ſcripturis confutandas miſit. Id quod Auguſtinus, more ſuo, egregiè præſtitit, edito adverſus Julianum inſigni Apologo, quem Bonifacio dedicavit cum Præfatione; cujus initium eſt: *Noveràm Te quidem famâ celeberrimâ prædicante; & frequentiſſimis atque veraciſſimis nuntiis, quanta eſſes Dei gratia plenus, acceperam, beatiſſime atque venerande Papa Bonifaci &c.*

Laudatur à S. Auguſtino.

Accuſationes Epiſcoporum accipit, atque dijudicat.

Porrò Bonifaciùs acceptâ à Clero Valentiæ Gallicanæ accuſatione Maximi Epiſcopi Manichæi, cognitionem ejus commiſit ſeptem Provinciarum Epiſcopis, ut conſtat ex ejus Epiſtolâ die 13. Junii datâ. Pro Antonio Epiſcopo Fuſſalenſi, qui ad ſedem Petri confugerat contra Epiſcopos, qui ob enormia quædam ſcelera ab Epiſcopatus adminiſtratione illum ejecerat, magnâ cautelâ reſcripſit, ut iidem Epiſcopi cauſam cognoſcerent, & ſi juſtam invenirent, defenderent; ſecùs ad ſe damnandam referrent. Patroclum etiam Epiſcopum, qui favore Conſtantii ſedem Arelatenſem vi occupaverat, repreſſit, atque in ordinem redegit. Ex quo crebris firmata exemplis praxis apparet de ſumma Romani Pontificis in omnes Eccleſias & Epiſcopos poteſtate.

Nonnulla ejus Decreta.

Juſſit Bonifacius ſacrorum Miniſtros in ſacris liturgiis feria quinta in Cœna Domini, hymnum Angelicum *Gloria in Excelſis Deo* recitare, teſte Durando. Idem Soteris Papæ decretum confirmavit, ne mulier ulla, aut monacha Pallam ſacratam attingeret, aut lavaret; neve thus in Eccleſia adoleret. Statuit etiam, ne ſervus, aut obæratus in Clerum reciperetur: aliaque id genus plura. Oratorium inſigne in ſanctæ Felicitatis martyris cœmeterio conſtruxit,

illudque pretioſis muneribus & ornamentis donavit.

Sanctè obit. Rexit Petri naviculam integerrimè annos circiter quinque, minùs duobus menſibus & tribus diebus, ut computat Oldoinus. Mortuus fine ſanctiſſimo, teſte Auguſtino, Romæ die 25. Octobris, Anno Chriſti 423. ſepultus in Cœmeterio ſanctæ Felicitatis.

SCRIPTA.

Ejus Scripta. Scripſit Epiſtolas tres: ad Honorium Imperatorem primam de ſua clectione in Pontificem. Secundam ad Epiſcopos Galliæ de Maximo Epiſcopo diverſis criminibus accuſato. Tertiam ad Hilarium Epiſcopum Narbonenſem, ut nullus, contempto Metropolitano, ordinetur Epiſcopus. Hæ omnes leguntur in tomo I. Conciliorum cum notis Binii, & reſcripto Honorii Auguſti ad Bonifacium. Ejusdem decreta varia reperiuntur apud Gratianum & alios decretorum collectores.

Eum Trithemius laudat. Ex venerabili Beda ſcripſit etiam Libellum de Miraculis, quem idem Beda citat in collecta in fine, ut aſſerit Ciaconius in vita Bonifacii. Bonifacium laudat Trithemius libro de Script. Eccleſ. in hæc verba: *Bonifacius Papa primus, vir magna doctrina, & ad regimen animarum ideoneus, multa pro utilitate Eccleſiaſtica conſtituit, qua in Canonibus Sanctorum Patrum ſparſim habentur. Scripſit ad ædificationem fidelium, nonnulla, ut ferunt, opuſcula: de quibus ego tantùm reperi librum unum Epiſtolarum decretalium.*

ANNO CHRISTI *CCCCXXIII.*

Imperatoribus THEODOSIO JUNIORE & VALENTINIANO III. Auguſtis.

DE S. COELESTINO I. Pont. Max.

XLIV. SAnctus Cœleſtinus I. Romanus, patre Priſco genitus, à tenera ætate uſque in adultam in Monaſterio educatus, defuncto Bonifacio, omnium votis, ſubrogatus eſt. *Hæreſum indefeſſus impugnator exiſtit.* Hic omnium hæreſum ſui temporis, ſed præcipuè Neſtorianæ, & Pelagianæ acerrimus & indefeſſus impugnator extitit: celebratis in hunc finem tum Romæ, tum Alexandriæ, tum Epheſi diverſis Conciliis, in quibus omnium votis Neſtorii hæreſis & impietas damnata eſt: Pelagius ac Cœleſtius pulſi: Maximianus Monachus Orthodoxus in proſcripti damnatique Neſtorii locum ſubſtitutus: & Maria Virgo *Theodocon*, id eſt Deipara, quod Neſtorius negarat, publico encomio appellata. *B. V. Maria Theodocon apellata.* Hinc Theodoſius Imperator, ac Patres Epheſini, inſtituta legatione, Cœleſtino de proſtrata cum Auctore hæreſi Neſtoriana, officioſiſſimè ſunt gratulati. Tunc adjectione illa *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis*, Angelicam ſalutationem auctam, opinatur cum aliis Baronius.

Idem

Idem Pontifex per nuntios edoctus, potiorem Britanniæ, Scotiæ, ac Hiberniæ partem, erroribus Pelagianorum eſſe corruptam, viros doctrina ac pietate conſpicuos Germanum Antiſiodorenſem, Lupum Trecenſem, Epiſcopos, Palladium item Diaconum, Probum, atque Patritium, poſteà Epiſcopos, tanquam Sedis Apoſtolicæ Legatos, veriqúe Evangelii Præcones eò direxit, quorum ſtudio, paſtoraliqúe ſollicitudine eæ Inſulæ ab erroribus liberatæ, Chriſto Jeſu iterum aſſertæ ſunt. *Britanniam, Scotiam, Hiberniam in fide retinet.*

Litteras etiam graviſſimas ſcripſit ad Galliæ Narbonenſis & Viennenſis Epiſcopos, eos reprehendens; quòd contra majorum ſtatuta novam veſtium peregrinarum formam in Clerum induxerint; monens ſeriò, ut antiquum habitum, quem à majoribus accepiſſent, rejecto novo, retinerent. Eoſdem Epiſcopos pariter redarguit, quòd pœnitentibus in fine vitæ, contra ſacros canones, abſolutionem peccatorum negaſſent: ac homines laicos, eoſque facinoroſos ad dignitatem Epiſcopalem provexiſſent. Ad Præſules Apuliæ pariter & Calabriæ Epiſtolam dedit, mandans diſtrictè, ne ex laicis aſſumerentur Epiſcopi, ſed ex Clero dumtaxat idonei eligerentur. *Epiſcopos Galliæ redarguit, & quare?*

Auctorem Cœleſtinum nominat Berno Augienſis *Tractâs* in Miſſæ ſacrificio, contra Rupertum, qui Gelaſium; & contra Durandum, qui Theleſphorum ejuſdem auctorem faciunt. Demochares quoque *Offertorium*, & canticum poſt cibum ſalutarem, in gratiarum actionem, quod *Communio* vulgò dicitur, Cœleſtinum inſtituiſſe ſcribit. Aſſerunt ex Platina alii, *Judica me Deus, & diſcerne cauſam meam*, quod in principio ſacrificii dicitur, etiam ejuſdem inventum eſſe. Viſu mirabili admonitus, Petronium in Epiſcopum Bononienſem, defuncto Felice, conſecravit, ut teſtatur Sigonius. *Quæ inſtituerit?*

Cyrillo Alexandrino Epiſcopo in perſequendo Neſtorio vices ſuas legavit, eidemqúe pallium, quo ſignificatur plenitudo poteſtatis, miſit: quo Cyrillus in Epheſino Concilio, & in ſacris ſolemniis, more Romani Pontificis, uſus deinde fuit: quod privilegium propagatum etiam eſt ad Alexandrinos Epiſcopos ſucceſſores. *Cyrillo Alexandrino pallium concedit. Quid pallium denotet?*

Cœleſtinus ſanctimoniæ titulo clarus, anno ſui regiminis nono, Chriſti verò 432. die 6. Aprilis, vitâ functus eſt: ſepultus via Salaria in Cœmeterio Priſcillæ: à Gennadio inter Scriptores Eccleſiaſticos numeratus. *Sanctè moritur.*

S C R I P T A.

Epiſtolas varias ſcripſit in cauſa Neſtorii, quarum decem & quatuor extant tomo 1. & 2. Conciliorum cum notis Binianis. Aliquæ ſunt inter S. Cyrilli Patriarchæ Alexandrini Epiſtolas: aliæ apud Joverium, Baronium & Greuterum. Una invenitur inter opera Divi Proſperi Aquitanici, Coloniæ edita anno 1630. Ejus decreta, & Concilium adverſus Neſtorium, habentur tomo I. Concil. apud Barboſam, Gratianum, & alios. *Ejus Scripta.*

Honorificam Cœleſtini mentionem facit Trithemius in hæc verba: *Cœleſtinus Papa primus, natione Romanus, vir doctus & ſanctus, cujus* *Inſigni elogio ornatur a Trithemio.*

cujus juſſu B. Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus apud Epheſum Synodum 200. Epiſcoporum celebravit, in qua Neſtorius & Pelagius cum ſuis dogmatibus iniquis damnati ſunt: ibi quoque ſtatutum, ut beatiſſima Virgo Maria, DEI mater deinceps vocaretur. Scripſit autem beatus Cæleſtinus inter cætera ſolenne Decretum contra Neſtorium: item Librum Epiſtolarum ad diverſos. Et quædam alia.

ANNO CHRISTI CCCCXXXII.

Imperatoribus THEODOSIO JUNIORE & VALENTINIANO III. Auguſtis.

DE

S. SIXTO III. Pontifice Maximo.

XLV.

Sixtus vir ſanctus calumniis falsò impetitur, & diſcuſſa ejus in Concilio cauſa, liberatur.

SAnctus SIXTUS III. ex patre Sixto, Romanus, mox ut ſummus Eccleſiæ Romanæ Pontifex acclamatus eſt, Concilium Romæ in ſua cauſa celebrari voluit. Cauſam hujus Concilii & anſam refert Ciaconius his ferè verbis: *Cùm enim ab Anicio Baſſo Exconſule turpi calumnia exagitatus eſſet, quaſi virginem monialem, Chryſogonitem nomine, violaſſet; ipſe Pontifex ſpontè voluit ſuam in Synodo cauſam dijudicari. Comparent Sixtus, & Baſſus: auditis ac diſcuſſis utrinque rationibus, Sixtus innocens, Baſſus calumniator deprehenditur, & ut talis à 57. Epiſcopis condemnatur. Hoc audiens Valentinianus Auguſtus cum matre ſua Placidia Auguſta, furore ſancto commoti, proſcriptione Baſſum condemnant, ac omnes ejus facultates in pœnam calumniæ addicunt Eccleſiæ Romanæ. Baſſus divina ultione intra tres menſes moritur, & à ſancto Sixto, injuriarum immemore, honorificè ad S. Petrum ſepelitur.* Hæc Ciaconius ex Anaſtaſio, & Platina.

Sixtus Neſtorium ad ſaniora reducere conatur.

Simul ac Sixtus publico patrum ſuffragio abſolutus, clavum totius Eccleſiæ Catholicæ moderandum ſuſcepit, zelo fidei commotus nihil antiquius habuit, quàm ut eandem redderet in omnibus ſtabilitam. Quare, ut Patrem ſe priùs exhiberet, quàm Judicem, ad Neſtorium in Monaſterio S. Euprepii apud Antiochiam tum agentem, annoque ſuperiori jam damnatum, ſalutares litteras ſcripſit: ad medicinam propinatam exhorruit Neſtorius, imò ad calumnias & mendacia declinantes Neſtoriani Sixti nomine, pro Neſtorio litteras finxerunt. Ea re graviter offenſus Theodoſius Imperator, obſtinatum in malo Hæreſiarcham edicto in exilium ad Oaſim, quæ urbs Ægypti eſt, proſcripſit; ubi paulò pòſt miſerando exitu, corpore ac lingua computreſcens, interiit.

Medicinam reſpuens relegatur, & mala morte extinguitur.

Similes litteras idem Sixtus miſit ad Joannem Antiochenum Epiſcopum, Neſtorii fautorem, quarum meminit Vincentius Lirinenſis, neque ſolùm Epiſtolis, ſed & luculentiſſimis ſcriptis editis Neſtorianam hæreſim vehementer exagitavit, ut refert Baronius. Quin & Sixti ſuaſu Theodoſius piiſſimus Imperator, ne Petri navis, quam hinc inde ab hæreticis agitatem aſpiciebat, fluctibus opprimeretur, ad Joan-

Sixti ſuaſu Joannes Antiochenus damnat Neſtorii hæreſim.

Joannem Antiochenum ipſe quoque litteras unà cum Ariſtolao Legato miſit, ut Neſtorium, ejuſque hæreſim anathematizaret : his ille acceptis, vocatis Syriæ Epiſcopis, conſilium cum eis iniit, ut quid facto opus eſſet, decernerent. Ne autem ad dicendam ſuam cauſam Nicomediam Joannes ex mandato Theodoſii cogeretur, illud inter eos conſultius deliberatur, habendam eſſe ratam damnationem hæreſis Neſtorianæ unà cum ipſo Neſtorio, ſicuti Theodoſius litteris ſuis faciendum admonuerat, & ſic redintegrandam eſſe communionem cum Romano Pontifice. Quæ omnia Ariſtolaus Legatus à Theodoſio miſſus rata habens, nullum ampliùs de proficiſcendo Nicomediam Joanni negotium faceſſivit, utpotè qui hac via concordiam inter diſſidentes Epiſcopos conciliandam eſſe conſpiceret. Joannes ex Synodo Antiochiæ tunc habita, de damnatione Neſtorii & ejus hæreſi Synodalem dedit Epiſtolam ad Sixtum Romanum Pontificem, quam refert Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis *Tomo 5. ad annum 432.*

Defendit Epiſcopos injuſtè expulſos.

Neque ſolùm contra hæreſes pugnare, ſed etiam diverſorum Epiſcoporum, qui propriis injuſtè expulſi ſedibus ad Romanam confugerant, cauſam patrocinari Sixto opus fuit. Britium Turonenſem Epiſcopum, adverſariorum calumniis oppreſſum, & è ſede ſua pulſum, causâ cognitâ, Eccleſiæ reſtituit: ac Petrum Chryſologum in Epiſcopum Ravennatem, à S. Petro Apoſtolo & S. Apollinare per viſum ſibi apparentibus admonitus, ordinavit: accidítque ut dum S. Cornelius Forocornelienſis Epiſcopus unà cum eodem Petro Chryſologo ejus tum Diacono Sixtum Pontificem inviſeret, Sixtus illum planè eſſe cognoverit, quem Princeps Apoſtolorum in Ravennatem Epiſcopum fore ordinandum præceperat. Oecumenici Concilii Epheſini decreta rata pariter Sixtus habuit, & pontificio adjecto decreto roboravit.

PetrumChryſologum ordinat in Epiſcopum Ravennatem.

Sanctè moritur.

Sixtus denique, erogatis omnibus, quæ habuerat, tum in ſacra ædificia, tum in ornamenta Eccleſiarum, tum in pauperes, anno ſui Pontificatus octavo, Chriſti verò 440. die 28. Martii, vitam ſanctiſſimè actam concluſit. Ejus ſacrum corpus ſepelitur via Tiburtina in Baſilica S. Laurentii extra muros.

SCRIPTA.

EjusScripta.

Scripſit Epiſtolas tres, quas notis exornavit Severinus Binius, & inveniuntur cum ejus Concilio Romano Tomo ſecundo Conciliorum, extant etiam apud Baronium, Joverium, Caraffam, & alios. Robertus Cardinalis Bellarminus in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis de eo agens hæc habet : *Sixtus III. Papa ſedit Romæ tempore Valentiniani III. Imp. Scripſit inſignem Epiſtolam ad Joannem Antiochenum, cujus fragmentum extat in libro Vincentii Lirinenſis. Scripſit etiam alteram ad omnes Orientales, quæ extat in tomo I. Conciliorum. Extant etiam duæ in tertia parte Concilii Epheſini, editionis Romanæ. Extat denique in Bibliotheca SS. Patrum tomo 5. ſecundæ editionis ſub nomine Sixti III. Pontificis Liber de divitiis : & alter de Caſtitate; & Epiſtola de malis doctoribus. Quæ tria volumina falsò adſcribuntur Sixto Pontifici, cùm plena ſint erroribus Pelagia-*

Obſervatio Bellarmini in opera Sixti.

lagianorum. Sixtus enim, cùm adhuc Preſbyter eſſet, primus damnavit Pelagium, unde eſt Epiſtola 105. Auguſtini ad Sixtum: ac denique magno zelo Pelagianos inſectatus eſt, ut teſtatur Proſper. Hactenus Bellarminus. De libro, Sixti Pontificis tertii nomen falsò præferente, Ciaconius ſic loquitur: *Suppoſitus extat à Pelagianis auctoribus liber, tribus voluminibus comprehenſus: primum volumen agit de divitiis: ſecundum, de malis Auctoribus, & de operibus fidei, & de futuro Judicio: tertium, de Caſtitate: quæ referta Pelagianiſmis exiſtunt, & falsò nomine Sixti inſcripta: ut ſolicitè conſideranti liquidò apparebit.*

Obſervatio Ciaconii.

ANNO CHRISTI *CCCCXL.*

Imperatoribus Theodoſio Juniore, Valentiniano III. Marciano, Avito, Majorano, & Leone Auguſtis.

DE S. LEONE I. Pontifice Maximo.

XLVI. *S. Leo cognomento Magnus incidit in deplorata tempora.*

SAnctus LEO I. natione Etruſcus ex patre Quinctiano, poſt Sixti obitum omnium votis ac plauſu ſummus Romanæ Eccleſiæ Pontifex eſt renuntiatus, ſanctioris vitæ præſtantiâ, virtutum meritis, incomparabili doctrinâ & eloquentiâ, *Magni* cognomentum aſſecutus. Incidit ejus Pontificatus in tempora planè miſerrima, cùm Orientalis Eccleſia aſſiduis Neſtorianorum, Eutychianorumque procellis quateretur; Occidentis verò Imperium ab irruentibus Barbaris fœdè vaſtaretur; ipſaque Roma clanculùm erroribus Manichæorum, ex Africa pulſorum, magno fidelium detrimento, inficeretur. Quibus detegendis, & in apertum è latebris educendis, haud leviter inſudandum fuit Leoni. Unde S. Proſper alicubi ait: *totus annus in inquirendis & detegendis Manichæis à Leone inſumptus fuit, quorum hæreſis in Concilio Romano damnata eſt, eorumq́; codices fœdis erroribus ſcatentes, juſſu Leonis, ignibus exuſti. Multi turpitudinem patefactam execrantes, ad ſanam mentem & pœnitentiam redierunt: multi cenſuris & pœnis urbe exacti, exilium ſubierunt: reliquis ferè omnibus, quòd edictis ſacris urgerentur, fugâ dilapſis.*

Manichæos Urbe expellit

Attilam ab Urbis everſione detinet, ac retrocedere compellit.

Anno ſalutis 452. cùm Attila Rex Hunnorum, cognomento *flagellum Dei*, poſt cladem in campis Cathalonicis, juxta Toloſam, acceptam cruentus Italiam invaderet; captiſque atque incenſis præclaris urbibus Mediolano, Ticino, & Aquileia, furore plenus ipſam quoque Romam (orbis & urbis caput) everſurus peteret; occurrit ei Leo, precibus Valentiniani Cæſaris, malorumque Italiæ impendentium miſericordiâ permotus: cujus divinâ eloquentiâ perſuaſus Attila, præter omnium expectationem, pacta cum Leone pace, totus mitis retroceſſit. Qui interrogatus à ſuis, quid rerum eſſet, quòd præter conſuetudinem tam promptè humiliterque Romani Pontificis imperata faceret? reſpondit, ſe adſtantem quendam alium, illo loquente, ſacerdotali inſignem habitu, veritum eſſe, ſtricto ſibi gladio mortem minitantem, niſi Leoni pacem ac reditum

ditum ſuadenti obtemperaret. Creditus eſt autem Petrus Apoſtolorum Princeps vir ille fuiſſe, qui in re tanta, Italiæ ac Romæ præſidio, Attilæque terrori & fugæ fuit.

Genſericum pariter mitigat, & ab Eccleſiarum direptione coërcet.

Leo autem Romæ ſingulari lætitia, omniumque plauſu exceptus, paulò pòſt invadenti Urbem Genſerico Vandalorum Principi, eâdem eloquentiæ vi, & ſanctitatis opinione perſuaſit, ut ab incendio, ignominiis, ac cædibus abſtineret. Ita Paulus Diaconus auctor Miſcellæ, cujus verba apud Ciaconium hæc ſunt: *Genſericus continuò Urbem præſidio vacuam capit; ſed occurſu Leonis Papæ mitigatur: hinc ab incendio, cædibus, atque ſuppliciis, Urbem immunem ſervavit: omnibus tamen opibus ablatis, multa inde captivorum millia, cum Auguſto, Eudoxia, & ejus filiabus Carthaginem victor revexit. Coërcitus tamen à S. Leone fuit, ne manus in theſauros trium præcipuarum Baſilicarum injiceret, cæteris Eccleſiis direptis.*

Concilium Chalcedonenſe indicit, ejusq; Decreta confirmat.

Româ digreſſo aliorſum Genſerico, cùm Leo vigilantiſſimus Paſtor Eccleſiam à multis hæreſibus, inter tot calamitates, oppugnari, maximeque à Neſtorianis & Eutychianis exagitari videret, divino inſtinctu Concilium Chalcedonenſe, ad eam purgandam, & in ſana fide confirmandam, induxit. Ubi ſexcentis triginta coactis Epiſcopis, impuriſſimi hæreſiarchæ Eutyches & Dioſcorus, & iterum Neſtorius, unanimi Patrum voce condemnati ſunt: ejus verò Concilii decreta, ſua auctoritate confirmavit Leo Pontifex. Qui antequam teſſeram fidei orthodoxæ contra præfatos Hæreſiarchas editam, per Legatos ſuos ad Patres tum Chalcedone, tum Epheſi congregatos mitteret, eam collocavit in tumulo Principis Apoſtolorum, ita deprecans: *Si quid ut homo minùs cautè poſui, Tu, cui à Domino Salvatore noſtro JEſu Chriſto & hæc Sedes & Eccleſia commiſſa eſt, emenda:* Orationibus deinde, & jejuniis per dies quadraginta ſummo ſtudio ſe dedit, quibus elapſis apparuit ei S. Petrus, dicens; *Legi, & emendavi:* ſicut re ipſâ de ſepulchro recepta eſt cum emendationum notis. Fuit autem ejus teſſeræ auctoritas tanta, ut elogio illam ſuo decoraverint ſexcenti & triginta Patres Concilii Chalcedonenſis in litteris ad Marcianum Imperatorem datis, legique conſueverit publicè tùm Romæ, tùm alibi in Eccleſia Occidentali quotannis menſe Decembri, ante Natalitias Chriſti Domini ferias, ut piè ac ritè Incarnationis myſterium crederetur. Aliud circa eadem Leonis ſcripta prodigium accidiſſe tradunt S. Gregorius, & Joannes Moſcho in vitis Patrum apud Heribertum Roſweydum, qui conſuli poteſt.

Inſigni miraculo S. Petri ſibi aſſiſtentem habet.

Fabula de Leone exploditur.

Exploditur autem ab omnibus primariis rerum Eccleſiaſticarum Scriptoribus ut fabula, commentum illud, quod à nonnullis recentioribus aſſeritur; nempe S. Leonem, cùm formoſa mulier ejus manum eſſet exoſculata, paſſum quid oblectationis humanæ, ac ob eam cauſam in ſe ipſum ultorem ad excidendam dextram, ferro armaſſe ſiniſtram, ſed oranti ipſi ad Dei Genitricis imaginem, ab eadem ſectam manum miraculo fuiſſe reſtitutam: hiſce igitur prætermiſſis, vera, quæ non deſunt, enarremus.

Leonis inſtituta.

Inſtituit Leo, ex Radulpho, in ſacris Liturgiis *Orate fratres*; Incenſationem oblatorum in memoriam Chriſti, *Hanc igitur oblationem*

tionem uſque ad ea *Placatus accipias :* Statuitque ex Innocentio III. ut in actione Myſterii diceretur *ſanctum Sacrificium immaculatam hoſtiam.* Inſtitutum etiam à Leone fuiſſe quidam ex Radulpho ſcribunt *Ite Miſſa eſt* quod tamen habetur in Liturgia S. Petri ; & expreſſiùs in *Conſtit. Apoſt. lib. 8. cap. 23.* Sanxit quoque, ne Monacha benedictum capitis velamen reciperet, niſi quadraginta annis virginitatem probaſſet. Lateranenſem Eccleſiam inſtauravit, atque à fundamentis ejus apſidem extruxit. Illius ſuaſu Demetria pia fœmina S. Stephani Eccleſiam in ſuo fundo, via Latina, tertio ab Urbe milliario conſtruxit. Ipſe verò viâ Appiâ ſub nomine S. Cornelii alteram, inſigniter dotatam condidit. Multas præterea & ſacras ædes, & ſacra earum vaſa (ut fuſè apud Anaſtaſium Bibliothecarium, Vegium, Baronium videre eſt) reſtituit.

Multas Eccleſias inſtaurat.

Apoſtolicam auctoritatem in Epiſcopos errantes exercet.

Plenitudinem & auctoritatem commiſſæ ſibi poteſtatis exercens, Primatem totius Aſiæ Baſſianum Epiſcopum Epheſinum, eò quòd vacantem illam ſedem vi occupaſſet, depoſuit & exauctoravit. Redarguit quoque Dorum Epiſcopum Beneventanum, quòd auſus eſſet contra majorum ritum, recens ordinatos ſuper alios anteà aſcitos presbyteros collocare, ſummiſque laudibus extulit Paulum presbyterum, quòd paſſus non ſit ab Epiſcopo ſe loco moveri, ſed gradûs ſui prærogativæ tuendæ gratia apud ipſum Leonem Pontificem laudabiliter conqueſtus eſſet. Contra Hilarium Epiſcopum Arelatenſem, virum deinde clarum, qui Celidonium Epiſcopum deponere, aliumque in locum Epiſcopi Projecti, nondum vitâ functi, ſubſtituere auſus fuerat, ad Galliæ Præſules, Viennenſis Provinciæ literas zelo plenas dedit. Ad Januarium Coënſem, ſeu Aquileienſem Epiſcopum (utramque enim, Coënenſem ſcilicet primò, deinde Aquileienſem moderatus eſt Eccleſiam) Epiſtolam dedit de recipiendis hæreticis verè pœnitentibus, abſque tamen ſpe ad ſuperiorem gradum provectionis. Ad Siciliæ etiam Epiſcopos litteras miſit continentes nonnulla ad Eccleſiaſticum ritum ſpectantia, ut de ſolemnis baptiſmatis tempore, nempe Paſchatis & Pentecoſtes ; eiſdemque præcepit, ut terni ſemel in anno ex Sicilia Romam ſe conferrent. E Gallia Proſperum Aquitanum accerſivit, eumque contra Julianum hæreticum in Campania agentem miſit ; deinde Romæ eundem retinuit, eoque uſus eſt à ſecretis, ut referunt Gennadius, & Photius in Bibliotheca.

Sanctè decedit.

His & aliis præclarè geſtis, obiit tantus hic vir anno reparatæ ſalutis 461. die undecima Aprilis, qua ab Eccleſia ejus ſancta memoria recolitur, ſepultus in Vaticano, haud tamen juxta S. Petrum, ſed in Baſilicæ ejusdem veſtibulo ante Secretarium, in poſtrema nimirum ejusdem veſtibuli parte ad lævam ingredientibus. Sedit in pontificatu annos viginti, menſes decem, dies viginti & octo.

S C R I P T A.

Ejus præclara Scripta.

Scripſit Homilias eloquentiſſimas 97. de præcipuis Domini, & Sanctorum ſolemnitatibus, quæ prodierunt Coloniæ anno 1568. operâ

operâ Laurentii Surii : Venetiis anno 1533. & Lovanii 1566. ſtudio Petri Caniſii S. J. Antuerpiæ anno 1583. operâ Canonicorum Regularium S. Martini Lovanienſis. Prodierunt etiam cum aliis ejusdem Leonis operibus Pariſiis anno 1639. ſtudio Gerardi Voxii.

Scripſit etiam Tractatum adverſus errores Eutychetis, & aliorum hæreticorum, qui prodiit Lugduni ad calcem operum ejusdem Pontificis, ſtudio Theophili Raynaudi S. J. qui extat etiam m.ſ. in Bibliotheca Vaticana. Item Enchiridion, ſeu Enarrationem in Paſſionem; Iſagogen ſive Introductionem in eandem, adjectis annotationibus Guillelmi Fabricii Noviomagi. Rurſum.

Adverſus Eutychetem Lib. 2.
De Symbolo Nicæno Lib. 1.
Alium ad Leonem Imperatorem.
Ad Inquiſitiones Januarii Lib. 1.
Alium Librum, inſcriptum Confeſſio Leonis.
De Incarnatione Verbi Commentarium adverſus Pelagianos, quem ab Eutychianis corruptum eſſe conſtat: extat verò incorruptus Græcè & Latinè in Biblioth. Bodleiana.
Scripſit etiam de Pelagianis converſis, quomodo recipi debeant, quando convertuntur, quæ Scripta, teſte Baronio, deſiderantur.
Sententias item ex Concilio Arauſicano.
Epiſtolam de Translatione S. Jacobi Apoſtoli, quæ dicitur aſſervari Cantabrigæ in Biblioth. Collegii S. Benedicti.
Edidit Epiſtolas familiares, & Decretales 110. Bellarminus habet 98. Ex quibus illa ad Flavianum Epiſcopum, quæ incipit; *Lectis Dilectionis tuæ litteris &c.* magna veneratione recepta fuit in Synodo Chalcedonenſi, Actione 4. ab omnibus & ſingulis Patribus: Et Gelaſius Papa in Decreto de Libris Doctorum, dicit anathema iis, qui Epiſtolam hanc S. Leonis integram non ſuſcipiunt.

Solet etiam tribui S. Leoni Liber de Conflictu Virtutum & vitiorum: ſed is S. Leonis I. eſſe non poteſt, ut benè obſervat Bellarminus, quòd in eo fiat mentio Regulæ S. P. Benedicti, qui S. Leone longè poſterior fuit, & ſtylum habeat omninò diverſum à ſtylo S. Leonis.

Liber de Conflictu virtutum & vitiorum Leoni falsò adſcribitur.

Ejus Decreta & Concilia leguntur tomo 2. Conciliorum cum Notis Binii: & apud Gratianum, Iſidorum, Burchardum, & Cherubinum.

Hic Pontifex in Scripturis divinis eruditiſſimus, & in declamandis ad populum homiliis, adeò celebris & facundus fuit, ut ſuperiorem in Eccleſia Romana habuerit neminem, prout clariſſimi ejus Sermones abundè teſtantur. Quare meritò à Joanne Trithemio *Eccleſiaſtica dictionis Tullius, ſacra Theologia Homerus, rationum fidei Ariſtoteles, auctoritatis Apoſtolica Petrus, & in Chriſtiano pulpito Paulus nominatur.* Ejus ſiquidem dulciſſimi juxtà ac graviſſimi ſermones cor penetrant, animum afficiunt & movent, fidemque Catholicam ſuavi breviloquio confirmant. Nec mirum, nam ignem divini amo-

Ejus elogium ex Trithemio.

amoris geſtans accenſum in pectore, quid aliud quàm verba ardentia loqueretur?

Commendat eundem præclaris verbis Verronius.

Ejus elogium breviter perſtringit in ſuo Chronico Sebaſtianus Verronius Præpoſitus Friburgenſis in Helvetia his verbis: *S. Leo Magnus Romanus Pontifex maximus anno 440. ſanctitate, doctrina, magna fide, & ſumma prudentia, apud Deum, & Principes multum valuit: zizaniam hæreſum à genuino germine verbi Chriſti diſcrevit: Patriarcham Conſtantinopolitanum Anatholium magnitudine & frequentia Principum urbis illius, primatum in alias Eccleſias ambientem corripuit, ac veterum Conciliorum ſententiis abſterruit: multa contra Eutychetem hæreticum egit, eundemq; damnavit: Diaconis æquè ac Epiſcopis & Sacerdotibus cælibatum ab Apoſtolis manantem indixit: ſingulari vigilantia ſollicitudinem omnium Eccleſiarum, Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Græciæ, Aſiæ, Africæ geſſit, ut illius præclaræ Epiſtolæ, & decreta utiliſſima ſatis ſuperq; declarant.* Hæc Verronius.

ANNO CHRISTI CCCCLXI.

Imperatoribus Leone, Ubio Severo, & Flavio Anthemio Auguſtis.

DE

S. HILARO Pontifice Maximo.

XLVII.

Literas ſcribit de damnato Neſtorio & Soc. & de cõfirmatione trium Concil. Oecum.

SAnctus HILARUS Criſpini filius, natione Sardus, patria Calaritanus, Monachorum olim inſtitutum ſecutus, poſt Leonis obitum, in Romanum Pontificem conſecratus eſt. Hic Prædeceſſoris ſui ſanctis veſtigiis inhærens, initio ſtatim ſui regiminis ad omnes Eccleſias literas encyclicas dedit de damnatione Neſtorii, Eutychetis, & Dioſcori, ſequaciumque eorum, & de confirmatione trium præcipuorum Oecumenicorum Conciliorum, Nicæni, Epheſini, & Chalcedonenſis: confirmans dominationem, & principatum ſanctæ Sedis Apoſtolicæ ſupra cæteras omnes Eccleſiarum ſedes.

Synodum Romæ celebrat.

Anno Salutis 465. decimo octavo Kal. Decembris Romæ Synodum Epiſcoporum XLVIII. celebravit: in qua adverſus conſultationes periculoſas nonnullorum Hiſpaniæ & Galliæ Epiſcoporum reſponſum. Et, ne Pontifices, aut alius quivis Eccleſiaſticus Succeſſorem ſibi deligeret: quod Gratianus retulit in Decreta. Statutum in eo etiam ne quiſquam, qui uxorem non virginem, ſeu viduam duxerit, ad ſacros ordines adſpiret. Ubi quoque de pœnis in concubinarios actum.

Conſtitutio Leonis Imp.

Anno ſequenti 466. die ultima Februarii Leo Imperator, Hilari ſuaſu, ampliſſimam edidit conſtitutionem de immunitate confugientem ad Eccleſias: quæ habetur l. 6. C. de iis, qui confugiunt ad Eccleſias.

Agit de condendo Cyclo paſchali.

Porrò Hilarus de novo condendo calculo Eccleſiaſtico, vel Cyclo Paſchali, provinciam injunxit Victorino Aquitano, qui ſcripſit

pſit Cyclum annorum quingentorum triginta duorum, ut Gennadius & Baronius teſtantur. Macedonianos hæreticos, Anthemii Imperatoris favore ſuſcitatos, quum cuncta miſcere in Urbe, & conventicula ſeorſim agere aggreſſi eſſent, virili animo Româ expulit, candoremque Romanæ fidei, ne hæreſum ſordibus inficeretur, conſervavit. Epiſcopos Orientales, abuſus in Eccleſias introducere connitentes, litteris & cenſuris à conatu abſterruit. In egentes, pauperes, peregrinos, viduas atque pupillos mira liberalitate, quoad vixit, enituit.

Macedonianos Urbe pellit: Epiſcopos Orientales in officio continet.

Anno ſui Pontificatus ſexto, Chriſti anno 467. die 29. Aprilis, miraculis ac ſanctitate clarus, mortem lætus aſpexit: ſepultus ad S. Laurentium in crypta juxta corpus B. Sixti III. Ciaconius hoc eum elogio exornat: *Hic opum neglectu, & conſiliorum magnitudine, inter ſublimes Pontifices effulſit: almisq; meritis, Angelorum colloquium & ſalutationem meruit. Egit, quæ ad optimum Pontificem pertinebant, tum in extruendis templis, ornandisq; tum etiam docendo, admonendo, caſtigando, eleemoſynasq; copioſas elargiendo.* De ſumma ejus munificentia in divinum cultum exhibita Anaſtaſius Bibliothecarius ex vetuſtioribus accepta monumentis fuſiùs agit. Dona aurea, argenteaque in Eccleſias ab eo profuſa, reperiuntur ſummam ducentorum millium, nongentorum, octoginta trium aureorum ſuperaſſe, non computatis impenſis in ſacra ædificia factis, aut redditibus annuis illis aſſignatis.

Miraculis clarus obit.

Laudatur à Ciaconio.

Ejus liberalitas.

SCRIPTA.

Scripſit verò Hilarus Decretum Synodale libro uno comprehenſum. Ad Epiſcopos Tarraconenſis Provinciæ Epiſtolas duas, quæ extant tomo 3. Conciliorum cum notis Binii, unà cum duabus Tarracanenſium Epiſcoporum Epiſtolis ad Hilarium. Scripſit etiam
De Concilio Nicæno Epiſtolam unam.
De Epheſino decem.
De Chalcedonenſi duas.
Ad diverſos Epiſtolarum librum unum.
Ejusdem Decreta leguntur apud Gratianum, Iſidorum, Creſconium, Caranzam, & alios decretorum collectores.

Scripta.

Eum laudat Trithemius his verbis: *Hilarus Papa natione Sardus, vir in divinis ſcripturis doctiſſimus, & multarum virtutum decore inſignis extitit, qui eleemoſynis & ſanctis operibus jugiter intentus, non ſine magna ſanctitatis opinione refulſit. Scripſit verò nonnullas inſignes epiſtolas &c.* de quibus jam ſuprà actum.

Commendatur à Trithemio.

ANNO CHRISTI CCCCLXVII.
Imperatoribus Leone, Anthemio, Leone Juniore, Olybrio, Zenone, Glicerio, Auguſtulo Auguſtis.

DE

S. SIMPLICIO Pontif. Maximo.

XLVIII.

PetitisLeonis Imp. adverſatur, & cur?

SAnctus Simplicius Caſtoris filius, Tiburtinus, perſolutis à Clero Hilaro Pontifici juſtis, omnium votis ad ſupremam Eccleſiæ ſedem expetitus eſt. Simul ac Conſtantinopoli id auditum eſt, Leo Imperator, quod obtinere non valuit à S. Leone & Hilaro, à Simplicio Papa impetrare ſategit, nimirùm ut rata haberentur privilegia ab Epiſcopis Synodi Chalcedonenſis, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ conceſſa: verùm cùm hæc ipſa privilegia primatui Romanæ Sedis adverſarentur, ea rata habere, ad exemplum Prædeceſſorum, noluit.

Alia ſalubriter agit.

Jus ordinandi Gaudentio Epiſcopo Auſinienſi abrogavit, illudque proximo Epiſcopo delegavit, ob nonnullas ordinationes perperàm à Gaudentio factas, cui etiam adminiſtrationem reddituum Eccleſiaſticorum, quòd eos malè diſpenſaſſet, interdixit. Exinde decretum edidit, quo Eccleſiaſticorum proventuum partem Epiſcopo, alteram fabricæ, tertiam pauperibus, poſtremam Clericis Deo inſervientibus deberi declaravit.

Petrum Alexandr. Eccleſia ejicit; è contrà Joannem Alexandr. reſtituit.

Petrum Alexandrinum, quòd Eutychianus eſſet, motuſque periculoſos in Eccleſia Orientali concitaret, anathemate defixum Eccleſia expulit. E contra Joannem Alexandrinum Epiſcopum orthodoxum, juſſu Zenonis Imperatoris pulſum atque proſcriptum, ſedi ſuæ reſtituit. Hebdomodarios Præsbyteros ſibi invicem per ſeptimanam ſuccedentes, qui populis fidelibus ſacramenta pœnitentiæ & baptiſmatis adminiſtrarent, in præcipuis Eccleſiis conſtituit.

Baſilicas multas inſtaurat.

Multas Baſilicas vetuſtate collapſas inſtauravit, novas fundidùs erexit, plurimiſque donis, prædiis, ornamentis auxit. Deni que cùm Eccleſiam Romanam annis quinque ſupra decem pontificiis virtutibus, & ſcriptis illuſtraſſet, anno ſalutis 483. die 2. Martii

Ejus obitus.

ſancto fine quievit; ejus ſolemnis memoria quotannis agitur Tiburi, ubi ſacræ ejus reliquiæ conditæ habentur.

S C R I P T A.

Scripta.

Scripſit Romanus hic Pontifex Epiſtolas 18. quæ inveniuntur tomo 3. Conciliorum cum notis Binii, unà cum Epiſtola Acacii Epiſcopi Conſtantinopolitani, ad quem Simplicius alias miſerat teſte Baronio, diu quæſitas, ſed nuſquam inventas, fors ab Acacii ſequacibus ſuppreſſas. Quatuor dumtaxat refert Joverius.

Laudatur à Trithemio.

Ejus memoriam celebrat his verbis Trithemius: *Simplicius Papa, natione Tiburtinus, vir fuit doctus & ſanctus, qui non tantùm ſimplex juxta nomen ſuum, ſed & rectus apparuit, recedens à malo, ac timens Deum: ſtatuta Chriſtiana Reipublica neceſſaria edidit, & ad ædificationem fidelium nonnulla conſcripſit, præſertim Epiſtolas multas & utiles &c.*

Sedente Simplicio, ait Ciaconius in vita, *finem fecit Imperium Romanum in Auguſtulo*: Ita volentibus fatis, ut quod in Auguſto maxima incrementa ſumpſiſſet, ac ſenſim decreſceret, denique in Auguſtulo penitùs deficeret. Nam Odoacer Herulus Germanus, teſte Verronio in Chronico, valida Germanorum manu, à S. Severino ſalutari benedictione accepta, Italiam invadit, ſubjugatque: Auguſtulum abdicare cogit, Regem ſe conſtituit, regnatque annos quindecim, dies undecim, à Theodorico poſteà victus, occiſuſque.

ANNO

ANNO CHRISTI CCCCLXXXIII.
Imperatoribus Zenone, & Anaſtaſio in Oriente, ac Odoacre Gothorum Rege in Italia.

DE

S.FELICE II. dicto III. Pont.Max.

COelius Felix II. dictus III. ex patre Felice genitus, Romanus, S.Gregorii Magni atavus, ut ipſe Dialogorum *lib.4.c.16.* teſtatur, poſt Simplicii obitum, in Petri Sede collocatus, firmiter ſanctorum Prædeceſſorum veſtigiis inhæſit. Nam non ſolum Exoticon Zenonis Imperatoris, fidei Catholicæ, immunitatique Eccleſiaſticæ ac diſciplinæ contrarium, rejecit; ſed & in eos omnes, qui impio edicto ſubſcriberent, anathema intulit, ipſumque Exoticon, *veræ impietatis ſeminarium*, ut Ciaconius loquitur, proſcripſit. Acacium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quòd tacitam cum hæreticis conſpirationem haberet, primò increpuit, tùm ut commiſſa corrigeret, & ſequentibus ſtudiis meliora de ſe ſentiri faceret, paternè litteris commonuit. At cùm ille ſuaſionibus Apoſtolicis; & ſanctæ ſedis monitis arroganti ſupercilio reſiſteret, nec citatus Romam ad dicendam cauſam, comparere vellet, à Felice, & LXXVII. Patribus Romæ coactis, ut indignus Catholica communione, à fidelium numero ſegregatus eſt. Latam excommunicationis in Acacium ſententiam Dardaniæ, Macedoniæ, ac totius fermè Orientis Epiſcopi, ratam habuère. Acacius verò eâ percepta ac lectâ, eò inſaniæ prorupit, ut nomen Felicis diris devotum è ſacro albo eraſerit, quod nemo hactenus, quamvis hæreticus, cogitaſſe, nedum feciſſe repertus eſt. Non ideo prætermiſit Felix indulgentiſſimus pater, Acacii curam, ſed ſæpè ſæpiùs illum, ne omninò periret, invitavit ad reſipiſcentiam per Andromachum virum illuſtrem, ut teſtatur Gelaſius Papa in Commentorio ad Fauſtum. At Acacius totus obduratus, inque anathemate perſeverans, cùm ſediſſet annos 17.menſes 9. (ut habet Nicephorus in Chronico) finem vivendi fecit anno Chriſti 488. Cujus nomen, licèt à ſucceſſoribus cum nominibus Orthodoxorum in Eccleſia recitaretur, contradicentibus Romanis Pontificibus, ex Diptychis tandem ſacris ignominiosè expunctum eſt, id fortiter agente Hormiſda Papa apud Juſtinum Imperatorem, ut ſuo loco dicemus.

XLIX.

Exoticon Zenonis Imp. proſcribit.

Acacium Epiſc. Conſtantinopolitan. damnat.

Acacii in Felicem Papam protervia.

Acacii mors.

Neque ſolùm Acacius Epiſcopus Conſtantinopolitanus Romanam perſecutus eſt Eccleſiam, ſedente Felice in Petri Cathedra, ſed etiam Petrus Fullo (dictus Græcè Gnapheus) intruſus poſt ejectum Calendionem in ſedem Antiochenam, homo impius, ſanguinarius, hæreticus, fautorque hæreſum priorum. Hic damnatus in Concilio Romano, cui præfuit Felix Pontifex, Orientalibus Orthodoxis occaſionem dedit, eundem pariter damnandi, exauctorandi, pellendique. Qui denique terrâ cœloque exul periit impœnitens. Litteras etiam dedit Felix ad Zenonem Imperatorem, graviſ-

Petrum Fullonem Epiſc. Antiochenũ intruſum damnat.

graviſſimis illum, verbis admonendo, ut à communione hujuſce Petri judicio Eccleſiaſtico jam condemnati, caveret.

Zeno Imp. vivus ſepelitur. Succedit Anaſtaſius paris impietatis.

Hic Zeno fictus Catholicus, verus hæreticus, anno Imperii ſui octavo decimo, morbo comitiali, ex vino & venere contracto, correptus, ultore Deo, tanquam exanimatus Ariadnæ juſſu ſepulchro illatus eſt vivus. Ejus poſteà nomen rogatu Hormiſdæ per Juſtinum Imperatorem ex albo Cæſarum Catholicorum expunctum. Succeſſit perfido Zenoni æquè perfidus Anaſtaſius, qui ob immania ſcelera anathemate primùm Eccleſiaſtico, tum cœleſti fulmine ictus, impuram animam miſit.

Hunerici perſecutio gravis.

Exagitata etiam Felicis tempore Africa ab Hunerico Vandalorum Rege, cujus juſſu Epiſcoporum ſpolia ad regium fiſcum converſa; Sacræ Virgines ignitis laminis exuſtæ; Presbyteri, Diaconi, aliique Eccleſiarum miniſtri ad quatuor millia, nongenta ſexaginta ſex in exilium deſtinati, inter quos B. Felix Abderitanus, qui 44. annis illam Eccleſiam ſanctiſſimè rexerat, tunc paralyſis morbo percuſſus, aurium & linguæ uſum penitùs miſerat. Cùm autem Felix Romanus res Orientis adeò turbatas agnoſceret, ut nulla prorſus ſpes eſſet reſtituendi Joannem Eccleſiæ Alexandrinæ, eundem Nolanæ in Campania præfecit.

Obitus Felicis

Mortem oppetiit S. Felix Romanus Pontifex, die 25. Februarii anno ſalutis 492. regiminis ſui anno nono, ſumma laude, ſcriptorum omnium teſtimonio, pontificia adminiſtratione perfunctus. Ejus cineres in Baſilica S. Pauli extra muros reconditi, vel hodie fidelibus venerationi ſunt. Hic poſt obitum totus ſplendidus Tarſillæ nepti ſuæ, Divi Gregorii Magni amitæ, apparens, illam ad cœleſtia regna revocavit, ut ſcribit ipſemet Gregorius Homilia in Evang. 38. & Dialogorum *libro 4. cap. 16.*

Tarſillam ad regna cœleſtia vocat.

SCRIPTA.

Ejus Scripta.

Scripſit S. Felix Epiſtolas octo, quas notis ſuis decoratas exhibet Severinus Binius tomo 3. Conciliorum. Alias etiam ſcripſit, ſed nobis ignotas. Ad eum Litteras dederunt multas Zeno Imperator, & Anaſtaſius Patriarcha Hieroſolymitanus, ut Coccius affirmat. Ejus Decreta & Conſtitutiones, quas partim recitat Ciaconius ad calcem vitæ, inveniuntur apud Gratianum, & alios Canoniſtas.

ANNO CHRISTI CCCCXCII.
Imperatore ANASTASIO, & THODORICO
Gothorum in Italia Rege.

DE

S. GELASIO I. Pontif. Maximo.

I. SAnctus GELASIUS I. natione Afer, patre Valerio ortus, ante adeptum Pontificatum Beati Auguſtini diſcipulus extitit. Hic in perſecutione Vandalica ex Africa cum cæteris ejusdem Auguſti-

guſtini diſcipulis profugus ; ejus Regulam Romam attulit, & ſub Leone I. juxtà illam, Canonicorum Inſtitutum in Lateranenſi Baſilica reformavit. Defunćto Felice, uno virtutis ac eruditionis ſuffragio Romanus Pontifex ſalutatus, confirmatuſque, litteras ad Anaſtaſium Imperatorem dedit, quibus illum paternè hortatur ad Romanæ Sedis obedientiam, & ad damnandum Acacii jam anteà à Patribus damnati nomen; in iiſdem etiam prudenter & eruditè diſſerit de primatu Eccleſiæ Romanæ, quem quidam malevoli ſibi arrogare conabantur, ejuſdem Imperatoris auctoritate malè ſuffulti. Unde poſteà à Gelaſio Concilium Romæ celebratum, in quo Prædeceſſorum veſtigiis inſiſtens decretum edidit ſuper primatu Eccleſiæ Romanæ adverſus Conſtantinopolitanos Epiſcopos, qui primi omnium contra Romanam Sedem cornua erexerant. Decretum in eo Concilio, primum locum deberi ſedi Romanæ; ſecundum Alexandrinæ; tertium Antiochenæ. Inter Synodos verò Oecumenicas primum locum obtinere Nicænam, in qua Arius hæreticus condemnatus eſt ſub Conſtantino Magno; ſecundum tenere Conſtantinopolitanam Synodum ſub Theodoſio Seniore celebratam, in qua Macedonius condemnatus eſt; tertium locum obtinere Epheſinam, in qua ſub Cœleſtino I. Neſtorius condemnatus eſt; quartum locum tenere Synodum Chalcedonenſem, in qua Neſtoriana & Eutychiana hæreſes damnatæ. Inter recentiores verò hæreticos numerati Petrus Alexandrinus, & Acacius Conſtantinopolitanus.

Inſtitutũ Canonicorum Regularium juxta regulam B. Auguſtini reformat.

Scribit Anaſtaſio Imp. & quare?

Decretum edit de Primatu Sedis Romanæ; & Conciliorum Oecumenic.

In eodem Concilio Romano etiam actum de bonorum, redituumque Eccleſiaſticorum quadripartita diviſione. Prima diviſionis pars Epiſcopis attributa; ſecunda Clericis; tertia pauperibus; quarta Eccleſiis. Addidit autem præter ea, quæ hac de re à Simplicio Papa fuerant conſtituta, provida ratione Gelaſius; ut pars illa, quæ in uſum pauperum convertenda eſſet, nequaquam clanculò erogaretur, ſed palàm omnibus videntibus, atque ſcientibus, ne rapiendi vel diminuendi eam daretur occaſio.

Agit de diviſione bonorũ Eccleſiaſticorum.

Idem vigilantiſſimus Pontifex Manichæos in Urbe deprehenſos exilio damnavit, eorumque libros diligenter conquiſitos in foro publico ante Baſilicam S. Mariæ Majoris combuſſit. Utque Manichæos (qui negabant Chriſto verum corpus ſanguine præditum fuiſſe, ob idque calicem Domini vili penderent) opportuniùs detegeret, præcepit publicis litteris, ſacram Synaxim ſub utraque ſpecie fieri in Eccleſia: quod decretum eo uſque in vigore permanſit, donec hæreſis illa evanuit.

Manichæos damnat, & urbe pellit.

Sacram Synaxim ſub utraque ſpecie permittit, & cur?

Cùm verò intellexiſſet Petri & Acacii ſeditionibus à ſequacibus eorum concitatis, multa flagitia & parricidia in Eccleſiis Græcis committi, Legatos miſit in Orientem, qui eos, niſi reſipiſcerent, in perpetuum damnarent. Ea occaſione anathemate perculſit Anaſtaſium Imperatorem, quòd toties monitus, nihilominus Acacio adhæreret, ejuſque damnatæ hæreſi faveret. Hinc conſtare poteſt, exemplo, Imperatorem in fide errantem, & monitum, ſi non paruerit, à Romano Pontifice excommunicari poſſe. Decretum quoque edidit de Libris veteris ac novi Teſtamenti retinendis, aut rejiciendis, in quo accuratè Canonicos ab Apocryphis, genuinos à ſuſpectis, aut ſpuriis diſcernit.

Anaſtaſium Imp. anathematizat.

Decretum ejus de libris Canonicis.

Apparitio S. Michaëlis. Ejus Pontificatu, illuſtris fuit apparitio S. Michaëlis Archangeli in vertice montis Gargani, de qua precarius Codex annuatim agit die octava Maij. Hoc ipſo etiam tempore Orbi Chriſtiano il- *Oritur B. Benedictus.* luxit magnum illud Occidentis Sydus S. Benedictus Abbas, qui cœleſtem in terris vitam agens, Monachorum cœtus in Occidentem primus induxit, ut religioſis virtutibus ſepulto in vitiis mundo prælucerent, & mederentur; tam ubere quidem proventu, ut poſt annos aliquot viſa ſit ipſa Thebais in Europam migraſſe.

Gelaſii obitus Gelaſius vir doctiſſimus juxta ac ſanctiſſimus Pontificatum divino munere adeptum rexit annos quatuor, menſes octo, dies novendecim: obiit verò, ut habent indices Vaticani, die 21. Novembris, anno à Chriſti nativitate 497. ſepultus in Vaticano ad S. Petrum.

SCRIPTA.

S. Gelaſii Scripta. Scripſit Epiſtolas varias & multas, licèt paucæ earum ad noſtram notitiam pervenerint: nam tredecim tantùm habet Severinus Binius tomo 3. Conciliorum cum notis, quas ex Codicibus Vaticano & Arelatenſi deſumpſit.

Harum primam ſcripſit ad Euphemianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, qua illum hortatur, ut quemadmodum Eutychetem, reliquosque hæreticos, ſic quoque & Acacium anathematizet, ejusque nomen è ſacris tabulis eradat.

Secundam dedit ad Epiſcopos Macedoniæ, quam miſit ad Laurentium Lignidi Epiſcopum; eſt hæc Epiſtola circularis, ut eos in officio Catholicæ & Apoſtolicæ communionis contineret, contra Epiſcopum Theſſalonicenſem ejusdem provinciæ Metropolitanum, jam ab Eccleſia Romana ſegregatum.

Tertiam, quartam, & quintam ſcripſit ad Epiſcopos Dardaniæ, & Illyrici, quibus Epiſcopos illos hortatur, ne cum hæreticis communicarent.

Sextam dedit ad Fauſtum, Legationis officio Conſtantinopoli fungentem, qua docet Acacium jure à Sede Apoſtolica damnatum, cujus nomen cùm Euphemianus Epiſcopus Conſtantinop. non expunxerit è Dyptichis, verùm inſuper etiam defendendi ejus patrocinium ſuſceperit, cum illo communicare caveret.

Septimam & octavam ad Honorium Dalmatiæ Epiſcopum contra Pelagianam hæreſim.

Nonam ad omnes Epiſcopos per Picenum contra eandem hæreſim Pelagii.

Decimam ad Anaſtaſium Imperatorem, quâ illum hortatur ad Romanæ ſedis obedientiam, & ad damnandum Acacii nomen.

Undecimam ad Epiſcopos Lucaniæ, qua nonnulla Eccleſiaſtica ſtatuta exponuntur.

Duodecimam ad Epiſcopos Siciliæ, ut Eccleſiæ facultates pauperibus erogarent.

Ultimam ad Eonium Arelatenſem Epiſcopum, qua mutuam charitatem cum Eccleſia Catholica retinendam eſſe monet.

Scri-

Scripſit etiam de Anathematis vinculo Librum, qui extat tomo 3. Conciliorum, in quem commentati ſunt Auguſtinus Barboſa percelebris Doctor Luſitanus in ſuis Collectaneis, & Didacus Covarruvias lib. 4. Variarum Reſolut.

Apologiam adverſus Andromachum Senatorem, cæteroſque Romanos, qui Lupercalia ſecundum morem antiquum conſtituebant; hanc invenies apud Baronium ad annum 496. & in tomo 3. Conciliorum.

Adverſus Græcos Tractatum, Pariſiis ſtudio Jacobi Sirmundi S.J. editum. Dicta adverſus Pelagianam hæreſim, & extant tomo 3. Conciliorum.

Proſas & Hymnos Eccleſiaſticos varios, quibus utitur Romana Eccleſia. Orationes multas, quas per annum in Miſſæ ſacrificio recitamus. Auctor quoque extitit decem ſacrarum Præfationum, quas Eccleſia Romana diebus ferialibus, ac feſtis Nativitatis, Epiphaniæ, Quadrageſimæ, Crucis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Trinitatis, & Apoſtolorum in ſacris Liturgiis præcipit cani, ut conſtat ex ipſius vita, quam refert in ſuo Choro Sanctorum & Beatorum diverſarum nationum Benedictus Gononus p. 2. *Auctor decē Præfationū extitit.*

Scripſit Epiſtolas ad Amicos & domeſticos multas, non minùs graves, quàm doctas.

Adverſus Neſtorium & Eutychetem Hæreſiarchas Libros quinque; multi tamen contendunt hos libros eoſdem eſſe, ac Librum de duabus Naturis adverſus eoſdem hæreticos conſcriptum ſub Gelaſii Papæ nomine; re vera tamen, ut ipſi dicunt à Gelaſio Cizico, vel à Gelaſio Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopo exaratum. Cardinalis Bellarminus de Script. Eccleſ. & Baronius tomo 6. Annal. Melchior Canus Ord. Prædicat. Epiſcopus Canarienſis, Antonius Poſſevinus S.J. in Apparatu Sacro, Binius in notis ad vitam Gelaſii Papæ contendunt Libros in Neſtorium & Eutychetem non eſſe Gelaſii Papæ. *Diverſæ opiniones circa ejus Libros adverſus Neſtorium & Eutychetem ſcriptos.*

E contrà Fulgentius Ruſpenſis Reſponſione 2. ad Ferrandum Diaconum, Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Gelaſii, Margarinus Bignæus tom. 4. Bibliothecæ Patrum, Henricus Spondanus Epiſcopus Apamienſis ad annum 496. & alii, hoc opus Gelaſii Papæ indubitatum aſſerunt. Ego tenuitatis meæ conſcius in tanta opinionum diſcordia haud Judex eſſe velim. Prodiit tamen variis in locis ſub Gelaſii Papæ nomine, nempe Baſileæ anno 1528. Tiguri anno 1557. & Pariſiis tomo 4. Bibliothecæ Patrum.

Ejus Concilia Romana habentur tomo 3. Conciliorum cum notis Binii, & Frontonis Ducæi è Soc. Jeſu, qui ex Codice Virodunenſi ea dedit in Lucem. Dionyſius Exiguus ſecundi Concilii acta è Græco in Latinum vertit.

Varia ejuſdem decreta & Conſtitutiones leguntur apud Creſconium, Iſidorum, Ivonem, Gratianum, & alios.

ANNO CHRISTI CCCCXCVII.

Imperatore ANASTASIO, & THEODORICO Gothorum in Italia. Rege

DE

ANASTASIO II. Pontif. Max.

LI. *Legationem ad Imp. Anaſtaſium mittit, & quare?* ANASTASIUS Junior, dictus II. Romanus, ex patre Petro, defuncto Gelaſio in Petri ſede ſucceſſit. Hic zelo fidei commotus in principio ſui Pontificatus, legationem & litteras ad Anaſtaſium Imperatorem miſit, & periclitanti Eccleſiæ Orientali ſub hæretico Principe ſuccurreret, & Acacii damnati memoriam deleret. *Anaſtaſii fallacia.* Anaſtaſius autem Imperator ſacra Pontificis monita aſpernatus, in id unum doloſè incubuit, quomodo Pontificem ad ſubſcribendum Enotico Zenonis inducere poſſet. Ad hanc rem perficiendam Feſtum pecuniis corruptum, Legati ſpecie ad Pontificem miſit, pollicitus, ſi Enoticon approbaret, ſe & Acacii nomen ſuppreſſurum, & Eccleſiæ Orientalis cum Romana unionem procuraturum.

Feſtus homo doloſus. Erat Feſtus Senator Romanus, homo doloſus, & profligatæ fidei, negotia quædam Senatus Romani nomine apud Cæſarem Conſtantinopoli pertractans. Hic acceptis muneribus Imperatori clàm ſpopondit, perſuaſurum ſe Romano Pontifici, ut Enotico Zenonis quantocyùs ſubſcriberet. Romam appulſus, Anaſtaſium Pontificem vitâ functum reperit: qua re conſternatus, animum ad conflandum Schiſma, quod poſteà contigit, adjecit: ut vel ſic Imperatori hæretico placeret.

Anaſtaſii Papa obitus. Obiit Anaſtaſius ſecundo ſui Pontificatus anno, integer & ſincerus in fide Catholica, nulla Feſti perfidia ſeductus, aut hæreſis notâ contaminatus, ut malè quidam (facem præferente Gratiano) opinati ſunt. Mortuus eſt autem Romæ die 16. Novembris anno ſalutis 499. Sepultus in Baſilicæ Vaticanæ porticu juxta Secretarium.

SCRIPTA.

Ejus Scripta. Scripſit Epiſtolam decretalem unam ad Anaſtaſium Imperatorem, quæ extat tomo 3. Conciliorum cum notis Severini Binii, & in Collectione Joveriana. Invenitur etiam M.S. in Bibliotheca Cameracenſi in Belgio, teſte Ludovico Jacobo à S.Carolo.

Falsò hæreſis inſimulatur. Cæterùm quæ adverſa & calumnioſa de Anaſtaſio Pontifice referuntur, vel ex imperitis Scriptoribus, vel ex Gratiano deprompta, à multis doctiſſimis, iiſque præcipuis Hiſtoricis ut falſa & injurioſa ſolidè refutantur, & rejiciuntur, ut jam opus non ſit, crambem hic, ut ajunt, recoquere. Legant, qui veritatis cupidi ſunt, Auctores quos indigito, innocentiam Anaſtaſii virili calamo propugnantes;

nantes : Baronium videlicet Tomo 6. Annal. Bellarminum *lib. 4. de Rom. Pontif. c. 10.* Hoſium *lib. 2. de legitimis Judicibus.* Sanderum *lib. de Viſibili Monarchia lib. 7.* Albertum Pighium *lib. 4. Hierarchia Eccleſiaſticæ, c. 8.* Genebrardum in Chronico. Ciaconium in vita Anaſtaſii. Victorellum in Notis ad Ciac. Oldoinum in addit. ad Ciac. Morerium in Dictionario Hiſtor. verbo *Anaſtaſe II.* alioſque plures.

ANNO CHRISTI *CCCCXCIX.*
Imperatore ANASTASIO, & THEODORICO
Gothorum in Italia Rege.

DE S. SYMMACHO Pontif. Max.

LII.

Schiſma inter Symmachum & Cœlium Laurentium auctore Feſto.

SAnctus SYMMACHUS Fortunati filius, natione Sardus, quarto poſt Anaſtaſii II. obitum die ſummus Eccleſiæ Romanæ Pontifex eligitur. Quo tempore Cœlius Laurentius Presbyter Cardinalis à factioſis pariter Antipapa renunciatus eſt. Feſtus namque Anaſtaſii Imperatoris, ut paulò antè diximus, Legatus, ut ea, quæ Imperatori clanculùm pollicitus fuerat, præſtaret, ſuadere nimirum Romano Pontifici, ut Enotico Zenonis ſubſcriberet, cùm Romam appuliſſet, & Anaſtaſium Pontificem mortuum reperiſſet, ſpe ſua agendi cum Anaſtaſio dejectus, operam dedit, ut talis Succeſſor ſaltem crearetur, qui ad id præſtandum facilis & idoneus crederetur, votiſque perfidis annueret.

Hinc Romæ diu tumultuatum.

Multis igitur pecunia corruptis, id demum vir impius effecit, ut Symmacho legitimo Pontifici Laurentius opponeretur Schiſmaticus. Ordinantur ambo: à pluribus & ſanioribus Symmachus, à corruptis paucioribus Laurentius. Quorum cauſa Romæ cædes, rapinæ, jurgia, aliaque id genus mala paſſim perpetrantur. Non anni unius fuit conflictus, ſed plurium: qui ſæpè conſopitus, rurſum vehementiori impetu recruduit, dum Senatores, populus, Clerus, inter ſe diviſi, alii hujus, alterius alii factionem ſectantur. Denique re ad Theodoricum Regem Ravennam delatâ, Symmachus abacto Laurentio Schiſmatico, legitimus Pontifex, uti re vera erat, ab Ariano Rege pronunciatur, & ut talis à Romanis omnibus, ſopita divinitus diſcordia, ſuſcipitur, & coronatur.

Symmachus legitimus Petri Succeſſor pronunciatur.

Imperatorem literis compeſcit.

Edicta Theodorici Regis caſſat: alia & præclarè agit.

Confirmatus in ſua Sede Symmachus, nihil non forti & egregio dignum Pontifice egit: Anaſtaſium Imperatorem ferocientem, epiſtolâ Apoſtolicæ gravitatis plenâ compeſcuit, in qua graphicè depingit, quantò poteſtas ſpiritualis à Chriſto Epiſcopis collata, imperiali potior ſit, magiſque metuenda: Theodorici Regis edicta adverſus immunitatem Eccleſiaſticam pugnantia, ſpreto capitis periculo, nullius roboris edixit, caſſavitque: Traſamundo Principi, Epiſcoporum electiones inhibenti, in faciem reſtitit: Apoſtolicis litteris Orientis Epiſcopos orthodoxos ad ſtrenuè pro fide Catho-

Exulibus Epiſcopis liberali manu ſuccurrit.

Sex Concilia Romæ celebrat, & quare?

Gentium converſioni ſtudet.

Olympii hæretici interitus.

lica contra hæreticos decertandum incendit: captivos innumeros, ab iniquis Regibus Arianis detentos, propriis pecuniis redemit; & donis inſuper refertos dimiſit ad propria: ducentis viginti Epiſcopis Africanis, à Traſamundo in Sardiniam relegatis, menſtrua ſtipendia ad victum & veſtitum neceſſaria liberaliter ſubmiſit: Urbis templa ferè omnia pretioſis donis, Urbem quoque ipſam tum ſacris, tum profanis ædificiis exornavit: fontes publicos ad Urbis ornamentum, civiumque commodum in Vaticano conſtruxit: Sex Concilia in Urbe, coactis undique Epiſcopis, in cauſa fidei, Epiſcoporum pulſorum reſtitutione, & Cleri reformatione celebravit: Alamandum Sarracenorum Regem, ut Chriſti fidem amplecteretur, ſaluberrimis ſuaſionibus induxit. *Eodem enim tempore*, inquit Oldoinus in vita Symmachi, *quo Anaſtaſius in Oriente, Traſamundus in Africa, Alaricus II. in Hiſpania, Theodoricus in Italia peſtiferam Arianorum ſectam propagare ſtudebant, enituit zelus & ſollicitudo S. Symmachi, qui ſubmiſſis quaquaverſum fidelibus miniſtris, doctrina & ſanctitate conſpicuis, errantes ad Chriſtum reducebat.* Plures Epiſcopos in hæreſim prolapſos anathemate defixit, inter hos Olympium Carthaginenſem, qui poſteà in balneis, dum iniqua in ſanctiſſimam Triadem ora ſolveret, tribus igneis jaculis, Angelo emittente, viſibiliter combuſtus eſt.

Sanctitate clarus moritur.

Moritur denique ſanctiſſimus Papa Symmachus, cùm ſediſſet annos 15. menſes 7. dies 28. Romæ anno ſalutis 514. die 19. Julii, Sepultus in Baſilica S. Petri Apoſtoli: de quo hæc habet Martyrologium Romanum: *Quarto decimo Kalend. Auguſti, Romæ Sancti Symmachi Papæ, qui Schiſmaticorum factione diutiùs fatigatus, demum ſanctitate conſpicuus migravit ad Dominum.*

SCRIPTA.

Ejus Scripta.

Scripſit Epiſtolas multas doctrina & pietate inſignes, quarum undecim inveniuntur reſcriptæ in tomo 3. Conciliorum, una cum Orientalium Epiſcoporum ad Symmachum Epiſtola. Primam & ſecundam miſit ad Eonium Arelatenſem Epiſcopum, de Viennenſi & Arelatenſi Eccleſia. Tertiam ad Liberium Patricium, de electo Epiſcopo Aquilienſi. Quartam ad Laurentium Mediolanenſem Antiſtitem. Quintam & ultimam ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum. Sextam de Poſſeſſionibus Eccleſiaſticis. Septimam Apologeticam adverſus Anaſtaſium Imp. Octavam ad Epiſcopos pro Catholica fide exules. Nonam ad Orientales, ut hæreticorum communionem caveant. Decimam ad Epiſcopos Galliæ. Has omnes notis illuſtravit more ſuo Binius. Illa verò Apologetica adverſus libellum Anaſtaſii Imp. extat in Bibliotheca Patrum. Exemplar Conſtituti facti à Symmacho de abroganda lege Odoacris Regis, repugnante libertati Eccleſiaſticæ in electione Pontificis, & de rebus Eccleſiæ conſervandis invenitur in tertio tomo Conciliorum cum ſex Conciliis Romanis, & Libello Apologetico Ennodii Diaconi pro defenſione Symmachi, & quartæ Synodi Romanæ.

Trithemius in Libro de Script. Eccleſ. mentionem Symmachi

faciens,

faciens, hæc ſubjungit: *Symmachus Papa, natione Sardus, vir doctus & ſanctus, non ſine diſcordia partium Laurentii Pontificatum adeptus eſt. Homo in pauperes clemens & munificus, Clerum dilexit, Eccleſias ditavit, ex Urbe fugavit hæreticos &c. Scripſit quaſdam Epiſtolas, & non contemnenda opuſcula; de quibus ego reperi:*

Commendatur à Tritbemio.

Decretum primæ Synodi, Lib. 1.
Decretum Synodi Romanæ, Lib. 1.
Geſta alterius Synodi Rom. Lib. 1.
De Exceſſibus Clericorum Lib. 1.
Epiſtolarum ad diverſos Librum. 1.

ANNO CHRISTI DXIV.

Imperatoribus ANASTASIO, & Juſtino Seniore Auguſtis. & THEODORICO Gothorum Rege in Italia.

DE

S.HORMISDA Pont. Maxim.

SAnctus Hormiſda, natione Campanus, ex patre Juſto de Fruſinone, mortuo Symmacho, unanimi totius Cleri voce ad Sedem Apoſtolicam evehitur, qui totus in repræſentandam utriuſque Eccleſiæ communionem incubuit, præſertim annuente Vitaliano Duce, qui ejus rei cauſa arma contra Anaſtaſium Imp. ſumpſerat. Sed Anaſtaſius veteratoriis artibus, ambobus illuſit, & quamdiu vixit, rem Catholicam obterere, ac ſuam hæreſim vulgare non deſiit, ac Triſagium Hymnum cum appendice nefaria, *Qui crucifixus es pro nobis*, non ſemel publicè cani in Eccleſiis juſſit, haud levi ſuo periculo. Gravis quippè anno 514. ex eo populi orta ſeditio eſt, quæ Anaſtaſium ipſum ad quærendas latebras impulit, exprobrante illi impietatem ſuam Ariadna conjuge. Nam Vitalianus Scytha, fœderatorum Dux (Fœderati eo tempore nominati ſunt Gothi) per ſpeciem tuendæ religionis Catholicæ ab Anaſtaſio defecit, ac multis interfectis, exercitu etiam ad urbem Conſtantinopolitanam admoto, pacem ea conditione perterrito Imperatori indulſit, ut Hormiſdæ Papæ auctoritate, collecta Synodo, Eccleſiæ conſuleretur: Sed Anaſtaſius Catholicorum ſtudia ſolitis eluſit artibus, cùm ex Manichæorum diſciplina, qua erat imbutus, mentiri ac peierare nihil penſi haberet. LIII.

Hormiſda Pontifex eligitur.

Anaſtaſius Imp. rem Catholicam obterere nititur.

Impugnatur à Vitaliano.

Eo verò non multo pòſt cœleſti fulmine icto, ac mortuo, & Juſtino religioſiſſimo Principe in ejus locum ſuffecto, quod tantopere ſtudebat Hormiſda, conſecutus eſt anno 519. Legatis Conſtantinopolim Germano ſcilicet Capuano, & Joanne Epiſcopis, Blando Presbytero, Felice ac Dioſcoro Diaconis, quorum operâ damnata eſt cum hæreticis omnibus, Acacii, Euphemii, ac Macedonii memoria, Zenonis item & Anaſtaſii Imperatorum: plenoque cum Romana Sede Orientalium pax redintegrata.

Hormiſda hæreticorum memoriam abolet.

Hanc

Hanc pacem cùm per urbes Græciæ Hormiſdæ Legati circumferunt, unus ex his Dorothei Theſſalonicenſis Epiſcopi factione ab illius urbis populo crudeliter ignominioſeque eſt habitus. Quam ob cauſam citatus à Juſtino Imp. Dorotheus, corruptis Judicibus, levi pœna multatus eſt. Diſſidium illud Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ annos triginta ſex tenuit, quibus, dum Petri naviculam rexit Hormiſda ne terram ſibi commiſſam jacere negligentiùs infæcundam pateretur, néve ut diligens Agricola infructuoſam arborem ſolum occupare permitteret, Timotheum Conſtantinopolitanum Epiſcopum hæreticum, reliquosque à communione devios Epiſcopos admonuit ſæpè, & ad eoſdem Epiſtolam circularem miſit, ita univerſalis gregis Paſtorem ſe perfectè exhibens (quod Dominus præceperat Petro) ut fratres conſolidaret, & quos rigore non poterat, clementia ad ſaniora reduceret.

Diſſidium Orientalis & occidentalis Eccleſiæ annis 36. tenet.

Hormiſdæ manſuetudo.

Neque ſolùm Deus beatiſſimum Hormiſdam hac benedictione auxit, ut etiam Epiri Metropolitanum, Nicopolis Epiſcopum cum Synodo ſua ad Apoſtolicam communionem deductum; Dardaniam & Illyricum ad hæreſim omnem ſuis finibus expellendam, Catholicos Epiſcopos humiliter petentes propriis oculis uſurparet; ſed Africam quoque longa perſecutione vexatam, atque noviſſimè à Traſamundo Rege, omnibus ejectis Epiſcopis, proculcatam, temporis fermè momento liberatam, & priſtino ſplendori reſtitutam, ovesque alias, quæ non erant ex hoc ovili, reliquo univerſo gregi viderit conjunctas, cùm videlicet barbaræ ac feræ gentes quamplurimæ ad fidem Chriſtianam capeſſendam acceſſerint. Inter hos Zatus Rex Lazorum, ſeu Colchorum, qui anno Chriſti 522. Byzantium petens à Juſtino Imperatore in Chriſtiana fide ac pietate inſtructus, ſacro dein lavacro eſt expiatus. Apud Æthiopes quoque his temporibus Chriſtiana religio viguit ſtudio Elesbaan Regis.

Rem Catholicam multùm propagatam videt.

Sedente Hormiſda in Petri Cathedra ex hac vita migravit Clodoveus Francorum Rex, primitiæ Chriſtianiſſimorum Regum, ſepultus Pariſiis in Baſilica S. Petri Apoſtoli, quam ipſe Rex, hortante Genoveſa Virgine à fundamentis erexerat, ejusque uxor Crotildis perficiendam poſtmodùm curavit. Filii ipſius quatuor Childebertus ſcilicet, Clotarius, Theodoricus, & Clodomirus paternum inter ſe regnum mortuo patre diviſerunt; & Crotildis Regina Baſilicæ Turonenſi Sancto Martino ſacræ deſerviens, reliquum vitæ ſanctiſſimè duxit.

Clodoveus Francorum Rex moritur.

Ut autem Catholicam diſciplinam, & Apoſtolicæ Sedis dogmata ſincera per Gallias, & per univerſum Orbem, illibataque faciliùs ſuſtineret Hormiſda, Remigio Francorum Apoſtolo, & Alcimo Avito Viennenſi Epiſcopo ſuas vices commiſit in Gallia; per Provincias verò Bœticam, & Luſitanam Salluſtio Hiſpalenſi, per reliquam autem Hiſpaniam Joanni Tarraconenſi Epiſcopis: Romanum inſuper Clerum compoſuit, & ſanctiſſimis legibus munivit, teſte Romano Canonico in deſcriptione Baſilicæ Vaticanæ. Aliaque id genus Eccleſiæ utiliſſima operatus eſt.

Fidei propagandæ ſedulò incumbit.

Perfunctus igitur quàm honeſtiſſimè pontificio munere, poſtquam integro novennio regnaſſet, ex hac vita migravit Hormiſda die

Functus egregiè ſuo munere, ſanctè moritur.

die 6. Auguſti, anni 523. ſepultus in Vaticano magnum ſui deſiderium bonis omnibus reliquens; utpotè qui inter immenſos ſæculi fluctus, tempore Anaſtaſii impii Imperatoris Eccleſiam gubernans, & clavum regiminis ſumma conſtantia moderatus, latentes vitavit hæreticorum ſcopulos, undaſque humanæ potentiæ, ad optatum pacis portum Eccleſiæ navim ſub Juſtino Imperatore perduxit, & perſcribens jura Principibus, docuit parere debere in his, quæ ſunt ad Deum, ſacerdotibus Reges, non Principibus Sacerdotes.

SCRIPTA.

Ejus Scripta.

Scripſit Epiſtolas multas, quarum Volumen M.S. in Vaticano, & archivio Arelatenſi aſſervatur: harum 80. ad diverſos leguntur tomo tertio Conciliorum cum notis Binii, & cum quibuſdam Epiſtolis ad Hormiſdam, & ejus Concilio anno 518. Romæ celebrato. Extat apud Baronium Tomo 6. Indiculus, ſeu Commonitiones ab Hormiſda datæ Ennodio & Fortunato Epiſcopis, Venantio Presbytero, Vitali Diacono, & Hilaro Natario, Legatis Apoſtolicæ ſedis, Conſtantinopolim proficiſcentibus.

Scripſit etiam Catholicæ Confeſſionis Libellum, cui ſubſcribendo quiſque ſe poſſet verè probare Catholicum, ſub cujus profeſſione conſequeretur Romanæ Eccleſiæ communionem, ne multi currerent in incertum, dum defendendo Catholicam fidem, & non vitantes communionem hæreticorum, vel eorum, qui cum illis participaſſent, ſe tamen verè orthodoxos putarent: his igitur obviàm iturus Hormiſda, eo fidei libello, tanquam lydio lapide ſingulos probari voluit, quam profiteri deberent hi, qui communionis Catholicæ participes eſſe vellent. Libellum hunc, quem fidei regulam nominavit, tranſcripſit Baronius tomo 6. Annalium.

Ejus decreta inveniuntur apud Ivonem, Burchardum, Iſidorum, Gratianum, & alios.

Laudatur à Trithemio.

Hormiſdæ cum laude meminit Trithemius; cujus verba refero: *Hormiſda Papa, natione Campanus, vir bonus, doctus, & ſtrenuus, qui Romæ congregata Synodo Eutychianam hæreſim damnavit, ac Manichæos rurſum pullulantes, libris eorum combuſtis, in exilium relegavit. Scripſit inter cætera ingenii ſui opuſcula:*

Decretum Synodale uno libro comprehenſum.
Ad Juſtinum Auguſtum Epiſtolas.
Ad Clericos ſecundæ Syriæ Epiſt. 1.
Epiſtolas ad diverſos Lib. unum.

ANNO CHRISTI DXXIII.
Imperatore JUSTINO, & THEODORICO
Gothorum in Italia Rege.

DE

S. JOANNE I. Pontifice Maximo.

LIV.

Conſtruendis exornandiſq; Templis operam dat.

SAnctus JOANNES I. Conſtantii filius, Etruſcus, poſt Hormiſdam ſummum Sacerdotium adeptus, Cœmeterium SS. Felicis & Adaucti, adjecto in eorundem honorem celebri Templo, inſtauravit; ac illud S. Priſcillæ penè collapſum dirutumque funditùs reſtituit. Plures etiam in Urbe Eccleſias & Oratoria pretioſis muneribus exornavit, ac collato ære, ne ſtipendia Sacerdotibus deeſſent, dotavit. Statuit, teſte Gratiano, quòd nullus Epiſcopus, Eccleſia ſua ſpoliatus, teneatur comparere in judicio, nec reſpondere adverſariis ſuis aut accuſatoribus, niſi priùs in bona reſtitutus fuerit.

Legationis munere pro Theodorico Rege ad Juſtinianum fungitur.

Theodorico inſtante legationis munus ad Imperatorem Juſtinum ſuſcepit pro concordia & fœdere amicitiæ conciliando; &, ut divexatæ ab Arianis Italiæ conſuleret, auxiliumque adverſus eos depoſceret. Ejus iter, magis Eccleſiæ quàm Theodorici causâ ſuſceptum, Deus miraculis illuſtravit. Nam cùm ei nobilis vir ad Corinthum equum, quo ejus uxor manſuetò utebatur, ad facillitandum iter commodaſſet; factum eſt, ut domino poſteà remiſſus equus ita ferox evaderet, ut fremitu, & totius corporis agitatione dominam deinceps ſemper expulerit: tanquam indignaretur mulierem recipere, ex quo ſediſſet in eo Jeſu Chriſti Vicarius. Quod animadvertens dominus, equum Pontifici, ultrò volente uxore, donavit. Sed illud longè illuſtrius miraculum, quòd Conſtantinopoli in aditu portæ Aureæ, inſpectante frequentiſſimo populo, obviàm cum ipſo Cæſare honoris gratia effuſo, roganti cæco ſola manuum impoſitione lumen reſtituit. Ad cujus pedes proſtratus etiam Imperator, cum tota eum aula veneratus eſt.

Equus, quem Pontifex inſederat, mulierem recipere recuſat.

Cæco lumen reſtituit.

Cum Juſtino igitur ſanctiſſimus Pontifex multa ſalutariter egit; tùm illud in primis, ut pulſis Arianis, aliiſque hæreticis, Templa fidelibus ablata protinus redderentur. Quod & obtinuit à Principe religioſo, ſinceræ pietatis amante. Ante Joannis abitum, voluit Juſtinus Cæſar ab ipſo diademate Imperii coronari, primus exiſtens, qui à Romano Pontifice ſacro Imperii diademate inſigniretur. Rebus cum Imperatore tranſactis, maximiſque muneribus cumulatus, in Italiam ſoſpes rediit; ſtatimque Epiſtolam ſcripſit ad univerſos Italiæ Præſules, jubens eos Arianorum Eccleſias ad ritum Catholicorum conſecrare; illud ſubjungens: *Quia & nos, quando fuimus Conſtantinopoli, tam pro religione Catholica, quàm pro regis Teodorici cauſa, quaſcunque illis in partibus eorum Eccleſias reperire potuimus, Catholico eas ritu conſecravimus.* Addidit & illud: *ut caveant à veneno Arianorum, & ut eos omni zelo perſequantur, & exterminent, nullo Theodorici metu perterriti.*

Primus Pontificum Cæſarem coronat.

Redux Romã Arianorum Eccleſias ritu Catholico conſecrat.

Id iniquiſſimo animo ferens Theodoricus, dolo accerſitum Pontificem Ravennam, in teterrimum carcerem conjecit: ubi ſqualore inediaque confectus, paucis pòſt diebus ceſſit è vita, die 27. Maij anno ſalutis 526. cùm ſediſſet annos duos, menſes novem, dies quatuordecim. Sacrum Martyris corpus Romam inſigni pompa delatum, in Baſilica Vaticana honorificè ſepultum eſt.

Ravennam dolo Theodorici accerſitus, ediâ conficitur.

SCRI-

S C R I P T A.

Ejus Scripta.

Scripſit verò Joannes Pontifex Epiſtolas decretales duas: unam ad Zachariam Archiepiſcopum de non accuſandis Epiſcopis; alteram, quam ex carcere miſit ad Epiſcopos Italiæ, de Theodorico Rege, ac de fide Catholica adverſus Arianos: Ambas Binius eruditis notis illuſtravit, ut videre eſt tomo 3. Conciliorum. Extant etiam apud Baronium Tomo 7. Annalium, & in primo Tomo Epiſtolarum à Pontificibus ſcriptarum. Servantur autem M.S. in Archivio Arelatenſi, teſte Jacobo Ludovico à S. Carolo.

Ejus Explanatio in Evangelia, dubia.

Fertur etiam ſcripſiſſe Joannes Explicationem in Evangelia Dominicalia totius anni. Hanc vidiſſe ſe olim in quadam Bibliotheca Conſtantinopolitana teſtatur Antonius Verderus: verùm an noſtri ſit Joannis, an alterius ex ſecuturis, incertum.

Joſephus Pamphilus Auguſtinianus Epiſcopus Signinus in ſuo Auguſtiniano Chronico Joanni noſtro tribuit Librum *de duabus Naturis adverſus Eutychetem.* Verùm hunc Librum non Joannis eſſe, ſed Gelaſii Papæ I. aut alterius Gelaſii, diximus ſuperius in vita Gelaſii Papæ n. 50. Ejus decreta apud Iſidorum, Ivonem, Gratianum, & alios recentiores inveniuntur.

ANNO CHRISTI DXXVI.

Imperatoribus Juſtino Seniore, & Juſtiniano Aug. ac Regibus Theoderico & Athalarico.

DE

S. FELICE III. dicto IV. Pontif. M.

LV.

Theodoricus Joannis interfector Felicem in Pontificem aſſumit.

Sanctus FELIX III. Beneventanus, nullo Cleri expectato ſuffragio, à Theodorico Rege in Joannis interfecti locum ſurrogatus eſt. Theodoricus enim infenſiſſimus Catholicæ religionis hoſtis, ut captivam ipſam duceret Romanam Eccleſiam, Romani Pontificis electionem ſibi procaciter arrogans, Felicem elegerat: & ne ſuæ ipſius voluntati nulla eſſet refragandi occaſio, quem probatiſſimum virum noverat in Romano Clero, aſſumpſit. Rejectus nihilominus eſt primò Felix à Clero, Senatu, Populoque Romano: neque approbationem conſecutus eſt niſi poſt mortem Theodorici, qui ultore Deo apoplexia tactus, vel ut alii habent, ventris profluvio cruciatus, impiam orco animam tranſmiſit nonageſimo octavo poſt B. Joannis obitum die, anno ſalutis 526. Sublato hoc monſtro, cùm Clero liberum eſſet ſuum nominare Pontificem, Felicem omnium digniſſimum Clerus, Senatus, populuſque Romanus elegerunt.

Rejicitur ta- propter Felix à Clero.

Recipitur poſt Theodorici interitum.

Pro Clero apud Athalaricum intercedit, nec in caſſum.

Igitur moderante Eccleſiam Felice, cùm Eccleſiarum jura Gothi in dies invaderent, adeò ut Clerici paſſim ad profana laicorum fora pertraherentur, Felix indignum facinus haud ferendum ratus, unà

unà cum Clero Romano apud Athalaricum Regem Theodorici Succeſſorem ob id vehementer expoſtulavit. Rex auditis benigna aure Pontificis ac Clericorum querelis, poſtquàm eos humaniſſimè tractaſſet, ex ipſorum ſententia ſanctionem edidit, qua nefaria adeò, temeréque præſumpta fieri omninò prohibuit, ſtatutis in transgreſſores juſtiſſimis pœnis.

Multa præclarè operatur. Felix ſanctis operibus mirè intentus, expiatis plurimis Arianorum templis, pulſiſque quaquaverſum ejus hæreſis ſectatoribu[illegible] celebrem Eccleſiam in ſanctorum Coſmæ & Damiani honorem, v[illegible] Salaria, juxta Templum Pacis erexit, teſte Baronio, in qua olim hæc extabant carmina:

Inſigne Templum in honorem SS. Coſmæ & Damiani condit.

Aula Dei claris radiat ſpecioſa metallis,
In quà plùs fidei lux pretioſa micat.
Martyribus Medicis populo ſpes certa ſalutis
Venit, & ex ſacro crevit honore locus.
Obtulit hoc Domino FELIX *Antiſtite dignum*
Munus, ut ætherea vivat in arce Poli.

Vixit Felix in Pontificatu annos quatuor, menſes duos, & dies *Ejus obitus.* quindecim: quare meritò rejiciuntur illi, qui contra probatos Scriptores, regimen ejus in undecimum annum prorogant. Obiit autem die 12. Octobris anno Christo nato 530. tumulatus intra ſacrum Baſilicæ Vaticanæ ambitum, cum ſequenti inſcriptione:

Epitaphium.

Certa fides juſtis cœleſtia regna patere,
Antiſtes Felix, *qua modò lætus habet.*
Prælatus multis, humili pietate ſuperbus,
Promeruit celſum ſimplicitate locum.
Pauperibus largus, miſeris ſolatia præſtans
Sedis Apoſtolicæ creſcere fecit opes.

SCRIPTA.

Scripta. Scripſit S. Felix Epiſtolas tres, quæ inveniuntur in tomo primo Conciliorum cum annotationibus Binii, & in primo tomo Epiſtolarum pontificiarum: primam dedit ad omnes Epiſcopos, qua eis præcipit, ne permittant aut Miſſas, aut divina officia celebrari in locis profanis, ſed in Eccleſiis Deo ad hunc finem conſecratis, excepto tempore neceſſitatis urgentis. Id quod poſteà Concilium Tridentinum confirmavit. Secundam ſcripſit ad Sabinam nobilem matronam Romanam, quæ illam hortatur, ut generis ſui claritudinem operibus virtutum illuſtret. Tertiam dedit ad omnes Præſules de Eccleſiarum conſecratione. Ejusdem decreta recenſent Ivo, Gratianus, Burchardus, & alii.

ANNO CHRISTI DXXX.

Imperatore Juſtiniano, & Athalarico Goth. in Italia Rege.

DE

BONIFACIO II. Pontifice Max.

Boni-

LVI.

Schiſma inter Boniſacium II. & Dioſcorum.

Boniſacius II. Romanus, poſt obitum Felicis, non ſine ſtrepitu & contentione ſummus Pontiſex eligitur. Nam & Dioſcorus Presbyter Cardinalis, diviſo biſariàm Clero, eodem tempore ad id muneris aſſumptus memoratur. Exagitatus autem Clerus hac diſcordia diebus octo, cùm res ad ſeditionem & cædes ſpectare videretur, divinâ providentiâ factum, ut inopinâ Dioſcori morte flagrans diſſidium extingueretur. Quapropter ſolus Romanum Pontificatum & liberè adeptus Boniſacius, ſtatim Clerum, qui Dioſcorum elegerat, adunatum inſigni oratione compeſcuit, ſibique ex integro conciliavit.

Synodum celebrat, & multa ſalubriter decernit.

Collectâ dein Synodo in Baſilica S. Petri Apoſtoli, conſtituit, ne quiſquam ſibi in Epiſcopatu Succeſſorem deligeret, quod poſteà multi Pontifices confirmarunt. Rurſum, ut in demortui Pontificis locum alter Pontifex, ſi fieri poſſet, tertia die ſufficeretur; ne dilatio longior ſeditioni occaſionem præberet. Diviſit & populum à Clero, dum ſacra myſteria in Eccleſiis celebrarentur. Eutychianos repullulantes, & clandeſtinos conventus agentes, urbe expulit. Vixit Boniſacius, ut habet Vaticanus index, annum unum, dies duos: mortuus anno ſalutis 531. die 16. Novembris, terræ mandatus in porticu Templi Vaticani. *Hujus Pontificis Charitas mirum in modum ſemper emicuit, dum vixit,* inquit Oldoinus, *nam Romana Urbs fame & bello afflicta largo adjumento fuit, opes pauperibus profundens, & Clericis præſertim, viduis atque pupillis liberali manu ſubveniens.*

Eutychianos urbe pellit.

Ejus obitus, & elogium.

SCRIPTA.

Scripta.

Duæ Epiſtolæ Boniſacii nomine circumferuntur: ex quibus una ad Eulalium Epiſcopum Alexandrinum ſcripta refertur: altera ad Clerum Eccleſiæ Romanæ. At Illam, quam ad Eulalium dediſſe dicitur, rejicit, & confutat apertiſſimæ impoſturæ Baronius: cauſa eſt, quia in ea dicitur, à temporibus Boniſacii I. & Cœleſtini I. Romanorum Pontificum, Africanam Eccleſiam operâ Aurelii Epiſcopi Carthaginenſis, ſchiſmate diviſam eſſe ab Eccleſia Romana, nec ulterius illi communicaſſe uſque ad tempora Boniſacii II. quando Eulalius Epiſcopus pro ineunda concordia, & recuperanda Romanæ Eccleſiæ communione libellum ſupplicem Boniſacio obtulerit, ac ſic ad concordiam redierit. Hanc igitur Epiſtolam falsò attribui Boniſacio exiſtimant Baronius, Binius, & Poſſevinus: Nam ſi Africana Eccleſia in ſchiſmate fuiſſet uſque ad hunc noſtrum Boniſacium, expungendi certè eſſent è Sanctorum Albo, ut benè ratiocinatur Baronius, quotquot illo tempore egregiæ ſanctitatis meritis viri claruêre, quos ipſos Romana Eccleſia in ſuo Martyrologio, vel inter Martyres numeravit, vel Confeſſoribus adſcripſit: cùm exploratiſſimum ſit omnium ſanctorum Patrum ſententiâ, extra Eccleſiæ unitatem nec poſſe eſſe martyrium, nec aliquam ſanctitatem, uti nec ſalutem. Quare rejicienda etiam eſt Epiſtola, quam prædictus Eulalius ſcripſiſſe fingitur Boniſacio, illamque refert Coccius in ſuo Theſauro Catholico. Unam tantùm hujuſce Pontificis Epi-

Extra Eccleſiam nulla ſalus.

unà cum Clero Romano apud Athalaricum Regem Theodorici Succeſſorem ob id vehementer expoſtulavit. Rex auditis benigna aure Pontificis ac Clericorum querelis, poſtquàm eos humaniſſimè tractaſſet, ex ipſorum ſententia ſanctionem edidit, qua nefaria adeò, temereque præſumpta fieri omninò prohibuit, ſtatutis in tranſgreſſores juſtiſſimis pœnis.

Multa præclarè operatur. Felix ſanctis operibus mirè intentus, expiatis plurimis Arianorum templis, pulſisque quaquaverſum ejus hæreſis ſectatoribus, celebrem Eccleſiam in ſanctorum Coſmæ & Damiani honorem, via Salaria, juxta Templum Pacis erexit, teſte Baronio, in qua olim hæc extabant carmina:

Inſigne Templum in honorem SS. Coſmæ & Damiani condit.

Aula Dei claris radiat ſpecioſa metallis,
In quà plùs fidei lux pretioſa micat.
Martyribus Medicis populo ſpes certa ſalutis
Venit, & ex ſacro crevit honore locus.
Obtulit hoc Domino FELIX *Antiſtite dignum*
Munus, ut atherea vivat in arce Poli.

Ejus obitus. Vixit Felix in Pontificatu annos quatuor, menſes duos, & dies quindecim: quare meritò rejiciuntur illi, qui contra probatos Scriptores, regimen ejus in undecimum annum prorogant. Obiit autem die 12. Octobris anno Chriſto nato 530. tumulatus intra ſacrum Baſilicæ Vaticanæ ambitum, cum ſequenti inſcriptione:

Epitaphium.

Certa fides juſtis cœleſtia regna patere,
Antiſtes FELIX, *qua modò latus habet.*
Prælatus multis, humili pietate ſuperbus,
Promeruit celſum ſimplicitate locum.
Pauperibus largus, miſeris ſolatia praſtans
Sedis Apoſtolica creſcere fecit opes.

SCRIPTA.

Scripta. Scripſit S. Felix Epiſtolas tres, quæ inveniuntur in tomo primo Conciliorum cum annotationibus Binii, & in primo tomo Epiſtolarum pontificiarum: primam dedit ad omnes Epiſcopos, qua eis præcipit, ne permittant aut Miſſas, aut divina officia celebrari in locis profanis, ſed in Eccleſiis Deo ad hunc finem conſecratis, excepto tempore neceſſitatis urgentis. Id quod poſteà Concilium Tridentinum confirmavit. Secundam ſcripſit ad Sabinam nobilem matronam Romanam, quæ illam hortatur, ut generis ſui claritudinem operibus virtutum illuſtret. Tertiam dedit ad omnes Præſules de Eccleſiarum conſecratione. Ejusdem decreta recenſent Ivo, Gratianus, Burchardus, & alii.

ANNO CHRISTI DXXX.
Imperatore Juſtiniano, & Athalarico Goth. in Italia Rege.

DE

BONIFACIO II. Pontifice Max.

Boni-

LVI.

Schiſma inter Boniſacium II. & Dioſcorum.

BOnifacius II. Romanus, poſt obitum Felicis, non ſine ſtrepitu & contentione ſummus Pontifex eligitur. Nam & Dioſcorus Presbyter Cardinalis, diviſo bifariàm Clero, eodem tempore ad id muneris aſſumptus memoratur. Exagitatus autem Clerus hac diſcordia diebus octo, cùm res ad ſeditionem & cædes ſpectare videretur, divinâ providentiâ factum, ut inopinâ Dioſcori morte flagrans diſſidium extingueretur. Quapropter ſolus Romanum Pontificatum & liberè adeptus Bonifacius, ſtatim Clerum, qui Dioſcorum elegerat, adunatum inſigni oratione compeſcuit, ſibique ex integro conciliavit.

Synodum celebrat, & multa ſalubriter decernit.

Eutychianos urbe pellit.

Ejus obitus, & elogium.

Collectâ dein Synodo in Baſilica S. Petri Apoſtoli, conſtituit, ne quiſquam ſibi in Epiſcopatu Succeſſorem deligeret, quod poſteà multi Pontifices confirmarunt. Rurſum, ut in demortui Pontificis locum alter Pontifex, ſi fieri poſſet, tertia die ſufficeretur; ne dilatio longior ſeditioni occaſionem præberet. Diviſit & populum à Clero, dum ſacra myſteria in Eccleſiis celebrarentur. Eutychianos repullulantes, & clandeſtinos conventus agentes, urbe expulit. Vixit Bonifacius, ut habet Vaticanus index, annum unum, dies duos: mortuus anno ſalutis 531. die 16. Novembris, terræ mandatus in porticu Templi Vaticani. *Hujus Pontificis Charitas mirum in modum ſemper emicuit, dum vixit*, inquit Oldoinus, *nam Romana Urbi fame & bello afflicta largo adjumento fuit, opes pauperibus profundens, & Clericis præſertim, viduis atque pupillis liberali manu ſubveniens.*

S C R I P T A.

Scripta.

Duæ Epiſtolæ Bonifacii nomine circumferuntur: ex quibus una ad Eulalium Epiſcopum Alexandrinum ſcripta refertur: altera ad Clerum Eccleſiæ Romanæ. At Illam, quam ad Eulalium dediſſe dicitur, rejicit, & confutat apertiſſimæ impoſturæ Baronius: cauſa eſt, quia in ea dicitur, à temporibus Bonifacii I. & Cœleſtini I. Romanorum Pontificum, Africanam Eccleſiam operâ Aurelii Epiſcopi Carthaginenſis, ſchiſmate diviſam eſſe ab Eccleſia Romana, nec ulterius illi communicaſſe uſque ad tempora Bonifacii II. quando Eulalius Epiſcopus pro ineunda concordia, & recuperanda Romanæ Eccleſiæ communione libellum ſupplicem Bonifacio obtulerit, ac ſic ad concordiam redierit. Hanc igitur Epiſtolam falsò attribui Bonifacio exiſtimant Baronius, Binius, & Poſſevinus: Nam ſi Africana Eccleſia in ſchiſmate fuiſſet uſque ad hunc noſtrum Bonifacium, expungendi certè eſſent è Sanctorum Albo, ut benè ratiocinatur Baronius, quotquot illo tempore egregiæ ſanctitatis meritis viri claruêre, quos ipſos Romana Eccleſia in ſuo Martyrologio, vel inter Martyres numeravit, vel Confeſſoribus adſcripſit: cùm exploratiſſimum ſit omnium ſanctorum Patrum ſententiâ, extra Eccleſiæ unitatem nec poſſe eſſe martyrium, nec aliquam ſanctitatem, uti nec ſalutem. Quare rejicienda etiam eſt Epiſtola, quàm prædictus Eulalius ſcripſiſſe fingitur Bonifacio, illamque refert Coccius in ſuo Theſauro Catholico. Unam tantùm hujuſce Pontificis Epi-

Extra Eccleſiam nulla ſalus.

 ſtolam,

ſtolam, quam dedit ad Clerum Romanum, ut illius propriam ferè omnes agnoſcunt Scriptores; reliquas ut ſpurias rejiciunt.

Ejuſdem Bonifacii II. Decreta inveniuntur apud Gratianum, Ivonem, Iſidorum & alios.

ANNO CHRISTI DXXXI.

Imperatore Juſtiniano, Athalarico, & Theodoto Gothorum in Italia Regibus.

DE

JOANNE II. Pontifice Maximo.

LVII. *Anthemium hæreticum damnat.* JOANNES II. cognomento Mercurius, filius Projecti, natione Romanus, Bonifacio extincto ſuffectus, ante omnia Anthemium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quòd is in hæreſim Arianam declinaſſet, nec monitus reſipuiſſet, anathemate defixit. Juſtiniani Imperatoris fidei profeſſionem per Legatos Hypatium Epheſinorum, & Demetrium Philipporum primarios Orientis Epiſcopos porrectam recepit & approbavit, ac Acœmetas monachos illi adverſantes damnavit.

Precibus Joannis Pontificis ſe commendat Caſſiodorus. Tanti hunc Pontificem fecit Aurelius Caſſiodorus Senator nobiliſſimus, ut, poſtquam ab Athalarico Rege ampliſſima dignitate Præfecturæ Prætorii auctus eſſet, devotiſſimas ad illum litteras dederit, quibus ejus ad Deum preces pro bono novæ dignitatis regimine implorabat, ſeque ejus Apoſtolico patrocinio, & benedictioni impensè commendabat. Interpellavit quoque idem Caſſiodorus reliquos Italiæ Epiſcopos, ut orationibus ac jejuniis agerent, & plebem ſibi ſubjectam ita inſtruerent, ut quæ in ea judex puniat, haud poſſet invenire.

Juſtiniani Imp. religio & affectus in Eccleſiam Romanam. Inter Joannis Romani Pontificis felicitates jure adſcribendus eſt Juſtinianus Imperator, qui ipſummet Joannem, Romanamque Eccleſiam ſingulari amore proſecutus eſt ſemper. Nam non ſolùm pretioſiſſima dona, quæ Anaſtaſius Bibliothecarius enumerat, ad Joannem iteratis vicibus ConſtantinopoliRomam miſit, ſed etiam diverſis in locis, teſte Procopio, ſanctis Martyribus templa conſtruxit, redditibusque annuis locupletavit: nec non ſummo militiæ cœleſtis Principi Michaëli pluribus in locis Eccleſias erexit; probè ſciens, ſi talem tantumque Ducem ſibi conciliaret, qui rebelles angelos cientes in cœlo prælium ſuperaſſet, certam ſecuramque poſſe de vincendis hoſtibus habere fiduciam. Dei inſuper Genitricis Mariæ ſtudioſiſſimus extitit cultor, eandem ſummis frequentans honoribus, obſequiiſque ubique locorum, apud barbaras etiam nationes in ejus memoriam Baſilicas, oratoria, ſtatuas conſtruens. *Item erga S. Michaelem Archangelū, & B. Virginem.*

Non defuêre tamen Eccleſiæ, Romanoque Pontifici his temporibus ærumnæ, & negotia. Poſt obitum enim magni illius Sabbæ

bæ Abbatis, qui evenit quinta die Decembris anni 531. invaleſcentibus iterum Origeniſtis in Palæſtina, magnum inde univerſæ Catholicæ Eccleſiæ damnum illatum: contra quos Theodoſius Cœnobiarcha, & reliqui ferè omnes monachi Paleſtinæ inſurrexerunt, & eorum audaciam virili fortitudine compreſſerunt. *Originiſtæ Eccleſiæ Orientali exitioſi.*

Mortem oppetiit Joannes Pontifex, ex Baronio, Binio, Oldoino, & aliis, Romæ die 21. Junii anno ſalutis 534. poſtquam Romanæ Eccleſiæ præfuiſſet annos tres, menſes circiter duos. Sepultus in Baſilica Principis Apoſtolorum ad Vaticanum. *Joannis Papæ obitus.*

Hujuſce Pontificis laudes Concilium Carthaginenſe in Africa habitum recenſet: vindicatâ enim in priſtinam libertatem Eccleſiâ Africanâ, ii, qui tunc extabant, in unum convenère ſanctiſſimi Sacerdotes, & reſtituere conantes collapſam longa ſervitute Eccleſiaſticam diſciplinam, ad ipſum Joannem Romanum Pontificem legationem miſère perquàm honorificam, qua perfuncti ſunt Petrus & Cajus Epiſcopi, & Liboratus Diaconus Eccleſiæ Carthaginenſis. In litteris, quas Legatis Concilium dedit, hæc de Joanne Pontifice habemus: *Hanc igitur noſtræ ſalutationis Epiſtolam per fratres, & conſacerdotes noſtros Cajum & Petrum, & per filium noſtrum Liberatum Diaconum continuò deſtinavimus, & auctoritatem veſtra beatitudinis, & gratiam debitis obſequiis honorantes: Talis quippè es, qualem ſancta ſedes Petri merebatur habere Pontificem, dignus veneratione, plenus dilectione, loquens veritatem ſine mendacio, nihil faciens injuſtè, aut arroganter, &c.* *Laudatur à Concilio Carthaginenſi.*

SCRIPTA.

Scripſit verò Joannes Epiſtolas quinque: primam ad Valerium Epiſcopum, qua docet Chriſtum Dominum ſecundùm divinam naturam Patri æqualem, ſecundùm humanam eodem minorem. Secundam ad Juſtinianum Auguſtum, egregiam ipſius pietatem, amoremque erga Sedem Apoſtolicam apprimè commendans. Tertiam ad Senatores, qua Chriſti divinitatem, ejusdemque incarnationem confirmat, & Acœmetas monachos Neſtorii & Origenis ſectatores monet eſſe vitandos. Quartam ad Galliæ Epiſcopos contra Contumelioſum Epiſcopum multis criminibus involutum: quem idcircò Epiſcopatu privatum in monaſterio incluſerat ad pœnitentiam. Quintam demum ad Clerum Contumelioſi Epiſcopi: quæ omnes inveniuntur tomo tertio Conciliorum cum Epiſtolis ad ipſum Joannem datis. Quam verò direxit ad Juſtinianum Imp. in ſuum Codicem idem Imperator referri voluit honoris gratia. Ejus Decreta extant tomo 3. Conciliorum, & apud Gratianum, Ivonem, Iſidorum, & alios. *Ejus Scripta.*

ANNO

ANNO CHRISTI DXXXIV.

Imperatore JUSTINIANO, & THEODATO Gothorum in Italia Rege.

DE

S. AGAPETO I. Pont. Maxim.

LVIII. *Pontifex electus fidei profeſſionem recipit à Juſtiniano.*

SAnctus Agapetus, Romanus, Gordiani Presbyteri Cardinalis, ſacris nondum initiati ex legitimo matrimonio filius, doctrina & ſanctitate celebris, poſt Joannis obitum, concordi ſuffragio ad Apoſtolatus apicem aſcendit. Ad quem Juſtinianus Imperator, more majorum, fidei profeſſionem direxit confirmandam, eandem videlicet, quam anteà per legatos ad Joannem II. miſerat.

Belliſarius cum exercitu adverſùs Theodatum Amalaſiunthæ Reginæ interfectorè mittitur.

Bello Wandalico jam confecto, ut Paulus Diaconus & Zonaras teſtantur, Belliſarius Romam cum exercitu à Juſtiniano ea lege mittitur, ut Urbem, totamque Italiam à Gothis occupatam ſubigat: ægrè enim tulerat necem Reginæ Amalaſiunthæ à Theodato contra fidem datam in Inſula lacus Vulſinenſium occiſæ. Erat enim fœmina hæc naturæ dotibus ita comparata, ut non ſolùm ſexum ſuum formæ gratia, ſed doctiſſimos etiam viros ingenio, doctrina, linguarumque peritia ſuperaret. Hujus itaque indigniſ- *Laus Amalaſiunthæ.* ſimam necem Imperator ulciſci volens, acerrimum Theodato interfectori bellum indixit. Theodatus viribus ſuis & cauſæ diffiſus, Agapetum Pontificem ad placandum Cæſarem Conſtantinopolim

Agapetus mittitur ad Juſtinianum: eumq; redarguit, & cur?

Legatum mittit: Qui allapſus, ſummoque cum honore ſuſceptus, facto in primis de fide cum Juſtiniano ſermone, reperit eum in damnatum Eutychetis dogma propenſum, cauſæque Anthimi hæretici faventem. Ea re commotus Pontifex ſuadet Imperatiori, in avita, fide perſiſteret, Anthimumque hæreſi pollutum ſede Epiſcopali pelleret: id ni faceret, anathematis vinculo innodandum ſe fore ſciret. Tum Imperator in iras effuſus carceres ipſamque mortem Agapeto, ſi porrò obſtreperet, minatur. Agapetus minis nihil perterritus, cùm ſe cædem, Chriſti cauſa, æquo animo laturum

Libera vox Agapeti.

reſpondiſſet, addidit hæc verba: *Equidem ad Juſtinianum Principem Chriſtianiſſimum venire ſtatui, at ut video ad Diocletianum deveni: Verùm nil moror compedes, gladium, cædem; dummodo, quæ Chriſti ſunt, tuear.* Hac loquendi libertate permotus Juſtinianus, ad cor rediit;

Juſtinianus obſequentem habet.

mutataque ſententiâ opinionem Eutychianam ejuravit, ac Anthimum hæreſis convictum Patriarchatu pepulit, ſubrogato in ejus locum Menna, viro nobili, probato, & Catholico; quem Agapetus ipſe, frendente licèt Auguſta, ſacris inauguravit.

Celebrat Oecumenicum Concilium Conſtantinopoli, & quare?

His peractis, ac pace pro Rege Theodato impetrata, Agapetus Oecumenicam Synodum Conſtantinopolitanam, (quæ quinta ordine numeratur) celebravit adverſus Severum Pſeudoepiſcopum Antiochenum, ejusque collegas, Petrum ſcilicet, Zoäram, & Iſacium Perſam, qui Conſtantinopolim contra Romanam Eccleſiam,

favente

favente illis Theodora Auguſta, convenerant: quos omnes, diſcuſsâ publicè eorum cauſa, tanquam hæreticos ab Eccleſiæ communione ſejunxit. Orientales quoque Patres Agapeti ſententiam ſecuti, eoſdem damnarunt; & Monachi, qui ad conventum Conſtantinopolitanum acceſſerant, contra eoſdem hæreticos litteras Agapeto dederunt. Rogatus deinde Pontifex à Juſtiniano Imperatore de Arianis Epiſcopis pœnitentibus ita in Eccleſiam recipiendis, ut integrum illis eſſet in Epiſcopi dignitate permanere, hoc reſponſum dedit: *Synodalibus Eccleſia Romana ſtatutis ſancitum eſſe, ne lapſi reciperentur cum honoribus; veroſq́, pœnitentes minimè curare honores.* Excommunicavit etiam, Agapetus, teſte Genebrardo, Childebertum Galliæ Regem, Clodovæi filium, quòd is in Eccleſia ipſa Galterium Epiſc. Ivetotenſem manu ſua interemiſſet; exemitque à Galliæ Regum jurisdictione Galterii ſucceſſores: quo factum eſt, ut in hodiernum uſque diem Ivetoti territorium Regni titulo potiatur. Aliaque id genus multa, forti & ſancto viro digna peregit, ac ſignis etiam ſtupendis divina virtute patratis inclaruit, in quibus illud haud poſtremum cenſetur, quòd mutum & claudum ſacro priùs epulo refectum, unico crucis ſigno, & loqui rectè, & ritè ambulare fecerit, ut refert Gregorius Magnus *lib.3. Dialog. c.3.* Denique ſanctis operibus clarus, fideliterque adminiſtrato pontificatu, quum paucis diebus lethali morbo laboraſſet, vitâ functus eſt Conſtantinopoli duodecimo Kal. Junii anno noſtræ ſalutis 536. Sacrum ejus corpus plumbeo loculo incluſum, Romam delatum eſt die 20. Septembris ejusdem anni, terræ poſteà mandatum in Baſilica S. Petri ad Vaticanum. Præfuit Eccleſiæ annum unum, menſes decem, dies viginti, teſte Panvinio. *Cui haud ſcio, an ſimilis alius inveniri poſſit,* inquit Baronius, *qui adeò brevi temporis intervallo Eccleſia Catholica præſidens, talia tantaq́, perfecerit; cujusq́, æquè apud Occidentales, atque Orientales ſint ampliſſima conclamata præconia; qui fidelibus cunctis ex hac vita decedens ſui ardentius reliquerit deſiderium, quod etiam de optimis privatus amor adimere conſuevit; qui denique in deplorata adeò incidens tempora, magis ſacerdotali vigore nituerit, conſtantiorq́, apparuerit in tuenda pontificia poteſtate.*

Notabile reſponſum Agapeti.

Childeberto Galliæ Regẽ excommunicat.

Signũ coruſcat.

Sanctè moritur.

Mirè commendatur à Baronio.

S C R I P T A.

Scripſit Agapetus Epiſtolas octo, quæ Severini Binii notis illuſtratæ extant tomo tertio Conciliorum cum Epiſtolis Juſtiniani Auguſti ad ipſum exaratis. Primam dedit ad Juſtinianum gratulatoriam, quia Catholicam religionem promovere imperatoriis litteris promiſerat. Secundam ſcripſit ad Epiſcopos Africæ, quibus ſimiliter gratulatur, quòd ab hæreticorum manibus evaſerint incolumes, & ad ea, quibus Joannem prædeceſſorem ſuum conſuluerant, reſpondet. Tertiam ad Reparatum Epiſcopum Carthaginenſem. Quartam ad Juſtinianum Auguſtum, cui gratias agit, quòd ſibi de electione in Pontificem fuerit gratulatus, illius fidem commendans, hortaturque eundem ad Catholicam fidem tuendam; & lapſos Epiſcopos cum honoribus ſe recipere non poſſe, ut diximus,

Ejus Scripta.

juſtè eum à prædeceſſoribus ob hæreſim Eutychianam depoſitum, damnatumque fuiſſe: irata mulier ſcribit Belliſario, ut ejecto protinùs Silverio, pontificatum in Vigilium, amicum ſuum transferret. Belliſarius, qui tùm rei bellicæ intentus erat, negotium Antoninæ uxori ſuæ perficiendum committit, quæ auditis falſis teſtibus à Vigilio ſubornatis, qui Silverium proditionis Urbis ac majeſtatis reum agebant, virum innocentiſſimum atque inauditum pontificatu dejicit, inque inſulam Pontiam, (ſuffecto interim Vigilio) exulatum mittit. Unde his verbis ſcripſiſſe fertur ad Amatorem Epiſcopum: *Suſtentor pane tribulationis, & aqua anguſtiæ, nec tamen dimiſi, aut dimitto officium meum.* Quod re ipſa piiſſimus Præſul probavit; nam coacto ibi Concilio multorum Epiſcoporum, ante omnia Vigilium Romanæ Cathedræ invaſorem, ejuſque complices anathematis ſententia damnavit: tùm quædam, ad fidei Catholicæ integritatem, & ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtaurationem pertinentia, conſtituit.

Silverius eliminatur in exiliū: Concilium cogit, & Vigilium cum complicib. damnat.

Ubi brevi ærumnis & inedia confectus, diem tandem clauſit extremum duodecimo Kal. Julii, hoc eſt die 20. Junii anno reparatæ ſalutis 540. ſedis verò ſuæ anno quarto inchoato. Cujus ſepulchrum multis miraculis illuſtratum, à Deo fuiſſe, acta Eccleſiæ commemorant. S. Silverium ante adeptum Pontificatum, diſcipulum olim S. P. Benedicti in Monaſterio Lateranenſi fuiſſe, ac poſteà in Inſula Palmaria ſeu Pontia, ubi exulaverat, Monachum egiſſe, contendit Gabriel Bucelinus *in Aquila Imp. fol. 103.* Cui ſuffragantur Annales Benedictini *ad annum 540. fol. 17.* Menologium itèm *20. Jun. fol. 44.* Et Chronologia *ad annum 538. fol. 9.* Fides ſit penes Auctores.

Ærumnis confectus ſanctè moritur.

SCRIPTA.

Scripſit Romanus hic Pontifex Epiſtolas duas: quarum una eſt ad Amatorem Epiſcopum Auguſtodunenſem, aliàs Æduenſem, ut annotavit Claudius Robertus in Sancto Amatore primo Auguſtodunenſi Epiſcop. Alteram dedit ad Vigilium Pſeudopapam, qua ei ambitionis & ſimoniæ crimen admiſſum exprobrat, eumque ſententia anathematis condemnat. Extant ambæ tomo quarto Conciliorum, unà cum Amatoris Epiſcopi conſolatoria Epiſtola ad Silverium exulem data cum muneribus, ut eâ ipſum, quam patiebatur, levaret inopiâ. Eidem Romano Pontifici Theodora Auguſta litteras miſit, quibus ei reſtitutionem Anthimi imperat. Aliæ Epiſtolæ nomine Silverii ſcriptæ, fictitiæ præcipuorum Scriptorum calculo reputantur. Fertur etiam Silverius ſcripſiſſe doctam Apologiam de injuſta ſua depoſitione adverſus Theodoram Auguſtam, & Vigilium intruſum, eorumque complices ac fautores: in qua non propriam, ſed publicam Eccleſiæ injuriam ultus eſt.

Ejus Scripta.

N 2 ANNO

ANNO CHRISTI DXXXX.

Imperatore Juſtiniano, Vitige, Totila, & Tejo Gothorum in Italia Regibus.

DE

VIGILIO Pontifice Maximo.

LX.

Vigilius commiſſorum conſcientia perterritus reſipiſcit: Pontificatu malè parto cedit: ac demum legitimè eligitur.

VIGILIUS nobilis Romanus, Joannis viri conſularis filius, nonnullis ab obitu Silverii diebus, hoc eſt die 28. Junii anno ſalutis 540. (nam præcedentis invaſionis, tyrannicæque uſurpationis ejus tempus non numeramus) in cathedra Apoſtolica legitimè collocatur. Non enim, ſimul ac Silverium defunctum miracula edere ipſe audivit, perſeverare ampliùs in Sede, malis artibus adepta, injuſtéque occupata, voluit; ſed divina colluſtratus gratia, errorem ſuum agnoſcens, ſe ipſum in ordinem redegit, probè ſciens, minimè ſe legitimum dicendum eſſe Pontificem, quem tot crimina commiſſa deturparent; cùm præter ſimoniacam labem, redarguerent inſuper ipſum conniventia cum Hæreticis, pactis conventis conſcripta, jurataque ipſorum defenſio, & Anthimi toties damnati reſtitutio, ac Silverii innocentiſſimi Prædeceſſoris expulſio, ejusdemque necis cooperatio, atque demum, quòd poſt damnationem, & anathema in ipſum à Silverio jaculatum ſediſſet nihilominus propè triennium tanquam verus in Eccleſia Pontifex. Hæc, inquam, ipſe conſiderans poſt Silverii obitum, à Sede malè occupata deſcendit; fretus tamen Belliſarii favore atque potentia, nullus dubitabat, quin eam mox iterum eſſet conſcenſurus, & ſic locum præbens ſacris comitiis conquievit. Pontificatum deinde recepit legitimis comitiis, & quidem à Clero, majoribus utique malis occurrente.

Pontifex electus fidei profeſſionem ab Juſtiniano, & Menna accipit.

Statim ac de legitima ejus electione nuncium Conſtantinopolim perlatum eſt, à Juſtiniano Auguſto præſtitum continuò fuit, quod Imperatores Catholici præſtare ſemper conſueverunt, nimirum, ſeu cùm Imperii gubernacula ſuſciperent, ſive cùm Apoſtolicæ Sedi novum cognoſcerent inſtitutum Præſulem, ad eum protinus Epiſtolam dare, qua ſignificarent ſe in eâdem fidei profeſſione ipſius eſſe conſortes. Juſtinianus itaque Romam ad ipſum Vigilium Legatum miſit Dominicum Patritium, virum clariſſimum, unà cum litteris profeſſionem fidei continentibus. Præſtitit id ipſum obſequium Mennas Conſtantinopolitanus Antiſtes, ſimiles ad ipſum Pontificem litteras obedientiæ dirigens, quæ licèt deſiderentur, ita tamen omnino factum eſſe, quæ ad eos ab eodem Vigilio ſunt redditæ per Dominicum Legatum litteræ apertè declarant.

Celebris de tribus Capitulis controverſia exponitur.

Hoc Pontifice celebris illa de tribus Capitulis exorta eſt controverſia, ob quam quinta Conſtantinopoli generalis eſt peracta Synodus, cujus rei ordinem, ne lectorem lateat, breviter exponam.

Damna-

Damnato Neſtorio, ejus fautores libros Theodori Mopſveſtiæ quondam Epiſcopi in vulgus ſparſerunt, quibus ita naturas in Chriſto duas aſſerebat, ut Neſtoriano errori etiam ſuffragari videretur: de his libris altercati ſunt inter ſe Catholici paulò poſt Epheſinam Synodum; hinc Monachis Armenis Theodorum oppugnantibus cum aliis pleriſque, & inter hos Rabula Edeſſeno Epiſcopo; inde Joanne Antiocheno aliiſque pro illo ſtantibus, nec non ipſo Theodoſio Imperatore. Ad hæc Ibas Edeſſenus Epiſcopus Rabulæ ſucceſſor Epiſtolam ſcripſit ad Maryn Perſam, in qua Cyrillum perinde ac Neſtorium redarguit uti & Rabulam, Theodorum verò Mopſveſtenum magnoperè collaudat. Secutum eſt Chalcedonenſe Concilium, in quo Ibas nonnullis judicio poſtulatus, & in Berytenſi abſolutus Synodo, anno 448 denuò eſt receptus, poſtquam Neſtorio & Eutycheti anathema dixit: ac tum lecta illius Epiſtola, & eatenùs tolerata, quòd hæreticum in ea dogma nullum eſſet: quamvis enim Cyrillum perſtringeret, id ipſum tamen recenti adhuc Orientales inter & Ægyptios diſſidio donari viſum eſt oportere. In eodem Concilio Theodoretus, qui à Dioſcoro depoſitus erat, in conſeſſum admiſſus, qui quidem flagrante illa, quam dixi, Joannis Antiocheni, & Cyrilli ſimultate, contra hujus duodecim Anathematiſmos aculeatum ediderat Commentarium.

Inter hæc Palæſtinis quibuſdam Monachis inſtantibus, unàque cum his Pelagio Romanæ Sedis Diacono & Apocryſario, Origenes Juſtiniani Auguſti decreto damnatus eſt, cui decreto Mennas Conſtantinopolitanus, & Pelagius ſubſcripſère, tum Vigilius ipſe Romanus Pontifex, ac cæteri Patriarchæ: quæ res Theodorum Cæſarienſem Epiſcopum, Origenis & Acephalorum Patronum, quo cum Pelagius ſimultatem habebat, vehementer offendit. Hic pro ea, qua apud Imperatorem valebat gratia, auctor fuit, ut ad conciliandos cum Catholicis Acephalos, Theodorus Mopſveſtenus in Ibæ laudatus Epiſtola damnaretur, unà cum Epiſtola ipſa, ac Theodoreti commentario contra Cyrillum. Quod cùm Juſtiniano Auguſto redintegrandæ ſpe concordiæ valdè placuiſſet, Catholici complures interceſſère, rati tribus illis condemnatis labefactari Synodi Chalcedonenſis auctoritatem, in qua & Ibas cum Epiſtola ſua, ac Theodori commendatione probatus erat, & Theodoretus ſuæ ſedi reſtitutus. Pervicit tamen Imperator, & anno 546. librum edidit, quo tria Capitula (Theodorum ſcilicet Mopſveſtenum quondam Epiſcopum; Epiſtolam Ibæ, & ſcripta Theodoreti Cyrenſis adverſus Cyrillum: quæ ſunt tria illa Capitula) damnavit, eique Mennam ac cæteros Patriarchas ſubſcribere coëgit.

At Juſtinianus, cùm quamplurimos primarium ſedium Orientalium Epiſcopos à ſui ſententia cerneret averſos, & ad Vigilii Papæ arbitrium commiſſum eſſe diſcrimen illud, & ex ejus voluntate omnia pendere, neceſſarium fore exiſtimavit, ipſum Romanum Pontificem Conſtantinopolim advocare: quod fecit anno 546. ipſum ſumma celeritate venire rogans: nec abnuit Vigilius, aut *Juſtinianus Imp. Vigilium convocat Conſtantinopolim.*

moratus quidem eſt. Eodem enim anno Româ ſolvens, decenti cum comitatu venit in Siciliam, qua in Inſula negotiis Eccleſiaſticis vacans hyemem tranſegit, ut ſcribunt Facundus & Procopius, ambo illius temporis Scriptores. Quare aperti mendacii redarguuntur Anaſtaſius Bibliothecarius, & qui illum ſecuti ſunt, Platina & Ciaconius; dum alias profectionis Vigilii Conſtantinopolim cauſas fingunt, ac ſubtractum violenter ab Urbe juſſu Theodoræ Auguſtæ aſſerunt, inſectatumque jurgiis, blaſphemiis, ac verberibus tradunt. Res enim adeò ignominioſa, in perſonam adeò conſpicuam edita, minimè latere potuiſſet Auctores, ſuorum temporum hiſtorias accuratiſſimè proſequentes.

Error nonnullorum detegitur.

Vigilius obvium habet Dacium Epi. Mediol.

Cùm ergo in Siciliam perveniſſet Vigilius, obvium habuit Dacium Mediolanenſem Epiſcopum Conſtantinopoli venientem, & Legatum ſuſcepit ab Ephremio Epiſcopo Antiocheno miſſum, à quibus cuncta, quæ Conſtantinopoli circa tria Capitula geſta eſſent, exploratius intellexit. Quare ſtatim litteras inhibitorias Conſtantinopolim ſcripſit, quibus ne quid innovaretur uſque ad ſui adventum præcepit. Porrò diſpoſitis in Sicilia rebus, miſſiſque Romam Vicariis ad Cleri, populique gubernationem, dum abeſſet; ipſe è Sicilia unà cum Dacio Epiſcopo ſolvens, Conſtantinopolim appulit in pervigilio Nativitatis Domini anno 547. ubi ad ingreſſum Civitatis Imperatorem ipſum cum ingenti procerum Antiſtitumque comitatu obvium habens, eidem poſt mutuos amplexus munus benedictionis impertiit. Celebri exinde pompa ad ædes ſibi paratas deductus, invenit maximam inter Epiſcopos concitatam diſcordiam, & in ſummum periculum adductam Eccleſiam, ut Schiſmate ſcinderetur, faventibus nonnullis Imperatori, aliis longè majori numero, præſtantium Sedium Epiſcopis ex adverſo ſtantibus, inter quos Facundus ſcientia & probitate eminebat.

Conſtantinopoli honorificè excipitur.

Inter hos Vigilius, pro ea qua pollebat auctoritate, pacis ac concordiæ arbiter ſedit. At cùm concitatos fluctus ſolus ſedare non poſſet, colligi voluit eorum, qui aderant, Synodum Epiſcoporum, in qua cùm adverſæ partes inter ſe confligtantes adeſſent, & inter differendum altercarentur, haud pacificè, ut par erat, rem agentes, adeò ut quid magis veritati congruum eſſet, minimè poſſet examinari, & æqua judicii lance perpendi, placuit Vigilio ad ſopiendam diſcordiam, ut, quæ quiſque ſentiret, & quibus, quam proponeret ſententiam defendendam, rationibus probaret, ſcriptis proderent. At cùm damnationi horum trium Capitulorum quidam ex Catholicis ſeſe opponerent, proque iis alii publicè & privatim pugnarent, in duas partes Orthodoxorum animi diſtracti ſunt, aliis damnationi trium Capitulorum ſubſcribentibus, alii reſtagantibus: Eutychianis interim effusè ob excitatum à ſe incendium exultantibus.

Catholicorũ diſſidia.

Inter eos verò, qui tria Capitula defenderunt, fuit initio Vigilius ipſe Romanus Pontifex, cui libentes, volenteſque ſeſe adjunxêre Epiſcopi Africani, Itali Provinciæ Venetæ, & Liguriæ, Epirotici, Illirici, aliique his finitimi. Cùm tamen id innotuiſſet Epiſcopis, & aliarum Eccleſiarum Sacerdotibus, & primùm omnium

Vigilius primò ſtat pro tribus Capitulis.

ipſis,

ipſis, quos ſecum adduxerat Vigilius, Sacræ Romanæ Diaconis Ruſtico & Sebaſtiano, & ipſimet Juſtiniano Auguſto, magnæ inde obortæ diſcordiæ. Verùm ne ob eam controverſiam univerſus Orbis Chriſtianus inter ſe collideretur, nevè Oriens ab Occidente Schiſmate ſcinderetur, mutatâ ſententiâ Vigilius decretum edidit (quod *Judicatum* dicitur) in quo ſalvâ Synodi Chalcedonenſis reverentiâ, tria iſta Capitula damnavit. Inſtante verò Juſtiniano, ut abſolutè, ac ſine ulla Synodi Chalcedonenſis mentione damnationem conciperet, Vigilius abnuit, & adverſus minas omnes, & contumelias invicto animo perſtitit. *Tum eadem damnat.*

Juſtinianus, qui innato quodam fatalique impetu ſacris ſeſe ſemper rebus implicabat, amabatque inter inſulas ſpectari, ut ei controverſiæ modum poneret, Generale Concilium indixit, reclamante licèt Vigilio, qui trium Capitulorum patrocinium adverſùs Imperatorem reſumpſit: eadem nihilominus eo in Concilio damnata ſunt, & Origenes inſuper anathemati ſujectus unà cum Didymo & Evagrio. Vigilius igitur, cùm illius Decreto ſubſcribere renuiſſet, in exilium ejectus, ac plerique alii eâdem ex causâ vexati, præſertim Afri & Illyrii, qui in trium Capitulorum profeſſione pertinaciùs hæſerant. Baronius ſcribit, Vigilium ad evitandam violentiam, quam illi offenſi Imperatoris miniſtri parabant, ex domo Placidiana, ubi degebat, primò ad Eccleſiam ibi proximam S. Petri, deinde Chalcedonem confugiſſe; ubi Eccleſiaſtica pertractans, atque ſententiam in adverſarios ferens, nonnullo tempore permanſit. Facti tamen pœnitens Auguſtus non milites, qui eum inde abducerent, iratus miſit, verùm dignam tanto Pontifice legationem inſtituit, qua eum præſtito etiam juramento, in priſtinum domicilium honorificè revocabat. At Vigilius inde egredi nunquam conſenſit; neque juratis Patriciis fidem voluit adhibere, niſi priùs in omnibus conſultum eſſet Sedis Apoſtolicæ dignitati: precibus tamen Narſetis ducis exilio liberatus, Conſtantinopolitanam Synodum firmavit: idque ex hac cauſa, ne videretur Neſtorio, & præſertim Origeni, in ea damnatis, favere; quorum errores magnam ſenſim Orientis partem occupabant. Maluit ergo prudens Pontifex majori morbo occurrere, & impendens naufragium brevi vilique jactura redimere. Quæ deinde cauſa fuit Pelagio & Gregorio Magno Pontificibus, ut hoc quoque Concilium curarent recipi, quòd tandem magnis laboribus effecêre, cùm palàm oſtendiſſent, in rebus ad fidem ſpectantibus nihil in eo Concilio definitum fuiſſe, quod Decretis Chalcedonenſibus adverſaretur, id enim præcipuè omnium ferè animis inſederat, quod ubi dedocti ſunt, manus tandem communi paci dedêre. Hoc enim ſancti illi Pontifices obſervarunt, ut cùm certamen de fide non eſſet, aliquid darent optatæ concordiæ, cederentque Græcis, genti ſuperbæ, ac vinci dedignantibus, & flecti neſciis. Cæterùm hæc qui fuſiùs noſſe deſiderat, præter Baronium, adeat doctiſſimum etiam Cœleſtinum Cardinalem Sfondratum, eruditè omnia eleganterque in ſua Gallia Vindicata Differt. III. §. I. num. 3. 4. 5. & ſeqq. referentem. *Juſtinianus Concilium indicit: in hoc damnantur tria Capitula* *Vigilius in exilium amandatur.* *Juſtinianus legatos mittit ad Vigilium.* *Precibus Narſetis exoratus Synodum cõfirmat, & quare?*

Denique Vigilius, poſtquam Synodum Conſtantinopolitanam

Theodoram Auguſtam cum complicibus damnat. nam ſuo calculo firmaſſet, ubi diſſidium ſibi non cum Catholicis, ſed cum Hæreticis eſſe animadvertit, forti animo auctoritateque pontificia inſurgens, ſententiam excommunicationis in ipſam denique Theodoram Auguſtam, hæreſi imbutam & patrocinantem, ac diù nimis magno Eccleſiæ detrimento toleratam, inflixit: eâdem etiam pœnâ involvens hæreticos omnes, videlicet Acephalos, Severianos, Eutychianos, & Origeniſtas.

Romam rediturus, in via morbo corripitur, & moritur. Rebus ita in Oriente conſtitutis, dum iter ſuum Romam verſus proſequi parat, Syracuſis in Sicilia ſubito calculi dolore corripitur, eoque ſenſim morbo attenuatus, magno cruciatu conficitur quarto Idus Januarii, anno ſedis ſuæ ſexto decimo (ut numerat ex Baronio Oldoinus) Chriſti verò quinquageſimo quarto ſupra quingenteſimum. Cujus corpus Romam delatum, primò conditum eſt in Cœmeterio Priſcillæ via Salaria, poſteà in Baſilica Vaticana, ut teſtatur Romanus Canonicus in deſcriptione Baſilicæ Vaticanæ. *Juſtum Dei Judicium.* Atque hic finis fuit Vigilii Papæ, juſto Dei judicio, curis, ærumnis, morbo, in Inſula confecti; qui ſanctum Silverium Prædeceſſorem ſuum in Inſulam deportari, illicque animam exhalare coëgerat.

S C R I P T A.

Vigilii Scripta. Scripſit verò Vigilius Pontifex Epiſtolas octodecim, quæ extant cum notis Binii tomo 4. Conciliorum: & tomo primo Epiſtolarum potificiarum; atque etiam tomo 7. Annalium Baronii. Leguntur etiam, teſte Ludovico Jacobo à S. Carolo, manuſcriptæ in Codice Arelatenſi. Ferè omnes Vigilii Epiſtolæ ſunt adverſus Schiſmaticos, qui ubique ſcriptis litteris vulgarunt Vigilium Papam impugnare Concilium Chalcedonenſe. Quod tamen Cardinalis Sfondratus ſuprà citatus, falſum eſſe clarè demonſtrat.

Decretum, ſeu Conſtitutum Vigilii de tribus Capitulis extat ibidem apud eosdem unà cum fragmento damnationis Theodori Epiſcopi Cæſareæ Cappadociæ. Vigilio ſcripſit Epiſtolam Arator Italus S. R. E. Cardinalis Subdiaconus, cui etiam Acta Apoſtolorum hexametris verſibus conſcripta dedicavit: uti in Purpura Docta libro primo, n. 1. indicavimus.

ANNO CHRISTI DLIV.

Imperatore Juſtiniano, Totila & Tejo Gothorum in Italia Regibus.

DE

S. PELAGIO I. Pontif. Maximo.

LXI. *Pelagii primordia.* Sanctus Pelagius hujus nominis Primus, Romanus, Vicariani filius, mortuo Syracuſis Vigilio, ob eximias virtutes, & merita, poſtulante Clero, Populoque Romano, in Petri ſolium evectus

evectus eſt. Is ante hac ab Agapeto Romano Pontifice cum aliis doctrina eminentibus viris Legatus ad Juſtinianum Imperatorem ad res Eccleſiæ componendas miſſus, inter alia ſententiæ à Menna & Patribus contra Severum, Petrum, & Zoaram latæ ſubſcripſit anno 535. Quem etiam Agapetus decedens, nulla imminuta poteſtate, Conſtantinopoli Legatum eo fine reliquit, ut quæ ab eodem Agapeto ſanctè priùs conſtituta fuiſſent, nullo unquam adverſantium hæreticorum inſultu labefactarentur, ſed ſarta tecta, atque in omnibus & per omnia illibata ſuo in vigore conſervarentur. Hujus inſuper prudentiſſimi Legati operâ Conſtantinopoli ex vicinioribus Epiſcopis, & ex iis, qui in eadem civitate tunc temporis morabantur, quantocyùs celebrata Synodus eſt, antequam rurſus inſurgerent, (potentiâ Imperatricis freti) depoſiti nuper Hæretici, pontificia Agapeti auctoritate compreſſi. *Legatur ad Juſtinianum* *Synodum celebrat.*

Conſtantinopoli Pelagius Legatum egit trium Romanorum Pontificum, Agapeti primùm, inde Silverii ac demum Vigilii, curavitque, ut ejecto Theodoſio Epiſcopo Alexandrino, recuſante actis Synodi Chalcedonenſis ſubſcribere, in ejus locum Paulus Epiſcopus Orthodoxus ſubſtitueretur. Profectus deinde in Palæſtinam ob negotia Eccleſiaſtica, cùm audiſſet eundem Paulum non ritè converſantem, ac homicidii reum, mox citatum, quæſtionique admotum, ac convictum damnavit, damnatumque pallio ſpoliavit. Reverſus è Palæſtina Conſtantinopolim, interpellatus ab orthodoxis Palæſtinæ monachis adverſus Origeniſtas, pontificio nomine celebratâ ibidem Synodo, Origenem cum ſequacibus, urgente eum Menna & Patribus orthodoxis, anathematizavit. *Legatus trium Pontificum Conſtantinopoli, multa præclarè agit* *Origenem ejusq; ſequaces damnat.*

Tandem Apocryſarii munere functus apud Juſtinianum Auguſtum, accepto ſucceſſore Stephano Diacono Cardinale, Romam rediit: cujus abſentiæ occaſionem nactus Imperator, edictum promulgavit adverſus tria Capitula ſacroſancti Concilii Chalcedonenſis, ex ſententia Theodori Epiſcopi Cæſarienſis, qui in odium Pelagii, cujus operâ, ut diximus, damnatus fuerat Origenes cum ſuis erroribus, Imperatori ſuggeſſit, ut damnaret Theodorum Mopſveſtenum cum Epiſtola Ibæ, & ſcriptis Theodoreti adverſus duodecim Cyrilli Anathematiſmos. *Romam redit.*

Simul ac Pelagius Conſtantinopoli reverſus eſt in Urbem, ſtatim adverſus Juſtiniani Edictum, tum Africanos Epiſcopos, tum etiam alios armare conatus eſt: utque debitam pro Eccleſia Dei curam gereret, Ferrando Diacono Carthaginenſi, viro apprimè docto & probo, litteras Apoſtolica ſollicitudine plenas dedit, hortans eum, ut habito de tribus Capitulis diligenti tractatu cum ejuſdem Carthaginenſis Eccleſiæ Epiſcopo, vel aliis, quos zelum fidei, & divinæ Scripturæ notitiam habere ſciret, conſulentibus reſponderet, quid obſervandum in commune omnibus videretur. Conſtantinopolim denuò miſſus à Totila Gothorum Rege pro impetranda pace, Vigilii Conſtituto eadem occaſione cum aliis Epiſcopis ibidem ſubſcripſit. *Edicto Imperatoris adverſatur.* *Redit Conſtantinopolim*

Cæterùm Juſtiniano Auguſto adeò charus acceptusque fuit, ut non dubitaverit ipſe Imperator, etiam vivente Vigilio ſibi in- *Imperatori charus.*

O feſto,

feſto, eum ad ſummum Pontificatum extollere, ſi Romano id Clero placuiſſet. Quare credendum omninò eſt, memoratum Imperatorem diſcedenti Pelagio ſacras Protomartyris Stephani reliquias dono dediſſet, quas Pelagius, Romanus poſteà renunciatus Pontifex, Romæ in ſepulchro S. Laurentii in agro Verano ſolemni apparatu condidit. De hac translatione Martyrologium Romanum agens, Nonis Maij, hæc habet: *Romæ translatio corporis S. Stephani Protomartyris, quod Pelagio ſummo Pontifice Conſtantinopoli ad Urbem allatum, atque in ſepulchro S. Laurentii Martyris in agro Verano poſitum, ibidem magna piorum religione colitur.*

Corpus B. Stephani Romam transfert.

Romanus poſtmodùm creatus Pontifex poſt Vigilii obitum, omnem necis Vigilio allatæ ſuſpicionem, præſtito ſuper Evangeliis & Cruce publico juramento, ſuſtulit. Quintam Synodum Conſtantinopolitanam, à multis hactenus controverſam, recepit & approbavit; curavitque omni ſtudio, ut Occidentales Epiſcopi eandem ad Oecumenicam reciperent: cumque ferè omnes renitentes inveniſſet, quàm plurimos litteris Apoſtolicis vocavit, & aliorum exemplis provocavit: cumque penitùs reſilirent, brachio ſæculari utendum ratus, per Narſetem belli ducem contumaces compeſcere atque coërcere paravit. Narſes verò, quòd pius admodùm, & in Sacerdotium religioſus eſſet, veritus eſt bello aliquid adverſus Epiſcopos decernere. Qua modeſtia id effecit, ut ſua denique ſponte Pelagio ſalutaria imperanti obtemperarent.

Quintam Synodum approbat.

Renitentes literis, ac minis ad ſaniora vocat.

Anno Chriſti 555. Pelagius Romanus Pontifex, acceptis à Childeberto Francorum Rege Legatis, & ab Epiſcopo Arelatenſi Sapudo litteris, ad eosdem reſcripſit, & in primis ad eundem Arelatenſem Epiſtolam dedit, qua eidem ſuas vices in Galliæ regno delegavit, palliumque impertitus eſt.

Sabaudum Epiſc. ſuum in Gallia Vicarium conſtituit.

Inſtituit ex Durando, ut in totius anni jejuniis ab Eccleſia indictis, poſt Nonam ſolemni more ſacrificaretur in Baſilicis Cathedralibus & Collegiatis; decretoque firmavit communem ritum ex præcepto Apoſtolorum inſtitutum in omnibus Liturgiis, preces Deo pro Defunctis effundendi. Conſtitutionem pariter edidit, qua modum eligendi Romanum Pontificem præſcripſit, ſcilicet ut nemini Pontificalis dignitas concederetur, niſi illi, qui per gradus Eccleſiaſticos ad illam aſcenderet. Hanc Conſtitutionem conceptis verbis exhibet ex Baronio Ciaconius in vita. Septem quoque Horarum Canonicarum preces Sacerdotibus & Eccleſiaſticis quotidie recitandas injunxit, ſi Verronio in Chronica ſua, habenda ſit fides.

Ejus nonnulla Inſtituta, & Decreta.

Baſilicam miræ magnitudinis ante Palatium Conſtantii, in honorem SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi à ſolo conſtrui fecit, quam morte præventus cùm abſolvere non poſſet, Joanni Succeſſori perficiendam reliquit. Hinc ille verſus, quem ex antiquis Vaticanæ Baſilicæ monumentis refert Manlius.

Inſignem Baſilicam condit.

Pelagius cæpit, complevit Papa Joannes.

Ex hac vita deceſſit Pelagius ſanctis operibus clarus, Romæ die 2. Martii anno à Chriſti Nativitate 558. poſtquam ſediſſet annos 4. menſes 10. dies 18. ut ex ejus Epitaphio, quod laudatus Manlius recitat, docemur. Et eſt tale.

Sanctè deceſſit.

Terrenum

Terrenum corpus claudant hac fortè ſepulchra,
Nil ſancti meritis derogatura Viri.
Vivit in arce poli cœleſti luce beatus,
Vivit & hic cunctis per pia facta locis.
Surgere judicio certus, dextramq; tenentem
Angelicâ partem ſe rapiente manu.
Rector Apoſtolica fidei, veneranda retexit
Dogmata, qua clarè conſtituêre Patres,
Eloquio curans errorum ſchiſmate lapſos,
Ut veram teneant corda placata fidem.
Servavit multos divina lege Miniſtros,
Nil pretio faciens immaculata manus.
Captivos redimens, miſeris ſuccurrere promptus,
Pauperibus nunquam parta negare ſibi.
Triſtia participans læti moderator opimus;
Alterius gemitus credidit eſſe ſuos.

Ejus Epitaphium.

✝

HIC REQUIESCIT PELAGIUS PAPA. I.
Qui ſedit annos IV. Menſes X. Dies XVIII.
Depoſitus IV. NON. Martii.

SCRIPTA.

Scripta.

Scripſit Pelagius multas Epiſtolas, doctrina & pietate inſignes: quarum ſedecim leguntur tomo primo Epiſtolarum pontificiarum: item tomo 7. Annalium Baronii, & tomo 4. Conciliorum cum notis Binii. Primam encyclicam ad Populum Dei ſcripſit de Fide Catholica. Quatuor ad Childebertum Francorum Regem de eadem fide. Quinque ad Sapaudum Epiſcopum, cui, ut diximus, vices ſuas delegavit. Quatuor ad Narſetem Patricium, ut auxilium ſibi præſtaret ad Epiſcopos quoſdam, Eccleſiæ perturbatores, in ordinem redigendos; & Schiſmaticos, à quibus inaudita temeritate communione fuerat interdictus, reprimendos. Decimam quintam ad Vigilium Epiſcopum. Ultimam ad Epiſcopos Tuſciæ, de Schiſmate eos reprehendens. Baronius dubitat an Epiſtola ad Vigilium Epiſcopum data, ſit Epiſtola Pelagii, nam cùm ad finem ejus ponatur data ſub Conſulatu Narſetis ac Joannis, impoſturæ auget ſuſpicionem; nullus enim reperitur Conſul poſt Baſilii Conſulatum, niſi vigeſimo elapſo anno. Quo tempore Pelagium non ſediſſe, exploratum eſt.

Dubium Baronii.

ANNO CHRISTI DLVIII.
Imperatoribus Juſtiniano, & Juſtino Juniore Auguſtis.

DE

JOANNE III. Pontifice Maxim.

charis, Lieuræi, Chenutii, Petri Villarii, Claudii Roberti, & Jacobi Suvertii. Alteram eſtcum notis Binii in tomo quarto Conciliorum; hæc tamen ut commentitia rejicitur à Baronio, ipſoque Binio contra Iſidorum Mercatorem, primum hujuſce Epiſtolæ approbatorem, dum enim decimo quarto Kal. Auguſti anni 571. data reperiatur, utique non niſi ad tempus poſt obitum Joannis referri poteſt. Tertiam celebrat Ciaconius ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ ſcriptam, qua dubia quæſtio de Lino & Cleto ſolvitur, extatque apud Gratianum: ſed & hanc Baronius tomo 7. Annalium reprobat, multisque rationibus ſpuriam, falſoque Joanni III. adſcriptam demonſtrat.

ANNO CHRISTI DLXXII.

Imperatoribus Juſtino Juniore, & Tiberio II. Augg.

DE

BENEDICTO I. Pontifice Max.

BENEDICTUS I. cognomento Bonoſus divi Benedicti quondam diſcipulus, Romanus, patre Bonifacio ortus, vacante ab obitu Joannis propè annum Romana ſede, eidem ſuffectus eſt, miro omnium conſenſu: utpotè gratus Deo, charus Cæſari, Clero, Populoque Romano acceptus, ut uno ore teſtantur, qui ingenuè de Pontificibus ſcripſêre. Hic Urbem bellicis tumultibus juxtà, ac dira fame exagitatam, impetratâ abs Juſtino frumenti copiâ, multùm recreavit. Quin & pluribus contagioſâ lue (inguinaria dicta) laborantibus, præſenti auxilio & ſaluti fuit. Quàm autem exoſam hic pius Pontifex habuerit Arianorum ſectam, conjici poteſt ex inſigni illa, omnique eruditione plena Epiſtola, quam ad Davidem in Hiſpania Bætica Epiſcopum de ſanctiſſima Trinitate dedit: ubi inter alia his eum verbis alloquitur: *His, frater, teſtimoniis, ex divino ſcripturarum fonte depromptis, fidei veritatem ſimul ac unitatem myſterii Trinitatis agnoſce, & deſine execrabilem Arianorum pravitatem ſequi, ut poſſis à Patre miſericordiarum indulgentiam conſequi erratorum, & ſalutem æternam promereri.* LXIII.

Ex monacho Pontifex creatur.

Afflictæ urbi ſaluti eſt.

Arianis infeſtus.

Sedente Benedicto I. Pontifice, Juſtinus inſaniæ morbo laborans, ubi ad lucida intervalla, indeque ad plenam rationis ſanitatem rediiſſet, quòd improlis eſſet, Tiberium in filium, ſceptrique hæredem adoptavit Erat Tiberius excubitorum comes, vir pius ac ſtrenuus, Eccleſiæque Romanæ apprimè addictus. Hunc non multò pòſt Juſtinus Cæſarem dixit, ac accerſito Eutychio Patriarcha, Senatu, Cleroque Eccleſiæ, Imperatorem nuncupavit; juſſitque omnibus audientibus, ut Deum piè coleret; in ſubjectos populos beneficus eſſet; pauperibus opitularetur; injuriâ vexatis opem ferret; ne purpurâ elatus incederet; ne militibus quidlibet audendi poteſtatem faceret. His legibus Tiberium regimini & ſce-

Juſtinus Tiberium ſceptri hæredem declarat.

ptro admotum munivit: quibus ſi ipſemet vixiſſet, procul dubio præclari nomen Imperatoris tuliſſet.

Benedicti obitus. Vixit Benedictus in Pontificatu annos quatuor, menſem unum, dies 28. teſte Baronio: ſolicitudine, ac animi dolore, quem ex Urbis, Italiæque calamitatibus à Longobardis omnia devaſtantibus, illatis conceperat, enectus. Obiit autem Pridie Kalendas Auguſti anno ſalutis 576. terræ mandatus in Eccleſia Vaticana Principis Apoſtolorum.

SCRIPTA.

Scripta. Scripſit Epiſtolas tres: quarum una duntaxat invenitur in tomo quarto Conciliorum; & in tomo primo Epiſtolarum Pontificiarum decretalium. Et eſt illa ipſa, quam ſuprà ad Davidem Epiſcopum Hiſpanum datam laudavimus. Hanc notis illuſtravit Severinus Binius. Quæ etiam in Collectione Franciſci Joverii Juris-Conſulti invenitur.

ANNO CHRISTI DLXXVII.

Imperatoribus TIBERIO II. & MAURITIO Auguſtis.

DE

PELAGIO II. Pontifice Maxim.

LXIV. PELAGIUS Secundus, Romanus, Winigildi (ut ex Platina Ciaconius ſcribit) filius: quamquam ex nomine parentis, eum genere potiùs Gothum, quàm Romanum crediderim: divi Benedicti adhuc viventis diſcipulus, teſte Bucelino in Aquila Imp. fol. 111. vir ſeu fidem ſpectes, ſeu eruditionem, animique pietatem ac fortitudinem, per omnia egregius. Hic ob temporum calamitoſiſſimorum iniquitatem, inconſulto Imperatore, poſt mortem Pelagii ex Monacho Romanus Pontifex electus, initio ſui regiminis Gregorium à monaſterio avulſum, Sacræ Romanæ Eccleſiæ primò Diaconum, deinde Apocriſiarium, ſeu, quod idem eſt, Legatum Conſtantinopolitanum creavit, eundemque ad Tiberium Auguſtum, qui mortuo Juſtino imperii habenas recens acceperat, eo fine deſtinavit, ut novum ei initum imperium gratularetur, ſimulque eum de ſua in Pontificem electione, ut moris erat, edoceret.

S. Gregorium Cardinalem creat, & ad Tiberium Legatum mittit.

Librum ſcribit pro quinta Synodo. Poſteà ad ſacra converſus, adhibito in conſilium & auxilium eodem Gregorio, librum edidit pro defenſione quinti Concilii, Conſtantinopoli Vigilii tempore celebrati, ad radicitùs evellendum Schiſma in Occidente ortum ob damnationem trium Capitulorum. Hoc tamen benè paratum pharmacum malè affectis animis Schiſmaticorum minimè profuit. Quare Pelagius, ne contumacibus cedere videretur, per ſæcularem poteſtatem eos in ordinem redigere conatus eſt. Adverſus igitur Schiſmaticos Smaragdum Italiæ Exar-

Exarchum Revennæ degentem litteris Apoſtolicis excitavit, qui haud ſegnis eoſdem ad mentem Pontificis coërcere aggreſſus eſt, nec ceſſavit (Paulo Diacono teſte) quouſque depaſcentem Eccleſiam morbum illum ex Occidente penitùs ſuſtuliſſet. *Schiſmaticos in ordinem redigit.*

Extincto hoc Schiſmate, Patriarchis prohibuit, ne ſe univerſales nominarent: Archiepiſcopis Primatibus, & ipſis quoque Patriarchis, ante ſuſceptum pallium, ejuſque uſum ſacros ordines conferre interdixit, iiſdemque præcepit, ut infra tres menſes conſecrationem & pallium à Sede Apoſtolica petere & accipere tenerentur. Patriarchatum Aquilejæ, quòd eſſet urbs illa igne à Longobardis conſumpta, Gradum ſive Venetias tranſtulit. Verùm duobus poſtmodùm per contentionem electis, Claudiano ſcilicet Gradenſi, & Joanne Aquileienſi, ne major inde diſcordia enaſceretur, utrique Eccleſiæ ſuus deinceps relictus eſt Patriarcha. Novem Præfationes ante Canonem Miſſæ, ut antiquas approbavit Epiſtolâ quartâ: nimirùm Præfationem Paſchalem, de Aſcenſione Domini, de Pentecoſte, de Nativitate Domini, de Epiphania, de Apoſtolis, de Sancta Trinitate, de Cruce, de Jejunio quadrageſimali; quibus poſtmodùm & illa de Beata Virgine adjecta eſt. *Patriarchæ ne univerſales nominarentur, mandat.* *Præfationes Miſſæ approbat.*

Anno 586. Tiberio religioſiſſimo Imperatore vitâ functo, Imperii regimen aſſumpſit Mauritius, ad quem ex more Pelagius Pontifex Laurentium S.R.E. Diaconum Cardinalem miſit, ut apud ipſum Auguſtum, Legatum Apoſtolicum ſeu Apocriſarium ageret, teſte S.Gregorio in Epiſtolis ad Eulogium, & Joannem Conſtantinopolitanum datis. Hunc Laurentium multis criminibus accuſatum, convictumque poſteà Gregorius Pontifex creatus Apocriſarii munere depoſuit, ſuffecto in ejus locum Honorato, ut ex ipſius Gregorii Regiſtro colligi poteſt. Cæterùm Pelagii Pontificatum, ut ut calamitoſus hactenus fuerit, felicem reddidit Gothorum in Hiſpania ad Catholicam fidem converſio, per ſanctiſſimum Leandrum Epiſcopum Hiſpalenſem, alioſque ſacros Hiſpaniarum Antiſtites facta anno ſalutis 589. Reccaredo Rege Hermenegildi Martyris fratre id maximè deſiderante & procurante. *Moritur Tiberius: ſufficitur Mauritius.* *Gothorum in Hiſpania converſio.*

Anno 590. qui fuit ſedis Pelagii ultimus, lues inguinaria irrato cœlo in populum Romanum immiſſa (teſte Gregorio Magno *lib.4. Dial. c.36.*) magnam mortalium ſtragem edidit; ipſumque inter alios ſanctiſſimum Pontificem Pelagium abſumpſit, die octava Februarii, poſtquàm ſediſſet annos circiter tredecim, ut computat Baronius tomo 7. Annalium. *Pelagii obitus*

SCRIPTA.

Scripſit Epiſtolas decem: quarum duas dedit ad Benignum Archiepiſcopum, Epiſcoporum tranſitum ab una ad aliam ſedem reprobans, Eccleſiæ utilitate id non poſtulante. Unam ad S.Gregorium, Legatum Apoſtolicum tum Conſtantinopoli agentem, qua ei mandat, ut ſibi ab Imperatore auxilium contra Longobardos impetrare ſatagat. Unam ad Auxentium, alteram ad Epiſcopos Italiæ; tres ad Eliam Primatem, & ad univerſos Iſtriæ Epiſcopos, *Scripta.*

qui

qui contra tria Capitula adhuc ſentiebant. Unam ad Germaniæ, Galliæque Præſules, quibus novem Præfationes inter Miſſarum ſolemnia decantandas in Eccleſia Romana eſſe ſignificat. Unam denique ad Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, qui ſibi univerſalis nomen vindicabat. Has omnes Epiſtolas Severini Boetii notis exornatas invenies primùm in tomo 4. Conciliorum, deinde in tomo primo Epiſtolarum Pontificum Romanorum, demum in tomo 7. Annal. Baronii. Præter decem has Epiſtolas Decreta multa in totius Eccleſiæ bonum edidit, quæ inveniuntur apud Gratianum, Ivonem Carnotenſem, Barboſam & alios.

Ad Pelagium Papam Libellum ſcripſit Laurentius junior Epiſcopus Mediolanenſis, quo ſe averſari Schiſmaticos, & in cauſa trium Capitulorum Romanæ inhærere Eccleſiæ profitetur: cui quidem libello cùm plures nobiles Senatores ſubſcripſerint, etiam Gregorius, qui poſteà fuit Romanus Pontifex, dum hoc tempore urbanam præfecturam exerceret, ſuum appoſuit chirographum, ut ipſe teſtatur in Epiſtola ad Conſtantinum dicti Laurentii in Epiſcopatu Succeſſorem.

ANNO CHRISTI DXC.

Imperatoribus MAURITIO, & PHOCA Auguſtis.

DE

S. GREGORIO MAGNO Pontifice Maximo.

LXV.

S. Gregorius I. ob rerum geſtarum gloriam cognomento Magnus.

SAnctus GREGORIUS, hujus nominis Primus Ordinis D. Benedicti Monachus, ob rem geſtarum gloriam cognomento Magnus, patria Romanus, illuſtrium genere, virtutibus, opibus conjugum Gordiani Senatoris & Silviæ ſanctiſſimæ matronæ filius fuit. Hujus præclara ſanctiſſimæ vitæ acta cùm paſſim à primariis, iisque optimis Scriptoribus decantata habeantur, ne actum agere in re notiſſima velle videar, ſtrictim dumtaxat obiterque ea hoc loco attingam, quæ majoris momenti, ſcituque magis neceſſaria eſſe videbuntur.

Ejus præclara acta ſtrictim enarrantur.

Gregorius igitur verè Magnus, Doctor Eccleſiæ incomparabilis, eruditione ac vitæ ſanctitate nulli ſecundus, vir juxtà cor Domini, afflictis maximè temporibus opportunè à Deo datus, Romano populo mediis in calamitatibus conſtituto, miſereque divexato conſolator optimus adfuit: multa cum hoſte barbaro utiliter præclareque egit: Epiſcopos Siciliæ & Illyrii ingruentibus undique malis obrutos, penèque proſtratos, Chriſti Domini doctrina ſuſtinuit, firmavitque: Longobardos Chriſtiani nominis hoſtes acerrimos ad fidei lumen adduxit: Gothos feram gentem diſcuſſis tenebris ab Arianiſmo ad veritatem revocavit: Donati-

ſtas

ſtas hæreticos ex Africa, Arianos ex Hiſpania, Manichæos ex Sicilia: Neophitos ex Gallia, Agnoitas Alexandria, jugulata eorum hæreſi, expulit: Angliam nobile regnum, miſſis eò præclariſſimis viris Auguſtino, Melita, & Joanne, per Evangelii ſalutaria dogmata regno Dei addidit. Conſtantinopolitanos Patriarchas nefariè primatum ſibi arrogantes compeſcuit: Eutychium veram tractabilemque corporum reſurrectionem inficiantem, rationibus & ſcripturis ita convicit ut is morti proximus, apprehenſa manus ſuæ pelle, multis præſentibus diceret: *Confiteor, quia omnes in hac carne reſurgemus.* Peregrinos quotidiè, & inter hos aliquando Angelum, ipſumque Dominum Angelorum peregrina facie apparentem ad menſam excepit: Noctu diuque nunc ſcriptis, nunc precibus, nunc concionibus, nunc contemplationibus in ſpiritu laboravit: pauperes, languentes, viduas, pupillos, benignè fovit, inviſit, aluitque: Sacra ædificia, Oratoria, Cœnobia, Xenodochia, Baſilicas, Cruces, Statuas, Altaria, Baptiſteria erexit, inſtauravit, fundavit, exornavit: Miſſarum ſolemnia, ſtationes, ſanctorum memorias, cultumque divinum, & cantica cum Litaniis aptè, & ordine ad optimam formam redegit; aliaque id genus innumera egit, quæ virum ipſum cœlô potius datum, quàm terrâ natum arguebant. Et cùm tantus ac talis eſſet, demiſſo nihilominus ipſe ſemper vultu ac humili animo incedens, *Servum ſe ſervorum Dei* maximа licèt dignitate conſpicuus, ſcriptis ac viva voce appellitabat. *Ejus humilitas.* Quin & eximio in Chriſtum amore incenſus, tanto ſtudio, ſollicitudine, zelo, vigilantia in curam omnium Eccleſiarum excubabat, ut uni huic rei, rejectis privatis omnibus, natus crederetur. Quibus denique præclaris actibus id conſecutus eſt, ut Deo intimus, plebi charus, clero acceptus, Cæſaribus venerabilis, hoſtibus terribilis, & per univerſam Eccleſiam vitæ ſanctitate, ſcriptorum doctrinâ, miraculorum gloriâ, geſtorum famâ, illuſtris planèque ſtupendus haberetur. *Omnibus gratus, acceptus.*

Hoc igitur tam præclarum ſplendidumque Romanæ Eccleſiæ lumen, qui offuſa maledicentiæ caligine obſcurare nituntur, næ illi peſſimorum criminatorum crimen incurrunt! *Atqui*, inquiunt, *Caremonias primus in Eccleſiam invexit?* falſum id eſt: nam Cæremonias ab Apoſtolorum ætate, eorumque juſſu in Eccleſiam deductas eſſe, teſtes ſunt tot Eccleſiæ doctores, quot Gregorium Pontificem retrò antè præceſſere; ut vel ex antiquiſſimo Scriptore Tertulliano liquet. Cæterùm ſi ea Gregorius divino Numine afflatus, quæ collapſa erant, aut hominum incuriâ minùs decenter in Eccleſia fiebant, priſtino vigori & dignitati reſtituit, ut ſecundùm Apoſtoli Pauli præceptum, *omnia honeſtè, & ſecundùm ordinem fierent*, peccatum id minimè dici debet. *Adverſariorum objectis breviter reſpondetur.* *At Litanias*, ajunt, *inſtituit*: immò Litanias, quas alio nomine ſupplicationes vocamus, in Eccleſia uſitatas longè ante Gregorium fuiſſe, Baſilius Magnus ad Neocæſarienſes, & S. Auguſtinus *cap. 4. Meditationum*, aliique alibi teſtantur: quòd verò Populum Romanum, bello, obſidione, fame, peſtilentia vexatum, in ſeptem ordines pro cujuſque ſtatu & ſexu diſtinctum, Paſtor ſanctus ſupplici proceſſione ad Templa perduxit, *Litanias non inſtituit Gregorius, ſed celebravit.*

ut uno omnes ore Dei clementiam ad avertendas tot plagas implorarent, hoccine quiſquam ſani cerebri vitio vertat? Hæ enim illius Litaniæ fuêre etiam miraculo comprobatæ. *At idem adjecit quædam ajunt, ad Miſſam prioribus ſæculis aut inuſitata, aut ignorata*; Rectè: Chriſtus namque Salvator glorioſiſſimi ſui corporis, ſanguiniſque ſacrificium inſtituit ipſe; præter ſacrificii verò actionem, preces laudeſque Dei, & ſacras Epiſtolarum Evangeliorumque lectiones, quæ ad tanti myſterii majorem venerationem facere videbantur, adjunxerunt tam Gregorius, quàm ante ipſum ſanctiſſimi Pontifices alii, & in primis traditio Apoſtolica; nihil mutato ſacrificio: id quod etiam vulgo ex precationum libellis compertum eſt. Sed benè habet, quòd cùm tam ſtudioſè omnia inquiſierint Adverſarii, ſciantque recenſere, quæ quiſque Miſſæ Sacro ex ceremoniis adhibuerit; tamen qui ipſam ſacrificii actionem & eſſentiam (quod caput Miſſæ eſt) primus inſtituerit præceperitque, neminem nec hominum, nec Angelorum reperiant, ut velint, nolint, neceſſè ſit ad Chriſtum Dei filium, tanquam ejus auctorem devolvantur. Habet enim Miſſa (ut benè notat Verronius) tres auctores: primum Chriſtum Dominum, actionis ſacrificii, ſcilicet conſecrationis, oblationis, & conſumptionis: ejus verò quod reliquum eſt, partim traditionem Apoſtolorum; partim inſtitutionem Pontificum.

Miſſæ quoad ſubſtantiam nihil adjecit, ſed quoad Cæremonias.

Chriſtus ſolus Miſſæ auctor.

Eandem planè rationem habent, quæ de Sanctorum veneratione & Invocatione; de mortuorum ſuffragiis; de Purgatorio, aliiſque id genus Religionis noſtræ Capitibus, Gregorio velut auctori aut inventori falſiſſimò affingunt; quum qui eum ad Apoſtolos uſque anteceſſerunt ſancti Doctores, & beati Martyres, hæc ipſa capita in Eccleſia Chriſti ſemper fuiſſe credita & celebrata, luculentis adeò teſtimoniis comprobent, ut nullum dubitationi locum relinquant. Sed ut ut dubia nonnullis videantur, quod nunquam concedimus; quibus, obſecro, potiùs credendum, Luthero & Calvino Apoſtatis, ea negantibus; an Gregorio, Patribus, & Apoſtolis ea docentibus? Tutiùs, ne ambigas, Paſtoribus creditur, quàm lupis.

Reliqua reſponſione indigna ſunt.

Tandem cùm Gregorius Pontifex annos tredecim, menſes ſex dies decem Romanam Eccleſiam ſanctis operibus, ac doctrinis feliciſſimè illuſtraſſet, quarto Idus Martii anno 604. miraculis clarus, à carnis corruptione ſubtractus eſt, incorruptionis perpetuæ gloria ſublimandus. Sacrum ejus corpus ſtupendis fulgens ſignis, magna confluentis populi celebritate, conditum eſt in Baſilica Vaticana prope Secretarium, cum inſigni Epitaphio, geſta ejus continente, ut videre eſt apud Baronium ad annum 604. n. 17. Jam ad ea, quæ ſcripſit, progrediamur.

Gregorius ſanctiſſimè moritur.

SCRIPTA.

Doctrina & eruditione cum primis inſignis fuit Gregorius, qui in explanatione divinorum Voluminum tam viſibili, quàm inviſibili ſancti Spiritus illuſtratione edoctus, omnes ferè Scripturas

Quanta doctrina & eruditione floruerit?

per

per Commentaria explicuit ; quorum majorem partem nondum in plura exemplaria redactam, ſtatim poſt mortem ejus æmuli flagitioſiſſimi exuſſerunt, veriti ne ſanctitatis ejus & doctrinæ gloria, ſcriptorum monumentis ad poſteros perveniret. In Homiliis, atque his potiſſimùm, quas ad populum inter ipſa Miſſarum ſolemnia habuit, brevi & ſuccincta divinæ lectionis elucidatione uſus eſt : contrà verò in Commentariis coäcervato explanationis genere delectatus, divinas litteras locupletiſſima ſenſuum, ac ſermonis copia profuſiſſimè enarravit, ubicunque fermè obſervans modum & ordinem exponendi talem : In primis, jacto hiſtoriæ fundamento, litteræ contextum juxta duplicem eruditionem, veterem ſcilicet, quæ Italica dicta eſt, & novam Hieronymi, breviter & carptim percurrensediſſerit : Secundò, ex hiſtoriæ verbis Allegoriæ & Anagogiæ, quæ idem apud illum ſunt, varios & copioſiſſimos fontes deducit : Tertiò, Allegoriarum ſenſus ad Eccleſiæ ædificationem in exercitium moralitatis inclinat, & allegoricos fluvios ad irriganda virtutum ſata derivat, tantâque de virtutibus ac vitiis efficaciâ loquitur, ut ea videatur non ſolùm verbis exponere, ſed formis quodammodò viſibilibus & palpabilibus demonſtrare: verborum orationis genus idem in omnibus penè ſcriptis ejus continuum eſt.

Scripſit igitur Gregorius in Octoteuchum, hoc eſt, in octo primos ſacræ Scripturæ libros, ab initio videlicet Geneſeos uſque ad Paralipomenon. Hos libros Joannes Diaconus vitæ ejus Author teſtatur ab invidis poſt obitum Gregorii fuiſſe concrematos. *Ejus elucubrationes enarrantur.*

In Regum libros inchoatæ expoſitionis volumina ſex: quibus, ut ipſemet Gregorius aſſerit, primus omnium Latinorum aggreſſus eſt continuam expoſitionem in Libros Regum, de quibus dumtaxat ſedecim prima primi libri capita exponenda aſſumpſit, ut ex eo labore periculum faceret, ſi ultrà progredi poſſet explanando : unde & fuſior eſt in duobus libris prioribus, quàm in cæteris quatuor.

In Job ad Leandrum Epiſcopum Hiſpalenſem Commentarios : editos à ſe, cùm crebris viſcerum doloribus torqueretur, ad leniendos cruciatus, quos fracta ſtomachi virtute, & continuis lentiſque febribus ſupervenientibus patiebatur. Quanti autem hos verè aureos in Job Commentarios fecerint Eccleſiæ Præſules, hinc apparet, quòd adhuc vivente Gregorio, publicè eos per diverſas Eccleſias legere cœperint, quod ipſe, cùm reſciſſet, miſſis ad eos Epiſtolis, quæ adhuc extant, fieri vetuit. Hoc Opus plurimi poſteà ob maximam utilitatem in compendium redegerunt. Et S. Zacharias Papa è Latino in Græcum tranſtulit.

In ſeptem Pſalmos, qui ad pœnitentiam pertinent, brevem & moralitate plenum Commentarium.

In Canticum Canticorum Commentarium, in quo ſtrictiori, quàm in cæteris, explanatione uſus eſt.

In Ezechielem, Homiliarum ad populum Romanum libros duos : hoc eſt, in tria prima Ezechielis capita, Homilias duodecim primo libro comprehenſas: & rurſus in cap. 40. de viſione Templi

P 2 in

in Hieruſalem conſtruendi, Homilias decem ſecundo libro comprehenſas: Has ad populum habuit maximis animi curis fluctuans propter calamitates Urbi imminentes, cùm ad eam obſidendam Agilulphus Longobardorum Rex jam tranſmiſſo Pado feſtinaret.

In Evangelicas Lectiones, quæ in ſacris Miſſæ myſteriis leguntur, Homilias quadraginta; quarum quaſdam à ſe priùs dictatas per Notarium ad populum, quaſdam verò ipſe viva voce pronunciavit, Notariis à dicentis ore pendentibus, & dicta excipientibus. Has Gregorius ipſe à ſe priùs recognitas duobus voluminibus concluſit, & Secundino Lauritano Epiſcopo dicavit. Earum Catalogum exhibet Auguſtinus Oldoinus S. J. in additionibus ad Ciaconium.

Scripſit etiam Meditationes ſeptem de Paſſione Domini.

Salutationes ad quinque Vulnera Chriſti.

Sermones tres exhortatorios ad Monachos Caſſinenſes.

Exhortationem ſpecialem ad Monachos.

Concordiam quorundam locorum ſacræ Scripturæ.

Paſtorale, ſeu Regulas paſtorales ad Joannem Epiſc. Ravennatem.

Sacramentarium, ſeu librum Sacramentorum.

Antiphonarium.

Orationes pias.

Dialogorum libros quatuor: quos Græcè vertit S. Zacharias Papa. Germanicè Adamus Walaſſer. Anglicè Werefridus Wigorniæ Epiſcopus. Gallicè Simon Milletus Benedictinus.

Epiſtolarum libros duodecim ad varios.

Vitam S. Benedicti: cujus etiam Regulam confirmavit.

Librum de Conflictu Vitiorum & Virtutum. Hunc nonnulli S. Leoni I. alii S. Ambroſio falsò attribuunt.

Librum Aſceticum, qui intitulatur Meditatio S. Gregorii Magni.

Auctor etiam fuit diverſorum hymnorum.

Auctor etiam Gregorius fuit diverſorum ſacrorum Hymnorum, quos Eccleſia in ſacris precibus tam feriarum, quam feſtorum dierum exhibet recitandos, teſte Gregorio Valentiano in Hymnodia Sanctorum Patrum: & ſunt,

Primo die, quo Trinitas &c.
Nocte ſurgentes vigilemus omnes, &c.
Ecce jam noctis tenuatur Umbra, &c.
Lucis Creator optime, &c.
Jam ſol recedit igneus, &c.
Te Lucis ante terminum, &c.
Verbum ſupernum prodiens &c. Hunc tamen Hymnum Calamatus D. Ambroſio attribuit.

Mortuorum quoque Sequentiam *Dies ira, dies illa &c.* compoſuit ex Arnoldo de Vuion Ligni vitæ *lib. 1. c. 70.* Bzovius tamen ad annum 1294. ex Leandro Alberto eam tribuit Latino Cardinali Urſino Frangipanio. Vide Purp. Doctam lib. 1. n. 96. fol. 223. circa finem.

Hi ſunt igitur, quos emiſit radios clariſſimos digniſſimum Romanæ Eccleſiæ lumen, ac ſingulare Romanorum decus: mirum quidem dictu! Virum videlicet videre aſſiduis ſtudiorum & ſollicitudi-

citudinum laboribus, nec non variis infirmæ valetudinis incommodis, podagræ præcipuè ac capitis attritum doloribus, inter bella & peſtem, interque plurima, quæ peſtem inſecuta ſunt mala, commiſſum ſibi Eccleſiæ clavum tam feliciter regere, jucundeque moderari, ut poſſet, ac ſi quietus viveret, tam multa, tamque præclara ſcribere; omniumque ſaluti, ac ſi nihil ſcripſiſſet, ſtudioſè adeò inſervire.

Cæterùm omnia B. Gregorii Papæ Opera ſingulari ſtudio in unum collegit Petrus Toſſignanus, Epiſcopus Venuſinus, atque ea in ſex tomos diſtributa, juſſu Sixti V. in lucem protulit Romæ.

ANNO CHRISTI DCIV.

Imperatore PHOCA Auguſto.

DE

SABINIANO Pontifice Maximo.

LXVI.

Sabinianus Gregorio non ſine tumultu ſufficitur.

SABINIANUS, natione Tuſcus, patria Volaterranus, Boni ſeu Batii filius, Gregorio Magno in Pontificatu ſucceſſit. Hic, cùm adhuc Apocryſarii munere Conſtantinopoli apud Phocam Imperatorem fungeretur, à Gregorio Pontifice litteris monitus, Joannis Epiſcopi Conſtantinopolitani, qui propria auctoritate ſe Patriarcham univerſalem nominaverat, conſortium ſemper vitavit. Mortuo Gregorio, non ſine tumultu electus eſt ex Diacono Romanus Pontifex, ut tam Latini, quàm Græci Scriptores uno ore teſtantur: ex quibus redarguas Nicephorum Callixtum, dum poſt S. Gregorium in ſerie Pontificum nominat Innocentium quendam ejus ſucceſſorem, aliis Scriptoribus penitùs inauditum.

Error Nicephori.

Romanus Canonicus in deſcriptione Baſilicæ Vaticanæ mirè extollit Sabiniani in pauperes charitatem, ſcribit enim; *Sabinianus Papa, ſub cujus tempore fuit fames gravis in Civitate Romana, ſed perfecta pace cum gente Longobardorum, juſſit aperiri horrea Eccleſiæ, & venundari frumentum populo per unum ſolidum triginta modios tritici, miſericordia enim viſceribus, ultra quàm dici poſſit, affluebat, & quantum in ſe erat, nullum à beneficio miſericordiæ excludebat.* Hæc ſi vera ſunt, fidem adimunt Ciaconio aſſerenti, Sabinianum frumentum populo ſubminiſtraſſe in ingenti rei frumentariæ inopia, pretio ſolidorum tredecim in ſingulos modios conſtituto; quo facto offenſi pauperes conquerebantur de Romano Pontifice, quòd eos in extrema miſeria laborantes contabeſcere ſineret. Neque enim juſtæ populi querelæ in Sabinianum fuiſſent, ſi pro triginta tritici modiis unum tantùm ſolidum ſolvere debuiſſent.

Pugnantia ſcribunt auctores circa Sabiniani charitatem in pauperes.

Scribit idem Ciaconius, Sabinianum tanto odio in Gregorium, ejuſque præclarè acta conflagraſſe, ut non ſolùm maximis ſcripta ejus calumniis proſecutus fuerit, ſed igni etiam tradere, ne ad poſteros pervenirent, ſtatuerit. Idque reipſa præſtitiſſet, niſi

Odio flagrat in Gregorium, ejuſq; ſcripta.

P 3 Pe-

Petrus Diaconus jurejurando affirmaſſet, ſe columbam lucubrantis & ſcribentis Gregorii auribus aſſidentem & dictantem ſæpè ſæpiùs conſpexiſſe. Egimus de his fuſiùs in Purp. Doct. lib. 1. n. 2. in vita Petri Card. quæ conſuli poteſt.

Laudatur ab Anaſtaſio. Cæterùm laudat Anaſtaſius Bibliothecarius Sabinianum, quòd vir zeloſus Eccleſias optimis Clericis impleverit, ac campanarum uſum ad horas Canonicas omnium primus inſtituerit: quem ritum poſteà tum Orientis, tum Occidentis Eccleſiæ amplexæ ſint: cùm eo ſæculo pro campanis ligna tantùm pulſarentur. Hæc tamen campanarum à Sabiniano introducta inſtitutio non omnibus probatur, cùm certum ſit campanas longè ante Sabiniani tempora in uſu fuiſſe. Quin & Gentiles ante Chriſtum natum campanis uſos fuiſſe teſtatur Angelus Rocca de Campanis, & Gavantus *parte 1 tit. 20.* Theſauri Sac. Rit. Dicendum igitur videtur, Sabinianum hunc uſum in Eccleſiam Romanam primum invexiſſe, anteà inſuetum, ſed non campanas inveniſſe, ut perperàm autumat Ciaconius. Munia campanæ hæc ſunt:

Campanarum uſus Sabiniano vetuſtior.

Munia Campanæ.

Laudo Deum verum, plebem voco, congrego Clerum:
Defunctos ploro, peſtem fugo, feſta decoro

Præmatura morte ſublatus eſt Sabinianus, nempe menſe ſui regiminis quinto, vel ſexto inchoato, ut auctor eſt præter alios accuratiſſimus Cardinalis Baronius. Ciaconius ſcribit eum à B. Gregorio, cujus vitam & acta criminatus fuerat, doloribus percuſſum obiiſſe undecimo Kal. Martias, id eſt, die 19. Februarii anni 605, ſepultumque fuiſſe in Porticu Baſilicæ Vaticanæ.

Sabiniani obitus.

SCRIPTA.

Scripta. Scripſit plures Epiſtolas ad Gregorium Magnum, dum officio Legati Apoſtolici apud Imperatorem Conſtantinopolitanum fungeretur. Edidit etiam quædam Decreta ex Platina & Oldoino, inter quæ illud unum: ut accenſæ lampades in Eccleſiis coram venerabili Sacramento continuò retinerentur. Auctorem quoque faciunt nonnulli Sabinianum cujuſdam Libri *de Virginitate* ad Sororem. Hunc ego librum non Sabiniani Papæ, ſed Severi viri ea ætate doctiſſimi eſſe arbitror: Suffragatorem habeo Platinam, ita de Severo ſcribentem: *Severus quoque Latiniani Epiſcopi Carthaginenſis familiaris, vir doctiſſimus, multa ſcripſit, atque inter alia de Virginitate librum, quem* Aureolam *appellavit.*

ANNO CHRISTI DCVI.

Imperatore PHOCA Auguſto.

DE BONIFACIO III. Pont. Maximo.

Boni-

LXVII.

Synodum Romæ celebrat.

BOnifacius III. Romanus, *Vir vita, fide, & moribus probatus,* (ut ſcribit de eo S. Gregorius in Epiſtola ad Phocam Imperatorem) Cleri ſuffragio, ac populi Romani applauſu electus eſt Romanus Pontifex, anno integro, ac menſe cum dimidio à morte Sabiniani exactis. In exordio ſui Pontificatûs habitâ Romæ Synodo ſeptuaginta duorum Epiſcoporum, triginta Presbyterorum, & trium Diaconorum, inter alia ad publicam Eccleſiæ neceſſitatem ſpectantia inſtituit; Ne quis ſub anathematis pœna in locum demortui Pontificis, aut Epiſcopi ſubrogaretur, niſi tertia ſaltem poſt obitum ejus die: atque excommunicationis vinculo ſubjicerentur ii, qui malis artibus, largitione, dolo, gratia, vi, ad Pontificatum aditum ſibi quærerent. Sed hæc decreta, ſanctiſſimè licèt conſtituta, minimè diuturna fuêre, utpotè cum ipſo Bonifacio extincta.

Romana Eccleſia ſupra cæteras Primatum propugnat.

Hic Leonis I. Pelagii II. & Gregorii Magni exemplis incitatus, pro primatu Eccleſiæ Romanæ contra Cyriacum Patriarcham Conſtantinopolitanum temerè ſibi primatum arrogantem litteris ac cenſuris pugnavit. Quem, cùm nec ordinationi divinæ, nec Patrum exemplis, nec Conciliorum decretis acquieſcere velle vidit; alia via refellendum, inque ordinem redigendum putavit, ut cùm Eccleſiaſticam auctoritatem flocci faceret, ſæculari retunderetur. Itaque precatus litteris ac legationibus Imperatorem Phocam, ut ſuam pro defenſione Eccleſiæ Romanæ ac Sedis Apoſtolicæ interponeret auctoritatem, obtinuit tandem, ut perpenſis juſtiſſimis rationibus Imperator palàm ediceret; *Romanam Eccleſiam, quòd & Cathedra beati Petri, & caput omnium Eccleſiarum hactenùs fuiſſet, eo loco, & gradu à quibuſcunque porrò habendam eſſe.* Quo perculſus edicto Cyriacus, quòd ſe Imperatoris favore deſtitutum cerneret, à concepta opinione, ut par erat, deſtitit.

Cyriacum edicto Imperatoris in ordinem redigit.

Quòd Eccleſia Rom. Prima omnium Eccleſiarum ſit, non à Phoca accepit.

Liceat hìc tria interfari verba. Ex hoc Phocæ Imperatoris edicto nimis impudenter ſomniarunt nonnulli Scriptores, præſertim hæretici, Bonifacium III. à Phoca Auguſto accepiſſe primò, ut Romana Eccleſia caput omnium Eccleſiarum fieret, ac nominaretur: quod falſiſſimum eſt. Nam certè Phocâ antiquior eſt Juſtinianus Imperator, qui ad Joannem II. ſcribens nominat Romanum Pontificem *caput omnium Sanctarum Eccleſiarum:* Antiquiores fuerunt Juſtiniano Patres Africani, qui in perſecutione Wandalica, teſte Victore *lib.1. Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum matrem ſunt profeſſi.* Antiquior Conſtantinus Magnus, qui in edicto tom.1. Conciliorum idem adſtruit; denique omnes, ſeu Græci ſeu Latini, quotquot uſque fuerunt Catholici, idem ſemper affirmarunt, ut ex eorum litteris, libris, conciliis, & actibus compertiſſimum eſt. Sed quoniam nonnulli Patriarchæ Conſtantinopolitani, propria dignitate inflati, regiæque Urbis magnificentia elati, ac Imperatorum vecordia abutentes, ſe ſe ſupra Romanam Eccleſiam temerè efferebant, aut cum ea de æqualitate concertabant, (unde orta illa contentio, quæ Pelagio II. & Gregorio I. cum Joanne Patriarcha Conſtantinopolitano fuit) Ideò Phocas Imp. rogatu Bonifacii III. finem iniquiſ-

ſimæ

ſimæ huic diſſenſioni dare volens, ſtatuit Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum, ac proinde etiam Conſtantinopolitanæ, eſſe, dicique debere primatem, ſeu, quod idem eſt, caput & Magiſtram. Per Phocam igitur priſcæ Pontificum auctoritatis aſſertio nova facta eſt: Cathedræ Petri, quod priùs non habuerit, nihil additum eſt.

Obitus Bonifacii. Sedit verò ſanctus Pontifex Bonifacius in Petri Cathedra, juxta Baronii, Ciaconii, aliorumque calculum, menſes octo, dies viginti tres: finemque vivendi fecit Romæ die 12. Novembris anno à Chriſto nato 607. ſepultus ad Sanctum Petrum in Vaticano.

SCRIPTA.

Ejus Scripta. Scripſit Epiſtolas Varias, præſertim ad Gregorium Magnum, quando Apocryſarii munus Conſtantinopoli apud Phocam Auguſtum exercebat. Ad Theodolindam Longobardorum Reginam pariter ſcripſiſſe memoratur inſignem Epiſtolam, qua illam hortatur, ne Schiſmati, à nonnullis Epiſcopis tum excitato, aſſentiatur. Dedit etiam litteras ad Phocam Imp. & ad Cyriacum Patriarcham, ſuper Primatu Eccleſiæ Romanæ.

Fauſtus Monachus vitam S. Mauri Ab. Bonifacio probandam offert. Cùm adhuc Bonifacius in vivis eſſet, & Eccleſiæ præſideret, rediit è Galliis Fauſtus Monachus, Diſcipulus S. Benedicti, ſcriptamque à ſe vitam S. Mauri Abbatis ipſi Bonifacio probandam obtulit, ut Leo Oſtienſis in Hiſtoria Caſſinenſi teſtatur. Erat enim Bonifacius litterarum eruditione æquè inſignis, ac vitæ ſanctimonia.

ANNO CHRISTI DCVII.

Imperatoribus PHOCA, & HERACLIO Auguſtis.

DE

S. BONIFACIO IV. Pontif. Max.

LXVIII. *Bonifacius ex Monacho Benedictino Pontifex electus, iisdem Monachis apprimè favet.* Bonifacius IV. natione Marſus, patria Valerienſis, Joannis Medici filius, cùm vacaſſet Sedes Romana ex obitu Prædeceſſoris menſes circiter decem, concordibus eligentium animis, ad Romani Antiſtitis faſtigium evectus eſt. Hic mox ut Pontifex Romanus acclamatus eſt, paternas ædes in Monaſterium redactas, annuiſque redditibus auctas, Monachis S. Benedicti in domicilium tranſcripſit. Erat enim Bonifacius hic, teſte S. Antonino, juxta nomen ſuum in omnes beneficus, mitis, ac miſericors, maximèque viris religioni adſtrictis addictus, quos plurimis quoad vixit gratiis ac beneficiis affecit. Hinc celebrato Romæ conventu, præter alia publicum Eccleſiæ commodum concernentia, ſtatuit in favorem Monachorum, ut, ſi Eccleſiis Paræcialibus, aut populis præſi-

præficiantur, ex indulto Sedis Apoſtolicæ, Sacramenta publicè ad morem Clericorum ſæcularium adminiſtrare poſſint. Eorum etiam collapſam diſciplinam, adhibitis prudentibus viris, ad primum Regulæ vigorem revocavit, ac legibus opportunè communivit. Decrevit pariter, ut nullus ad Eccleſiam confugiens, per vim inde extrahatur; nullusque Acolythus Sanctorum Martyrum reliquias attrectet.

Anno ſalutis 610. miſſis ad Phocam litteris, nobiliſſimum Bonifacius in urbe Fanum, *Pantheon* à veteribus dictum (Quod Marcus olim Agrippa, regnante Auguſto Cæſare condiderat, ac diis gentium, vel Cybeli deorum matri dicârat) petiit, & obtinuit. Id Templum, ejectis priùs deorum ſimulachris, luſtratoque loco, Virgini Matri, ſanctiſque omnibus, accurrentibus undique populis, ſolemni ritu conſecravit, ac ſanctorum Martyrum reliquiis, ex diverſis Urbis Cœmeteriis advectis, complevit. Cui nomen *Sanctæ Mariæ ad Martyres* adjecit: quamvis hodie à formâ circulari *Rotunda* paſſim nuncupetur. *Roma Pantheon in templum conſecrat.*

Hoc eodem tempore & anno Choſröes Rex Perſarum cum ingenti exercitu in Romanas Provincias irrumpens, ſuperato Phocæ exercitu, Hieroſolymam occupat: Templa Chriſtianorum profanat, & diripit: lignum Dominicæ Crucis inde aufert: Zachariam virum ſanctiſſimum ejusdem Civitatis Patriarcham cum magna utriuſque ſexus multitudine in captivitatem abducit. Ob quam rem Phocas Imperator, qui Mauritium Cæſarem cum omni familia octennio antè interfecerat, à Senatu, populoque ſpretus, demum orta ſeditione, ab Heraclio, Heraclii Africæ Præfecti filio, imperio ac vita privatur. Heraclius verò in occiſi locum ſuffectus, anno ſequenti à Sergio Patriarcha imperii diademate coronatur, aſſumpto in conſortem Imperii filio Conſtantino. *Choſröes Perſarum Rex Hieroſolymâ occupat: S. crucem inde aufert.* *Phocas Imp. occiditur.*

Anno reparatæ ſalutis 614. Bonifacius vitæ ſanctitate conſpicuus, poſtquam Eccleſiam Romanam annis ſex, menſibus octo, diebus duodecim integerrimè gubernaſſet, VIII. Kal. Junii ad ſuperos evolavit: conditus poſt obitum in Baſilica Vaticana cum hac brevi inſcriptione. *Moritur & Bonifacius.*

Hic hominum lapſus blando ſermone removit,
Nec culpis Judex, ſed medicina fuit.

Cujus ſanctitatem Martyrologium Romanum die 25. Maij celebrat his verbis: *Romæ Sancti Bonifacii Papæ Quarti, qui Pantheon in honorem beatæ Mariæ ad Martyres dedicavit.*

SCRIPTA.

Scripſiſſe fertur, ex Venerabili Beda *lib.2.cap.4.* Hiſt. Anglicanæ, quaſdam Epiſtolas, quæ non extant. Numeratur verò inter Scriptores Eccleſiaſticos à Poſſevino & aliis. Thomas Dempſterus eidem ſequentia Opera tribuit. *Ejus Scripta.*

De Arte Chimica librum unum.
De Prærogativa Petri lib. I.
Parænesis ad Scotos lib. I.

Doctrinale fidei librum alterum.
An verò Dempſterus in noſtro Bonifacio hallucinetur, ut opinatur Oldoinus, mihi exploratum non eſt.

ANNO CHRISTI DCXIV.
Imperatore HERACLIO Auguſto.
DE

S.DEUSDEDIT Pontifice Max.

LXIX. *Tetra lue infectum oſculo ſanat.* SAnctus Deuſdedit, ſeu Deodatus, Romanus, Monachus Benedictinus, mortuo Bonifacio, ſummum pontificatum omnium ſuffragiis adeptus, Clerum mirum in modum dilexit, & auxit. Cujus tanta vitæ ſanctitas fuiſſe memoratur, ut, graſſante Romæ fœdiſſima lue, *ſcabies elephantiaca* dicta (quæ affectorum ora ita deformabat, ut vivi à mortuis diſcerni haud poſſent) quum ejuſmodi morbo laborantem obvium haberet, eique oſculum obtuliſſet, repentè ſanum mundumque reddiderit.

Renunciatus Romanus Pontifex Epiſtolam dedit ad Gordianum Epiſcopum Hiſpalenſem contra eos, qui Sabbato Paſchali die *Ejus ſtatuta.* proprios filios ſuos ex ſacro lavacro ſuſceperant, quos jubet ab uxoribus ſuis jam commatribus perpetuò abſtinere: utque uxores dotem recipiant. Fragmentum hujus Epiſtolæ extat in tomo primo Conciliorum. Conſtituit etiam, ut contra Simoniacos teſtificari *Simoniacos extremè odit* poſſent infames, & mulieres publicæ: adeò labem Simoniacam eſt deteſtatus. Plurima ejus acta, temporum iniquitate, vel ſcriptorum inopiâ ignorantur. Hinc ingemiſcit Oldoinus in hæc verba: *Et planè dolendum eſt, tanti Pontificis illuſtria facta, Scriptorum inopiâ, adeò obſcura eſſe relicta: quæ quidem oportuit inſignia fuiſſe, cùm ipſe antiquitùs ab Eccleſia Dei ut Sanctus fuerit cultus, & eo titulo inter Sanctos receptus, atque annua commemoratione ſit decoratus aſſiduè.*

Ejus obitus. Poſtquam ſacris Chriſtianis præfuiſſet annos tres, functus beata vita, animam membris exolutam cœlo reddidit die 8. Novembris anni 617. ſepultus digno cum honore in Baſilica Principis Apoſtolorum. Moriens ſingulis Clericorum nummos aureos bis denos dividendos reliquit, teſte Ciaconio.

S C R I P T A.

Scripta. Scripſit, ut ſuprà dixi, Epiſtolam ad Gordianum Epiſcopum: ultra hanc, nullam aliam invenio ab eo editam.

ANNO CHRISTI DCXVII.
Imperatore HERACLIO Auguſto.
DE

BONIFACIO V. Pontifice Max.

BONI.

LXX.

BONIFACIUS V. natione Campanus, patria Neapolitanus, ex monacho primæ Congregationis Benedictinæ, mortuo Deodato, concordibus ſuffragiis, tractandis Reipublicæ Chriſtianæ gubernaculis admotus eſt. Hic acceptis litteris de converſione Eadualdi Anglorum Regis, ejusque Sororis Edelbergæ admodùm lætatus, primùm omnium Juſtum Roffenſem Epiſcopum, diligentem operarium Evangelicum, digna remuneratione proſecutus eſt, amiceque congratulatus, litteris ad eum ſcriptis, eidem pallium in ſignum elargitæ plenitudinis poteſtatis miſit.

Scribit ad Juſtum Epiſ. Roffenſem, & pallium mittit.

Cæterùm elogium Bonifacii contexuit Platina, & ex illo Ciaconius his verè verbis: *Fuit hic Papa vir mitiſſimus, ſingularis prudentia, humanitatis, & clementia; magna in omnes benignitate & gratia utens, nullum genus officii, quod bonum paſtorem deceret, prætermiſit.* Hic ſanctiſſimorum Prædeceſſorum pietatem æmulatus, cultum divinum magno ſtudio provexit: Clerum in officio retinuit: populum concreditum verbo & opere ad virtutem pellexit: immunitatem Eccleſiis conceſſit: aſyla reis ſancta eſſe voluit: Simoniacos, ac ſacrilegos, ubicunque terrarum eſſent, anathematizandos denuntiavit.

Ejus elogium.

Clero & populo ſanctè præeſt: Simoniacos inſectatur.

Sedente Bonifacio in Petri Cathedra, Siſebutus Hiſpaniarum Rex, anno ſui regni nono, ex hac vita migravit ad ſuperos, vir pietate ac zelo fidei inſignis: de quo hæc in Chronico Lucæ Tudenſis leguntur: *Adeò poſt victorias clemens fuit, ut multos ab exercitu ſuo hoſtes in ſervitutem redactos, pretio illorum dominis dato, abſolveret: adeò ut ejus theſaurus redemptio fuerit captivorum: Eccleſiam ſancta Leocadia miro opere fundavit. Fuit verò ipſe moribus ſanctis, ſcientiis eruditus, & in bello manu potens.* Succeſſorem habuit Reccaredum filium decennem, qui ab obitu patris poſt ſex menſes itidem mortuus eſt, eique ſucceſſit Suinthilla, qui pulſis iis, qui Imperatoris nomine, aliquas occupabant in Hiſpania civitates, ipſe ſolus Monarchia potitus eſt Hiſpaniarum.

Siſebuti Hiſpan. Regis obitus, & elogium.

Anno Chriſti 620. qui fuit Bonifacii Pontificis tertius, evolavit ad ſuperos Joannes Epiſcopus Alexandriæ, cognomento Eleemoſynarius, verum exemplar ſacrorum Antiſtitum, ſolatium & pater pauperum. Hic morti proximus ultimum ſuum condidit teſtamentum, dignum Eccleſiaſtico viro, & eſt tale: *Joannes humilis quidem ſervus ſervorum Dei, propter autem mihi impoſitam Pontificatus dignitatem gratia Chriſti liber, ago tibi gratias Domine Deus meus, quòd me dignum cenſueris, qui tua tibi offerrem; & quòd ex mundi bonis nihil aliud ſit mihi reliquum, niſi tertia pars nummi, quam ipſam quoque jubeo dari pauperibus, qui ſunt mihi fratres in Chriſto: quando enim Dei permiſſione creatus ſui Epiſcopus Alxandria, inveni in meo Epiſcopatu circiter octo millia librarum auri, ex oblatione autem piorum collegi denis millibus plures hiu peccunias, quas cùm cognoſcerem eſſe Chriſti, Chriſto etiam dare volui, cui nunc quoque trado animam.* Joanni in cœlum recepto ſuffectus eſt Gregorius, ejusdem conſobrinus.

Joannes Eleemoſynarius moritur: ejus religioſum teſtamentum affertur.

Rexit Eccleſiam Bonifacius annis circiter octo, ut ex variis do-

Bonifacii obitus.

cumentis demonſtrat Baronius : mortuus die 25. Octobris anni 625. ac ſepultus ad ſanctum Petrum.

S C R I P T A.

Scripta.

Scripſit Epiſtolas varias, licèt tantummodò tres reperiantur in tomo 4. Conciliorum cum notis Binii; & apud Baronium tomo octavo Annalium, & apud Bedam *lib.2.* Hiſtoriæ Anglicanæ. Primam ad Juſtum Roffenſem Epiſcopum : Secundam ad Eduinum Anglorum Aquilonarium Regem, hortans illum ad relinquendum Idolorum cultum. Tertiam ad Edelbergam Reginam Eduini uxorem, qua gratulatur, quòd fidem Chriſti amplexa ſit, illamque monet, ut operam præſtet ad traducendum Eduinum ad Evangelii veritatem.

ANNO CHRISTI DCXXVI.

Imperatore HERACLIO Auguſto.

DE HONORIO I. Pontifice Maxim.

Propriam domum in Eccleſiam conſecrat.

LXXI. HONORIUS I. natione Campanus, Petri de Mara viri conſularis filius, non tam Cleri, quàm propriæ virtutis ſuffragio, poſt obitum Bonifacii, Petri ſolium conſcendit. Hic cùm eſſet vir probus ac ſanctus, ſtatim atque ſummo Sacerdotio admotus eſt, paternam domum, quàm habebat in Laterano ampliſſimam juxtà ac opulentam, in Monaſterium & Eccleſiam ſub titulo ſanctorum Apoſtolorum Andreæ & Bartholomæi erexit, illamque pretioſis donis, annuiſque redditibus, ac privilegiis locupletavit. Poſteà ad renovandum Clerum converſus, celebratis ſæpiùs conventibus, eundem optimis legibus ac decretis munivit.

Templa reficit, & ornat.

Eccleſias in Urbe varias easque præcipuas aut funditùs conſtruxit, aut lapſas reparavit, aut erectas ab aliis liberaliſſimè dotavit, auxit, exornavit : ut fidem faciunt Anaſtaſius, Platina, Baronius, & ex his Ciaconius in vita. Ut meritò Jonas Abbas, tempore Honorii Scriptor, his eum verbis celebrârit : *Erat Venerabilis*

Ejus inſigne elogium.

Præſul Honorius, vita & moribus ſanctiſſimus, ſagax animo, vigens conſilio, doctrina clarus, fide præcipuus, dulcedine & humanitate pollens, Cleri reformator, Evangelii propagator, Eccleſiarum intra & extra Urbem ſtudioſiſſimus cultor & conditor: dignus quem poſteritas laudet, Præſules imitentur, fideles ſuſpiciant, omnes venerentur.

Falsò huic Pontifici hæreſis Monothelitarum crimen impingitur.

Hujus zeloſiſſimi Pontificis regimen nihilominus Hæretici Monothelitæ unam dumtaxat voluntatem & actionem in Chriſto ponentes magnoperè perturbarunt; & quidem hujuſmodi crimen ipſi Honorio impingere modis omnibus ſtuduerunt. At ſanctiſſimum virum illi hæreſi nunquam ſubſcripſiſſe, imò palàm cenſuris, ſcriptis, ac decretis eam damnaſſe Baronius tomo octavo Annalium

mani-

manifeſtè oſtendit. Eundem ab hac ipſa calumnia virili eruditione defendunt, præter Romanos Pontifices Joannem IV. Martinum I. & Agathonem I. doctiſſimus Bellarminus *lib. 4. cap. 11. de Rom. Pontif.* Onuphrius Panvinius Annotatione ad vitam Honorii à Platina conſcriptam: Severinus Binius ad vitam Honorii tom. 2. Conciliorum. Quin & Nilum injuſtum mendacemque Honorii impugnatorem docta Græcè Latineque conſcripta Confutatione refellit atque coarguit doctiſſimus Archiepiſcopus Iconienſis Joannes Matthæus Caryophilus. Idem agunt Emanuel Calles Græcus in inſigni ſuo libro, quem anno 1274. pro Latinis adverſus Græcorum hæreſes ſcripſit: Albertus Pighius in libro *de Eccleſiaſt. Hierarchia.* Joannes Cardinalis de Turrecremata *in lib. de Primatu Rom. Eccleſ.* & noſtris temporibus omnium eruditiſſimè Cœleſtinus Cardinalis Sfondratus in Gallia Vindicata *Diſſert. III. §. 1. n. IX.* qui conſuli poſſunt.

Gentiū converſioni ſedulò ſtudet.

Porrò nunquam ſatis laudari poteſt zelus, ſolertia, & fides Honorii, qui exemplo ejus, quem ſemper coluit, Gregorii Magni prædeceſſoris, ad gentium converſionem, ad Oceanum uſque Apoſtolicos viros miſit, inter quos Byrinus Epiſcopus, qui Geviſſorum Regem in Britannia, aliosque ſacro baptiſmatis fonte abluit Cumque didiciſſet Honorius, Scotos licèt Chriſtianos antiquos, & Evangelicæ veritatis cultores eximios, Paſchatis ſolemnitatem celebrare non eo die, quo Eccleſia univerſalis celebrare ſolet, de hoc & de aliis corrigendis erroribus litteras ad eos dedit paſtoralis ſolicitudinis plenas. At nihil ſuis profeciſſe litteris Honorium ex eo intelligimus, quòd ejus Succeſſoribus in eodem negotio non modicum fuerit inſudandum. Anglos quoque paternâ curâ reſpexit: Eduinus ſiquidem Rex, qui litteris Bonifacii V. minimè fuerat perſuaſus ad amplexandam Religionem Catholicam, in vitæ diſcrimine conſtitutus, iterato Honorii hortatu, luminis veritatis factus eſt particeps: quare anno ſalutis 627. Eboraci ſacro luſtratus lavacro, legationem Romam miſit ad Honorium, qua Eccleſiæ Romanæ & obedientiam præſtitit, & pallia tum Paulino tum Honorio Epiſcopis Anglicanis petiit. Pontifex poſtulatis annuens, Regi recens converſo plenas honoris & gratulationis litteras ſcripſit, ſimulque petita pro Epiſcopis pallia tranſmiſit. Atque ita factum, ut lux Evangelica fulgentibus radiis totâ Angliâ rurſum coruſcarit.

Scotos fruſtrà monet.

Eduinus Angliæ Rex baptiſmum ſuſcipit, & legationem Romam mittit.

Ejusdem Honorii ſtudio Schiſma Iſtrianum tollitur.

Addit inſuper Baronius ex antiquis monumentis de Honorio Papa ſe miraculo proxima excepiſſe; nempe ab ipſo ſublatum Schiſma Iſtrianum, ſpatio annorum ſeptuaginta inveteratum, ad quod evellendum fruſtra inſudaverant prædeceſſores Romani Pontifices, præſertim verò Gregorius Magnus. Baronii dicta confirmat vetus inſcriptio ſepulchralis Honorio facta; in qua inter alia hoc carmen legitur:

Iſtria nam dudum ſævo ſub ſchiſmate feſſa,
Ad ſtatuta Patrum, Te duce, læta redit.

Heraclius Imp. Coſroëm Perſarum Regem ſuperat.

Sedente ad clavum Eccleſiæ Honorio, Heraclius Imperator ingenti comparato exercitu multas Provincias à Perſis occupatas in poteſtatem ſuam redegit. Ducem Perſarum ſingulari certamine peti-

Q 3 tum

tum ex equo deturbat, & interficit. Choſroëm Perſarum Regem armis opprimit; filium ejus captum & ſacro fonte ablutum in regnum paternum reſtituit. Perſidem ingreſſus, regiam Choſrois theſauris plenam capit, quorum partem militibus tribuit, partem verò reparandis templis à Perſis devaſtatis conſignat. Ipſe præterea alia onuſtus præda cum ſeptem elephantis Hieroſolymam rediens, ſacroſanctam Domini Crucem à Perſis ablatam ſecum deferens, eò loci reponit, ubi anteà fuerat. Chriſtianos à Perſis captos cum Zacharia Patriarcha libertati reſtituit, domumque remittit. Non multò pòſt, præclaram hanc nominis ſui famam fœdis flagitiis contaminat.

In fœda flagitia, ipſamq; hæreſim prolabitur.

Ductâ namque contra jus faſque in uxorem propriæ ſororis filiâ Martinâ, hæreſim Eutychianam amplectitur: & ut ſceleri ſcelus adderet (quod fieri amat, ubi quis in peiora prolabitur) orthodoxos Antiſtites perſequitur, pellit, proſcribit: pulſorum ſedes & bona Eutychianis conſignat.

Bello impetitur, & ſuperatur.

Hæc dum perfidus agit, volens nihilominus bonus Chriſtianus videri, Judæos omnes ſuo imperio ſubjectos pœnali edicto baptizari mandat; reluctantes aut ſuppliciis afficit, aut regno pellit, redactis in fiſcum eorum facultatibus. Hanc ob rem Saraceni & Arabes Judæorum impulſu arma ſumentes, Heraclii duces forti animo aggrediuntur, tamque luculenta ſtrage, ultore Deo, profligant & vincunt, ut hominem felicem primò, mox infeliciſſimum reddiderint.

Mahometes, & ejus nefanda ſecta progreſſum faciunt.

Præerat tum Sarracenis & Arabibus Mahometus, nauſeantis, (ut ſic dicam) naturæ abortus, labes humani generis, orbis peſtilentia, deterrimaque inferni vomica, qui cùm Magnum ſe Dei Prophetam aſſereret, magicis artibus Aſianos juxtà ac Africanos deludens, ita hos populos nova à ſe religione imbutos in Heraclium concitavit, ut parùm abſuerit, quin Imperii nomen (capta jam Alexandria, multiſque aliis Syriæ ac Ciliciæ urbibus) cum ignominia delerent. Saracenos præcipuè inſaniæ ſuæ ſectatores habuit, à Sara Abrahæ legitima uxore ita appellatos, quaſi legitimos divinæ profeſſionis ſucceſſores & hæredes. Secutus eſt homo callidiſſimi ingenii hac in re Jeroboami exemplum, qui tribui ſuæ alios colendi ritus conſcripſit, ne unquam Judæorum imperio ſubeſſent. Quò verò magis ſectatores ſuos à religione Chriſtiana ſejungeret, hæreticos quoſdam in conſarcinandis legibus, maximè verò Neſtorianos ſecutus, multa hinc inde contra Moyſis legem, Chriſtique Evangelium collegit, atque in unum quaſi corpus, quod *Alcoranum* appellavit, aſtutè redegit: idque cùm fraudibus, ferro, atque mendaciis ſtabiliviſſet, tandem in perniciem fidelium multo cum progreſſu & ſanguine publicavit.

Heraclius, auctore Honorio, ſanior factus Pyrrũ, & Cyrum relegat.

Ferunt Heraclium tùm quidem disjectum, deſperatione & fœdam pacem cum Saracenis iniiſſe, & Pyrri Patriarchæ Conſtantinopolitani & Cyri Alexandrini Epiſcopi fraudibus deceptum, in hæreſim Monothelitarum incidiſſe, unam tantummòdò voluntatem in Chriſto aſſerentium. Hos tamen poſteà tanti erroris authores, hortante Honorio Papa, & verum ante oculos litteris ac nunciis ponente, Heraclius ſanior factus relegavit.

Hoc

Hoc ipſo Honorii tempore nobilem martyrii palmam conſecutus eſt Anaſtaſius Perſa, qui poſt iteratam fidei confeſſionem Cæſareâ Palæſtinæ in Perſidem ad Choſroëm Regem miſſus, magnâ animi conſtantiâ, poſt dira tormenta martyrium obtruncatione capitis complevit. Illum præceſſere alii ſeptuaginta Martyres, ejusdem Regis juſſu crudeliter interempti. Legimus etiam S. Vincentium Abbatem Legione in Hiſpania ob fidei confeſſionem ab Arianis occiſum. *Martyrium Anaſtaſii Perſæ, & Vincentii Abbatis.*

Honorius autem doctrina & moribus ſanctiſſimus, adminiſtratâ optimè Eccleſiâ, anno ſui Pontificatus duodecimo, non ſine ſanctitatis fama vivendi finem fecit IV. Idus Octobr. anno æræ Chriſtianæ 638. condigno honore tumulatus in Baſilica Vaticana. *Mors Honorii.*

SCRIPTA.

Scripſit Epiſtolas varias, quarum ſex leguntur tomo quarto Conciliorum annotationibus Binianis illuſtratæ. Unam dedit ad Iſacium Ravennatem Exarchum, qua Adolvaldum Longobardorum Regem Catholicum Regno reſtitui, & ſubrogatum illi Ariovaldum hominem Arianum ac perfidum inde ejici mandat. Secundam ſcripſit ad Epiſcopos Iſtriæ contra Fortunatum Gradenſem Patriarcham hæreticum è ſede ejectum, cui Primogenium natione Tuſcum, patria Aretinum, vita & moribus probatum ſubſtituit. Tertiam & quartam ad Sergium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, qua poſt veram Orthodoxæ fidei doctrinam de duabus voluntatibus Chriſti aſſertam, cauſam indicat, quare Sergio de novis vocabulis ſilentium indicenti, conſentiendum eſſe judicet. Quintam ad Eduinum Regem Anglorum. Sextam ad Honorium Dorovernenſem Epiſcopum, ut in Evangelii prædicatione perſiſtat. *Fuit*, inquit, *Baronius*, *Honorius præter eruditionem*, *qua pollebat rerum Theologicarum*, *etiam Poëticis excultus litteris.* Extat tomo 8. Bibliothecæ Patrum unicum ejus Epigramma de Aſcenſione Domini, & Apoſtolis, diverſis aſcendentem Salvatorem animi affectionibus proſequentibus. Honorii Opuſcula cum vita ejuſdem, & vindiciis editurum ſe in lucem promiſerat olim Joſeph Maria Suarezius Epiſcopus Vaſionenſis: An verò promiſſis ſteterit, compertum non habeo. *Ejus Scripta.*

ANNO CHRISTI DCXXXVIII.

Imperatore HERACLIO Auguſto.

DE

SEVERINO I. Pontif. Maximo.

SEVERINUS I. Romanus, patre Labieno, in demortui Honorii locum Cleri ſuffragio ſubrogatus, ab Iſacio Ravennatenſi Exarcho, nomine Cæſaris, in pontificatu confirmatur. Vana LXXII.

enim

Severinum Neo-Pontificem Iſacius Exarchus confirmat.

enim perverſo eo tempore habebatur Cleri electio, niſi Cæſarum, aut Exarchorum, humana divinis miſcentium, aſſenſus & confirmatio acceſſiſſent.

Iſacius cum Chartulario theſaurum Lateranenſ. diripit.

Iſacius itaque ob eam cauſam Romam profectus, cùm Pontificem ſolemni ritu confirmaſſet, ne gratuitò tantum laboris ſuſcepiſſe videretur, theſaurum Eccleſiæ Lateranenſis omnium opulentiſſimum, adjuvante maximè Mauritio Chartulario Tribuno militum, ſacrilegè involat, diripitque, fruſtrà Pontifice ac Sacerdotibus reclamantibus. Hujus prædæ partem militibus conceſſit, partem ſecum Ravennam detulit, reliquum ad Imperatorem, peſſimè jam pridem de Eccleſia Romana meritum miſit. At non diù emanſit divina in ſacrilegos raptores vindicta; ſiquidem eodem anno Chartulario rebellionem molienti caput Romæ detruncatum, haſtæque ſuffixum eſt. Iſacius Ravennæ à civibus, ob immodicas exactiones tumultuantibus, armis oppreſſus.

Ambo pœnas dant, ultore Deo.

Severinus Ecthesin nomine Imp. oblatam damnat.

Severinus ſua in ſede confirmatus, *Ecthesin* ſive fidei explanationem factam è Sergio Conſtantinopolitano Epiſcopo hæretico ſub Heraclii nomine, Romam miſſam, ut eam probaret, non admiſit, imò illam utpotè pluribus erroribus ſcatentem rejecit, damnavitque. Porrò veritus, ne ſanctorum Martyrum Vincentii & Anaſtaſii corpora in manus Saracenorum omnia tum vaſtantium devenirent, ut Romam quàm diligentiſſimè ferrentur, curavit; ac juxtà fontem Lateranenſem in Oratorio beati Joannis Baptiſtæ magna cum veneratione collocavit. Oldoinus tamen, aliique probabiliùs hanc corporum translationem Joanni IV. qui Severinum excepit, adſcribunt. Regnante Severino periit uxorum dolo, quas plurimas duxerat, Mahometes exitialis Chriſtiani nominis hoſtis, à quo fœda & abominabilis Mahometanorum ſecta, ex Arianiſmo, Judaiſmo, & Ethniciſmo conflata, ortum habuit.

Mahometis interitus.

Severinus ſanctè moritur.

Severinus autem Pontifex, *Vir ſingularis pietatis & religionis*, ut ſcribit Platina, *amator pauperum, & calamitoſorum ſolatium*, poſt reparata plurima templa, anno ſui regiminis primo, menſe ſecundo, Chriſti verò anno 639. quarto Nonas Auguſti, dolore animi, ob deprædatas Eccleſiæ Lateranenſis opes, concepto, fatis ceſſit. Ejus corpus in Eccleſia Principis Apoſtolorum ſepulturæ traditum.

SCRIPTA.

Ejus Scripta.

Scripſit Epiſtolam ad Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum, qua ejus Ecthesin improbat & damnat. Item aliam ad Heraclium Auguſtum contra ſacrilegos theſauri Lateranenſis direptores.

ANNO

ANNO CHRISTI DCXXXIX.

Imperatore HERACLIO Auguſto.

DE JOANNE IV. Pontif. Maximo.

JOANNES IV. natione Dalmata, patria Jaderenſis, Venantii Scholaſtici filius, Cleri ſuffragio Pontifex electus, non expectata Imperatoris Heraclii, aut ejus Exarchi confirmatione, collectas ſpoliati ab Iſacio theſauri reliquias mira pietate in pauperes & captivos prodegit. Ita Ciaconius ex Platina, cujus genuina verba refero: *Joannes Pontificatum iniens, mira ſtatim pietate uſus eſt: ex reliquis enim theſauris, quos Iſacius Exarchus apud Lateranum reliquerat, pauperes refecit, ac captivos omnes, quos potuit, Iſtrios & Dalmatas à captivitate redemit.* Atque ita ſacrilegas futuri raptoris manus piè eluſit. LXXIII. *Reliquias theſauri Lateranenſ. in pauperes dividit.*

Itaque Joannes ſua in dignitate firmatus, cùm probè ſciret Pyrrum, Sergium, alioſque hæreticos in conſortium ſui ipſorum erroris adſciſcere auſos Honorium Papam, multa jactare, quò Romani Pontificis auctoritate hæreſim ſtabilirent, ut his occurreret malis, nihil utilius accidere poſſe putavit, quàm ſi illum, qui tunc erat eidem Honorio ab epiſtolis, vocaret, germanumque earum ſenſum à ſe tunc ſcriptarum Epiſtolarum juberet dilucidè interpretari, ne hæreticis daretur occaſio illis in longè diverſum ſenſum abutendi. Et præſtitit ille fideliter etiam juramento interpoſito, quod Joannes Pontifex mandaverat, atque ita omnem de Honorio ſuſpicionem, legitimum proferens ſenſum, abſtulit. *Honorii I. famæ conſulit.*

Hunc ipſum Pontificem Heraclius Auguſtus, à Sophronico Hieroſolymitano Patriarcha commonitus, de una Chriſti voluntate conſuluit: ſed acrem à ſanctiſſimo Pontifice de ejuſmodi opinionis perverſitate objurgationem, in vicem reſponſi, retulit. Quare pudore affectus, cùm nec ſuſceptum ſemel errorem abjicere vellet, nec aſpera Catholicorum convitia concoquere poſſet, ipſiuſque Pontificis paratum ſuper omnia fulmen, ni manus daret, pertimeſceret; arte utendum ratus, edictum promulgavit; *Ne quis porrò unam, nevè duas in Chriſto voluntates aſſereret.* Verùm cùm ambiguis orthodoxa fides ſtabiliri minimè poſſet, Pontifex abrogato Cæſaris edicto, decretum edidit contrarium, quo duas in Chriſto voluntates & operationes uti naturas aſſeruit. Exinde collecta Romæ Synodo plurium Epiſcoporum, Monothelitarum hæreſim ſimul ac *Ecthеſin* Imperatoris à Sergio conſcriptam damnavit. *Ecthеſin, & hæreſim Monoth. damnat*

Obiit Joannes Pontifex Romæ quarto Idus Octobris anno humanæ redemptionis 641. poſtquam Eccleſiæ Univerſali præfuiſſet annos duos non abſolutos, ſepultus in Vaticano more majorum. *Piè moritur.*

SCRIPTA.

Scripſit Epiſtolam ad Epiſcopos & Presbyteros Scotiæ de Paſchate *Ejus Scripta.*

ſchate more Chriſtiano celebrando, & de hæreſi Pelagiana tum reviviſcente diligenter cavenda. Extat hæc Epiſtola tomo 4. Conciliorum cum ejus Concilio Romano, quo *Ecthesis* Heraclii, & Hæreſis Monothelitarum, uti diximus, condemnatur. Scripſit etiam Vindicias pro Honorio Pontifice contra hæreticos Orientales, oſtendens Honorium nunquam, uti hi criminabantur, lapſum eſſe.

ANNO CHRISTI DCXLI.

Imperatore HERACLIO, CONSTANTINO, HERACLEONE, & CONSTANTE Auguſtis.

DE

THEODORO I. Pontif. Max.

LXXIV. *Hæreſes convellit: periclitantibus in fide ſuccurrit.*

THEODORUS hujus nominis primus, natione Græcus, Hieroſolymis tamen natus, defuncto Joanne, ſummus Pontifex ſalutatus, confirmatusque, animum ſtatim ſuum adjunxit ad convellendas funditùs hæreſes, & ad ſubſidium ſuppeditandum iis, qui pro religione orthodoxa collatis ſignis adverſus Hæreticos hinc inde prorumpentes depugnabant: eamque ob cauſam cùm graviſſimis fluctibus fides Catholica, Monothelitarum operâ, præcipuè verò Pauli Conſtantinopolitani Epiſcopi hæretici impietate conflictaretur, unum ſibi illud tantùm reliquum eſſe remedium cognoſcentes, in tanto naufragio conſcendere Petri Naviculam, cùm ſcirent promiſſione Chriſti hanc ſolam inter fluctus hujus ſæculi navigare ſecuram, nec ullis poſſe obrui fluctibus, aut vorticibus abſorberi, Romam ſe conferebant ad Theodorum Apoſtolicæ Sedis Epiſcopum, in tanta tempeſtate ſolicitè vigilantem, clavumque ſumma cum prudentia moderantem.

Eum Epiſcopi Orientales, ac præcipuè Stephanus Dorenſis conſulunt, atque ei adhærent.

Alii verò non deferentes greges ſibi commiſſos, per litteras ac legationes id ipſum egerunt, ut inter cæteros Inſulæ Cypri Epiſcopi, qui Synodum cogentes, Epiſtolam Synodalem anno Chriſti 643. ad eundem Theodorum Pontificem dederunt, qua eum *Paſtorem univerſalem, Patrum Patrem, ac ſummum Eccleſiæ Orthodoxæ Monarcham* nominant. Hac de cauſa Stephanus Dorenſis Epiſcopus Romam ſe ad Theodorum contulit pro Eccleſia Hieroſolymitana, quam invaſerant Pſeudoepiſcopi Paulo Epiſcopo Conſtantinopolitano conjuncti, quorum omnium anteſignanus & caput erat Sergius Joppenſis Epiſcopus dudum Eccleſiæ legibus proſcriptus, qui ſibi vendicato Patriarchico jure plures alios Epiſcopos ſui ſimiles ſacrilego auſu ordinaverat. Ad incendium iſtud extinguendum memoratus Stephanus Dorenſis Epiſcopus à Catholicis Paleſtinæ Patribus Legatus miſſus eſt ad Theodorum, à quo conſecutus eſt vicariam illis in partibus Apoſtolicæ Sedis præfecturam, qua fretus intruſum illum nefarium Sergium condemnaret, & ab eodem perperàm ordinatos Epiſcopos gradu depoſitos in ordinem redigeret.

Inter

PaulumEpiſ. Conſtant. fruſtrà admonitum damnat.

Inter hæc Theodorus Romæ, ne quid in reducendo Paulo Epiſcopo Conſtantinopolitano intentatum relinqueret, ipſum per Legatos ſuos Conſtantinopoli tum reſidentes, ſemel iterumque, ut rectam fidem amplecteretur, admonuit: paterna monita non admittentem, pro poteſtate corripuit; denique cùm lenitate ac minis cenſurarum nihil in obſtinato proficeret, coacta Romæ Synodo, eundem tanquam pervicacem hæreticum Epiſcopali dignitate privavit, privatumque anathemate confixit. Acta hæc ſunt ſalutis anno 644. Theodori Papæ quinto. Hanc Theodori ſententiam ſecuti ſunt eodem anno orthodoxi in Africa Patres, qui tribus adunatis Conciliis in diverſis locis, contra Monothelitas, ac præcipuè damnatum Romæ Paulum, cenſuris ac legibus egerunt.

Pauli inſolentia: cui ſuffragatur Conſtans Imp.

Paulus decreto abdicationis & excommunicationis ſuæ per Legatos accepto, qui ſuſceptum errorem deponere debuit, ignominiæ dolore accenſus, cumulavit. Siquidem ut fidem Catholicam de duabus Chriſti voluntatibus acerbiùs oppugnaret, Libellum ſeu *Typum* à ſe editum Conſtanti Imperatori propoſuit, in quo Sanctorum Patrum auctoritate abutens docebat; *Nec unam, nec duas in Chriſto voluntates verſari.* Quod aſſerere nemo hactenus Hæreticorum eſt auſus. Quin etiam longiùs inſaniæ furore provectus, Oratorium & Altare Sedis Apoſtolicæ, quod erat in Ædibus Placidiæ Auguſtæ, diripuit; & Legatos Pontificis, ne ſacram eo loci hoſtiam litarent, aut adorarent, ut moris erat, prohibuit. Conſtans autem Imperator ab illo inductus, eoſdem Legatos ſaniora ipſi ſuadentes, cœteroſque Antiſtites orthodoxos ſimul invaſit, atque alios carceribus, alios exilio, verberibus alios & ſuppliciis affecit, perque totum Orientem Pontifici addictos crudeliſſimè divexavit. Quis autem fuerit iſte Conſtans, quovè pacto Imperium adeptus, paucis, quia intereſt, aperiam.

QualiterConſtans imperiũ adeptus ſit.

Heraclio, qui ſub annum Chriſti 641. menſe Majo, morbo intercutaneo, Monothelita, ut quidam volunt, periit, ſucceſſit Conſtantinus filius, Princeps bonus ac validus: hic quarto Imperii menſe veneno opprimitur dolo ac opera Martinæ novercæ, & Heracleonis filii, quos quidem ad tantum facinus Pyrrhus Patriarcha, ut ajunt, inſtigaverat. Heracleon itaque, ſublato fratre, imperium occupat eo potiſſimùm tempore, quo Pyrrhus Monothelitarum hæreſim inſtaurando totum Orientem perturbabat. Qui audita Heraclii morte, à quò pulſus fuerat, redeundi in patriam cupidus, ex Africa, ubi tum exulabat, Romam venit ad limina Apoſtolorum; ac tabulas manu ſua ſubſcriptas Theodoro Pontifici præſente Clero, populoque univerſo, obtulit, quibus omnia non ſine lachrymis doloſus impoſtor condemnabat, quæ aut à ſe, aut à deceſſoribus ſuis ſiniſtrè ſcripta vel acta adverſus Catholicam fidem fuiſſent. Qua re peracta magnus ei honor à Pontifice eſt habitus, nam & muneta eum populo dividere, atque in Sella juxta Altare ſedere permiſit. In Græciam inde reverſus, cùm ſpe recuperandæ amiſſæ dignitatis ad vomitum rediiſſet, Theodorus juſta ira incenſus, quòd fictè & doloſè palinodiam recantaſſet, ad depoſitionem illius procedere ſtatuit: verùm ultore Deo vitam priùs

Pyrrus ſimulat pœnitentiam.

Honorat eum Pontifex: redit ad vomitum: interficitur à furente populo.

perfidus amiſit, quàm tanto ſcelere quæſitam dignitatem adeptus fuerit. Senatus enim Populusque Conſtantinopolitanus, cognito ſcelere in Conſtantinum patrato,contra Martinam & Heraclionem paricidas inſurgens, hunc decennem naſo, illamque linguâ mutilatos cum ignominia relegavit: Pyrrhum flagitii ab iis commiſſi auctorem compulſoremque, de fuga retractum interfecit. His peractis, Conſtantem Conſtantini necati filium, Orientis Imperatorem creavit, qui imperavit annis 26. vel, ut alii volunt,27.

Diris eundē devovet Pontifex. Dum hæc Conſtantinopoli circa Pyrrhum aguntur,Theodorus Pontifex de morte ejus nondum edoctus, convocata frequentiſſima Synodo, ad Baſilicam Principis Apoſtolorum acceſſit, acceptoque de Altari calice in eum atramentum inſtillavit, atque ita propria manu anathema in Pyrrhum hæreticum ſcripſit, diriseum cum aſſeclis omnibus devovens. Hujus actionis meminit S.Leo IX.in Epiſtola ad Michaëlem Conſtantinopolitanum Epiſcopum.

Gentes ad fidem convertuntur. Intereà non defuêre ſanctiſſimi viri, qui, eodem Theodoro ſedente, ſummo ſtudio ad ſanam religionem ac fidem ab impia ſuperſtitione homines traducere curarent. Quare in Britannia hoc tempore apud Anglos Orientales Chriſtiana fides admodùm propagata eſt per Furſeum Hybernum & ſocios, ut Sigebertus eorum Rex amore cœleſtis patriæ relicto regno monaſticam vitam profiteri, & paulò pòſt martyrium ſubire non dubitaverit.

Dagoberti Regis liberalitas. Eodem tempore Dagobertus Rex Francorum omnibus circumpoſitis gentibus, ac nationibus ſubjugatis, paceque per circuitum facta, ut ſe gratum cœleſtibus in ſe ſupra modum fluentibus beneficiis demonſtraret, univerſas pœnè Galliæ Eccleſias patrimonii ſui hæredes conſtituit.

Theodori munificentia: obitus. Theodorus verò, ut debitas hac in re laudes, & gratias omnium voce referret, in pauperum ſubſidium Eccleſiæ theſauros elargitus eſt: *Quidquid enim habere poterat* (ſunt verba S.Antonini) *expendebat in pauperes, & ad redimendos captivos.* Qui denique, Eccleſiâ optimè conſtitutâ, vitæ ſanctimonia, ac variis pietatis operibus clarus, mortem lætus aſpexit pridiè Idus Maij, anno Sedis ſuæ 8. redempti Orbis 649. ſepultus in Porticu Vaticanæ Baſilicæ cum Epitaphio, cujus initium leviter tantùm attigit Romanus Canonicus hoc modo:

Incubat egregii Theodori Præſulis almi &c.

S C R I P T A.

Scripta. Epiſtolam ſcripſit ad Paulum Patriarcham Conſtantinopolitanum hæreticum Monothelitam,cujus mentio fit in Epiſtola Pauli reſponſoria data ad ipſum Theodorum Pontificem, quæ cum quibusdam aliis Synodalibus ad ipſum tranſmiſſis extant in actis Concilii Lateranenſis ſub Martino I. celebrati.

Scripſit etiam Epiſtolam ad Sigebertum Regem Britanniæ.
Aliam ad Dagobertum Regem Franciæ.
Aliam ad Epiſcopos Cypri.
Uti etiam ad Stephanum Epiſcopum Dorenſem.

ANNO

ANNO CHRISTI DCXLIX.

Imperatore CONSTANTE II. Auguſto.

DE S. MARTINO I. Pontifice Max.

LXXV.

Roma Synodum cogit, & quare?

SAnctus Martinus I. Tuderti in Umbria patre Fabricio natus mox ut Cleri ſuffragio thronum Apoſtolicum, poſt Theodori obitum, conſcendit, Synodum centum quinque Epiſcoporum ad iij. Nonas Octobris in Laterano celebrandam indixit. Cauſa autem cogendæ hujus Synodi non tam fuit, ut Sergius, Pyrrhus, & Paulus, hæretici damnarentur, qui jam anteà fuerant à Martini deceſſoribus damnati, quàm ut recens credendi formula à Conſtante Imperatore ſub nomine *Typi* edictô propoſita, omninò proſcriberetur, atque anathemati ſubjiceretur.

Scribit ad omnes Chriſti fideles de actis in Synodo.

Abſolutâ Synodo ſcripta eſt ab ipſo Martino Romano Pontifice, & à Patribus Epiſtola circularis ad omnes Chriſti fideles ubique degentes, de his, quæ pro fide Catholica in Hæreticos, & contra *Typum* geſta eſſent. Exemplar hujus epiſtolæ etiam miſit ad ipſum Conſtantem Auguſtum, ea quidem moderatione, ut nequaquam ipſi crimini daret damnati illius Typi editionem, ſed Paulo Conſtantinopolitano, qui ſcripturis Sanctorum Patrum abutens, illum conſarcinaverat; & ut omnibus tanquam credendi formula edicto Imperiali proponeretur, curaverat.

Paulus Martinum apud Cæſarem calumniis onerat.

Paulus *Typo* ſuo ac ſibi à Romano Pontifice anathemâ inflictum ægerrimè ferens, plenus irarum & vindictæ Conſtantem adiit, productiſque falſis teſtibus, ut tyrannidem aliquo tegumento velaret, innocentiſſimum Pontificem læſæ religionis & majeſtatis reum pluribus egit: & primò quidem, quòd contra jus faſque traditam à majoribus fidem mutaſſet. Deinde quòd clanculùm cum Saracenis adverſus Romanum Imperium conſpiraſſet, ac multa in ipſum Imperatorem molitus eſſet. Denique ipſum eſſe, qui indigna quædam minimeque toleranda contra Dei Genitricis Mariæ cultum locutus eſſet.

Cæſar Olympium ad capiendum Martinum Romam mittit.

His concinnatis à Paulo commentis, etiam perjurio à corruptis teſtibus firmatis commotus Conſtans, Olympium Exarchum miſit in Italiam cum mandatis, ut Martinum Pontificem pacis ac fidei perturbatorem, aut interficiendum, aut ad ſe perducendum curaret. Olympius, juſſa Cæſaris adimpleturus, Romam cum copiis venit. Appetebat tum ſolemnis Natalitiorum Domini dies (Feſtum Romana in Eccleſia omnium celeberrimum) quo Romanus Pontifex Clero ſtipatus, more recepto ad Baſilicam Præſepis contendere, ibique nocturnum Deo ſacrum litare conſuevit. Eò igitur Olympius, ſimulata egregiè religione, cum ſuis perrexit, ac Protoſpatharium lateri ſuo continuò adhærentem, quid facere præſentem vellet, ſecretò admonuit. Ubi deſtinata ſceleri hora illuxit, qua nimirum Pontifex ſacratum Domini corpus de more

Lictor interfecturus Pontificem cæcus redditur.

Exarcho porrecturus erat, Prothoſpatharius ex inſidiis prorumpens, diſtricto gladio, ut erat juſſus, Pontificis jugulum petit. Verùm obſtupeſcente mox brachio, ad feriendum inutilis redditur, ac utroque lumine divina virtute capitur. Eo miraculo perculſus Olympius, ac in genua proſtratus, nefarii conatus veniam ab indulgentiſſimo Patre petiit, & obtinuit.

Theodorus Calliopas Pontificem captum Conſtantinopolim perducit.

Conſtanti autem Imperatori multæ ex eo tempore calamitates inciderunt: quibus nihil melior factus, revocato Olympio, Theodorum Calliopam ſimilibus mandatis inſtructum, ad Urbem mittit, ut vi armorum atque potentia militari è Lateranenſi Palatio Martinum exturbaret, vinculiſque conſtrictum, atque in navim conjectum ad ſe Conſtantinopolim perduci curaret; renuentem ire, nullo veniæ dato loco, in ſtatione occideret. Sacrilegis hiſce mandatis inſtructus Calliopas, cùm ſibi fraude capiendum Pontificem ſtatuiſſet, ſimulatâ itineris causâ, magno comitatus famulitio Romam ingreditur, rectaque in Lateranum Pontificem adoraturus procedit. Hunc ut obvium habuit, dato repentè proditionis ſigno, per intromiſſos ſatellites nihil tale ſuſpicantem invadit, conſtringit, naviqúe ad ſcelus paratæ immittit, ac Conſtantinopolim militari circumſeptum manu crudelis latro propellit.

Martinus carceri mancipatur, ac indignè habetur.

Conſtans capto & ad ſe perducto Martino lætatus, hominem blanditiis primùm, tum minis ac terroribus aggreditur: verùm Apoſtolico vigore præſtantem, planeque inſuperabilem inventum ad carceres damnat. Tranſactis duro in carcere nonaginta diebus, rurſum Judicibus ſiſtendus educitur. Ubi falſis teſtibus obrutus, ac ſacris veſtibus ſpoliatus, publico Urbis opprobrio exponitur; iterumque catenis vinctus, probeque deluſus cuſtodiæ committitur, in qua pœdore, ſiti, ac fame propemodùm enectus, alios octoginta quinque dies inter vincula, feraleſque militum inſultus tranſegit.

Paulus tantorum auctor malorum perit.

Interim cùm ægrotaſſet ad mortem Paulus Epiſcopus Conſtantinopolitanus horum auctor malorum, ad Imperatorem, qui illum inviſerat, non ſine lachrymis coactus eſt fateri: *Quæ hucuſque peracta ſunt per te, ò Imperator, in Martinum Pontificem, ad gravitatem judiciorum meorum ſunt acta: Me me ultor Deus expectat, Martini innocentia accuſat, conſcientia polluta damnat.* Ea in voce gravatam flagitiis animam egit infelix. Sublato Paulo, ab iniquo opere non ſuperſedit Auguſtus, ſed ad evitandos Orthodoxorum tumultus, quos timebat, Martinum propè confectum armata manu in Cherſoneſum exulem miſit. Ubi allapſus, obvio cæco precibus lumen reſtituit.

Martinus Cherſonam deportatur: cæco lumen reddit.

Cogitur Clerus ad electionem alterius Pontificis: Eligitur Eugenius.

Inter hæc Romæ Calliopas Imperatoris nomine Succeſſorem in ejecti Martini locum à Clero expetebat. Reſtitiſſe diù viſus eſt Clerus Romanus, aſſerens, contra jus faſque tale facinus in Eccleſia tentari, ut vivente Pontifice alius in ejus locum ſubſtituatur: diuqúe altercatum eſt: verùm ne cogeretur Romana Eccleſia ſubire periculum, quod imminebat, ut niſi ipſe Clerus eligeret, daretur invitis ab Imperatore Romanus Epiſcopus, Eugenium elegerunt filium Ruffiniani, optimæ notæ virum, ut Eccleſiæ præeſſet,

vicaria

vicaria tamen præfectura, dum viveret Martinus. Rexit Eccleſiam biennium Eugenius, antequam exul Martinus decederet, qui ad duodecimam uſque diem menſis Novembris anni 654. inter ærumnas vitam protraxit ſuam, omni morte acerbiorem; & hac demum die corona martyrii inſignitus ad ſuperos evolavit, cùm ſediſſet annos ſex, menſem unum, dies viginti ſex; miraculis in vita & poſt obitum clarus. Martini corpus è Cherſoneſo Romam delatum, in Eccleſia ſanctorum Silveſtri & Martini nomine dicata, conditum eſſe vetus inſcriptio habet.

Martinus ſanctò decedit: miraculis coruſcat.

SCRIPTA.

Scripſit verò Martinus Epiſtolas multas, quarum octo & decem edidit Binius tomo 4. Conciliorum ex duobus Codicibus Græcis Vaticanis; quorum unus ab Anaſtaſio Bibliothecario è Græca in Latinam verſus eſt linguam.

Ejus Scripta.

De Martini Epiſtolis ſic loquitur Ciaconius in vita: *Extant Martini Epiſtolæ in vetuſtiſſimo codice manuſcriptæ: prima de his, quæ Romæ paſſus eſt à Theodoro Calliopa Exarcho, ad Theodorum ſcripta. Alia ad Eliterium ſeu Elifaum de his, quæ paſſus eſt in itinere, dum captivus duceretur Conſtantinopolim. Duæ inſuper aliæ ejuſdem Martini in exilio Cherſonæ poſiti, deplorantis ærumnas ſuas, ac fidei proditionem. Sunt autem hujuſmodi, quæ citra lachrymas legi haud poſſunt.*

Martinus Bracarenſis Epiſcopus Capitula ſeu Decreta aliquot ex Græcorum Synodis collegit, & latinitate donavit, quæ Gratianus in Decretis ſub nomine Martini Papæ, ſimilitudine nominis deceptus, variis locis diſpoſuit. Gratiani errorem ſecuti ſunt S. Antoninus, aliique Decretorum Collectores, Martino Papæ Decreta illa attribuendo, quæ revera ab illo nunquam edita fuerunt: ut oſtendit Oldoinus.

Decreta falsò Martino adſcripta.

ANNO CHRISTI DCLIV.

Imperatore CONSTANTE II. Auguſto.

DE

S. EUGENIO I. Pontifice Max.

LXXVI.

UBi de Sancti Martini Romani Pontificis obitu certum nuncium delatum eſt Romam, nullus alius quæſitus fuit, qui illi ſuccederet; ſed qui ſpatio duorum annorum Eccleſiæ præfuerat vicariâ præfecturâ, accedente rurſus anteà ſemel lato conſenſu, legitimè ſedere cœpit Eugenius Romanus, Ruffiniani filius, *Vir*, ut Platina & alii teſtantur, *miræ pietatis, religionis, manſuetudinis, munificentiæ, & ſanctitatis.* Qui inde maximam ſibi laudem comparaverat, quòd ab incunabilis ferè Eccleſiaſticis muneribus mancipatus, per gradus ſingulos, majoribus in virtute progreſſi-

Eugenius confirmatur in Pontificatu.

Vir per omnia laudabilis.

greſſibus conſcendiſſet : maximamque ſibi populi conciliaverat benevolentiam ac æſtimationem, quòd erga omnes comis, officioſus, liberalis, ac præcipuè in pauperes munificus extitiſſet.

Petri Epiſc. Conſtant. Epiſtolam Synodicam rejicit. Ad Eugenium Petrus Epiſcopus Conſtantinpolitanus, (qui Paulo defuncto in ſede ac hæreſi anno 652. ſucceſſerat) ſimulata pietate Synodicam quidem Epiſtolam pro more dedit, verum obſcuram adeò, atque perplexam, ut unamnè, an duas in Chriſto voluntates aſſereret, judicari haud poſſet. Quam ut Eugenius legit, ex conſilio Sacerdotum, tanquam fallacem, inſinceram, hominéque Catholico indignam rejecit.

Eugenii obitus. Eugenius adminiſtrata optimè Eccleſia ſancto fine quievit Romæ die 2. menſis Junii anno ſalutis 655. Cujus ſedis annos qui numerant ab eo tempore, quo in locum ſancti Martini adhuc viventis fuit ſubrogatus, cùm ille injuſtè Pontificatu exutus ſit,eum annos duos & menſes quatuor ſediſſe tradunt. Verùm cùm nonniſi poſt ſancti Martini Papæ obitum potuerit legitimè ſediſſe, affirmare cogimur, ipſum nonniſi ſex menſes & dies viginti tres Romanæ Eccleſiæ Pontificem præfuiſſe.

SCRIPTA.

Scripta. Scribunt aliqui Eugenium Epiſtolam dediſſe ad Petrum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, qua ejus Synodicam Epiſtolam obſcuris verborum involucris ſcriptam redarguit : eundemque ad rectè de duabus Chriſti voluntatibus ſentiendum hortatur.

Edidit prætereà Decretum, quo Epiſcopis jus facit habendi carceres, ad Clericorum exorbitantium ſcelera caſtiganda, ut Volaterranus in Suppl. Chron. teſtatur.

ANNO CHRISTI DCLVI.
Imperatoribus Conſtante II. & Conſtantino V. Pogonato Auguſtis.

DE

S. VITALIANO I. Pontif. Max.

LXXVII. *Legationem ad Cæſarem mittit: Cæſar dona remittit. Oſuvinus Rex gratulatur Vitaliano: dona mittit, & vicem recipit.* SAnctus Vitalianus I. natione Italus Anaſtaſii Pontracii filius,ex Signia apud Hernicos civitate oriūdus, Eugenio defuncto, Pontifex maximus concordi Cleri ſuffragio electus, ordinationem ſuam ſtatim per ſubmiſſos Legatos Imperatori Conſtanti ſignificavit. Legati ab Auguſto honorificè excepti, renovatis Eccleſiæ Romanæ privilegiis, Romam cum muneribus ab Imperatore miſſis redière. Erat inter alia dona Codex Evangeliorum aureis litteris ſcriptus, ac pretioſis gemmis miro artificio diſpoſitis ornatus. Vitaliano pariter per Legatos gratulatus eſt Oſuvinus Rex Nordhumbrorum, Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Inſtitutionis ſtudioſiſſimus, qui etiam oblationes & dona in Baſilicam S. Petri Apoſtoli inſe-

inferenda tranſmiſit. Extant ad eximium hunc Regem Vitaliani litteræ pietatis & amoris plenæ, delatæ à religioſiſſimis juxtà ac doctiſſimis viris Hadriano Afro Abbate Græcè & Latinè ſingulariter erudito, & Theodoro Ciliciæ Epiſcopo, qui ad mentem Oſuvini Regis Britannos in fide, prædicationibus, doctrina, & vitæ exemplo continerent. Fecêre mandata, & quidem diligenter optimi viri: qui ſparſo doctrinæ Evangeliæ ſemine maximos fructus ea in gente collegerunt, ut inquit Beda lib. 4. Quin & Græcam Latinàmque linguam iis in plagis egregiè excoluerunt, ut idem Beda in hæc verba teſtatur: *Uſque hodie ſuperſunt de eorum Diſcipulis, qui Latinam & Græcam linguam aquè ut propriam norunt.* *Anglia in fide proficit.*

Apoſtolica quoque clementia proſecutus eſt Vitalianus Joannem Lappæ in Creta Epiſcopum, qui injuſtitiam paſſus ab Archiepiſcopo Cretenſi, appellans ad Romanum Pontificem, cùm detineretur, ne Romam veniret, tandem arte elapſus ad Vitalianum confugit, à quo cauſa cognita & diſcuſſa ut innocens abſolutus eſt. Sunt de his Litteræ ejusdem Vitaliani ad Paulum Cretenſem Arhiepiſcopum. *Janni Lappa Epiſcopo patrocinatur.*

Neque ſolùm juſtam cauſam defendit hic Pontifex, ſed in culpabiles quoque Epiſcopos vim poteſtatis ſuæ explicuit. Nam præter nonnullos Orientis Antiſtites in ordinem redactos, etiam Maurum Archiepiſcopum Ravennatem elati & ambitioſi animi virum, qui Pontificiam auctoritatem infra ſuam habebat, in jus vocatum, nec comparentem à ſacris amovit. Ferrariam nuper mœnibus cinctam, incolarumque frequentia auctam, Epiſcopali dignitate & ſede condecoravit. Aliaque multa ad Cleri diſciplinam, populique ſalutem, ac divini Numinis cultum ſpectantia peregit, ſupremo Paſtore digniſſima, quæ damnum eſt, litterarum monumentis non eſſe conſignata. Hinc benè Oldoinus in additionibus Ciaconianis ait: *ſi litteris eſſent S. Vitaliani geſta commendata, par ille ſanè clariſſimis Pontificibus meritò haberetur, cujus & in propaganda Catholica religione ſtudium, & animi magnitudo variis exercita caſibus eluxit: at paucula tantùm habemus, quæ ſunt ab Anaſtaſio Bibliothecario conſcripta.* *Multa alia præclarè agit*

Regnante Vitaliano, Conſtans Imperator, Conſtantino filio in partem imperii ſuſcepto, comparata ingenti claſſe Conſtantinopoli ſolvens, Tarentum pervenit; copias etiam terreſtres navibus onerariis ſecum vehens. Inde verò terreſtri itinere in Samnium movens, Beneventum obſidere conſtituit. Verùm per exploratores edoctus, Urbem illam valido præſidio, multoque commeatu Rhomoaldi diligentiâ munitam, ducto Luceriam exercitu, Urbem vi cepit; ac direptam ſolo æquavit. Inde Archerontiam profectus, cùm urbem munitiſſimam capere non poſſet, rurſus Beneventum oppugnare decrevit. At ubi intellexit, Grimoaldum propediem cum magnis copiis affuturum, ut obſeſſo filio Rhomoaldo opem ferret, ſoluta ſtatim obſidione, primò Neapolim, deinde Romam non ſine magno ſui militumque incommodo migravit. Saburro interim ſtrenuo belli duce cum viginti pugnatorum millibus apud Phormias eo fine relicto, ut hoſtes reprimeret. *Conſtans Imperat. in Italiam movet: Luceriam capit, Inde Romam progreditur.*

Romam ut attigit, maximo honore à Vitaliano Pontifice cum Clero ac populo ad ſextum uſque lapidem obviam prodeunte ſuſceptus *Honorificè ſuſcipitur.*

ſceptus eſt. Ductus deinde per Urbem, plaudente multitudine, ad Vaticanam Baſilicam divertit: ubi facta brevi oratione pallium auro ac gemmis intertextum Principi Apoſtolorum Petro, dono obtulit. Inter hæc Rhomoaldus Grimoaldi patris auxilio fretus, Saburrum repentè aggreditur, profligat, ac ſuperat, deletis nonnullis Græcorum millibus. Hac inſigni ſtrage motus Conſtans, quinta poſteaquam Urbem ingreſſus eſt die, ad direptionem converſus, omnia Urbis ac Eccleſiarum ornamenta ſurripit, ac navibus ad id ſubvectis impoſita Conſtantinopolim amandat: pluſque ipſe ornamentorum ſeptem diebus Urbi detraxit, quàm barbari anteà ducentis quinquaginta octo annis. Duodecimo autem die execrabilis prædo Româ in malam crucem abiens, primò Neapolim, indeque Syracuſas ſe contulit, ubique tributa adeò acerbè colligens, ut filij obærati à parentum complexibus divellerentur. Commoratus aliquamdiù in Sicilia homo crudelis & avarus, dum Syracuſis in balneo libidini vacat, ab Andrea Troilo, qui ipſi à cubiculis erat, ſitulâ in caput ejus impactâ interficitur; in ejusque locum Mezentius (cujus fraude à corrupto Troilo necatus eſt) Imperator à militibus creatur. De hoc Mezentio proximè plura.

Victoria elatus Urbem ac templa diripit.

Syracuſis in balneo occiditur.

Ei Mezentius ſufficitur.

Interim Vitalianus cultui divino maximè intentus, & regulâ Eccleſiaſticam compoſuit, & cantum Choralem temporum iniquitate lapſum ordinavit, adhibitis ad conſonantiam, ut quidam volunt, organis. Qui denique, poſtquam Eccleſiam univerſalem annos 14. menſes 3. & dies 27. ſanctiſſimè gubernaſſet, ad ſuperos evolavit quarto Kalend. Februarii anno reparatæ ſalutis 670. Cujus tanta morum probitas, vitæque ſanctitas eluxit, ut inter ſanctos Pontifices adſcriberetur, ejusque dies natalis anniverſaria memoria perpetuò celebrandus ſanciretur. Cineres ejus ad S. Petrum in Vaticano publico luctu repoſiti ſunt.

Vitaliani ſancta mors.

SCRIPTA.

Scripta.

Scripſit Vitalianus Epiſtolas ſex, quæ extant in tomis Conciliorum. Harum quatuor ſcriptæ ſunt in cauſa Joannis Epiſcopi Lappenſis in Creta. Quinta eſt ad Oſuvium Nordhumbrorum in Anglia Regem. Sexta, quæ dirigitur ad Monachos Benedictinos Siculos, Baronio ſuſpecta habetur. Invenitur nihilominus Chronico Caſſinenſi ad finem annexa, quam ut genuinam Vitaliani, Patres Benedictini defendunt.

ANNO CHRISTI DCLXX.

Imperatore Conſtantino V. Pogonato Auguſto.

DE

ADEODATO I. Pontif. Max.

Adeo-

LXXVIII. ADEODATUS I. Joviniani filius, Romanus, ob vitæ ſanctitatem, morum ſuavitatem, ac in omnes liberalitatem nemini non gratus, Vitaliano ſubrogatus eſt. Hic Catholicæ veritatis ſtudioſiſſimus, ſtatim in exordio ſuæ aſſumptionis Monachos omnes Græcos Neſtorii ſectatores Româ expulit. Eccleſiam S. Euphemiæ ad Exquilini montis radices extruxit, (quam poſteà Sixtus V. vetuſtate collapſam, ad urbis ornatum ſolo æquavit) Baſilicam idem S. Petri via Portuenſi antiquitate fatiſcentem reſtauravit, atque dedicavit. Monaſterium quoque S. Eraſmi in Cœlio monte ordinis D. Benedicti, in quo anteà Monachus vixerat, ſtructuris & cenſibus ampliſſimis locupletatum ornavit & dotavit, ibidem Abbate & congregatione Monachorum locatis.

Neſtorii Sectatores Urbe pellit: Templa conſtruit, ornat, dotat.

Hujus ſanctiſſimi Pontificis elogium Ciaconius ex Anaſtaſio Bibliothecario & Platina in hæc verba contexit : *Hic Pontifex viritim Clero pecunias diſtribuit, & pauperibus largiſſimas eleemoſynas dedit: vir religione, & omni comitate præditus: in delinquentes clemens, in pauperes beneficus, in hoſpites benignus, in calamitoſos miſericors.* Addit Genebrardus, teſte Victorello, ab hoc Pontifice leproſum oſculo bonæ valetudini redditum.

Multis virtutibus præditus, oſculo leproſum ſanat.

Conſtantinus Imperator, qui Conſtanti Syracuſis, ut diximus, occiſo ſucceſſit, paterno exemplo, vitæ, mortiſque eventu deterritus, contracta cum Adeodato Pontifice amicitia, Eccleſiæ Romanæ fautorem eximium ſe præbuit. Hinc omnem movit lapidem, ut diſſidium illud exitiale de duabus Chriſti voluntatibus, quo Eccleſiæ Romana & Conſtantinopolitana invicem collidebantur, ſopiretur; & hæretica opinio de una tantùm Chriſti voluntate cenſuris & legibus proſcriberetur. Oppreſſit etiam Mezentium ſeu Mizizam Armenium Tyrannum, Imperii invaſorem, & patris ſui interfectorem : ac ne haberet, quos domi coronæ infeſtos timeret, fratribus propriis nares amputari juſſit, ut deformes ab imperio abſtinerent.

Conſtantinus Imp. favet Adeodato: diſſidium de duabus Chriſti voluntatibus ſopire ſatagit.

Mezentium Tyran. occidit.

Sedente Adeodato Maurus Archiepiſcopus Ravennas, qui Eccleſiam Ravennatem à Romana obedientia ſubtraxerat, anathemate percuſſus diem ſuum in contumacia obiit, præcepto Clericis ſuis relicto, ne unquam Pontifici Romano, cujus in ſe dominium negabat, parèrent. Quòd ubi Adeodato nunciatum eſt, ne Mauro in execratione defuncto juſta ritu Catholico ſolverentur, edixit. In Mauri locum ſuffectus eſt Reparatus, paris contumaciæ & ambitionis, ideoque & ipſe ab Adeodato cum complicibus fulminatus.

Maurus, & Reparatus Archiepiſcopi Ravenn. Eccleſiæ rebelles.

Moritur Adeodatus vir ſanctiſſimus (poſtquam frequentes ſupplicationes ad abolenda prodigia, quæ tum hominibus æquè ac jumentis noxia apparuerant inſtituiſſet) Romæ die 26. Junii anno ſalutis 677. regiminis ſui anno ſeptimo ſupra menſes duos, & dies ſeptemdecim : magno bonorum omnium fletû ſepultus ad S. Petrum.

Mors Adeodati.

SCRIPTA.

Ejus Scripta.

Scripſit Epiſtolam ad univerſos Galliæ Epiſcopos pro privilegio Abbatiæ S. Martini Turonenſis. Prodiit hæc primò ex Chronico cujuſdam Canonici Turonenſis, & Archivio ejuſdem Abbatiæ, opera & ſtudio eruditiſſimi Papyrii Maſſoni: & extat tomo 4. Conciliorum Generalium & Provincialium cum notis Severini Binii. Joannes Mariana libro 6. Hiſtor. Hiſpaniarum affirmat alteram hujuſce Pontificis extare Epiſtolam ad Gratianum, ſeu Gordianum Archipræſulem Toletanum, in qua varii canones continentur ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſuſtinendam ſpectantes.

ANNO CHRISTI DCLXXVII.

Imperatore CONSTANTINO V. Pogonato Auguſto.

DE

DONO vel DOMNO Pontif. M.

LXXIX.

Ad hunc Theodorus Patriarcha Conſtantinop. epiſtolam mittit pro concordia ſtabilienda.

DONUS vel DOMNUS patre Mauritio genitus, Romanus, poſt Adeodati obitum ipſis Kalendis Novembris expirantis tum anni 676. electus eſt Romanus Pontifex. Quod ubi Conſtantinopoli innotuit, Theodorus Urbis illius Patriarcha nequaquam, uti moris erat, Synodalem ad eum Epiſtolam dedit, cùm probè ſciret, minimè ab eo fore recipiendam, quòd hæreſis nomine (erat quippe Monothelita) à Romanæ Sedis Pontificibus à communione Catholica haberetur extorris: verùm hortatoriam ad eum Epiſtolam miſit, ut tandem aliquando inter Orientalem & Occidentalem Eccleſiam concordia & unio ſanciretur.

Donus agit cum Conſtantino Imperat. pro indicendo adverſus Monothelitas Concilio.

Anno Chriſti 678. Conſtantinus Imperator, urgente eum Dono Pontifice, quod diù ſecum animo agitaverat, ad effectum deducere cœpit, ut Concilium adverſus Monothelitas indiceret, & Romanæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanam conjungere ſatageret. In hunc finem litteris ad Donum miſſis petiit ab eo, ut nullâ interpoſitâ morâ Apoſtolicos Legatos Conſtantinopolim expediret, qui ſacræ Sedis nomine Generali Concilio indicto præſiderent. Mandavitque Theodoro Exarcho, ut Legatis & Epiſcopis ad Concilium profecturis naves idoneas, commeatum, ſumptusque neceſſarios ſuppeditaret. Conſtantinus interim (quò pacatiùs res procederent) Theodorum patriarcham Monothelitam hæreticum deponendum curavit, ſuffecto in ejus locum Georgio in ſpeciem orthodoxo. De quo ſuo loco plura.

Eccleſia Ravennatenſ. auctore Theodoro Archiep. Eccleſ. Romanæ conciliatur.

Eodem anno Ravennatenſis Eccleſia ad Romanæ Eccleſiæ obſequium eſt redacta. Id qualiter evenerit, aperit Ciaconius ex Platina his ferè verbis: Theodorus Archiepiſcopus, qui Reparato ſucceſſit, veterem Cleri Ravennatenſis diſciplinam, nimia ſuperiorum Antiſtitum indulgentia lapſam, reſtituere volens, pleroſque Cleri-

corum

corum nova legum ſeveritate offendit. Itaque Natalitio Salvatoris die, Theodorum ad Ædem ſancti Apollinaris rei divinæ gratiâ procedentem, contra majorum inſtituta comitari noluerunt. Hanc injuriam ulturus Theodorus, Eccleſiam Ravennatem (id quod pervicaces Clericos ægerrimè laturos ſciebat.) Eccleſiæ Romanæ conjunxit, ſcriptis in eum finem ad Donum Pontificem obedientiæ litteris. Atque ita Ravennatenſis Eccleſia à Romana jam pridem ſegregata, & ob eam rem *Authocephalos* appellata, ſoluto interdicto, cui ſubjacebat, Sedi Apoſtolicæ iterum eſt reconciliata, & reſtituta.

Donus autem Pontifex honori & cultui divino intentus, veſtibulum B. Petri, quod Paradiſum vocant, quadriporticum marmoribus ſtravit, ſublatis ex illa Pyramide, quæ in Vaticano eſt è regione Molis Hadrianæ, ut ſuſpicatur Platina. Inſtauravit etiam, & reſtitutas dedicavit Eccleſias Sancti Pauli via Oſtienſi, & S. Euphemiæ via Appia. Clerum quoque diverſis ordinibus diſtinxit, & amplis honoribus auxit. Monachos verò quoſdam Syros cum Neſtorianis ſentientes, in Monaſterio Boëtiano deprehenſos, & caſtigatos, in varia cœnobia, ut ad frugem reducerentur, diviſit: Boëtianum autem monaſterium Romanis Cœnobitis incolendum tradidit. *Donus divino cultui intentus, multa præclarè agit.*

At Donus eruditione & vitæ ſanctitate clarus, poſtquam ſediſſet annum unum, menſes quinque, dies decem (juxtà Oldoini calculum) ſupremis ritè ſuſceptis myſteriis, Romæ tertio Idus Aprilis anni 678. extremum edidit ſpiritum: funeratus, ſepultusque ad S. Petrum. *Sanctè moritur.*

Vidit Donus Romanam Urbem peſtilentia dirè vexatam, & Anglicanam Eccleſiam bellorum incurſionibus afflictam, florentem tamen, licèt ſpinis circumdatam, veluti Paradyſum Domini, utpotè quæ abundavit ſanctarum Virginum liliis, & violis ſanctorum Monachorum, ac ſanctiſſimis etiam claruit Epiſcopis, inter quos Erconwaldus egregia ſanctitate ac miraculis illuſtris, præ cæteris emicuit. *Angliam Sanctis abundantem vidit.*

S C R I P T A.

Scripſit Donus nonnullas Epiſtolas. Inter has una habetur ad Conſtantinum Auguſtum in cauſa Concilii Conſtantinopolitani adunandi ſcripta: quæ inter ipſius Concilii acta continetur. Aliam dedit ad Theodorum Archiepiſcopum Ravennatem pro concordia ejusdem Eccleſiæ ſtabilienda: Aliam ad Dagobertum Francorum Regem, & ad Audoënum Rothomagenſem Epiſcopum. *Ejus Scripta.*

ANNO CHRISTI DCLXXIX.
Imperatore CONSTANTINO V. Pogonato Auguſto.

DE

S. AGATHONE I. Pontif. Max.

LXXX.

Agathonis patria, genus, vitæ primordia.

SAnctus AGATHO natione Siculus, Panhormi celebri Siciliæ Urbe honeſtorum parentum ſatu, Oldoini judicio, progenitus fuit. Patris nomen varium legimus: Pannonium vocatum plures Authores exiſtimant; eſt, qui Pannonio cognomen Amonis ſeu veriùs Amoris addat; eſt etiam, qui Pontianum vel Romanum dumtaxat litteris prodat, ſed matris nomen prorſus in obſcuro latet. Sub parentum cura Grammaticam primùm, deinde alias ſcientias, ac demum omnes ſacræ Scripturæ litteras ſtudiosè admodùm excoluit, ut fructus inde conſtiterint non ſanè vulgares.

Uxorem ducit.

Poſtquam egregiis hiſce dotibus ornatus ex ephæbis exceſſit, ut majorum imperium exequeretur, teſte Franciſco Scorzo S. J. & Roccho Pyrrho in vita, uxorem duxit nobilem fœminam, cum qua improlis vixit annos minimum decem. Demortuis parentibus, quorum juſſu conjugii onus ſubierat, liberiorem animum ad majora rerum initia erigere, & altiora ſtudia ſpectare cœpit: ſtatim congeſtas unum in locum paternas facultates die uno pauperibus diſtribuit, & ſejuncto, cum bona conjugis pace, maritali thoro, monaſticæ vitæ diſciplinam amplexus, totum ſe divino cultui in Monaſterio ſancti Hermetis addixit, quod per ea tempora Panhormi religioſis viris ex ordine S. Benedicti celeberrimum habebatur ſub cura Urbicii Abbatis vitæ ſanctimonia conſpicui. In eo interdiu ac noctu animo ſemper collecto intentus, cœleſtia meditabatur. Ubi verò ſacris ritè initiatus eſt, ad eam virtutum opinionem brevi apud omnes pervenit, ut ad illum totâ Siciliâ tanquam ad commune adjutorium confugerent omnes, qui vel corporis morbis oppreſſi, vel animi angoribus eſſent afflicti. Tot itaque edidit miracula, ut Thaumaturgi nomen famamque non immeritò tulerit. Quæ res ſenſim per orbem divulgata, cùm ad Romani Pontificis aures perveniſſet, Romam è Sicilia illicò evocatur: utque ſuper candelabrum poſitæ omnibus hujus viri virtutes prælucerent, ſacro Cardinalium Senatui adſcribitur, & paulò pòſt ad ſummi etiam Pontificis dignitatem, cunctis ſuffragiis, ac totius populi, Clerique conſentientibus ſtudiis elevatur. Mortuo enim Dono Pontifice, quum vacaſſet Romana ſedes propè trimeſtri, quinto Idus Junii anno à Chriſto nato 679. ſummus Pontifex omnium ore acclamatus eſt.

Pauperibus bona diſtribuit: fitq; Monachus Benedictinus

Ob edita ſigna Thaumaturgus appellatur.

Cardin. ac demum Pontifex eligitur.

Manſuetus in omnes.

Auctus hac dignitate Agatho manſuetudinem, quam anteà ſemper in omnes exercuerat, adeò non diminuit, ut potiùs duplicaſſe eam ſit viſus. Hinc nemo unquam afflictis ſuis, aut dubiis rebus ab eo conſilium & ſolatium expetiit, quin voti compos, lætus ab eo diſceſſerit. In adminiſtranda verò re Chriſtiana, quam ſibi veluti divino oraculo commiſſam intelligebat, non modò diligentiam ac vigilantiam adhibuit, ſed cùm optimè ſciret, eorum qui præſunt aliis, quo excelſiori loco ſunt collocati, eò magis virtutes æquè, ac vitia ſpectaculo eſſe, ſe ſuoſque mores ita compoſuit, ut exemplar ac forma rectè vivendi ad intuendum, ac imitandum omnibus eſſent propoſita. Clerum variis legibus, & honoribus ſolito

lito majoribus, & ampliorem, & plebi venerabiliorem effecit. Ne verò miniſtrorum Eccleſiæ dignitas ad opera ſedentaria abjiceretur, quò nonnullos ea tempeſtate pecuniæ inopiâ adigi videbat, ipſe ſe diribitorem conſtituit, &, quod ab Apoſtolis ſub Eccleſiæ primordia factum legimus, nomenclatore uſus, de manu in manum pauperibus tradebat ſtipem; quo fiebat, ut & miſericordiam ipſe impenſiùs exerceret, caveretque ne cui miniſtrorum avaritia damno eſſet. Rogam unam, ait Anaſtaſius vetus Author, Clero univerſo certis diebus erogavit: ab erogando autem *Rogam* illius ſæculi Scriptores appellant, quod veteres congiarium cùm populo daretur, donativum cùm militibus, nuncupabant. Ut verò luminaria in Apoſtolorum, & Sanctæ Mariæ ad Præſepe Templis perpetuò lucerent, aureorum duo millia, centum & quadraginta attribuit. *Clerum ampliorem reddit, & beneficiis ditat.* *Roga quid ſit, & ſignificet?*

Porrò nactus Agatho Imperatorem moribus ſuis haud quaquam diſſimilem, tractare cum eo de celebrando adversùs Monothelitas Concilio cœpit. Nam litteras Auguſtales, quas Conſtantinus ad Donum Pontificem hac ipſa de cauſa miſerat, Mortuo Dono accepit Agatho, quas ut legit, laudato religioſi Imperatoris conſilio, Legatos ſe propediem ad meditati Concilii proſecutionem Conſtantinopolim miſſurum ſpopondit. Id ut opportuniùs exequeretur, Epiſcopis Occidentalis Eccleſiæ Conventum in Lateranum indixit, ut re ex eorum ſententia conſtituta, quando omnibus Conſtantinopolim ire non erat commodum, eorum ſaltem opiniones publicè priùs diſcuſſas ad Concilium per Legatos mitteret. *Tractat cum Imperatore de Concilio adverſus Monothelitas celebrando.*

Anno igitur Chriſti 680. Agathonis Pontificis ſecundo, Romæ in Eccleſia Lateranenſi Conventus centum viginti quinque Epiſcoporum eſt habitus, in quo Decretum de duabus Chriſti voluntatibus contra Monothelitas confectum, ſingulorum manibus eſt roboratum. Quibus peractis, Pontifex Legatos tres, qui vices ſuas implerent, ſuoque nomine Concilio præſiderent, Conſtantinopolim miſit, videlicet Theodorum, Sergiumque S.R.E. Presbyteros, & Joannem Diaconum Cardinales. Totidem miſit etiam Conventus Romanus, qui ſuo pariter nomine eidem Concilio intereſſent, videlicet Abundantium Parmenſem, Joannem Portuenſem, & Joannem Rheginum Epiſcopos, omnes doctrina ac religione præſtantes. Hi ſuſcepto ſacræ benedictionis munere, multo cum Clericorum ac Monachorum comitatu, conſcenſis navibus, circa medium Octobris Conſtantinopolim appulſi, magno honore ab Imperatore ſunt ſuſcepti; cui mox litteras à Agathone Pontifice, & Conventu Romano ſcriptas in manus conſignarunt: quibus excuſatio de Legatis ſeriùs ob graſſantem Romæ peſtilentiæ luem miſſis, & fides de duabus Chriſti voluntatibus in Decreto edita continebatur. Lectis utriuſque partis Legatorum litteris, Imperator gravi eos oratione hortatus eſt, ut veritatem, remotis inutilibus Philoſophorum concertationibus, ex unis ſanctorum Patrum ſententiis, ac ſacræ Scripturæ monumentis eruere, proferre, ac citra ſtrepitum ſtabilire conarentur. Tum ſingulis ad quietem parata hoſpitia, *Legatos eapropter Conſtantinopolim mittit.* *Imperatoris in re Chriſtiana provehenda ſtudium.*

tia, famulitium, ſumptus ac commeatum aſſignavit. Mox Georgium Conſtantinopolis, & Macarium Antiochiæ Patriarchas, ut ſuos quivis Metropolitas, Epiſcopos, ſuffraganeos, Abbates, primo quoque tempore convocarent, admonuit.

Aſſiſtentia divini Spiritus imploratur.

Die inde Dominico ſacra Præſulum, Sacerdotum, ac Monachorum pompa, ad invocandam divini ſpiritûs gratiam per Urbis compita in primarium Templum duci juſſa: ad quam majori cum ſplendore peragendam, Legatos etiam Apoſtolicos mira Principis benignitas invitavit, ſubmiſſis ad id ſtratis è palatio equis.

Conſeſſus in Concilio.

Tandem ſeptimo Idus Novembris in penetrale Palatii, quod *Trullus* dicebatur, Concilium convocatum: Primum locum in eo ſedis Apoſtolicæ Legati habuerunt: in throno eminentiori Conſtantinùs Auguſtus, tanquam illius Synodi Patronus & defenſor cum ſuis Magiſtratibus conſidebat: Poſt hos Georgius & Macarius Patriarchæ, tum reliqui Patres juxta ordinem & dignitatem ſua quiſque ſubſellia occupabant. In medio conſeſſu ornatiſſima ſella Sacroſanctum ſuſtinebat Evangelium (ex præteritorum Conciliorum more) ut Patres illius aſpectu, Chriſtum Concilio, ejus nomine congregato, adeſſe monerentur. Aderant Concilio huic univerſim Patres numero ducenti octoginta & novem.

Macarius deponitur, & damnatur: dogma Orthodoxum ſtabilitur.

In quo ante omnia Macarius Antiochenus hæreticus Monothelita Patrum ſententiâ depoſitus, damnatus, ac in Italiam relegatus eſt, ſuffecto in ejus locum Theophane Abbate orthodoxo. Tum dogma Catholicum de duabus Chriſti voluntatibus ac operationibus ex mente Agathonis Pontificis ſtabilitum, ac contraria opinio de una tantùm Chriſti voluntate, ut erronea, Schiſmatica, atque hæretica exploſa, damnataque. Nomina item omnium Antiſtitum, qui ſuperioribus annis unam tantùm in Chriſto voluntatem agnoſcebant, ex ſacris diphtychis eraſa atque deleta: nimirum Cyri, Sergii, Pyrrhi, Pauli, Petri, & aſſeclarum.

Prodigio Patres confirmantur.

Factum eſt autem, ut eadem hora, qua Orthodoxia Orientis ſtabilita fuit, atræ omnes aranearum telæ è laquearibus Conclavis derepentè ſint lapſæ. Quo miraculo moti Patres, viles hærcticorum Sordes divina virtute evanuiſſe lætis vocibus ominati ſunt.

Lætitia populi Conſtantinopolitani.

Soluto Concilio, Joannes Epiſcopus Portuenſis Legatus Apoſtolicæ ſedis ipſa Dominicæ Reſurrectionis die in magnifico S. Sophiæ Templo Miſſarum Solemnia, Imperatore, Patribus, ac populo præſentibus, (ſonantibus per Urbem campanis) Latino ritu celebravit, tanto quidem populi applauſu atque lætitia, ut is novo more Latinè quoque Pontificis ac Imperatoris laudibus acclamârit.

Ob ſublatum diſſidium gratiæ Deo perſolvuntur.

Ex quo omnes dirum tandem duarum Eccleſiarum diſſidium, propitio cœlo, penitùs ſublatum judicarunt, ac immortales Deo optimo maximo ob conciliatam concordiam gratias egerunt. Poſtremò, quinto Idus Septembris Profeſſio fidei à Concilio univerſo conſtituta, ac poſt quinque dierum ſpatium, ſingulorum Epiſcoporum ſubſcriptionibus roborata eſt; nulli tamen ex more Canones ſcripti. Hoc eſt ſextum Generale Concilium, ad Nicænum, Epheſinum, Chalcedonenſe, & Conſtantinopolitana duo, adjectum: quibus Summa fidei Chriſtianæ fundata & roborata habetur.

Cæterùm Agatho (quem Martyrologium Romanum *Sanctitate & doctrina conſpicuum* appellat) dignis immortalitate functus operibus,

bus, non annis magis quàm meritis gravis, nonagenario major, Romæ ſancto fine quievit die 10. Januarii anno Domini octogeſimo ſecundo ſupra ſexcenteſimum, Pontificatus ſui anno tertio nondum exacto: miraculis in vita & poſt obitum clarus. Sacri ejus cineres ſummo cum honore collecti, in Vaticano ad S. Petrum reconditi ſunt. *Agatho ſanctitate & ſignis clarus moritur.*

SCRIPTA.

Scripſit Epiſtolas plures, quarum tamen tres dumtaxat habemus: duas dedit ad Conſtantinum Auguſtum, ejuſque fratres Heraclium & Tiberium, quibus eos ad orthodoxam fidem tuendam hortatur. Tertiam ad Edictum Archipræſulem Viennenſem. Extant hæc tres tomo 5. Conciliorum in ſexta Synodo Oecumenica Conſtantinopolitana: & apud Baronium tomo 8. Annalium Eccleſiaſticorum & in Collatione ſanctionum ſeu Conciliorum Franciſci Joverii: uti etiam in Bibliotheca Floriacenſi, & in Antiquitatibus Viennenſibus Joannis Leuræi. *Ejus Scripta.*

ANNO CHRISTI DCLXXXIII.

Imperatore Conſtantino V. Pogonato Auguſto.

DE

S. LEONE II. Pontifice Maximo.

LXXXI.

Sanctus LEO hujus nominis II. Monachus D. Benedicti natione Siculus, patre Paulo Menejo Medico, ut ſcribit Ciaconius, genitus, vacante ab Agathonis obitu ſacra Sede anno integro ac menſibus ſeptem, omnium votis Romanus Pontifex eſt ſalutatus. Hic divinis humaniſque litteris apprimè eruditus, ac linguæ inſuper Græcæ peritus, multa ſcripſit, quæ virum eum Litteratorum ſui ævi facilè principem indicant. Cujus laudes vix pro meritis referendas, Anaſtaſius in vita ad tria potiſſimùm reſtringit; ſingularem eloquentiam: exactum in divinis myſteriis judicium; charitatem in pauperes incredibilem. *Leonis ex monacho in Pontificem electio.* *Vir omni ſcientia excultus.*

Præterea artem muſicam tam exactè percalluit, ut nullo adjutore uſus, ſacram in Eccleſia Pſalmodiam, hymnoſque ruditer tum decantari ſolitos ad concentum meliorem redegerit. Fuit verò pietas & religio illi mira, zelus, continentia, benignitas, ac in omnes clementia, liberalitaſque talis, ut ſatis deprædicari nequeat. Homines verbo & exemplo privatim ac publicè ad juſtitiam, virtutem, fortitudinem, conſtantiam, humanitatem atque benignitatem hortabatur. Sextam Synodum univerſalem Conſtantinopoli ſub Dono Prædeceſſore convocatam, ac ſub Agathone abſolutam, ita ſuſcepit, & approbavit, ut eosdem anathematizaverit, quos ſancta Synodus præſente Imperatore Conſtantino, ac præſidentibus *Ejus ſingulare elogium.* *Sextam Synodum approbat.*

Apoſtolicæ Sedis Legatis, damnaverat. *Quia acta Deceſſorum*(ut ajebat) *ſi pia ſunt, laudari à Succeſſoribus, probari, firma rataq; haberi, æquiſſimum ac neceſſarium eſt, ſi negotium ſalutis & fidei intercedat.*

Ravennatũ Antiſtitum ſuperbiam contundit.

Fregit etiam ac contundit ſuperbiam Antiſtitum Ravennatum (quod Donus, Agatho, aliique Pontifices inchoaverant) qui Exarchorum freti potentia, divina humanaque, ut libuit, miſcebant, ac Romanorum Pontificum juſſionibus temerè obliſtebant. Hos, inquam, Conſtantini operâ in ordinem redegit, Decretumque edidit, ut electio Cleri Ravennatis deinceps irrita eſſet, niſi Romani Pontificis aſſenſu & auctoritate firmaretur. Ejus quoque inſtitutum fuit, ac quidem ſanctum, ne ad Archiepiſcopatum aſſumptus, pro uſu pallii, aliorumque officiorum, quidquam Eccleſiæ perſolveret, quòd experientia compertum haberet, ea largitione plurima hinc inde mala oriri. Auctorem eundem facit *Collecta* de Apoſtolis Durandus *lib.7. cap.15.* quamvis non deſint, qui illam Leoni IV. & non huic noſtro attribuant. Leonis pariter juſſu Eccleſia juxta Velum Aureum in honorem ſancti Sebaſtiani erecta eſt, nec non in honorem ſancti Martyris Georgii, & ex Anaſtaſio Paulus de Angelis in Deſcriptione Baſilicæ Vaticanæ teſtatur.

Pallium gratis concedi mandat.

Eccleſiam condit.

Ejus elogium ex Breviario Rom.

Sacer horarius Codex, quæ Leonis reliqua ſunt, his ferè verbis proſequitur: *Verè pater pauperum fuit: non enim pecunia ſolùm, ſed opera, labore, & conſiliis, egentium viduarum, & pupillorum inopiam egeſtatemq; ſublevabat. Qui dum ſingulos non magis prædicatione, quàm vita exemplo ad piè ſanctèq; vivendum adhortaretur, menſe ſui Pontificatus decimo, & diebus decem & ſeptem obdormivit in Domino: ſepultusq; eſt in Baſilica S. Petri.* Obiit igitur vir ſanctiſſimus, juxta Oldoini computum, ſexto nonas Julii anno æræ Chriſtianæ 684. menſe ſui Pontificatus decimo ſupra dies decem & ſeptem. Ejus corpus tumulatum fuit in Vaticano, collacrymantibus omnibus, tanquam publico parente orbatis. Brevis beatiſſimi hujus viri Pontificatus fuit, inquit Ciaconius, ſed gloria tanta, ut longo annorum intervallo vixiſſe videatur, cùm ejus nomen immortali omnium laude meritò per Eccleſias celebretur.

Ejus obitus.

SCRIPTA.

Scripta.

Scripſit Epiſtolas multas, licèt earum paucas habeamus: nam quinque dumtaxat leguntur tomo 5. Conciliorum cum notis Binii, è Codice Toletano manu ſcripto deſumptæ: eas tamen tanquam ſpurias rejicit Baronius, germanasque deſiderari affirmat. Verùm conſtat Canone ſecundo Concilii XIV. Toletani Leonem ſcripſiſſe Epiſtolam ad Epiſcopos Hiſpaniarum, & ad eos acta Synodalia tranſmiſiſſe, quæ hactenus in tenebris latent. Litteras etiam dedit ad Conſtantinum Pogonatum Auguſtum, quæ perperàm à quibusdam Leoni I. tribuuntur. Synódum Oecumenicam Conſtantinopolitanam è Græca in Latinam linguam tranſtulit. Hymnos Eccleſiaſticos novos compoſuit, & veteres ad meliorem, ut diximus, concentum redegit. Ex Anaſtaſio verò colligimus, varia ipſum ſcripſiſſe proſa & metro, Græcè & Latinè, quæ tamen in præſens deſiderantur.

Joannes

Joannes Trithemius in Tractatu, quem de Scriptoribus Eccleſiaſticis edidit, vocat Eum *Virum in divinis & ſecularibus ſcripturis eruditiſſimum, Græca & Latina lingua copiosè inſtructum, ſubtilem, eloquentem, & non minùs ſanctum quàm doctum.* Errat tamen luculenter, dum ejus obitum ad annum 677. refert: cùm Leo primùm anno 683. Sedere cœperit, ſexennio nimirum poſt annum à Trithemio morti ejus aſſignatum. *Laudatur à Trithemio.*

ANNO CHRISTI DCLXXXIV.

Imperatore Conſtantino V. Pogonato Auguſto.

DE

S.BENEDICTO II. Pontif. Max.

SAnctus Benedictus II. Romanus, ex illuſtri Sabellorum familia patre Joanne ortus, ob inſignes, quibus cumulatè fulſit, virtutes, omnium ſuffragiis in demortui Leonis locum eſt ſubrogatus. Hic ab ineunte ætate Deo ſub D. Benedicti regula militans, divinæ Scripturæ tam exactam operam dedit, ut doctrina & exercitatione rebus in divinis nulli ſecundus haberetur. Addo ejus humanitatem in ſui ſimiles, pietatem in ſuperos, gratiam in omnes, maximè verò liberalitatem & munificentiam in pauperes, egenos, viduas atque pupillos, quorum indigentiæ tam profusè conſtanterque conſuluit, ut non raro ipſe in compedes alieni æris inciderit. Quibus virtutibus, accedente maximè vitæ ſanctitate, ita inclaruit, ut Conſtantinus Auguſtus ejus fama permotus (ſublato iniquo illo Romanos Pontifices legendi confirmandique per Cæſares aut Exarchos more) ſanctionem Chriſtiano Principe dignam ediderit, Romamque tranſmiſerit hujus tenoris: Ut deinceps, quem Clerus, Populuſque Romanus juſtis Comitiis in Pontificem delegiſſet, is ſtatim pro legitimo ac vero Chriſti Vicario ab omnibus haberetur, nullâ aut Conſtantinopolitani Principis, aut Italiæ Exarchi expectatâ ulteriori confirmatione & auctoritate, ut anteà fieri conſueverat. Atque ita antiqua debitaque Eccleſiæ legendi confirmandique Romanum Pontificem libertas eſt reſtituta.

LXXXII. Vir doctrina, & virtutibus clarus.

Romana Eccleſia in priſtinam libertatem reſtituitur.

Quin etiam tanti Benedictum Pontificem religioſiſſimus Imperator fecit, ut ei natos ſuos Juſtinianum & Heraclium in filios dederit: Rem narrat Anaſtaſius Bibliothecarius vetus & candidus Scriptor his verbis: *Hic Benedictus unà cum Clero ſuſcepit mallones capillorum Dominorum Juſtiniani & Heraclii filiorum clementiſſimi Principis Conſtantini, ſimul & ejus juſſionem, per quam ſignificabat ſe eoſdem capillos ad ipſum direxiſſe.* Hæc Anaſtaſius, per mallones cirros intelligens capillorum; ex quibus videas eam his temporibus conſuetudinem viguiſſe, ut per hujuſmodi exhibitionem capillorum quis alicui offerretur in filium; & qui eos acciperet, Patris nomen conſequeretur:

Conſtantinus Auguſtus natos ſuos ei in filios conſignat.

retur : ſic igitur pius Imperator voluit, ut filii ſui ſcirent ſe Romanum Pontificem peculiarem habere parentem, cujus monitis impensiùs, more filiorum, parére deberent, eundemque ut Patrem diligere ac revereri.

Plura Templa reſtituit, atque exornat.

Scribit Platina, Benedictum ſacris operibus intentum Romæ beati Petri Apoſtolorum Principis, Sancti Laurentii in Lucina, beati Valentiniani via Flaminea, Virginis Genitricis Dei Mariæ ad Martyres, Templa magnis ſumptibus reſtituiſſe; eademque Ophitico & Porphyretico lapide, incruſtatione parietum, opere tectorio & vermiculato exornaſſe, atque varii generis vaſibus ex argenteo & auro confectis, veſtibus item ſacris inauratis & holoſericis locupletaſſe.

Hæreſis Monothel. damnatur.

Sedente hoc Pontifice habitum eſt Concilium Toletanum decimum quartum à ſeptemdecim Epiſcopis, in quo recitatis actis Concilii Generalis ſexti, Conſtantinopoli celebrati, à Leone II. miſſis, hæreſis Monothelitarum damnata.

Macarii depoſiti obſtinatus animus.

Mortuo Theophane Antiocheno Patriarcha, Benedictus Pontifex totis viribus curavit, ut Macarius olim Antiochenus Patriarcha in ordinem redactus, Romæ degens exul, damnata hæreſi Monothelitarum, reſtitueretur in Eccleſiam Antiochenam, ſed cervicoſus homo, ut tradit Nicephorus, contempſit Pontificis beneficium, maluitque exul mori, quàm cujuſpiam gratiâ reſtitutus videri.

Theodori Monoth. obitus.

Circa idem tempus ad ſupremum vocatus eſt tribunal impius Theodorus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus, qui ſimulatâ pœnitentiâ, actis ſextæ Synodi corrumpendis intentus, Monothelita obiit : in cujus locum ſuffectus eſt Paulus ex laico, paris farinæ ſocius.

Benedicti ſanctus exitus.

Petri navim moderatus eſt Benedictus, ex Baronio, menſes octo & dies ſeptemdecim : qui, ut omnibus in vita charus fuit acceptusque, ita poſt mortem ut ſanctus, ac de re Chriſtiana optimè meritus celebratur. Vita functus eſt die 7. Maji anno humanæ ſalutis 685. Inter Sanctos relatus, ac in Vaticano ſepultus cum inſigni Epitaphio, quod in Appendice ad Tomum 12. refert Baronius. Ex quo ego duos dumtaxat verſiculos huc exſcribo.

Cuncta Sacerdotum complevit munia ritè;
Et quo quiſque bono claruit, unus habet.

SCRIPTA.

Ejus Scripta.

Scripſit Epiſtolas duas, quarum unam ut germanam, alteram verò ut ſuppoſititiam agnoſcit Binius: ambas rejicit Baronius. Extant hæ tomo 6. Conciliorum, prima data eſt Petro Notario Regionario, & legitur in Notis Garſiæ Loayſiæ ad Concilium XIV. Toletanum: altera verò Ervigio Viſigothorum Regi directa eſt. Hiſpani ambas pro genuinis habent.

ANNO

ANNO CHRISTI DCLXXXV.
Imperatoribus CONSTANTINO V. & JUSTINIANO II.

DE

JOANNE V. Pontif. Maximo.

JOANNES V. natione Syrus, patria Antiochenus, Cyriaci filius, ſcientiis omnibus eruditus, ut ſcribit Baronius, juxta priſcam conſuetudinem à generalitate in Eccleſia Salvatoris, quæ appellatur Conſtantiniana, poſt obitum Benedicti electus eſt Romanus Pontifex, nulla Exarchi, aut Græci Imperatoris expectata confirmatione. Quod deinceps in reliquorum electionibus, ut tradit Anaſtaſius, obſervatum eſt. LXXXIII. *Liberè electus proditur*

Renunciatus eſt Pontifex Joannes eodem anno, quo Conſtantinus V. Imperator, anno imperii ſui decimo ſeptimo, obiit. Hic Imperator ob plurima, quæ Eccleſiæ Romanæ ac religioni præſtitit beneficia, in bonis numerandus meritò veniret, niſi regni primordia deformatione fratrum maculaſſet. Succeſſit in Imperio Juſtinianus II. ejus filius, tenuitque orientale ſceptrum annis decem, menſibus quinque. Hic præcipitantis ingenii vir, cùm totus à patre degener ad libidinem ſuam omnia faceret, Rempublicam brevi ſusque deque miſcuit, ſeque ipſum ea agendi ratione acerbiſſimis calamitatibus objecit, ut ſuo loco indicabimus. *Conſtantinus Imp. moritur ei ſuccedit Juſtinianus II. degener filius.*

Joannes autem vir ſingularis eruditionis, religionis, & manſuetudinis, mox ut more majorum conſecratus eſt, plurima egregia in reipublicæ commodum moliri cœpit: at gravi eoque diutino morbo correptus, quæ animo benè conceperat, præſtare haud potuit. Fatis conceſſit quarto Nonas Auguſti anno Domini 686. Pontificatus ſui anno primo. Moriturus inſigne donativum in Clericos viritim dividendum reliquit. Sepultus eſt ad S. Petrum. *Joannis obitus.*

S C R I P T A.

Scripſit Epiſtolam ad Edaldum Archiepiſcopum Viennenſem: aliqui tamen cum Baronio, & Joanne à Boſco Epiſtolam hanc non à Joanne V. ſed à Tertio ſcriptam autumant. Verùm cùm Joannes III. circa annum 560. vixerit: & Edaldus anno 686. vitæ ſuperſtes fuiſſe reperiatur, dicendum videtur, Epiſtolam ad ipſum directam Joannis noſtri, & non Joannis III. fuiſſe. Ita ſentiunt Demochares, Lieuræus, Chenutius, Villarius, Claudius Robertus, & alii, qui ſeriem Archiepiſcoporum Viennenſium ſcripſere. *Scripta.*

Edidit etiam Joannes egregium Tractatum de Pallii dignitate, ut teſtatur Ciaconius ex Platina.

ANNO CHRISTI DCLXXXVI.
Imperatore JUSTINIANO II. Auguſto.

DE CONONE Pontifice Maximo.

LXXXIV. CONON, Thrax, Benedicti filius, patria Tomitanus, educatus in Sicilia, cùm ſacris initiatus, ac in ordinem Purpuratorum Lectus, Romanæ Eccleſiæ præclara obſequia, pro ea qua pollebat auctoritate, præſtitiſſet, divino nutu in Petri ſolium evectus eſt eo ipſo tempore, quo Petrus & Theodorus Cardinales in Schiſmate electi pro ſumma rerum concertarunt. Id qualiter acciderit, ex idoneis Scriptoribus paucis aperiam.

Schiſma inter Theodorũ & Petrum Cardd.

Joanne V. è vivis ſublato, Romani, & Exercitus diverſis ſtudiis ſciſſi, hinc Theodorum, illinc Petrum in demortui locum ſuffecêre. Pro Petro oppoſitis armis ſtetêre Romani, pro Theodoro Exercitus. Utrâque parte diù in pertinacia perſiſtente, poſt longam tandem nec incruentam altercationem in hanc omnes ſententiam divino impulſu venêre, ut rejectis æmulis Conon, vir per omnia inſignis, deligeretur. Accepta utrinque conditione, Conon nil tale cogitans de media turba abreptus, inque humeros ſublatus, cum maxima laudum ejus acclamatione, in Lateranenſe Palatium deportatur, ac ibidem concordibus animis Pontifex maximus conſecratur. Erat verò Conon iis naturæ, corporis, & animi dotibus præditus, ut ſpecie non tam hominem, quàm Angelum referret, dictus eapropter *Angelicus*, ut Auctores tradunt. Porrò mores ejus erant caſtiſſimi, eruditio inſignis, pietas & juſtitia ſingularis, comitas, humanitas, clementia, ac in omnes benignitas incredibilis, ſic ut eo principatu, quem urgente cœlo ſortitus eſt, omnium judicio digniſſimus haberetur. Sed vix terris oſtenſus, rurſus cœlo repetente, ſubtractus eſt. Nam adverſa per totum Pontificatum valetudine conflictatus, undecimo ſui regiminis menſe fatis conceſſit. Incidit mors ejus in decimum tertium Octobris anni 687. ut Baronio placet. Sepulturâ donatus eſt ad S. Petrum in Vaticano.

Conon divino nutu præfertur.

Specie corporis, animiq; puritate angelo perſimilis.

Vix Pontificatum adeptus moritur

Liberalis in vita & morte.

Paſchalis perfidia, & Simonia.

Conon conſuetam in vita liberalitatem, etiam in morte teſtaturus, Clero, Monaſteriis, Eccleſiis, ac pauperibus ingens auri pondus legavit, Paſchalis Archidiaconi, pro tempore theſauri pontificii diſpenſatoris, arbitrio diſtribuendum. Paſchalis regnandi cupidus, & theſauri opportunitate illectus, miſſis ad Joannem Exarchum occultis litteris, grandem ei pecuniam ſpopondit, ſi ſuo beneficio Pontificatum conſequeretur. Accepit Pecuniam Exarchus: & Judicibus ſuis, quos paulò antè Romam ad jus dicendum miſerat, imperavit, ut Conone mortuo, omni ope Paſchali ſubrogando adeſſent: ſed cœlo obnitente fruſtrà hæc tentata fuêre, ut paulo mox dicturi ſumus in vita Sergii.

Cæte-

Cæterùm illuſtravit Cononis nomen, Sancti Kiliani Martyris Apoſtolatus: qui nobilibus in Hibernia ortus parentibus, ſacriſque litteris probè inſtructus, ac raris virtutibus pariter ornatus, Romæ ab ipſo Conone Pontifice Epiſcopus eſt ordinatus, poſteà ab eodem in Franconiam ad prædicandum Dei Evangelium miſſus, gente illa cum Gotberto provinciæ duce, ad Chriſtum converſa illuſtris martyr occubuit. *Illuſtre S. Kiliani Martyrium.*

S C R I P T A.

Scripſit Conon graves litteras ad Juſtinianum II. Auguſtum, quibus eum ad ſequenda Conſtantini patris veſtigia, à quibus ſenſim ſuorum conſiliis depravatus deflexerat, hortatur. Alias quoque dediſſe memoratur ad S. Kilianum, confortans eum in opere converſionis gentium pro Chriſto ſuſcepto. *Scripta Cononis.*

ANNO CHRISTI DCLXXXVII.

Imperatoribus JUSTINIANO II. Leontio, & Tiberio Abſimaro Auguſtis.

DE

S. SERGIO I. Pontifice Maximo.

SAnctus SERGIUS I. patre Tiberio, Syrus, quem Ciaconius patria Antiochenum, Baronius Panhormitanum facit, ex ordine D. Benedicti, vir doctrina, pietate, vitæque ſanctimonia præſtans, divino potiùs, quàm humano ſuffragio in demortui Cononis locum ſuffectus eſt: non tamen ſine turbis. Id ut evenerit, ſacem præferente Platina, breviter enarrabo. LXXXV.

Ineunte anno 687. Populus & Exercitus Romanus in duas factiones ante Sergii electionem diviſus, hinc Theodorum S. R. E. Presbyterum Cardinalem, illinc Paſchalem Archidiaconum ad Pontificatum expetebant. Irruperat jam Theodorus cum factione ſua in partem Lateranenſis palatii interiorem: exteriora Paſchalis æmulus armato milite occupaverat. Gliſcente verò certamine, atque parte alteram de loco pellere contendente, cùm tanta ſenſim animorum altercatio & rixa orta eſſet, ut de cruenta pugna non ambigeretur, cùm alter alteri ceſſurus non videretur, niſi vi & armis pulſus: Primores Civitatis, Cleri, populi, & exercitûs Romani, ſaniori conſilio uſi ad ſacrum Palatium perexerunt, conſulturi, quo pacto mota ſeditio citra ſtrepitum & ſanguinem componi poſſet: tandem re in utramque partem diſcuſſa, cùm neutri æmulorum, qui ob ambitionem tantos motus concitarant, Pontificatum demandandum cenſerent, Dei nutu, nemine adverſante, expedito conſilio, Sergium Presbyterum Cardinalem ob notam vitæ ſanctitatem omnibus gratum, Pontificem deſignarunt. Quem è media turba ſublatum, cum fauſtis acclamationibus in Palatium Late- *Schiſma inter Theodorũ, & Paſchalem Card. Duobus contendentibus præfertur Sergius, omnibus gratus.*

Theodorus juri ſuo cedit.

Lateranenſe perduxerunt, foribus, quæ clauſæ erant, vi effractis, repulſiſque iis, qui locum occuparant. Theodorus à ſuis deſertus, cognito omnium conſenſu, ſubitò ſe abdicans, Sergium Pontificem acclamatum de genu ſalutat, veniam petit, & conſequitur. Idem fecit Paſchalis, ſimulatâ licèt pietate, planeque invitus, cogente eum multitudine, quæ armis circumſtrepebat. Mox tamen Exarchum Ravennatem litteris ſecretò miſſis, ac novis pollicitationibus adeò concitavit, ut is abrupto omni negotio, nullis præmiſſis nuntiis Romam advolarit, oppreſſurus ſi diis placet, contrariam factionem. Verùm ubi intellexit, Sergium omnium conſenſu Pontificem declaratum, omniumque ſtudio ut talem defendi, Paſchalem ſpe ſua dejectum deſeruit. Poſtero autem anno Paſchalis tanti mali cauſa, magices accuſatus & convictus, ut ſacrilegus Archidiaconatu privatur, inque monaſterium pœnitentiæ cauſa detruditur, ubi quinquennio pòſt eadem pertinacia uſus, inglorius ac impœnitens moritur.

Paſchalis dolosè agit: ac demum in monaſterium relegatur.

Juſtinianus Conciliabulum celebrat.

Anno 689. Juſtinianus II. Imperator à ſuis depravatus, auctore Callinico Patriarcha Conſtantinopolitano, Conciliabulum Conſtantinopoli habuit in Trullo palatii ſui, in quo plurima capita doctrinæ, & religioni orthodoxæ contraria ſancita fuère: Quibus cùm Apocriſarii Pontificis, Callinici fraudibus ſeducti, per imprudentiam ſubſcripſiſſent; Sergius Pontifex fallaciâ cognitâ, revocatis Apocriſariis, acta Concilii ceu injuſti reſcidit, atque damnavit. Ea re Juſtinianus uſque adeò eſt offenſus, ut ab Eccleſia Romana, quam hactenus defendere videbatur, ſe removerit. Itaque vindictam ſpirans, proximo anno 692. Zachariam militiæ ducem Romam ire, Sergium Pontificem capere, vinctumque ad ſe Conſtantinopolim perducere, imperavit. Inſolitus Zachariæ in Urbem adventus Romanis rerum neſciis ſuſpicionem injecit, Pontificis capiti eo apparatu inſidias parari. Hinc turbati confeſtim omnes ad arma ruunt, exercitumque protegendi Pontificis cauſa ex vicinis regionibus convocant. Quod ubi Zacharias audivit in timorem propriæ ſalutis adductus, protinus ad Pontificem ſe recepit, veniamque deprecatus, ne ſe furenti populo extraderet, ſupplex oravit. Intereà exercitus undequaque excitus per portam Oſtienſem ingreſſus, proceſſit ad Lateranum, Pontificem videre geſtiens, quem rumor increbuerat, ſuperiori nocte navi impoſitum, Conſtantinopolim eſſe devectum: Exercitus januas Laterani clauſas nactus, effracturum ſe eas, niſi mox aperirentur, comminatur.

Sergius id damnat.

Zacharias Romam mittitur ad capiendum Sergium.

Populus Rom. ruit ad arma; Sergiumq; defendit.

Zacharias in extrema sanguſtias redigitur: ſed à Pontifice liberatur.

Id ut intellexit Zacharias, ſic eſt animo conſternatus, ut prænimio metu, ſub ſtrato Pontificis ſe ſe occultaverit. Qua re animadverſa Pontifex, in lucem eum exire, bonoque animo eſſe juſſit, daturum ſe operam, ne quid ſiniſtri in ipſum committeretur. Inde ad placandum exercitum foras progreſſus, habita inſigni oratione tam graviter peroravit, ut ſedatis motibus, liber exitus Zachariæ fuerit conceſſus. Qui dictis Pontifici pro ſalute gratiis, clanculùm Româ ſe ſubducens, Conſtantinopolim remeavit. Atque hæc prima vis (ſubjungit Ciaconius) Italicæ gentis pro Pontificibus Romanis adverſus impotentem Cæſarum dominationem fuit.

Dum

Juſtinianus imperio dejicitur, ac exulatum mittitur.

Dum hæc Romæ aguntur, Leontius Patricius C. annuente Callinico Patriarcha, populo Conſtantinopolitano ad arma excito, refractis omnibus cuſtodiis Urbis, unde multi nexi prodiêre, Juſtinianum Auguſtum imperio dejicit, ac præciſis naribus exulatum in Cherſoneſum Ponti mittit. Hæc cum intellexiſſet Abimelech Saracenorum belli dux, Africam ſtatim invadit ſeditionibus Conſtantinopolitanorum fretus: eò properè & Leontius ſuas copias mittit, quæ barbarorum impetum retardarent. Verùm non ita multò poſt ſeditione inter eos orta, Tiberium quendam civem Conſtantinopolitanum Imperatorem creant, qui confeſtim Conſtantinopolim cum exercitu adnavigans Leontium capit, & eodem affectum ſupplicio, quo Juſtinianum mulctarat, in carcerem conjicit, majori ludibrio hominem reſervans. Philippicum præterea Nicephori Patricii filium, qui ei in adipiſcendo imperio faverat, in exilium mittit, quòd æqualibus ſuis narraverat, ſe per quietem vidiſſe aquilam caput ſuum alis protegentem, veritus ne imperium adoleſcenti portenderet.

Tiberius Cæſar acclamatur.

Sergius ſanctis operibus occupatur.

Relegato igitur Juſtiniano, Sergius Pontifex quiete & pace uſus, Baſilicam beati Petri, ablatis ruderibus, renovatisque tignis, ſtillicidiis, ac parietibus in antiquam formam reſtituit; frontiſpicium verò Baſilicæ variis figuris opere vermiculato expreſſis ad uſque ſplendorem exornavit: candelabra, cruces, calices, urceolos, aliaque id genus ornamenta & utenſilia ex auro, gemmis, argento confecta adjecit. Partem Dominicæ crucis pretioſis lapillis, ac gemmis miræ magnitudinis exornatam, diuque latentem, publicæ venerationi expoſuit: Statuas Apoſtolorum vetuſtate exoletas renovavit, ac celebriori loco repoſuit. Multarum præterea Eccleſiarum, quas commemorare longum eſſet, ornamenta collapſa vel reſtituit, vel nova ex integro fecit. Conſtituit etiam, ut poſt fractionem panis Dominici ter *Agnus Dei* in Miſſa diceretur, & ut Litaniæ majores quotannis die Annunciationis, dormitionis, & Nativitatis beatæ Dei genitricis Mariæ, ac feſto ſancti Simeonis ſolemni ritu canerentur. Sunt etiam qui ſcribant, Sergii virtute ac ſanctitate, Saxones, Hollandos, Friſones, aliaſque conterminas gentes, per ſubmiſſos Apoſtolicos viros, Evangelica luce donatos eſſe.

Ejus Conſtituta.

Gentiū converſioni ſtudet.

Sanctè moritur, ac ſanctis accenſetur.

His tot rebus vir ſanctiſſimus inſignis, Pontificatus ſui anno tertio decimo, menſe octavo, die vigeſima tertia, ut ſcribit Ciaconius, ſexto Idus Septembris, anno Chriſtiano 701. moritur, & in Baſilica Sancti Petri, collacrymantibus omnibus præ dolore, ob amiſſum tantum Pontificem, magno funere ſepelitur. Inter Sanctos relatum Sergium teſtatur Martyrologium Romanum quinto Idus Septembris. Quem etiam nonnulli ob inculpatæ vitæ mores *virum cæleſtem* appellarunt.

SCRIPTA.

Ejus Scripta.

Scripſit Epiſtolam ad Ceolfridum Abbatem Anglum, quæ extat tomo 5. Conciliorum; & tomo 8. Annalium Baronii. Cæterùm plurima ſcripſiſſe Sergium, durante Pontificatu & vita, ex eo con-

jici poteſt, quòd inter Eccleſiaſticos Scriptores ab Antonio Poſſevino in Apparatu ſacro, & à Jodoco Coccio in Theſauro Catholico, numeretur. Edidit etiam Canonem, teſte Ciaconio in vita, quem Gratianus inter Decreta ſua retulit, quo redditur ratio, cur Confractio Hoſtiæ fiat.

ANNO CHRISTI DCCI.

Imperatore TIBERIO ABSIMARO Auguſto.

DE JOANNE VI. Pontifice Maximo.

LXXXVI. JOANNES VI. Petronii, vel ut alii volunt, Paterni filius, patria & genere Græcus, monachus ex ordine S. Benedicti, vir doctrinæ morumque præſtantia clarus, ſuffragantibus Clero ac populo Pontifex Maximus creatus eſt. Tiberius Imp. (Anaſtaſio Bibliothecario teſte) ubi Joannem defuncto Sergio in Apoſtolicam ſedem ſubrogatum intellexit, ſtatim Theophylactum Cubicularium ſuum & Exarchum Romam ad eum capiendum miſit, cauſam tamen, inquit Anaſtaſius, ignoramus. Sed quid porrò tunc actum ſit, audi: divino quaſi miraculo accidit, ſubjungit Oldoinus, ut univerſa Italiæ militia ad tuendum Pontificem Romam confluxerit, ingreſſurum Urbem Exarchum, niſi Pontifex obſtitiſſet, interemptura. Theophylactus, Zachariæ Exarchi exemplo perterritus, ſuadente Pontifice, collectis mox vaſis, Urbe non ſine convitiis exiit, viamque Ravennam verſus relegit.

Tiberius Imp. Joanni inſidias ſtruit; ſed incaſſum.

Joannes ablata Eccleſiæ oppida recipit.

Exacto Urbe Theophylacto, Joannes Legatos ad Giſulphum Beneventanum ducem miſit, mandans ei, ut ablata iniquo marte Eccleſiæ oppida in Campania & Hernicis reſtituat, ſecus certam vindicantis Numinis iram, ſacrumque è Vaticano fulmen expectet. Giſulphus his monitis perterritus, oppida omnia, quæ à longo tempore ſuam in poteſtatem redegerat, Pontifici reſtituit, ſeque è Samnio Beneventum recepit. Tùm Pontifex captivos omnes toto Samnio conquiſitos, quoad per ærarium Eccleſiæ licuit, redemit. Pari modo Alpes Cottias, quæ ad jus Sedis Apoſtolicæ pertinuerant, ab Ariperto Longobardorum Rege obtinuit. Hanc reſtitutionem Aripertus aureis litteris exaratam Romam direxit: de qua præter Paulum Diaconum, Anaſtaſium Bibliothecarium, Adonem Viennenſem, Bedam, videri poteſt Baronius tomo 8. Annalium, aliique in hoc ſcriptionis genere verſati Authores. Nonnulli tamen hanc reſtitutionem ad Joannis VII. tempora referunt.

Captivos in Samnio redimit.

Alpes Cottias recipit.

Illuſtre martyrium S. Hemmerami Epiſc. Ratiſp.

Sedente in Petri Cathedra Joanne, illuſtre martyrium ſubiit in Bavaria S. Hemmerammus Epiſcopus Ratiſponenſis, à Lantberto Theodonis Bavariæ Principis nepote Helfendorffii ob alienam noxam membratim conciſus. Eleganter atrocem hanc lanienam deſcribit Matthæus Raderus S. J. in Bavaria Sancta, Volumine I. *cap. 16. fol. 46.*

Joannes

Joannes reſtitutis atque exornatis pluribus in Urbe Eccleſiis, mortalitatis compede ſolutus eſt quarto Idus Januarii anno ſalutis 705. teſte Baronio, poſtquam Eccleſiam gubernaſſet annos tres, menſes duos, dies duodecim. Sepultus ad Catacumbas S.Sebaſtiani Martyris,ut ſcribit Platina. Joannem quidam martyrio affectum volunt, ſed à quo, quamque ob cauſam,martyrium paſſus ſit, non produnt. *Joannis obitus.*

SCRIPTA.

Scripſit Joannes Pontifex ad Edoaldum Metropolitam Viennenſem, eique pallium Apoſtolico munere tranſmiſit, & capillos aliquot ſancti Pauli Apoſtoli, ut ejus patrocinio muniret Eccleſiam Viennenſem, quam ſciret ejus auſpiciis fundatam, atque ab ipſius diſcipulo Creſcente decoratam primo religionis honore. Dedit etiam litteras ad Giſulphum Beneventanum ducem, ablata ab eo Eccleſiæ oppida repetens; uti etiam ad Aripertum Longobardorum Regem pro Alpium Cottiarum reſtitutione facienda. *Ejus Scripta.*

ANNO CHRISTI DCCV.

Imperatoribus Tiberio Abſimaro, & Juſtiniano II. iterum reſtituto, Auguſtis.

DE

JOANNE VII. Pontif. Maximo.

JOANNES VII. natione Græcus, Platonis Janidegæ filius,Roſſani magnæ Græciæ, Calabria dictæ, ortus, mortuo Joanne prædeceſſore, Pontificatum concordi Cleri populique ſtudio adeptus eſt. Erat enim vir multæ eruditionis, raræ eloquentiæ, & ſanctitatis, ut Anaſtaſius, Platina, & Ciaconius, non diſſentiente Baronio teſtantur. LXXXVII. *Joannes vir egregius.*

Eodem anno quo Joannes Pontifex ad clavum Eccleſiæ ſedere cœpit, Juſtinianus Principum Germanorum potentia fretus, armisque Cacami Bavariæ ducis adjutus, Conſtantinopolim reverſus eſt. Rebus utcunque compoſitis & ſtabilitis, regni uſurpatores Tiberium & Leontium, à quibus imperio dejectus, naribusque mutilatus fuerat, inſpectante populo, interfici juſſit. Multos præterea ex complicibus vario mortis genere è medio ſuſtulit: plerosque primorum opprobriis affectos in carcerem conjecit, quorum de numero in dies ſingulos aliquem morti addixit, cùm nares emungendo illatæ injuriæ reminiſcebatur. Callinicum verò Patriarcham, cujus conſilio expulſus olim fuerat, effoſſis oculis Romam exulatum miſit, ejusque loco Cyrum Abbatem, cujus munificentia exul in Ponto vixerat, Patriarcham electum, ſuffecit. *Juſtinianus Imperium recuperat: hoſtes interficit.* *Callinicum Patriarcham lumine privat, & eliminat.*

U 2 Hoc

Fruſtrà agit cum Joanne de approbandis Canonibus in Conciliabulo ſtatutis.

Hoc modo vindictæ ſatur, concordiam cum Eccleſia Romana, à qua nonnullis annis vixerat alienus, renovare volens, duos ad Joannem Pontificem Metropolitas Romam legavit ad componendam diù agitatam de novis Canonibus editis nomine Sextæ Synodi controverſiam : cujus rei gratia Joannes Pontifex collegit Epiſcoporum Romæ Concilium, ex quo auditos Cæſaris Legatos, re infecta, dimiſit. Nam etſi juſta Imperatoris petitio videretur (nimirum ut ſancitos Conſtantinopoli in Synodo Canones Joannes Papa congregato Concilio examinaret, & quos congruentes orthodoxæ fidei reperiſſet, probaret & confirmaret, cæteros autem eidem adverſantes pro arbitrio refutaret) tamen cùm non deceret Sedis Apoſtolicæ majeſtatem, vel quid minimum comprobare, quod non in legitima Synodo ſancitum eſſet, eos Joannes nec ex parte voluit probare.

Joannes moritur.

Cæterùm Joannes Pontifex partim inſtauratis, partim ex integro ædificatis, ac nobiliſſimis picturis ac ſtatuis exornatis templis, diem ſuum obiit Romæ decimo ſeptimo Kalend. Novembris, anno Chriſti 707. Pontificatus ſui anno ſecundo, menſe ſeptimo, ſupra dies ſeptemdecim : ſepultus ad Sanctum Petrum ante altare Deiparæ Virginis Mariæ (quod nunc Sudarii dicitur) ab ipſo, dum viveret, extructum ornatumque.

SCRIPTA.

Ejus Scripta.

Scripſit Joannes Epiſtolas nonnullas : quarum unam dedit ad Juſtinianum Auguſtum, qua rationem reddit, cur Canones ſextæ Synodi illegitimè congregatæ non probarit. Aliam ad Epiſcopos Orientis ejuſdem argumenti. Plures ad Edilredum & Alfridum Anglorum Reges, ut conſtat ex Beda *lib. 5. cap. 20. Hiſtoria Anglicana.* Quæ etiam tomo 5. Conciliorum inveniuntur cum notis Binii.

ANNO CHRISTI DCCVIII.

Imperatore JUSTINIANO II. Auguſto

DE

SISINNIO Pontifice Maximo.

LXXXVIII.

Malè Siſinnius à Pontificum ſerie excluditur: & quare?

Nonnulli SISINNIUM, quem etiam Zoſimum appellant, natione Syrum à Romanorum Pontificum ſerie ſine cauſa excludunt, Joannique VII. Conſtantinum ſubſtituunt, prætermiſſo Siſinnio. Alii tamen, qui ex profeſſo Pontificum Romanorum Catalogum contexuerunt, Siſinnium poſt Joannem collocant, & rectè quidem : *neque enim*, ut ſcribit Panvinius, *plùs vel minùs vivendi ratio aliquem verum facit eſſe Pontificem, ſed vera atque legitima comitia, coronatio, & ordinatio.* Quare cùm Siſinnius omnium ſuffragio in comitiis legitimis Romanus Pontifex ſit declaratus

ratus, jure inter Romanos Pontifices ab omnibus recenſetur, licèt non niſi viginti dies (tot enim ab ejus electione uſque ad obitum intercurrère) ſediſſe dicatur.

Reliqua Siſinnii Papæ, ex Platina deſumpta, Ciaconius his verbis proſequitur. *Siſinnius, Joannis filius, Syrus, Juſtiniano II. Auguſto Imp. ſedit dies* XX. *creatus* XV. *Kal. Novembris, & conſecratus* X. *Kal. ejusdem menſis, adeò podagra & chiragra laboravit (qui ſunt moleſtiſſimi & recurrentes corporis morbi) ut nec ambulare, nec cibum per ſe capere poſſet. Attamen animo & viribus conſtantiſſimus erat, & ita Reipublica Chriſtiana curam geſſit, ut nihil, vel ante Pontificatum, vel in ipſo magiſtratu, quod egregium Pontificem deceret, intermiſerit. Jam enim materiam omnem paraverat, qua & Urbis mœnia, & templa vetuſtate collapſa in meliorem formam reſtitueret, celebrioraq; redderet. Verùm dum magna & ingentia molitur, ſubita morte correptus, qua cogitaverat, perficere non potuit. Moritur octavo Idus Novembris anni 707. & ad S. Petrum ſepelitur.* Hactenus Ciaconius.

Ejus vita ſynopſis ex Platina & Ciaconio.

Baronius in annorum & temporum ſupputatione Ciaconio longè accuratior ſcribit, Siſinnium ad ſummi totius Eccleſiæ Paſtoris gradum evectum, XV. Kal. Februarii anni 708. eumque obiiſſe ſeptimo Idus, ſeu die 7. Februarii ejusdem anni. Baronii ſententiam velut certiorem amplectitur Oldoinus in additionibus Ciaconianis, lapſumque errore Ciaconium circa tempus electionis, & obitûs Siſinnii, juxta chronologiam Baronii emendat. Cæterùm ob brevem ſedem nihil ſcripſiſſe litterarum invenitur Siſinnius, quamvis Doctum fuiſſe dubitandum non ſit.

Quandomortuus credatur.

ANNO CHRISTI DCCVIII.

Imperatoribus Juſtiniano II. & Philippico Bardane Auguſtis.

DE

CONSTANTINO I. Pontif. M.

COnſtantinus, Joannis filius, Syrus natione, poſt Siſinnium LXXXIX.
in Petri ſolium evectus, tantæ humilitatis & manſuetudinis fuit, ut licèt throno cæteris eminentior appareret, omnium tamen humillimus ſpiritu eſſet, nec niſi pater amantiſſimus, ac paſtor mitiſſimus audiret. Hic triennio illo, quo primùm ſedere cœpit, cùm ingens fames Urbem & accolas extremè affligeret, pauperes, peregrinos, viduas, pupillos, ne rerum inopia perirent, apertis horreis, ac profuſis opibus, ſumma benignitate ſuſtentavit.

Animi demiſſione, & liberalitate in pauperes clarus.

Sub initium regiminis Conſtantini, mortuo Damiano Archiepiſcopo Ravennate, Felix Cleri ſuffragio ſuffectus eſt. Moris jam tum erat, ut Epiſcopi antequam conſecrarentur, fidei rationem atque obedientiæ ederent, eamque in pontificium Tabularium cautionis loco referrent. Felix autem ad conſecrationem faciendam profectus, cauſam defectionis & tumultus quærens, rationem ex inſti-

Felix Ravennatum Antiſtes Romano Pontifici rebellis.

inſtituto non edidit, ſed potentia Romanorum Judicum fretus eam pro arbitrio expoſuit, ac domum reverſus, Ravennates ab obedientia Romani Pontificis, propoſita antiqua ſedis ſuæ libertate & dignitate, avertit. Ea res per Apocriſarios Conſtantini Juſtiniano Imperatori relata, vehementer eum offendit. Quid igitur? Expeditur cum ingenti Claſſe Ravennam verſus Theodorus Patricius eo fine, ut Felicem Romani Pontificis imperium detrectantem in ordinem redigeret. Claſſis ad oram Ravennatum appulſa, variis pugnis cum Ravennatibus decertavit, breviqúe Urbem cum civibus & Archiepiſcopo in deditionem accepit. Qui in crimine erant, aut vita, aut exilio, aut fortunis mulctati. Archiepiſcopus autem, malorum omnium cauſa, catenis vinctus, Conſtantinopolim devectus eſt. Quem Juſtinianus luminibus priùs orbatum in Pontum ceu rebellem relegavit. Nequaquam tamen hanc ſævitiam in virum Eccleſiaſticum exercitam Conſtantinus Pontifex probavit, mitiori medio hominem ad ſanitatem reductum exoptans. Felix ſexennio exul, malorumque, quæ patiebatur, ſatur, pœnitentia ductus ſolemnem fidei & obſequii profeſſionem ad Pontificem miſit, veniamqúe factorum deprecatus, ſedi ſuæ, quamvis luminibus orbatus, eſt reſtitutus. Atque ita iterata ſæpiùs Ravennatum Præſulum contumacia, memorabili exemplo, ultore Deo, caſtigata eſt.

Per Juſtiniani claſſem capitur, luminibus orbatur, & proſcribitur.

Correctus reſipiſcit, & obedientiam præſtat.

Inter hæc Juſtinianus celebri fama Conſtantini Pontificis illectus, videre eum, cumqúe eo de rebus Eccleſiæ ac imperii conſilia inire cupiens, miſsâ epiſtolâ, ut ſe conveniret, obſecravit. Haud abnuit Pontifex, ratus congreſſum hunc rationibus Eccleſiæ perutilem fore. Itaque conſcenſis properè navigiis cum inſigni Præſulem corona itineri ſe commiſit. Mandata edidit Juſtinianus, ut quocunque diverteret Pontifex, gratis omnia ſubminiſtrarentur, ipſeque non aliter, ac ſi Cæſar adeſſet, à Magiſtratibus ſuſciperetur, colereturque. Conſtantinopolim appropinguanti, Tiberius Juſtiniani filius, & Cyrus Patriarcha, ingenti nobilium virorum utriusqúe ſtatus caterva ſtipati, ad octavum uſque lapidem obviam proceſſerunt, ac fauſtis acclamationibus exceptum, ad Placidias Auguſtorum Ædes incredibili cum pompa deduxerunt.

Juſtinianus Pontificis videndi cupidus, eum Conſtantinopolim accerſit.

Conſtantinus Papa ubique honorificè excipitur.

Juſtinianus de adventu Pontificis à Tiberio certior factus, alteram eidem ex Bythinia miſit epiſtolam, rogans eum, Nicomediam accedere ne gravaretur, nam ſe illuc prima quaque diè Nicæâ progreſſurum. Profectus eſt ergo Nicomediam Conſtantinus Pontifex, regio honòre & cultu ab illa quoque Civitate exceptus. Nec multò poſt Juſtinianus ipſe advenit. Inauditus poſt hominium memoriam Pontificis Imperatorisque iis in partibus congreſſus vicinos omnes populos ad viſendum tantum ſpectaculum concitavit. Juſtinianus digno Cæſare apparatu Urbem ingreſſus, ad Pontificem ex compoſito eum expectantem acceſſit, fixoque ſacris ejus pedibus oſculo, Imperii diadema inter feſtivos plauſus de genu ab eodem accepit. Summo omnibus hæc Principum concordia gaudio fuit. Inde ad ſuas Pontifex ac Cæſar ædes digreſſi, poſteros dies variis de Eccleſia & Imperio conſtituendo ſermonibus traduxerunt.

Nicomedia Juſtinianum coronat.

Placuit

Placuit demum utrique, ut res divina ſolemni more in principe Baſilica à Pontifice fieret. Qua peracta, Imperator ritè expiatus, ac dominico corpore refectus, priſca Romanæ Eccleſiæ privilegia, adjectis etiam novis, confirmavit, Pontificemque muneribus donatum, exoſculatumque Romam cum lætitia dimiſit.

Muneribus cumulatus Romam revertitur.

Monuerat Pontifex, antequam diſcederet Conſtantinopoli, Juſtinianum, ſerioque obteſtabatur, ne quid in Philippicum, Cherſone tùm exulantem, gravius decerneret; quòd virum illum magni animi, & verſipellis ingenii eſſe intellexerat, veritus, ne turbas & in Imperio & Eccleſia concitaret, ſi vel ſemel arridentem fortunam nactus fuiſſet. Verùm Juſtinianus, neglecto benè monentis Pontificis conſilio, (urgentibus eum fatis) Claſſem commeatu & milite inſtructiſſimam eo animo in Pontum mittit, ut Philippicum, cujus nocendi artes timuerat, caperet, captumque interficeret. At contrà accidit. Nam Philippicus corruptis magno ære ducibus Juſtiniani, totam Claſſem ſic votis obſequentem habuit, ut eâdem uſus, duodecimo ab urbe Conſtantinopoli millario, Juſtinianum & Tiberium commiſſo prælio vicerit, amboſque captos interfecerit.

Juſtinianus Pontificem benè monentem non audit: hinc in maximas calamitates devolvitur.

Interficitur à Philippico.

Hac defunctus laniena Philippicus, ſtatim à militibus Cæſar acclamatur, urbeque regia ac Imperio, nemine obſiſtente, potitur. Tum ad ſtabiliendum imperium converſus, relegato in Pontum Cyro Patriarcha orthodoxo, in ejus locum Joannem Monachum hæreſiarcham ſufficit. Cujus perverſa dogmata ſacrarum cultui imaginum contraria ſtatim Romam miſit cum mandatis, ut omnium conſenſu approbarentur. At Conſtantinus Pontifex ingenita animi fortitudine uſus, habita mox Synodo, non modò Philippici & Joannis Monachi ſacrilegas opiniones improbavit, verùm etiam decretum edidit, ut ſanctorum Patrum imagines, qui ſex Conciliis Oecumenicis interfuerant, in porticu beati Petri depingerentur, cùm intellexiſſet, eas à Philippico è parietibus ſanctæ Sophiæ, ignominiæ causâ, abraſas fuiſſe.

Philippicus Cæſar acclamatur.

Cultum SS. Imaginum edicto proſcribit: ei adverſatur Conſtantinus.

Porrò Petrum Patricium ab Imperatore ad exequenda de abolendis imaginibus mandata Romam miſſum, Romani pro inſito pietatis ſtudio averſati, nequaquam in Urbem recipiendum ſtatuerunt. Cumque ob eam rem acriter, nec ſine ſtragibus utrinque dimicaretur, Pontifex cædem averſatus, ad dirimendam pugnam Sacerdotes cum ſacris Evangeliis & Cruce Domini immiſit. Eorum interventu tumultus ſedatus, ita tamen ut pars Petri Patricii, amiſſis quam plurimis, ſuperata diſceſſerit. Et quia ſtatuas quoque, & imagines templorum omnium Philippicus tolli, præcipitari, comminui, exurique præceperat, decrevit Senatus Populuſque Romanus, ne hæretici Imperatoris nummi, nevè litteræ à quoquam in poſterum ſuſciperentur. Pontifex quoque ipſe ſtatuit, ne nomen ejus in ſacris myſteriis peragendis proferretur.

Hinc turba, & cædes.

Senatus Hæretio Imper. adverſatur.

Inter hæc Anaſtaſius cognomento Arthemius à fidelibus ſtimulatus, ſumptis armis Philippicum ſacra profanis impiè miſcentem aggreditur, captumque effoſſis oculis ſolio deturbat, longiusque proſcribit, Ipſe verò rerum potitus, bonorum omnium conſenſu

Philippicus effoſſis oculis proſcribitur ab Anaſtaſio.

ſenſu Auguſtus ſalutatur anno 715. Cùm autem Conſtantinus Pontifex audiſſet ſublato hæretico Imperatore Anaſtaſium Catholicum in Oriente regnare (à quo paulò pòſt Orthodoxam fidei profeſſionem per Exarchum miſſam acceperat) eundem in Catholicam communionem acceptum, in Album Orthodoxorum Cæſarum, ut pro eo univerſa oraret Eccleſia, referri voluit: ad quem etiam ex more Michaëlem Presbyterum Cardinalem Legatum ſeu Apocriſarium miſit, ut Conſtantinopoli eſſet, qui Auguſtum in fide contineret, quique auctoritate Apoſtolica lapſos Orientis Epiſcopos pœnitentes Catholicæ Eccleſiæ conciliaret. quorum maximum fuiſſe numerum ex Theophane Græco Auctore compertum eſt.

Conſtantinus Anaſtaſios favet.

Anaſtaſius in monaſterium detruditur.

Exacto in Imperio trienno Anaſtaſius Imperator à rebelli milite ſpretus imperio dejicitur, cogiturque à Theodoſio, qui in ejus locum ſuffectus eſt, ſacros ordines recipere, inque monaſterium migrare: ut ſacris initiato, votiſque monaſticis obſtricto, reſumendi imperii ſpes omnis incideretur. Theodoſius autem Orthodoxiæ additus, miſſâ protinùs ad Conſtantinum fidei formulâ, demolitas à Philippico imagines, aras, ac ſtatuas reſtitui priſtino loco juſſit. Non multò pòſt, mores Conſtantinopolitanorum, fluxamque Græcorum fidem pertæſus, repudiato imperio, ſponte ſua cum filio in Clericum tondi, ſacræque militiæ adſcribi in monaſterio voluit; ut quæ aliis captivitas eſſet & pœna, ſpernenti imperium libertas foret & præmium.

Theodoſius Imp. ſponte ſua Monachus fit.

Alii Reges monachi facti.

Sunt qui ſcribant Cœnredum Merciorum Regem, & Saxonum Orientalium Reges duos, Offam ſcilicet, & Olaum Romam voti ac religionis cauſa ad luſtranda Apoſtolorum limina veniſſe, quos Conſtantinus manantibus præ gaudio lachrymis paterno ſinu excepit, regieque cultos ad propria dimiſit. Horum duo divino afflati numine, abdicatis terrenis regnis, Monachum induti, Chriſto deinceps (cui ſervire, regnare eſt) tranſcripti memorantur.

Conſtantinus ſancto fine quieſcit.

Conſtantinus autem Pontifex ſenio, meritis, ac ſanctis operibus clarus, poſtquam Petri navim annos octo, ſupra menſem unum, & dies viginti, integerrimè rexiſſet, ſancto fine quievit Tertio Idus Februarii, anno redempti orbis 716. Sepultus more majorum ad S. Petrum.

S C R I P T A.

Ejus Scripta.

Epiſtolam ſcripſit ad Edaldum Epiſcopum Viennenſem, quæ invenitur in Bibliotheca Floriacenſi, & in Antiquitatibus Joannis Lieuræi: hujus Epiſtolæ mentionem faciunt Andreas Duchenius in vita, & Jacobus Suvertius in Edaldo. Scripſit quoque ad Auguſtos Juſtinianum, Philippicum, Anaſtaſium, Tiberium, & Joannem Patriarcham Conſtantinop. ut ex Coccio in Theſauro, & Baronio in Annalibus colligitur.

Google

ANNO CHRISTI DCCXVI.
Imperatore LEONE ISAURICO Auguſto.

DE

S. GREGORIO II. Pontif. Max.

SAnctus Gregorius hujus nominis II. patria Romanus, Marcelli filius, ex Monacho S. Benedicti Diaconus Cardinalis à Conſtantino Papa creatus, poſt ejus obitum ſumma Cleri ac Populi concordia, ob ingentes, quæ in eo luxêre virtutes, electus eſt Romanus Pontifex. Tantæ fuit integritatis, fidei, eruditionis, & ſanctitatis, ut omnibus, qui virum noverant, admirationem injiceret. Plures doctiſſimos Hæreſiarchas de rebus fidei periculoſas quæſtiones in medium proferentes, doctrinæ nervo, ingenii acumine, eloquentiæ facundia, cognitione & vi ſcripturarum, Conſtantinopoli ita convicit, ut elingues, ſanosque reddiderit. XC. *Vir doctrina & ſanctitate celebris.*

Ubi autem Gregorii creatio Orientalibus innotuit, Joannes Conſtantinopolitanus ad eum ex more Synodalem Epiſtolam ſcripſit, qua ipſe, aliique cum eo Epiſcopi à Romano Pontifice communionem Catholicam ſuffurari tentabant: ſed eos tanquam hæreticos ipſe Pontifex eſt averſatus, quin & ipſum Pſeudopatriarcham Joannem è throno deponendum curavit per Michaëlem Cardinalem, qui Conſtantinopoli Apocriſarii munere fungebatur. *Joannem Pſeudopatriarcham deponi curat.* Neapolitanos propoſito præmio contra Longobardos infenſiſſimos Romanæ Eccleſiæ hoſtes excitavit: partâ victoriâ, præmia, quæ fuerat pollicitus, præſtitit; arcem Comæ, quæ potiſſima belli cauſa extiterat, cæſo hoſtium præſidio, in fidem recepit. *Neapolitanos in Longobardos excitat.*

Pace itaque foris parta, Gregorius reparandis tum ſacris, tum profanis locis animum adjecit: mœnia Urbis magna ex parte vetuſtate collapſa inſtauravit: trabes Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Sancti Laurentii extra muros annoſitate quaſſas reſtituit; renovatis tectis ac parietibus, introductisque de more aquis, compaginatis fiſtulis, jam dudum vetuſtate, hominumque incuria vitiatis. *Eccleſias & monaſteria reparat, & exornat.* Alias quoque Eccleſias ruinam minitantes reparavit, muneribusque tum aureis, tum argenteis exornavit, quæ longum eſſet enumerare. Non reticebo tamen, reſtitutum ab eo maximis ſumptibus Monaſterium, via Oſtienſi poſitum non longè à Baſilica Sancti Pauli (cujus ruinas adhuc cernimus) Inſtauratumque etiam Cœnobium beati Andreæ Apoſtoli, quod Barbaræ nuncupatur: ibique diſpoſitos ab eo Monachos eſſe, qui die noctuque laudes Deo decantarent. Plura id genus pietatis monumenta commemorat Anaſtaſius Bibliothecarius in vita, qui conſuli poteſt.

Hujus prætereà ſanctiſſimi viri laus peculiaris eſt, quòd ejus opera Germani ad orthodoxam fidem ſunt converſi, miſſo eò ſancto Bonifacio Monacho, qui eos è tenebris, propoſita veritatis luce, educeret. Hic poſteà ob innumeras gentes Chriſto in Germania *Germaniam per S. Bonifacium ad fidem convertit.*

X partas

partas *Germanorum Apoſtolus* dictus, ſedique Moguntinæ præfectus, tranſactâ non ſine miraculis vitâ, Nonis demùm Junii anno 755. martyrii laurea pro Chriſti nomine decoratus eſt. Qui interrogatus aliquando, an liceret in ligneis vaſculis ſacramenta conficere, illud ſcitè dictum protulit: *Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur; nunc è contrariò lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus.* Hujus vitam eleganter deſcripſit Nicolaus Serarius *lib. 3.* Rerum Moguntinarum, Surius item, & Raderus in Bavaria ſancta *cap. 25. fol. 71.*

S. Bonifacii notab. dictum.

Leo Iſauricus Imp. Catholicum ſe ſimulat.

Anno Chriſti 716. octavo Kal. Aprilis, abdicante ſe Theodoſio Imperatore (ut numero præcedenti innuimus) Leo Iſauricus Imperii habenis receptis, ne quid prætermitteret, quod præſtare ſolerent Orthodoxi Imperatores, exigente S. Germano Patriarcha Conſt. nuperin exauctorati Joannis locum ſuffecto, juravit ſe fidem Catholicam illibatam in omnibus ſervaturum, & Epiſtolam ſcribens ad Gregorium Romanum Pontificem, de ſua eum promotione reddidit certiorem, fideiq; ſuæ orthodoxam confeſſionem adjungens, ex more ab eo Catholicam communionem expetiit. His acceptis Gregorius, qui & litteris Germani Patriarchæ de ſincera fide Imperatoris pariter fuerat admonitus, Apoſtolicas ad eundem Imperatorem litteras reddidit, quibus ſignificabat, ſe illum ut Eccleſiæ filium benignè ſuſcipere, & curaturum, ut ubique in Occidente Principes Chriſtiani amicitiæ fœdere ipſi jungerentur, & tunc factum ut miſſæ Romam Imagines ejuſdem Imperatoris, quas *Laurata* nominare conſueverant, à Civibus magno fuerint honore ſuſceptæ; utque idipſum in Provinciis præſtaretur à Principibus Chriſtianis, æquè ejuſdem Gregorii opera curatum eſt. Habentur hæc omnia fuſiùs explicata ab ipſo Romano Pontifice in ea, quam ad ipſum Imperatorem ſcripſit, Epiſtola.

Prodit venenum, quod pectore geſſit.

Deflexit tamen poſteà Leo Auguſtus à fide, quàm initio ſui Imperii jurejurando promiſerat: & Gregorii Legatos contra jus gentium detruſos priùs in carcerem damnavit exilio, ubi & eos mori coëgit: ipſi Gregorio ſæpè mortem molitus eſt, ſed in caſſum, nam ſæpiùs ne perficerent, quod urgente Leone tentabant, à Deo graſſatores repulſi ſunt. Leo poſthæc venenum latens in pectore, quod parârat in perniciem omnium fidelium, tandem palàm foras evomuit, edictumque adversùs ſacras Imagines, quod promulgarat in Oriente, miſit in Occidentem. His auditis Gregorius, ubi pro Religione certamen eſſe cognovit, alacriori animo deſcendit in prælium, Ipſique anathema minatus, fortiùs toto conatu reſtitit, & omnes ubique excitans Chriſtianos pro legitimis Sacris ad mortem uſque certare, ſcriptis Apoſtolicis litteris, quibus profanum & ſacrilegum damnaret edictum, longè lateque divulgavit, quibus veluti claſſico cœlitùs audito, omnes excitati fideles adverſus impium Legiſlatorem protinùs inſurrexêre, tanto quidem animi fervore ut ab ipſo fuerint Pontifice cohibendi, ne torrentis inſtar influerent in Orientem ad exturbandum ſolio tyrannicum Imperatorem. Solemne ſtatim tributum, ne Leoni ſolverent Occidentis incolæ, vetuit Gregorius, nevè Exarchus nova tributa exigeret. Chriſtiani autem, qui

Ei viriliter reſiſtit Gregorius.

qui in regia Urbe vivebant, pietate ſingulares, & innocentia vitæ conſpicui,(imò matronæ,virgineſque multæ)pro ſacrisImaginibus, gladio capitibus abſciſſis palmam martyrii conſecuti ſunt, die nona Auguſti: qua die in Tabulis Eccleſiaſticis eos adſcriptos Græci anniverſaria commemoratione celebrant. *Sequitur martyrium utriusq; ſexus fidelium.*

Porrò ira ſuccenſus Leo arma in Occidentem contra Gregorium parans, muneribus Longobardorum duces ad ſe trahere omni ſtudio ſatagebat. Sed quibus adversùs ſacrilegum Imp. Gregorius ſe potiſſimùm defenderit armis, ab Anaſtaſio percipias: *His ita ſe habentibus, elegit majus præſidium Pater ille pauperibus diſtribuere largiſſima manu, quæ reperiebat: incumbens orationibus, jejuniis, Litaniis, Deum quotidie deprecabatur, ſpeq; iſta manebat ſemper fultus, pluſquam ab hominibus; gratias tamen voluntati populi referens pro mentis propoſito, blando omnes ſermone, ut bonis in Deum proficerent actibus, & fide perſiſterent, rogabat; & ne deſiſterent ab amore, & fide Romani Imperii, admonebat. Sic cunctorum corda molliebat, & dolores continuos mitigabat.* Hucuſque Anaſtaſius. *Leo Longobardos in Gregorium concitare ſatagit.*

Legatione deinde ad Carolum Martellum cum muneribus miſsâ fœdus cum Francis iniit ea conditione, ut ſi opus eſſet, in Italiam ſe Carolus conferret, & Eccleſiæ Romanæ defenſionem, contra impugnantem eam Leonem, ſuſciperet. Profuerunt iſta ſaluti totius Italiæ; ſiquidem cùm ſancita hæc cum Carolo innotuiſſent Orienti, abſtinuit Imperator inferre in Italiam arma, magni quippè nominis ob ingentes præclaraſque victorias Carolus ubique terrarum erat, utpotè qui Sarracenos nuper in Aquitaniam irrumpentes ſuperaſſet, atque interfecto eorum Rege ingenti ſtrage eos affeciſſet. *Gregorius Carolum Martellum in auxilium vocat.*

Leo intereà minas ac cædes ſpirans, inito cum Luitprando Longobardorum Rege fœdere, cladem Urbi, & Gregorio exitium minabatur: affuit tamen divinum auxilium, quo machinamenta hæc omnia citò fuêre diſſoluta: id, quommodo acciderit, ab Anaſtaſio audiamus: *Eutychius Patricius, & Luitprandus Rex inierunt conſilium nefandum, ut congregato exercitu Rex ſubjiceret Duces Spoletinum, & Beneventanum, Exarchus Romam; & quæ pridem de Pontificis perſona juſſus fuerat, adimpleret, nempe ut eum occideret. Qui Rex Spoletum veniens, ſuſceptis ab utroque Duce ſacramentis, atque obſidibus, cum tota ſua cohorte in Neronis campo convenit,*(erat locus iſte propè Baſilicam Vaticanam) *ad quem egreſſus Pontifex, eiq; præſentatus, ſtuduit, ut potuit, Regis mollire animum conventione pia; ita ut ipſe Rex ſe proſterneret ad pedes ejus, & promitteret nulli inferre læſionem: atque ſic ad tantam compunctionem ipſe piis monitis flexus eſt, ut, quæ fuerat indutus arma, exueret, & ante corpus Apoſtoli poneret mantum, armillam, baltheum, ſpatam, atque enſem deauratum, nec non coronam auream, & crucem argenteam. Poſt orationem factam obſecravit Pontificem, ut memoratum Exarchum ad pacis concordiam ſuſcipere dignaretur: quod & factum eſt. Et ſic receſſit, Rege declinante à malis, quibus inierat conſilium cum Exarcho.* *Ope divina ab hoſtium inſidiis liberatur.*

Itaque eluſis divino auxilio Leonis artibus, ſacrilegus Imperator ad nova vertitur conſilia perdendi Gregorium: quid igitur? Marino Spathario ſuo, homini præferoci, & ad quælibet audenda parato, (quem Ducem Romæ crearat) ſecreta mandata proficiſcenti dedit, *Leo in caſſum Gregorio mortem molitur.*

Digitized by Google

dedit, ut quocunque modo poſſet, Gregorium circumventum occideret. Accinctus jam itineri Marinus erat, impia furentis Principis juſſa executurus, cùm ecce repentina (aperto Dei miraculo) apoplexia corripitur, lectoque captus omnibus membris defigitur, nec diù ſuperviҫturus Conſtantinopolim ad tumbam defertur. Tam luculento ſigno nihil motus Leo, in ſententia obſtinatus perſiſtit, mittitque Paulum Exarchum in Italiam cum iiſdem mandatis: ſed re maturè detecta, conjurationis ſocii à Romanis comprehenſi, ultimo ſupplicio ſunt affecti; ipſeque Paulus cum filio, fervente tumultu, interfectus.

Furit in cultores SS. Imaginum: reprehenditur à Gregorio: denique anathemate defigitur.

Id ut reſciit Leo, in furorem actus, tota regia Urbe, execranda iterum mandata promulgat, quibus omnibus præcipitur, ut ſimulachra ſanctorum ænea, lignea, marmorea ad ſe deferant: delata ſtatim comminuit, & incendit: non deferentes capit, & obtruncat. S. Germanum Patriarcham id potiſſimùm improbantem in exilium pellit, in ejuſque locum Anaſtaſium impietatis ſuæ fautorem ſufficit. Quem poſteà Gregorius, Synodo Romæ habitâ, privatum ab officio divino ſemovit. Sæpiùs præthereà, ut Sanctiſſimum virum decuit, graviſſimis litteris Imperatorem admonuit, ut omiſſis improborum erroribus, veram tandem amplecteretur fidem, & abolere ſanctorum Imagines deſineret, quorum memoriâ & exemplari ad virtutem & imitationem excitarentur homines: His de rebus ſtatuere & decernere non ad Reges pertinere, ſed ad Pontifices atque Concilia, quibus ligandi ſolvendique poteſtas à Salvatore fuiſſet concredita. Principum eſſe, civilia adminiſtrare; Paſtorum atque Doctorum Eccleſiaſtica. Hæc & alia plura Gregorius Leoni. Quem denique, quod inſanire haud deſiſteret, mulctatum parte Imperii, anathematis gladio jugulavit.

Gregorius ſanctè moritur, & numero ſanctorum adſcribitur.

Ipſe verò Gregorius, qui ſuo exemplo, vitæque ſanctimonia omnes ad virtutem, fideique conſtantiam incitabat, relicta ingenti gloria doctrinæ, ſanctitatis, & rerum, quas tam proſperè, quàm piè pro dignitate Eccleſiæ adminiſtravit, ſupremum vitæ diem clauſit Idibus Februarii, anno ſalutis 731. Pontificatus ſui anno quinto decimo, vel, ut Baronio placet, ſexto decimo Sacrum ejus corpus miraculis coruſcans in Baſilica Vaticana honorificè ſepultum eſt. Sanctorum Albo adſcriptus, hoc elogio in Martyrologio Romano celebratur: *Idibus Februarij Romæ ſancti Gregorii Papæ ſecundi, qui Leonis Iſaurici impietati acerrimè reſtitit, & ſanctum Bonifacium ad prædicandum Evangelium in Germaniam miſit.*

SCRIPTA.

Ejus Scripta.

Scripſit Gregorius varias eaſque doctiſſimas Epiſtolas, quarum Sexdecim annotarunt Nicolaus Serrarius, & Severinus Binius tom. 5. Conciliorum, ex Codice Rerum Venetarum Andreæ Danduli Ducis Veneti partim deſumptas.

Prima harum eſt ad Turpinum Rhemenſem Epiſcopum, qua res à Carolo Martello Francorum Rege contra S. Rigobertum Epiſcopum geſtæ, irritæ declarantur.

II. Ad

II. Ad S. Bonifacium Germaniæ Apoſtolum, qua ejus ſtudium in converſione gentium dilaudat.

III. Ad Carolum Martellum, ut S. Bonifacium in ſuam reciperet, fidem, & clientelam.

IV. Ad Boreales Epiſcopos & Duces.

V. Ad univerſum Clerum, & populum Germaniæ, & Franciæ.

VI. Ad nobilès Confeſſores Thuringos, ut in Chriſti fide conſtanti animo perſeverent.

VII. Catechiſtica ad populum nondum Chriſtianum, qua hortatur ut ſacrum Baptiſmum recipiat.

VIII. Ad Antiquos Saxones.

IX. Ad S. Bonifacium, ut in meſſe ſibi commiſſa alacriter laboret, & cœli præmia à Deo expectet.

X. Ad S. Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum, qua ei victoriam de Iconomachis reportatam gratulatur, & ſacras Imagines venerandas eſſe demonſtrat.

XI. Ad Urſum Ducem Venetorum pro Ravenna contra Longobardos defendenda.

XII. & XIII. Ad Leonem Iſauricum Imp. pro ſacris Imaginibus.

XIV. Ad S. Bonifacium, qua reſpondet ad Conſultationes ab eo ſibi propoſitas.

XV. Ad Serenum Forojulienſem Epiſcopum de Gradenſi Eccleſia non invadenda.

XVI. Ad Donatum Gradenſem Patriarcham, ejuſque ſubditos, ſignificans de invadendis alienis Provinciis Forojulienſi Epiſcopo interdictum eſſe.

Duæ hujus Pontificis Epiſtolæ aſſervabantur M. S. Græcè in Bibliothecis Heidelbergæ, & in illa Cardinalis Lotharingiæ, quas depromſit, & Latinas reddidit P. Fronto Ducæus S. J. Legitur etiam tomo 5. Conciliorum ex Codice M. S. vetuſtiſſimo Monaſterii Weingartenſis *Capitulare* Gregorii Junioris ſeu ſecundi, datum Martiniano Epiſcopo, Georgio Presbytero, aliiſque in Bavariam ablegatis. Liturgiam quoque compoſuiſſe fertur, quæ extabat olim Græcè Conſtantinopoli in Bibliotheca Patriarchali unà cum Liturgiis SS. Baſilii Magni, & Joannis Chryſoſtomi, teſte Antonio Verdero: eam ex Arabico in Latinum vertit Victorius Scialac Arculenſis Maronita, ſed an hæc Liturgia ſit iſtius, an alterius Gregorii? nihil certi habemus. Joannes à Boſco in Bibliotheca ſua Floriacenſi refert Gregorii II. Epiſtolam ad Auſtrobertum Archiepiſcopum Viennenſem, ſicuti & Joannes Lieuræus in Antiquitatibus Viennenſibus: ſed Jacobus Suvertius in eodem Auſtroberto ſuſpicatur hanc Epiſtolam eſſe Gregorii III. & non II. Multi tamen fide digni Auctores legitimam Gregorii II. exiſtimant. *Gregorii Liturgia dubia.*

Scripſit inſuper, teſtibus Trithemio, & Petro Ricordato in Hiſtoria Monaſtica, Librum Reſponſionum ad Juſtinianum: alium librum contra Leonem Iſauricum: & rursùm alium contra Joannem Conſtantinopolitanum. Ejus autem Decreta extant Tomo 5. Conciliorum cum notis Binii, & Frontonis Ducæi S. J.

ANNO CHRISTI DCCXXXI.

Imperatoribus LEONE III. Iſaurico, & Conſtantino VI. Copronymo Auguſtis.

DE

S.GREGORIO III. Pontif.Max.

XCI. Sanctus Gregorius III. natione Syrus, patre Joanne, juſtis ſancto Prædeceſſori perſolutis, omnium conſenſu Pontificatum iniit eo anno, quo Conſtantinus Leonis Iſauri filius, à conſpurcato baptiſmate dictus *Copronymus*, à patre in conſortium Imperii aſſumptus memoratur. Fuit autem Gregorius, atteſtante Platina, vir ſingularis doctrinæ, & humanitatis præcipuæ: Græca atque Latina lingua apprimè eruditus, ſenſum divinæ Scripturæ ita callens, ut nemo tum diſertior prædicatione; nemo rerum admirabilium occultarumque interpretatione aptior haberetur. Prætereà, ne verbo tantùm & cohortatione populos moviſſe videretur, omnia, quæ exemplo movere poſſunt, ita aſſiduè ſtrenueque obibat, ut difficile dictu ſit, promptiornè lingua, an opere extiterit. Orthodoxæ verò fidei tam acer fervidusque defenſor fuit, ut ob eam rem graviſſimas maximorum Principum ſimultates & inimicitias ſuſcipere non dubitaverit: non armis, non potentia, non minis, non pollicitationibus cujuſpiam, è gradu ſuæ conſtantiæ dejectus. Tantæ demùm humanitatis & pietatis in omnes fuit, ut & pauperes catervatim ſe adeuntes mira charitate complecteretur, profuſiſque eleemoſynis foveret; peregrinos ſuſciperet; captivos redimeret; ære alieno nexos ſolveret; viduas atque pupillos, ne à potentibus circumvenirentur, tutaretur: adeò ut verè omnium parens ac paſtor meritò vocaretur. Id certè exploratum: ipſum ſanctiſſimo deceſſori Gregorio, nec doctrina, nec moribus, nec animo imparem; nec prudentia, zelo, pietateque aut ullo virtutum genere inferiorem fuiſſe.

Vir doctus, humanus, magnanimus, fortis, ſanctus

Pius & miſericors Pater in omnes.

Gregorius ſtatim atque Pontificatum iniit, cultum ſanctarum Imaginum, qui ab Imperatoribus Leone & filio fœdè impugnabatur, ante omnia defendendum exiſtimans, plenas Apoſtolico vigore ad eos litteras ſcripſit, à ſacrilego conatu eos dehortans, & ad pravam opinionem abjiciendam paternè invitans. Cùm verò delatores litterarum contra jus gentium opprobriis affecti carceribus mandarentur, annoque integro, Leonis juſſu in cuſtodia detinerentur, Gregorius injuriam edoctus, juſtaque ira incenſus, coacto Romæ in Laterano nonaginta trium Epiſcoporum conventu, facta relatione, ex eorum ſententia Leonem III. Imp. Conſtantinopolitanum imperii parte ſimul & communione fidelium (exemplo Prædeceſſoris) privavit, privatumque publicis tabulis declaravit, quòd ſpretis Apoſtolicis monitis, ſanctas Imagines ſacrilego auſu è ſacris ædibus abraſiſſet, Divorum ſtatuas demolitus eſſet, maleque inſuper

Leonem Imp. fruſtrà admonitum imperio privat, & damnat.

per de *Homuſio* ſentiret. Tum ſancitum decretum illud : *Si quis poſthac, contra veterem Catholicæ Eccleſiæ uſum, ſacrarum venerationem Imaginum improbare, oppugnare, & abrogare attentaverit, ſit extorris à corpore & ſanguine Domini noſtri JEſu Chriſti, alienusq; ab unione totius Eccleſiæ ſanctæ Dei.* *Decretum adverſus Iconoclaſtas.*

His cognitis Leo Imperator, indignè ferens ſe non ſolùm Romana ditione exutum, ſed piorum etiam communione pontificali decreto ejectum, comparato exercitu, Pontificem ac Romanos tranſmarinis vexare legionibus ſtatuit. Itaque anno ſalutis 732. Claſſem commeatu & milite inſignem per Siciliam in Italiam miſit, ac Ducibus, ut Eccleſiam bello, rapinis, vaſtationibus, incendiis impeterent, Pontificemque nullo dato veniæ loco cum complicibus interficerent, imperavit. Verùm divinâ providentiâ, quæ periclitanti Eccleſiæ nunquam deeſt, factum, ut obortâ ſubitò ſævâ tempeſtate, tota Claſſis, poſtquam ſinum Hadriaticum attigit, procellis ac fluctibus diù jactata, demum fœdo naufragio abſorpta perierit. Quo intellecto Leo in furias actus, toto Oriente in cultores ſacrorum delubrorum ineffabili crudelitate debacchatus eſt. Nam poſt exactos in exilium innumeros Sacerdotes, Monachos, Præſules, fideli plebi haud parcens, centena hominum millia promiſcui ſexus, exquiſitis ſuppliciis diſcruciata, neci tradidit, cœloque Martyres tranſmiſit. *Leo cū claſſe in Italiam movet: omnia rapinis accedibus complet: divina ultione naufragium facit.*

Intereà Luitprandus Rex imperandi cupiditate motus, exercitum è Ducatu Spoletano in Romanum agrum traduxit, captiſque pluribus Eccleſiæ oppidis, Urbem ipſam arctâ obſidione cinxit. Gregorius tot malis circumventus, cùm ſolus obſiſtere hoſti non poſſet, miſſâ ad Carolum Martellum legatione cum litteris, & clavibus Confeſſionis B. Petri, eundem in auxilium & defenſionem laborantis Romæ, & Eccleſiæ, his verbis compellavit. *Conjuro te, Princeps Chriſtianiſſime, per Deum vivum & verum, & per ipſas ſacratiſſimas claves Confeſſionis Beati Petri, quas tibi ad regimen direximus, ut non præponas amicitiam Regis Longobardorum amori Principis Apoſtolorum; ſed velociùs ſub nimia feſtinatione ſentiamus, poſt Deum, tuam conſolationem ad noſtram defenſionem; ut in omnibus gentibus declaretur veſtra fides, & bonum nomen &c.* Carolus, quanto ea res & ſibi & ſucceſſoribus honori futura eſſet, intelligens, quòd primus è Francis à Pontifice Romano eſſet ad amicitiam expetitus, Legatos Apoſtolicos magnificè juxtà ac liberaliſſimè excepit, & fœdere cum Eccleſia juncto, eos omni honore cultos unà cum Legatis ſuis Romam remiſit, datis muneribus, quæ Pontifici redderent; & mandatis quæ ad Luitprandum Regem in cauſa belli Romani deferrent. Grata Luitprando ea Legatio fuit, Caroloque petenti, ut ſoluta obſidione, Romana ditione pacificè decederet, obtemperavit. Oppida tamen, quæ occupaverat, ſibi retinuit. Gregorius in libertatem Caroli Martelli beneficio aſſertus, præſtiti obſequii haud immemor, eum *Chriſtianiſſimi* titulo primus omnium illuſtravit: quem deinde honorificentiſſimum titulum ejusdem regni Regibus ſummi Pontifices ob egregia ipſorum Regum in Eccleſiam Romanam merita, perenniter tribuendo, proprium iisdem fore, decreverunt. *Luitprandus Romam obſidet: Gregorius Martelli opem implorat.* *Martellus Luitprandū obſidione removet.* *Titulum Chriſtianiſſimi conſequitur.*

Tum

Gregorius multa præclarè operatur.

Gregorius tum ad ſacra converſus, Eccleſias, Monaſteria, Oratoria, Cœmeteria quamplurima, partim collapſa reſtituit, partim ex integro ædificata dotavit, exornavitque. Clerum optimis legibus inſtruxit: Diaconorum Cardinalium numerum auxit, quatuordecim Regionariis alios quatuor, *Palatinos* nominatos, addendo, qui Romano Pontifici ſacris operanti ſemper adeſſent. Monaſticam diſciplinam hinc inde lapſam ad primævum vigorem reduxit, additâ regulâ (ut Valafridus Strabo, & Platina ſcribunt) qua Monachi integrè ac ſanctè viverent. Inſtituit præterea, ut ferè ſine intervallo & à Presbyteris hebdomadariis, & à Monachis in Eccleſia Sancti Petri divina officia celebrarentur: unde apparet, Monachorum & Presbyterorum ſæcularium domicilia multis in locis contigua fuiſſe, qui ſancta æmulatione moti, Deo quàm diligentiſſimè deſervirent.

Conſtantinopolis horrendis motibus concutitur.

Anno Domini 740. per Novembrem & Decembrem Urbs regia Conſtantinopolis horrendis motibus contremuit, quibus Templa, Palatia, Turres, atque alia publica monumenta cum privatis domibus deciderunt, ac innumeri mortales ruinis ædificiorum oppreſſi perierunt. Deo ſeverè, ut creditum eſt, impiam ſanctarum Imaginum abolitionem vindicante; ipſumque Leonem Auguſtum pro flagitiis & ſacrilegiis ad tartara depoſcente: obiit namque mox

Leo Iſauricus perit.

anno ſequenti, morte peccatorum peſſima, in hæreſi & execratione: cui ſucceſſit Conſtantinus filius dictus *Copronymus*, patre peſſimo longè deterior, ac deteſtabilior, ut ſuo loco dicturi ſumus.

Gregorii ſanctus obitus.

Gregorius verò benè de Deo, de Eccleſia, deque hominibus meritus, anno ſui Pontificatus decimo, menſe nono ſupra dies duodecim, ſancto fine quievit die 24. Novembris anni 741. ſanctorum faſtis ob eminentem vitæ ſanctitatem adſcriptus, & ſepultus in Oratorio, quod ipſe conſtruxerat in Vaticano. Sub cujus regimine diem ultimum in Domino obierunt, ſanctitate & doctrina

Aliorum SS. virorum obitus.

clariſſimi viri, Beda Venerabilis Angliæ decus, & Eucherius Epiſcopus Aurelianenſis. Inas quoque Weſt-Saxonum in Anglia Rex religioſiſſimus, qui ditiones ſuas omnes Romanæ Eccleſiæ vectigales eſſe voluit, juſsâ quaque domo pendere ſancto Petro in Succeſſoribus denarium annuum. Sed poſteri tributum ſanguinis exigent, & Eccleſiæ militantis diſpendio, triumphantem ditabunt.

Gregorium inter Scriptores Eccleſiaſticos collocant Trithemius, Bellarminus, & alii. Trithemius hoc ei elogium contexuit:

Laus Gregorii ex Trithemio.

Gregorius Papa III. vir pius, clemens, atque ſanctiſſimus, & tam in ſæcularibus litteris, quàm in divinis Scripturis eruditiſſimus, Græca & Latina eloquentia inſignis, habita Romæ Synodo Leonem Iſauricum, Imagines ſanctorum contemnentem excommunicavit, ac de Imperio depoſuit. Meliùs alii, parte Imperii privavit.

S C R I P T A.

Ejus Scripta.

Scripſit Librum unum *Commonitorium* dictum, ad Leonem & Conſtantinum Auguſtos, ad eoſdem Librum alterum, & contra eoſdem alium.

Excer-

Excerptum item, ſeu Tractatum de diverſis criminibus, & eorum remediis, ex dictis Sanctorum Patrum compilatum: extat hic Tractatus tomo 2. Bibliothecæ Patrum editionis ſecundæ, ſeu tomo 6. editionis tertiæ vel quartæ.

Epiſtolarum item Volumen ad diverſos, quarum ſeptem leguntur tomo 5. Conciliorum. Prima & quinta ad S. Bonifacium Germaniæ Apoſtolum datæ; quibus reſpondet ad illius conſultationes. Secunda ad Epiſcopos, Abbates, & Principes Germaniæ: Tertia ad Optimates ejusdem Germaniæ: Quarta ad Epiſcopos Bavariæ & Alemanniæ: Sexta & ſeptima ad Carolum Martellum Francorum Principem, ut Romanæ Eccleſiæ contra Longobardos Italiam vaſtantes auxilium ferat. Harum quinque dumtaxat inveniuntur in Collectione Franciſci Joverii, & in ſecundo tomo Epiſtolarum Decretalium. Una Gregorii Epiſtola ad Urſum Venetorum Ducem legitur apud Sabellicum Ennead. 8. libro 7. Litteras etiam dedit ad Calliſtum Patriarcham veteris Aquileiæ, ut occupatas Inſulas, & res Gradenſis Eccleſiæ reſtitueret: has litteras recitant Baronius, & Ughellius ex Dandulo.

Scripſit etiam Sermones ſacros, & Orationes aliquot panegyricas de Sanctis, non minùs pias, quàm utiles, excuſas olim in Italia. Quæ tamen hodiè (atteſtante Oldoino) non inveniuntur.

ANNO CHRISTI DCCXLI.

Imperatore Conſtantino VI. Copronymo Iconomacho Auguſto.

DE S. ZACHARIA Pontif. Maximo.

Zacharias Polycronii Pontinii filius, natione Græcus, Siberenæ magnæ Græciæ, hodie *Sancta Severina* dictæ, Urbe natus, Monachus quondam S. Benedicti, in demortui Gregorii locum, octavo ab ejus obitu die, omnium conſenſu ſubrogatus eſt. Fuit autem Zacharias vir mitiſſimi ingenii, miræ ſuavitatis & gratiæ, eruditionis magnæ, ac omni virtute, ut Platina ſcribit, prædītus: Cleri populique Romani amator eximius; ad iram tardus, ad miſericordiam & clementiam promptiſſimus, nulli malum pro malo reddens, ſed ad imitationem Salvatoris malum in bono vincens, adeò quidem, ut quos anteà habuerat æmulos & inimicos, eoſdem poſteà inito Pontificatu honoribus & præmiis affecerit. Atque his virtutibus viam ſibi ad Pontificatum aperuit, annumerandus inter optimos, quos unquam Eccleſia habuit, Pontifices. XCII.

Vir ſanctus, mitis, doctus, & clemens.

Cùm autem initio ſui Pontificatus ardentem bellis Italiam offendiſſet, Legatos de pace componenda ad Luitprandum Longobardorum Regem, bello tum Traſamundum Spoletanum Ducem perſequentem, miſit. Verùm cùm ob averſum Regis animum nihil à Le-

Zacharias Luitprandū adit: oratione placat: pacem impetrat: ab-

lata Eccleſiæ oppida recipit.

à Legatis ea de re fieret, ipſemet Pontifex Deo fretus, comitante Clero Romano, in Sabinos proficiſcitur. Ferunt autem octavo à Narnia milliario Regem Pontifici honoris cauſa obviam factum ex equo deſcendiſſe, ac pedibus virum ſanctiſſimum equitantem in Urbem comitatum fuiſſe. Qui ſequenti die inter Miſſarum ſolemnia orationem publicè habuit, & quidem elegantem, qua oſtendit, quid maximè Regem Chriſtianum, ſive pacem ſeu bella gerat, deceret. Ea oratione ita permotum Regis animum ferunt, ut ſimul hominis eloquentiam & ſanctitatem miratus, haud ægrè, quæcunque poſtulaſſet, indulſerit, eidemque arbitrium omne componendæ pacis ultrò commiſerit. Nam & quatuor oppida, Ameriam, Ortam, Polimartium, & Bledam, annis ſuperioribus ablata, cum captivis omnibus citra pretium reſtituit; & fœdus cum Eccleſia in viginti annos valiturum percuſſit. Quin etiam adeò pontificio nomine eſt affectus, ut ultrò Sabinenſe Patrimonium, aliaſque Eccleſiæ civitates, oppida, caſtella, vicoſque à Longobardis ſpatio triginta annorum vi, aut defectione capta reſtituerit. Negotio ex animi ſententia cum Luitprando confecto, Pontifex Romam reverſus, populum lætitiâ geſtientem ad gratias Deo agendas incitavit, inſtitutâ in hunc finem publicâ ſupplicatione ab æde Dei Genitricis Mariæ ad Martyres, uſque ad Baſilicam Vaticanam.

Carolomannus à Zacharia in monachum tondetur.

Anno Chriſti 746. Carolomannus Pipini frater abdicato Franciæ Principatu, Romam ad Pontificem cum honeſtiſſimo Francorum optimatum comitatu profectus, multa eximia dona Beato Petro Apoſtolorum Principi obtulit. Ibique ſolitariæ vitæ deſiderio ac religionis ſtudio incenſus, inque Monachum à Pontifice tonſus, ædificato in monte Soracte in honorem S. Silveſtri monaſterio, Caſſinum ſe recepit, ac Cœnobita factus, rigida ſe ſancti Benedicti Regula devinxit.

Monaſteriũ Caſſinenſe readificatũ conſecrat: privilegiis & muneribus donat, ac denique immune ab omni juriſdictione pronunciat.

Cæterùm Monaſterium Caſſinenſe à Longobardis exuſtum Petronax Abbas, adjuvantibus Gregorio II. & III. inſtaurare cœpit, eidemque ultimam manum, opitulante Zacharia Pontifice, impoſuit. Abſoluto ædificio Zacharias magna Præſulum corona ſtipatus eò perrexit, ac poſtero ineunte anno (qui fuit Chriſti 748.) Ædem S. Benedicti, præſentibus tredecim Archiepiſcopis, ac ſexaginta & octo Epiſcopis, ſolemni ritu inauguravit, eidemque Monaſterio Codicem ſanctæ Regulæ, ab ipſomet ſanctiſſimo Patriarcha Benedicto manu propria ſcriptæ, unà cum plurimis aliis ad divinum miniſterium ſpectantibus ornamentis dono dedit; ipſum verò monaſterium ab omni Epiſcopali juriſdictione ac ſubjectione, edito deſuper diplomate, perpetuò liberum pronunciavit. Id quod etiam Leo Cardinalis Oſtienſis in ſua Caſſinenſi Hiſtoria, de Zacharia mentionem faciens, in hæc verba teſtatur: *Ab hoc etiam beato Pontifice Caſſinenſis Abbas Petronax privilegium primus accepit, ut Monaſterium illud cum omnibus cellis ſibi pertinentibus ubique terrarum conſtructis, ob honorem & reverentiam ſanctiſſimi Patris Benedicti ab omnium Epiſcoporum juriſdictione liberum ſit, ita ut nullius juri ſubjaceat, niſi ſolius Romani Pontificis.*

Mortuo Luitprando Longobardorum Rege, viro liberali, pio, & ju-

& juſto, ſucceſſit in Regno Adelprandus nepos ex fratre, quo quidem poſt menſes ſex defuncto, Rachis dux omnium ſuffragiis ſceptri Longobardici Rex decernitur, vir certè omni laude dignus, ſi vitam ejus, ſi mores, ſi animi integritatem æſtimes. Cum hoc fœdus, jam anteà cum Luitprando ictum, redintegravit Pontifex miſſis eum in finem Legatis, quibus omnia ex animi ſententia Rex pius, & religionis amator clementiſſimè conceſſit. Poſt quartum verò regni ſui annum cupidine tactus videndi Pontificis, & ſacra limina viſendi, ductis ſecum uxore & filia, Romam adiit. Productus in conſpectum Zachariæ Pontificis, ipſum de more ad terram proſtratus adoravit: Vix credibile divini numinis, ac tacitæ religionis vim ignorantibus videatur, Pontificia majeſtate, quæ divinæ in terris locum obtinet, uſque adeò captus eſt, ut repentino religionis amore flagrans, abdicato regno, Clericus ipſe factus, monaſticæ ſe vitæ cum uxore & filia devoverit: Pontifice cum cæteris, tam hominem laudibus ad cœlum efferentibus, quàm ad facti magnitudinem ſtupeſcentibus. Habitu monachali pontificia manu ſumpto, mox Caſſinum ad vitæ reliquum ſub regula divi Benedicti degendum conceſſit. Quem regia conjux cum filia, ipſo permittente, ſecutæ, in Monaſterio Virginum non longè à Caſſino regiis ſumptibus ædificato, vitam ſanctiſſimè traduxerunt.

Mors Luitprandi: ſuccedit Rachis.

Romam tendit Zacharia videndi cupidus.

Abdicato regno, Ordinem D. Bened. cū uxore & filia ampleãitur.

Hoc eodem tempore (annus agebatur, ſuprà ſeptingenteſimum, Chriſti quinquageſimus primus) aliud à Zacharia Pontifice dignum memoratu opus eſt editum. Chilpericus Mœrovingorum ultimus, homo ignavus ſtupidusque, ſolo Regis nomine Francis præerat; Pipinus è contrariò Major domus omnem regni molem ſolus ſuſtentabat. Quod indignum eſſe Pipinus exiſtimans, miſſa ad Zachariam honorifica legatione (cujus caput erat S. Richardus Herbipolenſis Epiſcopus) Pontificem tanquam ſupremum Religionis caput conſuluit; uter ei regio faſtigio dignior videretur: isnè, qui otio luxuque languens, nihil ad communem Reipublicæ utilitatem afferret, an qui dies noctesque de regni ſalute atque cuſtodia ſolicitus cogitaret? Cui Zacharias, omninò ſe Regem illum judicare, qui non nudam dominantis ſpeciem præſeferret, ſed re ipſa regni commodis & incolumitati conſuleret & invigilaret. Tum rogatus Pontifex à Legatis Pipini, populoque Francorum, Decretum pro magnitudine poteſtatis interpoſuit, quo regnum Chilperico ut inerti parumque idoneo abrogavit; & Francis religionis ſacramento ſolutis, ut Pipinum Regem ſubſtituere poſſent, copiam fecit. Hoc decreto muniti Franci, ad comitia publica progredientes, exauctorato Chilperico abdicatoque, Pipinum Regem conſentientibus omnium animis deſignarunt, eumque anno ſalutis 751. Sueſſione in Gallia à S. Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino ritè inunctum, corona & ſceptro condecorarunt. Chilpericus depoſitus, ne Pipino negotium faceſſeret, in Monachum tonſus ad clauſtra relegatus eſt. Galliæ enim tum maximè periclitanti, viro opus erat ſagaci & forti, qualem Pipinus præſeferebat. Victoriæ tamen Caroli Martelli, Pipini parentis, in omnium oculis poſitæ, Francos ad id maximè moverunt. Scio ex Scriptoribus hæterodoxis nonnullos

Chilpericus homo ignavus.

Pipinus regnum ambit: conſulti& pontificem.

Regnum Chilperice abrogatur, & in Pipinum transfertur.

Zacharias rem Decreto firmat.

Excuſatur.

nullos eſſe, qui Chilperici Regis depoſitionem, & electionem Pipini vitio Zachariæ Pontifici vertant, atque hanc mutationem ex mera, ut ipſi loquuntur, Papæ libidine factam criminentur. Sed injuriâ; Zacharias enim conſultus nil aliud, quàm Francorum interrogatis reſpondit, reique auctoritatem decreto dedit: res verò ab ipſis Francis inchoäta, perfectaque eſt, exigente id juſtitia, ne regnum ſub ignavo capite penitùs interiret. Id ipſum innuere videntur Francorum Annales in hæc verba: *Zacharias Papa à Francis conſultus rogatusq́, ex auctoritate S. Petri Apoſtoli, qua Dei eſt, mandat populo Francorum ſub ignavo Chilperico periclitanti, ut Pipinus, qui poteſtate regia utebatur, nominis quoque dignitate frueretur. Ita Chilpericus Rex depoſitus, & in Monaſterium truſus; Pipinus Rex ſalutatus, in Civitate Sueſſionum à S. Bonifacio Germanorum Apoſtolo in Regem unctus.* Si iniqua hæc poſtulatio, aut regni mutatio viſa fuiſſet, non utique tres ſanctiſſimi viri Zacharias, Richardus, & Bonifacius in partem criminis vocari ſe paſſi eſſent. Sed his omiſſis ad reliqua Zachariæ transeamus.

Carolomannus corpus D. Benedicti è Cœnobio Floriacenſi Caſſinum transfert.

Carolomannus Monachus Caſſinas Pipini Regis frater cum ſelecta religioſorum ſui ordinis virorum manu, ſub id ipſum tempus Romam ad Zachariam venit facultatem ab eo petens, ut ſibi corpus S. Patris Benedicti furto ablatum, atque in Monaſterio Floriacenſi Regni Franciæ collocatum, repetere liceat. Annuit perquam benignè juſtis Carolomanni precibus Pontifex, datisque litteris ad Pipinum Regem, eum hortatus eſt, ut pateretur Monachos corpus S. Benedicti repetere. Pipinus Pontifici juxtà ac fratri Carolomanno gratificaturus, datis ad Floriacenſes mandatis, juſſit ſacrum pignus iniquè ablatum protinùs reddi. Quod acceptum, ſummoque honore Caſſinum devectum, à Carolomanno in priſtinum locum repoſitum eſt. Negant tamen vel hodiedum Floriacenſes Monachi, reſtitutum fuiſſe. At Definitiones trium ſummorum Pontificum Alexandri II. Urbani II. & Benedicti VIII. id apertè teſtantur, anathematizantes eos, qui contrarium ſentiunt. Quin & ipſum Divi corpus aſſiduis Caſſini miraculis coruſcans, infallibili Pontificum ſententiæ ſuffragari videtur.

Zacharias Eccleſiam Mogunt. in Metropolim erigit.

Zacharias litteris à S. Bonifacio Archiepiſcopo per Dencardum Presbyterum miſſis, reſcripſit; eidemque Pallia direxit, ut Epiſcopis Metropolitanis, quos per Germaniam conſtituerat, Romani Pontificis nomine daret: & Concilium Germaniæ, quod inſtante Carolomanno nondum ſacris initiato celebraverat, confirmavit. Moguntinam quoque Eccleſiam, Metropolim dato diplomate ad eundem Bonifacium, conſtituit. Juſſit & univerſim, ne Sacerdotes velato capite, ſacro adſtarent Altari.

Romæ Templa erigit: reficit: ornat.

Romæ ac alibi Templa plurima, Oratoria, Cœnobia, & Cœmeteria partim excitavit, partim collapſa reſtituit, quorum quædam facultatibus, prædiis, ac bonis locupletavit, quædam privilegiis & exemptionibus auxit, quædam variis donis ac ornamentis ex auro, argento, gemmisque confectis, exornavit.

SS. Imagines renovat.

Multas prætereà ſanctorum reliquias, in Lateranenſi Patriarchio inventas, ne incultæ jacerent, per præcipuas Urbis Eccleſias diſtribuit. Divorum Imagines ve-

tuſta-

tuſtate exoletas renovavit, publicæque venerationi expoſuit. Bibliothecam B. Petri comparatis undique libris confecit & inſtruxit. Annuum vectigal unicuique Baſilicæ, unde oleum pro lampadibus emeretur, aſſignavit. Ampliſſimum quoque cenſum pro alendis perpetuò pauperibus in Laterano inſtituit. Clerum optimis legibus à ſe munitum unicè dilexit, annuoque donativo in capita erogando recreavit. Deſcribunt hæc omnia ſingulatim præter Anaſtaſium Bibliothecarum Platina, Baronius, Ciaconius, Oldoinus & alii. *Bibliothecã conſtruit.* *Clerum legibus munit.*

Obiit denique vir ſanctiſſimus Idibus Martii Romæ, anno ab orbe redempto 752. poſtquam Chriſtianis ſacris ſumma integritate & vigilantia præfuiſſet annos decem, menſes tres, dies ſexdecim: annumeratus inter divos, & ſepultus ad S. Petrum. Cujus natalis annua commemoratione ab Eccleſia Latina & Græca Idibus Martii recolitur. *Sanctiſſimè moritur.*

S C R I P T A.

Exaravit Epiſtolas doctrina & ſanctitate inſignes quamplurimas, quarum quatuordecim refert Binius tomo 5. Conciliorum. Primam dedit ad Bonifacium Germaniæ Apoſtolum, qua confirmat tres Epiſcopos ab eo ordinatos, & poteſtatem facit congregandæ Synodi; ac nonnullis ejus conſultationibus reſpondet. Secundam ad Vittam Epiſcopum Eccleſiæ Barbarenæ, qua conſtitutam ejus ſedem confirmat, & aliqua obſervanda præſcribit. Tertiam ad omnes fideles Germaniæ, ut Bonifacii imperium in rebus fidei exequantur, utque Sacerdotes, & Clerici ſe veros Dei miniſtros exhibeant, & Synodum quotannis celebrent. Quartam ad Bonifacium, qua gratulatur de fructu ejus prædicationis: pallia, & confirmationem Metropolitanis ab eo ordinatis tribuit, & uſum Pallii docet; quorundam hæreticorum damnationem laudat. Quintam ad eundem Bonifacium, qua ſe ab impactis calumniis purgat. Sextam ad eundem de non reiterando baptiſmate. Septimam ad Pipinum Regem, & Epiſcopos Galliæ. Octavam, Nonam, & Decimam ad Bonifacium, quibus Synodi in Gallia celebratæ acta confirmat, nonnulliſque ejus petitionibus ſatisfacit. Undecimam ad omnes Epiſcopos orthodoxos, ut in charitate & fide perſeverent, & hæreticorum conſortia devitent. Duodecimam, & Decimam tertiam ad Bonifacium, quibus Moguntinam Eccleſiam in Metropolitanam erigit, & variis conſultationibus reſpondet. Ultimam ad eundem Bonifacium, qua Monaſterium Fuldenſe à ſe conſtructum nullius juriſdictioni ſubjectum voluit. Joannes à Boſco, & Joannes Lieuræus unam ad Auſtrobertum Archiepiſcopum Viennenſem ſcriptam, præter laudatas, volunt. *Ejus Scripta.*

Præterea Dialogorum libros S. Gregorii Magni è Latino in Græcum ſermonem Græcus ipſe convertit, ut ex illis diſcerent ſui benè recteque vivendi normam. Extant hi Romæ in Vaticana, & Viennæ Auſtriæ in Imperiali Bibliotheca manu ſcripti. *Dialogorum libros Græcè vertit.*

ANNO CHRISTI DCCLII.

Imperatore CONSTANTINO VI. Copronymo Iconomacho Auguſto.

DE

STEPHANO II. Pontifice Max.

XCIII. STEPHANUS hujus nominis Secundus, natione Italus, patria Romanus, *Vir ingentis ſpiritus & animi*, ut eum Ciaconius appellat, duodecimo poſt obitum Zachariæ die, omnium votis ex Monacho D. Benedicti Romanus Pontifex eligitur. Hic quarta die creationis ſuæ, cùm magna in emolumentum Eccleſiæ Catholicæ animo verſaret, ſubita morte oppreſſus expiravit, ante adeptam conſecrationem. Leo Oſtienſis in Chronico antiquo Monaſterii Caſſinenſis, prætermiſſo hoc Pontifice, Stephanum, qui ei ſucceſſit, ſecundum nominat, licèt revera Tertius extiterit. Leonis errorem ſecuti alii, illum ob breviſſimum vitæ ſpatium, quo in Pontificatu vixit, à ſerie Romanorum Pontificum prorſus excludunt. Perperàm utique: neque enim longior, aut brevior vitæ periodus, Pontificem facit, ſed legitima comitia, & electio. Cùm igitur conſtet Stephanum legitimè in Pontificem electum, nulla ratio ſuadet, ut è numero Pontificum, etſi horam tantùm vixiſſet, expungatur. Obiit autem die tertia Kalendas Aprilis anni 752. quarta ſedis ſuæ die, ſepultus ad S. Petrum in Vaticano. Nihil ſcripſiſſe reperitur.

Vix electus decedit.

Malè à nonnullis à ſerie Pontif. excluditur.

ANNO CHRISTI DCCLII.

Imperatore CONSTANTINO VI. Copronymo Iconomacho Auguſto.

DE

STEPHANO III. Pontifice Max.

XCIV. STEPHANUS III. Romanus, defuncto patre Conſtantino, adhuc puer inter Clericos Eccleſiæ Lateranenſis ſub Gregorio II. & Zacharia Romanis Pontificibus educatus, ac per ſingulos ordines uſque ad Diaconatum perductus, poſt Stephani II. obitum miro omnium conſenſu & acclamatione ad ſupremum Sacerdotium evectus eſt. Erat autem vir ſingularis religionis & prudentiæ, eruditus, comis, benignus, pius, amator Cleri, pauperum pater, Eccleſiarum conditor, doctrinæ Chriſtianæ diligens propagator, fidei defenſor inſignis, animo fortis, candidus, magnanimus, rebus in agendis conſtans, virilis, zeloſus, infractus, minimeque pertinax. Placare enim Aiſtulphum Longobardorum Regem

Hic vir per omnia egregius, Pontifex eligitur.

gem agros Romanorum & fines bello vexantem primò quidem verbis & muneribus conatus eſt: nam tributum iniquiſſimum ſibi Rex avariſſimus penderi volebat à populo Romano, quotannis aureo in ſingula capita conſtituto. Quod niſi præſtarent, ultimum Pontifici, Urbi, ac populo excidium minatus eſt: admoto interim ad terrorem Urbi exercitu. Unde Pontifex coactus ad externa auxilia confugere, ad Conſtantinum Imperatorem Conſtantinopolim Legatos mittit, qui auxilium petant contra Aiſtulphum totam Italiam vexantem, & Ravennam Exarchatus ſedem, magnamque Flamineæ partem jam occupantem.

Aiſtulphum Regem adverſarium habet

Conſtantini Imp. auxilia fruſtrà implorat.

Verùm cùm id fruſtrà ac ſæpiùs tentaſſet (averſo enim animo in Pontificem & Romanos Conſtantinus erat ob defenſum ab iis ſacrarum imaginum cultum) Pontifex, conſulto Purpuratorum & Magiſtratuum ſenatu, ad Pipinum Franciæ Regem proficiſci inſtituit. Mittuntur itaque Legati in Galliam ad Pipinum, qui Aiſtulpho mandet, ut Pontifici tutò liceat obſeſſâ Urbe exire, iterque ſuum in Galliam proſequi. Poſtulata conceſſit Aiſtulphus Pipini rogatu. Stephano autem jam fines Regni Franciæ attingenti, Carolus Pipini filius (cui poſteà à rebus præclarè geſtis *Magno* cognomentum fuit) ad centeſimum lapidem, honoris causâ, fit obviàm. Idem facit & Pipinus Rex tertio ab urbe lapide, qui ex equo deſcendens, & pedes ſanctiſſimi viri exoſculatus eſt, & à fræno equi, quo Pontifex vehebatur, pedes ipſe nunquam diſceſſit, donec hominem in Urbem perduceret, & in cubiculo, ubi manſurus erat, collocaret. Locus autem diverſorii Pontificis fuiſſe Cœnobium S. Dionyſii teſtatur Sigebertus in Chronico ad annum 753. his verbis: *Pipinus cum ingenti cura, honore, & diligentia ſanctiſſimum Papam hyemare precepit in Monaſterio ſancti Dionyſii Martyris.* Qui Pontifex intereà tam ex itinerum laboribus, quàm ex injuriis temporum lapſus in graviſſimam ægritudinem, deſperata cùm eſſet valetudine, medicorum judicio, omnem ſuam fiduciam, & ſpem in Deum, & Sanctos ejus, qui ibi colebantur, glorioſiſſimos martyres repoſuit: Cùm itaque ſe in Eccleſiam nocte quadam ad implorandum cœleſte ſuffragium deferri mandaſſet, precibusque ardenter inſtaret, obortâ ſubitò luce, oranti per viſum apparent Principes Apoſtolorum Petrus & Paulus, & cum illis unà templi Præſes ipſe Dionyſius, & hic quidem gracili & procero corpore, vultu amœno, coma candida, tunica nivea, pallio conchyliato, ſtellulis aureis intertexto, & hi inter ſe hilari lætoque vultu ſermocinantes, Dionyſio medendi munus deferunt. Tum palmam, & thuribulum manu geſtans, cum ſymmiſtis ſuis Ruſtico Presbytero, & Eleutherio Diacono, qui ſeorſum adhuc ſteterant, ad ægrum Pontificem propiùs accedit, ſalutansque ait: *Pax tecum frater, noli timere, non enim morieris, donec ad ſedem tuam proſperè revertaris*: tum impoſita languentis capiti manu; *Surge*, inquit, *ſanus, & hoc Altare in honorem Dei, & Apoſtolorum ejus, quos vides, dedica, miſſas gratiarum agens.* His dictis Cœlites diſparuêre: ipſe verò Pontifex tam inſigni miraculo reſtitutus, Pipinio & optimatibus rei ſerie denarrata, mandatum Dionyſii exequi, demonſtratamque Apoſtolorum Aram in Dei, & Apoſtolorum ipſorum hono-

Pipinum adire ſtatuit.

Honorificè ſuſcipitur.

Ægrotat, ſed divinitùs curatur.

S. Dionyſium conſpicuum habet.

Aram ſibi demonſtratam conſecrat.

honorem conſecrare ſtuduit. Sacris ritè operatus, pallium Apoſtolicæ dignitatis monumentum, & claves ob venerationem prærogativæ ejus, qui in ligandi, & abſolvendi pontificio, claves Regni cœlorum à Domino Jeſu Chriſto accepit, hic in memoria, & reverentia Principis Apoſtolorum dimiſit, atque in rei perenne indicium depoſuit. Annus tunc agebatur Chriſti 754. Stephani Romani Pontificis tertius, quo feliciter reductus ad Sedem per Chriſtianiſſimum Regem, quem in ipſa Baſilica S. Dionyſii cum filiis ſolemni ritu perunxerat, acceptas ex ipſius Templi ſacrario Reliquias aliquot beati ſui opitulatoris, Romam ad perennem obſervantiam aſportavit, ac monaſterium ædificare cœpit in ejusdem beati Dionyſii memoriam, illudque Græcis Aſcetis ad divinum famulatum committi voluit, multis pontificiæ clementiæ ſignis ac prærogativis decoratum.

Reliquias S. Dionyſii ſecum aſportat Romam, eidemq; celebre monaſterium condit.

Antequam autem Stephanus Romanum iter ingreſſus eſſet, Pipinus cum eo Cariſiacum profectus, habito ibidem cum Regni Proceribus conventu, de bello Longobardis, in favorem Eccleſiæ, inferendo retulit. Franci auditis Pipini rationibus, miro animorum conſenſu, decretum in Longobardos bellum approbant, ratumque habent. Tum Pipinus palam audientibus omnibus ; *Ego*, inquit, *ſi me Deus Longobardicæ Victoria compotem fecerit, polliceor me pro remiſſione peccatorum meorum impetranda, ac pro gratitudine, qua Deo & Eccleſiæ obſtringor, conteſtanda, Exarchatum & Pentapolim Republica Romana adempta, beato Petro, & legitimis ejus Succeſſoribus traditurum perpetuò poſſidenda.* Mox accerſito notario regio, quæ Deo & Eccleſiæ ſpoponderat, in tabulas publicas referri juſſit, quas & ſuo & filiorum præſentium Caroli & Carolomanni ſacramento, ut robur haberent, munivit.

Pipinus in favorem Eccleſiæ bellum Longobardis indicit.

Pipini juramentum.

Aiſtulphus intereà veritus, ne quid mali in ſe Stephanus Pontifex in Gallia molitus eſſet, Legatos cum muneribus ad Pipinum miſit, qui eum hortarentur, ne Stephani gratia bellum Longobardis Francorum amicis inferret. Pipinus veteri amicitiæ multùm tribuens, pacificum ſe fore promiſit, ſi quæ bello Eccleſiæ ablata fuiſſent, Aiſtulphus reſtitueret: ſecùs paratis ſe armis ea repetiturum. Non paruit ſanis admonitionibus Longobardus, Unde Pipinus, apparente jam vere, copias in Italiam movet, præmiſſis levis armaturæ militibus, qui Aiſtulphi præſidia è clauſtris alpium deturbarent. In planiciem deinde Inſubrum cum exercitu deſcendens, cùm longè ac latè omnia depopulatus eſſet, nemine obſtante, Papiam Longobardorum ſedem obſidione cingit, & oppugnat, Aiſtulpho, & qui cum eo in præſidio erant, acriter ſeſe defendentibus. At Stephanus Papa vir mitiſſimi ingenii , tot calamitatibus hominis pertinaciſſimi, & provincialium motus, pacem ultrò Aiſtulpho pollicetur, modò ablata reſtituat. Admiſit tandem oblatas pacis conditiones perterritus Aiſtulphus, & ſimulato animo plura etiam, quàm peterentur, interpoſito jurejurando promiſit. Hanc ob rem Pipinus ſatisfactum Pontifici arbitratus, ejusdem rogatu ſoluta obſidione in Gallias revertitur, Varreno viro ſtrenuo hujuſce pacis arbitro relicto. Eunt Romam Stephanus & Varrenus, arbitrati Aiſtul-

Aiſtulphum fruſtrà admonitum obſidet, ac in ordinem redigit.

Stephanus pacis amans.

Pipinus redit in Galliam.

Aiſtulphum firmata juramento promiſſa ſanctè præſtiturum. Sed ille ad priſtinum ingenium reverſus, abuſusque ſpatio, quod à Pipino ad reſtitutionem locorum impetraverat, non ſolùm nihil promiſſorum exolvit, verùm contractis undique copiis, tumultuario magis, quàm juſto exercitu, Romanum in agrum populabundus incurrit, loca omnia ſuburbana diripit, incendit, vaſtat, ipſamque Urbem Romam arctiſſima obſidione cingit, & impugnat.

Aiſtulphus perjurus Romam obſidet.

Rerum per celeres nuntios admonitus Pipinus, rogatur, ut Pontifici obſeſſo, urbique perfidia & rabie Aiſtulphi extremè laboranti non tardam opem ferret: nihil cunctatus Pipinus, exercitum quanta maximè poteſt celeritate comparat, nulloque intercurrente obſtaculo, rectà in Italiam per alpes deſcendit. Dum hæc aguntur, inſperatus adeſt Legatus Conſtantinopolitanus Gregorius, à Conſtantino Auguſto eo fine ad Pipinum miſſus, ut Exarchatum & Pentapolim, ſi recepiſſet, non Pontifici, ſed Imperatori, cujus eſſent, concedere ne gravaretur. Pipinus moram omnem abrumpens, Legatum in hæc verba expedit: *Se nullis præmiis humanis inductum, ſed divina promerenda gratia ſtudio inſlammatum Eccleſiam Romanam in fidem tutelamq; recepiſſe, quod id ad animæ ſuæ ſalutem, & peccatorum remiſſionem valiturum ſibi perſuaſiſſet: Exarchatum, & Pentapolim ſi recepiſſet, Sancto Petro, ejusq; Succeſſoribus traditurum ſe juraſſe: quare nulla ratione ampliùs adduci poſſe, ut fidem Deo fallat, officioq; decedat.* Hoc reſponſo Legatum querulum caſtris abire juſſit.

Pipinus præſto eſt.

Legatum Græcum paucis expedit.

Ipſe interim Papiam cum exercitu movens, fuſis fugatisque, qui urbem circumſteterant, Longobardis, Aiſtulphum intra mœnia hærentem tam acri obſidione preſſit, ut is extremum expugnationis, & excidii periculum pertimeſcens, de ineunda compoſitione, reſtituendisque Exarchatu & Pentapoli, adjecto etiam Comaclo seriò cogitaverit. Confectis itaque tabulis, datisque in cautionem obſidibus, redditur Pontifici cum Exarchatu Pentapolis: id eſt, quidquid Padum inter & Apenninum interjacet à Placentinis uſque ad ſtagna Venetorum: & quidquid intra Iſaurum flumen, Apenninum & Hadriaticum continetur: additis etiam iis locis, quæ Aiſtulphus in Sabinis & Hetruria ceperat. Pipinus autem abductis ſecum obſidibus, tamdiu ad radices alpium conſtiterat, donec deditio, pactorumque ſolutio Pontifici fieret, relicto Abbate Pholcado cum parte copiarum, qui Aiſtulphum in officio & fide contineret. Non prius alpes Pipinus tranſcendit, quàm intellexit Aiſtulphum promiſſis ſtetiſſe, ac paulò poſt inter venandum equo excuſſum, apoplexiâ, vel ut alii narrant, ab apro percuſſum, lethali vulnere interiiſſe. Deſiderius, qui dux Hetruriæ erat, contractis properè Longobardorum copiis, initoque cum Pontifice fœdere, regnum obtinuit, oppidaque nonnulla, Caballum, Ferrariam, Faventiamque, quæ nondum ab Aiſtulpho fuerant conſignata, Pontifici reſtituit. Atque ita Stephanus, divina humanaque ope adjutus, Exarchatu & Pentapoli potitus eſt. Ceſſavit poſteà nomen Exarchatus, qui centum & ſeptuaginta duraverat annos, à Narſete uſque ad captam ab Aiſtulpho Ravennam.

Aiſtulphum fuſo exercitu ad ſervanda pacta compellit.

Exarchatus & Pentapolis Stephano traduntur.

Aiſtulphi interitus.

Succedit Deſiderius.

Foris itaque parta pace, atque ditione Eccleſiæ Romanæ mi-

Stephani præclara opera. rum in modum aucta, Stephanus celebrata Synodo oves ſuas, atque earum Paſtores recenſet: delinquentes caſtigat, tamen ſervata clementia: errantes in viam rectam deducit: ignaros docet, & admonet: Quid deceat Epiſcopum, quid Presbyterum, quid denique omnes ſacris initiatos, proponit. Supplicationes præterea ac Litanias ad placandam Dei iram inſtituit: ac Baſilicas omnes ab Aiſtulpho, dum Urbem obſideret, comminutas refecit; non tamen recuperavit Sanctorum reliquias, ab eodem Rege Papiam delatas, mœrore ibique non indecorè in præcipuis Baſilicis collocatas.

Sanctè moritur. Finem vivendi fecit Stephanus, rerum geſtarum gloria, ac ſanctitate inclytus anno ſalutis 757. die vigeſima ſexta Aprilis, Pontificatus ſui anno quinto ſupra menſem unum: magno omnium ac luctu ad Sanctum Petrum in Vaticano tumulatus.

SCRIPTA.

Ejus Scripta. Scripſit Epiſtolas multas, quarum quinque inveniuntur tomo 5. Conciliorum: & tomo 9. Annalium Baronii. *Prima* eſt ad Hilduinum, qua quomodo in Galliis per ſanctum Dionyſium à lethali morbo ſanatus ſit, enarrat.

Secunda ad Pipinum Regem & Carolomannum fratrem de Aiſtulphi Longobardorum Regis iterata perfidia vindicanda.

Tertia ad eoſdem, ut contra perjurum Aiſtulphum Romam obſidentem arma pro Eccleſia moveant.

Quarta ſub nomine Petri Apoſtoli ad Francorum Reges, Duces, Epiſcopos, atque fideles contra Longobardos.

Quinta ad Pipinum Regem, de Longobardorum regno Deſiderio Tuſciæ Duci tradito. Harum nonnullas refert Jacobus Gretſeru S. J. in ſua Collectione Epiſtolarum Pontificiarum.

Ultra quinque enumeratas indigitat & ſextam accuratiſſimus Antiquitatis inveſtigator Victorellus, quam Stephanus ad Conſtantinum Copronymum dediſſe memoratur: qua impiam ejus pſeudoſeptimam Synodum Conſtantinopoli anno 754. à trecentis triginta & octo Epiſcopis hæterodoxis, adverſus ſanctarum Imaginum venerationem celebratam, reprobat & anathematizat.

Extant etiam aliquot Stephani Decreta, quæ citat & indigitat Ciaconius in vita: & quæ inveniuntur apud Decretorum Collectores.

ANNO CHRISTI DCCLVII.

Imperatoribus Conſtantino VII. Copronymo, & LEONE Auguſtis.

DE

S. PAULO I. Pontifice Maximo.

Sanctus

XCV.

SAnctus Paulus I. Romanus, Monachus quondam Benedictinus, Conſtantini filius, Stephani III. Papæ germanus frater, in Patriarchio Lateranenſi mores & Eccleſiaſticam doctrinam edoctus, inque ſacrum Purpuratorum Senatum à Zacharia Pontifice cum fratre Stephano adſcitus, mortuo fratre, miro omnium conſenſu Romanus Pontifex electus eſt. Ejus elogium Platina in hæc verba contexit: *Erat autem Paulus vir mitiſſimi ingenii, clementiaq; ſingularis, & adeò Salvatoris noſtri imitator, ut nulli unquam malum pro malo redderet, ſed è contrariò malos, à quibus injuria perſæpè afficiebatur, in bono vinceret.* Tantæ prætereà pietatis, & humanitatis fuit, ut intempeſtâ nocte cum duobus utplurimùm aut tribus familiaribus cubicula pauperum ægrotorum, lueque infectorum circuiret, unumquemque eorum & verbis & eleemoſynis ad recuperandam valetudinem, aut ad mortem piè obeundam cohortatus: carceres quoque frequenter adibat, indeque pleroſque ære alieno gravatos, perſoluto creditoribus pretio, eximebat: viduas atque pupillos vi & fraude cauſidicorum circumventos tuebatur, largoque ad victum aſſignato ſtipendo ſuſtentabat. Hæc privatim. Tum ad publica converſus, ſtatim atque Pontifex creatus eſt, Apoſtolicas litteras ad Pipinum Francorum Regem dedit, quibus obitum Stephani fratris, & ſuam in Pontificem aſſumptionem expoſuit, ſeque in amicitia ab eodem Stephano inita cum Francis perſeveraturum promiſit. Fœdus quoque cum Deſiderio Longobardorum Rege renovavit, & tranquillata Eccleſia per decennium ſat quietè Pontificatum adminiſtravit. Monaſterium S. Dionyſii Romæ à Stephano fratre ædificari cœptum, ſed morte ejuſdem interveniente imperfectum relictum, nobiliter conſummavit, & quoſdam Dei ſervos natione Græcos, aſſignatis annuis redditibus, illic collocavit, locumque ipſum *ad Martyres in Schola Græcorum* appellari præcepit, ut tradit Hugo Floriacenſis *in Hiſtoria Cæſarum.*

Frater fratri in Pontificatu ſuccedit.

Ejus vita ſanctitas.

Pacem cum Pipino & Deſiderio ſervat.

S. Dionyſii monaſterium perficit.

Novam quoque excitavit ædem Virgini Matri in Vaticano, cujus parietes (teſte Romano Canonico) optimo muſivo, & diverſis metallis exornavit. Et ex Anaſtaſio Eccleſiam in honorem ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli erexit. Corpus beatæ Petronillæ filiæ beati Petri in veteri Cœmeterio via Appia inventum capſa argentea incluſit, Cleroque ac populo congregato, magna celebritate in Vaticanum detulit.

Alia præclarè operatur.

Cùm verò fama in Galliis increbuiſſet, per ſanctiſſimum Pontificem Paulum plurima Sanctorum corpora è Cœmeteriis in Urbem eſſe tranſlata, eorum cupidi Franci, Sanctorum cultûs ſtudioſiſſimi, regium Legatum Romam ad Paulum miſerunt, rogantes, ut aliqua ex Sanctorum corporibus nuper inventis darentur in Gallias transferenda: functum tradunut hac legatione Crodogandum religioſiſſimum virum Metenſem Epiſcopum, corporaque (ſeu meliùs illorum partem) à Paulo obtinuiſſe ſanctorum Martyrum Gorgonii, Naboris, & Nazarii. Hac occaſione uſus Paulus, miſit inſigni dono ad Pipinum Chriſtianiſſimum Regem, Dionyſii Areopagitæ libros *Antiphonale*, & *Reſponſale*, necnon Ariſtotelis opuſcula m. ſ. magno pretio à Græcis comparata.

Galliæ Sanctorum reliquiis donat.

Anno

Tranſlatio Capitis S. Jo. Baptiſtæ.

Anno noſtræ ſalutis 760. (ut habent Græcorum Annales) Caput S. Joannis Baptiſtæ Præcurſoris à Monaſterio *Spelei* tranſlatum eſt in Templum ſuo nomini ſacrum Emeſæ in Syria ſitum; & inde progreſſu temporis Romam transvectum, atque in Monaſterio B. Silveſtri à Paulo erecto honorificè collocatum.

Sarraceni Eccleſiam perſequuntur.

Regnante eodem Paulo Orientalis Eccleſia dira Sarracenorum perſecutione vexata eſt: *Habdalas enim Sarracenorum Princeps*, inquit Theophanes, *tributorum rationem Chriſtianis ampliavit, adeò ut omnes Monachos, & incluſos, atque Leonitas, qui Deo placere noſcebantur, ſub tributis redigeret: ſignavit autem & Eccleſiarum cimilia* (id eſt pretioſa Eccleſiæ ornamenta) *& adduxit Hebraos ad venundandum illa, & emerunt illa liberè.* Longè tamen graviora eadem Orientalis Eccleſia paſſa eſt tyrannide impiiſſimi Conſtantini Copronymi, qui inter alios Andream, Paulum, & Othmarum ſanctiſſimos Monachos ſcorpionibus, flagris, & diverſis cruciatibus occidit: Stephanum itidem Monachum gratiâ miraculorum illuſtrem, ſacrarum imaginum defenſorem, carceribus primò, deinde exilio, demum lapidum imbre interfecit. Annam caſtiſſimam fœminam, ſacrarum Virginum Antiſtitam verberum multitudine confectam, ac penè ſpiritum exhalantem, omni penitùs corporis cura deſtitutam, fame ad mortem cruciavit: Monachos trecentos ſupra quadraginta ferreis vinculis adſtrictos, linguâ, labiis, naribusque priùs mutilatos, demum igne, ſerro, funibus, aliiſque horrendis ſuppliciis ſuſtulit. Immenſo igitur Conſtantinus odio flagrans in Monachos, quos præ cæteris in propaganda hæreſi ſibi adverſarios expertus fuerat, inſectatus eſt ſemper: tanto quidem furore, ut ultra decem millia eorum exquiſitis cruciatibus confeciſſe tradatur. Hæ Conſtantini iræ in Chriſti gregem, imò in ipſum Chriſtum paſtorem, Pauli vices Paſtoris tunc temporis in terra gerentis animum acerbiſſimè cruciabant, qui licèt Martyribus ob coronas gratularetur, Eccleſiæ tamen calamitates ſiccis oculis aſpicere haud poterat. Monuit itaque per Legatos & litteras Tyrannum Copronymum, à cæde Chriſtianorum, & excidio ſacrarum Imaginum abſtineret, aut fulmen è Vaticano iterandum, vindictamque è cœlo non emanſuram expectaret.

Conſtantini Copronymi in fideles crudelitas.

Dolor Pauli.

Sancti moritur.

Paulus igitur hic primus Apoſtolici nominis, & zeli pariter Apoſtolici unà cum nomine hæres, cùm Pontificale munus dignè ac laudabiliter obiiſſet, laborum mercedem à Deo recepturus evolavit in cœlum die 28. Junii, anno 767. regiminis ſui anno decimo ſupra menſem unum. Sepultus in Vaticano, ac poſteà ob ſanctitatis & miraculorum gloriam, in Album Sanctorum relatus. Cæſar Baronius acta hujus Pontificis in hæc verba concludit: *De Pauli I. Pontificis rebus geſtis opulentiorem tibi, lector, appoſuiſſemus menſam, ſi Epiſtolas ab eo ſcriptas reperire potuiſſemus, quarum dumtaxat argumenta ſummatim perſtricta, & recenſita vidimus à Panvinio in vitis Romanorum Pontificum.* Et ſunt:

SCRIPTA.

Pauli Scripta.

I. Paulus Papa Pipino Regi obitum fratris Stephani Papæ, & ſuam ordinationem exponit: indicat ſe in amicitia ab eodem Ste-

pbano

phano cum Francis inita, perſeveraturum:petit ut idem præſtet.

II. Monaſterium S.Silveſtri cum tribus aliis vicinis donat Pipino, quæ à Carolomanno Monacho fuerant Zachariæ Papæ conceſſa.

III. Gratias agit Pipino pro defenſione contra inſidiatores, & pollicetur ſe curaturum, ut Monachi Carolomanni Pſalmodiam diſcant.

IV. Marinum Presbyterum jubet Epiſcopum creari, ut à conſiliis Romanæ ſedi contrariis avocetur.

V. Gratulatur Pipino de incolumitate,ac Legatos ſuos nondum Conſtantinopoli reverſos eſſe indicat.

VI. Gratias agit pro exaltatione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ: indicat fiduciam ſuam poſt Deum in fortiſſimo Regis Pipini brachio exiſtere, & petit ut ad ſe Legatum mittat, cui poſſit aperire Græcorum inſidias, & conſilia.

VII. Monachum à Coſma Alexandrino Patriarcha Romam miſſum Pipino commendat.

VIII. Imperatorem Græcum in armis eſſe,& Ravennatem Exarchatum, ac Romam recuperare velle narrat, ab eoque auxilium contra Græcos implorat.

IX. Exponit ſe Ravennæ cum Deſiderio locuturum,& paraturum, quæ ad defenſionem contra Græcos neceſſaria eſſent.

X. Purgat ſe de crimine objecto, quaſi dixiſſet, Pipinum non valere auxilium præbere Romanis in anguſtia conſtitutis,& de Marino poteſtatem facit, ut ſtatuat quid velit: petit auxilium pro Ravennatum defenſione.

XI. Eum de ipſius valetudine percontatur, quia ab amicis neſcio quid rumoris adverſi de ejus ægritudine ſparſum fuerat.

XII. Narrat de Beneventorum injuria: petit, ut Pipinus litteris eos increpet, & ſi nolint parère, ut conſentiat in expeditionem contra eos inſtitutam.

XIII. Gratias agit pro defenſione Eccleſiæ; de pace inter ſe & Deſiderium conſtituta narrat, ac poſtulat ut obſides Deſiderio reſtituat, quò & ipſe Urbem Forumcornelii recipere poſſit.

XIV. Litteras proditorias Sergii Ravennatis Epiſcopi mittit, & petit auxilium.

XV. Per Walafridum Coëpiſcopum,quem Pipino Stephani fratris exemplo commendat, ſcribens, iis litteris laudes Pipini, & gratiarum actiones pro defenſione ſanctæ Dei Eccleſiæ complectitur: auxilium contra Longobardos, quod Eccleſiæ Dei juſtitias minimè redderent, poſtulat. Item pro Sabario miſſo, quo Pipini filia ex ſacro fontis lavacro abluta, ſuſcepta fuerat, gratias Pontifex agit: quem celebratis Miſſarum ſolemniis magna jucunditate, aggregata populi multitudine infra aulam ſacrati corporis beatæ Petronillæ, quæ pro laude, & æterna nominis Pipini memoria, conſecrata erat, ſuſcepiſſe ſe ſcribit: adjicit ſe indeſinenter laborare, ut Sergius Epiſcopus ſuæ reſtituatur Eccleſiæ.

XVI. Ad Pipinum, & omnes Francos, per Fulradum & ſocios ejus, in qua continentur laudes uberrimæ: item de Legatis Græco-

Græcorum ad Regem in Francia morantibus, & de Gregorio Epiſcopo, & Petro Presbytero.

XVII. Pipino indicat ſex Patricios cum CCC. navibus Conſtantinopoli Romam venturos eſſe, & poſteà in Franciam ad Pipinum profecturos : Queritur Deſiderium juſtitias ſanctæ Dei Eccleſiæ, quas coràm Legatis Pipini facere promiſerat, non adimpleviſſe, quinimò eum Romanos injuriis plurimis affeciſſe deplorat.

XVIII. Continentur gratiarum actiones, & uberrimæ benedictiones pro vita, & incolumitate ejuſdem Pipini, Caroli, & Carolomanni filiorum ejus; multis adjurationibus auxilium contra Longobardos flagitans : in embolio adjuncto præceptum,quod Marino Presbytero de titulo Chryſogoni dedit, & de libris, quos Pipino tranſmiſit, continetur.

XIX. Pipino per Gregorium Epiſcopum gratiarum actiones pro defenſione ſanctæ Dei Eccleſiæ agit: in embolio poſtulat, ut Pipini filium, qui ei tunc natus fuerat, ex ſacro baptiſmatis fonte excipere liceat.

XX. Petro Presbytero: ad eundem dedit continentem laudes quaſdam ejus, quòd Romanam Eccleſiam ab hæreticis defenderit: poſteà acta Epiſcopi Remedii & Andegarii comitis narrat, qualiter juſtitias Beati Petri Apoſtoli apud Deſiderium Regem ex parte receperit, & quòd reliquas juſtitias facere pollicitus ſit cum obteſtatione, ut ſi Deſiderius iſtas neglexerit, Pipinus illum, juxta promiſſa Stephano Papæ ac ſibi facta, cogeret.

XXI. Ad Pipinum: continet gratiarum actiones cum adhortationibus, ut Pipinus pro defenſione Eccleſiæ pugnare pergat. Papa de ſua conſtantia erga Pipinum multa recitat; ſcilicet, quòd nullo favore, aut terrore ab ejus charitate ſeparari poſſit: indicat ſe poſt Deum, ejuſque Genitricem, & beatos Apoſtolos, in nullo, quàm Pipino majorem habere fiduciam.

XXII. Pipino gratias agit, quòd Legati Apoſtolici cum Legatis Cæſareis ab ipſo honorificè ſuſcepti eſſent. Refert item gratias, quòd ſibi omnia indicaverit, quæ cum Imperatore Conſtantinopolitano acta fuerant : valdè eum ob id laudat, & commendat.

XXIII. Continet uberrimas gratiarum actiones, & benedictiones de firmo, atque incommutabili pollicitationis verbo, & magna perſeverantia Pipini in cauſis Apoſtolicis, cum admonitione, ut ita pergat : Pipinum Davidi comparat.

XXIV. Ad duas Pipini Epiſtolas reſpondet : eſt ejusdem argumenti cum proximè præcedenti, niſi quòd adjicit quædam de Longobardis, quòd quaſdam S. Petri juſtitias reddiderint, quaſdam non, & nunc priores redditas iterum invadere conentur,quare Pipini auxilium contra ipſos implorat.

XXV. Gratias agit pro defenſione Eccleſiæ cum adhortatione ad Pipinum, ut pergat omnimodam S, Rom. Eccleſiæ exaltationem facere : de ſuo erga Pipinum amore, & quòd nihil ſine ejus voluntate facere velit, largiſſimè promittit: pro Monaſterio in Soractis monte à Pipino ſibi donato gratias agit.

XXVI.

XXVI. Agit prolixè de Longobardorum crudelitate & malitia, petit auxilium contra eos: obſides Deſiderii in Francia ut detineat, rogat: ipſum verò Deſiderium conſtringat, & ad reſtitutionem omnium bonorum beati Petri vi & armis compellat. Pipino munuſcula quædam mittit.

XXVII. Continet gratiarum actiones cum petitione, & adjuratione de auxilio contra Longobardos mittendo.

XXVIII. Ad Carolum & Carolomannum: qua hortatur eos, ut majorum veſtigiis inſiſtentes, fidem Deo, & beato Petro præſtent, & Eccleſiam Rom. defendant, & exaltent.

Scripſit etiam Epiſtolam ad Exercitum Regni Francorum, in qua gratias & benedictiones pro fideli opera ſibi, & beato Petro præſtita eis impertit: hortatur eos, in ſancta Dei Eccleſia perſeverent, ac pro ea viriliter decertent. Hæ omnes Epiſtolæ uno Codice contentæ olim in Vaticana Bibliotheca aſſervabantur, ſed furto poſtmodùm, (ut ſuſpicatur Baronius) aut alio modo inde ſublatæ evanuerunt. Harum quædam leguntur apud Binium *tomo 7. Conciliorum*; quædam apud Baronium *tomo 9 Annalium*; & quædam apud Gretſerum in Volumine Epiſtolarum Pontificiarum. Has omnes in lucem emittere promittebat Andreas Ducheſnius; an verò fidem redemerit, compertum non habeo.

ANNO CHRISTI DCCLXVII.

Imperatoribus Conſtantino Copronymo, & Leone Porphyrogenito Iconomachis Auguſtis.

DE

S. STEPHANO IV. Pontif. Max.

XCVI. *Stephanus ex Monacho Benedictino Pontifex.*

STephanus dictus III. ſed revera IV. natione Romanus, ex Sicilia oriundus, patre Olivo, ſeu Olybrio, Monachus & Abbas Congregationis S. Benedicti, quæ Caſſinenſis dicitur, à Paulo I. Romano Pontifice Presbyter Cardinalis titulo S. Cæciliæ creatus, ſublato duorum Pſeudopontificum de Romana ſede certantium ſchiſmate (de quibus videri poteſt Baronius & Ciaconius) ſeptimo Idus Auguſti ſummus Antiſtes renunciatus eſt. Hujus primordia Ciaconius ex Platina digno elogio in hæc verba proſequitur: *Erat Stephanus vir certè doctus, atque eruditus, & in rebus agendis, maximè verò Eccleſiaſticis ſtrenuus admodum, ac conſtans. Hic enim à teneris annis Romam veniens, mandato Gregorii III. in Monaſterio S. Chryſogoni rationem benè vivendi, & doctrinam Eccleſiaſticam perdidicit. Quem Zacharias, Stephanus, & Paulus à ſe nunquam dimiſère, tanta probitatis & præſtantia in rebus erat agendis. Mortuo verò Paulo Papa, quem nunquam, ne in extremo quidem ſpiritu reliquit, rejectis æmulis Conſtantino, & Philippo, omnium ſtudia in unum Stephanum Presbyterum Cardinalem S. Cæciliæ, virum innocentiſſimum inclinarunt. Itaque ad titulum ſanctæ Cæciliæ profecti,*

Stephani elogium, & vitæ primordia

ſecti, concordes illum Pontificem deſignarunt, ac magnis in Lateranum cum acclamationibus deduxerunt: is poſtridie ejus diei, rebus omnibus rite peractis, eſt conſecratus, & Stephanus III. appellatus.

Pontificatu inito, omnium primò ordinandam ſibi Eccleſiam, Deſiderii Regis Longobardorum fraude & aſtutia perturbatam, duxit. Itaque coacta Synodo Epiſcoporum, Presbyterorum, Clericorumque in Lateranenſi S. Salvatoris Baſilica, introductum invaſorem ſanctæ Sedis Conſtantinum exauctoravit, abrogatiſque ejus actibus & decretis in monaſterium relegavit. Victorellus ſcribit, Conſtantinum, antequam in monaſterium detruderetur, à factioſis quibuſdam, hominem ob ſcelera exoſum habentibus, excæcatum fuiſſe. Porrò in eadem Synodo legem Stephanus tulit, ut nullus deinceps in ſummum Pontificem, neque Epiſcopum eligeretur, niſi qui per diſtinctos gradus aſcendens, Diaconatûs, ac Presbyteratûs ordine initiatus anteà fuiſſet. Item, ut quolibet die Dominico à ſeptem Epiſcopis Cardinalibus Miſſarum ſolemnia ſuper Altare beati Petri peragerentur: *Atque hic primùm mentio*, inquit Baronius, *de ſeptem Epiſcopis Cardinalibus reperitur*. Sacrarum prætereà cultus Imaginum, quem impius Copronymus omni ſtudio abrogatum ibat, ſtabilitus, & confirmatus; ipſáque execrabilis Pſeudoſynodus à Copronymo in excidium ſacrarum imaginum Conſtantinopoli celebrata, diris devota.

Conſtantinus Sedis invaſorem deponit, & in monaſterium eliminat.

Stephani Decreta.

Anno Chriſti 768. Pontificatus Stephani ſecundo IX. Kal. Octobris, ex hac luce ſubtractus eſt Heros incomparabilis Pipinus, cognomento *Brevis*, Francorum Rex, Caroli Magni pater. De quo paſſim Auctores Galli pro meritis agunt. Excelluit Pipinus rei militaris gloria, pietate, religioneque Catholica, juſtitia, prudentia, vereque regia in Apoſtolicam Sedem munificentia & devotione. Regnavit annos decem & ſex: obiit hydrope in Fano S. Dionyſii, ætatis ſuæ anno quinquageſimo quarto. Conſule Baronium *ad annum 768.*

Pipini obitus & elogium.

Mortuo Pipino, Stephanus Pontifex Legatos miſit ad Carolum & Carolomannum regios Pipini filios, ut ſibi opem ferrent adverſus Deſiderium perjurum, extincto Pipino in Eccleſiam arma moventem. Auxilium Carolus Rex ſpopondit: collectoque exercitu atque in Italiam tranſmiſſo Deſiderii tyrannidem compreſſit, ut ſuo loco dicturi ſumus.

Stephanus Principum Gallorum opem implorat.

Sedente Stephano in Petri Cathedra rurſum adverſus Monachos Orientales inchoäta per Copronymum Tyrannum perſecutio, majori atque anteà furore deſævìit, non in ipſos tantùm, ſed & in eorum domicilia: quæ omnia apud Theophanem deſcripta invenies his verbis: *Anno trigeſimo primo Imperii Conſtantini Copronymi, Lachanus Thracenſium Prætor ab Imperatore adverſus orthodoxos Monachos miſſus, omnia virorum ac mulierum monaſteria venundabat, & omnia vaſa ſacrata, & libros, & pecora, quæ patrimonium eorum erant: venditorum pretia Principi detulit. Quotquot autem Monachicos, & paternos libros, in quibus vitæ erant ſanctorum Patrum deſcriptæ, reperit, igne combuſſit; & ſicubi lipſanum, hoc eſt venerandas Sancti cujuſpiam reliquias habens, apparuiſſet ad cuſtodiam, & hoc quoque igni tradebat: eum verò, qui habebat illud,*

Copronymi in Monachos fideles nova perſecutio.

Lachanus crudelis Tyrannus.

illud, ut impiè agentem puniebat, & multos quidem Monachorum interfecit verberibus; quoſdam etiam gladiis trucidavit. Præterea innumerabiles oculorum uſibus privavit, & quorundam quidem barbas pice, cera, & oleo perungens ſuccendebat igne, & ita tam facies eorum, quàm capita cremebat. Porrò poſt alios cruciatus etiam exiliis deſtinabat; & poſtremo in toto themate, hoc eſt Provincia ſibi ſubjecta, non deſeruit hominem unum Monaſtico ſchemate amictum, quem non ſuppliciis aut exilio vexaret. Quod cùm didiciſſet Imperator bonum ſemper exoſum habens, ſcripſit ei gratias, dicens inveni hominem ſecundùm cor meum, qui faciat omnes voluntates meas: hunc impium Lachanum imitantes cæteri, ſimilia in fideles perpetrabant. Hactenus Theophanes, Græcorum Scriptor candidiſſimus.

Stephanus intereà exædificandis, ornandiſque Eccleſiis, ac reſtituendis ubique locorum Sanctorum memoriis intentus, poſtquam ſummo Magiſtratu functus fuiſſet annos tres, menſes quinque, dies viginti ſeptem, magno bonorum omnium mœrore è vita mortali tranſiit ad immortalem ipſis Calendis Februarii anno reparatæ ſalutis 772. ſepultus in Vaticano. Quem nonnulli optimæ notæ Scriptores, ob actam innocentiſſimè vitam, Sanctum appellant. *Stephanus ſancta morte decedit.*

SCRIPTA.

Scripſit varias Epiſtolas, teſte Jacobo Gretſero S.J. Quarum quinque enumerat Baronius in Annalibus, & earum argumenta reddit his verbis. *Ejus Scripta.*

I. Pontificatus initio ſcripſit ad Pipinum, petens homines doctos mitti ad Synodum Romanam.

II. Ad Carolomannum, qua petit, ut liceat ſibi eſſe compater, & teſtis baptiſmi filii ejus.

III. Ad Carolum, & Carolomannum fratres, in qua gratulatur, eis, quòd poſt lites ſibi invicem reconciliati eſſent: & petit, ut cogant Longobardos reddere, quæ de Patrimonio S. Petri rapuiſſent.

IV. Ad Carolum, & Reginam matrem ejus, in qua illis & gratias agit pro defenſione Eccleſiæ, & commendat Itherium, quòd diligenter curârit, quæ fuerant illi commiſſa.

V. Ad eoſdem Reges, in qua prolixè commemorat inſidias ſibi per Dodonem Francorum Præfectum ſtructas; & Deſiderii erga ſe benevolentiam, cujus ope ſe defenſum ab inſidiis Dodonis indicat.

Unam etiam ſcripſit, inquit Oldoinus, ad Franciæ Regem Carolum de non ineundo matrimonio cum filia Deſiderii: hanc integram recitat Baronius tomo 9. Annalium.

Ferdinandus Ughellus tomo 5. Italiæ Sacræ ex Dandulo unam Stephani hujus epiſtolam refert datam ad Joannem Tergeſtinum Patriarcham Gradenſem, virum pium, Catholicum, omniumque ſcientiarum, ac virtutum decoribus eximiè ornatum, qui Eccleſiæ ſuæ jura ſumma cum animi fortitudine adverſus Longobardorum Regem, & nonnullos Epiſcopos ſuæ dignitati ſubjectos, uſque ad mortem tutatus eſt.

Harum omnium una dumtaxat invenitur tomo 5. Conciliorum: Grætſerus è contra, varias refert in Volumine Epiſtolarum Pontificiarum.

ANNO CHRISTI DCCLXXII.

Imperatoribus Conſtantino Copronymo, Leone IV. Porphyrogenito, & Conſtantino VII. Auguſtis.

DE

HADRIANO I. Pontifice Max.

XCVII. *Hadrianus vir incomparabilis.*

HADRIANUS I. Romanus, patre Theodoro ſummæ nobilitatis viro natus, mortuo Stephano III. Pontificatum concordibus ſuffragiis adeptus, nequaquam à majoribus ſuis degeneravit: utpotè magnitudine animi, conſilio, doctrina, & ſanctitate vitæ, rerumque geſtarum gloria, cum quovis optimo ac ſapientiſſimo Pontifice comparandus. Cujus amplitudinem, divinasque dotes Deſiderius Longobardorum Rex admiratus ſimul ac veritus, ſtatim de pace ineunda, & amicitia concilianda, mentionem per Legatos fecit. Verùm Hadrianus cognita hominis perfidia pluſquàm Punica, cautè cum aſtuto ac verſipelle Rege agendum ratus, pacem ſimulatè petitam in aliud tempus prudenter diſtulit. *Cautè cum Deſiderio agit.*

Intereà verò functo vita Carolomanno, Bertha ejus uxor, Hildegardi Caroli Regis conjugi ob amplitudinem mariti invidens, Adoärii cujusdam conſilio uſa, cum filiis ad Deſiderium in Italiam eo animo confugit, ut is ſua auctoritate filiis coronationem à Pontifice Hadriano impetraret. Deſiderius ſuſcepta comiter regieque cum natis Bertha, promptam mulieri operam ſpondet: miſſisque protinus Romam Legatis, animi ſui ſenſa, Berthæque deſiderium Pontifici aperit. Verùm cùm obtinere ab Hadriano precibus non poſſet, ut filios Carolomanni reges inungeret, ad vim converſus, in Ravennates ditioni pontificiæ tum ſubjectos hoſtiliter movet; captiſque primo impetu Ferraria, Comaclo, & Faventia, ultimum Ravennatibus excidium minatur. Pontifex rerum per nuntios certior factus, Deſiderium primò litteris, tum etiam miſſis oratoribus, ut ſuis ſe finibus contineret, atque ab invaſione Eccleſiaſticæ ditionis abſtineret hortatur. Ubi verò intellexit eum nil motum precibus, Urbinum, Senogalliam, & Eugubium armis occupaſſe: tum enim verò magis ac magis conqueri, minarique Pontifex, & paulò pòſt affuturum Deum vindicem violati fœderis dicere. At Deſiderius, ſpretis Pontificis minis, nihil aliud reponebat, niſi ſalvam Pontifici pacem fore, ſi mutata mente ad ſuas partes tranſiret. Separare enim hominem ab amicitia Caroli omni modo nitebatur; ac propterea cùm nec precibus, nec pollicitationibus id conſequi poſſet, minabatur ſe Urbem propediem obſeſſurum. *Deſiderius invadit urbes Eccleſiæ.* *Fruſtrà eum Hadrianus monet.*

Interim

Interim Hadrianus erecto in Deum animo, Urbi in extremo periculo conſtitutæ ante omnia conſulere ſtuduit, adjecto mœnibus ac portis valido circumquaque præſidio, incenſiſque ad defenſionem opportuna oratione civium animis. Tùm Stephani deceſſoris exemplo Carolum Franciæ Regem de anguſtiis, in quibus urbs ipſeque poſitus eſſet, docere, eumque in auxilium adverſus perjurum Deſiderium advocare decrevit. Miſit itaque Legatos in Franciam, qui ſuo nomine Carolum orarent, ut avi, patriſque exemplo, afflictis Eccleſiæ rebus opem ferre non gravaretur: Deſiderium jam pridem ſaluti & libertati Italiæ inſidiatum, nunc oppidis Eccleſiæ contra fidem datam occupatis, ipſi etiam Romanæ urbi hoſtiliter imminere, extremaque omnia minitari. Hujus autem tam nefarii conatus cauſam haudquaquam obſcuram eſſe, nimirùm contra jus faſque cogere ſe velle, uti Carolomanni filios, magno Franciæ præjudicio, in Reges inungeret. Erat Carolus omnibus virtutibus, quæ magno Regi convenirent, apprimè ornatus, ſed præcipuè Catholica pietate, atque in ſanctam Sedem reverentia (quæ maxima quoque patris avique laus extiterat) inſignitus. Auditis Legatis annuit Carolus juſtæ Pontificis petitioni; & ſe aut auctoritate, aut armis Deſiderium in ſententiam Pontificis compulſurum juravit.

Carolū Galliæ Regem in auxilium vocat.

Caroli laus.

Dum hæc aguntur Deſiderius pietatem ſimulans, pacato agmine Romam verſus intendit iter, præmiſſis, qui Pontifici nunciarent, ſe voti cauſa ad limina Apoſtolorum viſitanda procedere. Hadrianus dolum ſubodoratus Regi nunciari jubet; armatam hanc pietatem jure ſibi ſuſpectam eſſe; videret proinde quid ageret, quovè veniret: neque enim ſe ei, aut Urbis aut ſui copiam facturum. Tum redactis in Urbem theſauris & ornamentis omnium Eccleſiarum, quæ extra Urbis mœnia ſitæ erant, tres Epiſcopos ad Deſiderium Interamnæ conſiſtentem miſit, qui ei ſub anathematis pœna minarentur, ne injuſſu ſuo fines Romanorum quovis modo cum copiis attingeret. Rex igitur veritus ne, ſi obniteretur, iram Dei in ſe concitaret, reducto in Ciſalpinam exercitu, Pontifici paruit.

Deſiderius dolo urbem capere conatur, repellitur ab Hadriano.

Intereà Carolus tentatis omnibus, quæ Deſiderium ad reſtituenda Eccleſiæ loca flectere poſſent, cùm is pertinax in propoſito perſiſteret, nullamque ineundæ cum Pontificæ concordiæ rationem admitteret, hominem armis ad ſaniora compellendum ſtatuit. Parantur itaque magni utrinque exercitus: ſed Carolus mira celeritate uſus, præmiſſa parte copiarum, quæ in tranſitu alpium *Jovis montem* occuparet, cum reliquo exercitu per abrupta in Italiam deſcendit, fuſoque ac fugato Deſiderio obviàm facto, omnia longè lateque populatur & capit. Deſiderius deſperatis rebus, tanto accepto incommodo, cum paucis è ſtrage collectis Papiam ſe recipit, uxore ac liberis regiis Veronam per ambages miſſis. At Spoletani, Reatini, ac Longobardi omnes, qui eas regiones incolebant, audita Deſiderii fuga & calamitate, Romam diffugientes, ſe ſuaque omnia Romani Pontificis fidei committunt, adhibito juramento, depoſitoque capillo & barba: quod maximum apud eam gentem

Carolus commiſſo prælio Deſiderium fundit, fugatq́;

Longobardi ſe Pontifici dedunt.

veræ deditionis ac ſubjectionis ſignum erat. Horum ſecuti exemplum Anconitani, Auximates, Firmani, Pontifici ſe ac ſua liberè dedunt. Longobardis autem ad ſuos redire nolentibus, Vaticana ſedes ad incolendum conceſſa (qui Vicus inde Longobardorum eſt appellatus) quò poſteà ex tota Italia multi ſuæ gentis confluxêre, iſtorum exemplo permoti.

Aldegiſus Deſiderii filius fugit Conſtantinopolim.

At Carolus relicto Bernardo patruele ſuo in obſidione Papiæ, cum parte copiarum Veronam proficiſcitur. Quæ quidem civitas haud ita multò pòſt, inclinante in partes Bertha ac Carolomanni filiis, deditionem fecit. Aldegiſus verò Deſiderii filius, mutato habitu ne agnoſceretur, clam inde fugiens, conſcenſa navi Conſtantinopolim ſe ſubduxit. Carolus autem acceptis in deditionem fermè omnibus Transſpadanæ Italiæ Urbibus, Romam petit, unà cum Pontifice feſtum Reſurrectionis dominicæ, quod inſtabat, celebraturus. Cui jam Urbi appropinquanti ad tria millia Procerum Romanorum honoris gratia occurrêre. Expectabat hominem & ipſe Hadrianus cum ſenatu Purpuratorum, totoque Clero in gradibus Baſilicæ S. Petri: quem quidem accedentem mira benevolentia lætabundus excepit, arcteque pectori admotum retinere non potuit, quò minùs pedes ſuos exoſcularetur. Inde poſt datam acceptamque ſalutem, Baſilicam ingreſſi, cùm ad limina Apoſtolorum perveniſſent, in genua provoluti, facta oratione, jurârunt ambo, Carolus & Pontifex, Romani ac Franci, perpetuam ſe amicitiam culturos, mutuoque conſervaturos; hoſteſque communes eos reputaturos, qui alteram partem læſiſſent. Urbem deinde ingreſſus Carolus, præcipuas Baſilicas, ac ſacra Urbis monumenta piè admodum & religioſè luſtravit, doniſque regiis cumulavit. Tum ad amplificandam Eccleſiam Romanam converſus, donationem, quam Pipinus pater Stephano III. fecerat, amplioribus ipſe privilegiis, interpoſito jurejurando, confirmavit. Quæ quidem (ut Anaſtaſius Bibliothecarius, Platina, & alii referunt) complectebatur Exarchatum Ravennatenſem, & Pentapolim: id eſt, quidquid in Liguria ab urbe Luna jampridem everſa, uſque ad alpes Italiæ fines pertinet: Porrò hanc donationem nova altera cumulavit (ut teſtatur Baronius ad annum 774. n. 6.) addens nimirum Corſicam, Sardiniam, Siciliam, territorium Sabinenſe, Ducatum Spoletanum, Tuſcumque Longobardorum, unà cum cenſu, qui quotannis pro his Ducatibus Regi Longobardorum ſolvebatur: ſalva tamen ſuper eoſdem Ducatus regia ditione: atque has donationes in tabulas relatas, ſua, Epiſcoporum, Abbatum, Graphicorumque ſuorum manu ſubſcripſit, regioque ſigillo munitas, ſuper Altare beati Petri Apoſtolorum Principis depoſuit, ac ſolemni ſe ſuoſque in eam rem jurejurando devinxit; aliaſque conſimiles paris tenoris per Apoſtolicum Scriniarium deſcriptas ſecum aſportavit.

Carolus Romæ ſummo cum honore excipitur.

Facta cum Pontifice renovat.

Novam donationem ſuperaddit.

Papiam expugnat: Deſiderium vita donatum relegat.

His rebus ita compoſitis, Carolus cum bona Hadriani gratia in Transpadanam rediens, ſexto menſe, poſtquam obſideri cœpta eſt, Papiam peſte fameque dirè vexatam, deditione occupavit. In Deſiderium autem clementia uſus, hominem regno ſpoliatum, dona-

donatâ vitâ, Lugdunum cum uxore & liberis exulatum miſit. Verſus deinde in Arachim Beneventanum Principem Deſiderii generum, qui ejus furores juverat, hominem pacem petere brevi coëgit, duobus ejus filius obſidibus acceptis. At verò dum iter in Ciſalpinam facit, ad Caſſinum religionis cauſa divertens, omnia Monaſterii dona ab aliis Principibus divo Benedicto oblata regiis literis confirmavit. Atque ita ſedatis in tota Italia rebus, præpoſitiſque Ciſalpinæ firmiſſimis præſidiis, cum ingenti præda & gloria, hoſtium Eccleſiæ domitor in patriam revertitur. Longobardi itaque ducenteſimo ſexto anno, poſtquam in Italiam venerant, regnum amiſerunt anno ſalutis ſeptuageſimo quarto ſupra ſeptingenteſimum.

Caſſini dona confirmat.

Domitis Longobardis domum revertitur.

Anno Chriſti 775. Hadriani Pontificis quarto, Conſtantinus Sextus, Orientalium Imperatorum fœdiſſimus juxtà ac impiiſſimus diem clauſit extremum. Is anno ætatis vigeſimo ſecundo, Leonis patris imperium & impietatem ſuſceperat: dictus Copronymus, quòd ſacros fontes ventris onere in baptiſmo fœdaſſet; & Caballinus, quòd equorum ſordibus mirè caperetur. In eo præter amorem ſordium, & immenſa ſcelera nihil obſervandum. Novus Diocletianus ſacrarum cultores imaginum divis vexavit ſuppliciis: hoſtem ſe Deiparæ impurus nebulo geſſit, ut eam vel appellaſſe flagitium foret: in Monachos præſertim furorem exprompſit, quos expertus Catholicæ rei Triarios, ſi licuiſſet, funditùs perditum ibat: in Sanctorum lipſana, & venerationem debacchatus, pſeudoſynodos ex meris conflatas hereticis ſæpiùs celebravit. Stephanum Monachorum integerrimum anteſignanum, & cum eo integras legiones, diuturnis, exquiſitis, & horrendis ſuppliciis laniavit: Deo intereà connivente, & longiſſimam ſæviendi materiam diuturnitate vitæ permittente. Felicitas tamen impuri capitis impegit aliquoties; nam Huuni poſtremò in Pannoniam erumpentes, occupatam de ſuo nomine dixerunt Hungariam: & Exarchatus Italiæ cum Pentapoli ipſi ablatus, ad infenſiſſimum hoſtem ſummum Pontificem tranſiit: & Monachorum robur invictum dolorem incendit: & publicæ calamitates increpabant Tyrannum identidem. Nam Conſtantinopolim per decem dies tanta caligo obſedit, ut nox diuturna animorum noctem exprobrarit: Syria terræ motu agitata eſt, quo urbes vel præcipitatæ in valles, vel ad ſextum lapidem projectæ, fragilitatem mundi incuſarunt: infedit Urbem tam gravis peſtilentia, ut inanis propemodùm, cadaveribus ſolis oppleretur: tanta fuit hyemis ſævitia, ut Pontus Euxinus gelu coäleſceret, & à Danubio ad Euphratem uſque, regiones continua glacie connecterentur. Sed tandem novus Julianus à Maria profligatus, ut vetus à Chriſto; in expeditione Bulgarica igne interno conflagrans, cùm exclamaret ſe vivum cremari propter Mariam Deiparam deſpectam, cruciatibus æternis inquinatiſſimam animam tradidit, anno, ut diximus, poſt Chriſtum natum 775. verè cœlo infenſus, cui detrahebat; Patronorum expers, quos offenderat; carens perfugio, dum Mariam abdicat. Enimverò dignus, quem Iconoclaſtæ noſtri auctorem ſuæ impietatis appellent, jactentque.

Interitus Copronymi Imperatorum flagitioſiſſimi

Impio patri ſuccedit impius filius Leo IV. Anno ſalutis 776. Leo IV. cognomento Porphyrogenitus Conſtantino patri ſucceſſit. Is adeò gemmis delectatus eſt, ut direpto ſacrario S. Sophiæ, coronam magni ponderis & pretii ſibi conflaverit, quam cùm indigno capiti ſæpiùs applicuiſſet, carbunculis igneis è capite tumeſcentibus, inter dolores periit quarto imperii anno. Nempe uniones Deo ſacrati, Templis lumina ſunt, ignes ſacrilegis. Bella geſſit patris exemplo in orthodoxos Imaginum cauſa: vinci tamen horum conſtantia ab impietate non potuit.

Anno 780. Leonis IV. filius Conſtantinus VII. Imperator acclamatus, regnum cum matre Irene excelſi animi fœmina adminiſtravit annis decem & ſeptem, variis & ipſe calamitatibus obnoxius, ut ſuo loco dicemus.

Concilium Generale II. Nicænum pro cultu SS. Imaginum. Irene Auguſta orthodoxiæ addicta, mox ut imperium cum filio capeſſivit, conſulto Hadriano Papa, Concilium Nicænum II. Oecumenicum in Bithynia celebrari fecit. Aderant trecenti quinquaginta Epiſcopi, præſidentibus Legatis Apoſtolicis ab Hadriano miſſis. Horum omnium auctoritate antiquus ſanctis Imaginibus, & Cruci honos eſt redditus: obnitentibus anathema dictum. *Actum in hoc Concilio potiſſimùm eſt*, (inquiunt Auctores Græci Balſamon, Zonaras, Cedrenus, Jandulphus Sagax) *de Sanctorum Imaginibus pro majorum more piè in Eccleſia habendis; cùm qui ante illas impenditur honor, non in illas, ſed ad prototypon Chriſti, vel beatorum maximè tendat, animus rectà in Deum invisibilem ſublimis feratur, ut ipſum in ſpiritu, & veritate adoret.*

Hadriani in Eccleſias mira liberalitas Cæterùm Hadrianus Pontifex opera & auctoritate Caroli Francorum Regis à terrore bellico ſecurus, ad exornandam Urbem, ſacraſque Baſilicas converſus, tantum auri, argenti, gemmarum, ornamentorumque in eas impendit, ut pretium trium millionum ſuperaſſe memoretur. Unum in fidem referam Oldoinum, qui poſt ennarratas quinquaginta Eccleſias, ab Hadriano ædificatas, inauratas, ornatas, dotatas, de ſola Baſilica Vaticana hæc ſubjungit: *Res quidem mira*, inquit, *dictu, in Vaticana tantùm Baſilica ornamenta, auri libras quingentas octoginta ſupra duo millia; argenti verò nongentas ſeptem & octo Hadrianus Pontifex Romanus impendit, præter mille & centum auri libras, quas erogavit ad reparandos collapſos Urbis muros.* Quid plura? *Rerum geſtarum gloria inſignis.* rerum geſtarum gloria, vitæ puritate, ſapientia, & eruditione nulli vel optimorum Pontificum ſecundus, longitudine dierum omnium feliciſſimus, poſtquam Eccleſiam Romanam ſua induſtria mirè auxiſſet; Offam Merciorum Regem ad ſuos pedes Romæ proſtratum, regnumque ſuum Romanæ Eccleſiæ vectigale facientem vidiſſet, Saxoniam quoque, Gallias, Hiſpaniam, Scotiam, Norvegiam, & Sardiniam, vectigales S. Petro recepiſſet, nihilque quod ad bonum Principem, optimumque Pontificem pertineret, prætermiſiſſet (nam & religionem Chriſtianam, & libertatem civium ſuorum, & vitam pauperum, pupillorum, viduarumque acerrimè quoad vixit tutatus eſt) die 26. Decembris anni 795. cumulatam meritis animam Creatori ſuo reddidit. Nemo hactenus poſt Apoſtolum Petrum ex Romanis Pontificibus diutiùs in Pontificatu vixiſſe

Google

xiſſe repertus eſt : ſedit enim (ut ex ejus elogio ſepulchrali colligitur) annos viginti tres, menſes decem, dies ſeptendecim : publico fletu, ac cum omnium benedictione ſepultus ad S. Petrum in Vaticano. Tanti Pontificis obitum Carolus Magnus non modò lachrymis, ſed piis etiam religionis officiis, eleemoſynis, ac ſuffragiis proſecutus eſt, ut teſtatur Eginhartus in vita : *Nunciato*, inquiens, *Hadriani Pontificis obitu, (quem ut patrem, & amicum præcipuum dilexerat) ſic flevit, ac ſi fratrem, aut chariſſimum filium amiſiſſet. Eidemq; elogium funerale, perpetuum ſui erga ipſum amoris monumentum futurum, marmori inciſum ſcripſit*; quod Romæ etiamnum in Baſilica S. Petri viſitur, & incipit : *Eum Carolus ceu patrem deflet.*

Hic Pater Eccleſiæ, Roma decus, inclytus Auctor,
Hadrianus requiem Papa beatus habet.
Vir cui vita Deus, pietas Lex, gloria Chriſtus,
Paſtor Apoſtolicus promptus ad omne bonum.

Hadriani Epitaphium à Carolo poſitum.

Conſtat id Epitaphium decem & novem diſtichis, in quorum duodecimo regium ſuum nomen nomini Hadriani Carolus hoc modo junxit :

Nomina jungo ſimul titulis, clariſſime, noſtra,
Hadrianus, Carolus, Rex ego, tuq; Pater.
Quiq; legis verſus, devoto pectore ſupplex,
Amborum mitis, dic, miſerere Deus, &c.

In eodem filialem ſuum erga ipſum amorem his verbis expreſſit.

Poſt patrem lacrymans Carolus hæc carmina ſcripſi,
Tu mihi dulcis amor, te modò plango patrem.
Tu memor eſto mei, ſequitur te mens mea ſemper :
Cum Chriſto teneas regna beata Poli.
Te Clerus, populus, magno dilexit amore,
Omnibus unus amor, ſed mihi primus, eras.

Nunc quæ ſcripſit, facem præferentibus Trithemio, Baronio, Bellarmino, Oldoino, Morerio & aliis, videamus : *Erat enim vir doctus, & in ſcripturis divinis valdè eruditus & ſtudioſus*, ut teſtatur Trithemius.

SCRIPTA.

Inſtante Carolo Magno Francorum Rege ſcripſit Hadrianus : *Hadriani Scripta.*
Antiphonarium Eccleſiaſticum.
Reſponſoriale de circulo anni.
Tredecim Epiſtolarum libros Gregorij Magni ad duos redegit.
Scripſit præterea ad Carolum Regem librum Apoſtolicæ auctoritatis, arguens errorem eorum, qui infirmare conabantur quædam capita, quæ ſecunda Nicæna Synodus promulgaverat ex auctoritate trecentorum quinquaginta Epiſcoporum, qui execrandam hæreſim Iconoclaſtarum anathematizaverant.
Ad Imperatorem Leonem, & Conſtantinum ejus filium pro venerandis Imaginibus Domini, & Sanctorum librum unum.

Conci-

Conciliorum Volumen; ſeu

Collectionem 80. Canonum, ad Angerannum Epiſc. Metenſem.

Quædam Quodlibeta, teſte Trithemio, & Geſnero.

Reſponſum ad Acridenum Theſſalonicæ Epiſcopum: quod invenitur in Volumine Canonum Joannis Zonaræ.

Epiſtolas quamplurimas, quas extare Romæ M. S. in Bibliotheca Berberina ſcribit Ludovicus Jacobus à S. Carolo in ſua Bibliotheca Pontificia. Harum quadraginta quatuor ſunt ad Carolum Magnum. Earum argumenta, ex antiquo Codice deſumpta, deſcripta invenies apud Baronium, Binium, & Oldoinum: ex quibus, quæ ſuperiùs dicta ſunt, confirmes; aliaque ignorata perdiſcas.

Scripſit etiam ad alios; ad Egilam ſcilicet in Hiſpania Epiſcopum, & ad Joannem Presbyterum:

De fide Orthodoxa tuenda.

De Jejunio feria ſexta, ac Sabbato celebrando.

De Continentia ſervanda.

De Paſchali feſtivitate.

De Prædeſtinatione hominis.

De Libertate arbitrii.

De Pſeudoſacerdotibus.

De diverſis criminibus: &

De aliis quibuſdam rebus.

In fine ambos prædictos Egilam, & Joannem hortatur ad concordiam, atque ad ſacros Canones ſæpè ſæpiùs percurrendos.

Idem Hadrianus litteras miſit ad omnes Hiſpaniarum Epiſcopos, maximè tamen ad Elipandum, & Aſcarium, eorum errores confutando: in cujus Epiſtolæ initio Romanam Eccleſiam *Caput omnium Eccleſiarum* nominat.

Liber erroneus falsò inſcriptus Carolo rejicitur

Et cùm in lucem prodiiſſet Scriptum quoddam contra ſeptimam Synodum Niceæ habitam, ſub nomine Caroli Magni, cùm maximè ipſi Carolo liber ille ſuſpectus eſſet, illicò Rex verè Catholicus illum Hadriano Romano Pontifici miſit examinandum. Eum Hadrianus diſcuſſum, ut librum contra Romanam Eccleſiam rejecit: ſicut teſtatur prolixa illius de ea re ad Carolum ipſum data Epiſtola, quæ in Conciliorum tomo habetur. Certiſſimum eſt autem in Synodo Nicena ſecunda Hadriani Legatos non affuiſſe modò, ſed etiam præfuiſſe. Quare qui fieri poteſt, (quod quidam *Eli-Phili* in Præfatione ejuſdem libri confingit) ſcilicet ut Carolus in Synodo Francofordienſi (cui æquè Legati Hadriani interfuère) Nicenam Synodum damnandam curaverit, contraque eam quicquam ſcribere voluerit? Sed benè habet, quòd Hadriani Scriptum extat, quo libri illi quatuor, erroribus & mendaciis ſcatentes, graviter docteque refutantur, idque ea verborum ſeveritate, ut perſpicuum ſit, non à Carolo, ſed ab aliis Eccleſiæ Romanæ hoſtibus, eos eſſe conſarcinatos.

Scripſit denique Librum verè Apoſtolicum, quo Elipandi Archiepiſcopi Toletani, & Felicis Epiſcopi Urgelitani erronea *de Chriſti humanitate* doctrina refutatur, & damnatur.

ANNO

Digitized by Google

ANNO CHRISTI DCCXCVI.

Imperatoribus Conſtantino VII. Nicephoro, & Michaële Curopalate Auguſtis.

DE

S. LEONE III. Pontifice Maxim.

XCVIII.

Vixdum extincto Hadriano, ob eximias virtutes eligitur Leo.

Leo Tertius, Azzupii viri Conſularis filius, patria Romanus, profeſſione Monachus Benedictinus, ipſo mortis Hadriani die eligitur Romanus Pontifex, cujus eximiarum Virtutum fidem facit repentina ejus electio communi omnium voce celebrata die 26. Decembris anno noſtræ ſalutis 795. *Fuit Leo ab ineunte ætate in omni virtutis & eruditionis genere educatus*, inquit ex Platina Ciaconius. Vir præterea caſtus, integer, facundus, doctorumque virorum, tam eximius cultor, ut eos undequaque conquiſitos magnis ad ſe præmiis alliceret, eorumque conſuetudine mirum in modum delectaretur. Porrò ægrotos viſere, eosque ad patientiam adhortari; eleemoſynas egentibus præbere; afflictos ſolari; nexos vinculis, æreque gravatos alieno liberare; errantes in viam rectam deducere, prædicationibus, admonitionibus, quibus plurimum ob eloquentiam & doctrinam valebat, adeò peculiare ei fuit, ut naturâ factus ad hæc pietatis officia videretur. Dignus ſanè, qui in ſupremo Eccleſiæ candelabro poſitus, omnium animos ſplendore virtutum ſuarum irradiaret.

Carolum electionis ſuæ certiorem reddit: ipſe verò aliorum Principum legationib. honoratur.

Mox ut ſummo ſacerdotio inauguratus eſt, per Legatos in Germaniam miſſos, Carolum Francorum Regem Aquisgrani tum agentem, de ſua electione & coronatione certiorem fecit: à quo & gratulatorias litteras, & regia munera in vicem accepit. Kemulphus quoque Merciorum Rex, qui Offæ ſucceſſerat, audita Leonis exaltatione, honorificam ad eum legationem ornavit, qua ſe ſuumque regnum ejus obſequio obſtrinxit vectigale. Id ipſum præſtitêre plurimi Principum Chriſtianorum, tum Leonis famâ, tum Caroli religioſiſſimi Regis exemplo permoti.

Execranda Paſchalis & Campuli conjuratio in Leonem.

Ut ut verò Leoni omnia proſperè initio regiminis eveniſſe ſunt viſa, mox tamen horrenda in eum, ſceleratorum quorundam factione, qui ejus felicitati invidebant, tempeſtas commota eſt. Nam Paſchalis Primicerius, & Campulus Archipresbyter, Hadriani defuncti quondam neceſſarii, Principes Civitatis, Leoni, quòd ipſorum vitæ ſordes inſectaretur, ac nonnulla eorum acta publicæ tranquillitati contraria reſcindere moliretur, adeò impotenter ſuccenſuerunt, ut junctis in ſcelus dextris per inſidias petendum, nullaque ſupremæ dignitatis habita ratione è medio tollendum decreverint, certam intereà exequendo facinori diem conductis ſicariis ſtatuentes. Quid igitur? paucis Tragœdiam ipſam, ut acta eſt, ex Anaſtaſio, Baronio, aliisque idoneis Scriptoribus pandam. Anno ſalutis 799. Leo Pontifex ex majorum inſtituto ſolemnem Cleri populi-

populiq́ue ſupplicationem ab æde S. Laurentii in Lucina ad ædem S. Georgii Martyris, cujus tum natalitia agebantur, ſacris ibidem operaturus traducebat. Paſchalis & Campulus conjuratorum anteſignani, diſpoſitis, qua ducenda erat pompa, ſicariis, Pontificis è Patriarchio Lateranenſi egredientis latera de more cinxerunt.

Leo oculis & lingua privatur, ac variis vulneribus afficitur, ſed divinitùs curatur.

Ubi verò ad ædem ſanctorum Stephani & Silveſtri ventum eſt, ſicarii repentè ex inſidiis erumpentes, Leonem facto impetu involarunt, atque in terram dejectum (Paſchali caput, & Campulo pedes tenentibus) ſacratis veſtibus exuerunt. Tum exertis armis in projecti corpus incumbentes, oculis ac lingua mutilatum, dirisq́ue vulneribus affectum, ſemianimem in Monaſterium S. Eraſmi pertraxerunt, adhibitis, ne quis Pontificem conveniret, armatis cuſtodibus. Leo collectis tantiſper viribus, orationi vacans, & viſum & linguam inſigni Dei beneficio recepit. Interim Albinus Cubicularius, ſtudio viſendi Pontificis inflammatus, adductis ſecum amicorum fidiſſimis, intempeſta nocte ad Monaſterium venit, deluſisq́ue cuſtodibus, Leonem inde extractum, vehiculoq́ue impoſitum, incolumem perduxit in Vaticanum; obſtupeſcentibus ad tantæ rei miraculum omnibus, ſummamq́ue Dei potentiam condignis laudibus efferentibus, quòd luminibus ac linguâ privato, maleq́ue per corpus ſaucio Leoni, viſum, loquelam, ſanitatem, momento citiùs, prodigioſa bonitate reſtituiſſet.

Spoletani Ducis beneficio in Gallias ſubducitur.

Famâ tanti flagitii per Italiam divulgatâ, Dux Spoletinus Vinigiſius, clàm accerſitus, properè cum exercitu Romam accurrit, captisq́ue conjuratorum anteſignanis, Pontificem militari corona ſtipatum periculo ſubduxit: nec multò pòſt lautè habitum, fortiterq́ue munitum in Franciam ad Carolum, unicum afflictæ Eccleſiæ ea tempeſtate perfugium, miſit. Venientem ad ſe ubi Carolus ſenſit, magno ſibi excipiendum honore Pontificem conſtituit, ne Pipino patre (qui Stephanum III. magnificè olim exceperat) in eo pietatis officio inferior videretur. Itaque Pipino filio cum magno Procerum comitatu honoris ergò obviam miſſo, ipſe ad Rhenum ſubſiſtens Leonis adventum operiri cœpit.

Ibi ſummo honore ſuſcipitur.

Appropinquantem regio apparatu inter feſtivas populi voces venerabundus excepit. Poſt oſcula pedum mutuosq́ue amplexus Pontifex *Gloria in excelſis Deo* altùm præcinuit, reliqua proſequente Clero ac populo: atque ita ad hoſpitium ſibi regiè paratum, deducente eum Carolo ac Pipino, divertit. Ibi liberam colloquendi copiam nactus, acerbas in ſe Principum Romanorum injurias retulit; ac ſibi, & pontificiæ ſedi opem adverſus eos imploravit: queſtus, Nunquam ab hominum memoria majus Pontificem dedecus ſuſcepiſſe, graviusq́ue vitæ periculum ſubiiſſe: neque enim externis armis, ſed domeſticis; nec indicto bello, ſed per inſidias; nec in tenebris, ſed palàm univerſo inſpectante Clero ac populo, & quidem ſupplicationis tempore, à ſacerdotibus ſe circumventum, proſtratum, vulneribus affectum, oculis ac lingua mutilatum fuiſſe.

Carolo nefandæ rei ſeriem aperit.

Romam ſpe plenus remittitur.

Inhorruit ad tantum facinus Carolus, Pontificemq́ue non ſine lacrymis complexus, ſolatusq́ue, ſpe plenum, ſuiq́ue auxilii certum, cum honorabili Epiſcoporum, Abbatum, nobiliumq́ue Francorum

corum comitatu Romam, quo ipſe propediem venturus cum exercitu eſſet, remiſit. Exceptus eſt Leo à Romanis obviàm effuſis magnificentiſſimè. Poſt trimeſtre adeſt & Carolus ipſe formidabili cum exercitu, tum ut exorbitantes Romanos in ordinem redigeret, tum ut ſumpto de conjuratis ſupplicio injurias Pontifici illatas ulciſceretur. Octavo igitur die, poſteaquàm Urbem ingreſſus, Pontificemque veneratus fuiſſet, in Baſilicam Vaticanam ſe conferens, adſtante Clero ac populo, Epiſcoporum omnium, qui eò ex tota Italia, Germania, & Gallia convenerant, ſententias de vita & moribus Pontificis rogat: Verùm, bona Caroli venia, ab omnibus una voce reſponſum eſt; *Sedem Apoſtolicam omnium Eccleſiarum caput, Regumq; arbitram à nemine mortalium cujuſcunque dignitatis aut prærogativa judicari debere.* Omiſsâ itaque ob tam grave reſponſum à Carolo quæſtione, Leo ipſe innocentiſſimus, qui id judicium maximè expetebat, ſuggeſtum conſcendens, ac ſacra Evangelia manu contingens, jurejurando affirmavit; ſe omnium rerum, quæ ſibi objicerentur, (quippè ei per ſubornatos teſtes multa enormia, ſed manifeſtè falſa objiciebantur) prorſus inſontem eſſe: *A nemine,* inquiens, *judicatus, nec coactus, ſed mea voluntate impulſus, purgo me præſentibus vobis, coram Deo & angelis ejus, qui conſcientiam meam novit, & coram beato Petro Principe Apoſtolorum, in cujus conſpectu conſiſtimus, me nec ſceleratas res, quas mihi objiciunt, perpetraſſe, nec perpetrari juſsiſſe: & hoc facio non legibus ullis adſtrictus, nec hanc conſuetudinem, vel decretum in ſancta Eccleſia ſucceſſoribus meis imponere cupiens &c. ſed ut nos iniquis & falſis ſuſpicionibus liberemus.* Quibus verbis auditis, omnes cum Rege Carolo eum pro inſonte habuerunt, ac per ſolemnes ſupplicationes, gratias Deo, Matrique ejus, & beato Petro, omnibuſque ſanctis egerunt.

Carolus Romam venit, & quare?

Leo falsò accuſatur.

Inſons declaratur.

Dum hæc Romæ aguntur Pipinus mandato Caroli patris Beneventanos, duce Grimoaldo Pontificis ſubditos infeſtis excurſionibus vexantes, aggreſſus, magnis cladibus ita perdomuit, ut ægrè ſe mœnibus tuerentur: cui bello Vinigiſium Ducem Spoletanum præficiens, Romam ipſe ad patrem, Imperii coronam ex decreto Leonis brevi ſumpturum, revertitur. Nam Pontifex Carolo optimè de Eccleſia Dei merito vicem relaturus, ſimul etiam fidum Apoſtolicæ ſedi tutorem, ac Reipublicæ Chriſtianæ Patronum conciliaturus, cùm videret Imperatores Conſtantinopolitanos ægrè id nomen tueri, ac ob eam negligentiam Urbem & Italiam ipſam magnas ſæpè calamitates paſſam, anno ſalutis 800. ipſo Natalis Dominici die in Baſilica Vaticana poſt ſolemnia ſacra (Populi Romani precibus) ipſum Carolum magna voce Imperatorem decernit, chlamydeque auguſtali indutum, aureo diademate pretioſis undequaque gemmis nitente exornat: ter acclamante populo Romano. *Carolo Auguſto à Deo coronato, magno, pacifico, & piiſsimo Imperatori vita, & victoria.* Populari inde acclamatione ſedata, Pontifex Patrem & filium genuflexos ante aram maximam, illum Imperatorem Romanorum, hunc Regem Italiæ oleo ſancto perunxit, iisque benè precatus eſt. Sicque à Græcis ad Francos, in Carolo, Occidentis Imperium translatum eſt. Accepta itaque Imperii poteſtate Carolus

Pipinus Beneventanos domat, Romamq; revertitur.

Leo Carolum Imperatorem dicit, & coronat.

Pipinum in Regem Italiæ ungit.

rolus Paſchalem & Campulum læſæ pontificiæ majeſtatis reos capite plectendos cenſuit. At Pontifex omni ex parte clemens, interpoſitis precibus, à Carolo Imperatore tandem obtinuit, ut vitâ iis condonatâ in Franciam tantummodò relegarentur.

Paſchalis & Campulus relegantur.

Irene flagitioſum filium luminibus privat, & carceri mandat.

Intereà temporis Irene Conſtantini VII. mater, filii degeneris flagitia & inſolentiam nequaquam ferens, impulſu Procerum ab exilio Conſtantinopolim revertitur; tum filio, (quòd innoxios familiares ſuppliciis affeciſſet, uxori legitimæ repudium miſiſſet, Theodatem ex ſacro Virginum gynecæo raptam conſtupraſſet, patruos effoſſis oculis excæcaſſet, aliaque id genus execranda perpetraſſet) manus injici, ferroque lumina adimi juſſit. Atque ut exoculato ſpes omnis recuperandi imperii, ultioniſque exercendæ abſcinderetur, perpetuis carceribus addixit: ubi (& meritò quidem) ſacrilegus filius, qui matrem relegârat, & vulneris dolore, & animi mœrore contabeſcens illaudabilem per omnia vitam finivit. Irene quatuor adhuc annos thronum cruore filii ſtabilitum vel nutans inſedit.

Irene à Nicephoro relegatur, & moritur.

Exacto quadriennio (volvebatur tum annus Chriſti 802.) Nicephorus Logotheta regnandi cupidus, factâ conſpiratione Irenem piè & fortiter res adminiſtrantem ſolio deturbat, relegatque in Leſbum Inſulam, ubi paulò pòſt, Orthodoxiæ ſemper addicta, diem clauſit extremum. Nicephorus verò crudelitate, ſacrilegiis, libidine, & ignavia, palàm omnibus odioſus, nono poſt anno à Crunno Bulgarorum Rege, cui deprecanti pacem obſtinatè negaverat, noctu armis oppreſſus eſt, & in tabernaculo cæſus: Stauratio filio, quem Cæſarem dixerat, graviter ſaucio, vixque fugâ elapſo. Hic vitiorum omnium officina, Manichæorum maximus fautor, monenti amico, dixit ſe à Deo Pharaonis inſtar induratum; exituſque ſimilis vitam indigno abrupit anno ſalutis 813. Tertio pòſt menſe Michaël Curopalates Procopiâ ductâ gener Nicephori, Stauratio in Monaſterium pulſo, Imperator eſt appellatus: ſed ſuſcepta infelici in Bulgaros expeditione, bienno pòſt Leoni Armenio ceſſit imperium. Theophilactus filius jam Cæſar dictus cum matre Procopia & fratribus in exilium pulſus: Deo in Nicephori ſanguine Irenem luculenter vindicante.

Nicephorus interficitur.

Michaël Curopalates ſuccedit: quo pulſo evehitur Leo Armenius.

Pontifex novis ſeditionibus vexatus Mantuam pergit: Chriſti ſanguinem approbat: de ſeditioſis ſupplicium ſumit.

Leo intereà Pontifex, elongato Imperatore Carolo, quum continuis rebellium ſeditionibus vexaretur, Româ diſcedens, Mantuam proficiſcitur ad videndum Chriſti ſanguinem, qui tum prodigiis clarus magno in pretio erat. Is à Mantuanis digno Pontifice apparatu ſuſceptus, approbato ob frequentia miracula divino ſanguine, ad Carolum in Germaniam proficiſcitur, ut hominem veritatis cognoſcendæ cupidum ejus rei certiorem faceret, ſimulque etiam, ut de componendis Italiæ motibus invicem colloquerentur. Rediens deinde in Italiam, adjuvante Pipino Rege, mandato patris, de conjuratis quibuſdam ac ſeditioſis, non ſine clementia tamen, ſupplicium ſumpſit.

Carolus Imp. rebus benè ordinatis, re-

Carolus autem Imperator jam ſenio annis gravis, cùm intellexiſſet Pipinum filium Italiæ Regem, in ipſo ætatis flore Mediolani extinctum eſſe, Ludovicum filium natu minorem Aquitaniæ Re-

gem

gem & Imperii ſucceſſorem; Bernardum verò nepotem Italiæ Regem declarat, eique mandat, ut Ludovico jure & dignitate potiori rebus in omnibus obtemperet. His ita compoſitis, dum Aquiſgrani valetudinis cauſa aquis calidis, quæ ibi ſcaturiunt, uteretur, ſubita febri ac mox ſævo laterum dolore corripitur menſe Januario: tum ritè expiatus, oleoque exeuntium inunctus, ſumpto maxima cum devotione angelico pane, terris eripitur Quinto Kalend. Februarii, anno ſalutis 814. ætatis ſuæ ſecundo & ſeptuageſimo. Corpus ejus nullo non genere honoris adhibito, in Templo maximo B. Virginis, quod ipſe regiis ſumptibus Aquiſgrani extruxerat, conditum eſt cum hac marmori inciſa Inſcriptione, ut ex Eginharto teſtatur Ranucius Picus *in vita Caroli*, quam Parmæ edidit. *Religioſa morte decedit.*

Caroli Imp. Epitaphium.

Sub Hoc Conditorio Situm Est Corpus
CAROLI MAGNI
Atque Orthodoxi Imperatoris:
Qui Regnum Francorum Nobiliter Ampliavit,
Et Per Annos xlvii. Feliciter Tenuit.
Decessit Septuagenario Major
Anno Domini dcccxiv. Indict. vii.
Quinto Kal. Februarii.

Sanctorum faſtis adſcriptus habetur.

De morte, & pompa funeris Caroli Magni pluribus agit Cardinalis Baronius *ad annum 814.* Aquiſgranenſis Eccleſiæ Tabulæ inter *Sanctos* eum recenſent: & Eccleſia Gallicana quotannis Natalem Caroli diem Quinto Kalend. Februarii celebrat. Illum Paſchalis III. non legitimus Pontifex (ſedit enim contra Alexandrum III.) in Sanctorum Album retulit, ut teſtatur in Notis ad Ciaconium Victorellus. Eundem Joannes Molanus inter Belgii Sanctos enumerat. Eccleſia Romana, etſi nomen ejus Martyrologio non intulerit, cultum tamen, quem illi nonnulli exhibent, expreſsè non improbat. Vide Cardinalem Baronium in Annalibus, doctè hæc omnia referentem, & diſcutientem.

Ejus elogium.

Fuit verò Carolus, vir bello paceque ſummus, juſtitiæ, clementiæ, pietatis, litterarumque cultor eximius, atque omnium Imperatorum, poſt Conſtantinum Magnum, quem virtute & pietate æquaſſe viſus eſt, ſine controverſia maximus: præcipuus laceratæ Italiæ reſtitutor, divexatæque Eccleſiæ Catholicæ aſſertor & propugnator acerrimus: litterarum ſtudiis adeò delectatus, ut primus, ſuadente Alcuino Monacho, duo celeberrima Gymnaſia Pariſienſe & Papienſe inſtituerit: Provehendo cultui divino ità intentus, ut ad intermortuam pietatem excitandam duo Templorum millia immenſis ſumptibus condiderit, & exornaverit. Dignus ſanè, in quo non tam Gallia, quàm Germania ſummum Imperii attigerit apicem, per Germanos Principes huc uſque feliciter propagatum & tentum. Germanum verò fuiſſe, præter publica monumenta, Auctores graviſſimi teſtantur, & res ipſa loquitur. Nam Ingelhemii, quod oppidum Palatinatus inferioris ad Rhenum eſt, natus ſcitur: uxorem duxit Germanam: lingua & veſtis ei Germa- *Germanum fuiſſe optimi auctores aſſerunt.*

nica fuit ; Aquiſgranum Urbs Germanica eidem Regia & ſepulchrum : Grammaticam Germanicam primus omnium ſcripſit, utique perfectus Germanus, & menſibus ac Ventis nomina Germanica, quæ adhuc retinemus, indidit. Quin & Epiſtolas ut plurimùm Germanica lingua exaraſſe, ac preces, hymnosque ſacros eodem idiomate condidiſſe repertus eſt. Quibus omnibus conſideratis, meritò eum Trithemius natione Germanum appellat, eumque hoc nomine inter illuſtres Germaniæ Scriptores collocat. Porrò ſi corporis ſpeciem ſi mores, naturam inſpicias, Germano Principi perquàm ſimillimum fuiſſe non negabis : nam ſtaturâ fuit procerâ, oculis vividis & vigore plenis, barbâ prolixâ genas æqualiter veſtiente, fronte lata, naſo oblongiori, colore inter album & rubrum medio, eleganti membrorum compagine, vultu ſereno & admajeſtatem compoſito, amplis lateribus, & voce virili. Verbo totius corporis imago magnanimum fortemque germano ſanguine cretum Principem referebat.

Obiit, ut diximus, Aquiſgrani, ætatis ſuæ anno 72. Regni Francici 45. Italici 41. Imperii 13. Plura de Ipſo Baronius *in Annal.* Blondus *dec. 2. lib. 3.* Paul. Æmil. *l. 2. & 3.* Cranzius *lib. 2.* & alii paſſim.

Defuncto Carolo Leo ſeditionibus exagitatur.

Leonem Pontificem, quamdiu Carolus vitæ ſuperſtes fuit, veriti ſunt ipſimet Romanæ Eccleſiæ hoſtes : at eo è vivis ſublato, rurſum facinoroſi conſpiratione facta in eum inſurrexerunt, vitæ ejus molientes inſidias. Quod exploratum habens Leo, in eos tanquam ſeditioſos ac læſæ majeſtatis reos lege agi præcepit : cujus rei gratia magnæ ſunt turbæ Romæ concitatæ, ſecutæque plurimæ ſtrages, deprædationes, incendia, aliaque mala; adeò ut opus fuerit Ludovico Imp. in Urbem mittere, qui loco Pipini fratris ſucceſſerat in regnum Italiæ, Bernardum. Hunc autem per Viniſium Ducem Spoletanum ſeditionem illam compreſſiſſe, referunt Annales illius temporis editi à domeſtico Ludovici Imperatoris. His igitur Leo graviſſimis afflictionibus vexatus, frequentiorem adhibuit ad implorandum divinum auxilium celebrationem Miſſarum : *Ipſe enim*, ut ſcribit Walafridus Strabo in libro de Rebus Eccleſiaſticis, *una die ſepties, vel novies Miſſarum ſolemnia ſæpiùs celebravit.*

Bernardus Italiæ Rex in auxilium mittitur.

Leo ſæpiùs in die ſacris operatur.

Cæterùm Leo erectis, dotatis, atque exornatis tam in Urbe quàm extra Urbem plurimis Eccleſiis, Sacellis, Aris, Cœnobiis, Tricliniis, & Xenodochiis (in quæ nonnulla centena millia contuliſſe repertus eſt) pacatâ etiam Italiâ, optimeque conſtitutâ Eccleſiâ, obiit Romæ plenus dierum ac meritorum, vigeſimo primo Pontificatus ſui anno, id eſt Pridie Idus Junii anno reparatæ ſalutis 816. ſepultusque eſt in Baſilica Vaticana. Quem ſanè majores ob rerum geſtarum magnitudinem, vitæque integritatem adeò venerati ſunt, ut ad ejus monumentum Aram Deo in Baſilica ſancti Petri extruxerint; & cum ſanctitate paribus Leone I. II. & IV. uno in loco eum condi & coli voluerint : quod à Paſchale II. marmoreo lapidi inſcriptus hic titulus docet.

Leo ſanctè moritur.

SUB HOC ALTARI SUNT CORPORA
SS. LEONUM PRIMI, SECUNDI, TERTII, ET QUARTI
PONTIFICUM ET CONFESSORUM, &c.

Ejus Epitaphium.

Leonis Pontificis, & Caroli Imperatoris obitum collacrymatus eſt Poëta ejus ætatis carmine haud invenuſto, ſi ſcribentis ævum ſpectes.

Carmen vetuſtum de Carolo & Leone.

Cæſar tantus eras, quantus & Orbis:
At nunc in modico clauderis antro,
Poſt Te quiſque ſciat ſe ruiturum.
Et quod nulla MORI gloria tollat.
Florens Imperii gloria quondam
Deſolata ſuo Cæſare marcet;
Hanc ultra ſpeciem non habitura,
Quam Tecum moriens oculuiſti.
O quanto premitur ROMA dolore!
Præclaris ſubitò Patribus orba:
Nunc AUGUSTE tuo funere languet,
Infirmata pii morte LEONIS,
Leges à ſenibus Patribus actas,
Quas elapſa diù raſerat ætas,
Omnes ut fuerant, ipſe reformans,
Romanis ſtuduit reddere cauſis.
Tu longinqua ſatis Regna, locosq;,
Quos nullus potuit flectere Cæſar,
Romanos onerans viribus arcus,
Ad Civile decus excoluiſti;
Quæ Te non doluit, Cæſar, obiiſſe,
Vel quæ non timuit Patria vivum,
Sed quæ Te timuit Patria vivum,
Hæc Te nunc doluit Cæſar obiiſſe:
Nam ſic lenis eras jam ſuperatis,
Et ſic indomitis gentibus aſper,
Ut qui non doluit, jure timeret,
Et qui non timuit, jure doleret.
Luge, ROMA, tuum nomen in umbris,
Et defuncta DUO LUMINA luge;
Arcus frange tuos, ſicq; triumphum
Et te, ROMA, tuis hoſtibus offer.

Anno 803. Leo III. dum in Germania ageret, rogatus à Carolo Magno, & Hidebaldo Archiepiſcopo Colonienſi, Werdam navigio profectus, beatum Swibertum Epiſcopum Werdenſem, Carolo ipſo, Cardinalibus, Archiepiſcopis, Præſulibus, Nobilibus &c. præſentibus (lectis priùs Swiberti inter Miſſarum ſolemnia actis) Sanctorum Confeſſorum numero ritu ſolemni adſcripſit. Et hæc prima ſolemnis Canonizatio (teſte Baronio, Bellarmino, Ciaconio, & aliis) in Eccleſia Romana, quantum quidem conſtat, extitit.

B. Swiberto ſacros honores decrevit.

SCRIP-

S C R I P T A.

Leonis Scripta. Scripſit Leo III. præter *Enchiridion* contra Mundi pericula, (ut refert Gabriel Naudæus in Apologia) Epiſtolas quatuor, quarum tres inveniuntur cum notis Binii tomo 6. Conciliorum : Una ad Kemulphum Merciorum Regem de rebus Anglicanis : altera ad Carolum Magnum de Privilegio Capellæ Eresburgenſis : tertia ad Ricolphum Archiepiſcopum Moguntinum de rebus Eccleſiaſticis. Quartam verò refert Joannes Lieuræus in Volſerio II. Archiepiſc. Viennenſi. Litteras etiam dediſſe invenitur ad Forminum Jaderenſis Eccleſiæ, & Gregorium Nonenſis Urbis Epiſcopos, quibus mandat, ut Spalatenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo reverentiam & honorem debitum exhiberent : hujus Epiſtolæ fragmentum recitat Chronicon Salonitanorum : & Ferdinandus Ughellus ex Bibliotheca Franciſci Cardinalis Barberini illud tranſcripſit in tomo 5. Italiæ ſacræ. Ad Leonem inter alios ſcripſêre Carolus Imperator, & Theodorus Studita, qui cùm ob Imaginum cultum in exilio detineretur, litteras primò miſit ad Leonem per Epiphanium Archimandritam, quem Legatum Romam miſit, ut Romanum Pontificem de omnibus, quæ pro fide Catholica geſta erant, redderet certiorem : deinde poſt Epiphanium ad eundem Pontificem legavit Euſtathium Monachum cum litteris, quas recitat Baronius tomo 9. Annalium ad annum 809.

Decreta nonnulla hujus Pontificis, ad Eccleſiæ Univerſalis utilitatem edita invenies apud Gratianum, aliosque Decretorum Collectores.

Laudatur Trithemio. Abbas Trithemius *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* agens, hoc Leonem III. exornat elogio. *Leo Papa Tertius, Romanus, vir fuit in Scripturis tam divinis, quàm ſæcularibus valde eruditus : morum quoque & vitæ ſanctitate clariſſimus, qui Carolum cognomento & opere Magnum ad Imperium Romanorum unxit ; & hanc dignitatem à Græcis in Francos tranſtulit. Scripſit præter alia Epiſtolarum ad diverſos librum unum.* Corrigendus tamen Trithemius, qui Leonem ſub Carolo è vita migraſſe ſcribit, Cùm Carolus biennio mortem Leonis præceſſerit.

ANNO CHRISTI DCCCXVI.

Imperatore LUDOVICO PIO Auguſto.

DE

STEPHANO V. Pontifice Max.

XCIX. *Vir magnæ doctrinæ & integritatis.* STephanus V. Romanus, nobili genere Julio Marino patre ortus, atque ſub Hadriano viro ſanctiſſimo litteris & virtutibus imbutus, purpuraque presbyterali à Leone III. donatus, quinto Nonas Julii poſt obitum Leonis Pontifex maximus unanimi Cleri

Cleri populique ſtudio deſignatur, & conſecratur. *Erat autem Stephanus* (Anaſtaſio, Baronio, & Platina teſtibus) *tantæ doctrinæ & integritatis, ut facilè apud omnes ſanctitatis nomen nanciſceretur, quippè qui ſub duobus ſanctiſſimis viris Hadriano & Leone educatus, rationem bene ac beatè vivendi didicerit.* Quamvis non deſint ingenui auctores, qui eum ex ordine & diſciplina D. Benedicti progreſſum velint. Vide Bucelinum *in Aquil. Imp. fol. 121.* Annal. Bened. *ad an. 816.*

Iter in Galliam adornat & quare?

Hic ſtatim per Legatos Ludovicum Imperatorem deſignatum de ſua in Pontificem electione commonefecit, ſimulque oſtendit, ſe iter in Franciam adornare, tum ut ipſum, inſtituto more, in Imperatorem inungeret; tum ut cum eo de comprimenda ſeditione, ex reliquiis Campulianæ conjurationis poſt mortem Leonis iterum exorta, & invaleſcente conſultaret. Tertio itaque, poſtquam conſecratus fuit, menſe, diſpoſitis Romæ rebus, cum inſigni Præſulum comitatu meditatum iter ingreſſus, in Franciam venit. Rhemis tunc erat Ludovicus, ſuis diſtentus negotiis, qui, ubi Pontificem adventare intellexit, ſtatim honoratiſſimum quemque obviàm miſit, maximè verò Theodulphum Rhemorum Epiſcopum cum Clero & magna populi parte. Ipſe verò ad primum lapidem cum aulæ Proceribus occurrens, mox ut hominem in conſpectu habuit, ex equo delapſus, datâ acceptaque ſalute, maxima illum veneratione in Urbem introduxit, præcedente Clero, ac ſæpius Angelicum hymnum *Te Deum laudamus* repetente. Tantus verò hominum Pontificis videndi cupidorum concurſus in Urbe factus eſt, ut ægrè Cæſar cum Pontifice propter impetum multitudinis in Regiam eluctari potuerit.

Allapſus ſummo honore ſuſcipitur.

Ludovicum cum uxore coronat, ac cum eo amicitiam confirmat.

Stephanus adventus ſui rationibus expoſitis, deque Italiæ rebus componendis cum Imperatore collocutus, proximam Dominicam (quæ tum in quartam diem Septembris anni 816. inciderat) peragendæ Cæſareæ coronationi præfixit. Qua illuceſcente, Ludovicus cum Ermengarde conjuge Imperii coronam de manu Pontificis accepit, oleoque ſancto inunctus eſt. Tum Pontifex Auguſtis benè precatus (confirmatâ utrobique amicitiâ) Romam, Cæſar Compendium profecti ſunt. Retinuiſſet Pontificem apud ſe diutiùs Imperator, niſi tum gravibus implicitus bellis, ſe ſe objicere hoſti neceſsè habuiſſet. Abiturus verò Stephanus, ad imitationem Salvatoris noſtri, qui etiam inimicis pepercit, à Ludovico precibus impetravit, ut exulibus Romanis & captivis, quos ſceleris in Leonem admiſſi convictos Carolus exilio mulctaverat, Romam ad propria redire liceret. Secum quoque detulit crucem auream gemmis pretioſiſſimis diſtinctam, magni ponderis & æſtimationis, quam Ludovicus Imperator, præter alia inſignia dona, beato Petro obtulit, ampliſſimum ſuæ in Apoſtolicam ſedem pietatis monumentum.

Exulibus Romanis libertatem impetrat.

Pretioſis afficitur donis.

Prematurè diem ſuum obit: claret miraculis.

Stephanus poſt ſuum è Gallia reditum, cùm ſanctis operibus totus intentus eſſet, tertio menſe nondum exacto fatis conceſſit die 25. Januarii anni 817. poſtquam ſediſſet menſes duntaxat ſeptem & dies tres: depoſitus in Vaticana Baſilica. Stephanum miraculis à Deo illuſtratum fuiſſe ſcripſit Theganus Trevirenſis Corepiſco-

epiſcopus in Opuſculo ſuo. Cæterum multa ſunt in Anaſtaſii Codice de ornamentis à Stephano Papa in diverſas Urbis Eccleſias collatis, & reſtauratione earum, & ædificiorum ſtructuris: ſed ad Leonem III. referenda ſunt, cùm alioqui nec temporis anguſtiæ talia tantaque adſcribi Stephano patiantur, cùm plurium annorum ad ea perficienda oportuiſſet ſpatia interceſſiſſe. Multa tamen donaria in auro & argento diverſis Eccleſiis dicâſſe reducem è Gallia, certum eſt.

Hallucinatur in eo Anaſtaſius.

SCRIPTA.

Ejus Scripta.

Multa ſcripſiſſe Stephanum opuſcula opinati ſunt graves Auctores, quòd paſſim *magnæ doctrinæ vir* in monumentis veteribus appelletur. Fors temporum injuriis periêre. Invenitur unica ejus Epiſtola M. SS. in Vaticana Bibliotheca, & in Decreto Gratiani *diſt. 33. Can. 38.* Hanc tamen Binius, & Baronius dubiam faciunt, cenſentes eam alterius eſſe Stephani.

Extat etiam Decretum noſtri Stephani *de Electione Romani Pontificis* (teſte Oldoino in additionibus ad Ciaconium) quod nemo hactenùs in dubium vocavit.

Eidem pariter adſcribuntur Hymnus *de S. Stephano Protomartyre*: Libellus *ſacrarum orationum*, & Sermones duo ad Populum Romanum habiti. Verùm quia Baronius nihil horum meminit in Annalibus, & Supplemento; ſuſpicione non vacant.

ANNO CHRISTI DCCCXVII.

Imperatoribus Ludovico Pio, & Lothario filio Auguſtis.

DE

PASCHALI I. Pontifice Maxim.

C.

Invitus eligitur.

PAſchalis I. patria Romanus, Maximi Bonoſi filius, Monachus ante ſuſceptam è Leone III. purpuram Benedictinus, & Abbas S. Stephani propè ſanctum Petrum, miro populi Clerique univerſi conſenſu, nulla Cæſaris interpoſita auctoritate, invitus planè, diuque reluctans, biduo poſt Stephani V. obitum electus eſt Romanus Pontifex : *Vir*, ex Anaſtaſio, *Sanctus, caſtus, pius, & innocens: magnanimus, doctus, loquela devotus, pudicitia plenus. Qui nimis hilariter, jucundeq; in eleemoſynis pauperum cuncta, quæ habebat, diſtribuit: factusq; Monachus, ſedulâ ordinis ac diſciplina obſervatione, diu noctuq; orationibus, Pſalmodiæ, vigiliis, quotidianisq; jejuniis humiliter inſiſtebat. Quem dum Prædeceſſor ejus Domnus Leo ter beatiſſimus Papa tantis ſtudiis pervigilem, & religioni devotum conſpexiſſet, et Monaſterium B. Stephani primi Martyris juxta Eccleſiam B. Petri Principis Apoſtolorum ad regendum commiſit. In hoc Monaſterio omnibus exemplo, & ſancta operatione prælucens, quotidie magis magisq; creſcebat in virtute & pietate in* Deum

Ejus præclara vita primordia ex Anaſtaſio.

Deum, abſque quo prædeceſſor ejus Dominus Stephanus Papa de hac luce ad æternam beatitudinem migraſſet. Dum ergo per tanta bona operationis exempla longè lateq; fama ejus diſcurreret, divino interveniente conſilio, à cunctis Sacerdotibus, & Proceribus, atque omni Clero, & populo Romano conſentientibus, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, in ſedem Apoſtolicam pro regimine totius Eccleſiæ Pontifex maximus elevatus eſt. Erat enim præceptorum Patrum, & pontificiorum inſtitutorum, ſacrorum Canonum, legum, & ſanctionum diligentiſſimus obſervator; & omnis juſtitiæ à tempore ordinationis ſuæ zeloſiſſimus promulgator: tardus ad iraſcendum, velox ad miſerendum, nulli malum pro malo reddens, ſed omnia mala in bono vincens: commiſſi ſibi à Deo populi amator eximius, & gubernator vigilantiſſimus &c. Hæc, & ſimilia plura Anaſtaſius gravis, candidus, & ſincerus ejus temporis Author.

Legationes ex oriente ad eum.

Ubi autem in Oriente innotuit Paſchalem ad Apoſtolicum thronum eſſe evectum, Theodorus Studita clariſſimus Confeſſor ad eum litteras per Dionyſium diſcipulum miſit, non ſuo tantùm nomine, ſed quinque aliorum Præſidum Monaſteriorum, fidei ac religionis Catholicæ ergò in exilium pulſorum. Ipſe etiam Theodorus Pſeudopatriarcha Conſtantinopolitanus ad communionem ab ipſo Romano Pontifice ſurripiendam, Apocriſarios Romam miſit pro reſponſis Eccleſiaſticis: hos cùm audiſſet Paſchalis in Urbem adventare, eoſdem ob ſchiſma execratus, ne propiùs accederent, prohibuit. Contrà verò Nuncium à Theodoro Studita, & ab aliis exulibus miſſum quàm humaniſſimè excepit. Quorum litteras ad ſe datas cùm legiſſet, magno animi dolore & compaſſione affectus, qua potuit ratione periclitantibus præſto eſſe ſtuduit, reddens ad eos paterni amoris pleniſſimas litteras, quibus tum Theodorus, tum reliqui magna ſunt conſolatione affecti, & ad duriora etiam perferenda animati.

Legatos Pſeudopatriarchæ rejicit.

Legatos Theodori Studitæ recipit, & ſolatur.

Iconoclaſtas arguit, & ad ſaniora accendit.

Ut autem Iconomachorum aciem à Chriſtiana Republica profligaret, Conſtantinopolim Legatos miſit cum litteris ad Imperatorem, quibus erroris arguebantur quot quot ab Eccleſia Romana recederent. His igitur litteris complurium concaluerant civium animi ad hæreſim reſpuendam, & veritatem profitendam; excitatique pariter ad errorem publicè deteſtandum, & palàm cultum ſacrarum Imaginum confitendum. Hinc factum, ut multò acriùs atque anteà recrudeſceret ac ſæviret in Orthodoxos perſecutio; & complures ex iis, qui lapſi erant, rurſus confeſſionis ingrederentur agonem, adverſus Iconomachos certaturi, dum & qui detinebantur in carcere, arctioribus vinculis conſtringerentur, atque ipſi regiæ impietatis Miniſtri in eos vehementiùs ſævirent. Inter hæc enituit quàm maximè ubique locorum Orientalis Eccleſiæ ingens Paſchalis Pontificis cura, & ſtudium in juvandis Græcis Orthodoxis laborantibus: ſiquidem nihil antiquius habens, quàm de fide Catholica benemereri; Orthodoxos omnes extorres, Conſtantinopoli vel ex aliis partibus Orientis Romam confugientes paterno ſinu excepit, fovitque quoad potuit. Quin & Græcis Monachis egregium conſtruxit Monaſterium apud S. Praxedem, fundis, prædiis, redditibus, & donis apprimè auctum: erat enim extorrium

Perſecutio ſævior.

Orthodoxos exules benignè ſuſcipit.

Monachorum incredibilis numerus, quibus capiendis, illa quæ in Urbe tum erant Græcorum monaſteria, minimè ſufficiebant.

Leo Armenus occiditur. Dum hæc Romæ aguntur, clamor exulum innocentium cœlos penetravit, & Leo V. impius, crudelis, & ſanguinolentus Imperator, Conſtantinopoli à conjuratis in ipſo Templo, quod ſpoliaverat, VIII. Kalend. Octobris anno ſalutis 820. (ultore Deo) occiditur: imperium ſibi vindicante Michaële juniore, cognomento *Balbo*, linguâ, moribus, & vitâ corrupto: qui licèt in exordio regiminis Leone ſit viſus mitior, progreſſu tamen temporis quavis tygride ſævior crudeliorque apparuit. Nam bellum cum Catholicis longè crudeliſſimum gerens, Monachos omnes, eorumque fautores diris ſuppliciis, ac feralibus edictis perſequutus eſt: quorum alios truncatis naribus, alios effoſſis oculis, alios linguâ, labiis, manibus, pedibus, verendis mutilatos necavit; innumeros flagris, igne, ferro, carceribus, exilio, afflictavit: Methodium ſanctiſſimum virum (qui poſteà Patriarcha evaſit) in Inſulam relegatum diræ cuſtodiæ incluſit. Euthymium Sardenſium Epiſcopum flagris ad mortem cæſum interemit; alioſque Præſules fide ac ſanctitate conſpicuos, ferro ac flamma confecit. Unum omnium crimen erat, ſacris Imaginibus cultum adhibuiſſe. Quantò verò acriùs Chriſtianos oppreſſit, tantò plus Judæos tributorum ac vectigalium immunitatibus allevavit. Quin etiam, cùm Copronymum tanquam præclarum ſanctitatis exemplum ſibi imitandum ſuſcepiſſet, ad extremum impietatis pervenit. Quid igitur? horret animus referre: ſacrilegam cum primis linguam in Prophetas acuit, mendaces eos appellans: futuram mortuorum reſurrectionem negavit, & bona, quæ ex ea nobis promittuntur, irriſit. Vitam æternam amentium ſomnium dixit: dæmonem nullum eſſe contendit, quòd nihil de eo apud Moyſen ſcriptum eſſet: fornicationes, ſtupra, adulteria, impuros amplexus probavit, & Judam denique proditorem, inter eos, qui ſalvi ſunt, retulit. Quin & Paſcha perperàm & præter tempus à nobis celebrari, dixit: & dogmata noſtra, ſacroſque ritus omninò repudiavit. Litteras præterà adeò averſatus eſt, ut ne pueros quidem iis erudiri ſit paſſus, veritus, ne quis ex iis, aut ſtultitiam ſuam argueret, aut oculorum & linguæ velocitate ſibi laudem in legendo præriperet. Hinc Lycæa, Gymnaſia, Academias in ſolitudinem vertit.

Leoni ſuccedit Balbus tyrannus longè crudeliſſimus.

Copronymi impietatem imitatur.

Ejus execranda dogmata.

Ludovicus Imp. filios ſuos evehit. Hoc eodem tempore Ludovicus Imperator in Conventu Aquiſgranenſi Lotharium filium natu majorem Imperii Socium ſibi aſcivit: Pipinum ſecundum à Lothario Aquitaniæ, Ludovicum tertium Bavariæ Reges appellavit. At verò cùm Bernardus Italiæ Rex, inſtigantibus quibuſdam Epiſcopis, & ſeditioſis civibus ab Imperio defeciſſet, coëgiſſetque civitates quaſdam & populos in ſua verba jurare, Ludovicum Cæſarem in ſe concitavit, qui ulturus injuriam, validos duces cum duodecim pugnatorum millibus in Italiam miſit. Horum verò impetus retardare conatus Bernardus, dum incautiùs dimicat, in alpibus ſuperatur & capitur. Seditionis complices è latebris extracti, convictique diverſis ſuppliciis necantur. Ipſe verò Bernardus Rex Aquiſgranum deductus, quamvis

Bernardus Italiæ Rex deficit, & cum complicibus punitur.

vis ſupplex veniam deprecaretur, in pœnam ſceleris oculis ignito ferro privatur, ſecutâ ex atrocitate ſupplicii ejus morte. Epiſcopi autem tanti mali auctores, Synodali decreto exauctorati (condonatâ vitâ) ad pœnitentiam in diverſa Cœnobia relegantur. Sedato itaque, Italico tumultu veriùs quàm bello, Ludovicus in Saxones, qui ab Imperio defecerant, copias movet: eorumque Ducem Viromarchum, regnum affectantem, & ſecum prælio congredi auſum, ſuperat, atque in ipſa ſtatione ad terrorem perduellium interficit.

Viromarchus rebellium Saxonum dux interficitur.

Functus hoc prælio Ludovicus Imp. filium Lotharium, Italiæ Regem declaratum, Romam ad Paſchalem Pontificem miſit, à quo ſolemni cæremonia in Baſilica Vaticana inungitur, coronatur, & *Auguſtus* appellatur. Intereà tumultuante iterum Italia, & ad res novas ſpectante, quum Lotharius tantis motibus comprimendis nequaquam ſe parem cerneret, majores exercitus paraturus ad Patrem ſe contulit. Eo elongato, cùm furor, ſeditioſorum invaleſceret, Theodorus Primicerius, & Leo Nomenclator ſe ſe furentibus opponentes, in Lateranenſi palatio effoſſis oculis necantur. Fuêre, qui tantum crimen in Paſchalem rejicerent: ſed is nihil ſibi conſcius, coacta Synodo triginta Epiſcoporum, & conjecturis, & rationibus, & juramento à tanto ſe crimine liberavit. Accepit hanc ſatisfactionem Ludovicus, & Paſchali omnia, quæ à Prædeceſſoribus ſuis donata, vel reſtituta fuerant Eccleſiæ Romanæ, imperiali diplomate confirmavit, ac per Theodorum S.R.E. Legatum Paſchali tranſmiſit. Haud multò pòſt idem Ludovicus Imperator in Concilio Attiniacenſi immanitatem in Bernardum Italiæ Regem, nepotem ſuum commiſſam, quem oculis orbaverat, publicâ pœnitentiâ diluit, ac pro expiatione hujus delicti *Corbejam* illuſtre in Saxonia Monaſterium erexit, monitus per quietem à Sanct. Adelhardo Corbejæ in Gallia Abbate, quem ipſe, quorumdam calumniis deceptus, ante ſeptennium innocentem relegaverat.

Ludovicus Imp. filium Romam mittit coronandum.

Oritur ſeditio.

Paſchalis ſe purgat.

Donationes Eccleſiæ confirmâtur.

Ludovicus ſuper commiſſis pœnitentiam agit.

Paſchalis rebus optimè conſtitutis ad ſacra converſus, quamplurima ſanctorum Martyrum corpora, minùs religioſè jacentia, in Urbem cum maxima veneratione introducta, honeſtiori loco recondidit: & captivos innumeros, perſoluto creditoribus pretio, è vinculis liberavit: Congiarium annuum Clero, & emeritis dedit. Pauperes, Peregrinos, Viduas, pupillos, paternè fovit, eorumque neceſſitatibus liberaliſſimè conſuluit. Templum S. Praxedis martyris vetuſtate collapſum funditùs reſtituit, ac ſanctis corporibus, & donariis auxit. Oratorium Beatæ Agneti dedicatum pluribus ornamentis auguſtius reddidit. Celebre templum Sanctæ Cæciliæ Virgini & Martyri conſtruxit, eoque loco ipſius Virginis, & ejus Sponſi Valeriani, ac ſanctorum Martyrum Valeriani, Tiburtii & Maximi, Urbani item & Lucii Pontificum corpora honorificè collocavit. Reliqua donaria à Paſchali ſanctiſſimo Pontifice aliis Eccleſiis facta, longa ſerie enummerant Anaſtaſius, Baronius, Oldoinus, & alii, qui conſuli poſſunt.

Paſchalis multa ſancta operatur.

Ejus in omnes munificentia.

Sanctè moritur. Cùm ſediſſet Paſchalis ex Baronio annos ſeptem, menſes tres, dies decem & ſeptem, non ſine ſanctimoniæ nota, è vita migravit Pridie Idus Maij anni 824. Ejus corpus in Baſilica Principis Apoſtolorum depoſitum memoratur. Ex inſcriptione tamen, quam legimus in Eccleſia S. Praxedis apud Monachos Vallis Umbroſæ ad ingreſſum ſacelli ſacræ Columnæ, ſupra magnam tumbam appoſitam, quæ eſt talis

(S. PASCHALIS PP. I.)

concludunt aliqui, ibi corpus hujus Pontificis requieſcere. Id quod etiam Oldoinus in additionibus ad Ciaconium obſervat.

S C R I P T A.

Ejus Scripta. Scripſit Paſchalis Epiſtolas nonnullas; quarum unam dedit ad Petronacium Archiepiſcopum Ravennatem; alteram ſcripſit occaſione inventionis corporis S. Cæciliæ, qua totius rei ſeriem prodit. & hæc extat in Bibliotheca Vaticana, quam Baronius tranſcripſit *tomo 9. Annalium*. Item alias ad Theodorum Studitam, & Archimandritas: Unam etiam ad Leonem Armenium Imperatorem contra Iconomachos. Invenitur quoque ſcripſiſſe Epiſtolam ad Panhormitanum Præſulem, cujus nomen excidit, quam integram apud Antonium Auguſtinum *in Antiquis Collectionibus Decretalium cap. 21.* & apud Rocchum Pyrrum in *Notitiis Eccleſiarum Siciliensium* legimus. Hanc tamen negant aliqui à Paſchali I. conſcriptam eſſe, quòd Regis Siciliæ ibi meminerit Pontifex, cùm Paſchali I. ad Eccleſiæ gubernacula ſedente, nulli in Sicilia Reges eſſent, quare ſecundo potiùs, quàm Primo tribuendam eſſe Epiſtolam illam volunt. Laudatus tamen Pyrrus contra Piccolum quendam, à Paſchali I. hanc eſſe conſcriptam diſertiſſimè docet. Edidit etiam Carmina, Inſcriptiones, & Hymnos ſacros, ut quibusdam placet. *Carminum* certè & *Inſcriptionum* luculenta etiamnum teſtimonia extant Romæ in variis Eccleſiis, præſertim ſanctarum Praxedis, & Cæciliæ, muſivo, ut vocant, opere edita. De *Hymnis* ab eo conſcriptis certi nil habeo.

ANNO CHRISTI DCCCXXIV.

Imperatoribus Ludovico Pio, & Lothario filio Auguſtis.

DE

EUGENIO II. Pontifice Maxim.

CI. *Schiſma inter Eugenium & Zinzinum Card.* EUgenius II. Romanus, Boëmundi viri conſularis filius, tantæ religionis, ſanctitatis, doctrinæ, humanitatis, & eloquentiæ fuit, ut rejecto Zinzino Presbytero Cardinali, qui ſeditioſorum ſtudio Pontifex electus ſchiſma conflaverat, ipſe

ipſe ſolus à Clero Populoque Romano Pontificatum expeteretur, conſecratus ac coronatus XII. Kal. Junii anni 824. non ſine ſtrepitu quorundam ſeditioſorum.

Lotharius ad comprimendam ſeditionem Romam mittitur.

Conſtitutio de electione Papæ.

Ludovicus Imperator diſſenſionis nuncio ab Eugenio accepto, cùm Britannica expeditione detineretur, Lotharium filium conſortem Imperii Romam miſit, qui Pontifice aſſentiente & adjuvante, compreſſis ſeditioſis, Urbis ſtatum legibus correxit, tranquillavitque: tum ex Eugenii auctoritate Conſtitutionem *de ſummi Pontificis electione* edidit, atque publicavit hujus tenoris: *ut ad electionem Romani Pontificis nemo deinceps veniret, niſi illi, qui ex antiqua conſuetudine, Patrumq; laudabili conſtituto jus legendi Pontificem haberent: qui ſecùs facerent, Pontificis ac Cæſaris gratiâ exciderent, exilioq; damnarentur.* Vide Baronium ad annum 824. n. 14. Illud etiam propter tumultus ſuperiores adjectum, ut ad vitanda comitiorum diſſidia, amoliendaque Schiſmata, aut Legati Regis, aut Rex ipſe Italiæ, ſi in Urbe adeſſent, conſecrationi Pontificis intereſſent.

Eugenii in omnes charitas.

Rebus ita conſtitutis Eugenius, dignitate corporis, & animi præſtantia inſignis, ut ſcribit Platina, ſpretis rebus humanis, ad pietatis opera converſus, pontificiam clementiam & liberalitatem in omnes explicuit, rem frumentariam difficillimo annonæ tempore ità curando, ut nullibi viliùs, quàm Romæ fruges atque cibaria venderentur: præterea pauperum, pupillorum, & viduarum cauſas, vitamque tanta ſollicitudine, quoad vixit, tutatus eſt, ut ab omnibus uno ore pupillorum pater, viduarum tutor, pauperumque miſericors ſuſtentator diceretur. Ejus etiam rogatu & operâ captivi omnes, ac exules, qui ſupererant, ex Gallia ad Urbem rediere: quos, bonis paternis ac fortunis omnibus ſpoliatos, ſuis facultatibus ſuſtentavit: quin & grandi ære detentos à barbaris redemit, domumque revectos ſtipendiis ampliſſimis recreavit. Pari pietate celebrato Romæ concilio ſexaginta trium Epiſcoporum, diſciplinam Canonicam juxta morem primitivæ Eccleſiæ inter Clericos non ſolùm Romanos, ſed & aliarum Civitatum per orbem univerſum reſtituere curavit, generali eoque ſaluberrimo decreto deſuper edito, quod habetur *in Cap. Neceſſaria. 12. q. 37.* Alii Canones in hoc pariter Concilio reſtituti, & in uſum reducti.

Concilium de reformatione Cleri celebrat.

Plenus meritis decedit.

Cùm itaque his præclaris actibus intentus, annos tres, menſes duos, dies viginti in Pontificatu exegiſſet, ut Baronius atteſtatur, plenus meritorum diem clauſit extremum tertio Idus Auguſti anno redempti Orbis 827. collacrymantibus omnibus, & ſuam potiùs vicem, quàm mortem ſanctiſſimi Viri dolentibus, cùm mors ei ad felicitatem via optatiſſima eſſet. Sepultus eſt more majorum in Baſilica Vaticana, quam, dum viveret, maximi pretii donariis locupletavit.

Theodori Studitæ ſanctus obitus.

Sedente Eugenio in Petri Cathedra, Theodorus Studita, Abbas Monaſterii (quod Conſul ſtudius olim in ſuburbio Conſtantinopolitano erexerat) confeſſione ob cultum ſanctarum Imaginum ſæpiùs iteratâ clariſſimus, doctrinâ, vitæ ſanctitate, & miraculis inclytus, ex hac vita migravit exul in Chalcide die XI. Novembris anno ſalutis 826.

SCRI-

SCRIPTA.

Eugenii Scripta. Quamvis Eugenius eruditione, facundia, & ſanctitate claruerit, nihil tamen ad poſteros tranſmiſiſſe reperitur præter unam Epiſtolam, quam ad Sanctum Bernardum Archiepiſcopum Viennenſem ſcripſit, quæ extat in Bibliotheca Floriacenſi.

Et Decretum generale, quod omnes totius Chriſtianitatis Clericos, eorumque vitæ ordinationem concernit: quod, ut diximus ſupra, habetur *in Cap. Neceſſaria 12. q. 37.* Sunt tamen, qui eidem nonnullas Homilias, ſeu ſermones ſacros, attribuant: Quorum ego notitiam non habeo.

ANNO CHRISTI DCCCXXVII.

Imperatoribus LUDOVICO PIO, & LOTHARIO filio Auguſtis.

DE VALENTINO I. Pontifice Max.

CII. VAlentinus I. quem alii per errorem Valentinianum nominant, Monachus D. Benedicti patria Romanus, Petri Leontii filius, tantæ virtutis & ſanctitatis fuit, ut ſummum Pontificatus gradum non tam eligentium ſtudio, quàm meritorum ſuffragio aſſecutus memoretur. *Nec mirum,* inquit Platina, *quippè cùm apud Paſchalem & Eugenium viros ſanctiſſimos, & doctrinam, & rationem benè ac ſanctè vivendi à teneris annis uſque ad maturam ætatem didicerit: non ludis, non jocis, aut voluptatibus intentus, ut plerique omnes adoleſcentes facere conſueverunt, ſed doctrinam & benè vivendi normam ex aſſidua lectione veterum & exemplo ſanctorum Pontificum ſumens.* Onuphrius Panvinius, qui notas in Platinam edidit, eundem ſummis laudibus in hæc verba effert: *Erat Valentinus vir magna ſanctitatis, & Spiritu ſancto plenus, mundanas & hominum vanitates abhorrens, frugalitate clarus, actione præcipuus, ſermone luculentus: viduarum, pupillorum, captivorum, & pauperum Chriſti amator conſtantiſſimus.*

Ejus ſancta vitæ primordia.

Vir pius & eloquens. Cæterùm fuit in Valentino tanta ingenii dexteritas, tanta eloquentiæ vis, ut facilè hominum animos, quocunque vellet, orationis nervo propelleret, nil niſi ſanum, & quod doctrinam cœleſtem ſaperet ac modeſtiam, proponens: verbo, tanta pietate, prudentia, liberalitate, & clementia, tam in vita privata, quàm in Pontificatu eminuit, ut nulli majorum virtutibus cedere ſit viſus. Has ob virtutes, omnium conſenſu ſummus Eccleſiæ Monarcha creatus (flagitiis hominum, qui tum erant, id fortaſsè exigentibus) quadrageſimo Pontificatus ſui die moritur, ac in Baſilica Vaticana ſepelitur: conquerentibus omnibus, eum ſibi hominem morte ſublatum eſſe, quo ſtante labefactari Romana libertas, & Chriſtiana religio vix poſſet. Ejus obitum his verbis complectitur Anaſtaſius

Præmatura morte, omnium luctu, ſurripitur.

ſius ævi illius candidus ſcriptor : *Multiplicibus bonis à Deo ornatus Valentinus Papa, quadrageſimo electionis ſuæ die, ad cæleſtia, Chriſto vocante, corporis oppreſſus moleſtiâ, exitu pretioſo tranſivit; atque cum deſiderabili beatiſſimi operis fructu, ad conſpectum ſummæ Majeſtatis lætus aſcendit, regnans & exultans in Domino ſemper.* Electus Pontifex die 12. Auguſt. anno 827. vivere deſiit die 20. Sept. ejusdem anni: ut ſcribit Oldoinus *in Addit. ad Ciac.*

SCRIPTA.

Valentinus doctrina & eloquentia præſtans, luculentos Sermones, nondum creatus Pontifex, ad populum ſæpè ſæpiùs habuit; ut ex Anaſtaſio, Platina, & Onuphrio, qui ejus facundiam commendant, colligi poteſt. Renunciatus Pontifex Epiſtolam ad Ludovicum Imperatorem ſcripſit ſuæ electionis indicem. Plura non conſtant. *Ejus Scripta.*

ANNO CHRISTI DCCCXXVIII.

Imperatoribus LUDOVICO PIO, & LOTHARIO filio Auguſtis.

DE

GREGORIO IV. Pontif. Max.

CIII.

GRegorius IV. Romanus, Joannis filius, Monachus quondam Ordinis Sancti Benedicti, doctrina & pietate præſtans; religione, eloquentia, & ſapientia ornatus, defuncto Valentino, omnium ſuffragiis pronunciatus eſt Romanus Pontifex tertio Kalend. Februarii anno reparatæ ſalutis 828. Hæc electio omnibus pergrata, adeò diſplicuit ipſimet Gregorio, ut ſe ſe in Eccleſiam SS. Martyrum Coſmæ & Damiani (cujus titulum Cardinalis geſſerat) abdiderit, unde illum accurrentis populi vis, & Legatorum Ludovici Pii Imperatoris preces retraxêre. Hic in Petri ſolio locatus pauperes unicè dilexit, ac pretioſis donis omnes ferè Urbis Eccleſias, ſed præcipuè Baſilicam S. Mariæ Transtyberim, donavit: prout pluribus enarrat Anaſtaſius, & ex eo Oldoinus. *Ex monacho Papa invitus creatur.* *Mirè liberalis in Eccleſias.*

Gregorius in exordio ſui regiminis converſioni gentium intentus, ad preces Ludovici Pii, ſex Monachos doctrina & vitæ integritate conſpicuos ex Ordine S. Benedicti in Provincias Daciam, Sueciam, & Gothiam ad prædicandum Chriſti Evangelium miſit, qui zelo fidei æſtuantes, adeò præclarè munere ſuo functi ſunt, ut brevi temporis ſpatio immanes illas ac barbaras nationes, aquis ſalutaribus luſtratas, ad Chriſti fidem cultumque traduxêrint. *Monachos ad gentium converſionem expedit.*

Idem Gregorius Feſtivitatem omnium Sanctorum, quam Bonifacius Papa IV. (expurgato veteri gentilium Deorum fano, *Pan-*

Feſtum omnium ſanctorū, Kalendis Novembris agi præcipit.

theon nuncupato) in honorem beatiſſimæ ſemper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum Martyrum, tempore Phocæ Imperatoris, Romæ quotannis quarto Idus Maij celebrari præceperat, Kalendis Novembris in univerſa Eccleſia perpetuò coli, agique conſtituit, ut teſtatur Martyrologium Romanum.

Balbi Imp. Græcorum interitus.

Anno Gregorii ſecundo (qui fuit Chriſti 830.) infamis ille Imperator Orientis, Michaël Balbus, turpe voluptatis mancipium, ac impietatis monſtrum, fœdiſſimo vitæ exitu, alvi ſcilicet profluvio interiit. Alii in phreneſim incidiſſe, & ex ea obiiſſe narrant. Sed hoc inſaniæ morbo, quamdiu vixit, laboravit: ecquando enim ille ſana mente fuiſſe dicendus eſt, qui nunquam fuit pia? Theophilus filius hæreditariam impietatem unà cum Imperio aſſecutus, immanitatem ſuperiorum omnium Imperatorum adversùs eos, qui ſanctas Imagines tuebantur, longè ſuperavit. Præcipuos enim ſacrarum Iconum cultores Methodium, Theodorum, ac Thophanem, viros omni memoria dignos, ferali odio eſt inſectatus: veram religionem modis omnibus hoſtiliter exagitavit: paternum edictum de Cœlitum ſignis, pictiſque tabulis tollendis confirmavit, ac pœnas transgreſſoribus acerbiſſimas addidit. Antiſtites plurimos infulis, lituo, trabea ſpoliatos, ſedibusque depulſos, exulare coëgit: Religioſos æquè ac ſæculares homines utriuſque ſexus, cultui ſacrarum Imaginum addictos, aut probris affecit, aut facultatibus exuit, aut exilio mulctavit, aut ferro denique ac igne ſuſtulit. Erat Theophilo conjuncta connubio Theodora Auguſta, moribus & inſtitutis longè diſpar: hæc unà cum matre Theoctiſte clàm ſacras Icones apud ſe habebat, ac piè devenerabatur. Delata Theophilo res eſt, & ambæ propè in extremum vitæ diſcrimen adductæ: tantùm tamen valuit conjugis eximia virtus, ut nihil vir auderet contra moliri. Pulchrè tamen ac lepidè Theodora criminatorum eluſit objecta: perſuaſit enim viro, illos deluſos fuiſſe, quod in ſpeculo, dum ſe ipſa componeret ancillis ſepta, referri vidiſſent imagines. Sed progreſſa porrò Imperatoris impietas eſt; neque enim cultum tantùm ſacrarum Imaginum interdixit, ſed pictoribus edixit, ne quem Sanctorum coloribus exprimerent, avium potiùs, ac ferarum venationes, quibus delectabatur, pingi juſſit. Erat ea tempeſtate pictor inſignis ex Aſcetarum numero, Lazarus nomine: effingebat hic belluas, ſed ante Martyrum pedes placidè procumbentes, ac pro avibus alatos Cœlites: excanduit Theophilus ira, ac manum Lazari ignitâ laminâ crudeliter aduſſit: tulit hic ſupplicium conſtanter ac ſtrenuè, Romano Scævola longè laudabilior, quia in religionis cauſâ; atque ut primùm convaluit, rediit ad opus: inter cætera Joannem Salvatoris prodromum apud Jordanis amnem mira arte depinxit; eam effigiem multis nobilitatam prodigiis ferunt: Ita dum aquarum fluenta penicillo veluti derivabat, oſtendebat quodammodo, nihil ſe ignitas illas laminas pertimeſcere. Et ſanè, cæteris pictoribus aut timore abſterritis, aut ſupplicio ſublatis, unus hic Imaginibus Urbem implevit; Parrhaſio & Apelle felicior, cujus colores tererent Cœlites, penicillum duceret Deus ipſe: Gregorio interim Iconomachos omnes diris execrationibus proſequente.

Ei ſuccedit Theophilus filius non degener.

Ejus in orthodoxos crudelitas.

Theodora Auguſta aſtu necem declinat.

Lazaro Monacho SS. Imaginum pictori manus aduritur.

Imago S. Jo. Baptiſtæ ſignis clara.

Hoc

Hoc eodem tempore conjurarunt in Occidente ingrati filii Ludovici Pii contra parentem: quorum tumultus ut Gregorius Pontifex in dies ingraveſcere audivit, voluit ipſe pro ſua in Cæſarem pietate experiri, ſi quo pacto rebelles patri filios conciliare poſſet. Igitur octavo Kalendas Julias anno ſalutis 833. iter ingreſſus, cùm inſtructæ utrinque acies jam jam concurſuræ ſtarent, in Franciam venit. Eo conſpecto, arma ab utraque parte è veſtigio, religionis reverentiâ, poſita. Gregorius primò omnium Ludovicum Imp. allocutus, cauſam itineris ſuſcepti expoſuit; atque omnia, quæ ad conciliandam cum filiis concordiam facere poſſent, edisſerit. Patre natura miti ad pacem perſuaſo, progreſſus ad filios eandem cauſam oravit. Verùm propter tumultum inſtantis, ac pacem aſpernantis multitudinis nihil apud illos profecit. Denique rem acriùs urgente Pontifice, filii ſubdolè in auctoritate patris ſe futuros pollicentur, ſi pater ipſe ad filios venire, & coràm de rebus publicis diſſerere, præſente Pontifice, in animum induxiſſet. Ludovicus his verbis allectus nihilque mali ſubeſſe ratus, bona fide perrexit ad eos: Sed perrexiſſe ſtatim pœnituit. Nam cum uxore à filiis comprehenſus, ipſe in Franciam, Juditha mater in Italiam abducti, diligenti cuſtodiæ traditi ſunt. Eâ perfidiâ ſummoperè offenſus Gregorius, non ſine indignatione Romam, re infecta, ſe recepit. Ludovicus paulò pòſt malè geſti imperii accuſatus, infami ſententia à filiis Regno ac titulis exauctoratur: ſed Gregorii interventu & auctoritate, reſciſſis actibus, Imperio reſtituitur. Sexto pòſt anno, mœrore animi contabeſcens, convocatis ad lectum filiis, Carolo Calvo ex Juditha ſuſcepto Franciam; Ludovico Germaniam; Lothario Imperium cum Italia aſſignavit. Partes immenſæ; ſed totum ſingulis ambientibus parvæ: unde bellorum ſeges: fratres commiſſi: regna exagitata: & tandem diſtractis partibus Monarchiæ clades.

Conjuratio filiorum in Ludovicum Imp.

Gregorius rem compeſcere ſatagit.

Ludovicus dolo capitur à filiis: exauctoratur: ſed à Pontifice reſtituitur.

Filiis regnum dividit, atq; moritur.

Obiit Ludovicus Imperator, ob egregias virtutes cognomento *Pius*, Ingelhemii propè Moguntiam, XII. Kal. Junii anno ſal. 840. ætatis 62. Imperii 27. Fuit natura mitis, comis, & clemens, ſed æquo facilior, & credulus. Porrò laboris patiens, ſobrius, pervigil, magnificus, litteratus, Juris & legum Imperii ſciens ac tenax: una denique re infelix, quòd plurium ex diverſo connubio filiorum pater eſſet: ut orbi & cœlibes ſuam deinceps ſolitudinem non accuſent.

Ejus elogium.

Anno ſalutis 842. periit Theophilus impius Orientis Imperator, Iconoclaſta acerrimus: Hic circa vitæ finem ad divinationes aniles, & muliercularum vaticinationes inſanas converſus, quum fatidicam anum ex Agarenis in bello captam de eventis Imperii conſuluiſſet, illaque liberè, ut juſſa fuerat, reſpondiſſet: poſt obitum ſuum convulſas Imagines ſacras à filio reſtitutum iri: acerbè præſenſionem accepit, ac jurejurando ſuos, ne id fieri paterentur, adegit. Sed eo ſublato, Michaël filius hujus nominis III. hæres Imperii voluit eſſe, non ſceleris. Extinctus eſt Theophilus eodem modo, quo pater, cujus impietatem ſecutus erat. Sunt tamen qui putent, ipſum in extremo vitæ actu piis Theodoræ Auguſtæ moni-

Impius Theophilus moritur.

Succedit Michaël filius, patre melior.

tis ac lacrymis reſipuiſſe, ſubtractumque æterno exitio haud ſimulatâ pœnitentiâ fuiſſe. Id ſi verum eſt, auſpicatò illæ tædæ nuptiales arſerunt, quæ virum ſempiternis ignibus ſubduxerunt. Sed redeundum nobis ad Gregorium.

Gregorius munere ſuo ſanctè fungitur. Qui non minùs vitæ ſanctitate, doctrina & eloquentia clarus, quàm paſtorali cura atque ſollicitudine admirandus, præ primis, ut acta habent, Eccleſiæ decorem dilexit, & populi ſibi commiſſi commoda ſtrenuè procuravit; divites in officio continendo, pauperes paſcendo, deſperatos ſolando, errantes ſanis admonitionibus in viam ſalutis deducendo, electos Domini doctrina & exemplo ad virtutem incitando, & collapſos hominum mores ubique ſaluberrimis legibus reſtituendo. Ad ſuperos denique, æterna pro meritis præmia percepturus, evolavit Romæ octavo Kal. Februarii anno ſalutis 843. *Ejus obitus.* Pontificatus ſui anno ſexto decimo, ſepultus in Baſilica Vaticana, magno ſui deſiderio relicto. Qui annus toti Italiæ lugubris accidit ex ingenti clade à Sarracenis univerſæ Campaniæ, atque Samnitibus illata.

S C R I P T A.

Scripta. Scripſit in univerſæ Eccleſiæ bonum Epiſtolas multas & varias, eruditione & ſpiritu Apoſtolico inſignes, ut teſtantur Adamus Bremenſis, Albertus Kranzius, Cæſar Baronius, & Severinus Binius: unam tantùm laudat Gratianus in Decretalibus, datam ad Reipublicæ Chriſtianæ Epiſcopos, ne Alderico Cenomanenſi Præſule non alibi, quàm apud Sedem Apoſtolicam accuſando. Fuit verò Aldericus vir doctrina & ſanctitate illuſtris, æmulorum invidia è Sede ſua ejectus, & à Gregorio comperta ejus innocentia reſtitutus, in cujus favorem publicas litteras, ut diximus, conſcripſit à Gratiano Decretalibus inſertas.

Scripſit etiam Tractatum de ſuprema Romani Pontificis in omnes Eccleſias auctoritate; aliaque id genus plura.

Huic Pontifici Rabanus Maurus, Albini Flacci quondam auditor, ac poſteà Archiepiſcopus Moguntinus (illuſtre Ordinis divi Benedicti ſidus, ac totius Germaniæ ornamentum ſingulare) admirandum illud opus *de ſancta Crucis Myſteriis* metrico ſtylo editum dedicavit, in cujus proloquio his verbis Pontificem compellat:

Rabani Mauri carmen ad Gregor.

Sedis Apoſtolicæ Princeps, moderator & Orbis,
Es decus, & Doctor plebis, & almus amor.
Tu caput Eccleſiæ es, primusq́; Monarcha per Orbem,
Præclarus meritis, & pietate potens.
Sal terræ, mundi lux, atque Urbs inclyta Chriſti,
Perpetua præbens lucis iter populo.
Veſtra valet cœlum reſerare, & claudere lingua,
In terra poſitus Claviger æthereus.
Tu renovator ades patriæ, ſpes, rector, honorq́;,
Dulcis amor cunctis, dignus amore Dei, &c.

ANNO

ANNO CHRISTI DCCCXLIV.

Imperatore LOTHARIO Auguſto.

DE

SERGIO II. Pontifice Maximo.

CIV.

Vir morum innocentia ac doctrina laude clarus.

SErgius II. patria Romanus, illuſtri familia patre Sergio Oſporcio natus, ac D. Benedicti regulam profeſſus, nequaquam à majoribus ſuis degeneravit, adjuvantibus præclarum ejus ingenium Leone III. Stephano V. Eugenio II. & Gregorio IV. ſub quorum ſanctiſſima morum & doctrinæ diſciplina ita vixit, ut ſuffragante ei vitæ innocentia, ſolus, qui Gregorio in Pontificatu ſuccederet, dignus haberetur ab iis, quibus jus legendi Pontificem competebat.

Victoria Dei virtute de Sarracenis parta in Hiſpania.

Anno regiminis Sergii II. primo contigit admiranda illa omni Scriptorum genere celebrata victoria, divinitùs adverſus Sarracenos implacabiles Chriſtiani nominis hoſtes obtenta, cùm præcipuus Hiſpanorum Tutelaris S. Jacobus Major, perſpicuus omnibus, ut pollicitus fuerat, viſus eſt ante aciem contra barbaros pro Ramiro Hiſpaniæ Rege dimicare, deletisque hoſtium innumeris, plenam fidelibus victoriam párere.

Bellum inter Ludovici Imp. filios acerrimum.

Lotharius ſuperatus in fugam agitur

Exarſerat eo tempore inter Ludovici Imp. defuncti filios tantum odii propter Imperii diviſionem, ut in Antiſiodorenſi agro propè Frontanicum acerrimè à Ludovico & Carolo contra Lotharium Imperatorem fratrem dimicatum ſit, quo quidem prælio multi utrinque (magno Gallicæ nobilitatis detrimento) cecidêre. Lotharius inſtauratâ pugnâ tandem ſuperatus victusque Aquisgranum confugit, atque inde quoque inſtantibus hoſtibus deturbatus, Viennam Galliæ cum conjuge & liberis ſe recepit. Inſecuti & eò cum exercitu fratres: ad quos quidem placandos non ſolùm multi Proceres Imperii, ſed & ex Italia quidam juſſu Sergii Pontificis profecti ſunt; inter quos Georgius Archiepiſcopus Ravennas primus eſt habitus: qui cùm fervente ſecundo prælio, apud Lotharium rei componendæ cauſa eſſet, ac fortuna ad Ludovicum & Carolum inclinaſſet, totum comitatum in prælio amittens (eò enim cum trecentis equitibus venerat) vix ſolus è tanta ſtrage fugâ dilapſus eſt.

Pax inter eos certis conditionibus compoſita.

At verò hi communem totius regni calamitatem & interitum miſerati, fœdera pacis in hunc modum ineunt; ut pars illa occidentalis regni, quæ à Britannico Oceano uſque ad Moſam flumen pertinet, Carolo obtemperaret, in eaque etiam Francorum nomen maneret: deinde ut Ludovico Germania contingeret uſque ad Rheni fluenta, & trans Rhenum quidquid genitor poſſediſſet: Lotharius autem cum Imperii titulo Urbem Romam obtineret cum Italia, & ea Galliæ parte, quæ olim Narbonenſis, hodiè Romana Provincia vocatur; huic porrò addidêre eam quoque partem, quæ inter Scaldim & Rhodanum fluvios *Lotharingia* nomen accepit à Lothario, ut Annales Francorum perhibent.

Ludovicus II Romam cum exercitu tendit.

Cædibus omnia complet.

Rebus ita compoſitis Lotharius Ludovicum filium hujus nominis II. quem Imperii ſocium aſciverat, in Italiam cum ingenti exercitu mittit: huic Socios itineris addidit Drogonem Metenſem Epiſcopum, atque alios magni nominis Præſules, prudentia & auctoritate conſpicuos, quorum conſiliis uteretur. His autem Adoleſcens nimia felicitate elatus, quacunque iter facit, cædibus omnia & rapinis vaſtat, incendit, diruit. Verùm cùm Urbi appropinquaſſet, eique obviàm honoris cauſa Romani cives prodiiſſent, depoſita ferocitate Gallica mitior eſſe cœpit, quòd ei præter opinionem ingredi Urbem pacato agmine liceret. Prodeunt & obviàm ad primum lapidem ſtolati Sacerdotes cum ſacris vexillis & crucibus, altùm canentes *Benedictus qui venit in nomine Domini:* atque ipſum magna cum veneratione exceptum, ſonoris vocibus uſque ad gradus Baſilicæ Sancti Petri comitantur. Ibi Pontificem in edito ſedentem, de genu, Proavi Caroli exemplo, veneratus, apprehenſâ illius dextera ad poſtes Ædis argenteos proceſſit. Tum Pontifex ſuæ dignitatis memor, omnes Templi januas præcludi jubet; atque illum intuens, *Ludovice*, inquit, *ſi pacis, ac ſalutis Eccleſiæ cauſa veniſti, juſſu meo hæ tibi portæ patebunt; ſin aliter animatus es, nunquam per me tibi aperientur: fungor enim illius vice, qui ultor eſt malorum, & retributor bonorum: quiq; Regibus imperat, & jura dictat, eosdemq; exaltat, aut deprimit pro qualitate factorum.* Cùm autem Ludovicus puro ſe ac ſincero in Eccleſiam animo veniſſe teſtatus eſſet, ſtatim Pontificis juſſu fores patuère. Ingreſſi itaque ſacram Ædem (magna Romanorum pariter ac Francorum multitudine hinc præcedente, inde ſubſequente) cùm ad altare Principis Apoſtolorum veniſſent, procidentes ſimul ſupplices omnipotenti Deo gratias egerunt, quòd nullo interveniente maleficio res ex ſententia ceſſiſſet. Tum Pontifex, Clero undique ac populo circumfuſo, rem divinàm ſolemni ritu orſus, ut ſacra Evangelia decantata ſunt, ipſum purpura indutum oleo ſancto perunxit, Regalique juxtà ac imperiali diademate inſignitum, Regem Italiæ, atque Imperatorem (populo lætis Auguſtum ſæpè vocibus acclamante) pronuntiavit, atque inde Miſſarum ſolemnia ex more complevit. Proditum memoriæ eſt, coronationem hanc tantâ ex omnibus Italiæ, Franciæ, & Germaniæ partibus Principum, populorumque frequentiâ celebratam eſſe, ut præ nimia confluentium multitudine plurimi mortalium in Urbe compreſſi interierint; foris arbores truncatæ, pecora diſtracta, & maturæ ſegetes in pabulum equorum ſuccisæ, maximum Romanis detrimentum attulerint. Peracta coronatione Ludovicus Auguſtus Pontificem veneratus, Papiam actava ab adventu die ſe recepit, indeque in Franciam cum exercitu regreſſus eſt; lætante ex ejus abitu tota Italia; quæ præter funera, vaſtationes, & incommoda, ex tanta celebritate lucri nil retulit.

Roma ſummo honore excipitur.

Sergii ad ipſum oratio.

In Regem Italiæ atque Imperatorem ungitur, & coronatur.

Sarraceni ex Africa irrũpentes totam panè Italiam depopulantur.

Sequenti anno (qui fuit Chriſti 846.) Sarraceni ex Africa in Siciliam, indeque in vicinas Inſulas cum ingenti claſſe irrumpentes, totam pænè Italiam rapinis ac cædibus conturbarunt. Ora Campaniæ feliciſſima primâ exſcenſione tentata ac direpta eſt: tùm Beneventum captum, ac Caſſinum prædæ objectum: demum Ro-

mana

mana ſuburbia cum opulentiſſimis divorum Petri, Pauli, aliorumque Sanctorum Baſilicis (nemine vim propulſante) deprædata, ac omnibus ornamentis ſpoliata ſunt. Multis ea occaſione civium Romanorum cæſis, ac in ſervitutem abductis. Horum tamen prædonum naves, inutili imò noxio furto oneratas, priusquam Africæ littus attingerent, Sergius Papa, ultore Deo, ſubmerſas vidit.

Ipſe verò damnum quoque modo reparaturus, ad ornanda ac reſtituenda Templa converſus, varias Urbis Baſilicas, ſed præcipuè extra Urbis mœnia ſitas, quæ recèns ab irruentibus prædonibus ſpoliatæ fuerant, maximis donis affecit, ut videre eſt apud Anaſtaſium, hæc omnia ſingillatim referentem. Qui cùm ſediſſet annos tres, menſes duos, totidemque dies, ſancto fine quievit die 12. Aprilis anno à partu Virginis 847. ſepultus in Baſilica Vaticana: ubi hoc olim Epitaphium ejus tumulo inſcriptum legebatur, teſte Victorello. *Sergius damnum reparare ſatagit.* *Ejus obitus.*

Epitaphium.

Sergius en Junior Præſul, & plebis amator,
Hoc tegitur tumulo, qui benè pavit oves.
Spes patriæ, Mundiq; decus, moderator opimus,
Divinis monitis non fuit ille piger.
Romanos Proceres non tantùm famine verbi,
Rebus & humanis noćte, dieq; fovens.
E gentem ſemper ſtuduit recreare catervam,
Dignus qui vivat ſemper in axe Poli.

Auguſtinus Oldoinus de reparatione Baſilicæ SS. Silveſtri & Martini in montibus agens, refert aliud ejusdem Sergii monumentum, muſivo opere exaratum, quod lector apud eundem requirere poterit.

SCRIPTA.

Scripſit Sergius vir doctrina & pietate præſtans, teſte Flodoardo *in Hiſtoria Rhemenſi*, inſignem Epiſtolam ad Carolum Calvum Francorum Regem, ſeu potiùs (ut opinatur Oldoinus) ad Lotharium Imperatorem pro congreganda apud Treviros Synodo in cauſa Ebbonis Archiepiſcopi Rhemenſis, cujus dolo Ludovicus Imperator regno ejectus à filiis credebatur. Aliam ſcripſiſſe dicitur ad Rabanum Maurum Poëtam ſui temporis nulli ſecundum, quando is Sergio Librum *de laudibus ſanctæ Crucis*, jam anteà Gregorio IV. inſcriptum, per Monachos Fuldenſes Aſerichum, & Theodobertum, elegantiori charactere exaratum obtulit, ut teſtantur Annales Francorum. *Scripta.*

ANNO CHRISTI DCCCXLVII.
Imperatoribus LOTHARIO, & LUDOVICO II. Auguſtis.
DE

S. LEONE IV. Pontifice Maxim.

Leo

CV.

Vir omni virtutum genere ornatus.

LEo IV. Romanus, illuſtri *Rodulphorum* gente (ut ex ejus Inſignibus apud Ciaconium & Palatium videndis colligitur) patre Rodoaldo natus, dimiſſo Canonicorum Regularium inſtituto, quod aliquandiù profitebatur, ad caſtra D. Benedicti tranſiit, ac in percelebri Monaſterio SS. Silveſtri & Martini in Montibus monachum eouſque egit, donec ob vitæ ſanctitatem à Sergio II. in Senatum Purpuratorum legeretur. Vir fuit in omni vita religione, caſtitate, innocentia, pietate, humanitate, gratia, liberalitate, manſuetudine, patientia, juſtitia, & eruditione quàm maximè inſignis. Tantæ prætereà prudentiæ & rectitudinis, ut ex Salvatoris ſententia, *ſerpentis prudentiam*, ubi oportebat, *& columbæ ſimplicitatem* imitaretur.

Invitus Pontifex eligitur

Tam conſtanti fama permoti, quibus jus legendi Pontificem competebat, eundem (mortuo Sergio II.) unanimi ſuffragiorum conſenſu Pontificem maximum delegerunt, invitumque ac diù tam ſublime onus deprecantem, ſacra thiara condecorârunt, applaudente interim, & exultante ad tam ſpectatæ virtutis & ſanctimoniæ viri aſſumptionem univerſo populo Romano.

Obſiſtit Auguſtis, & quare?

Electus Romanus Pontifex Leo, memor ſupremæ dignitatis, & immunitatis Eccleſiaſticæ, virili animo obſtitit Lothario & Ludovico Imperatoribus, jus ſibi electum confirmandi Pontificem ex tolerata hactenus conſuetudine vindicantibus, evicitque, ut iidem Imperatores perpenſis rationibus denique conſenſerint; *Ne deinceps Cæſares ſe ſe electioni Pontificum, vel aſsiſtendo, vel conſentiendo, vel confirmando, immiſcerent.*

Decretum, ne Cæſares ſe ſe immiſceant electioni Pontificum.

Extat hac de re ipſius Leonis Decretum *C. Inter nos 31. d. 63.* Vice verſa promiſit Leo ſe Capitula ſeu jura imperialia illibata ſervaturum. Qualia verò fuerint jura imperialia, quæ Pontifex obſervare promiſit? Nicolaus Papa in Epiſtola ad Michaëlem Imp. explicat: nimirùm, *Ut Pontifices pro cultu temporalium rerum tantummodò imperialibus legibus uterentur.* His ita inter Leonem & Auguſtos mutuò ſtatutis, ceſſârunt Cæſares electioni Pontificum ſe ſe immiſcere: non aſſiſtendo, nec conſentiendo, aut confirmando, ut aliquando ab eis legitur uſurpatum.

Baſilicum oratione enecat.

Cæterùm Leo Pontificatus ſui principio magnam ſanctitatis & prudentiæ ſuæ declarandæ materiam nactus, Romæ juxta ædem S Luciæ in Orphea baſiliſcum (dirum & exitiale ſerpentis genus) venenato ſuo halitu omnibus, qui ad cavernam ejus accedebant, repentinum afferentem interitum oratione enecavit. Nam trepidantibus ad tantum periculum univerſis, ipſe ſolemni jejunio ac precatione peractis, die Aſſumptionis Virginis Mariæ feſto è Patriarchio Lateranenſi exiit, & cum hymnis ac canticis (prælatâ Deiparæ Virginis imagine) ad Baſilicam primò S. Hadriani martyris, pedes cum Clero proceſſit, inde ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ ad Præſepe, demum ad ipſam ſpecum, ubi cubare ſerpens dicebatur. Ibi allapſus, populo ſubſiſtere juſſò, imperterrito animo ad os cavernæ, unde peſtifer erumpebat afflatus, acceſſit, atque oculis ac manibus in cœlum erectis, omnipotentem Deum, ut tetra illa peſte fidelem populum liberaret, oravit. Quo facto, repentè baſiliſcus altùm ſibilans concidit, omneque virus evanuit.

Incendium precibus extinguit.

Eodem tempore conflatum caſu in vico Saxonum extra Urbis mœnia incendium, cùm vi venti flammis auctum longiùs ſerperet, atque nihil proficiente humana ope, Longobardico vico jam comprehenſo, ipſi etiam Baſilicæ Vaticanæ immineret, Leo Pontifex accurrit, oravit, ſignoque crucis furentium vim flammarum, quaſi affuſâ aquâ, extinxit.

Baſilicas à Sarracenis ſpoliatas mira liberalitate exornat.

Cùm verò lugubre ſpectaculum ob oculos poſitum intueretur Leo, Baſilicas ſcilicet in ſuburbiis ſitas, manibus Sarracenorum omni ornatu ac decore privatas, omniqùe genere contumeliarum affectas & pollutas; cumque ſciret ſe ad hoc à Deo electum Pontificem, ut decorem domus Dei nequaquam negligeret, ad reparanda Baſilicarum damna tanto ſtudio incubuit, ut in harum ornamenta ac donaria quinquies centena millia contuliſſe prodatur. Iſthæc admiranda donaria, longa ſerie ab Anaſtaſio deſcripta, paucioribus exhibet Auguſtinus Oldoinus in additionibus ad Ciaconium: fuêre autem ex auro, argento, lapidibus pretioſis, aliisque id genus ſumptuoſiſſimis materiis conflata; pondere, artificio, varietate, pretio nobiliſſima: ſic ut Leonis munificentiam nemo ſuperiorum Pontificum adæquaſſe, ipſe verò omnium liberalitatem ſuperaſſe ſit viſus.

Baſilicam SS. Silveſtri & Martini perficit.

Præterea Opus muſivum Baſilicæ SS. Silveſtri & Martini in montibus, incruſtationemque parietum à Sergio Prædeceſſore magnis ſumptibus inchoätum ipſe perfecit, ut Epigramma, quod hodiedum ſupereſt, indicat his verbis:

Sergius hanc cæpit Præſul, quam cernitis, ædem,
Cui moriens nullum potuit conferre decorem,
Sed mox Papa LEO QUARTUS *dum culmina ſumpſit*
Romanæ Sedis, divino tactus amore,
Perfecit ſolers &c.

Alia ejuſdem inſignia dona

Eandem Baſilicam plurimis donis, ac ſacris veſtibus ex auro ac gemmis confectis affecit. Ejus quoque juſſu crux illa admiranda ex puriſſimo auro conflata, quæ Pontifici ſacris operaturo præfertur, pretioſiſſimis unionibus ornata eſt. Reſtituit etiam Romanæ Urbis mœnia, & portas vetuſtate collapſas, adjectis quadraginta quatuor turribus, & propugnaculis à fundamento erectis, quarum hodie dumtaxat quatuor ſuperſunt. Quin & ad Tiberis oram juxta Portuenſem portam alias duas inſignes turres mutuò ſe reſpicientes, ad arcendos Sarracenorum incurſus pro ſalute Romanæ Urbis condidit, ut ſcribit Anaſtaſius his verbis: *Ipſas verò duas turres non ſolùm lapidibus, ſed etiam ferreis muniri catenis curavit, quatenus ſi neceſſitas fuerit, per eundem locum nulla navis valeat transire.* Sanctorum inſuper Martyrum corpora ex Cœmeteriis eruta intra Urbem, quam munierat, invexit ad cuſtodiam, probè ſciens, fruſtrà vigilare homines, ſi deſint è cœlo Tutelares. Invectorum corporum catalogum ex Anaſtaſio recitat his verbis Platina: *Idem quoque ſua diligentia corpora Sanctorum quatuor Coronatorum invenit, eorumq; templum in ſplendidiorem formam inſtauravit. Sanctos ipſos ſub Altari collocavit, Sempronianum, Claudium, Nicoſtratum, Caſtorium. His addidit & corpora Severi, Severiani, Carpophori, Victorini, Marii, Feliciſſimi, Agapeti, Hippolyti, Aqui-*

Turres ad Urbis tutamen ædificat.

SS. Corpora in Urbem transfert.

Aquila, Priſci, Aquini, Narciſſi, Marcellini; Felicis, Apollinis, Benedicti, Venantii, Diogenis, Liberalis, Feſti, Marcelli: addidit & caput Sancti Proti, Cæciliæ, Alexandri, Sixti, Sebaſtiani, Praxedis, & aliorum.

Sarracenos irruentes oratione profligat.

Cùm verò Leoni ſanctis hiſce operibus occupato nunciaretur, Sarracenos, ſuperioris prædæ dulcedine illectos, cum ingenti Claſſe diripiendæ Urbis causâ adventare: Neapolitanos è contrà cæterosque illius oræ maritimæ populos propediem ipſi Urbi, ac patriæ auxilio adfuturos: Leo abruptâ omni morâ, cum quanta maxima potuit manu Oſtiam proficiſcitur: eoque omnes auxiliares copias convocat: adunatas explorat, inſtruit, animat, cum hoſtibus ſequenti die, ſi copiam pugnandi feciſſent, dimicaturus. Itaque humanis noxis expiatos, ac ſacro epulo refectos, ad pugnam omnes paratos eſſe jubet: priusquam verò in certamen eos dimitteret, provolutus in genua hanc ad Deum orationem habuit:

Ejus oratio.

Deus, cujus dextera beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit; atque beatum Paulum tertio naufragentem, de profundo pelagi liberavit, exaudi nos propitius & concede, ut amborum meritis, horum fidelium tuorum brachia contra inimicos ſancta tua Eccleſia dimicatura, omnipotenti dextera tua corroborentur, & convaleſcant, ut de percepto triumpho, nomen ſanctum tuum in cunctis gentibus appareat glorioſum. Peracta oratione cunctis benè precatus, explicato Chriſti vexillo, pugnandi ſignum dedit.

Acris editur pugna, victoria à fidelibus ſtante.

Chriſtiani tanto Præſule animati, ita alacriter pugnam inière, ac ſi victoriam certam ſibi propoſitam viderent. Tandem poſt longum & acre certamen, disjecta hoſtium Claſſe, barbari maxima ſtrage affecti ſuperantur, fuganturque: Cæſorum, ac ſubmerſorum decem millia numerabantur: vulneratorum ingens numerus: Naves omnes, præter illas, quæ in proximas Inſulas compulſæ ſunt, aut perierunt, aut cum omni commeatu in poteſtatem fidelium venêrunt: captivorum quinque millia Romam perducta. Placuit tùm civibus Romanis inſigniores ex captivis pyratas ad terrorem aliorum, non longè à portu Romano in furcâ ſuſpendere, adverſante tamen Leone ob inſitam clementiam, qua potiſſimùm inſignis habebatur: ſed ire obviàm multitudini, in tanto præſertim furore, non licuit.

Pœna in captivos barbaros decernitur.

Horum quadringenti una die ſuſpenſi memorantur; duo millia ad tranſtra damnata: reliquorum operâ uſus eſt Leo tum in reſtituendis Eccleſiis, quas ipſi quondam Agareni diruerant & incenderant, tum in extruendis mœnibus, quibus Vaticanum cinxit,

Urbem Leoninam condit.

Leoninamq; Urbem de ſuo nomine appellavit Idque potiſſimùm effecit, ne deinceps hoſtibus liceret Eccleſiam beati Petri incurſionibus infeſtare, diripere, & incendere, ut anteà conſueverant.

Novæ urbis portas orationibus munit.

Non caruêre ſuis precationibus novæ Urbis Portæ: in ea enim, quæ ducit ad Sanctum Peregrinum, hæc erant in marmore cæſa: *Deus, qui Apoſtolo tuo Petro collatis clavibus regni cæleſtis ligandi atque ſolvendi Pontificium tradidiſti, concede, ut interceſſionis ejus auxilio, à peccatorum noſtrorum nexibus liberemur, & hanc Civitatem, quam te adjuvante fundavimus, fac ab ira tua in perpetuum manere ſecuram, & de hoſtibus, quorum cauſa conſtructa eſt, novos ac multiplices habere triumphos.*

Secunda oratio.

In ſecunda verò Porta, quæ juxta Hadriani molem ad prata ducit, hæc inerant verba:

verba : *Deus, qui ab ipſo Chriſtianitatis principio hanc ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam ab hoſtibus cuſtodire & conſervare dignatus es, iniquitatis noſtra chirographum propitiatus emunda, & hanc civitatem, quam tuo ſancto nomini per Apoſtolorum tuorum Petri & Pauli ſuffragia noviter dedicavimus, ab omnibus inimicorum inſidiis ſecuram ſemper, atque imperterritam manere concede.* Tertia precatio extabat in frontiſpicio Portæ, qua ibatur ad Scholam Saxonum, his verbis : *Praſta quaſumus omnipotens & miſericors Deus, ut ad te toto corde clamantes, intercedente beato Petro Apoſtolo, tua pietatis indulgentiam conſequamur, & urbs hac, quam ego famulus tuus Leo IV. Epiſcopus Romanus, te auxiliante, nove opere adificavi, meoq; nomine Leoninam vocavi, ſalva ſemper atque allaſa per clementiam tua majeſtatis conſiſtat.* Hanc autem Urbem primo Pontificatus ſui anno inchoatam, ſexto demum anno (qui fuit Chriſti 852.) abſolvit, magnaque celebritate ejusdem dedicationem peregit. Extant uſque adhuc muri ac mœnia, haud obſcura vigilantiſſimi ejusdem Pontificis monimenta, quibus totum ſpatium, quod ab Hadriani mole uſque ad Vaticanum Templum longè lateque protenditur, ad munimentum loci concluſum eſt, & uſque ad annum 1634. cùm inſtaurari eam contigit, Titulus à ſancto Leone inſcriptus legebatur : *Tertia oratio*

CIVITAS LEONIANA TEMPORIBUS
DOMINI LEONIS QUARTI
CONSTRUCTA. AN. DCCCLII. *Titulus nova Urbis.*

Porrò ex manubiis Sarracenorum idem ſanctiſſimus Pontifex inſignia quædam dona, tum ex auro, tum ex argento, & gemmis, Baſilicis Romanis obtulit : Eccleſiam Sanctæ Mariæ in via ædificavit : Turrim campanariam in Vaticano apud S. Petrum condidit, ac fores ejusdem divi Petri Baſilicæ, ab Agarenis direptas, ex argento reſtituit : coacto Romæ concilio quadraginta & ſeptem Epiſcoporum, Anaſtaſium Presbyterum Cardinalem multis criminibus convictum, damnavit, eque fidelium cœtu ejecit : Colonias ex Sardinia & Corſica (quæ pulſis Sarracenis jam reſpirare cœperant) Oſtiam, cultoribus propter aëris inſalubritatem, & frequentes direptiones vacuam, duxit. Poſtremò Lothario Imperatori egregiè ſatisfecit, qui delatione quorundam impulſus Romam venerat, quòd intellexerat, Leonem transferendi imperium ad Conſtantinopolitanos conſilia iniiſſe. De delatoribus in mendacio deprehenſis (ut par erat) ſupplicium ſumptum, atque amicitia novo fœdere inter utrumque redintegrata, ac ſtabilita. *Alia Leonis opera.* *Anaſtaſium Card. damnat.* *Lothario Imp ſatisfacit.*

Denique vir ſanctiſſimus, & optimè de Eccleſia Dei, deque Urbæ Roma, ac nomine Chriſtiano meritus; prudentia, conſilio, auctoritate, doctrina, vigilantia, præſtantiſſimorumque operum magnificentia nulli ſecundus, vita functus eſt ſexto decimo Kal. Auguſti, anno incarnatæ ſalutis 855. Pontificatus ſui octavo, menſe tertio, die ſexto. Sepultus ad S. Petrum, atque in numerum Sanctorum relatus. *Plenus meritis decedit.*

S C R I P T A.

Ejus Scripta.

Scripſit Homiliam *de Cura Paſtorali*, ejusque officio, ac munere, quam per Epiſcopos omnibus Sacerdotibus curam animarum gerentibus intimari præcepit. Extat hæc tomo 6. Conciliorum; & tomo 10. Annalium Baronii; quin & apud Anſelmum Lucenſem Epiſcopum, qui eam exſcripſit, ex Codice Vaticano, qui inſcribitur *Liber Cenſuum*. Scripſit etiam varias Epiſtolas ad diverſos, quæ olim uno Volumine comprehenſæ aſſervabantur in Bibliotheca eruditiſſimi Cardinalis Guilielmi Sirleti. Harum duæ duntaxat leguntur tomo 6. Conciliorum: quarum una eſt ad Prudentium Tricaſinum ut Monaſterium ab Adremauro Abbate conſtructum confecret; alia ad Epiſcopos Britanniæ, qua eorum conſultationibus reſpondet. Extant apud Gratianum varia Leonis Pontificis Epiſtolarum fragmenta, ad Ducem Britanniæ Vernonem; ad Carolum Francorum Regem; ad Ebruinum, & Adelfridum Epiſcopos; & ad Lotharium Imperatorem. Scribit Flodoardus diverſas Hincmarum Archiepiſcopum Rhemenſem litteras à Leone Romano Pontifice accepiſſe; quæ non extant. Scripſit etiam Epiſtolam Anaſtaſio Presbytero Cardinali titulo S. Marcelli, qua illum à fidelium communione ob crimina remotum, ad ſanam mentem perducere conatur. Leonis Decreta inveniuntur apud Gratianum, & alios Decretorum Collectores.

FABULA ſive FIGMENTUM
De

JOANNE VIII. P. P. FOEMINA

Quam inter Leonem IV. & Benedictum III. ſediſſe ſomniant, Qui vel cerebro, vel odio in Eccleſiam Rom. laborant: paucis exploditur.

Fabula Joannis Papiſſæ exploditur.

FAbellam de JOANNE VIII. quam ſtultum Hæreticorum vulgus paſſim ſine fronte ſine ratione occinit, ut leviorem, quàm quæ in Hiſtoriæ feriem referatur, meritò explodunt viri quique docti ac graves: Quid enim amabò fide dignum habeat commentum, cui nec de temporum, nec de locorum, nec de authorum ratione ullo modo convenit? Scripſerunt ab hoc tempore, quo vixiſſe ſomniata mulier in Papatu fingitur, Hiſtorici cùm Latini, tum Græci candore fidei & eruditione præſtantes numero quindecim, à Baronio, Onuphrio, Allatio, Oldoino, ac aliis diſcuſſi & relati, quorum cùm ne unus quidem meminiſſet ejus, ac immediatè Benedictum III. omnes ſubjunxiſſent Leoni IV. (inter quos monſtrum *Vir-fœmina* ſediſſe fingitur) venit poſt annos quadringentos ſexaginta Martinus Polonus (cujus ſimplicitatem in ſcribendo, & errores in commentando Onuphrius Panvinius in Annotationibus ad Platinam egregiè detegit) qui rumuſculo vano leviqúe credulus, Joan-

Ex auctoritate Scriptorū tum viventium, fabulam hanc penitùs ignorantium.

Martinus Polonus primus fabulæ aſſertor creditur.

Joannem iſtum demum invexit: neque ipſe tamen certus, ſed ut ultrò fatetur, unam inſanientis vulgi famam (plauſibilem utique ſtructuræ ſuæ baſim) ſecutus. Quamquam non deſint viri litterati graveſque, qui vetuſta & incorrupta Martini exemplaria diligenter inſpecta, ab hoc figmento prorſus immunia teſtentur. Sed demus, Martinum vulgi rumore deceptum, fabellam omni veriſimilitudine carentem Hiſtoriæ ſuæ inſeruiſſe: num ideo quiſpiam erit tam emoti cerebri, tantæque levitatis, ut hanc propterea credat? non equidem arbitror.

Quantum diſcordent fabellæ buccinatores?

Sed videamus pauliſper, quàm bellè Auctores Martinum ſequuti, ſibi invicem in figmenti adſtructione cohæreant, atque concordent? *Anglam* hic aſſerit; *Moguntinam* ille; *Fuldenſem* alius; aliuſque *Græcam* vel *Italam*. Iſti vocatur *Agnes*, illi *Gilberta*, huic *Margaritha*; aliis *Iſabella*, rurſumque aliis *Jutta*, ſeu *Tutta*: ut vel ex ipſa nominis, originis, patriæque diverſitate, Authorumque diſſidentium hallucinatione mendacium luculenter deprehendas.

Quanta mendacia coacervent, ut fabulam adſtruant?

Porrò Athenis, inquiunt, ſtuduit, ac magna eruditione in Philoſophia floruit; cùm tamen Athenæ multis ab eo tempore annis à Muſis deſertæ, & profunda barbarie ſepultæ eſſent. Doctrina, moribus, pietate commendabilem fuiſſe quidam comminiſcuntur; alii ex adverſo vitâ perditam, dæmonumque præſtigiis deditam. A monacho Fuldenſi ſeductam quidem adſtruunt: alii compreſſam è Clerico Pariſienſi volunt: alii identidem à Cardinali ſed Anonymo imprægnatam fabulantur; rurſumque alii à Cubiculario amaſio. Heu quàm diverſi tramites ad unum mendacium! Denique Romæ (ubi nullæ tùm publicæ ſcholæ) cùm biennium ſacras litteras plauſibiliter docuiſſet, Pontificatum omnium ſuffragio repentè adeptam produnt: cùm tamen exploratum ſit, ſupremam illam Eccleſiæ dignitatem nulli, niſi per ſingulos ordinum gradus provecto, exercitato, probatoque, ea tempeſtate ex lege lata fuiſſe commiſſam.

Cætera, quæ *de partu: de obliquatione viæ: de ſede ſtercoraria: de exploratione ſexus*, circumferuntur, non modò otioſa, frivola, ſtulta ſunt, ſed uſque adeò propudioſa ac falſa, ut vel nullo interveniente impugnatore, per ſe ipſa corruant. Quamquam non deſint tum ex Pontificiis, tum ex ſectariis ſanioribus auctores ſexcenti, qui totam fabulæ ſtructuram firmiſſimis argumentis ac rationibus ceu *craſſiſſimum mendacium* explodant, enervent, atque evertant.

Fruſtrà auctoritas Sigeberti, & Mariani Scoti prætenditur.

Nam quòd Sigeberti & Mariani Scoti auctoritatem obtruſores fabulæ prætendunt, rectè ut mendoſum non ſolùm à Baronio, Genebrardo, Onuphrio, Allatio, Bellarmino, Oldoino aliiſque noſtratibus rejicitur, ſed ab ipſo etiam Blondello hæterodoxo ut *enormis impoſtura* ſugillatur: quando qui adhuc habentur vetuſti illorum Codices manuſcripti, nihil prorſus de ficto iſthoc Joanne in contextu contineant, ſed tantum in margine, & quidem diverſa manu, & recentiore calamo adſcriptum aſſutumque. Unde planum fit, nec Sigeberto, nec Mariano, nec illorum notariis Joannem iſtum unquam auditum fuiſſe, ſed primùm à poſteris impoſtoribus mala fide impudentiſſimè annexum. Et reperit Onuphrius Panvinus, & Cæſar Baronius partim Romæ, partim in aliis per Italiam locis ſep-

tem pervetuſtos Indices Romanorum Pontificum,quorum ne unus quidem phantaſmatis iſtius meminit, ſed omnes Leoni IV. Benedictum III. (nulla per fœminam facta interpolatione) immediatè ſubſtituunt.

Nec Platina fabulatoribꝰ ſuffragatur. Quin & ipſe Platina, qui errantem ſequutus Martinum fabulam deſcripſit, ſuoque Volumini ut rem incertam inſeruit, ſatis apertè demonſtravit, nunquam ſe fabulæ fidem adhibuiſſe: his enim verbis commentum à ſe narratum concludit: *Hæc, quæ dixi, vulgò feruntur, incerta tamen, & obſcuris auctoribus. Quæ ideò ponere breviter, & nudè inſtitui, ne obſtinatè nimium & pertinaciter omiſiſſe videar, quæ quidam affirmant. Erremus & nos hac in re cum vulgo.* Hæc ille. Indignum itaque prudente homine eſt, præſertim Chriſtiano, tam ſtolido ſcurrili ac impio figmento, undique à doctis exploſo, aures aut fidem præbere, quando Joannes iſte non ſolùm Papa non fuit, ſed ne in rerum quidem natura (niſi fortaſsè in ſtulto comminiſcentium capite) extitit. Quis enim mortalium facilè credat, aut citra temeritatem credere præſumat, ſapientiſſimum Deum, qui in ſui diſpoſitione non fallitur, unquam permittere voluiſſe, aut tuliſſe, ut ſanctiſſimam Petri ſedem, quam ipſe ad dirigendam univerſalem Eccleſiam conſtituit, fœmina procax, fornicaria, nulliusque ordinis capax tam probroſè pollueret? Redeat igitur infamis futilisque fabella cum ſuis maleferiatis divulgatoribus in orci tenebras, unde emerſit, nunquam cordatis, nunquam prudentibus vel credibilis, vel perſuadenda.

ANNO CHRISTI DCCCLV.

Imperatoribus LOTHARIO & LUDOVICO II. Auguſtis.

DE

BENEDICTO III. Pontif. Max.

CVI. BEnedictus III. Romanus, patre Petro non ignobili viro natus, Monachus Benedictinus, meritò Benedictus appellatus eſt ob vitæ ſanctitatem, & rerum divinarum gratiam. Hic, atteſtante Platina, ſub Gregorii IV. diſciplina à teneris militans, cùm ab eo ſacris ordinibus initiatus fuiſſet, ità deinceps vixit, ut mortuo Leone IV. unus tanti Pontificis dignus ſucceſſor haberetur. Ad hunc igitur concurrentes omnes, tanquam ad unicum & benigniſſimum ſidus à Deo in terram miſſum, quinto decimo ab obitu Leonis die, eum Pontificem maximum ſalutârunt; qui flens, & Deum & ſuperos conteſtans, nequaquam ſe dignum eſſe, qui tantæ ſedi præficeretur, dicebat. Verùm acclamantibus omnibus, factamque electionem approbantibus, invitus tandem, diuque reluctans pontificium munus ſuſcepit. A Clero itaque, ac Populo Romano ſpectatæ virtutis ac vitæ homo, in Patriarchium Lateranenſe deductus, ibique in Solio collocatus, magna celebritate inter feſtivas gratulantium voces coronatur.

Hic vir ſanctus, omnium calculo & applauſu, invitus eligitur

Dum

Dum hæc aguntur, ſeditioſi quidam, impulſu Rodoaldi Epiſcopi Portuenſis, Anaſtaſium Presbyterum Cardinalem, jam anteà à Leone ob crimina purpurâ & dignitate ſpoliatum, vi atque armis intruſerunt, ac Benedictum, factâ in Patriarchium irruptione, è Laterano violenter exegerunt. Benedictus à ſuis albo equo impoſitus, tumultuantium diſcrimini ſurripitur, ac in Baſilica ad Præſepe, admotâ corpori cuſtodiâ, ſtatuitur. Ibi jejuniis triduo ac orationibus vacans, Deum aſſiduè precabatur, ut extincto Schiſmate, liceret ſibi ſanctè, integrè, & tranquillè Eccleſiam ſuam gubernare. Exauditus eſt pro reverentia ſua Benedictus à Patre miſericordiarum. Siquidem poſt diem tertium venêre omnes, qui Anaſtaſium legerant, ad Benedictum; procumbentes ante eum, ac veniam commiſſorum cum lacrymis poſtulantes. Quâ haud gravatè conceſsâ, vir ſanctus iteratò in Lateranum reductus, majori atque anteà apparatu in dignitate ſua firmatus eſt: Anaſtaſio interim abdicare coacto, atque in carcerem conjecto. Qui poſtmodùm à Benedicto injuriarum immemori, libertate donatus, Româque excedens, exulem vitam duxit uſque ad annum decimum Pontificatus Nicolai I. (qui fuit Chriſti 867.) quo anno inglorius, ſed pœnitens rebus humanis exemptus memoratur. *Schiſma inter Benedictum & Anaſtaſium Card.* *Rejecto Anaſtaſio recipitur Benedictus.*

Itaque Benedictus, elongato ſeditionis auctore Anaſtaſio, ſui ſecurus, primo ſtatim Pontificatus anno, celebrata Synodo conſtituit; ut Clerici ordinatè incederent, ac honeſtè viverent: item ut funeribus Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum Cardinalium Pontifex unà cum Clero intereſſet, honorandi corporis defuncti & commendandæ animæ gratiâ: mandavitque ut viciſſim Clerus adunatus mortui Pontificis funus celebraret. Ipſe verò, quod ſalubriter inſtituit, non verbis tantùm, ſed re ipſa comprobavit: Sacerdotum enim funeribus atque exequiis, quoad vixit, ſemper interfuit. Ægrotos præterea inviſit; pauperes aluit; calamitoſos conſolatus eſt; viduas atque pupillos acerrimè tutabatur. Tùm ad divinum cultum converſus, multas Eccleſias vetuſtate collabentes reſtituit, & dona plurima maximi pretii in earundem ſacraria repoſuit, quæ fuſiùs enarrat Anaſtaſius in vita. *Ejus decreta* *Ejusdem pia opera.*

Porrò Ignatii Patriarchæ Conſtantinopolitani Legatos Romam miſſos benigniſſimè recepit, & Gregorii Siracuſani damnationem confirmavit. Scripſerat enim Ignatius ad Leonem prædeceſſorem Pontificem, ut juſtam in Gregorium latam ſententiam confirmaret, & cùm renuiſſet Leo, quòd priùs Gregorium audire, ejusque cauſam coràm cognoſcere vellet, interea temporis extinctus eſt. Leone vita functo, cum ejus Succeſſore Benedicto hoc ipſum negotium egit Ignatius Patriarcha: Benedictus causâ Gregorii diſcuſsâ, depoſitionem ipſius tùm præſentis confirmavit, dignumque judicavit, ut à munere ſacerdotali extorris viveret. Michaël quoque Imperator, cùm accepiſſet Leoni Pontifici ſuffectum eſſe Benedictum exquiſitæ virtutis & ſanctitatis virum, Legationem ad eum miſit cum muneribus, de quibus meminit Anaſtaſius, qui tunc vixit, his verbis: *Hujus Benedicti Papa temporis Michaël Imperator, filius Theophili Imperatoris Conſtantinopolitana Urbis, ob amorem Apoſto-* *Legatos Conſtantinopolitanos recipit, & Gregorii damnationē confirmat.* *Michaël Imp. Legatos cum donis ad eundem mittit.*

Apoſtolorum miſit ad B. Petrum Apoſtolum dona per Lazarum Monachum, pictoria artis virum nimis eruditum, Evangelium ſcilicet auro puriſſimo contectum cum diverſis lapidibus pretioſis; calicem ſimiliter ex auro, & lapidibus circumdatum; reticula pendentia ex gemmis albis pretioſiſſima pulchritudine decorata; vela duo de holoſerico, cum crucibus de holoſerico unionibus diſtinctis: parva coopertoria ipſius calicis, ſicut mos Græcorum eſt: ſimiliter & veſtem de purpura imperiali unam ſuper Altare majus, ex omni parte cum hiſtoria habente cancellos, & roſas de chryſoclavo magna pulchritudinis decoratam, etiam & velum de ſtauraci unum cum cruce de chryſoclavo, & litteris ex auro Græcis. Hæc Anaſtaſius.

Rex Saxonũ Romam venit. Scribit Baronius ex Anaſtaſio, anno ſecundo Pontificatus Benedicti Ethelwulphum Regem Weſtſaxonum, Britanniæ potentiſſimum, compoſito Regno, Romam maximo cum comitatu, & filio Alfredo ſeptenni veniſſe, ibique anno integro manſiſſe, ac Romanis Baſilicis donaria magna obtuliſſe; demum reducem, naturæ poſt biennium conceſſiſſe. Quo etiam tempore (annus erat 856. vel ut alii habent 857.) fulgentiſſimum illud Germaniæ ſidus Rabanus Maurus, Arciepiſcopus Moguntinus, vir omni litterarum genere excultus, triumque præcipuarum linguarum Hebraicæ, Græcæ, ac Latinæ peritus, extinctus proditur.

Rabanus Maurus moritur.

Lotharius Imp. vitam monaſticam profitetur. Regnante pariter Benedicto, Lotharius Imperator, relicta rerum humanarum cura, Monachum in Prumienſi Monaſterio indutus, turbulentam vitam tranquillo fine concluſit. Cui ſucceſſit in Imperio Ludovicus II. filius: qui Romam veniens maximi momenti negotia, Imperium atque Eccleſiam ſpectantia, cum Benedicto tranſegit.

Benedictus moritur. Ipſe verò Benedictus Pontifex, expletis in Petri Cathedra annis duobus, menſibus ſex, diebus viginti quinque, non ſine ſanctitatis fama, ac maximo Urbis mœrore, mortali vita functus eſt die 26. Februarii anno ſalutis 858. Sepultus in Porticu Baſilicæ Vaticanæ prope argenteam portam cum ſequenti Epitaphio.

Ejus Epitaphium.

Quiſquis huc properas Chriſtum pro crimine poſcens,
Quàm lachrymis dignus ſit, rogo, diſce locus.
Hac gelida Præſul BENEDICTUS *membra quiete*
TERTIUS *en claudit, quæ ſibi reddat humus.*
Quodq; foret tectus ſervat ſub tegmine ſaxi,
Indignum ſanxit ſe ſociare piis.

SCRIPTA.

Scripta. Litteras accepit conſultorias Benedictus è Lupo magni nominis Abbate Ferrarienſi Diœceſis Senonenſis, contra manifeſtos deprædatores bonorum alienorum; & cùm hujuſmodi deprædationibus inter alios operam quoque daret Hubertus Subdiaconus Boſonis comitis filius, Benedictus adverſus eum Apoſtolicas litteras dedit ad omnes Præſules ſub Caroli Regno conſtitutos: has litteras (tum Lupi ad Benedictum, tum Benedicti ad Epiſcopos Galliarum) referunt Papirius Maſſonus, Binius tomo 6. Conciliorum, & Baronius

nius tomo 10. Annalium. Alteram etiam ſcripſit Epiſtolam ad Hincmarum Archiep. Rhemenſem, confirmans Conſtitutiones ab eo pro Eccleſiaſtica diſciplina latas. Hincmarus enim defuncto Leone (à quo fruſtrà Synodi Sueſſionenſis confirmationem per Legatos petierat) ab ejus ſucceſſore Benedicto in ipſo ejus Pontificatus ingreſſu memoratæ Synodi confirmationem ſurripuit: at cùm illa non in omnibus, ut ipſe optabat, contexta eſſet, nec plenè voluntati ipſius ſatisfaceret, fraudulenter quædam eidem confirmationi à Benedicto per Epiſtolam miſſæ addidit, quædam verò ſuſtulit. Ad Benedictum ejusdem Hincmari Rhemenſis ſunt Litteræ, quæ inveniuntur in Hiſtoria Rhemenſi Flodoardi, & Petri Frizonii. Scripſit idem Benedictus duas alias Epiſtolas, unum ad Ignatium Patriarcham, alteram ad Michaëlem Imperatorem, quarum Auctores Græci mentionem faciunt. Scripſit quoque anno 857. Interamnenſi Civitati; cùm enim Interamna (quæ Umbriæ Urbs eſt) ex Ducum Spoletanorum potentia excidium paſſa eſſet, rurſumque à Civibus, Benedicti III. tempore, inſtaurata fuiſſet, ampliſſimis à Benedicto privilegiis exornata fuit, ut ex Archivio ejusdem Civitatis demonſtrat Ferdinandus Ughellius tomo primo Italiæ ſacræ.

ANNO CHRISTI DCCCLVIII.

Imperatore LUDOVICO II. Auguſto.

DE

NICOLAO I. Pontifice Maximo.

NIcolaus I. patria Romanus, Monachus quondam Benedictinus, filius Theodori viri Conſularis, *Magni* cognomentum ob rerum geſtarum gloriam adeptus eſt. Hic magnis virtutibus præditus, ſapientia, eloquio, auctoritate, doctrina, ac vitæ ſanctitate adeò excelluit, ut plurimi veterum Scriptorum teſtati fuerint, à S. Gregorio Magno uſque ad illum, nullum inventum eſſe Pontificem, qui ei æquari poſſit: de quo hæc habet Rhegino Abbas, candidus Germaniæ Scriptor: *Regibus & Tyrannis imperavit, eisq; ac ſi Dominus Orbis terrarum, auctoritate præfuit: Epiſcopis ac Sacerdotibus religioſis, & Domini mandata obſervantibus humilis, blandus, pius, manſuetus apparuit; irreligioſis, & à recto tramite deviis terribilis, atque auctoritate plenus extitit, ut meritò credatur alter Elias, Deo ſuſcitante, noſtris temporibus ſurrexiſſe, & ſi non corpore, tamen ſpiritu & virtute.* Hæc Rhegino coætaneus Author. CVII.

Vir maximarum virtutū ſortitus Magni vocabulum.

Ejus elogium ex Rhegino.

Nicolaus piè ac ſanctè à teneris educatus, primò Subdiaconus à Sergio II. deinde Cardinalis Diaconus à Leone IV. creatur. In quo ordine adhuc conſtitutus, nullum genus pietatis omittens, Benedicti III. corpus ſuis manibus non ſine multis lachrymis tumulo intulit. At verò cùm peracto de more funere, creare alterum Pontificem neceſſe eſſet, hominesque jejuniis, vigiliis, orationibus inſtarent, ut talem à Deo conſequerentur Pontificem, qualem in Be-

Ejus in Pontificem electio

nedicto amiſerant: convenientes in Baſilica S. Dionyſii in Campo Martio, (quam hodie Eccleſiam S. Silveſtri *de Capite*, quia in illa ſacrum Joannis Baptiſtæ caput veneramur, nominamus) poſt longam conſultationem, Nicolaum abſentem, Pontificem maximum creant; & fugientem in Vaticanum, latitatemque vitandi honoris cauſâ, conquiſitum in atrium Lateranenſe perduxerunt, atque in ſolio Petri collocarunt. Poſtmodùm à nobiliſſimorum cœtibus, præcinente Clero, ac populo fauſta quæque Neo-electo acclamante, in Baſilicam S. Petri deductus, Ludovico Cæſare præſente, conſecratus eſt. Tertio autem conſecrationis die, multa cum Cæſare de Imperio ritè ſtabiliendo, ordinandaque Eccleſia collocutus, eundem convivio adhibuit; ac tandem præclaris muneribus donatum, ex oſculatumque in pace dimiſit.

Conſecratio.

Cùm verò Ludovicus ab Urbe diſceſſiſſet, conſediſſetque in loco, quem Romani *Quintum* appellant, ferunt Nicolaum non multò pòſt cum Proceribus Urbis eò profectum, tantoque cum honore ſuſceptum eſſe, ut Imperator ad mille paſſus ei cum tota aula obviàm factus ex equo deſcenderit, frænoque manibus attrectato Pontificem equitantem in caſtra perduxerit. Erat enim tantæ venerationis & majeſtatis, tantæ eloquentiæ & doctrinæ, ut ab omnibus ceu numen quoddam cœlo delapſum coleretur. Habito autem ſimul longo, eoque ſecreto de rebus graviſſimis poſt epulas colloquio, Pontifex regiis muneribus cultus, ac cum oſculo à Cæſare dimiſſus, Urbem repetiit. Ut verò ad Urbem acceſſit, tantâ illam aquarum inundantiâ ex Tiberis alluvione vexatam invenit, ut non niſi lintribus de vico ad vicum tranſire liceret. Nam & Eccleſiam S. Laurentii in Lucina, & Monaſterium S. Silveſtri, totamque illam planiciem, quæ à via lata ad radices Tarpeiæ turris, & à via Argentaria ad Aventinum ducit, ita occupaverat, ut inſtare diluvium vulgò putatum ſit. Hac inundatione & multæ domus everſæ ſunt, & innumeræ arbores evulſæ, & ſata paſſim disjecta. Neque hoc ſemel eo anno, ſed iterum Decembri menſe Romæ accidit. Emendare hæc damna, vel potiùs delinire Pontifex enixus, nullum genus officii, & pietatis in cives ſuos omiſit.

Honorificè ab Imp. ſuſcipitur.

Tiberis inundatio Romanis maximo damno.

Interim verò Michaël III. Theophili filius Orientis Imperator, Nicolai famâ ſanctitatis permotus, Legatos cum muneribus Romam miſit, qui & limina Apoſtolorum inviſerent, & Pontificem ſuo nomine ſalutarent. Inter munera fuère Patena aurea, & Calix aureus juſti ponderis cum gemmis magnæ æſtimationis. Hic eſt ille Michaël, quem poſteà ingratus Baſilius, conſors Imperii factus, anno ſalutis 867. dolo necàvit, ut ſolus Imperio potiretur. Habiti ſunt autem à Pontifice per benignè Legati, & domum viciſſim cum muneribus Romano Principe dignis remiſſi.

Michaël Imp. Legatos cum munerib. Romam mittit.

Hoc ipſo tempore Bardas, Michaëlis avunculus, Cæſar dictus, facto cum uxore legitima divortio, nurum, quam fœdè deperibat, uxorem duxit: quod cùm Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus, vir ſpectatæ virtutis excelſique animi comperiſſet, adunato mox Concilio, inceſtuoſum Imperatorem Synodali ſententia piorum communione removit. Ea re Bardas exacerbatus, ubi placare

re

re Patriarcham non potuit, conventu propria auctoritate coacto, Ignatium virili fortitudine in ſententia perſiſtentem, Epiſcopali ſede dejecit, ac Photium Senatorem, hominem profligatæ vitæ, nulliſque ſacris initiatum, ſubſtituit. Nicolaus Pontifex per Apocriſarios rem edoctus, ab Ignatio ſtetit: ac litteras contra Photium Apoſtolico vigore plenas ad Imperatorem ſcripſit: Has refert Gratianus in Decretis. Imperator mox alias minarum & contumeliarum aculeis aſperas reſcripſit, quibus & Urbi excidium, & Pontifici necem comminabatur: ad quas Nicolaus dignum forti Pontifice reſponſum tale dedit: *Notum ſit tibi Imperator, in cauſa Dei neminem ſeu potentem ſeu imbecillem mihi timendum eſſe; quòd utriſque legem dictandi, cælum pandendi obſerandiq́ jus & facultatem acceperim ab eo, qui Regibus imperat, claveſq́ mortis & vitæ tenet. Minaris gladium? nil proficis: minis non terretur Nicolaus, qui fretus Deo, infractum pro juſtitia gerit pectus, nullis adverſitatibus, nullis blanditiis emolliendum. Unde aut obſequi, Cæſar, debes; aut vim Numinis per ejus Vicarium experiri: Petri gladium non evitabis, niſi obedientiâ, qua Deo & nobis obſtringeris.* Hæc & ſimilia Nicolaus ad Bardam.

Bardas excomunicatur Ignatius ſede pellitur: Photius ſurrogatur.

Nicolaus Bardam redarguit.

Minanti Bardæ viriliter reſcribit.

Pari fortitudine uſus Nicolaus Joannem Archiepiſcopum Ravennatem, ad Sedem Apoſtolicam propter objecta crimina vocatum, ſed venire recuſantem, dignitate privavit. Is autem Papiam ad Ludovicum Imp. confugiens, ab eo litteras commendatitias ad Pontificem obtinuit, & Legatos, qui à Pontifice impetrarent, ut Joanni Archiepiſcopo Romam ad dicendam cauſam tutò proficiſci liceret: quod haud gravatè Pontifex conceſſit, in eumque finem Conventum Præſulum ad eam rem cognoſcendam indixit. Joannes autem obtentâ dicendi copiâ in magno Patrum conſeſſu, cùm ſe, reclamante conſcientia, purgare nequiret, culpam ſuam ingenuè confeſſus eſt, veniamque de genu & à Pontifice, & à Patribus, qui aderant, petiit. Motus ea animi ſubmiſſione Pontifex, Joannem certis conditionibus (quas Baronius ad *annum 861. n. 57.* recitat) in gratiam quidem recepit, ſed munere Epiſcopali, quouſque conditiones adimplêſſet, in pœnam abſtinere juſſit. Joannes edito imperata obſervandi juramento, anathemate ſolutus, Ravennam ad ſuos rediit correctus.

Joannem Ravennatum Antiſtitem in ordinem redigit.

Liberatus hac moleſtia Pontifex, Eccleſiam Dei Genitricis, *Antiquam* appellatam, ſitam ad forum Romanum, penè à fundamentis reſtituit, egregiiſque picturis exornatam donis maximis affecit, quam & *Novam* appellavit. Sarracenos Beneventum uſque ad agendas prædas excurrentes, collatis ſignis repulit, magnaque ſtrage affecit. Lotharium Lotharingiæ Regem, Ludovici II. Imperatoris fratrem, qui repudiata Thietberga uxore, Valdradam nobile ſcortum duxerat, anathemate perculit, ac legitimam, ejectâ adulterâ, in thorum recipere coëgit. Pacem inter Ludovicum Cæſarem, & Andaliſium Beneventanum Ducem compoſuit, eorumque amicitiam diutiùs diſſipatam redintegravit. Ignatii Patriarchæ Conſtantinopolitani injuſtam condemnationem, & Photii æmuli illegitimam intruſionem Apoſtolica auctoritate reprobavit. Bremenſem Eccleſiam cum Hamburgenſi (cui ſumma cum laude præerat

Multa præclarè operatur.

Sarracenos profligat.

Lotharium excomunicat

Ignatium juvat.

Eccleſiã Bremenſem Hamburgenſi jungit.

rat ſanctus Anſgarius) ad ſedandas diſcordias, quas inter illarum Præſules ſæpè ſæpiùs contingere Romana Sedes non ſine lachrymis intuebatur, conjunxit. Regem Bulgarorum Michalem per ſuos Legatos ad Chriſtianæ vitæ rationem traduxit, qui Rex ſuis itidem Legatis ad Nicolaum miſſis, acceptiſque à Ludovico Cæſare ſubſidiis, adeò ſe ſe in Chriſtiana fide conſtantem reddidit, ut mox filio majore in Regno ordinato, ipſe ſæculo renuncians factus fuerit Monachus Benedictinus. At cùm filium ad Idolorum cultum prolapſum vidiſſet, fidei zelo commotus, è clauſtris ad Regiam rediens, filium effoſſis primò oculis in carcerem truſit, filioque minori natu in regnum collocato, denuò Monachali ſe habitu induit, & uſque ad extremum vitæ ſpiritum ſanctiſſimè inter Monachos vixit.

Bulgarorum Regem convertit.

Item Ruthenos.

Ruthenos etiam idem beatiſſimus Pontifex per ſuos coöperatores à dæmonum cultu ad Chriſti ſacra convertit. Poſtremò verò, ſuffragante ipſo Ludovico Imperatore, inſtituit; *Ne Princeps ullus ſæcularis, aut Imperator, Conciliis Clericorum intereſſe auderet, niſi de fide ageretur:* tunc enim licere, & par eſſe cenſuit: Cujus rei meminit Gratianus in Decretis. Quæ autem Nicolaus diverſis Urbis Eccleſiis dona contulerit; quot Baſilicas, monaſteria, ac Oratoria conſtruxerit, reparaverit, ac exornaverit; quot munimenta, caſtella, turres, propugnacula adverſus Sarracenos, pyratas, fideique hoſtes erexerit, reſtituerit, provideritꝰ fuſiùs enarrant Anaſtaſius, Platina, Baronius, Ciaconius, Palatius. Hos, ne prolixior ſim, conſulendos indigito.

Nicolai ſtatutum.

Alia ejuſdem opera.

S. Eulogii martyrii obitus.

Martyrium S. Leocritiæ.

S. Anſgarii obitus.

Sedente Nicolao in Petri Cathedra, anno ſcilicet reparatæ ſalutis 859. ad ſuperos evolavit martyrio coronatus, magnus ille promotor Martyrum, Chriſti Præco, debellator Mahometanæ impietatis, Dei Sacerdos ſanctus Eulogius, deſignatus olim Toletanus Antiſtes, Presbyter verò exiſtens Eccleſiæ Cordubenſis: additâ ad palmam Leocritiâ, Mahometanæ gentis Sobole, ſed in Chriſto renatâ, & prædicatione ejuſdem Eulogii enutritâ, atque ad martyrium roboratâ. Anno verò 865. ex hac vita feliciter migravit ad cœlum inſignis ille Danorum & Suëonum Apoſtolus S. Anſgarius: cujus depoſitio quotannis ſumma veneratione colitur Tertio Nonas Februarii.

Moritur & Nicolaus.

Cùm autem ſediſſet Nicolaus annos novem ſupra menſes ſeptem, ac nonnullos dies, vitam ſanctiſſimè actam pari fine concluſit Idibus Novembris anni 867. Ejus Sepulchrum ante fores Vaticanæ Baſilicæ poſitum, tali fuit Epitaphio inſignitum.

Ejus Epitaphium.

Conditur hoc antro ſacra ſubſtantia carnis
Præſulis egregii NICOLAI, dogmata ſancto
Qui fulſit cunctis, mundumq; replevit & Urbem:
Intactis nituit membris, caſtoq; pudore:
Quæ docuit verbis, actuq; peregit opimè;
Siderea plenus manſit, doctuſq; Sophia,
Cœlorum claris, quæ ſervat Regna triumphis,
Ut regnet ſoliis procerum per ſæcula natus.

Joannes Diaconus celebris illius temporis Scriptor, ipſum Nicolaum

Digitized by Google

laum in cœlum receptum in Sanctorum gloria unà cum Sancto Gregorio Magno apparuiſſe per viſum, teſtatus eſt: quem & Succeſſor ejus Hadrianus ſecundus ſummis eſt laudibus proſecutus; *novum Eliam*, *novum Phineem*, ob vigorem Apoſtolicum, quo polluit, eum appellans in ſuis litteris ad Orientales datis. *Nicolaus in cœlum receptus.*

SCRIPTA.

Scripſit Nicolaus Epiſtolas Decretales quamplurimas, quarum Baronius octoginta duas citat ex Codicibus Nicolai Fabri Pariſini, & S. Mariæ ſuper Minervam: Binius verò tomo 6. Conciliorum nonaginta & unam tranſcripſit: ſedecim dumtaxat prodierunt Romæ apud Franciſcum Priſcianenſem anno 1542. Quædam etiam leguntur inter Epiſtolas Hincmari Archiepiſcopi Rhemenſis, à Joanne Cordeſio Canonico Lemovicenſi Lutetiæ editas anno 1615. Has inter laudatur ea cumprimis, quæ ad Michaëlem III. Imperatorem Conſtantinopol. eſt data; quam ab ipſo Pontifice compoſitam fuiſſe teſtatur Anaſtaſius Bibliothecarius in vita: & verò, quoniam omnium Epiſtolarum idem eſt ſtylus & nervus, inde colligi poſſe videtur omnium auctorem fuiſſe Nicolaum, non autem eos, qui ei tum à ſecretis erant. Scripſit quoque Romanus hic Pontifex *Refutationem decem calumniarum*, à Græcis Latinæ Eccleſiæ objectarum. Extat *Refutatio* hæc tomo 6. Conciliorum, & tomo 10. Annalium Baronii. Edidit pariter *Librum Reſponſionum* ad Conſulta Bulgarorum, qui non modò reperitur tomo 6. Conciliorum, & tomo 10. Annalium Baronii, ſed prodiit etiam typo Antuerpiæ apud Chriſtophorum Plantinum, ſtudio Franciſci Turriani Societatis Jeſu. Præterea Anaſtaſius Bibliothecarius Sancti Joannis Eleemoſinarii Vitam, quam ex Græco idiomate in Latinum vertit, Nicolai Pontificis nomine edidit; & in Præfatione, cùm ſe dignum ad tantùm opus, atque idoneum minimè perſpexiſſet, ad Nicolaum ſe confugiſſe, illoque tantùm duce in lucem ediſſe Joannis acta teſtatur. Inter Decreta, ſeu Reſcripta Nicolai, ex Gratiani volumine per Joannem Cochlæum in unum collecta, atque in viginti titulos diviſa, invenitur teſte Durando & Gavanto, ut Feria V. in Cœna Domini Hymnus Angelicus *Gloria in excelſis Deo*, ſacris Liturgiis adderetur. *Ejus Scripta.*

Joannes Trithemius de Scriptoribus Eccleſiaſticis agens, hoc Pontificem noſtrum elogio poſteritati commendat: *Nicolaus I. Romanus, vir in Scripturis ſanctis magnificè doctus, vita & converſatione ſanctiſſimus, multa ad Eccleſiæ Catholicæ utilitatem ſcripſit & conſtituit: cujus auctoritate Sequentiarum uſus in Eccleſiis Gallicanis (Notgero Abbate S. Galli in Helvetia, ac poſteà Epiſcopo Leodienſi, procurante) primùm cœpit. Scripſit inter alia ex perſona ſui Pontificatus egregium volumen. Item Librum Epiſtolarum ad diverſos.* Errat tamen luculenter Trithemius, cum Nicolaum fatis ceſſiſſe octavo Idus Decembris anni 869. ſcribit. Conſtat enim ex Baronio, Ciaconio, Oldoino, & aliis primæ notæ. Hiſtoricis, Nicolaum mortali compede ſolutum eſſe Idibus Novembris anni 867. Sedente Nicolao I. in throno Apoſtolico, ſacra Ere- *Ejus elogium ex Trithemio.*

Eremus ſacra vulgo Einſidlen. mus Helvetiorum (vulgò *Einſidlen*) à S. Meinrado Monacho Benedictino primùm inhabitari, pietateque ac ſignis illuſtrari cœpit; deinde à S. Benedicto & Eberhardo. Hodie locus principali Cœnobio, & D. Virginis ſanctiſſimo Sacello, innumeriſque per Dei gratiam miraculis illuſtris toto Orbe effectus, ab omni natione, quæ ſub cœlo eſt, religiosè in dies frequentatur. *Hiſt. Einſidlenſ.*

ANNO CHRISTI DCCCLXVII.

Imperatore LUDOVICO II. Auguſto.

DE
HADRIANO II. Pontifice Max.

CVIII. *Hadriani vitæ primordia.* HAdrianus II. Romanus, patre Talaro poſteà Epiſcopo natus, Stephanum IV. & Sergium II. Romanos Pontifices arctiſſimo ſanguinis vinculo contingebat. Qui dum miris in Ordine D. Benedicti virtutibus colluceret (erat enim hujus Inſtituti monachus, teſte Bucelino in Chronologia *ad an. 869. fol 76.*) à venerandæ memoriæ Gregorio IV. Apoſtolicæ ſedis Præſule Diaconi Cardinalis ſortitus eſt miniſterium. *Deinde* (ſunt verba Anaſtaſii Scriptoris contemporanei) *in Lateranum familiariter aſſumptus, ibiq; laudabiliter converſatus, urgentibus meritis, ad regendum titulum S. Marci Presbyter ordinatus eſt. Quo in munere tam inculpabiliter vixit, tamq; viriliter miniſtravit, ut non tantùm ſicut factus Presbyter, ſed ſicut futurus Pontifex reverenter ab omnibus coleretur.* Siquidem in Chriſto, ejusque Genitrice Maria (apud cujus Præſepe jugibus orationibus incumbebat) tantam fiduciam habebat, ut eorum amore cuncta quæ poſſideret, & conſequi poſſet, in pauperes liberaliſſimè profunderet. *Ejus admiranda in pauperes liberalitas.* Hinc ad eum quotidie tanta pauperum, peregrinorum, viduarum, ac pupillorum multitudo confluebat, & domus ejus commune horreum egentium, ipſeque pater eorum, magna ſui nominis celebritate, diceretur. *Tanta hoſpitalitatis erat & largitatis*, inquit allegatus Anaſtaſius, *ut non immeritò beato Job in his valeat comparari: nam ab infantia crevit cum eo miſeratio, & de utero matris cum eo egreſſa eſt: Nullum deſpiciebat pauperem: nec buccellam quidem ſuam comedebat ſolus, ſed cum pupillis & egenis; oculus erat cæco, pes claudo, pater pauperum, & conſolator viduarum: oſtium ejus omnibus indigentibus patebat, nec quidpiam denegabat poſtulantibus.* Hinc omnium voto, omnium ore ad Pontificatum expetebatur: nec irritæ fuêre deprecantium præces.

Incredibili omnium ſtudio Pontifex eligitur. Nam ter electus, bis renunciatus in ſummum Pontificem legitur *in Anaſtaſio* à Clero, populo, & Senatu. Primò poſt obitum Leonis IV. Secundò poſt obitum Benedicti III. cui ſe diverſis excuſationibus verecundè ſubduxit. Mortuo tandem Nicolao I. cùm annum expleviſſet Hadrianus ſeptuageſimum quintum, omnes Romani concives, & habitatores, pauperes, divites, Clerus, vulgus cujuscunque ætatis, profeſſionis & ſexus, rejectis omnibus ejus excuſa-

cuſationibus, Hadrianum deſiderant, inclamant, exoptant, ſibique in Præſulem & Paſtorem præfici depoſcunt. *Nullus in toto Urbis ampliſſimo ſpatio repertus eſt*, inquit Anaſtaſius, *qui non Hadrianum promoveri ad hoc culmen medullitùs exoptaret.* Idque eò magis, quòd multi Monachorum, plerique religioſorum Sacerdotum, ac fidelium laicorum, cælitùs emiſſis viſionibus, multo jam tempore, Hadrianum futurum Pontificem apertis vocibus proclamarent. Inter quos quidam Hadrianum in Sede Apoſtolica, pallio humeris obducto, reclinatum videbant: alii eundem cum Apoſtolicis infulis miſſas celebrantem: alii more Apoſtolico in Baſilica Lateranenſi aureos erogantem: plerique in equo, quo uſus fuerat Nicolaus prædeceſſor, in Urbem redeuntem, atque in Patriarchium recta ad ſolium tendentem. Conſpectis tot evidentibus indiciis, uno omnium ore, voto, ſententia Pontifex maximus eligitur, proclamatur: tùm ab univerſo Clero, & Primoribus Urbis, obſecundante populo, ab Eccleſia S. Mariæ Majoris, ubi latebat, invitus rapitur, trahitur, & ad coronationem in Lateranum deportatur. Ex Xeniis, quæ juxta conſuetudinem Neo-Pontifici ab univerſitate offerri ſolent, retentis ſolùm, quæ uſibus Miſſarum ſufficerent, reliqua mox in pauperes ac peregrinos diviſit.

Pontifex longè antè prævidetur, & acclamatur.

Invitus ad ſolium rapitur, & coronatur.

Inter tot læta atque felicia initi Pontificatus ſigna, triſtia admodùm ac luctuoſa admixta ſunt. Lambertus enim Vuito Ducis Spoletani filius, homo nefarius, fervente in Laterano lætitia, inopinato cum exercitu Urbem invaſit, illamque continuò expugnatam ferocienti militi diripiendam tradidit, nullis Eccleſiis, Cœnobiis, Sacrariis parcens: quin imò nobiliſſimas totius Urbis puellas, atque matronas, in unum coactas, prædonibus ſuis ad ſaturandam libidinem expoſuit. Citò tamen, ultore Deo, execrandus latro promeritas ſcelerum pœnas dedit: nam apud Cæſarem aacuſatus, quum non comparuiſſet, Ducatu Spoletano diectus eſt, atque in perpetuum Imperii & Eccleſiæ hoſtis declaratus.

Lambertus Dux Spoletanus Urbem diripit: ſed Ducatu mulctatur.

Hadrianus verò, exactis Româ hoſtibus, ſua in ſede firmatus, Baſilicam, quam Nicolaus deceſſor à fundamentis cum tribus aquæductibus extruxerat, magnis ſumptibus abſolvit: cujus etiam ſanctiſſimæ converſationis exempla tanto ſtudio æmulatus eſt, ut ab hoſtibus Nicolai non aliter atque *Nicolaitanus* appellaretur: quaſi convitium fuiſſet, ſanctiſſimi viri veſtigiis inſiſtere. Theutgardum tamen Archiepiſcopum Trevirenſem, cui ſacra Nicolaus interdixerat, eundemque, licèt ſæpiùs Eccleſiæ fores pulſaſſet, ſemper rejecerat, Hadrianus miſericordia motus, manu ſua communionis participem fecit: atque etiam Waldradam Lotharii Lotharingiæ regis concubinam, pœnitentiam ſimulantem, ad preces Ludovici Cæſaris, abſolvendam curavit. Vulfado Bituricenſi Præſuli reſtituto, uſum pallii conceſſit. Legationes ad Bulgaros, ad Baſilium Græcorum Imperatorem, & ad Carolum Calvum Regem Francorum miſit: ad Bulgaros quidem, ut eos in fide inſtrueret: ad Baſilium pro celebranda Synodo Oecumenica Conſtantinopolitana; in qua Photius Patriarcha cum XLV. ſectatoribus damnatus, & Ignatius ab exilio revocatus, ac debitæ ſedi reſtitutus eſt: ad Carolum

Hadrianus Nicolai Papæ æmulator.

Theutgardū Archiep. Trevir. & Waldradam in gratiam recipit.

Legationes inſtituit.

verò

Digitized by Google

verò Calvum, ut occupatum mala fide Lotharii nepotis defuncti regnum, quòd Ludovico Imp. hæreditario jure debebatur, redderet. Fuſiùs de his omnibus Palatius *in vita*.

Concilia ſedente Hadriano celebrata

Præter Conſilium Romanum in cauſa Photii & Ignatii Patriarcharum Conſtantinopolitanorum ab Hadriano anno 868. celebratum, habitum etiam eſt eodem anno Concilium Wormatienſe pro reſtauratione diſciplinæ Eccleſiaſticæ, in quo 80. Canones ex diverſis Conciliis collecti, præſcripti ſunt: ex parte tamen Concilium hoc ab Eccleſia reprobatum eſt, ut Baronius oſtendit.

Conciliabula Metenſe, Vermienſe, & Attiniacenſe.

Anno verò 869. celebratum eſt Conciliabulum Metenſe (meritò *Synodus depradatoria* à Palatio vocatum) in quo adnitentibus Epiſcopis Galliæ Regnum Franciæ à Ludovico Imperatore, cui debebatur, ad Carolum Calvum injuſtè translatum eſt. Subſequenti mox anno 870. congregatum eſt aliud Conciliabulum Vermienſe ſcilicet, in quo viginti Epiſcopi Hincmarum Juniorem Laudunenſem Epiſcopum condemnarunt, quòd juſſu Hadriani Papæ excommunicationis ſententiam in Northmannum bonorum Eccleſiaſticorum raptorem tuliſſet. Eodem anno laudatus Hincmarus in Conciliabulo Attiniaco è ſede ſua injuſtè expulſus, ac vinculis ferreis aſtrictus, ejectus eſt in exilium, ac tandem, ne in Epiſcopatum ſuum redire unquam poſſet, agente impio Hincmaro Rhemenſi Epiſcopo, excæcatus.

Hincmarus Junior injuſtè ſede ſua pellitur, & excæcatur.

Dani Angliã, Scotiam, Hiberniam devaſtant.

Anno Chriſti 870. Hadriani Pontificis tertio, effuſi in Angliam, Scotiam, Hiberniamq; Dani (quos nonnulli *Dacas* putant) more torrentis omnia longè lateque vaſtârunt. Duces his erant portentoſi nominis *Hinguar* & *Stubba*, immani robore præditi, trahentes ſecum exitia regnorum & Provinciarum: Ab his diruta mœnia, everſæ domus, urbes incenſæ; ſed in Religionem maximè graſſantibus ſpoliata templa, disjectæ aræ, ſacra vaſa disrupta, nihil intactum, inviolatumque relictum. Erant in celebri Parthenone Collinghamenſi Deo dicatæ puellæ, quibus præerat inſignis caſtimoniæ, ac prudentiæ Antiſtita nomine *Ebba:* hæc cùm non ignoraret, quàm impotenter & effrenatè barbaries adhinniat ad libidinem, accitis in Capitulum virginibus, quantum inſtet pudoris diſcrimen pluribus oſtendit. Quid autem eſſet agendum, miræ fortitudinis exemplo docet: novaculâ, quam ſub veſte abdiderat, eductâ proprias ſibi nares abſcidit, ſuperius labrum incidit, totumque vultum cruore deturpat: ſtatim omnes eâdem animi magnitudine novaculam arripiunt, ſe quoque imperterrita manu mutilant, atque cruentant. Nec mora; fit irruptio Barbarorum: Parthenonem ingreſſis puellarum agmen, quæ ſpeciem, ut dixi, deformaverant, objicitur. Hærent primò horrendo perculſi ſpectaculo, & quaſi larvarum aſpectu territi fugam ineunt: novam illæ militiæ diſciplinam tenuerunt, ut vincerent, ſe feriendo, non hoſtem: novum genus Amazonum, quia non mammas abſcidêre, ſed nares. Deinde illi admiratione in rabiem verſâ, ſarmentis, atque malleolis Parthenonem circumdant, ignemque ſubjiciunt. Nulla Virginum expavit, ingemuit nulla: omnes uno eodemque rogo victimarum more concrematæ. Non eſt quòd quiſquam objiciat, contra jus faſque

Admirandũ ſacrarum Virginum facinus.

factum,

factum, ut obviàm occurrerint morti; certè ſapientûm judicio res intra laudem fuit: ſcimus & Apolloniam, & Pelagiam in eodem genere laudatas; neque enim hæ præcipiti quadam temeritate, ſed numinis afflatu actæ cenſentur.

Poſt hæc Dani eadem ſeritate perciti regiam invadunt. Regnabat tum in Anglia Eadmundus, vir ſingulari religione & pietate. Is cùm nihil in armis ineſſe præſidii animadverteret, ad ſacram ædem tanquam ad aſylum confugit, aram tenet. Barbari nec oris majeſtate, nec loci dignitate commoti, Regem purpurâ exuunt, nudatum ad arboris ramum alligant; tum arcus intendunt, & ſagittis plurimis excuſſis orantem conficiunt: deinde cruentum cadaver in ſepem abjiciunt inter vepres: iis obtectum, cùm à ſuis quæſitum, nuſquam reperiretur, miro modo Eadmundus ipſe exanimis ſua ſe voce prodit. Legimus ſuſum ſanguinem aliquando fuiſſe vocalem; ſed ille fratrem proditorem prodidit, hic ſeipſum innocentem. Illud item quàm impiè & crudeliter à Danis factum? cùm in Canutum Regem ſanctiſſimum conjurati, quòd Decimas Religioni ritè pendi juſſiſſet, manus intulerunt, peremerunt, repentes pro auro ferrum: ex cujus vulneribus rectè ab Hiſtorico dictum eſt, plus gloriæ manâſſe, quàm ſanguinis. Hæc qui fuſiùs deſiderat, Annales Matthæi Weſtmonaſterienſis, Baroniique conſulat. Nos, quæ Hadriani ſunt propria, proſequamur. *Eadmundi Angliæ Regis martyrium.* *Canuti Regis martyrium.*

Hinc ſanctiſſimus Pontifex (inquit in vita Platina) *omnia, quæ ad honorem ſummi Dei pertinebant, diligenter circumſpiciens, verbo & opere unumquemque ad benè, beateq; vivendum cohortatus eſt. In peregrinos, & pauperes mirè benignus, in quos ſæpè magnam pecuniæ vim ſua manu erogabat: circumventos etiam iniquis aliorum judiciis, Apoſtolica auctoritate & clementia acerrimè tutatus eſt.* In hunc finem, ut ſuprà diximus, haberi Synodum Conſtantinopoli paſſus eſt, qua & pulſus Photius vir ſeditioſus, & reſtitutus Ignatius anteà injuriâ pulſus. Cùm autem ſediſſet annos quatuor, menſes undecim, dies duodecim, famâ ſanctitatis illuſtris, obiit Romæ Kalendis Novembris anno ſalutis 872. ſepultus ad S. Petrum. *Hadrianus ſanctiũ operibus ſtudioſus.* *Sanctè obit.*

SCRIPTA.

Scripſit Hadrianus Epiſtolas varias, quarum triginta & una leguntur tomo 6. Conciliorum, & tomo 10. Annalium Baronii. Has hauſêre Binius & Baronius ex Codice M.S. Nicolai Fabri, & ex tomo Conciliorum Franciſci Joverii. Triginta & duas enumerat Simeon Starovolſcius in *Epitome Conciliorum*; tres ſcilicet ad Baſilium Imperatorem Græcorum; duas ad Ignatium Patriarcham Conſtantinop. Unam ad Lotharium Regem commonitoriam, ut ejectâ Waldradâ legitimam uxorem Teutpergam recipiat: unam ad Waldradam, quam de commiſſis peccatis per interceſſionem Ludovici Imp. abſolvit: tres ad Galliæ Epiſcopos: unam ad Synodum Trecenſem: duas ad Ludovicum Regem Germaniæ: unam ad Epiſcopos Concilii Sueſſionenſis: ſeptem ad Carolum Calvum Regem Francorum: duas ad Hincmarum Archiepiſcopum Rhemenſem: tres ad Princi- *Ejus Scripta.*

pes Galliæ: unam ad Epiſcopos in Regno Ludovici conſtitutos: unam ad Comites; alteram ad Epiſcopos in Regno Caroli pro Carolomano captivo: unam ad Epiſcopos Synodi Duziacenſis in Provincia Rhemenſi: unam demum ad Salomonem Regem Britonum, cui brachium S. Leonis miſit.

Præter has Epiſtolas, quæ partim in ſeptima Synodo Romana actione ſecunda, partim inter pontificias Epiſtolas leguntur, *Pſalterium* transferre cœperat paulò ante obitum in linguam Hiſpanam, teſte Genebrardo.

Inveniuntur etiam quamplurimæ ad ipſum Hadrianum datæ Epiſtolæ, Lotharii ſcilicet Regis, Baſilii Imperatoris, Michaëlis Regis Bulgarorum, Ignatii Patriarchæ, & aliorum, quæ extant apud Collectores Epiſtolarum Romanorum Pontificum; & in tomo 6. Conciliorum unà cum ejus Concilio Romano, in quo Photius ter anathemate perculſus eſt, ejuſque virulentum volumen contra Nicolaum I. editum, igni adjudicatum.

Scripſit etiam *Formam Regni benè conſtituendi* ad Aragonenſes: *Forma ſanctarum legum* nuncupata. de hac videri poteſt Alphonſus Ciaconius *in vita Hadriani II.* ad finem.

ANNO CHRISTI DCCCLXXII.

Imperatoribus Ludovico II. Carolo II. Calvo, Ludovico III. Balbo, & Carolo III. Craſſo Auguſtis.

DE

JOANNE VIII. Pontifice Max.

CIX. *Hadriano ſuccedit Joannes VIII.*

ROmani mortuo Hadriano ſucceſſorem pontificia ſede dignum quærentes, concordibus animis & vocibus in Joannem Gundi filium, Romanum, Diaconum Cardinalem, optimæ famæ virum convenerunt, eundemque in Apoſtolico ſolio collocatum, riteque conſecratum Joannem VIII. appellarunt.

Photio favet.

Hujus Joannis res geſtæ deſiderantur apud Anaſtaſium Bibliothecarium, forſan prætermiſſæ, ob odioſam Photii hominis peſſimi reſtitutionem: nam non modò Legatos Apoſtolicos, qui pecuniis corrupti reſtitutionem Photii adverſus Ignatium Patriarcham procurabant, non rejecit Joannes, ſed benignè etiam Romam reverſos ſuſcepit, atque omnia, quæ pro Photio firmando petiêre, indulſit. Cauſam inconſulti hujus favoris, quidam his rationibus adſcribunt.

Cauſa, qua Joannem ad favendum Photio induxere.

Joannes cùm Græcorum Imperium in Italia potens videret, cumque Beneventani, & Capuani à Francis (ut Curopalates teſtatur) defeciſſent ad Imperatorem Græcorum, ei contradicere periculoſum admodùm judicavit, præſertim cùm Romanam Eccleſiam non ſolùm Barbarorum, ſed Chriſtianorum quoque gladiis vexatam

tam aſpiceret. His accedebat, quòd idem Baſilius Imperator Græcorum in ſpem eum erexerat fore, ut ſua claſſe liberaret ipſa Campaniæ & Latii littora à Sarracenorum incurſionibus. Addebatur ad hæc inſuper, quòd multa alia idem Imperator ipſi Papæ promitteret, maximè verò Bulgarorum Eccleſiam ſub Romana revocandam, quod vehementer Joannes pro ſuo in Bulgaros zelo optabat, ac frequentioribus etiam litteris expetebat. His omnibus accedebat, quod prætexebatur bonum pacis, & ſciſſarum unio Eccleſiarum, quæ ob rejectum Photium, veluti jugi terræmotu tot annis, & cum eis totus Oriens quaſſaretur, ceſſaturum ipſum omnino, ſi Sedis Apoſtolicæ auctoritate ſedere Photius concederetur, ſin minùs, graviora prioribus inſtare pericula, impendere mala nullo penitùs curanda remedio. Porrò ipſemet Baſilius Imp. mendaci relatione Joannem Pontificem deceperat; nam ſuis litteris teſtatus illi fuerat, reſtitutionem Photii cupidiſſimè exoptare non modò eos, qui à vocio ſtabant, ſed etiam ordinatos ab Ignatio, ejuſque prædeceſſore Methodio, quod tamen falſiſſimum erat. Joannes igitur tot ſpecioſis circumventus rationibus (an potiùs dolis?) maxima omnium admiratione perfecit, quod nullus prædeceſſorum fecerat, ſuadente iſtud prudentia carnis inimica Deo, & Eccleſiæ ſemper adverſa.

Baſilius Imp. doloſè cum credulo Joanne agit.

Hæc omnia Orthodoxorum animos magnoperè commoverunt, tanquam indignum Romano Pontifice facinus, penes quem plus valeret, & majoris eſſet ponderis gratia Imperatoris, quàm ſanctiſſimorum prædeceſſorum ſcriptis firmata, & juramentis ſtabilita de Photio nunquam recipiendo ſententia, cui & ipſe Joannes, cùm eſſet Archidiaconus, coram univerſa Eccleſia conſenſerat, ac edito juramento ſubſcripſerat. Non enim Photius pœnitentiæ ſignum vel leviſſimum ediderat, imò multa prioribus deteriora facinora perpetrarat, quorum cauſa arctioribus potiùs eſſet anathematis vinculis innodandus, & gravioribus ſuppliciis puniendus; utpotè qui Conſtantinopolim reverſus mox præter fas juſque, contra ſtatuta Patrum, in contemptum Oecumenicæ Synodi (cujus fuerat damnatus ſententiâ) auſus eſſet Cathedram contra Cathedram erigere, & ſacra, quæ ſibi interdicta fuerant, facere; ac ſacros ordines conferre ipſe omnibus deſtitutus, ſedens loco Eccleſiæ in Palatio *Magnaura* adverſus Ignatium legitimum & ſanctiſſimum Patriarcham, quo etiam defuncto (nam ejus vitæ omnifariam inſidiabatur) protinùs inſiliret ut prædo in ejus Cathedram, & carnificinam exerceret in omnes, qui Catholicæ eſſent communionis.

Joannes ob reſtitutum Photium culpabilis.

Dum igitur terrefactus Joannes ſceleſtiſſimo illi viro pro ſuppliciis præmia perſolvit, magnam exiſtimationi ſuæ notam inuſſit: Hinc factum puto, ut ob nimiam ejus facillitatem, & mollitudinem, abjecta penitùs omni virilitate, fractus animo, conſtantiæ ſacerdotalis oblitus, ac robore enervatus, *non Papa*, ut Nicolaus, & Hadrianus, ſed *Papiſſa* fuerit contumeliæ loco dictus, & ſic nomen contumeliæ ad poſteros rerum inſcios tranſierit in veritatis opinionem, atque ita à compluribus decantatum fuerit *Joannem VIII. Papam fuiſſe fœminam*, & ſic jactata vulgo invenerit eo modo locum

Joannes ob animi mollitudinem & timiditatem non Papa, ſed Papiſſa creditur.

Photius contra Joannem.

locum fabula. Parum Photio fuit Joannis Romani Pontificis favore ſedere ſecurum, niſi etiam totis viribus curaſſet perdere, à quo fuerat reſtitutus, Romanum Pontificem. Cæterùm etiamſi viſus ſit ſucceſſoribus Pontificibus Joannes culpabilis, haud tamen illorum reus eſt criminum, quibus ab eodem Photio aſpergitur in Synodo ab ipſo Conſtantinopoli unà cum corruptis Legatis celebrata, quam & octavam nuncupavit: imò Joannes Photium redarguit, ac demum anathemate perculit; deinde Marinum Diaconum Cardinalem ad infirmanda octavæ Synodi acta Legatum miſit, & Legatos à ſe anteà miſſos, utpotè prævaricatores, unà cum memorato Photio, perpetuo anathemate damnavit.

Joannes Photium anathemate ferit.

Licèt autem Joannes ſeductus ac circumventus, hæc quæ narravimus, perfecerit, non tamen prætermiſit, quæ Romanum Pontificem decebant. Pallium enim petitum, Epiſcopo Colonienſi Wiliberto conceſſit: graviſſimas diſcordias inter Viennenſem & Tridentinum Epiſcopos diù & obſtinatè vigentes, interpoſita Apoſtolica auctoritate, ſuſtulit: Eccleſiæ Ovetenſi (quam Froila Hiſpaniæ Rex ædificaſſe & Cathedralem conſtituiſſe dicitur) jus Metropolitanæ tribuit: Moravis & Dalmatis privilegium conceſſit, divinum officium patrio idiomate recitandi, eodemque rem divinam faciendi. Cabilone in Gallia Silveſtrum, Agricolam, Tranquillum, Deſiderium, Joannem, Flavium, Veranum, Gratum, Lupum, Epiſcopos, precibus Gilbodi Epiſcopi Cabilonenſis inductus, Apoſtolico oraculo inter ſanctos retulit; aliaque id genus plura, apud Baronium, Ciaconium, Oldoinum videnda, operatus eſt.

Multa præclarè agit.

Carolū Calvum Imperatorem conſecrat.

Mortuo ſub annum 875. Ludovico II. Imperatore improle, Joannes Carolum II. cognomento *Calvum* defuncti Cæſaris fratrem, Romam vocatum, Imperatorem conſecravit. Hanc ob rem indignati duo Caroli, Ludovici Germaniæ Regis filii, contractis undique copiis in Italiam deſcendunt, patruum Carolum Calvum imperio ſimul & vita privaturi. Is autem Tridentinos ſaltus nepotibus clauſurus cum exercitu Veronam properans, apud Mantuam valetudine correptus, venenata potione moritur, quam *Sedechias* Judæus, quo medico utebatur, valetudinis cauſa ei porrexerat. Ea re cognita Joannes Pontifex omnibus viribus annitebatur, ut Ludovicus Rex Franciæ Caroli Calvi filius Imperator decerneretur. Quò minus autem id faceret obſtitêre Proceres Romani, ac inter hos maximè Comites Tuſculani, armis, opibus, & clientelis potentes, Carolum III. cognomento *Craſſum*, Germaniæ Regem, qui cum fratre Carolomanno maximam jam Italiæ partem occupaverat, Imperatorem eſſe cupientes. In tanta verò ſeditione, cùm non deeſſent, qui etiam Ludovico faverent, Pontifex à conjuratis capitur, & in vincula conjicitur. Sed inde quorundam Principum amicorum beneficio & ope dilapſus, ad Ludovicum III. è ſermonis vitio *Balbum* dictum, in Franciam confugit: ubi per annum commoratus, & Regem inunxit Imperatorem, & controverſias maximi momenti inter Eccleſiaſticos exortas ſuſtulit, ac anathemate Comites Tuſculanos Albericum & Lambertum cum complicibus, qui violentas ipſi manus Romæ intulerant, percuſſit. Trecas inde cum

Sequitur Seditio gravis.

Joannes capitur: fugit in Galliam: Ludovicū Balbum Imper. coronat: aliaq; laude digna operatur.

cum Ludovico Auguſto digreſſus, ibidem Concilium celebravit,in quo plurima ad mores, & fidem pertinentia ſunt inſtituta, & Flandris, qui tum primùm ex locis nemoroſis ad meliorem cultum venerant, Epiſcopi dati.

Inter hæc cùm Italia à Sarracenis ferro ac igne vaſtaretur,ipſeque mons Caſſinus, direpto fœdè monaſterio, armis barbarorum occuparetur, Joannes Romam evocatus, adjuvantibus Principibus Chriſtianis Sarracenos, magna ſtrage affectos, Italia atque Sicilia expulit: Carolum præterea Craſſum, qui defuncto Compendii non ſine veneni ſuſpicione Ludovico Balbo ſucceſſerat, imperii coronâ donavit. Qui poſteà in Normannos Franciam & Lotharingiam vaſtantes movens, ita eos perdomuit, ut Rofredus eorum Dux pacem petere, & fidem Chriſti ſuſcipere coactus ſit. Quem Imperator in gratiam recipiens, è baptiſmatis fonte levavit, ut ſcribit, qui tum vixit, Anaſtaſius Bibliothecarius. Carolus cùm ſeptennio, hoſtibus undique debellatis, egregium ſe Imperatorem geſſiſſet, octavo denique anno, cùm ex fratrum obitu Germaniam, & Italiam propemodùm ſolus teneret, facto cum Richarde conjuge divortio, corpore & animo, languens, ſubditorum ac maximè Germanorum contemptum & iram incurrit. Unde deſertus ab omnibus, imperioque pulſus, ac cliens factus Arnulphi nepotis, ex fratre Carolomanno & nobili concubina nati, vix impetratis ad uſum vitæ aliquot locis, tantùm non inops paulò pòſt (nempè anno 888.) in obſcuro Sueviæ pago obiit: novo prodigio jungens mendicitatem & regnum, nequid ſit, cujus ſe Principes immunes putent. Sepulturam nactus in Abbatia divitis Augiæ in Inſula lacûs Conſtantienſis: ut tradunt Aimonius *l.5.c.40.* Paulus Æmilius *l.3.* Rhegino *l.2.* & alii.

Redux Sarracenos Sicilia pellit.

Carolum Craſſum coronat.

Rofredus Normannorum Dux ad fidem convertitur.

Carolus inopi moritur.

Joannes verò Pontifex (poſtquam ſolus Romanorum Pontificum, intra quadriennium tres Imperatores coronâſſet, Carolum ſcilicet Calvum, Ludovicum Balbum, & Carolum Craſſum) fatis ceſſit Romæ XVIII. Kal. Januarii anno ſalutis 882. ſedis ſuæ anno X. ſepultus propè *Judicu* portam in Vaticanæ Baſilicæ porticu cum ſubjecto Epitaphio.

Joannis obitus.

IOANNI PP. VIIJ.

Præſulis Octavi requieſcunt membra Ioannis
Tegmine ſub gelido marmorei tumuli:
Moribus qui ſanctus fulſit, menteq́ beatâ,
Inclytus egregiis actibus, & meritis.
Judicii cuſtos manſit, pietatis amator,
Dogmatis & veri plurima verba docens.
De ſegete Chriſti pepulit zizania ſæpè,
Multaq́ per Mundum ſemina ſparſit ovans.
Prudens, & doctus verbo, linguaq́ peritus,
Solertem cunctis ſe pius exhibuit.
Hinc jam cælicolas cernit ſuper aſtra phalanges,
Spretor enim mundi poſſidet Aſtra Poli.

Sedente Joanne in Petri Cathedra Beorredus Rex Merciorum à Danis, qui Angliam invaſerant, poſt multa prælia victus, relicto

 regno,

Beorredus Rex Merciarum Romæ moritur.

regno, Romam venit; ubi ſupremam diem obiit, ſepultus in Schola Anglorum, Regina verò eum ſecuta, Ticini exceſſit è vita, uti veteres Anglorum Scriptores teſtantur. Venit pariter Romam anno 880. S. Methodius Moraviæ Apoſtolus à Joanne Pontifice vocatus, ut rationem fidei, quam prædicaverat, redderet: ſicut olim Paulus ex Arabia venit Hieroſolymam, ut Evangelium conferret cum Petro: vana enim eſt cujusque, quantumlibet ſanctiſſimus appareat, prædicatio, niſi Petri ſit conſentiens Evangelio. Methodius ubi Romam venit, quam profiteretur, & prædicaret fidem, coràm Pontifice ſacroque Senatu exponens, ab eodem verus probatus Apoſtolus, ad opus miniſterii reverti juſſus eſt cum Joannis litteris ad ejus Provinciæ Principem.

S. Methodius Moraviæ Apoſtolus.

S. Ignatius Patriarcha Conſtantinopol. moritur.

Contigit etiam ex voto Photii luctuoſus bonis omnibus Ignatii Patriarchæ obitus, ex quo liberior illi patuit ad ſedem Conſtantinopolitanam regreſſus: hanc autem Ignatii mortem procuratam fuiſſe à Photio teſtati ſunt litteris ſuis, Orientis Epiſcopi Styllianus & Collegæ in Epiſtola ad Stephanum V. data. Et, Niceta auctore, liquet ipſum anno 878. (qui decimus numeratur ejus Sedis, à tempore, quo ab Oecumenica Synodo reſtitutus eſt) ex hac vita migraſſe ipſo die, quo etiam commemoratio agitur in Orientali Eccleſia S. Jacobi Apoſtoli minoris, qui eſt 23. menſis Octobris: quo pariter die cum eodem Jacobo Græci celebrant ejusdem Ignatii obitum in Menologiis.

SCRIPTA.

Joannis Scripta.

Scripſit Joannes VIII. utpotè vir valdè eruditus, quamplurimas Epiſtolas Apoſtolico ſpiritu plenas, quarum 312. habentur tomo 7. Conciliorum: harum nonnullæ datæ ſunt ad Carolum Imperatorem, aliæ ad Ludovicum Germaniæ, & ad Michaëlem Bulgarorum Reges: rurſum aliæ ad Baſilium Imp. Græcorum, ad Moraviæ Principem, ad Landulphum Epiſcopum Capuanum de expulſione Sarracenorum, & ad alios tum Principes, tum Epiſcopos, & Magiſtratus. Scripſit etiam ad Engilbergam Auguſtam, quæ Ludovico II. Imp. viro ſuo deſtituta, in Monialium domo Brixiæ ſe divino famulatui devoverat. Animadvertendum eſt, quòd ſub nomine Agapeti II. Papæ quædam ejus Epiſtolæ reperiuntur, quæ Agapeti non ſunt. Omnes hæ Epiſtolæ extant M.SS. Romæ in Bibliotheca. Edidit etiam Conſtitutionem *de Jure Cardinalium*, quam Baronius tomo decimo Annalium, & Binius tomo 7. Conciliorum inſeruère. Elucubravit pariter (ſi Platinæ, & Roſweido credimus) Libros quatuor de vita S. Gregorii Magni Papæ, qui leguntur præfixi operibus ejusdem Gregorii. Hi tamen libri non à Joanne Pontifice, ſed à Joanne Diacono Cardinali editi ſunt, uti in Purpura docta *l. 1. n. 4.* de Joanne Cardinale agentes, oſtendimus.

ANNO

ANNO CHRISTI DCCCLXXXII.

Imperatore CAROLO III. Craſſo Auguſto.

DE

MARINO I. Pontifice Maximo.

CX.

Vir ob virtutes & merita Pontificatu non indignus.

Ejus in Eccleſiam merita ante Pontificatũ.

MARINUS I. (quem perperàm Platina & alii Martinum II. vocant) patre Palumbo genitus, natione Etruſcus ex monte Faliſco, poſt obitum Joannis VIII. ſummum Sacerdotium adeptus eſt favore ac ope Tuſculanorum Comitum, Clerum ac populum Romanum pro dando ei ſuffragio armis ac precibus adhortantium. Et certè, ſi ſepoſito affectu, eminentes ejus virtutes, pietatem, clementiam, eruditionem, conſtantiam, ac invictum animi robur, legationesque pro Deo ac Eccleſia præclarè obitas ſpectare velimus, ſupremo Apoſtolicæ dignitatis culmine haud indignum dicemus. Ipſe enim eſt, quem Joannes VIII. Anteceſſor Neapolim ad Athanaſium ejus loci Epiſcopum & Principem in ordinem redigendum miſit, ut ſi fœdus, quod ille cum Sarracenis pepigerat, diſſolveret, eum ab excommunicationis ſententiâ, Synodali judicio in eum latâ, abſolveret; ſecùs ſi fœderi malè inito inhæreret, firmato anathemate eum Epiſcopali dignitate, & emolumentis inde pendentibus ſpoliatum declararet. Ipſe eſt, quem adhuc Diaconum Cardinalem Nicolaus Magnus ad Photium anathemate percellendum; Hadrianus II. ad eundem è Conſtantinopolitana ſede pellendum, Ignatiumque verum Patriarcham reſtituendum, & ad Oecumenicam Synodum celebrandam Apoſtolicum Legatum miſère: quo in munere ea viguit animi conſtantia, ut ſpreto capitis periculo, & Photii depoſitionem procuraverit, & ejusdem malè acta, coactâ Synodo, reſciderit; Ignatiumque adverſantibus licèt Photii fautoribus reſtituerit: unde perſpecta ejus virtute, animique robore, Bulgari cum ſibi in Epiſcopum dari ab Hadriano, quamvis fruſtrà, petierunt.

Anglorum ſcholam à vectigalib. eximit.

Romanus electus Pontifex Marinus, Saxonum ſeu Anglorum ſcholam Romæ exiſtentem, Ælfredo Rege deprecante, à vectigalibus exemit, laudatoque Regi dona tranſmiſit quamplurima, inter quæ particula ſalutiferæ crucis fuit, in qua Dei filius pro mundi ſalute pependit. Albericum item Comitem Tuſculanum, & Formoſum Epiſcopum Oſtienſem, cæteroque à Joanne prædeceſſore anathemate defixos, in gratiam recepit, ac unioni Eccleſiæ reſtituit. Cæterùm ab hoc tempore Romana Eccleſia graviſſimè laboravit, diſtractâ in duas factiones civitate, quarum alterius Comites Tuſculani, alterius alii Italiæ Principes fuêre. Itaque Regibus & Pontificibus aſſiduis certaminibus occupatis, paulatim vetus Eccleſiaſtica diſciplina, ut in progreſſu viſuri ſumus, ita refriguit, ut propè extincta videretur.

Vetus diſciplina Eccleſiaſtica ſenſim periit, & cur?

Marinus defenditur.

Marinum malis artibus ſummum Pontificatum adeptum ſcripſère Platina, & Genebrardus. At eos à veritate aberraſſe pluribus oſten-

oſtendit Victorellus in Notis ad Ciaconium: *Laudatiſſimus*, inquit, *vir fuit Marinus, acerrimusq́, iniquiſſimi Photii, graviſſimi Schiſmatis auctoris, impugnator; id quod Clerum Romanum, zelo æſtuantem, ad eum in Pontificem deligendum permovit.* Non igitur malis artibus Pontificatum obtinuit, quem Clerus ultrò merenti detulit. Ciaconius, poſtquàm & ipſe Marinum, quantùm ſatis eſt, laudavit, ſcribit illum exacto in Pontificatu anno uno ac menſe, mortalitatis compede ſolutum eſſe die 18. Januarii anno noſtræ ſalutis 884. atque ad S. Petrum in Vaticano non ſine ſanctitatis opinione conditum fuiſſe.

Moritur.

S C R I P T A.

Ejus Scripta.

Scripſit Marinus Epiſtolas aliquot, præſertim ad Eurardum Archiepiſcopum Senonenſem, & Joannem Archiepiſcopum Rothomagenſem. Litteras etiam dedit, teſte Ferdinando Ughellio *tomo 4. Italiæ ſacræ* ad Gerardum Epiſcopum Laudenſem, Monaſterium Savinionenſe illi maximoperè commendans. Habuit egregias pariter orationes, dum in minoribus eſſet, ac legationibus in Oriente fungeretur, ad Baſilium Imperatorem, & ad Patres in Oecumenica Synodo congregatos pro Ignatio adverſus Photium.

Marino verò ſcripſere pro Oxonienſi ſtudio Neotus Edulphus Einesberienſis; & Fulco Rhemenſis Archiepiſcopus pro confirmatione privilegiorum Eccleſiæ Rhemenſis; huic Marinus pallium cum litteris direxit.

ANNO CHRISTI DCCCLXXXIV.

Imperatore CAROLO III. Craſſo Auguſto.

DE

HADRIANO III. Pontifice Max.

CXI. Hadrianus hujus nominis III. patria Romanus, Benedicti filius, Agapetus anteà dictus (unde fortaſsè factum, ut Sigebertus, & Marianus Scotus Papam quendam Agapetum inter Marinum I. & Hadrianum III. interjecerint.) Tuſculanorum Comitum ſuffragante factione, poſt obitum Marini, XIII. Kal. Februarii creatus eſt Romanus Pontifex. Hic animi magnitudine Prædeceſſores Hadrianos adæquans, ac Marini veſtigiis laudabiliter inhærens, execratus eſt & ipſe Photium Pſeudopatriarcham, ſuſque deque omnia Conſtantinopoli vertentem, nullum prorſus cum eo participans communionis ſymbolum, quamvis ab Imperatore Baſilio & litteris & legationibus magnoperè rogaretur.

Animi magnitudine majoribus par, Photium execratur.

Baſilius autem Imperator ubi conſtantiam perſeverantem in ſingulis Romanis Pontificibus eſt intuitus, magna indignatione commotus, evomens, quam in ſe diu continuerat iram, hoſtiles planè ad Hadrianum litteras dedit, minis ac contumeliis plenas, quas

Baſilii Imp. malus in Pontifice. Rom. animus.

quas tamen ſerò nimis Romam perlatas, poſt obitum Hadriani, Stephanus Papa ipſius ſucceſſor accepit, & confutavit.

Caſſinum diripitur, & devaſtatur.

Initio Pontificatus Hadriani, cùm ob domeſtica Gallorum diſſidia Carolus Craſſus Imperator longè ab Italia ageret, Sarraceni Campaniæ finitimos agros populantes, nobiliſſimum Caſſini Monaſterium, direpto theſauro, atque occiſo ad aram S. Berthario Abbate, ferro ac flamma devaſtarunt. Hinc Itali ſpreto Gallorum imperio ad libertatem aſpirantes, de ſucceſſore Caroli Italo meditari cœperunt, qui faciliùs, ſi præſens regnum gereret Italicum, irruptionibus occurreret barbarorum. Hiſce conſiliis ferventes, Hadrianum Pontificem adeunt, ac ut poſtulata decreto firmaret, armatis precibus rogant.

Hadriani duo inſignia decreta.

Hadrianus ſive proximo Joannis VIII. (ſi negaret) exemplo perterritus, ſive amplificandæ gloriæ gentis Italicæ percupidus, approbatâ poſtulantium ſententiâ, duo inſignia in hunc finem decreta edidit:

Primum pro Romanorum libertate.

unum pro libertate Romanorum: *ut Pontifex deſignatus conſecrari ſine præſentia, conſenſu, & auctoritate Regis Germanorum, & Legatorum ejus poſſet*: Ita Platina, Sigonius. Sed hujus decreti apud veteres altum ſilentium: Unde incerta nutat hiſtoria. Et ſanè quid opus decreto, ubi jam Cæſares in electione ac conſecratione Pontificis omnino erant alieni? Nonne in electione Hadriani II. Legati Cæſarei, licèt Romæ adeſſent, non vocati, ſed præteriti? Nonne Nicolaus I. Ludovico II. Imperatore Romæ exiſtente, liberè, eo non requiſito, nec interveniente, electus & conſecratus? Quin & Benedictus III. invito eodem Ludovico, cathedram conſcendit ac tenuit; etiam cùm urgentibus Galliæ Epiſcopis, ſtuderet Imperator jura redimere in electione Pontificis? Potiùs hoc tempore ad ſupremam majeſtatem anhelantes Palatini Romani, inconſultis ſuis diſſidiis anſam iterum Cæſari præbuêre ſe ſe immiſcendi in electionem Pontificis, ut paſſim in decurſu videbimus.

Secundum pro Italia dignitate.

Alterum Hadriani decretum erat pro dignitate Italiæ: *ut mortuo Imperatore Craſſo ſine liberis, regnum Italiæ Principibus Italicis unà cum titulo Imperii traderetur.* Sed & hoc decretum, ut ſuo loco viſuri ſumus, turbas potiùs Italiæ, quàm commoda attulit: Imperatoribus jura ſua ferro ſemper adverſus uſurpatores vindicantibus.

Hadriani obitus.

Hadrianus autem Pontifex, de quo Clerus, populuſque Romanus magnam ſpem ob inſignes ejus virtutes conceperat, VII. Idus Septemb. anno æræ Chriſtianæ 885. deceſſit è vita (Romæ, an in Æmilia? ut quidam volunt, incertum) poſtquam Eccleſiæ Romanæ præfuiſſet annum 1. menſes 3. dies 19. Marino anteceſſore ſuo nihilo felicior: utrumque enim magnanimum virum, & ad eam dignitatem aptiſſimum præpropera fatâ repuêre. Sepultura donatus ſcribitur à Ciaconio in Baſilica Vaticana; ab aliis in Æmilia in ignobili quodam vico ad Scultinum fluvium: ubi, dum Romanorum incommoda, locuſtarum devaſtationem, pluviarum ſterilitatem, & famis anguſtias devitare ſatageret, obiiſſe putatur.

SCRIPTA.

Ejus Scripta.

Scripſit Hadrianus nonnullas Epiſtolas, licèt una dumtaxat reperiâ-

periatur ad Baſilium Imperatorem data, quæ extat in Synodo univerſali octava apud Binium tomo 7. Conciliorum cum Epiſtola Synodali Duziacenſi ad Hadrianum: ad quem etiam ſcripſiſſe eodem anno, quo creatus eſt Pontifex, gratulatorias litteras, & alias commendatitias pro Carolomanno Francorum Rege, & pro defenſione Frotharii Bituricenſis Archiepiſcopi Fulconem Archiepiſcopum Rhemenſem, teſtatur Flodoardus in ejuſdem Fulconis vita. Edidit quoque duo Decreta, ut ſuprà diximus, unum pro libertate Cleri & Populi Romani in electione Pontificis: alterum pro Imperio ad Italos transferendo.

ANNO CHRISTI DCCCLXXXV.

Imperatoribus Carolo III. Craſſo, & Arnulpho Auguſtis.

DE

STEPHANO VI. Pontifice Max.

CXII. STephanus VI. Romanus, nobili proſapia Hadriano Conſule patre ortus, ob excellentes animi dotes in Petri ſolium evectus eſt eo tempore, quo Normanni adjunctis ſibi Dacis omnem ferè Galliam ruptis fœderibus devaſtarunt.

Ejus primordia. De Stephani primordiis, ac adoleſcentiæ inſtitutis hæc apud Anaſtaſium Bibliothecarium leguntur: *Iſte quidem beatiſſimus Pontifex nobilium parentum Romanorum proſapia ortus, dum per Dei gratiam creſceret, ſacris eſt edoctus dogmatibus, ſtudio & ſollicitudine Zachariæ ſanctiſſimi Epiſcopi conſanguinei ſui, & Sedis Apoſtolicæ Bibliothecarii. Quem ſcilicet cùm inſpiceret piæ memoriæ Hadrianus Junior Pontifex moribus bonis pollentem, & litterarum ſtudiis ferventem, à prædicto inclyto genitore ſuo eum auferens, ad Subdiaconatus, Deo favente, gradum provexit, ſtatuens eum inter alios ſibi familiarem, & in Patriarchio Lateranenſi Eccleſiaſticum agentem officium.* *Inſigne elogium.* *Et hoc honore percepto, vitam ipſe duxit mirabilem: erat enim corpore caſtus, animo benevolus, vultu hilaris, eloquio prudens, operibus largus, ingenio fœcundus, mœrentium conſolator, pupillorum & inopum enutritor, &, ut generaliter comprehendam, omnium virtutum floribus ornatus.* Hæc eſt ſimilia de Stephano Anaſtaſius, vel certè Anaſtaſii continuator Guilielmus Bibliothecarius.

Ejus in pauperes benignitas. Vixdum electus Pontifex, paternas ſuas facultates omnes, multorum millium æſtimatas, larga manu in pauperes erogavit; ſicut famis acerbitas, hujuſce Pontificis ſtudio, magnoperè ſit mitigata. Porrò miniſtros & familiares tales ſuis obſequiis aggregavit, qui & vitæ ſanctitate, & fidei ſinceritate, ſapientiæ doctrina, eloquentiæ nervo, & morum probitate pollerent. Ad prandium orphanos quotidie nonnullos advocabat; refectos, doctrinis cœleſtibus imbuebat, ac numis aureis in capita partitis donabat: dum cibo cor- *Sanctam vivit vitam.* pus, animum ſacrorum lectione librorum recreabat: incruentas hoſtias ſingulis diebus in Miſſæ ſacrificio Deo immolabat: utque locuſtas, quæ longo examine agros involabant, fœdeque depaſcebantur,

bantur, quoquo modo diſperderet; *primùm*, inquit laudatus Anaſtaſius, *divulgavit, ut ſi quis de iis unum ſextarium caperet, & ſibi attuliſſet, quinque vel ſex denarios ab eo perciperet: hoc autem populi audientes cœperunt huc illucq; diſcurrere, easq; capere, & miſericordiſſimo Patri ad emendum deportare; ſed cùm illas tali argumento delere nequiſſet, ad Domini miſericordiam confugiens, in Oratorio beati Gregorii ſe ſe in orationem dedit, cumq; diutiùs oraſſet, ſurrexit, & aquam propriis manibus benedicens, Manſionariis præcepit dicens; tollite, & ſingulis diſtribuite, monentes, ut in nomine Domini agros ſuos circumeant, & hanc aquam ſpargant per ſata, & vineas, petentes divinum ſibi ſuffragari ſubſidium. Quo facto tanta omnipotentis Dei ſubſecuta eſt miſericordia, ut ubicunque ipſa aqua fuiſſet aſperſa, nulla penitùs locuſta remaneret.*

At cùm Baſilii Imperatoris litteras blaſphemiis & convitiis plenas (quas, ut ſuo loco diximus, ille miſerat ad Hadrianum III. Pontificem) Stephanus accepiſſet, inſiſtens prædeceſſorum veſtigiis, Photium execratus eſt, & reſcripſit ad Imperatorem epiſtolam eum redarguens, quòd pro Photio homine penitùs laico, cui ſacra toties interdicta fuerant, tantoperè laboraret; eumque defedendo adverſus Romanos Pontifices, ipſam Romanam Eccleſiam indignis adeò contumeliis, ac injuriis oneraret: Deum malorum omnium ultorem, niſi reſipiſceret, brevi adfuturum, ac pœnas meritis pares ab eo exacturum: nunquam proſperum vitæ exitum ſortitos eſſe, qui matrem Eccleſiam vel injuriis, vel gladio inſectati eſſent. Oracula non verba otioſa hæc fuiſſe, eventus paulò mox oſtendit. Nam Baſilius anno Imperii decimo nono, quum venationi indulgens, in miræ magnitudinis cervum incidiſſet, ipſumque percuſſurus propius acceſſiſſet, cervus ex adverſò inſurgens, cornuum jactatione zonæ Imperatoris ſic implicitus eſt, ut Cæſar ac cervus, invicem arctiſſimè cohærerentes, eò uſque in ſtatione luctantes perſtiterint, donec Aulicorum unus, liberaturus Cæſarem accurrerit, zonamque ferro diſciderit. Verùm læſis eo impetu inteſtinis, Cæſar, qui ſervatus credebatur, paulò pòſt ex vulnere obiit. Sic fortiſſimus Imperator ab animali timidiſſimo mortem hauſit, ultore Deo, circa annum 886. Ei ſucceſſit filius natu major Leo VI. Porphyrogenitus, ob artium ſtudia dictus Philoſophus. Tenuit is imperium annos 24. bello non admodùm felix; à Berengario, & à Bulgaris expeditione gemina victus. Qui denique, zoë pellice Auguſtæ uxori ſuperinductâ, Cœlo flagitium plectente, fœdo ventris profluvio ex immodica venere contracto contabuit.

Viriliter reſcribit Baſilio Imp. & ni reſipiſcat interitum prædicit.

Baſilii Imp. interitus.

Ei ſuccedit Leo IV. filius.

Intereà Stephanus pietatis operibus intentus, Corpora SS. Martyrum Diodori, Mariani & aliorum plurimorum ex Cœmeterio viæ Salariæ in Urbem tranſtulit. Baſilicam Vaticanam, atque Liberianam, mirum in modum exornatas, donis pretioſiſſimis, ut Auctor eſt Anaſtaſius, affecit. Vidonem ſeu Guidonem Ducis Spoletani filium, depoſito à Galliæ Proceribus Carolo Craſſo, Romam accerſitum, Imperatorem inunxit. Legationes Ælfredi Angliæ Regis, Principumque Germanorum, ac Epiſcoporum Orientis recepit: purgationem ferri candentis, & ferventis aquæ in Germania, per Hubertum Archiepiſcopum Moguntinum ſuſtulit: & quia Photius

Alia Stephani opera.

SS. Martyrū corpora in Urbē transfert.

Guidonem Imperatorē coronat.

Purgationem per candens ferrum tollit.

tius Spiritum ſanctum ex Filio procedere negavit, voluit addi Symbolo Niceno (quod Græci Schiſmatici detrectabant) vocabulum *Filioq;.*

Sanctitate clarus decedit. His aliiſque magna cum laude geſtis, ſanctitatis gloria illuſtris, cœlo receptus eſt duodecimo Kalend. Junii anno 891. Pontificatus ſui anno ſexto. Vir in paucis egregius, ſed ob Scriptorum inopiam poſteritati minùs commendatus. Sepultus fuit ad S. Petrum cum inſigni Epitaphio, à Manlio apud Baronium relato: in quo hæc inter alia leguntur:

Ejus Epitaphium.

Hic tumulus Sexti *ſacratos continet artus*
Præſulis eximii Pontificis Stephani.
Bis ternis annis populum qui rexit, & Urbem,
Et geſſit Domino quæ fuerant placita.

Obitus S. Remberti: & S. Stephani Patriarchæ Conſtantinop. Sedente Stephano in Petri Cathedra ad ſuperos evolarunt ſanctus Rembertus magnus ille Danorum Apoſtolus, Succeſſor ſancti Anſgarii, & ejus vitæ Scriptor, atque egregius imitator. Stephanus item Leonis Imperatoris frater, & Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui relatus legitur in Menologio Græcorum inter Sanctos, ejuſque aniverſaria dies natalis agitur decima ſeptima Maij.

Caroli Craſſi Imp. obitus. Obiit etiam Carolus III. cognomento Craſſus Imperator, jam anteà ob ignaviam à ſuis repudiatus; divino quidem judicio, ut, qui Auguſtam Richardem lectiſſimam fœminam ex levibus quibuſdam ſuſpicionibus contra jus & fas repudiarat, repudiaretur à ſuis, tradito illius regno Arnulpho Carolomanni filio notho: cæterùm Carolus Dei voluntate adeò depreſſus eſt, ut victum quotidianum ab Arnulpho ſupplex expoſcere cogeretur: gloriâ ejus in contemptum & ignominiam, timendo Principibus exemplo, verſâ. Egimus de eo in vita Joannis VIII. circa finem.

SCRIPTA.

Stephani Scripta. Scripſit Stephanus Pontifex, vir doctrina & ſanctitate celebris, plures doctrinales Epiſtolas: Unam ad Baſilium Imperatorem, ut ſuprà diximus: Alteram ad Epiſcopos Orientis; quæ duæ tùm apud Binium tomo 7. Conciliorum inveniuntur. Andreas Ducheſinus in ejus vita affirmat, Stephanum inſignes Epiſtolas ſcripſiſſe non ſolùm ad Leonem VI. Imperatorem Orientis, ſed ad alios etiam Principes, ac Præſules. Præter duas ſuperiùs laudatas, aliam inſuper affert Ferdinandus Ughellius in ſuo ſecundo tomo Italiæ ſacræ, datam ad Dominicum Archidiaconum Ravennatem. Habuit etiam frequentes Homilias inter Miſſarum ſolemnia ad Populum Romanum; harum unam ex Anaſtaſio reſcripſit Baronius in Annalibus.

Stephani Reſcripta. Extat etiam inſigne hujus Stephani reſcriptum ad Hubertum Epiſcopum Moguntinum, quo purgationem, quæ tum candenti ferro, aut ferventi aqua in Germania fiebat, vetuit ac ſuſtulit: *Conſuluiſti*, inquiens, *de infantibus, qui in uno lecto dormientes cum parentibus, mortui inveniuntur, utrum ferro candenti, aut aqua fervente, aut alio hujusmodi examine parentes ſe purgare debeant, eos non datâ operâ oppreſſiſſe?*

ſiſſe? Reſpondemus, monendos eſſe parentes, ne tam tenellos in uno lecto collocent; nam ferri candentis, aut aqua ferventis examinatione confeſſionem extorqueri à quolibet, ſacri non cenſent Canones &c. Hanc Pontificis ſententiam Gratianus refert *2. q. cap. 5. Conſuluiſti.*

Ivo etiam inſerit Reſcriptum Stephani VI. quo Aiſtulphum quendam, qui uxorem indictâ causâ occiderat, ſanctiſſimè monet, id non debuiſſe fieri: ſed quia quod factum eſt, pro infecto haberi non poteſt, non eſſe deſperandum, ſi modò velit ex præſcripta formula pœnitentiam agere. *Tam autem diſertè & appoſitè ſcribit Stephanus* (inquit in vita Ciaconius ex Ivone) *ut nullum Decretum Pontificis, illo gravius, aut pondere ſententiarum plenius, cenſeri poſſit.* Certè doctrina & eruditione eximium fuiſſe Stephanum nemo dubitaverit, qui quæ Anaſtaſius de eo ſcripta reliquit, conſideraverit. Vocat enim eum *Litterarum ſtudiis virum ferventem; ſacris dogmatibus apprimè edoctum; ingenio fæcundum; ac eloquio prudentem.* Scripſit autem hæc, qui tum vixit, virum novit, doctrinamque ejus exploratam habuit Anaſtaſius, vel ejus continuator Guilielmus Bibliothecarius. *Stephani doctrina commendatur.*

ANNO CHRISTI DCCCXCI.

Imperatore ARNULPHO Auguſto.

DE

FORMOSO I. Pontifice Maxim.

CXIII.

FORMOSUS, Leonis filius, civis & Epiſcopus Portuenſis, à Nicolao hujus nominis I. ſub annum ſalutis 856. ad Bulgaros Chriſtiana fide imbuendos Legatus eſt miſſus: cumque ibidem annos plurimos ſanctiſſimè degiſſet, ac gentem illam, ſacro dogmate imbutam, ad Chriſti fidem adduxiſſet, maximam inde ſibi gloriam, ut par erat, comparavit. *Ante Pontificatum Bulgarorum Apoſtolus.* At Joannis VIII. ſeveritatem, cujus offenſam contraxerat, veritus, relicto Epiſcopatu in Gallias profugit. Verùm inde Romam ad dicendam cauſam vocatus, cùm redire abnueret, anathemate notatus, ſuoque Epiſcopatu privatus eſt. *Joannem VIII. adverſarium habet* Sunt qui arbitrantur, hoc ideo Formoſo accidiſſe, quòd ejus conjurationis conſcius fuiſſe creditus ſit, qua Joannes captus, & in vincula conjectus eſt. At Marinus Pontifex Joannis ſucceſſor, hominis innocentiam perſpectam habens, eum in priſtinam dignitatem reſtituit. Ex eo tempore Deo & pietati unicè vacans, mortuo Stephano VI. ſummum Pontificatum non ſine turbis, ab æmulo Sergio Diacono Cardinale excitatis, adeptus eſt. Quemadmodùm Luitprandus Ticinenſis, qui hoc tempore vivebat, hiſce diſertis verbis atteſtatur: *Formoſus Vir religioſiſſimus à Marino Pontifice in priſtinam dignitatem reſtitutus, mortuo Stephano Pontificatum hac ratione obtinuit; cùm Sergius S.R.E. Diaconus Cardinalis, Pontificatum ambiendo, penè obtinuiſſet, jamq; ad altare pro conſecratione acceſſiſſet, Romanorum pars maxima Formoſum Epiſcopum Portuen-* *Schiſma inter Famoſum & Sergium Cardin.*

ſem verè religioſum, divinarumq́; ſcripturarum, & diſciplinarum ſcientia inſtructum, Papam eligunt; & cum non mediocri tumultu & injuria Sergium, nulla re niſi familia ſplendore commendatum, ab altari expellunt, Formoſum Papam coronantes. Sergius verò cum ignominia Urbe exactus in Tuſciam profectus eſt ad Adelbertum Tuſciæ Regulum, ut ejus præſidio munitus, aliquando in Urbem reverti, ambitamque ſedem occupare poſſet. Quievit tamen Formoſi, & aliquot Succeſſorum ejus tempore, cùm ei, tanquam impio, & omnibus luxuriis dedito, Romanus Populus aſſentiri nunquam voluiſſet. Demùm largitionibus corruptâ majorum civium parte, poſt aliquot annos reverſus, Pontificatum per vim obtinuit, ut ſuo loco dicemus.

Sergius Urbe pulſus, aliquamdiù quievit.

Formoſus igitur in Apoſtolico throno firmatus, litteras ab Oriente Romam allatas, ad Stephanum prædeceſſorem conſcriptas, ipſo defuncto accepit; & cùm ea, quæ in iis continerentur, intellexiſſet, ut in re magni momenti, adhibito fratrum conſilio, ad Stylianum Neocæſareæ Epiſcopum neceſſaria reſcripſit. Lambertum Guidonis filium, mortuo patre, Italiæ Imperatorem contra Berengarium creatum, imperiali diademate coronavit. Corruptos Clericorum mores ſtatutis egregiis legibus emendavit: ac nonnullas Urbis Eccleſias vetuſtate collapſus reſtituit.

Formoſus Literas Orientalium accipit.

Lambertum Imperatorem coronat.

Quæ autem & quanta à Romanis civibus, à Sergio & Tuſciæ Regulo Alberico depravatis, Formoſus Pontifex ſit paſſus, habemus ex allegato Luitprando in hæc verba: *Hoc tempore* (anno ſcilicet à Chriſto nato 895.) *Formoſus Papa religioſus à Romanis vehementer affligebatur, cujus & hortatu Rex Arnulphus Romam ad ferendam illi opem advenerat: in cujus ingreſſu, ulciſcendo Papæ injuriam, multos Romanorum Principes obviàm ſibi properantes decollari præcepit.* Intereà Formoſus gratiam Arnulpho benefactori relaturus, ipſum inſpectante Româ Imperatorem Romanorum coronavit: quæ omnia ſummum ipſi cum invidia odium pepererunt. Quo dies magis magiſque invaleſcente, ipſe denique (poſtquam Baſilicam beati Petri egregiis picturis exornaſſet) decimo nono Kalend. Januarii anno 896. curis, & perturbationibus, quibus tunc temporis Romana Eccleſia affligebatur, abſumptus potiùs, quam mortuus eſt. Sedit, ſi ſediſſe dicendus venit, qui continuo hoſtium motu eſt agitatus, annos quinque, ac nonnullos dies, ſepultus more majorum in Baſilica Sancti Petri.

Auctore Sergio, à Romanis indignè habetur.

Arnulphum Imp. Rom. coronat.

Formoſi obitus.

Vir fuit Formoſus (quidquid Platina cum aliis Romanorum Pontificum hoſtibus contrà blateret) religione, doctrina, vitæ morumque integritate illuſtris: quem & Anaſtaſius Bibliothecarius, ſincerus & contemporaneus Scriptor in vita Nicolai I. *magnæ ſanctitatis Epiſcopum* nominat: de quo eſt & egregium Hincmari Archiepiſcopi Rhemenſis in Epiſtolis teſtimonium, uti Flodoardus non ſpernendus author teſtatur: cognitâ enim Formoſi ſanctitate & doctrinâ ipſe Hincmarus optavit ſe ipſius amicitiæ magnoperè inſinuare; cujus rei aſſequendæ causâ ad ipſum litteras dedit, amoris & reverentiæ plenas, quarum ſummarium ſic ipſe recitat Flodoardus: *Formoſo Romanæ Eccleſiæ Epiſcopo Hincmarus Archipræſul Rhemenſis ſcripſit, collaudans ejus, quam audierat, ſanctitatis & ſcientiæ famam; quærensq́; ejus habere*

Ex ſanctitate & doctrina laudatiſſimus.

habere familiaritatem, unde rogavit eum, ut pro ſe dignaretur orare, vicem rependere ſpondens, & quadam ei munera mittens, ut jugem ſui memoriam in orationibus habeat.

S C R I P T A.

Scripſit plures Epiſtolas: unam ad Stylianum Neocæſareæ, Euphrateſiæ Provinciæ Epiſcopum: aliam ad Orientis Præſules: rurſum aliam ad Epiſcopos Angliæ de Eccleſia Anglicana bene ordinanda: Extant hæ apud Binium tomo 7. Conciliorum. Alia item hujuſce Pontificis ad Fulconem Archiepiſcopum Rhemenſem data invenitur apud Flodoardum in Hiſtoria Rhemenſi. Carolus Sigonius libro de Epiſcopis Bonienſibus, aliam ad Epiſcopum Bononienſem datam, qua illius Eccleſiæ privilegia de Monaſteriis, & Eccleſiis ſibi ſubjectis confirmat, innuere videtur. Scripſit quoque præcepta ad bene, ſapienterque adminiſtrandum Regnum ad Carolum Francorum Regem tum recens electum, Flodoardo, & Ciaconio teſtibus. *Ejus Scripta.*

ANNO CHRISTI DCCCXCVI.

Imperatore ARNULPHO Auguſto.

DE BONIFACIO VI. Pontif. Max.

CXIV.

Bonifacius VI. Hadriani Epiſcopi ex legitimo matrimonio filius, è Tuſcia oriundus, in demortui Pontificis Formoſi locum dolo, largitione, popularique violentia irrepſit, adverſante ac reclamante Clero. Unde cenſet Baronius, eum tanquam intruſum, inter Romanos Pontifices minime numerandum eſſe. Conſtat enim ex actis publicis hominem illum nefarium fuiſſe, & ob plurima commiſſa crimina in Romana Synodo ſub Joanne IX. celebrata damnatum, imò jam anteà bis gradu depoſitum, à Diaconatu primùm, deinde Presbyteratu. Verba Synodi *Can.3.* hæc ſunt: *Sed neque de gradu Eccleſiaſtico ſynodicè ejectum, & non canonicè reſtitutum, ad altiorem provehere ullus præſumat; pro ut de Bonifacio, primò de Subdiaconatu, poſtmodùm de Presbyteratu depoſito, popularis manus agere præſumpſit.* *Bonifacius homo nefarius, intruſus non electus fuit.*

His non obſtantibus, plures non ſpernendi nominis Auctores, illum inter Romanos Pontifices reponunt, ac Bonifacium VI. appellant, ut Platina, S. Antoninus, Panvinius, Ciaconius, & alii. Nonnulli verò Baronii ſententiæ adhærentes, illum ob enarratas paulò antè rationes è Pontificum albo expungunt, quòd Formoſo populi tantùm violentiâ ſucceſſerit. Si autem intruſorum Pontificum alii, ut Pontifices poſteà recepti inveniuntur; alii verò penitùs abrogati, inde evenit, quòd illi quamvis tyrannicè Sedem Romanam adepti fuerint, tamen accedente conſenſu Cleri, ſatiùs eſſe *Multi intruſi, accedente Cleri conſenſu, pro legitimis habiti.*

eſſe exiſtimantis eos qualeſcunque tolerandos, quàm Eccleſiam Schiſmate conſcindendam, uti legitimi Pontifices novis poſteà comitiis, ac conſuetis ritibus ſint electi: qualiter de Bonifacio factum ſcitur.

Morte repentina tollitur. Sedit verò Bonifacius in Petri ſolio nonniſi dies quindecim, repentino ut ajunt interitu ſublatus Romæ pridie Kalendas Januarii anno 896. ſepultus ad S. Petrum in Vaticano. Qui ſicuti nihil memoria dignum in brevi ſuo Pontificatu geſſit, ita nihil, quo poſteritati commendari poſſit, ſcriptum reliquit.

ANNO CHRISTI DCCCXCVII.

Imperatore ARNULPHO Auguſto.

DE

STEPHANO VII. Pontif. Max.

CXV.

Stephanus VII. tanto faſtigio prorſus indignus. STephanum VII. patria Romanum, Joannis Presbyteri Cardinalis ex legitimo matrimonio filium, profeſſione Monachum Benedictinum, dignitate Epiſcopum Anagninum, non auderem inter Romanos Pontifices recenſere, niſi id factum à majoribus inveniſſem, utpotè tanto nomine, ac tanta ſede prorſus indignum, qui primus & ſolus nefando, & inaudito hactenus ſacrilegio ſacroſanctam Petri Sedem ipſis Angelis verendam deturpavit.

Ejus nefandū ſacrilegium in Formoſi cadaver. *Iſte quidem* (ut habent acta Concilii Romani ſub Joanne Papa IX. quibus major fides, quàm aliis Scriptoribus, contrarium affirmantibus, eſt adhibenda) *vi ſumma, collecto conventiculo Epiſcoporum, ſimulq; Presbyterorum Cardinalium, ſibi ſimilium, Sergio, Benedicto, atque Martino; Diaconis etiam Joanne, Paſchali, alteroq; Joanne, hominibus perditiſſimis, violatoribus Pontificia ſepultura, Formoſi venerandum cadaver effoſſum, eq; ſepulchro extractum, tanquam viventem hominem ad judicium adductum judicari voluit, atque damnari; & in pœnam tribus digitis amputatis in Tyberim demergi.* Horrendum intentatumque hactenùs ſcelus! quod non Chriſtianorum tantùm aures exhorreſcant, ſed & avertat quoque inhumanos & feros barbaros ab auditu, à fide revocet, & præ ſui immanitate fiat omnibus incredibile. Adjecit inſuper, ut omnes qui ab eodem Formoſo Pontifice ſacris initiati eſſent, pro exauctoratis haberentur: quin & omnia ejus decreta abrogavit, ac res ab eo laudabiliter geſtas reſcidit.

Cauſa hujus odii. Panvinius in Epitome Romanorum Pontificum cauſam hujuſce odii refert his verbis: *Stephanus ingenti odio proſecutus eſt Formoſi nomen, nam Pontifex factus ſtatim omnia ejus acta abrogavit, res geſtas reſcidit, à quo tamen Epiſcopatum Anagninum acceperat: hujus ſimultatis cauſam fuiſſe referunt, quod in adipiſcendo Pontificatu ei Formoſus aliquando contrarius fuerat.* Luitprandus Sergio Pſeudopapæ adſcribit, quod factum per Stephanum liquet: fortaſsè Sergius ad illud perpetrandum auctor extitit, & anteſignanus; cæterùm graviorem Stephani culpam fuiſſe extra dubium eſt, qui nefarium, impium, ac deteſtabile facinus,

nus, collecta Synodo, non ſolùm probavit, ſed etiam executioni mandavit: quæ Synodus poſteà cum actis omnibus reſciſſa, & igni tradita fuit à Joanne IX. ut ſuo loco dicemus: ex quibus manifeſti erroris arguuntur illi, qui iſthæc de Formoſo negant, & conficta putant. Execrati autem & lapides ipſi tantum flagitium, ſuâque tunc voce, mutua colliſione clamârunt, ſpontaneam libentiùs pati ruinam, quàm Romanam Eccleſiam tanto ſcandalo depreſſam ſubſiſtere. Accidit enim tunc, ut ſacroſancta Luteranenſis Baſilica, primaria Pontificis ſedes, impulſore Angelo malo, ab ara maxima uſque ad portas penitùs ſolo proſtrata corruerit: non enim ſtare parietes valuerunt, dum primaria illorum petra, tanti facinoris terræmotu concuſſa, infracta jecebat. Facta ſunt iſta in Lateranenſi Baſilica, in cujus Patriarchio Stephanus habitabat: In Baſilica verò Principis Apoſtolorum, ad quam Formoſi ſacra pignora à piſcatoribus inventa, fuerunt deportata, ipſæ parietum ſacræ imagines illa in loculo poſita venerabiliter ſalutarunt.

Ruina Eccleſiæ Lateranenſis.

Quamvis autem Stephanum hunc tot ac tanta crimina infamarent, nullus tamen fuit principalium ſedium Epiſcopus, qui ſe ſubtraheret à cultu, veneratione, atque obedientia, quam impertiri ſoleret Romanæ Eccleſiæ Pontificibus: probè ſcientes (ut qui doctiſſimi erant ac ſanctiſſimi) primæ ſedis Pontificem minorum ſedium non ſubjacere judicio. Quam ob rem eum ex more omnes frequentarunt litteris, & conſuetis obſequiis, atque officiis venerati ſunt, recens creatis Pontificibus exhiberi ſolitis, non ignorantes etiam in Succeſſoribus indignis ſe venerari Petrum, atque in Petro Chriſtum; & eos ſpernentes, Petrum non ſine Chriſti contemptu aſpernari.

Ut at Stephanus flagitioſus fuerit, nihilominus ei Papæ cultus fuit.

Sedit Stephanus, teſte Baronio, annos quatuor & menſes nonnullos; obiitque, divina ultione, ſtrangulatus in carcere, ut patet ex ejus ſepulchri Epitaphio, à Sergio III. Chriſtophori ſucceſſore ipſoque pariter Sedis Apoſtolicæ invaſore, poſt decem annos, conſcripto: quod incipit:

Strangulatur.

Hoc Stephani Papæ *clauduntur membra locello:* Poſt ſeptem verſus indicatur genus mortis ejus hoc rudi diſticho:

Carceris intereà vinclis conſtrictus, & uno
Strangulatus nervo, exuit & hominem.

Obiit autem anno Chriſti 900. ad cujus anni poſtremos menſes Stephanum perveniſſe patet ex Diplomate privilegii conceſſi Monaſterio S. Vincentii ad fontes Vulturni, quod datum habetur menſe Septembri: hæc enim in ejus fine leguntur: *Scriptum per manus Andreæ Scriniarii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ menſe Septembri, Indictione quarta. Datum per manum Stephani Primicerii, anno Pontificatus Stephani VII. quinto.* Ex quo Platinam, Panvinium, Ciaconium, & alios eos ſequentes corrigas, qui Stephanum hunc non niſi annum ac menſes paucos ſediſſe ſcripſerunt.

Eodem quo Stephanus Papa obiit anno, laudatiſſimus ille Archiepiſcopus Eccleſiæ Rhemenſis Fulco, columen Francorum Eccleſiæ, juſſu impii Balduini Flandriæ Comitis interfectus eſt, quòd ipſum Balduinum res Eccleſiarum invadentem, privatis litteris, at-

Fulco Archiep. Rhemenſis à Flandriæ Comite occiditur.

que Synodalibus monuerat, ac Sacerdotali libertate pariter & charitate arguerat, cujus rei cauſa potiſſimùm eum ſibi reddidit infenſum.

SCRIPTA.

Stephani Scripta. Scripſit Stephanus nonnullas Epiſtolas: quarum una eſt ad Epiſcopos Germaniæ in cauſa Arni Epiſcopi Herbipolenſis, nefariè cum miniſtris ad Aram occiſi: aliam dedit ad Fulconem Archiepiſcopum Rhemenſem, teſte Flodoardo: aliam ad Abbatem S. Vincentii ad Fontes Vulturni. Ejus Concilium Romanum adverſus Formoſum Papam habitum extat tomo 7. Conciliorum apud Binium, & tomo 10. Annalium apud Baronium. Ejus Decreta, ſuppreſſa ſunt, & abrogata.

ANNO CHRISTI CM.

Imperatore ARNOLDO Auguſto.

DE

ROMANO Pontifice Maximo.

CXVI. *Formoſi ſtudioſus Stephani acta damnat.* Romanus, Marini I. Pontificis ex fratre nepos, Galleſinus Faliſcus, urgente Populo Romano, ſucceſſit Stephano VII. in carcere ſtrangulato. De hoc nihil præclari memoriæ proditum invenitur, niſi quòd famam Formoſi Pontificis, cujus erat amiciſſimus, reſtituerit; & illius decreta & acta, à Stephano VII. injuſtè abrogata, ad vigorem revocarit, confirmaritque. *Romani obitus.* Romanus, quinto ſui Pontificatus menſe nondum exacto, moritur non ſine veneni ſuſpicione Romæ die 7. Februarii anni 901. ac ſepelitur ad S. Petrum.

SCRIPTA.

Scripta. Romanus Papa ob breve ſpatium, quo Romanæ Eccleſiæ præfuit, nihil ſcripſiſſe, aut edidiſſe reperitur præter Decretum, quo Stephani adverſus Formoſum malè geſta improbavit, & abrogavit.

ANNO CHRISTI CMI.

Imperatore ARNOLPHO Auguſto.

DE

THEODORO II. Pontif. Max.

CXVII. *Formoſo patrocinatur.* Theodorus II. Romanus, Photii filius, poſt obitum Romani, Pontifex maximus creatus, Formoſi partes ardenter ſuſcepit, ac Stephani ſectatores modis omnibus perſecutus eſt.

Theo-

Theodoro ſacris Chriſtianis præſidente, Sarraceni Apuliam hoſtiliter ingreſſi, occupato Gargano monte, magnam vim hominum, & pecorum cepêre. Verùm Itali, Theodori hortatu concurrentes, tumultuaria manu comparatâ, hoſtes aggrediuntur, profligant, ac prædam recuperant.

Sarracenos arcet Italiâ.

Haud menſem exegiſſe in Petri Cathedra Theodorum exploratum eſt. At quo die is vivere deſierit, antiquorum nemo prodidit: Recentiorum verò fides ex divinatione comparata vacillat. Scribit Platina, eum vigeſimo ſui Pontificatus die mortem oppetiiſſe. Oldoinus affirmat, eum elapſis paucis diebus poſt ſuam electionem mortuum: Platinam ſecutus Ciaconius, viginti dies ejus regimini adſcribit. Ex his credi poteſt fatis ceſſiſſe die 26. Martii anni tùm currentis 901. Nihil ſcripſiſſe ob temporis brevitatem invenitur.

Ejus obitus incertus.

ANNO CHRISTI CMI.

Imperatore ARNULPHO Auguſto.

DE

JOANNE IX. Pontifice Maxim.

JOannes IX. patria Tiburtinus, filius Rampoaldi, profeſſione monachus Benedictinus, ordine Diaconus, non longè poſt obitum Theodori Romanus electus eſt Pontifex anno à Chriſto nato 901. ut Baronius ad dictum annum n. 1. teſtatur. Quo anno Adelbertus Tuſciæ Marchio armata manu Sergium Presbyterum Card. dudum legibus proſcriptum in pontificiam ſedem iterum inferre conatus eſt. Verùm ab adverſariis damnatum hominem deteſtantibus victus atque repulſus, Joanni electo, quò minus in dignitate firmaretur, officere non potuit.

CXVIII.

Joannis electioni fruſtrà obſiſtit Adelbertus Marchio Tuſciæ.

Joannes igitur mox ut ſacra thiara donatus eſt, juſtitiæ zelo commotus, Formoſi cauſam, adverſante licèt magna corrupti populi Romani parte, indicto Concilio in integrum reſtituit. Qua ex reingens in Urbe, agentibus Adelberto & Sergio, coorta eſt ſeditio. At Joannes ſeditioſorum furorem declinans, Ravennam cum omni Curia ſeceſſit. Ubi ſeptuaginta quatuor Epiſcoporum habito conventu, res geſtas Stephani VII. iterum damnavit, & Formoſi acta laudavit, rataque habuit. *In hoc Concilio*, inquit Palatius, *Patrum conſenſu flammis data Synodus Stephani VII. qui Formoſum de ſepulchro ad tribunal evocatum damnaverat; cùm tamen mortui in judicium vocari nequeant, quòd objecta fateri, vel objectis convinci non poſſint.* Igni itaque damnata Synodo, excommunicati pariter ſunt tanquam ſacrilegi, qui ſpecie juſtitiæ Formoſum de ſepulchro extraxerunt, ut theſauros effoderent.

Formoſi cauſam defendit & Stephani acta reſcindit.

Romam reverſo Joanne, cùm Berengarius eò cum exercitu contendiſſet, & coronam Imperii à perterrito Pontifice extorſiſſet, atque adeò tyrannicè nomen Imperatoris ſibi vindicaſſet: Joannes

Lamberto adverſus Berengariũ ſtudet.

eo ab Urbe elongato, vocatum Lambertum ſolemni ritu Cæſarem inauguravit: tum collecta Synodo, ne quid temerè feciſſe videretur, utriusque de Imperio contendentis jura (propoſitâ causâ) examinari fecit. Itum ab omnibus in hanc ſententiam: *Ut Berengarii coronatio utpotè vi extorta improbaretur; Lamberti verò liberè facta, pro legitima haberetur.* Cùm autem integrum Joanni non eſſet diutiùs Romæ degere, ſtudentibus nonnullis Berengario adverſus Lambertum, denuò cum tota aula Ravennam deſcendit: ubi conſtitutus, novam Synodum præſente cum Epiſcopis Lamberto celebravit.

Hadriani III decreto adverſatur, & quare? Decretum in ea inter alia eſt; *Ut Legati Imperiales impoſterum coronationi Pontificis adſint, vitandi causâ tumultus, quos plebs ſolebat excitare Romana.* Hæc licèt decretum Hadriani III. (qui in libertatem nuper Eccleſiam Romanam vindicaverat) convulſerint, temporum tamen iniquitas, ut fierent, ſuaſit: nam jura tempore conſeneſcunt, & inconſtantiâ mutantur humanâ.

Ultra hæc, quæ magna cum laude inter populorum turbas, ac æmulorum motus, celebravit Concilia Joannes (ut alter Hieremias deſtruens & diſſipans, quæ malè plantaverat Stephanus) legitur etiam ad Herveum Archiepiſcopum Rhemenſem, Succeſſorem Fulconis, plura ſcripſiſſe pro Sacramentorum adminiſtratione in causâ Northmannorum, qui nuper ad fidem converſi, baptizati ac rebaptizati, poſt baptiſmum gentiliter vixerant. Titulus litterarum ad Herveum datarum, teſte Flodoardo *lib.5.c.12.* hic erat: *Reſcriptum D. Jannis Papa ad Conſultum Hervei Rhemorum Archepiſcopi de Northmannis nuper ad fidem converſis, quorum alii baptizati fuerant, & rebaptizati, & poſt baptiſmum gentiliter vixerant, qualiter illis conſulendum ſit?*

Scribit ad Herveum, & quare?

Concilium Ovetenſe celebrari permittit. Eo etiam conſulto, ac permittente, celebratum eſt Concilium Ovetenſe in Gallæcia ad reparandas Eccleſias à Sarracenis deſtructas, & Epiſcopos reſtituendos: qua occaſione ad preces Adelphonſi Gallæciæ Regis, Eccleſia Ovetenſis Metropolitana dignitate à decem & octo Præſulibus ornata eſt, eò quòd regiam illic ſedem Adelphonſus collocaverat.

Cæterùm Joannes aſſiduis ſeditioſorum agitatus procellis,

Ejus obitus. poſtquam ovile Chriſtianum ut bonus Paſtor annos tres ac dies quindecim, teſte Baronio, curaſſet, ſupremum diem obiit Romæ Nono Kal. Octobris anno ſalutis 905. ſepultus ad S. Petrum ante portam *Guidoneam* nuncupatam cum ſequenti Epitaphio:

Epitaphium.

Eccleſia ſpecimen, clariſſima gemma bonorum,
Et mundi Dominus hic jacet eximius:
IOANNES *meritis, qui fulſit in ordine* NONUS,
Inter Apoſtolicos quem dedit Altitonans.
Conciliis docuit ternis qui dogma ſalutis
Obſervare, Deo munera grata ferens.
Temporibus cujus novitas abolita mali eſt,
Et firmata fides, quam ſtatuêre Patres.
Qui moriturus eris, Lector, dic: Papa IOANNES
Cum Sanctis capiat regna beata Dei.

Re-

Regnante Joanne, anno ſcilicet Domini 904. ex hac vita migrarunt in Anglia Grimbaldus Presbyter, vir magnæ ſanctitatis, & religioſiſſima Regina Aſuvitha, mater Eduardi Anglorum Regis, ut referunt veteres Anglorum Annales, ex quibus Matthæus Weſtmonaſterienſis ſuam texuit hiſtoriam. *Grimbaldi & Aſuvitha Reginæ obitus.*

SCRIPTA.

Scripſit Joannes Epiſtolas plures, quarum tamen nonniſi quatuor habemus: *Prima* eſt ad Herveum Archiep. Rhemenſem: *Secunda* ad Stilianum Epiſcopum Neocæſarienſem cognomento *Mapam*, qua illi facultatem negat communicandi cum illis, quos Photius anathemate percuſſus ordinaverat. Hæ duæ inveniuntur apud Binium *tomo 7. Concil.* cum tribus Joannis Conciliis. *Tertia* ad Clerum & populum Ligonienſem, quibus Agrinum eorum Epiſcopum, à Stephano VII. depoſitum, reſtituit. *Quarta* ad Carolum Simplicem Francorum Regem ob ejuſdem Agrini reſtitutionem: quæ reperitur *tomo 9. Concil.* Scribit Leo Oſtienſis *l. 1. cap. 50.* Joannem hunc Privilegium dediſſe Monachis Caſſinatibus. Ad Joannem litteras dedit Hatto Archiepiſc. Moguntinus, quibus eum rogat, ut electionem Ludovici ſeptennis filii Arnulphi Imp. in Regem Germanorum confirmare non gravetur. *Joannis Scripta.*

ANNO CHRISTI CMV.

Imperatoribus ARNULPHO, & LUDOVICO IV. Auguſtis.

DE

BENEDICTO IV. Pontif. Max.

Poſt unius diei interregnum Joanni IX. ſubrogatus eſt Benedictus hujus nominis IV. patria Romanus, Mamoli filius, qui magnam ſibi laudem ex clementia, humanite, & pauperum amore conciliavit, quibus virtutibus inter horum temporum Pontifices, tanquam ſidus lucidiſſimum, ut auctores contemporanei ſcribunt, effulſit. Fuiſſe hunc ex ordine D. Benedicti ad tantam dignitatem aſſumptum, Wion & alii tradunt. Benedicti Pontificatus initio vitam poſuit Arnulphus Imperator, Carolomanni è pellice filius, cujus ſi bella geſta ſpectes, Principes fortis, magnanimus, felix dicendus venit: Nam & Italos perdomuit; Moravos preſſit; Northmannos gentem feram Gallias populantem vicit, penéque delevit, occiſis uno prælio centum millibus eorum, pugnante contra infideles Domini brachio. Poſtremò ab Juſtitiæ & pietatis tramite deſciſcens, injurius cùm in ſuos, tùm in Epiſcopos factus, etiam templa ſpoliavit; ac reliquum vitæ non abſque infamia libidinibus deturbavit. Periit, ultore Deo, morbo pedi- CXIX. *Benedicti electio.* *Arnulphi Imp. fædus exitus.*

pediculari, cùm anteà Auguſta adulterii convicta acerbiorem ipſi vitam effeciſſet.

Contentio plurium de Corona Imp.

Ab Arnulphi obitu, Corona Imperii decurſis celeriter aliquot Carolianis, ad Germanos ſtatim tranſiit. Non tamen ſine turbis, & ſanguine. Ludovicus enim Boſonis filius, Rex Italiæ proclamatus, cùm ſecurus, dimiſſis copiis, Veronæ in luxu ageret, à Berengario anteà profugo deprehenſus, imperio privatur & oculis anno Chriſti 906. Nec ideò tuta poteſtas Berengario: nam cùm Hungari vaſtatâ Germaniâ tranſcendiſſent Alpes, & in anguſtiis oppreſſi à Berengario, nec prece nec pretio ſalutem poſſent redimere, metu ut fit in deſperationem verſo, Berengarium collectis copiis aggreſſi, ingenti clade profligârunt, vaſtâruntque Italiam nullo vetante.

Ludovicus Arnulphus filius Imperator coronatur.

At Ludovicus Arnulphi filius; proſequentibus Italicis, Romam contendit, & Imperii coronam ac titulum Auguſti, in Vaticana Baſilica à Benedicto IV. accepit. Sed nihilo meliùs patre ſe Principem geſſit. Nam Hungarorum irruptionibus, & Procerum motibus in Germania ſua, quaſi in carcere, concluſus, denique adoleſcens ætate, infelix mœrore animi, & morbo aſſumptus eſt. Et in eo exaruit Caroli Magni germanicus ſurculus, emigravitque Imperium ad Germanos, non in una ſtirpe, quaſi indagaret Auſtriacam, in qua perpetuò quieſceret.

Benedicti obitus.

Redeo ad Benedictum, de quo præter nominis memoriam, geſtorum propè nihil ſupereſt ob Scriptorum inopiam: Hæc tamen Benedicti laus maxima ſit (ait Platina) quòd in tam corruptis moribus, graviter & conſtanter vitam ducens, Pontificatus ſui anno tertio mortem ſanctè obierit Romæ quarto Idus Aprilis, Anno Virginei partûs 907. Sepelitur ad S.Petrum cum ſequenti Epitaphio, à Manlio in libello rerum antiquarum Baſilicæ Vaticanæ relato.

Ejus Epitaphium.

Membra Benedicti *hic* Quarti *ſacrata quieſcunt,*
Pontificis magni, Præſulis eximii
Qui meritò ſacrum Benedicti *eſt nomen adeptus,*
Cùm fuerit largus omnibus, atque bonus.
Hic generis decus, & pietatis ſplendor opimus,
Ornat opus cunctum juſſa Dei meditans.
Prætulit hic generale bonum lucro ſpeciali,
Mercatus cœlum, cuncta ſua tribuit.
Deſpectas viduas, nec non inopesq; pupillos,
Ut natos proprios aſſiduè refovens.
Inſpector tumuli compuncto dicito corde,
Cum Chriſto regnes ò Benedicte *Deo.*

En unicum tanti Pontificis, quod extat, monumentum! qui etiam, ob ſcriptorum penuriam, nihil ſcripſiſſe invenitur.

ANNO CHRISTI CMVII.
Imperatore LUDOVICO IV. Auguſto.

DE

LEONE V. Pontifice Maximo.

LEO

LEO V. natione Italus Ardeatinus, ante adeptam purpuram Monachus Benedictinus, vir ſimplex & rectus, Benedicto IV. ſucceſſit in Pontificatu. Hujus ſimplicitatem, atque in tractandis rebus imperitiam conſpicatus Chriſtophorus Presbyter Cardinalis, ejus familiaris, homo doloſus, impius, regnandique cupidus, accitis clanculùm ſociis, eum quadrageſimo, poſtquam conſecratus fuerat, die, comprehendit, atque in cuſtodiam traditum ab dicare coëgit. Tum armata conjuratorum manu in medium areæ Lateranenſis prorumpens, ſe ipſum, novo exemplo, Pontificem facere non dubitavit. Ad cujus proclamationem ingens in Urbe coorta ſeditio, citra ſanguinem & multorum interitum extingui non potuit. Denique ultio divina ſubſecuta, prædonem alieni juris, è throno exturbatum, in ergaſtula Monachorum compegit, ut paulò mox videbimus. CXX. *Leonis electio* *Carceri mancipatur à Chriſtophoro.* *Chriſtophoro talio redditur.*

Leo interim eductus è carcere, urgente Chriſtophoro, monaſticam ſolitudinem repetere coactus eſt: ubi paulò pòſt dolore animi contabuit, quòd ab eo potiſſimùm ſupremo honore ſpoliatus fuiſſet, quem ipſe ut lupum domi aluerat, juxta illud Theocriti; *enutrito lupos, qui te comedant.* Obiit Leo Quinto Nonas Julii anni 907. ſepultus in Eccleſia Lateranenſi, ut ſcribit Ciaconius. *Leonis obitus.*

SCRIPTA.

Scripſit Leo Epiſtolam ad Clerum Bononienſem, qua illum ab omnibus tributis, & vectigalibus pendendis immunem declarat. Cauſam hujus immunitatis enarrat Sigonius de Epiſcopis Bononienſibus in hæc ferè verba: *Huic Romano Pontifici multum Clerus Bononienſis debet: nam cùm Hungari gens, illa ætate, in Pannonia ferociſſima per Forum Julium in Lombardiam ſe populabundi intuliſſent, & quamplurima loca, cæſis aut abductis hominibus, devaſtaſſent; Atque in primis Monaſteria omnia extra Urbem poſita incendiſſent, Leo V. Romanus Pontifex, re audita, miſericordia commotus, ſtatim Clero Bononienſi privilegium, ſeu litteras immunitatis dedit, ut poſthac ab omnibus tributis, & vectigalibus pendendis eſſet immunis.* Hæc Sigonius. *Scripta.*

ANNO CHRISTI CMVII.

Imperatore LUDOVICO IV. Auguſto.

DE

CHRISTOPHORO I. Pont.M.

CHriſtophorus I. Romanus, Patre Leone, Presbyter Cardinalis titulo SS.Laurentii & Damaſi, dominandi libidine illectus (pulſo Leone V.) Pontificatum malis artibus, ut diximus, adeptus eſt. Eapropter Romanis omnibus, quos diù CXXI. *Malis artibus Pontific. adeptus, malè perit.*

diù ſeditionibus exagitaverat, odibilis factus, pontificiaque ſede vi exturbatus, in Clauſtrum Caſſinenſe, tanquam ſecuritatis ſinum, ſe recipere compulſus eſt, poſtquam menſibus octo (maximo Reipublicæ detrimento) tyrannidem exercuiſſet. At Sergius ejus Succeſſor, paris ambitionis & impietatis homo, ne inde dilapſus negotium ſibi faceſſeret, extractum è monaſterio in arctum carcerem detruſit: ubi miſeram vitam agens, paulò pòſt vel animi mœrore, vel toxico à Sergio propinato interiit. Conditus memoratur poſt obitum in Baſilica Vaticana cum hac ex Manlio relata ſepulchrali inſcriptione:

Hic pia Chriſtophori requieſcunt membra ſepulti.

Conjectura eſt Chriſtophorum ſupremam diem obiiſſe octavo Kalendas Januarii, anno reparatæ ſalutis 907. quo anno perfidus Apoſtolicum thronum invaſit, ac octo menſium ſpatio inſedit. Nihil ſcripſiſſe reperitur.

ANNO CHRISTI CMVII.

Imperatore LUDOVICO IV. Auguſto.

DE

SERGIO III. Pontifice Maximo.

Sergius vitiorum mancipium Pſeudopapa conclamatur.

Pallium concedit Archiepiſcopo Colon. & Hogero Hamburg.

CXXII. EJecto Chriſtophoro, rutſus exurgit Sergius ille, qui alias ſacram Sedem vi occupare tentaverat. Erat is patria Romanus, illuſtri Comitum Tuſculanorum proſapia ortus, dignitate Presbyter Cardinalis, nulla re niſi ſplendore familiæ commendatus: *Vir*, ut Baronius & Oldoinus teſtantur, *omnium vitiorum ſervus, & ab omnibus non legitimus Pontifex, ſed invaſor conclamatus*: quippè qui deturbato Chriſtophoro, armata manu ſe ſe in Pontificiam Sedem intruſerat. Et licèt hic talis fuerit, eo tamen honore ac reverentia fideles omnes, præſertim longè poſiti Boreales populi, proſequebantur Romanam Eccleſiam, ut quemcunque in ea ſedentem audirent nomine tenus Pontificem, eundem nullâ habitâ diſcuſſione ejus ingreſsûs, ut Petrum colerent. Sic enim Archiepiſcopus Colonienſis, & Hogerus Adalgarii ſucceſſor in Eccleſia Hamburgenſi pallium petierunt, & acceperunt à Sergio.

Nefariam cum Marozia ſcorto vitam agit.

Formoſi acta abolet.

Eccleſiam Lateran. inſtaurat.

Cæterùm Sergius non modò tyrannica vi in invadendo Pontificatu, ſed etiam vitæ turpitudine Apoſtolicam ſedem polluit: nam Maroziam nobilem quidem fœminam, & ex ſenatoria ortam propagine, turpiter amabat, ex qua nefario genuerat adulterio filium nomine Joannem, qui progreſſu temporis patrem imitatus Romanam pariter ſedem invaſit, ut ſuo loco dicetur. Sergius vindictâ in Formoſum adhuc æſtuans, omnia ejus Synodalia decreta abolevit; & quæcunque ſtatuta fuerant ejus auctoritate in Concilio Tiburienſi, reſcidit. Unum, quo poſteritati commendari poſſit, id fuit: quòd ſub annum 908. Baſilicam Lateranenſem, quæ tem-

porc

pore Stephani Papæ VII. terræmotu concuſſâ corruerat, inſtauraverit, atque egregiis picturis ornatam, ſpectabilem reddiderit.

Vitam turpiſſimè actam concluſit Sergius Romæ non ſine veneni ſuſpicione, anno à Chriſto nato 910. cùm non Septennio, (ut produnt S. Antoninus, Platina, Ciaconius, Panvinius) ſed triennio tantùm uſurpatam ſedem rexiſſet: Conſtat enim ex Chronico Caſſinenſi Joannem X. circa finem anni noſtræ ſalutis 912. invaſiſſe Sedem: cumque inter Sergium III. & Joannem X. duo interceſſerint Romani Pontifices, Anaſtaſius ſcilicet III. & Lando, quorum prior duobus annis, alter verò nonnullis tantùm menſibus, ut dicemus in eorum vitis, Eccleſiam ſit moderatus Romanam, nonniſi anno 910. Sergii obitum eveniſſe fatendum eſt nobis. Sepultus poſt obitum eſt non in Baſilica Conſtantiniana, quam inſtauraverat, ut malè refert Panvinius, verùm ad ſanctum Petrum, ut ſcribunt ferè omnes illius temporis Scriptores. *Veneno, ut creditur, ſublatus eſt.*

S C R I P T A.

Scripſit Sergius ad Alexandrum Archiepiſcopum Viennenſem, & ad Leopardum Nonnantulani Cœnobii Abbatem: harum primam Epiſtolam recitat Joannes Lieuræus in Antiquitatibus Viennenſibus; alteram Ferdinandus Ughellius in tomo 2. Italiæ ſacræ. Scripſit etiam ad Leonem Abbatem Caſſinenſem, quando is Monaſterium à Sarracenis incenſum inſtaurare cœpit. Extat pariter Sergii Epiſtola ad Hogerum Epiſcopum Hamburgenſem, quando illi petitum pallium tranſmiſit. *Ejus Scripta.*

ANNO CHRISTI CMX.

Imperatore CONRADO I. Auguſto.

DE

ANASTASIO III. Pontifice Max.

ANaſtaſius III. Romanus, Luciani filius, vir probatis moribus, ac ſpectata virtute clarus, Pontificatum iniit eo tempore, quo Landulphus Beneventanus Princeps gravi prælio in Apulia cum Græcis decertans, eos vicit. Nam Patricius Leonis Græcorum Imperatoris dux, ingenti cum exercitu Italiam ingreſſus, ſe omnia brevi ſubacturum minabatur, niſi Leoni obtemperarent. Verùm Landulphi virtute profligatus, impetum ſimul cum loquacitate & vita amiſit. Ferunt eo prælio duodecim pugnatorum millia è Græcis cecidiſſe. CXXIII. *Vir pius & bonus.* *Landulphus Beneventanus Græcos ex Italia profligat.*

Sequenti anno (qui fuit Chriſti 911.) Leo VI. Græcorum Imperator, undecima die Maij (ut auctor eſt Curopalates) fœdo ventris profluvio laborans, ex hac vita deceſſit: & cùm poſt ipſum Imperii habenas ſuſcepiſſet Alexander frater ejus juvenis, paulò pòſt miſerabili exitu, ob contemptam divinitatem, illas Conſtantino *Leo VI. Græcorum Imp. moritur: ſuccedit Alexander, & huic Conſtantinus.*

Leonis filio relinquere coactus eſt. Hujus Leonis & Alexandri obitum ad Sergii III. tempora Ciaconius, qui illius Pontificatum ad ſeptennium perperàm produxit, refert; ego verò cum Baronio, Oldoino, & aliis ad Anaſtaſium. Qui Diaconiam S Hadriani vetuſtate collabentem reſtituit, atque in ea altare propriis manibus conſecratum dedicavit.

Anaſtaſii modeſtia. Hic Pontifex in hoc laudandus venit (inquit Platina) quòd neminem eorum, qui ante ſe in Pontificatu fuêre, ignominia aliqua notaverit, vel maledicentia proſecutus ſit. Cæterùm nihil admodùm memoria dignum ab eo geſtum proditur; ac neſcio, quo pacto veterum Hiſtoriarum Scriptores, pauca admodùm de bonis Pontificibus, de malis plurima narraverint, niſi id Deus eo forſitan fine permiſerit, ut poſteri vitioſorum exemplo ſibi propoſito, abſtineant à rebus nefariis, & meliorum chariſmata æmulentur.

Piè moritur. Anaſtaſius vir optimus, biennio & menſibus duobus, quibus Eccleſiæ Romanæ præfuit, tam integrè ſanctèque vixit, ut nihil, quod jure reprehendi poſſit, in ſe habuerit. Migravit ad ſuperos anno æræ Chriſtianæ 912. Pridie nonas Junias, humatus ſolemni more in Baſilica Vaticana, in cujus laudem hoc Epitaphium exaratum legimus apud Manlium.

Ejus Epitaphium.

Vatis Anaſtaſii requieſcunt membra ſepulchro,
Sed nunquam meritum parvula claudit humus.
Rexit Apoſtolicam blando moderamine ſedem,
Tertius exiſtens ordine Pontificum.
Ad Chriſtum pergens, peccati vincula ſperat
Omnia clementer ſolvere poſſe ſibi:
Undique currentes ad hujus limina Templi,
Ut præſtet requiem poſcite corde Deum.

Conradus Imp. coronatur. Anno, quo obiit Anaſtaſius, nempè poſt Chriſtum natum 912. Conradus Franconiæ Dux à Germanis coronatus eſt Imperator, Othone Brunſvicenſi jam annis gravi coronam recuſante. Septem annis Imperio potitus, bellis inteſtinis in Germanos Proceres, ac Hungarorum incurſionibus vexatus eſt. Hoc uno præ primis memorabilis, quòd fato proximus Inſignia Imperii per fratrem Everhardum ad Henricum Saxoniæ Ducem, Othonis Brunſvicenſis filium, à quo paulò antè ingenti prælio victus fuerat, miſerit: eum unum tanto faſtigio aptum conteſtatus. Tum maximè Principatu dignus, cùm deponeret: qui ultionis libidinem, ſuorumque commoda Reipublicæ poſthaberet.

SCRIPTA.

Anaſtaſii Scripta. Duas ſcripſiſſe Epiſtolas invenitur Anaſtaſius: unam ad Landulphum, qua ei victoriam de ſuperatis in Italia Græcis gratulatur: alteram ad Berengarium Italiæ Regem, ad cujus preces Papienſi Eccleſiæ (Papia tum regni ſedes erat) jus conceſſit adhibendæ umbellæ, equo albo vehendi, & in Concilio ad lævam Pontificis aſſidendi. Adduntnonnulli tertiam; qua Germaniæ Proceres ad ſectandam cum Conrado Imp. pacem hortatur.

ANNO

ANNO CHRISTI CMXII.

Imperatore CONRADO I. Auguſto.

DE

LANDO Pontifice Maximo.

LAndo, vel Landus, natione Sabinus, Trani filius, legitimis ſuffragiis Anaſtaſio defuncto in Pontificatu ſucceſſit. Vir fuit concordiæ & pacis amantiſſimus: hinc interpoſita ſua auctoritate (quod fruſtrà hactenus ab aliis tentatum fuerat) effecit, ne Berengarius II. & Rodulphus, Comitis Guidonis filii, mutuis inter ſe armis concurrerent: nullâ præterea re in Pontificatu geſtâ nobilitatus, quarto vel quinto ſuæ ſedis menſe Romæ exceſſit è vita v. Kal. Octobris, vel ut alii habent IV. Kal. Septembris anno ſalutis 912. ſepultus in Vaticano ad S. Petrum. De quo ſic ſcribit Ciaconius ex Platina: *Hujus Pontificis vita obſcuriſſima fuit; tum ob ſedis brevitatem, tum ob Scriptorum inopiam: unde factum, ut quidam eum inter Pontifices Romanos non numerent*: perperàm utique; non enim vitæ longitudo, aut ſeries annorum, ſed legitima comitia Pontificem faciunt. Nihil ſcriptis conſignâſſe invenitur.

CXXIV. *Lando vir bonus & pacis amans.* *Ejus obitus.*

ANNO CHRISTI CMXII.

Imperatore CONRADO I. Auguſto.

De

JOANNE X. Pontifice Maximo.

EX Chronico Caſſinenſi certum colligitur argumentum, Joannem hujus nominis X. patria Romanum, gente Cincium, dignitate Archiepiſcopum Ravennatem, anno Chriſti 912. in Petri Cathedra ſedere cœpiſſe. Nam cùm ingentem victoriam de Sarracenis contigiſſe Leo Oſtienſis memorati Chronici auctor dicat anno redemptionis noſtræ 915. invaſionis verò Joannis X. tertio, utique hoc anno 912. ſe in ſedem Apoſtolicam intruſiſſe opus eſt affirmare. Qui licèt Alberici Marchionis, & Theodoræ ſocrûs viribus & potentia fretus, Romanum Pontificatum vi non ſuffragio occupâſſet, eaque propter tanquam nefariis invaſor initio habitus eſſet, accedente tamen poſteà Cleri conſenſu legitimus Pontifex creditus eſt: cujus quidem rei argumento ſunt conſecrationes ab eo factæ; Legationes Principum ad eum miſſæ, aliaque id genus munia pontificalia ab eo ceu ſummo Pontifice exercita, quæ longa ſerie Auguſtinus Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium pro aſſerenda Joannis legitimatione inducit atque enarrat.

CXXV. *Hic intruſus in Petri Cathedram, poſteà accedente Cleri conſenſu legitimè ſedit.*

Itaque Joannes ſua in ſede confirmatus, ſpiritus militares ma-

Vir militiæ magis quam religioni deditus. gis, quàm religioni deditos geſſiſſe notatus eſt. Verùm, atteſtante Platina, indigebat perverſo illo tempore tum Eccleſia, tum Italia ejuſmodi Pontifice, qui præter fulmen ſacrum, etiam ferrum diſtringeret in hoſtes undequaque irruentes. Nam Græci (uti ſuprà in Anaſtaſio III. diximus.) Landulphi nuper virtute ſuperati, Sarracenos in Italiam evocarunt, qui ex Calabris & Apulis in Lucanos & Campanos maximis copiis irrumpentes, ultimum Romanæ Urbi exitium minabantur. *Græcos in Italiam irruentes profligat.* Hoc autem periculo motus Joannes Romanus Pontifex, Alberico Hetruriæ Marchione in auxilium accito, ad pugnam progreſſus, cum Sarracenis ità fortiter conflixit, ut eos ingenti ſtrage affectos ſuperârit, atque ab Urbis finibus ſubmoverit.

Verùm nihil actum eâ victoriâ exiſtimans, niſi fugientes inſequeretur, eos ad Lyrim fluvium collectos iteratò nactus, apud Minturnas tanta clade ſuperavit, ut projectis fœdè armis diffugientes, de relinquenda omninò Italia ſeriò cogitaverint, locaque omnia, quæ in littore Italico jam jam obtinebant, deſperabundi incenderint. *Triumphanti ſimilis Urbem ingreditur.* Joannes memorabili hac parta victoria, triumphanti ſimilis, laureato curru inſidens, inter feſtivas acclamantium voces Romam ingreſſus eſt. Cùm verò poſteà ex tanta fortuna elatior factus, omnia ſibi ſpretis Proceribus vendicaret, Alberici Marchionis odium ita in ſe concitavit, ut ingens ſeditio in Urbe ſit orta, *Ingens Romæ ſeditio.* qua quidem invaleſcente Marchio pulſus, ne impunè Pontifici eſſet, Hungaros præmiis ſollicitatos in Italiam evocavit, qui certè nulla mora Provinciam ingreſſi, plus propè calamitatis Italiæ intulêre, quàm nuper Sarraceni. Pueros enim & Virgines catervatim conglobatos abducebant, grandioribus natu necatis. Neque ipſis quidem Hetruſcis pepercêre, quos ex fœdere Alberici intactos eſſe oportebat: imò verò magis in hos, quàm in cæteros Italos ſævitum eſt, incenſis ferè omnibus eorum oppidis, quæ ipſi occupaverant. Hac calamitate exacerbati Romani, *Albericus comes capitur.* cùm ſævire in hoſtem præferocem & patentem non poſſent, iram omnem in Albericum mali auctorem exonerant, captumque in carcerem ad certam necem compingunt. Verùm Albericus, corruptis auro cuſtodibus, paulò mox elapſus.

Ea in ſeditione Guido Tuſciæ Comes, inſtigante Marozia ejus uxore, immiſſis ſatellitibus Joannem Pontificem paucis ſtipatum cum fratre in Laterano opprimit, occiſoque fratre, Pontificem abductum in vincula, *Joannes in vinculis ſuffocatur.* conjecto in os ejus cervicali, miſerandum in modum enecat decimo quinto ſui Pontificatus anno, qui fuit Chriſti nongenteſimus vigeſimus octavus. Atque ita Joannes partum malis artibus Pontificatum, ultore Deo, cum vita amiſit. Suffocati cadaver clanculum in Laterano ſepultum.

S C R I P T A.

Ejus Scripta. Scripſit Joannes X. (Oldoino teſte) varias ad varios epiſtolas, nominatim:

Ad Paulum Epiſ. Adrienſem; quam Ughellius *tomo 2. Ital. ſac.* refert.

Ad

Ad Herimannum Archiepiſcum Colonienſem.
Ad Carolum III. Francorum Regem.
Ad Conſtantinum VIII. Orientis Imperatorem.
Ad Ordonium Legionis Regem.
Ad Heribertum Comitem Veramanduorum, cujus filium nondum Quinquennem Archiepiſcopum Rhemenſem confirmaverat.
Ad S. Siſenandum Epiſcopum Compoſtellanum, cujus ſe precibus commendat. &
Ad Epiſcopos Narbonenſes: ut videre eſt *in Tomo 6. Concil.* Ab his omnibus reſponſorias accepit.

ANNO CHRISTI CMXXVII.

Imperatore Henrico I. cognomento Aucupe Auguſto.

DE

LEONE VI. Pontifice Maximo.

LEO VI. Romanus, filius Chriſtophori primicerii ex familia *Gemina*, quæ poſteà *Sanguinea* dicta eſt, enecto in carcere Joanne X. legitimis comitiis Pontifex creatus, Eccleſiæ Romanæ menſibus ſex, diebus quindecim non inutiliter præſedit. Nam, teſte Platina, Mariano Scoto, & Hermanno Contracto, cùm eſſet vir integerrimis moribus, magnæque induſtriæ, nil tyrannicum præferens, rei divinæ, ac populorum ſaluti paciq́ue, quantum corruptiſſimum illud ſæculum patiebatur, egregiè conſuluit. Revocare enim cives ad concordiam; tumultus Anteceſſorum temeritate excitatos ſopire; ſeditiones factioſorum tollere; res Italiæ componere; externum hoſtem pacare; barbarosq́ue à cervicibus Italiæ propulſare ardenti ſtudio conatus eſt: quo certè nil melius, optatius, laudabiliusq́ue in tam brevi magiſtratu fieri potuit. Ex his meritò redarguit Victorellus in Notis Ciaconium ſcribere auſum; *Leonem VI. nihil memoratu dignum, quod ad poſteros pervenerit, ſuo in Pontificatu geſſiſſe.* Cùm ſuo judicio plurima eaq́ue publicâ laude digna, ut ſuprà retulimus, geſſiſſe Leo ſit viſus. Victorello adſtipulantur Baronius, Oldoinus, Palatius, aliiq́ue. CXXVI. *Leonis electio* *Quæ geſſerit durante breviſſimo Pontificatu.*

Porrò referunt laudati auctores, nominatim Oldoinus, Leonem ſex menſium ac nonnullorum dierum Pontificem, decimo Kalendas Novembris anno 928. ab illis, qui cane pejùs & angue Romanam Eccleſiam oderant, dolo captum in carcerem detruſum fuiſſe, ibidemq́ue ærumnis confectum, vitam cœleſti palma dignam ſancto fine terminaſſe, ac poſt obitum ad divum Petrum in Vaticano honorificè conditum fuiſſe. *Moritur in carcere.*

Regnante Leone, Henricus cognomento *Auceps*, Othonis Saxoniæ Ducis filius, mortuo Conrado I. Imperatore, Cæſar eſt ſalutatus. Fuit in Princeps fortitudine, ſapientia, ac religione in paucis inclytus: Nam & Arnoldum Bavariæ Ducem Imperio inhiantem repreſſit: Hungaros excurſione in Saxoniam delatos proſtravit: *Henricus I. ſuccedit Conrado Imperatori.*

Wandalos hoſtes collatis ſignis devicit: Bohemiam & Lotharingiam armis edomitas Imperio reſtituit: ac denique moriturus Othonem filium Imperii Succeſſorem edixit. Imperavit annos ſeptem & decem.

SCRIPTA.

Leonis Scripta. Refert Joannes Lieuræus inſignem Epiſtolam, quam Leo VI. Romanus Pontifex ad Leodegarium Archiepiſcopum Viennenſem ſcripſit, data hæc notatur quinto Idus Maij per manum Petri ſacri Lateranenſis Palatii Cancellarium.

ANNO CHRISTI CMXXVIII.
Imperatore HENRICO I. cognomento Aucupe Auguſto.

DE

STEPHANO VIII. Pontif. Max.

CXXVII *Vir pius, manſuetus, & religioſus.* STephanus VIII. Romanus, patre Theudemundo, ex ordine divi Benedicti (ut ſcribit Bucelinus *in Menologio 8. Decembr.*) in demortui Leonis locum eo tempore ſuffectus eſt, quo Hungari Germaniam, ac præcipuè Saxoniam populantes, ab Henrico Imp. ingenti clade ſuperati, & profligati ſunt. Erat Stephanus vir in paucis egregius, *cujus vita*, atteſtante Platina, *manſuetudinis & religionis plena fuit.* Hinc pleræque gentium gentium converſiones Stephani zelo ac ſolicitudini adſcribuntur. *Spireneum Bohemiæ Ducem ac fidem convertit.* Ferunt enim hac tempeſtate Spireneum Bohemiæ Ducem, hortatu Stephani, fidem Chriſtianam amplexum, toti Bohemiæ ſaluti fuiſſe. Qui Bohemiæ his ac ſuperioribus temporibus præerant, *Duces* dicebantur: auctis deinde opibus & copiis *Reges* appellati ſunt, Regum titulos cum fide adepti. *Sueones pariter & Gothos.* Sueones pariter & Gothi, ſedente in Petri Cathedra Stephano, à S. Anſgario primùm ſacro baptiſmate abluti, cùm à fide progreſſu temporis defeciſſent, per Sanctum *Unni* Archiepiſcopum ad Chriſti cultum reducti memorantur.

Malè habetur à Romanis. Cæterùm Stephanus à Romanis ita ſeditionibus vexatus proditur, ut quamvis maxima ad Eccleſiæ emolumentum mente agitaret, nihil perficere potuerit, obicem ponente hominum malitiâ: imò in illis ſeditionibus mutilatus turpiter, ſolitariam aliquamdiù vitam duxit, quòd ob inhoneſta vulnera prodire in publicum erubeſceret, teſte Panvinio in Epitomæ Romanorum Pontificum. *Ejus obitus.* Alii tamen hæc ipſa ad Stephanum Nonum referunt, ut ſuo loco dicemus. Obiit Stephanus, ex Ciaconio, & Oldoino, VI. Idus Decembris anno Chriſtiano 930. Sepultus ad S Petrum. Præfuit Eccleſiæ annis duobus, menſe uno, diebus quindecim.

SCRIPTA.

Scripta. Extat Epiſtola Stephani VIII. ad Spireneum Bohemiæ Ducem, qua

qua ipſum ad ampleƈtendam Chriſti fidem hortatur. Aliam eundem Stephanum ad *Unni* Archiepiſcopum dediſſe volunt ii, qui acta memorati Præſulis conſcripſerunt.

ANNO CHRISTI CMXXX.
Imperatore HENRICO I. Aucupe Auguſto.

DE

JOANNE XI. Pontifice Maxim.

MOrtuo Stephano VIII. Widonis Tuſciæ Marchionis potentia, dolisque Maroziæ matris in Romanam Sedem intruditur Joannes XI. Romanus, Sergii III. ex dicto ſcorto Marozia filius. De cujus invaſione hæc habet Luitprandus Scriptor contemporaneus: *Mortuo Stephano ipſum Marozia filium, nomine Joannem, quem ex Sergio Papa meretrix ipſa genuerat, Papam conſtituunt, Wido ſcilicet Tuſcia Provincia Marchio, & ipſa Marozia ejus conjux.* Ita planè tantæ vires Marchionibus Tuſciæ in Urbe erant, ut prò arbitrio, quos vellent, Pontificali Sede deponerent, & alios intruderent: cùm enim occupaſſent molem *Hadriani* dictam, dominabantur Urbi, maximè quòd Romanos etiam divitiarum potentiâ ſibi devinxiſſent. Quamdiu igitur horum viguit tyrannis, infeliciſſimus fuit Romanæ Eccleſiæ ſtatus, ut ſæpè contigerit eam non habere legitimè creatos Pontifices, ſed quos aut potentia ſæcularis aut prædominans venus, & violentia intruſiſſent. CXXVIII.

Joannes Sergii III. & Maroziæ nothus intruditur.

Miſer Eccleſiæ ſtatus.

Porrò Joannem hunc adhuc ætate juniorem fuiſſe oportuit, qui matrem talem meretricem haberet ævo florentem, & amoribus aptam, adeò ut ſua pulchritudine Hugonem Italiæ Regem poſt mariti Widonis obitum provocârit, & immenſo ejus damno in Urbem attraxerit.

Joannes pallium conceſſit Artaldo Præſuli Rhemenſi: idem etiam conceſſiſſe Theophilacto, filio Conſtantini VIII. Græcorum Imperatoris, Patriarchæ Conſtantinopolitano, ejusque in perpetuum ſucceſſoribus, affirmant alii. At Palatius citando Luitprandum id non à Joanne Papa, ſed ab Alberico Joannis fratre dolo conceſſum contendit.

Munia exercet pontificalia.

Joannem Pontificem (ultore utique Deo) Albericus frater tertio invaſionis anno, unà cum Marozia matre cuſtodiæ mancipatum detinuit uſque ad diem obitus: Marozia enim Scortum nimis impudens poſt obitum Widonis mariti, Hugoni Italiæ Regi nuntios ſuos direxit, & Urbis dominatum obtulit, ſi eam ſibi matrimonio copularet. Hugo igitur, (qui erat ex eadem matre Bertha nomine, uxore Adelberti Tuſciæ Marchionis genitus, qua Wido defunctus) relicto procul exercitu ſtatim cum paucis Romam advolavit, & clanculò arcem ſancti Angeli ingreſſus, poſt illegitimas nuptias, Romanorum ſe contemptorem exhibuit in omnibus. Habuerat ſanè Marozia filium nomine Albericum, quem ex Adelberto

Joannes cum matre Marozia cuſtodiæ mandatur.

berto Marchione, patre Widonis & Hugonis maritorum ſuorum genuerat, qui dum matris hortatu Hugoni Regi aquam ad manus abluendas affunderet, ab eo in faciem cæſus eſt, eò quòd aquam immoderatiùs affundendo, Regis ac matris veſtes conſperſiſſet. Is ut illatam ſibi injuriam ulciſceretur, Romanos ſuaptè Hugonem pertæſos, ad defectionem commovit, & Hugonem, incœſtuoſum Vitricum ſuum, in Arce oppugnatum fugavit; ac ſtatim matrem Maroziam, & Joannem fratrem Pſeudopontificem ſub arcta custodia detineri mandavit. Atque ita violentus invaſor, violenter ab uſurpato ſolio dejectus in carcere obiit, teſte Flodoardo, VIII. Kalendas Novembris anno à Chriſti nato 936. Ex quo neceſſe eſt, inquit Baronius, erroris redarguas eos, qui hunc ſediſſe annos dumtaxat quatuor, & decem menſes tradunt, cùm ad ſextum uſque pervenerit ſuæ ſedis annum. Habemus enim Joannis Epiſtolas duas, ut mox indicabimus, anno 936. Pontificatus ſui anno ſexto datas. Tumultuario funere terræ mandatus eſt in Laterano.

Joannes in carcere obit.

Hoc Pontifice ſedente, ſanguineus fons Genuæ largiſſimè effluxit, futuræ magnæ calamitatis indicium. Nam & Genua à Saracenis ex Africa erumpentibus tum capitur, ac diripitur, omnesque ferè cives, vel occiſi, vel in ſervitutem abducti; & Hungari Italiam iteratò ingreſſi, longè lateque omnia depopulati ſunt. Verùm dum præda onuſti Pelingnorum fines attigiſſent, à Marſis, qui repentè arma ceperant, oppreſſi, vitam cum præda amiſerunt.

Sanguineus fons futuræ calamitatis indicium.

S C R I P T A.

Joannis Scripta.

Scripſit Joannes Epiſtolas duas: in prima ratam habet tum erectionem Abbatiæ Cluniacenſis factam per Guilielmum Aquitaniæ Ducem, tum facultatem, argentum aurumque ſignandi à Rege Rudulpho Abbati Monaſterii Romagenſis conceſſam: in altera donationem Monaſterii factam eidem Abbati precibus Hugonis Regis Italiæ, confirmat.

ANNO CHRISTI CMXXXVI.

Imperatoribus Henrico I. & Othone Magno Auguſtis.

DE

LEONE VII. Pontifice Maximo.

CXXIX. *Leonis electio*

Odonem Cluniacenſem Romam vocat, & qua re?

LEO VII. natione Italus, patria Romanus, legitimis ſuffragiis Pontificatum adeptus, ſtatim in exordio ſui regiminis è Gallia Romam accerſivit Odonem Abbatem Cluniacenſem, tum ut collapſam in Urbis Monaſteriis diſciplinam monaſticam reſtitueret; tum ut Hugonem Italiæ Regem, & Albericum Romæ Principem, ſeditionibus ſciſſos, pacis fœdere conjungeret. Erat enim Odo ea tempeſtate non ſolùm famâ ſanctitatis illuſtris, ſed

ſed mirâ quoque dicendi gratiâ percelebris, adeò, ut quocunque vellet, orationis eloquentiâ hominum animos propelleret.

Leone in Petri ſolio ſedente, Henricus Auceps (ſic dictus, quòd capienti aviculas delatum eſſet Imperium) decimo ſeptimo Imperii anno è vita exceſſit: cui ſubrogatus eſt à Proceribus Germaniæ Ortho filius Dux Saxoniæ, rerum geſtarum magnitudine, & facinorum gloria appellatus *Magnus*, qui res Germaniæ triginta & ſex annorum ſpatio, quibus fortiter & integrè regnavit, ad ſummum dignitatis faſtigium evexit. *Henrici I. Imp. obitus. Succedit Otho I. cognomento Magnus.*

Leonis tempora pariter illuſtriora reddiderunt Spireneus Bohemiæ Dux juſtitia & religione inſignis, & Wenceslaus ejus filius ob vitæ ſanctimoniam nuncupatus *Pius*, à Spirene parente nequaquam degenerans, à fratre Boleslao ob regni cupiditatem poſteà ad Aram interemptus: Qui quidem Wenceslaus non multò pòſt inter Sanctos Martyres referri meruit, comprobatâ ejus vitâ, approbatisque miraculis, ab eo in vita & poſt mortem editis. *S. Wenceslay Dux Bohemia martyrio coronatur.*

Leo autem Pontifex, adminiſtrato optimè Pontificatu, poſtquam ſediſſet annos tres, menſes ſex ac dies decem, Romæ beato fine quievit pridie Nonas Maji anno redempti Orbis 939. ſepultus more majorum ad S. Petrum. Sunt qui ſcribant, Leonem violenta morte ſublatum eſſe: at nemo veterum id affirmâſſe invenitur. *Leo Papa moritur.*

SCRIPTA.

Scripſit Leo Epiſtolas varias: quarum quatuor datæ ſunt ad S. Odonem Abbatem ſecundum Cluniacenſem: Scripſit etiam *De cauſâ Fidei* ad Epiſcopos Germaniæ, nominatim ad Egilulphum Salisburgenſem, Eiſengrinum Ratiſponenſem, Lambertum Friſingenſem, & Stackardum Aiſtadianum, ſeu Eiſtattenſem. *Ejus Scripta.*

ANNO CHRISTI CMXXXIX.

Imperatore Othone I. cognomento Magno Auguſto.

DE

STEPHANO IX. Pontif. Max.

CXXX.

STephanus hujus nominis IX. natione Germanus, literis ac virtutibus excellens, primus Germanorum fuit, cui ad commendationem Othonis Magni Clerus populuſque Romanus ſupremum Sacerdotium, repugnantibus licèt Cardinalibus Tuſciæ Comitum ſtudioſis, detulit. Argumentum candoris & probitatis in Stephano, electio fuit à Romanis facta, virum ſibi præferentibus Alemannum. Hinc odio excitatus Albericus Urbis Tyrannus, qui Papam maluiſſet ex gentilibus ſuis, confictis in Stephanum gravibus injuriis, Romanos clàm in eum inſtigavit. Tum excitato in area S. Petri de induſtria tumultu, quò Stephanum in pub- *Stephanus primus ex Germanis Papa.*

licum eliceret, ac ſi compareret, interficeret, armis omnia complevit. Fervente tumultu, cùm vir pacis amans motam ſeditionem oratione, qua plurimùm valebat, compoſiturus accureret, repentè ab Alberici ſatellitibus circumſeptus, ac crebris pugionum ictibus cæſim punctimque impetitus, fœdeque in facie deformatus, vix præſentiſſimo mortis periculo ſuorum manibus ſubtractus eſt. Tantum verò ex immani ea contumelia dolorem ſimul & ruborem concepit, ut obfirmatis militari præſidio ædibus, annum propè integrum à publico hominum congreſſu abſtinuerit: quanquàm ea vulnera à ſatanæ miniſtris propter juſtitiam inflicta, majori ei ornamento quàm dedecori eſſent. Tanta injuria, germano Pontifici à Romanis illata, ubi primùm in aula Cæſaris percrebuit, mox Othonis animum excitavit tum ulciſcendi in perduelles, tum oppreſſam Pontificis majeſtatem à vi tyrannica liberandi. Quod & factum, Alberico ſeditionis auctore ex imperio Cæſaris in vincula conjecto, & ad deprecandum de genu veniam, dandamque Pontifici præſcripta lege ſatisfactionem compulſo; ſicariis verò publico in foro, poſt detruncatam ſacrilegam dexteram, ultimo ſupplicio affectis.

Romanorum ſeditione indignè habetur.

Otho injuriā ulciſcitur.

Fruſtrà Principes Romanos pacare nititur.

Cæterùm Stephanus pacis ſtudia bellis præferens, Alberico in gratiam recepto, Odonem Abbatem Cluniacenſem rurſum è Gallia Romam evocavit, ut Hugonem Italiæ Regem, ipſumque Albericum Principem ob Urbis dominium, cui uterque inhiabat, colliſos, ſuâ eloquentiâ pacis vinculo connecteret. Verùm tentatum id quidem, ſed ob implacibile æmulorum odium nihil ſani admittentium, res effectu caruit.

Ludovicum Galliæ Regem in libertatem & regnum aſſerit.

Conſuluit & deploratis regni Franciæ rebus idem Stephanus: nam cùm anno 942. Ludovicus IV. Rex Francorum legitimus, Caroli Simplicis filius, ab Hugone Capeto Franciæ tyranno contra jus faſque in cuſtodia detineretur, ipſique Franciæ Principes, desertâ Regis causâ, Hugoni ſtuderent, inteſtinis omnia diſcordiis fervebant. Otho Germaniæ Rex in auxilium à Ludovico imploratus, amicum Regem in libertatem repoſcebat, cui junctus Stephanus Papa, miſſo in Franciam Damaſo Cardinali Legato, regni proceribus ſub anathematis pœna *Regem ut libertati reſtituerent* præcepit. *Mandatum Pontificis*, inquit Frodoardus in Chronico, *tanti fecère Galli, ut rege manumiſſo, Gallia diù ſit pace potita.* Sic ultra montes ſola legatione Principes conciliavit Stephanus; cùm domi fruſtrà laboraret, licèt ſanctos ſocios & ſequeſtres pacis aſciviſſet, ſæviente Hugone Italiæ Rege adverſus Albericum affinem ſuum, quos una regni cupiditas diſtrahebat.

Otho Boleſlaum regno privat.

Sedente Stephano Otho Magnus Wenceslai Bohemiæ Ducis ſacrilegam necem ulturus, in Boleſlaum fratricidam arma movit, eundemque prælio ſuperatum, atque in poteſtatem redactum titulis ac regno privavit.

Moguntinus monachos Benedictinos perſequitur.

Hoc eodem tempore ingens perſecutio, auctore Friderico Archiep. Moguntino, mota eſt in Monachos Benedictinos: affirmantibus nonnullis Moguntini ſectatoribus; Non ad aliud quàm ad nocendum ſubditis tot clauſtrorum incolas utiles eſſe, quorum pars maxima, neglectis legibus, abolitaque priſtinæ ſanctitatis memoriâ,

riâ, unam curaret cutem, ac vitam in otio ageret diſcinctam. Immani enim odio perſequebatur Fridericus Hadamarum Abbatem Fuldenſem, virum venerabilem, ac Othoni Magno præ primis charum fidumque miniſtrum. Cumque tanto viro, quod jure objiceret, non haberet (erat enim Hadamarus ob eximiam ſanctitatem bonis omnibus gratus) verſo in Monachos odio, eorum Monaſteria, quæ *pecorum otioſorum cubilia* nominabat, immiſſis undique militibus vel diripiebat, vel ſubruebat. Verùm Hadamarus Dei auxilio ac Othonis potentia fretus, collatis cum Friderico ſignis, eundem ſemel iterumque acie ſuperatum ità perdomuit, ut ad præſtandam illati damni ſatisfactionem compulerit: quemadmodum lib. 1. Purpuræ doctæ n. 5. in vita Hadamari Cardinalis retulimus.

Stephanus autem Pontifex, adminiſtrato non ſine laude Pontificatu, tertio ſuæ ſedis anno, menſe quarto, ac die quinto (ut Baronius ex codice Vaticano docet) mortalitatem poſuit Romæ XII. Kalendas Novembris anno ſalutis 942. Cineres ejus magno honore in Baſilica Principis Apoſtolorum conditi quieſcunt. *Stephani Papa obitus.*

SCRIPTA.

Scripſit literas ad Othonem Magnum de ſeditione Romanorum in ſe mota. Ad Principes Franciæ pro reſtitutione Ludovici IV. Regis. Ad Odilonem Abbatem Cluniacenſem Romam pro conciliandis Hugone & Alberico vocatum. Ad Gerardum Abbatem ſanctitate inclytum pro munimine Monaſterii Bromienſis, aliosque. Ejus Decreta nonnulla leguntur apud Poſſevinum in *Apparatu ſacro*, & apud Baronium. *Ejus Scripta.*

ANNO CHRISTI CMXLII.

Imperatore OTHONE Magno Auguſto.

DE

MARINO II. Pontifice Maximo.

Marinus II. Romanus (quem perperam alii Martinum nominant) in defuncti Stephani locum ſubrogatus, ſtatim literis Apoſtolicis egit, ut concordia & pax inter Chriſtianos Principes mutuis ſe bellis conficientes ſtabiliretur. Erat enim ipſe ob innatam animi manſuetudinem adeò pacis amans, ut quidquid huic nomini adverſaretur, perhorreſceret; unde & nomen *Pacifici Papa* adeptus legitur. Stabilita utcunque Reipublicæ tranquillitate, ad ſacra converſus, totum ſe reformandæ religioni ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ, priorum temporum iniquitate collapſæ, tradidit. Hinc Templa in Urbe quamplurima aut refecit, aut exornavit: corruptos Cleri mores ad vitæ honeſtatem emendavit: luxatam monachorum diſciplinam ad priſtinum vigorem revocavit: magiſtratus civiles ſeditionibus deformatos compoſuit: CXXX. *Marinus pacis amans.* *Rebus ordinandis operam dat.*

 factio-

factioſorum inſolentiam legibus ac cenſuris repreſſit: emunctis bello largis ſtipendiis; pauperibus, viduis, atque pupillis quotidiana eleemoſyna conſuluit.

Othoni Imp. ac omnibus charus. His atque aliis id genus præclaris operibus, omnium ſibi amorem, officia, & reverentiam Marinus conciliavit; ſic, ut Otho ipſe viri famâ commotus, precibus ſe ejus impensè commendarit. Porrò Marinum dono prophetiæ imbutum fuiſſe, res geſtæ S. Udalrici Epiſcopi Auguſtani declarant. Nam memorato Udalrico, illuſtri *S. Udalrico Epiſcopatum prædicit.* genere ex Hucbaldo Comite Kyburgenſi, & Diethperga Burcardi Sueviæ Ducis filia nato, Infulas Auguſtanas, mortemque Adalberonis ejus Civitatis Epiſcopi, inſigni vaticinio prædixit, ut teſtatur M. Velſerus *in vita S. Udalrici.*

Piè moritur. Mortem oppetiit Marinus Romæ ipſo die Iduum Maii, anno ſalutis 946. poſtquam ſanctæ ſedi ſupra triennum præfuiſſet menſes ſex, dies decem & quatuor: nactus ſepulturam in Baſilica Vaticana ſancti Petri.

SCRIPTA.

Ejus Scripta. Scripſit Marinus Epiſtolam ad Leonem Abbatem Monaſterii ſancti Vincentii ad Vulturni fontes, quam recitat Joannes Monachus in Chronico ejuſdem Monaſterii; & Cardinalis Baronius tomo decimo Annalium Eccleſiaſticorum. Litteras etiam dedit ad Siconem Epiſcopum Capuanum Apoſtolica gravitate plenas, quibus illum de Canonum ignorantia redarguit, mandatque, ut citra moram Religioſis Caſſinenſibus Eccleſiam ſancti Angeli, quam Diacono ſuo in Beneficium conceſſerat, reſtituat. Sunt etiam ejuſdem litteræ ad Principes Chriſtianos, quibus eos ad amplectenda pacis ſtudia paternè hortatur: Statuta item ſaluberrima pro Clericalis & monaſticæ vitæ reformatione edidit.

ANNO CHRISTI CMXLVI.

Imperatore OTHONE Magno Auguſto.

DE

AGAPETO II. Pontifice Max.

CXXXII

Vir religioſus ac innocens. Agapetus II. Romanus, vir religione ac vitæ innocentia inclytus, mox ut thronum Apoſtolicum, Marino ſuffectus, conſcendit, ardentem belli flammam, ex Principum diſcordiis, in Italia enatam, quanto potuit ſtudio extinguere aggreſſus eſt. Quamquàm, ut eventus docuit, irrito conatu, *Belli & diſcordiarum oſor.* obſurdeſcentibus ad pia monita exaſperatis concertantium animis, bellum præ pace amantibus. Hinc ad provehendum Dei cultum converſus, Templa vetuſtate collapſa maximis impenſis vel à ſolo refecit, vel in parte reſtituit: Clerum *In omnes pius ac munificus.* exorbitantem in ordinem redegit: Monachos vagantes, ac diſcinctam vitam agentes, intra ſepta cœgit: populum in ſeditiones pro-

penſum

penſum cenſuris ac legibus coërcuit: viris emeritis, præſertim religioſis, in vicem præmii, maxima privilegia conceſſit: pauperes, viduas, atque pupillos tanquam filios dilexit, fovitque. Quin & Ludovicum IV. Galliæ Regem adverſus Hugonem Capetum potentiſſimum Francorum Principem egregiè juvit, indictis eapropter tùm in Gallia, tùm Romæ Conciliis, in quibus, damnatis cum Hugone complicibus, Regnum Ludovico, cujus erat, aſſertum. Apoſtolicæ enim ſedi hoc in more ſemper poſitum fuit, ut ab afflictis Regibus ſtarent, & cauſam miſerorum ſuam facerent. *Ludovico Galliæ Regi egregiè opitulatur.*

Agapetus igitur paſtorali munere, ſi quis alius, egregiè perfunctus, deque omnibus benè meritus, ac ſanctis operibus plenus, cùm ex Baronio annos decem, totidemque menſes, ac nonnullos dies ſediſſet, vitæ curſum feliciter conſummavit anno ſalutis 956. Ejus corpus publico bonorum omnium luctu ſepultum eſt in Baſilica Lateranenſi. Quonam autem menſe, vel die deceſſerit, antiquorum nemo prodidit: recentiores verò ſuo id arbitratu divinant. Si fides Ciaconio habenda, ſexto Kalendas Januarii obiiſſe putandus eſt. *Sanctè moritur.*

S C R I P T A.

Scripſit Agapetus II. litteras varias: primò ad Othonem Magnum Epiſtolam inſignem, qua ei gratulatur victoriam de Danis reportatam. Ad Brunonem Colonienſem Archiepiſcopum Othonis Magni fratrem, quando ei pallium, per Legatos Romam miſſos petitum, conceſſit. Ad Artaldum Rhemenſem Archiepiſcopum, quando eum, rejecto æmulo Hugone, in Archiepiſcopatu, Synodali ſententia ipſi adjudicato, confirmavit. Ad nonnullos Principes Italiæ, qui Monaſterium Capuanum occupaverant. Ad Leonem, & Benedictum Monachos, intruſos Epiſcopos in Civitatibus Triventina & Termulenſe, ad inſtantiam Joannis Epiſcopi Beneventani expeditas; quibus præcipit, ut deſiſtant, illas Eccleſias occupatas tenere, declarando non ſolùm eas, ſed omnes alias in Beneventano Principatu poſitas, ad Epiſcopum Beneventanum ſpectare. Ad Leonem Abbatem Monaſterii SS. Stephani, Silveſtri, & Dionyſii Romæ erecti, quibus ejuſdem Monaſterii privilegia confirmavit, & annuos redditus auxit. Ad Othonem Magnum, quibus eum rogat, ut Italiam à Berengarii II. tyrannide liberam redderet. Ad Abbatem Monaſterii S. Stephani, juxta Tarracinam à Sancto Benedicto olim erecti, quibus illud Monaſterium ampliſſimis privilegiis adauxit. Ad Abbatem Caſſinenſem, cui pariter multa privilegia conceſſit. Denique inter Litteras Agapeti inveniuntur etiam datæ ad Atenulphum, alioſque Italiæ Principes, qui Monaſterium S. Sophiæ in Urbe Beneventana per vim uſurpaverant; *increpans eos acriter* (ut ſcribit Leo Oſtienſis) *quòd talia agere præſumpſiſſent; monens pariter, & obſecrans, ut idem Monaſterium Balduino Abbati Caſſinenſi ſine aliqua mora ex integrò reſtituerent. Quòd ſi aliter facerent, ſcirent ſe vinculo anathematis innodandos. Hujus imperio parens protinùs Atenulphus Princeps, ipſum Monaſterium Abbati reſtituit.* Baronius pariter nonnullas ejuſdem Agapeti litteras recitat in Annalibus tomo decimo. *Ejus Scripta.*

ANNO CHRISTI CMLVI.

Imperatore OTHONE Magno Auguſto.

DE

JOANNE XII. Pontifice Max.

CXXXIII.

Joannis parentes.

JOANNES hujus nominis XII. Romanus, ante Pontificatum Octavianus vocatus, pronepos Joannis XI. & Sergii III. PP. habuit parentes Albericum Romanum Principem, Comitem Tuſculanum, & Aldam Hugonis Italiæ Regis filiam; vir ſanè, licèt nobiliſſimo genere natus, ab adoleſcentia omnibus probris contaminatus, venationibus, aleæ, ſcortis magis quàm honeſtæ innocentiǽque vitæ, ut bonum decebat Pontificem, deditus. Decimum octavum ſuæ ætatis annum agens, cùm eſſet Clericus, vi, & potentia patris Alberici, Romanorum Principatum Senatorio nomine obtinentis, intruſus primò in Petri Cathedram, deinde à Clero, Populoque Romano, vitandi ſchiſmatis cauſâ, confirmatus, juvenili ardore ſpirans minarum & cædis, exercitum collegit, & auxiliares copias ex Ducatu Spoletano conduxit adverſus Pandulphum Capuanum Principem, qui fultus auxilio Gilulphi Salernitani Principis, Joanni viriliter reſtitit, eundemque ad propria remeare coëgit: ad quem poſteà ipſe Joannes pacis-legationem miſit, quam Princeps benigno accipiens animo, eidem fœdere junctus eſt, ut habemus ex Hiſtoria Longobardum Principum Beneventi.

Juvenis eligitur Romanus Pontifex.

Movet contra Principem Capuanum.

Contra Berengarium evocat in Italiâ Othonem Imp.

Inter hæc Joannes à Berengario II. Italiæ Rege, & Adalberto ejus filio ob vitæ diſſolutionem indignè habitus, anno 960. Joannem Diaconum Cardinalem, & Azonem Scriniarium ad Othonem Legatos cum litteris in Germaniam mittit: ſumma legationis fuit; ut cùm Berengarius, & Adalbertus multò quàm antè truculentiùs Eccleſiam, atque adeò totam Italiam divexarent. Otho pro Chriſtianæ religionis, atque Italiæ ſalutis amore, Caroli Magni exemplo, deſperatis rebus opem ferre, Romanoſque ab ſæva hoſtium tyrannide vindicare non gravaretur. Id ſi feciſſet, Auguſtalibus ſe ipſum inſignibus in vicem gratitudinis ornaturum, ac titulo Defenſoris, Propugnatoriſque Eccleſiæ decoraturum promiſit.

Otho Imper. Joanni auxilium ſpondet.

Otho, qui gentium ea ætate amor ac terror erat, tam ſpecioſa legatione illectus, Joanni Pontifici opem certiſſimam, atque ablatorum ab hoſtibus Eccleſiæ oppidorum reſtitutionem, interpoſito in fidem jurisjurandi ſacramento (quod extat apud Gratianum in Decretis *2. Cap. diſt. 63.*) ſpopondit, ſimulque Legatos Apoſtolicos, regiis muneribus affectos, Romam ad Joannem remiſit.

Otho ſummo honore Romæ excipitur.

Venientem ſequenti anno Othonem Romam, lætiſſimis animis, atque admirando benigni occurſus ſpectaculo Romani omnes excepère: ingreſſum autem Urbem, atque ad Pontificis pedes ſe ſe ſubmittentem Joannes pontificali ornatu conſpicuus, ad primos Baſi-

Baſilicæ Vaticanæ gradus excepit, atque exoſculatus eſt. Tum ingenti lætitia in Templum ad ſacra limina perductum inter Miſſarum ſolemnia inunxit, inunctumque Imperiali diademate, gladio, ac paludamento inſignivit, acclamante certatim Clero, populoque Romano *Othoni Auguſto vita, felicitas, & victoria.* Quo facto Pontifex ac Cæſar ad Aram Principis Apoſtolorum progreſſi, atque in genua provoluti, ſolemni ſe ſacramento devinxerunt: ille ſe Othonem Eccleſiæ Romanæ auctoritate perpetuò fulturum: hic ſe nunquam Berengarii, cæterorumque Eccleſiæ hoſtium partibus adhæſurum, oppidaque omnia ad jus ſancti Petri ſpectantia redditurum. Secuta utrinque liberalis invitatio. Demum Pontificem Cæſar, Cæſaremque Pontifex ampliſſimis donis affecêre.

à Joanne coronatur.

Ambo ſolemni ſe juramento obſtringunt.

Româ movens Cæſar, eo, quo Urbem ingreſſus fuerat, apparatu, Papiam ſe recepit: ubi fixo domicilio per annum commoratus legitur: inde collecto cum exercitu digrediens, in monte, qui S. Leonis dicitur, Berengarium obſedit. Adalbertus autem Berengarii filius, Imperatoris iram declinans, conſcenſa properè navi in Corſicam Inſulam diffugit: poſteà clanculò Romam profectus, Joannem Pontificem maximis pollicitationibus, etiam juramento firmatis, in ſuam pellexit ſententiam. Joannes enim creſcentem in dies Othonis in Italia potentiam ægrè ferens, ejusque crebras victorias lævo, ut ajunt, oculo aſpiciens, quæſito aliquo colore, quo perfidiam tegeret, ſe ideò Adalberti partibus acceſſiſſe edixit, quòd Cæſar contra datam fidem terras ad jus Eccleſiæ pertinentes non modò non reddidiſſet, ſed ſubditos illarum etiam, ſpreto Pontifice, ſacramento ſibi obſtrinxiſſet.

Otho Berengarium obſidet.

Joannes ab Othone deficit.

Itaque Imperator, ubi per nuntios cognovit, Joannem Pontificem, rupto fœdere, Adalberto hoſti adhæſiſſe, relicta obſidione Caſtri, qua Berengarium premebat, recta cum exercitu Romam contendit: cujus adventu perterritus Pontifex, nullâ morâ cum Adalberto, multisque Romanorum complicibus, in fugam ſe dedit: alii verò Romani Joannis perfidiam deteſtati, datis obſidibus, Imperatori ſe ſe ſubjecerunt. Miſſa deinde legatione Imperator Pontificem ad dicendam cauſam, & purgandum ſe de objectis criminibus, adeſſe jubet. Verùm Pontifex infra dignitatem ſuam eſſe ratus, ut ſæculari ſe Judici, nihil juris in ſe habenti, ſiſteret; venire ut par erat, renuit. Ea reluctatione offenſus Imperator, convocata Synodo, Joannem tetris accuſatum criminibus Pontificatu deponit, ſubſtituto in ejus locum Leone VIII. homine, ut Sigebertus ait, Laico & ad tantum faſtigium prorſus inepto.

Otho Romam properat: Joannes fugit: citatur: non comparens deponitur.

Leo VIII. ſubſtituitur.

Narrat hæc fuſiùs Luitprandus, Othonis vitæ commentator, recenſetque illos, qui interfuerunt Concilio in depoſitione Joannis: ſed illud advertere oportet, Joannem, ut ut vitioſus fuerit, non jure depoſitum fuiſſe: nam excepta cauſa hæreſis, judicari non poteſt Papa: *diſt. 40 c. ſi Papa.* cùm Concilium etiam legitimè congregatum, non ſit ſupra Papam, quod plurium Conciliorum atteſtatione eſt manifeſtum. Lege Bellarminum *lib. 2. de Concil. cap. 17.* Qui etiam *cap. 18.* docet, *Pontificem ſeipſum coactivè Conciliorum ſententiæ ſubjicere non poſſe.* Hinc benè ſcripſit Otho Friſingenſis Hiſtoricus

Joannem deponi non potuiſſe aſſerunt Auctores.

cus *l.6.cap 23.* qui non longè à temporibus Othonis Magni floruit, cùm narraſſet depoſitionem Joannis : *Quæ omnia, utrum licitè, anſecùs acta ſint, dicere præſentis non eſt operis : res enim geſtas ſcribere, non geſtarum rerum rationem reddere propoſuimus.* Eadem Gotifredus Viterbienſis in Chronico, qui tempore Urbani II. floruit. Quibus & ego aſſentior; ſpartam hanc Theologis diſcutiendam relinquens.

Leo Pſeudo-papa coronatur.

Leo in malè depoſiti Joannis locum intruſus, à Schiſmatica factione primò in Lateranenſem Baſilicam, deinde in Vaticanam perductus, ſolemni ceremonia Pſeudo-mytram accepit. Quo cognito Joannes, licèt profugus, animum ad repetendam Pontificiam ſedem adjecit : omnes eò nervos intendens, ut Romanos pollicitis in ſuam pertraheret ſententiam. Quod ubi ſucceſſit, Romani correptis armis in unum coëuntes, communicatoque cum vicinis populis conſilio, Othonem ipſum, qui adhuc in Urbe erat, interficere decernunt. Statuta igitur die repentè in Othonem inſurgunt, caſtra trans Tyberim de more habentem, & nihil tale ſuſpicantem : jamque ad pontem edito ingenti clamore proceſſerant, cùm Otho periculi admonitus, cum parte ſuorum ex adverſo occurrit : Æquatâ utrinque in ponte pugnâ, cùm Germani ultrò citroque acriùs incumberent, Romanorum acies, magna ex parte disjecta, denique loco mota eſt, atque in fugam converſa. Quinque millia Romanorum eo in prælio deſiderata feruntur. Agitatum deinde de pace, & hoc pacto conventum : ut Romani, ſuſcepto Leone, magnam auri vim in exercitus Cæſariani reſtaurationem, & perfidiæ pœnam exſolverent, centumque obſides in cautelam darent. Acceptata utrinque conditione, perſolutoque ære, obſides rogatu Leonis dimiſſi; Cæſar cum exercitu Urbe exceſſit.

Seditio adverſus Othonem.

Otho Romanos ſuperat; cæditq;

Antipapa pellitur: Joannes reſtituitur.

Elongato Cæſare, Leo Antipapa à cognatis & clientibus Joannis Urbe pellitur, & Joannes revocatus in priſtinam ſedem reſtituitur. Qui ſui jam ſecurus, convocato mox Concilio, Leonem iniquum Apoſtolicæ ſedis invaſorem declarat, ejuſque geſta omnia reſcindit. Tum vindictæ cupidus, plurimos, qui Cæſari contra ſe adhæſerant, ſuppliciis affecit; Cardinales verò duos Joannem & Azonem, ſuorum criminum apud Imperatorem delatores, primò vinculis adſtrinxit, deinde uni caput; alteri linguam, nares, digitoſque crudeliſſimè abſcindi juſſit.

Joannis in duos Card. crudelitas.

Joannis infelix exitus.

Se jam videamus, quæ de infauſto ejuſdem Joannis exitu poſteris tradiderit auctor, qui aſſeritur Luitprandus : *Priuſquàm autem ſancti Imperatoris copia eſſent congregata, volens cunctis ſæculis innoteſcere Dominus, quàm juſtè eſſet Joannes Papa à ſuis Epiſcopis, & omni plebe repudiatus, quamquam poſtmodùm injuſtè receptus, quadam nocte extra Romam, dum ſe cujuſdam viri uxore oblectaret, in temporibus adeò à diabolo eſt percuſſus, ut intra dierum octo ſpatium eodem ſit vulnere mortuus.* Joannes Stella, & ex eo alii affirmant, Joannem Papam in ipſo veneris actu deprehenſum, ab adulteræ viro gladio confoſſum interiiſſe. Quidquid ſit, malè periit, qui malè vixerat : non quia juſtè damnatus, aut injuſtè receptus, ſed quia tot tantiſque Dei admonitionibus ſpretis, à peccatis deſiſtere ſuperſedit. Hinc juſtè meruit ultore Deo, cujus thronum in terris polluerat, ad terrorem aliorum, tandem puniri.

Con.

Contigiſſe verò triſtem Joannis exitum pridie Idus Maji anno noſtræ ſalutis 964. auctores paſſim affirmant. Quem etiam in Baſilica Lateranenſi (tam ſacro utique conditorio indignum) humatum produnt.

Origo celeberrimi hodie Cœnobii ad S. Blaſium in Hercynia ſilva.

Sed ut his tenebris ſua non deeſſent ſydera, felicius auſpicium cœpit nobiliſſimum hodie Monaſterium S. Blaſii in Hercynia ſilva, per Eremitas nonnullos dudum antè ad *Albulam* rivum (unde & nomen *Fratrum & Albam* traxêre) congregatos: Qui communicato inter ſe auſterioris vitæ propoſito, ab hominum conſortio ſemoti procul in unam ædiculam conceſſerant, ubi animus curis terrenis liber, præter Deum Cœlumque ſpiraret nihil, labore manuum vitæ mortali frugalem victum per intervalla ſuppetente. Quamplurimis annis in hoc vitæ genere, non ſine ſanctitatis laude peractis animadverterunt denique, tutiori via incedere illos, qui tritiori. Quare ſancti Patris Benedicti florens & ætate inſtitutum divinitùs admoniti amplectuntur. In horum Societatem ſe jungere placuit Reginberto Baroni à Seldenbüren, viro natalium origine & opibus illuſtri. Erat ille Othoni Magno Imperatori ob egregias animi dotes ab arcanis conſiliis; & inter belli pericula, ſi quis alius, fortis, magnanimus, fidus. Argumento ſit: quòd dum copiis Cæſaris præfectus manus ſtrenuè cum hoſte confereret, in ardore pugnæ gregariis permixtus, manuum alterâ truncatus ſit. Unde ſanctius brevi conſilium ab alto inſpiratus arripiens, quo repudiata militari & aulica vita, immortalem obtineret faciliùs, ſe ſuaſque ex aſſe facultates memorato Cœnobio penitùs addixit. Quare S. Blaſii fundator nominatur in litteris ab Othone Magno Imp. Veronæ datis anno 963. Verba Imperatoris ſic habent: *Notum eſſe volumus, qualiter Nos Cellam in ſylva Schwartzen wald à beato Reginberto noviter extructam Deo & S. Blaſio &c.* Extremum oppetiit diem Reginbertus, poſtquam Abbatiam ritè ac cum emolumento inſtituiſſet, IV. Kalend. Januarii anno ſalutis 964. ſanctis operibus clarus. Sacrum ejus corpus à fratribus in veteri Monaſterio humatum, ibidem requievit uſque ad annum 1108. Quo anno S. Uto Abbas ejus loci Quartus excitato novo Monaſterio, illud eò tranſtulit; ubi hodiedum ejus ſepulchrum cum ſequenti Epitaphio viſitur:

Reginbertus ex aulico ac milite fit monachus.

Fundator S. Blaſii nominatur.

Sanctè moritur.

Ejus Epitaph.

ANNO REDEMPTI ORBIS DCCCCLXIV.
QUARTO KAL. JANUARII OBIIT INCLYTUS ET GENEROSUS
REGINBERTUS BARO À SELDENBÜREN
HUJUS LOCI AUCTOR.

Ab obitu S. Reginberti ſeries Abbatum S. Blaſii primùm recenſeri cœpit, quorum nonnulli vitæ ſanctitate ac miraculis clari memorantur. Ita Monumenta Sanblaſiana mihi liberaliter communicata.

Advocatia S. Blaſii de Epiſcopis Baſileenſibus transfertur.

Porrò Advocatia, ſive jus Patroni in Monaſterium S. Blaſii penes Epiſcopos Baſileenſes annis amplius centum fuerat, donec tandem, cùm Berchtoldi I. Epiſcopi Baſileenſis nomine conſtitutus illic Præfectus Adelgotius *de Werr* (ut eum vocat Urſtiſius Scriptor Chronologiæ Baſileenſis) omnia pro lubitu contra jus & fas, ipſa-

que clara Monaſterii privilegia ageret, S. Ruſtenus Quintus loci Abbas anno 1124. apud Henricum V. Cæſarem de tantæ rei indignitate, gravi oratione, ipſomet Berchtoldo Epiſcopo præſente, conqueſtus, id evicit, ut circa Natalitias Chriſti Salvatoris ferias hac ſuper re collatis capitibus, Imperii Optimates Argentorati, ubi rationes utrinque audiviſſent, decernerent, *Liberum deinceps fore Abbati cum ſuis, deligere, quem vellent, qui, ſalvis Monaſterii privilegiis, jus Advocatiæ ſeu Protectoris adminiſtraret.* Ad quod officii genus, ex ſententia Ruſteni Abbatis, electus ſubinde eſt Conradus à Zeringen Berchtoldi Comitis filius; ipſo Epiſcopo Berchtoldo ſubſcribente Diplomati Henrici V. Argentinæ anno 1125. ut teſtatur Guillimannus *in Brunone XLVI. Epiſcopo Argentinenſi.*

Confirmatur id ex Auctore Baſileæ ſacræ

Auctor Baſileæ ſacræ Claudius Sudanus è Soc. Jeſu *in Adalberone II. Epiſcopo Baſileenſi XXIV.* de origine hujus Advocatiæ diſſerens, hæc ad poſteros tranſmiſit: *S. Henrico Imp. vita functo ſubrogatur in imperatoria dignitate Conradus II. ob egregias dotes, ipſiusmet Henrici votis dum viveret, ad eam capeſſendam deſignatus. Novus inde hic Imperator conſtituit Epiſcopum Adalberonem Protectorem & Advocatum naſcentis Abbatiæ S. Blaſii in Hercynia datis Ulmâ litteris 14. Maij anno 1025. Imperii ſui primo. Quo jure uſi ſunt Epiſcopi Baſileenſes annis centum, donec tandem propter quorundam Præfectorum imperioſam nimis, & iniquam dominandi libidinem poſt aliquot diſceptationes ex pacto ſe eo jure abducarunt.* Quis verò fuerit iſte Adalbero Epiſcopus? operæ pretium erit ex ipſis S. Blaſii monumentis percipere: *Adalbero* (inquiunt monumenta) *S. Blaſii monachus circa annum 1000. eligitur Epiſcopus Baſileenſis, hoc nomine ſecundus. Is eo tempore, quo poſt obitum Reginberti ac Beringeri Abbatis, impiorum quorundam iniquis perſecutionibus & rapinis miſerè omnia peſſumibant, pius in matrem, illius patrocinium, Regni Romani Procerum conſilio, expetens ab Imperatore D. Conrado II. Giſelæ Imperatricis interventu, ſuſcepit. Præfuit optimè annis 25.* (auctor Baſileæ ſacræ habet 23. nam electum dicit Epiſcopum anno 1002.) *Epiſcopatus, Tutor noſter annis 15. obiit 1025.*

Adalbero Epiſcopus Baſil. Monachus olim S. Blaſii, primus loci Advocatus.

Conſonant Monumenta Sanblaſiana.

Quomodo verò hæc ipſa Advocatia Epiſcopis Baſileenſibus abrogata fuerit, diximus ſuperiùs. Nec diſſentiunt allegata ſæpiùs Monumenta Sanblaſiana in S. Ruſteno Abbate Quinto. Sic enim Ruſteni acta concludunt: *Ultimis tandem regiminis ſui temporibus ab Advocato Baſileenſi peſſimè vexatus, ab eo Advocatiam tranſtulit. Qua res maxima adverſitatis ſemen fuit, quia & armis ſe ſuaq; defendere coactus. Ad hunc tamen virtutis cotem exercitus, adeò ſanctè vixiſſe legitur, ut & in vita, & poſt mortem multis longè diſſitis apparuerit: mortuus tandem anno 1125. xii. Kal. Octobris.* Pauca hæc in gratiam antiquiſſimi celeberrimique Cœnobii, cui multa debeo, commemoraſſe ſuffecerit: plura ſuggeret nobilis Auctor Wettenhuſianus, qui initio hujus Sæculi XVIII. *Sueviam Eccleſiaſticam* conſcripſit, in verbo *S. Blaſii* fol. 175. Nos, quæ Joannes Papa XII. exaraverit, pro coronide videamus.

SCRIPTA.

Scripta Joannis VII.

Epiſtolas quaſdam ſcripſit Joannes, præſertim ad S. Dunſtanum Archiepiſcopum Cantuarienſem, qui Romam venit, ut Pallium

lium acciperet, prout refert Osbertus in Dunſtano. Has ad Dunſtanum litteras recitant Guilielmus Malmesburienſis de Geſtis Pontificum Anglorum in Dunſtano; Binius verò tomo 7. Conciliorum; Baronius tomo decimo Annalium; & Coriolanus in Summa Conciliorum. Reſcripſit etiam ad Pſeudoſynodum Romanam graves & dignas lectu litteras, ad quam multi, imò ipſe Otho Imperator, ejus nomen detulerant. Marino Epiſcopo Ferrarienſi diplomata antiqua illius Eccleſiæ novis beneficiis cohoneſtavit, & litteras addidit datas ad ipſum Marinum, quem alii Martinum vocant. Dedit pariter litteras ad Othonem Auguſtum, quando ejus, auxilium adverſus Berengarium, ut ſuprà diximus, implorabat.

Sedente Joanne in Petri Cathedra, Romanus Junior anno 959, Conſtantino VIII. patre veneno necato, Imperator Orientis factus eſt patricidio; poteſtate tantùm triennium uſus, imò abuſus, cùm voluptatibus & libidinibus totus marceſceret, per quas exhauſto corpore, morbo vitam amiſit, quam debebat ferro parricida. Succeſſit ei Nicephorus Phocas vir prudens, bonus, & validus, ſed in Othonem Imp. peſſimè animatus: de quo ſuo loco plura. *Conſtantini VIII. interitus: cui ſuccedit parricida filius.*

ANNO CHRISTI CMLXIV.
Imperatore Auguſto OTHONE MAGNO.

DE

BENEDICTO V. Pontifice Max.

Benedictus V. Romanus, ipſo die obitus Joannis Papæ (hoc eſt Pridie Idus Maij anni 964.) à Clero, Populoque Romano ſummus Pontifex eligitur: Quem Romani ſe defenſuros adverſus Leonem ab Othone Imperatore intruſum polliciti ſunt. Hinc magnæ turbæ. Otho namque Benedictum ſe inconſulto electum ægerrimè ferens, pulſumque eapropter Leonem Antipapam haud concoquens, plenus irarum accurrit ad Urbem, eamque admoto exercitu tam arcta obſidione cinxit, ut, interclusis omnibus viis, nemo egredi, vel ingredi poſſet. Qua ex re Romani tanta rei frumentariæ difficultate oppreſſi ſunt, ut præ commeatûs & victualium inopiâ, modius furfuris triginta aureis venierit, fameſque tanta invaluerit, ut plerique vitæ ſubſidiis deſtituti, obvia quæque noxia in eſum admiſerint, indeque exanimes deciderint. Quam difficultatem in dies auctam cùm diutiùs ferre non poſſent, Nono Kalendas Julii apertis portis Othonem receperunt. Is redactis in ordinem Romanis, ſtatim Leonem, ejecto Benedicto, in priſtinam ſedem reſtituit, Synodumque, qua Benedictus publicè deponeretur, à Leone cogi mandavit. Quæ autem in hac Pſeudo-Synodo, à Leone intruſo adunatâ, adverſus legitimum Pontificem Benedictum acta fuerint, à Schiſmatico Auctore Luitprando audiamus: *Reſidentibus itaque Domino Leone ſummo & univerſali Papa* (inquit ille) *in Eccleſia Lateranenſi, nec non & Imperatore ſanctiſſimo Othone, &* *Epi-* CXXXIV. *Ob Benedicti electionem magnæ turbæ.* *Otho Urbem obſidet.* *Fames magna.* *Benedictus deponitur, Leo recipitur.*

Acta contra Benedictum in Pſeudoſynodo.

Epiſcopis Romanis, Italicis, & Germanicis, presbyteris, Diaconis &c. advenit Benedictus Apoſtolicæ ſedis invaſor, eorum, qui ſe elegerant, manibus adductus, Pontificalibus veſtibus indutus: Quem Benedictus Cardinalis Archidiaconus tali eſt ſermone aggreſſus: Qua tibi auctoritate, quáve lege, ò invaſor, hæc Pontificalia indumenta uſurpaſti, ſuperſtite hoc præſente Domino noſtro venerabili Papa Leone, quem tu nobiſcum, accuſato & reprobato Joanne, & Apoſtolatus culmen elegiſti? Num inficiari potes præſenti Domino Imperatori juramento promiſiſſe, nunquam te cum cæteris Romanis Papam electurum, aut ordinaturum abſque illius, filiiq; ſui Regis Othonis conſenſu? Benedictus reſpondit, ſi quid peccavi, miſeremini mei! Tunc Imperator effuſis lachrymis, quàm miſericors eſſet oſtendens, rogavit Synodum, ne Benedicto præjudicium fieret, qui ſi vellet, & poſſet, ad interrogata reſponderet; ſi non poſſet, aut nollet, ac ſe culpabilem redderet, tamen pro timore Dei miſericordiam inveniret. Quo audito, ad Domini Papæ Leonis pedes, ipſiusq; Imperatoris idem Benedictus concitè procidens, ſe peccaſſe, ſeq; ſanctæ Romanæ Sedis invaſorem eſſe acclamavit. Poſthac pallium ſibi abſtulit, quod ſimul cum Pontificali ferula, quam manu geſtabat, Domino Papæ Leoni reddidit, quam ferulam idem Papa fregit, & fractam Synodo oſtendit. Deinde Benedictum in terra ſedere præcepit, cui caſulam, quam planetam vocant, cum ſtola pariter abſtulit. Poſt autem omnibus Epiſcopis dixit; Benedictum ſanctæ & Apoſtolicæ Romanæ ſedis invaſorem omni Pontificatus & Presbyteratus honore privamus: ob eleemoſynam verò Domini Imperatoris Othonis, cujus ſumus opera in ſedem debitam reſtituti, Diaconatus ordinem eum habere permittimus, & non jam Romæ, ſed in exilium relegamus. Hucuſque Luitprandus, vel quisquis Schiſmaticorum appendicem ad Luitprandum aſſuit.

Redarguitur Otho Imp.

At certè ſicut in Joannem, ita multò magis in Benedictum ſe oſtendit hic auctor iniquum, favens plus ſatis Othoni, quem & Germaniæ Scriptores hac in parte meritò reprehendunt. Erravit igitur Otho Imperator, & aliis errandi amplam ſatis aperuit viam, dum quos Synodus illegitima judicare non potuit, condemnatos exauctoratosque abjicit; & quem alio vivente ipſe eligere non potuit, nec debuit, uti legitimum colendum exhibuit Leonem.

Benedictus in exilio ſanctè moritur.

Cæterùm Benedictus hic Romanus Pontifex, vir ſanctus & litteratus, ac Apoſtolica ſede dignus, teſte Adamo antiquo Chronographo, cùm in ſancta converſatione viveret, alioſque ſanctè & piè vivere verbo & exemplo doceret, exacto ſumma patientia in exilio anno propè integro, cùm jam Romanis poſcentibus à Cæſare reſtitui deberet, apud Hamburgum, ubi exulaverat, ſancto fine quievit Quarto Nonas Julii anno ſalutis 965. ſepultus ad tempus in Eccleſia Cathedrali Hamburgenſi cum hoc Epitaphio, ut fidem facit Andreas Victorellus in Notis ad Ciaconium.

BENEDICTUS PAPA V.
QUI DE SEDE APOSTOLICA PER VIOLENTIAM REMOTUS,
ET POSTEA, CUM REVOCARETUR,
OBIIT HAMBURGI IV. NONAS JULII,
SEPULTUS EST HIC.

Benedictus ceu Martyr colitur.

Ex his jure exploditur fabula, quòd nimirum Benedictus à Ludovico Imperatore ad prædicandum Dei Evangelium ductus ſit in Germaniam, inde Wandalorum incurſu fuerit trucidatus unà cùm

60. Pres-

60. Preſbyteris. Verùm alia ratione dicendus eſt Martyr, nempè quòd à Leone Antipapa tam dira, & contumelioſa ſit paſſus, & exul ipſe legitimus Romanæ Eccleſiæ Pontifex obierit, ut Sancti Martyres, iidemque Pontifices Pontianus, Silverius, ac Martinus in exilio olim vita functi. Quòd autem ut Martyr coleretur Benedictus, ne ob id Othodis nomini nota inureretur, fingendi aliam occaſionem datam eſſe exiſtimat Baronius. Certè Hamburgi in Saxonia ſingulis annis hujuſce Benedicti colitur memoria, ut refert ex tabulis Eccleſiaſticis Hamburgenſis Eccleſiæ Philippus Ferrarius *in Cathalogo Sanctorum, qui non ſunt in Martyrologio Romano*, Quarto Nonas Julii: & Adamus Bremenſis ibidem Benedictum, ut Matyrem coli affirmat.

Vaticinium Benedicti de oſſibus ſuis.

Oſſa Benedicti Pontificis Hamburgi quievêre uſque ad annum reparatæ ſalutis 999. Quo anno ex Eccleſia Hamburgenſi in Urbem, Othonis III. Imp. auctoritate, translata ſunt, ſicut ipſe vivens prædixerat, ut Ditmarus his verbis enarrat: *Raco electus Epiſcopus Bremenſis, juſſu dilecti Senioris ſui* (Othonis ſcilicet III. Imperatoris) *oſſa beati Papæ Benedicti, ſicut ipſe prælocutus eſt, de Hamburgo Romam reduxit: namq. Pater venerabilis, Dominus, inquam, Apoſtolicus, dum in exilio eſſet in Chriſti ſervitio ſtudioſus, & adhuc Aquilonaris hæc pars optata pace gauderet; hic, inquit, fragile corpus meum debet reſolvi, & poſt hæc omnis iſta regio gentili gladio deſolanda, ferisq. inhabitanda relinquetur, & ante translationem meam non videbit indigena pacem firmam; quandocunque verò domi reſideo, Apoſtolica interceſſione Paganos quieſcere ſpero.* Hæc Ditmarus gravis & candidus Auctor, quæ omnia, ut prædixit ſanctus Pontifex, evenêre eodem Ditmaro teſte.

Leo Antipapa ſubita morte perit.

Eodem anno, quo Hamburgi in exilio è vita exceſſit Benedictus, ſubita morte Romæ extinctus memoratur Leo intruſus, imò ſunt qui ſcribant Leonem trimeſtri ante Benedictum deceſſiſſe: nam extinctus ponitur die 17. Aprilis anno 956. cùm conſtet Benedictum obiiſſe 10. Julii ejusdem anni. Leo Antipapa paulò ante obitum ſuum, Romanorum ſeditiones pertæſus, omnem eligendi Romanum Pontificem auctoritatem à Clero, Populoque Romano ad Imperatorem habitâ Synodo tranſtulit: imitatus hoc in paſſu Hadrianum I. qui id quoque Carolo Magno Francorum Regi conceſſiſſe fertur: Conſtitutionem, quam edidit, Gratianus refert his verbis.

Leo VIII. PP. ad futuram rei memoriam.

Leonis Conſtitutio: quã ceu falſam Baronius & alii rejiciunt

In Synodo congregata Romæ in Eccleſia S. Salvatoris, ad exemplum beati Hadriani Apoſtolicæ Sedis Antiſtitis, qui Domino Carolo victorioſiſſimo Regi Francorum, & Longobardorum Patriciatus dignitatem, & ordinationem Apoſtolicæ ſedis, & inveſtituram conceſſit: Ego quoque Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, cum toto Clero, & Romano Populo conſtituimus, & confirmamus, & roboramus, & per noſtram Apoſtolicam auctoritatem concedimus, atque largimur Domino Othoni I. Regi Teutonicorum, ejusq. ſucceſſoribus hujus Regni Italiæ in perpetuum facultatem eligendi ſucceſſorem, atque ſummæ ſedis Apoſtolicæ Pontificem ordinandi: ac per hoc Archiepiſcopos, ſeu Epiſcopos, ut ipſi ab eo inveſtituram accipiant, & conſecrationem unde debent: exceptis his, quos Pontificibus, & Archiepiſcopis Imperator conceſſit, ut nemo Princeps cujuscunque dignitatis, vel religioſitatis eligendi vel Patricium, vel Pontificem ſummæ

Sedis Apoſtolicæ, aut quemcunque Epiſcopum ordinandi habeat facultatem abſque conſenſu ipſius Imperatoris, quod tamen fiat abſque omni pecunia, & ut ſit Patricius, & Rex: quòd ſi à Clero, & Populo quis eligatur Epiſcopus, niſi à ſupradicto Rege laudetur, & inveſtiatur, non conſecretur. Si quis contra hanc Regulam, & Apoſtolicam auctoritatem aliquid moliatur, hunc excommunicationi ſubjacere decernimus; & niſi reſipuerit, irrevocabili exilio puniatur, vel ultimis ſuppliciis afficiatur. Hæc ibi. Quam quidem Conſtitutionem, etſi vera exiſteret, nullius tamen roboris aut valoris eſſe exploratiſſimum eſt, cùm non à legitimo Papa, ſed ab intruſo uſurpatore, ſit facta & promulgata.

Cæterùm hanc ipſam adſcitiam, falſam, & ſpuriam eſſe, multis argumentis probat Cardinalis Baronius tomo decimo Annalium ad annum Chriſti 964. Alia ejusdem Leonis Antipapæ nomine edita eſt Conſtitutio, qua profitetur ipſe Pſeudopontifex reſtituere ſe Othoni Imperatori quæcunque ipſum Romanum Occidentale Imperium poſſediſſet, ac donaſſet Eccleſiæ Romanæ: quam quidem Conſtitutionem, utpote injurioſam Eccleſiæ, & multis ſcatentem erroribus, omnes ſani cerebri Scriptores explodunt, & rejiciunt; ac tanquam figmentum Schiſmaticorum damnant, & execrantur.

Alia ejusdem Leonis damnabilis Conſtitutio.

ANNO CHRISTI CMLXV.

Imperatore OTHONE Magno Auguſto.

DE JOANNE XIII. Pontifice Max.

CXXXV *Conſulto Othone, Joannes Narnienſis eligitur Pontifex.*

Romani mortuo Leone VIII. Antipapa, miſſis Legatis in Germaniam ad Othonem Imperatorem, eundem de novo ſubſtituendo Pontifice conſuluerunt. Quapropter Imperator duos Epiſcopos cum mandatis ea de re Romam miſit. Quibus præſentibus Clerus, populusque adunatus concordibus animis Joannem Epiſcopum Narnienſem, patria Romanum, quarto Nonas Octobris anni 965. Pontificem maximum declararunt, appellatumque Joannem XIII. ritu ſolemni conſecrarunt.

Eo tempore Petrus Urbis Præfectus, Conſules, ac Tribuni plebis, qui *Decarchontes* dicebantur, opes ſuas ab Othone Auguſto fractas acerbè ferentes, ad libertatem priſtinam recuperandam, & Pontificis potentiam, quæ Othonis favare creverat, infringendam, aut certè diminuendam, varia moliri inſtituerunt. In primis autem Joannem ipſum recens electum, antiqui exempli Pontificem, cùm ipſorum ſe conatibus viriliter opponeret, armata manu comprehenſum in vincula conjecerunt, tum variè tentatum, cùm nihil de ſententia remitteret, tanquam hoſtem libertatis ſuæ, exulatum Urbe depulerunt, advocato in auxilium Rofredo, Campaniæ Comite, ſummæ potentiæ viro.

Joannes Urbe à Romanis pellitur.

Pontifex Urbe ejectus, Cupuam ad Pandulphum ejus loci Principem, auxilium petiturus, ſe contulit. Pandulphus rei indignitate

Suſcipitur à Pandulpho Capuano.

nitate commotus, ſuſcepto liberaliter Pontifice, Joannem fratrem ſuum cum copiis Romam ea lege miſit, ut Rofredum mali fautorem, nullo gratiæ loco dato, interficeret. Quo facto, Romani, maximo, quo nitebantur, auxilio ſpoliati, poſt decem menſes Pontificem Romam ex Campania revocarunt, ac magno ſtudio in debitam ſedem repoſuerunt. Pontifex reſtitutus, ut gratiam Principibus Capuanis aliquam referret, Archiepiſcopatum apud eos inſtituiſſe, ac Joannem Pandulphi fratrem ſacris initiatum, loci Præſulem creaſſe proditur.

Revocatur ad ſedem.

Otho intereà percepta Romani Pontificis calamitate, ut ſacrilegam ſeditioſorum audaciam inſigni aliquo ſeveritatis exemplo coërceret, Romam cum filio Othone, ingentique exercitu profectus, poſt natalitios Domini dies, judicio Eccleſiæ turbatoribus conſtituto, ſeverè animadvertit in omnes. Conſules Italiâ pulſi: Tribuni: *Decarchontes* ſuſpendio necati; Petrus Urbis Præfectus, malorum omnium fons & origo, veſtibus exutus, virgiſque per carnificem cæſus, ac per frequentiora Urbis compita in aſino (verſo ad clunes vultu, & manibus ſub cauda ligatis) circumductus, denique exulatum in Germaniam mittitur: Rofredi verò cadaver ad terrorem aliorum exhumatum, populique ludibrio expoſitum, ac diſcerptum, in Tyberim projectum.

Otho in auctores ſeditionis animadvertit.

His juſtitia exigente peractis, Otho Imperator Pontifici Ravennam cum omni ditione, aliaque à Berengario adempta loca reſtituit, ac veterem Pipini, Caroli, ac Ludovici Pii donationem novo diplomate confirmavit. Pontifex dictis Auguſto gratiis, in vicem gratitudinis Othonem filium Imperii conſortem declaratum regio diademate inſignivit. Ea res magna cæremonia, & ingenti populorum applauſu, quos undique ſpectaculi magnitudo attraxerat, celebrata eſt anno ſalutis 968.

Otho Pontifici ablata à Berengario reſtituit.

Otho Junior coronatur.

Intereà Nicephorus Phocas, qui Romano Juniori in Orientali Imperio ſucceſſerat, auctus victoriis, inſidiis Procerum in Palatio interemptus eſt ſexto poteſtatis anno. Is gnarus odii publici, ingenti muro Palatium ad ſui ſecuritatem cinxerat. At ea die, qua muro perfecto claves portarum acceperat, à conjuratis intra murum ſportâ exceptis ſuo in cubiculo jugulatus eſt: veritaſque voci aſſerta, qua ipſe monitus, fruſtrà ad cœlum munimenta tolli, ſi intra malum exiſtat. Cæca mortalium providentia, quæ cavet longinqua, ut à propioribus pereat. Excepit Imperium Joannes Tzimiſces anno 969, dux præclariſſimus, ſed Nicephori nece maculatus, Theophaniâ interfecti viduâ in exilium actâ. Hæc poſtmodùm ab Othone II. in uxorem expetita, Romamque per Arnulphum Archiepiſcopum Mediolanenſem Othonis pronubum adducta, ritu ſolemni eidem matrimonio juncta eſt anno 972. aſſiſtente nuptiis Joanne Pontifice, ac coronam Auguſtæ deferente. Quo anno Joannes ipſe octavo Idus Septembris, poſtquam Eccleſiam annos ſex, menſes undecim, dies quinque rexiſſet, è vita migravit. Ejus corpus depoſitum eſt in Baſilica S. Pauli extra Urbem via Oſtienſi, cum ſequenti Epitaphio, ab Oldoino in additionibus ad Ciaconium relato.

Nicephorus Imp. Græcorum occiditur.

Ei ſuccedit Tzimiſces.

Theophania nubit Othoni II & coronatur.

Joannes moritur.

Pontifi-

Ejus Epitaphium.

Pontificis ſummi hic clauduntur membra Johannis,
Qui prudens Paſtor, perſolvens debita mortis
Iſthic præmonuit moriens ſua membra locari:
Quò pietate Dei reſolutus nexibus atris,
Eximii Pauli meritis conſcendat in æthra,
Inter Apoſtolicas Cælorum gaudia metat,
Gaudeat, exultet, ſociatus cœtibus almis;
Dicite corde pio relegentes carmina cuncti,
Chriſte tui famuli miſertus ſcelera purga,
Sanguine qui ſancto redemiſti crimine Mundum.

SCRIPTA.

Scripta. Scripſit Joannes Epiſtolas varias: ad Othonem Magnum: ad Landulphum Principem Capuanum: ad Joannem Archiepiſcopum Capuanum: ad Adalbertum Epiſcopum Magdeburgenſem: ad Meiſconem Wandalorum Regem, fidem Chriſtianam recens amplexum: ad Nicephorum Phocam Orientis Imperatorem: ad Narnienſes, quorum olim erat Epiſcopus: ad Abbatem Cluniacenſem, quando Cluniaco adjunxit Monaſterium S. Pauli Romæ ſitum via Oſtienſi: ad Miecislaum Poloniæ Principem, Debboræ uxoris operâ baptiſmate luſtratum: Ad Regem Angliæ, quam refert Malmesburienſis de geſtis Regum Angliæ, & Baronius tomo x. Annalium. Huic etiam Joanni Pontifici ſcripſit Librum *de ſua in Presbyteros poteſtate* Ethelwoldus Vuentanus, Epiſcopus Winthonienſis in Anglia.

ANNO CHRISTI CMLXXII.

Imperatore OTHONE Magno Auguſto.

DE

DONO ſeu DOMNO II. Po. M.

CXXXVI.

Donum II. poſt Joannem XIII. Romanus Pontifex.

JOannes Stella imitatus Platinam in Cathalogo Romanorum Pontificum, quem edidit, poſt Joannem XIII. ſediſſe Benedictum VI. & poſt Benedictum, Donum II. affirmat. Panvinius autem in Epitome Donum II. omninò rejicit à ſerio Romanorum Pontificum; nam poſt Joannem XIII. immediatè Benedictum VI. & hujus ſucceſſorem Bonifacium VII. omiſſo utrobique Dono, nominat. Nomina enim Romanorum Pontificum hoc maximè tempore, tum ob intrudentium potentiam, tùm ob Scriptorum incuriam, vel inopiam, uſque adeò ſunt confuſa & perturbata, ut Blondo etiam conquerente, vix ſcias, quam ineas viam, ne erres. Ego ſanè, ne accurato duce caream, Annalium parentem ſequar Baronium, Donum II. Joanni XIII. ſubſtituentem.

Donus vir bonus & modeſtus. Fuit autem Donus, ſeu Domnus, patria Romanus, vir bonus, prudens, ac tantæ modeſtiæ, ut quamvis nihil in trimeſtri Pontificatu geſſerit, quo magnoperè laudari poſſit, non tamen aliqua injuria

juria affectus, vel ignominia notatus eſt à Romanis ob ſui reverentiam. Hujus tempora, ne omninò obſcura eſſent, effecère res quædam tùm à Principibus quibuſdam, tùm à ſanctis Viris geſtæ. Nam Bajanus artis magicæ peritus Bulgarorum Princeps, ita Baſilium & filium Conſtantinum Byzantinos Principes bello vexabat, ut parùm ab urbe regia capienda abeſſet, negligentiâ Græcorum propè derelicta. Inita tamen inter eos ſunt fœdera, licèt non æqua, & pax compoſita eſt paulò mox rumpenda. Adalbertus autem Bohemus Pragenſis Epiſcopus tantæ ſanctitatis hoc ævo habitus eſt, ut divino impellente ſpiritu in Pannoniam deſcendens, & Regem Hungarorum ſacris luſtraverit undis, & omnes Provinciæ Epiſcopos ad benè de Deo promerendum ſuo exemplo & doctrina impulerit. Profectus deinde in Pruſſiam, ob fidem Chriſti gentibus illis annunciatam, martyrio coronatus occubuit. Ferunt & B. Eduardum Angliæ Regem, vitæ ſanctitate hoc tempore illuſtrem, maximo in pretio habitum fuiſſe. Quem certè conſtat ſexennio pòſt, nimirum anno 978. inſidiis ſceleratæ novercæ fuiſſe interemptum. Addit his Richardus Scriptor non ignobilis ſanctum Majolum Abbatem, qui in Cluniaco magnum ſui apud poſteros probatiſſimæ vitæ teſtimonium, miraculis clarus reliquit. Hujus obitum alii ad Gregorii V. tempora referunt.

Bajanus Bulgarorū Princeps Byzantinos bello vexat. *Adalbertus Epiſ. ſanctitate clarus, & martyrio.* *B. Eduardus Angliæ rex dolo novercæ interemptus.* *S. Majolus Abbas claret ſanctitate.*

Domnus autem pietate plenus, tertio ſui Pontificatus menſe Romæ naturæ debitum ſolvit, decimo quarto Kalendas Januarii, anno redempti Orbis 972. ſepultus more majorum in Baſilica Principis Apoſtolorum Vaticana. Hic ob temporis brevitatem nihil ſcripſiſſe reperitur. *Domni obitus.*

ANNO CHRISTI CMLXXII.

Imperatore OTHONE Magno Auguſto.

DE

BENEDICTO VI. Pontif. Max.

Benedictus VI. patria Romanus, Hildebrandi viri Conſularis filius, Dono II. in ſui exitium ſucceſſit. Nam à Cynthio Romano cive præpotenti, Theodoræ filio, ad ſuggeſtionem Franconis Diaconi Cardinalis, Pontificii percupidi, dolo captus, atque in Molem Hadrianam conjectus, decimo quinto ſui Pontificatus menſe, nullâ intercurrente mortis causâ, eodem in loco crudeliſſimè ſtrangulatus periit. Ejus corpus in Baſilica S.Petri in Vaticano tumulatum ſcribit Panvinius. CXXXVII. *Pontifex eligitur, ac paulò pòſt ſtrangulatur.*

Sedente Benedicto in Petri Cathedra, vel potiùs in carcere & in umbra mortis, anno ſcilicet 973. Pridie Idus Martii ſanctam Deo animam reddidit Mathildis Othonis Magni genitrix: quæ ob vitæ ſanctitatem Divorum faſtis adſcripta hoc elogio celebratur ab Eccleſia Romana: *Halberſtati in Germania Pridie Idus Martii dormitio beatæ Mathildis Reginæ, matris Othonis I. Imp. humilitate, & patientia* *Dormitio B. Mathildis Imperatricis.*

celebris. Ad ſuperos quoque eodem anno evolaſſe Bernardum Epiſcopum Halberſtatenſem vitæ ſanctitate conſpicuum, ſcribit Witichindus Monachus. Nonis verò Maji ejuſdem anni obiit Otho

Obitus Othonis Magni. ipſe Magnus, rerum geſtarum magnitudine, virtutum ſplendore, ac operum ſanctiſſimorum monumentis, cum maximis Orbis Chriſtiani Imperatoribus, Conſtantino, Theodoſio, ac Carolo, cognomento Magnis, facilè comparandus. Præfuit Imperio per ipſum mirè amplificato, annis ſupra triginta, ſex. Succeſſit Patri Otho filius, hoc nomine ſecundus, de quo ſuo loco plura.

ANNO CHRISTI CMLXXIV.

Imperatore OTHONE II. Auguſto.

DE

BONIFACIO VII. Pontif. Max.

CXXXVIII.

Sedis Apoſtolicæ invaſor.

POſt obitum Benedicti VI. corruptis ſuffragiis in Petri ſolium illatus eſt Franco Diaconus Cardinalis, Ferrucii civis Romani filius, auctor necis Benedicti Prædeceſſoris, à Cynthio, ejus hortatu, in carcere, ut paulò antè diximus, interempti. Hic aſſumpto Bonifacii VII. nomine, (qui ob plurima commiſſa crimina Malefacius dici potiùs debuerat) uſurpatum ſedem eo uſque violenter tenuit, donec tertio poſt invaſionem menſe, à Benedicto Cardinali ex Comitibus Tuſculanis, ſummæ potentiæ & auctoritatis viro, Româ depulſus, Conſtantinopolim exul migravit, aſſumpto ſecum ingenti theſauro Eccleſiarum, quas omnibus ornamentis ſpoliaverat, quo Imperatoris Græci favorem ſibi ac gratiam compararet. Manſit prædo ſacrilegus Conſtantinopoli uſque ad annum ſalutis 985. quo anno, (ut in Joanne XIV. viſuri ſumus) ſuorum ſtudio roboratus, Romamque reverſus, occiſo Joanne Pontifice, Apoſtolicam ſedem denuò invaſit, occupavitque.

Romà depulſus Conſtantinopolim fugit

Exacto igitur eo in exilium, ut diximus, Benedictus Cardinalis Comes Tuſculanus, non tam Cleri, Populique ſuffragiis, quàm propinquorum armatis precibus in deturbati locum ſuffectus eſt Pontifex. Quæ omnia, ut ordine recenſeantur, relicto ad tempus Bonifacio, nobis ad Benedictum VII. ejuſque acta progrediendum eſt.

Benedictus in depulſi locum ſurrogatur.

ANNO CHRISTI CMLXXV.

Imperatore OTHONE II. Auguſto.

De

BENEDICTO VII. Pont. Max.

Bene-

Benedictus VII. Romanus ex Comitibus Tuſculanis, Deodati Comitis filius, S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopus Sutrinus, pulſo Francone ſeu Bonifacio VII. ſanctæ ſedis invaſore, propinquorum operâ, legitimis comitiis, renuntiatus eſt ſummus Pontifex Kalendis Junii, anno noſtræ ſalutis 975. Hic ſtatim atque electus eſt Pontifex, animum ad componendum Eccleſiæ ſtatum, moresque Eccleſiaſticorum, temporum iniquitate, mirè corruptos, convertit; celebratâ in hunc finem Synodo Romana; in qua etiam Arnulphum Epiſcopum Rhemenſem ſeditione quorundam ſua ſede pulſum, in integrum reſtituit. CXXXIX. *Legitimis ſuffragiis Pontifex creatur* *Eccleſiæ ſtatum componit.*

Tum ad reparanda Templa ac Monaſteria converſus, plurima horum vel à ſolo refecit, vel recèns excitata fundavit, dotavitque. Inter quæ Monaſterium ſanctæ Crucis in Hieruſalem cum Baſilica vetuſtate collapsâ, (adductis eò monachis) ex integro reſtituit. *Ædificia ſacra reficit.*

Sergium Damaſcenum Epiſcopum à Sarracenis ejectum Romæ benigno clementiæ ſinu excepit, eique Eccleſiam Sancti Alexii incolendam tradidit: in qua ipſe Monachos exules collegit; & obſervantiâ monaſticâ reſtitutâ, ubi annos quatuor illic degiſſet, ſancto fine quievit: ad cujus ſepulchrum in eadem Eccleſia nobilis inſcriptio verſibus inciſa etiamnum viſitur: quæ incipit: *Sergium Ep. Damaſcenū exulem benignè ſuſcipit, fovetq́.*

SERGIUS hic recubat Metropolita ſepultus,
Qui quondam fuerat Damaſci tempore longo,
Numine perductus ad ſacra limina Petri.
Temporibus pii Benedicti *Præſulis almi &c.*

Recepit etiam Benedictus Lambertum Epiſcopum Cracovienſem Romam legatum à Miecislao Poloniæ Principe, ut Romanum Pontificem certiorem redderet de felici propagatione Chriſtianæ fidei in ſuo Principatu; utque Regium diadema ſibi mitteret, ac Regem Polonorum ſe, & poſteros ſuos eſſe juberet. Lambertus re infecta, Româ diſceſſit, vel quòd de morte Miecislai nunciatum eſſet, vel quòd differre ad feliciora tempora eam rem Romanus Pontifex divino moneretur oraculo. *Miecislaus Polonus Legatum Romam mittit, & quare?*

Initio Pontificatus Benedicti VII. Heraldus Rex Danorum, qui populo ſibi ſubdito primus Chriſtianam fidem indixerat, & Eccleſiis totum ferè Septentrionem repleverat, obiit vulneratus à filio, & à ſuis, qui Chriſtum anteà abdicaverant. Quo tempore etiam S. Eduardus Angliæ Rex, inſidiis ſceleratæ novercæ occiſus memoratur. *Heraldus Daniæ Rex & Martyr.*

Anno Chriſti 983. Otho II. Imperator decimo Imperii ſui anno, octavo Idus Novembris, triſti animi ægrotatione Romæ deceſſit è vita, ſepultus in veſtibulo B. Petri, quod Paradiſum vocant, labroque porphyretico tectus. Dictus *Sanguinarius*, quòd clariſſimos Romanorum ad convivium vocatos, in ipſa epulorum lætitia paulò ante mortem occidi juſſerit. Quo extincto cùm de creando novo Imperatore conſultatio haberetur, & alii Othonem III. ſecundi filium; alii verò Henricum Bavariæ Ducem Othonis Magni ex *Othonis II. Imp. obitus.* *Seditio Romæ*

fratre nepotem expoſcerent, inſtarentque Itali, ut Creſcentio Nomentano viro clariſſimo res committeretur, prorumpentes in medium Germani, atque arma attolentes, Othonem III. acclamarunt. Inſtabat tum Benedictus Pontifex vir optimus, & tranquillitatis amans, unumquemque rogando, ut in legendo Imperatore Reipublicæ Chriſtianæ, quæ tum maximè perito & ſolerti gubernatore indigebat, poſitis ſeditionum ſtudiis conſulerent. Tandem, ne tumultus aliquis oriretur, Germanorum ſententiam uti æquam, & legibus conformem approbat, atque Othonem III. Auguſtum Cæſarem dictum confirmat.

Otho III. eligitur Imperator.

Regnante eodem Benedicto, è vivis pariter quinquennio ante Othonem II. ſublatus eſt Imperator Græcorum Tzimiſces, vir militari gloria, multiſque victoriis clarus, qui primus omnium numos imagine Chriſti ſignari hac inſcriptione juſſit *Jeſus Chriſtus Rex Regum*: placuit exemplum poſteris, Chriſtique regnum in Reges aſſertum, cujus nutu ponuntur Imperia & evertuntur. Periit autem Tzimiſces veneno tabifico, quod Baſilius Eunuchus præbuerat, veritus ne administratione quarundam Urbium dejiceretur. Succeſſerunt in Imperio Baſilius II. Conſtantinus IX. imperarunt unà annos 49. menſes 4.

Tzimiſces Orientis Imp. veneno tollitur.

Anno verò 984. quarto Idus Julii moritur & ipſe Benedictus, poſtquam Eccleſiæ clavum annis novem, menſibus duobus gubernaſſet, piis operibus plenus. Ejus corpus ad Sanctam Crucem in Hieruſalem translatum, ibidem honorificè tumulatum eſt, cum Epitaphio, quod recitat Victorellus in additionibus ad Ciaconium.

Benedictus moritur.

SCRIPTA.

Ejus Scripta.

Extant in Bibliotheca Vaticana nonnullæ Benedicti VII. Epiſtolæ: ad Miecislaum Poloniæ Principem una: ad Arnulphum Rhemenſem Epiſcopum alia: Ad Abbatem Caſſinenſem duæ, cujus Monaſterio nonnulla paterna prædia, quæ poſſidebat in Comitatu Aprutii, teſte Leone Oſtienſi, dono conceſſit. Ad Patres Concilii Conſtantinopolitani una, qua ſuadet, ut loco Baſilii Patriarchæ multorum criminum rei ſubſtituatur Antonius Studites.

ANNO CHRISTI CMLXXXIV.

Imperatore OTHONE III. Auguſto.

DE

JOANNE XIV. Pontifice Max.

CXL. *Joan. XIV. Pontifex eligitur.*

EXtincto Benedicto VII. Petrus Epiſcopus Papienſis, Othonis Imperatoris Archicancellarius, vir pius, ac magnæ doctrinæ, operâ Othonis à Clero ac Populo Romano in Petri ſolium, aſſumpto Joannis XIV. nomine evehitur, & conſecratur. Id ubi reſciit Bonifacius VII. exul, nihil cunctatus Conſtanti-

ſtantinopoli Romam, ſedem iterum invaſurus rediit; ſuorumque ſtudiis adjutus, ſumpto de pluribus, qui ejus invaſioni obſtiterant, ſupplicio, Joannem Pontificem, tertio ab ejus electione menſe, de ſede violenter exturbat, tum vinculis conſtrictum, inque carcerem detruſum, quinque menſium ſpatio diverſimodè affligit: denique fame, vel gladio enectum, è carcere in publicum extrahi, omniumque oculis exponi mandat, ne quid ſperarent ampliùs, qui ejus liberationi ſtudebant. Horrendum planè viſu, cunctiſque lugendum Romanis civibus ſpectaculum! cadaveris ipſa macie extinctum fame Joannem conclamante; & vindictam à ſuperis & hominibus de ſacrilego Tyranno repoſcente. *Benedicti VII ſedem iteratò invadit Joannem capit, ac occidit.*

Nec emanſit diù promerita utrobique vindicta: ſiquidem truculentus Apoſtolicæ ſedis invaſor intra quatuor menſes repentina morte tactus, è throno corruit exanimis, adeoque omnibus etiam ſuis exoſus extitit, ut defuncti corpus in aream Lateranenſem fune ad pedes ligato protraherent, lanceis ac gladiis perfoderent, ſaxis, ſputo, ac luto impeterent, ac denique veluti ſepultura indignum, inhumatum projicerent. Scribit Oldoinus, infelicis hominis cadaver aliquot dies inhumatum publico cum contemptu jacuiſſe, ac tandem operâ nonnullorum Clericorum clanculò ſepulturæ datum fuiſſe. Periit Bonifacius, inter graſſatores potiùs, quàm inter Romanos Pontifices (utor phraſi Baroniana) adnumerandus, duodecimo Kalend. Auguſti anno ſalutis 985. *Repentina morte extinguitur, ac fœdè habetur.*

S C R I P T A.

Joannem XIV. Epiſtolas aliquas ſcripſiſſe non invenio: Illum tamen doctiſſimum fuiſſe, & multorum librorum auctorem, tradit ex vetuſto Urbis Catalogo Ardicinus, quem laudat Ciaconius. *Joannis Scripta.*

ANNO CHRISTI CMLXXXV.

Imperatore OTHONE III. Auguſto.

DE

JOANNE XV. Pontifice Maxim.

POſt obitum Joannis XIV. Sedem Apoſtolicam, ut diximus, occupavit per menſes quatuor Bonifacius VII. quo Tyranno de medio ſublato, licuit Romano Clero legitimum creare Pontificem: electus igitur eſt Joannes XV. patria Romanus, vir doctus, & in Jure verſatiſſimus, ut ex ejus Epitaphio infrà legendo colligimus. CXLI. *Bonifacio ſuccedit Joannes XV.*

Hic Pontificatum adeptus, *miro* (inquit ex Platina Oldoinus) *exarſit odio in Clericos, unde & ab ipſis viciſſim odio habitus eſt; maximè verò, quòd humana divinaq; omnia ſuis cognatis, & affinibus elargiretur, poſthabito Dei honore, & Romana ſedis dignitate.* An verò hac reprehenſione dignus ſit Joannes, dubium facit Epitaphium, eidem poſt mortem in- *Reprehenditur ob bona Eccleſiaſtica in cognatos collata.*

inſcriptum; in quo Juris Canonici adeò tenax fuiſſe deprædicatur, ut nullo lucro, metu, aut gratiæ amore ab eo unquam deflexerit. At quid magis ſacris Canonibus adverſatur, quàm Clerum odiſſe? quid iniquius, quàm quæ Dei ſunt, carni ac ſanguini contribuiſſe? Arbitror ego Joannem, vitam Epitaphio ſuo conformem duxiſſe, quidquid Platina, ejusque ſequaces contradicant.

Libentio Ep. Hamburg. pallium concedit.

Joannes Libentio Hamburgenſi Epiſcopo, ad preces Othonis Auguſti, Pallium, quod hactenus impetrare non potuerat, conceſſit. Leonem Trevirenſem Viceepiſcopum ad Regem Angliæ, & Ducem Northmannorum legavit, ut eos inter ſe diſſidentes conciliaret.

Pacem componit.

De legatione hac in Angliam, & de concordia inter eos Principes inita extat ejuſdem Joannis diploma apud Guilielmum Malmesburienſem, datum anno noſtræ ſalutis 991.

Acta Pſeudoſynodi Rhemenſis infirmat. Arnulphum reſtituit.

Acta Pſeudoſynodi Rhemenſis, in qua amoto Arnulpho Archiepiſcopo, Gerbertus Monachus Floriacenſis (poſteà Sylveſter Papa II.) ſubrogatus fuerat, rejecit, & amotum debitæ ſedi reſtitui curavit, licèt contra eundem Arnulphum Epiſcopum tùm ab Hugone Capeto Galliarum Rege, tùm ab Epiſcopis Rhemenſis Provinciæ, & ab aliis legationes duas recepiſſet: præcellerat autem Hugonis, & Epiſcoporum Legatos, pro Arnulpho Heribertus Comes, qui optimè Romanum Pontificem erudierat de Arnulphi innocentia, & vitæ integritate.

Mauritium in Epiſc. conſecrat.

Mortuo Lucido, primo Cruſvicenſis Eccleſiæ in Polonia Epiſcopo, ad ejusdem Eccleſiæ regimen Mauritium quendam, virum probitate vitæ ac fidei zelo clarum, conſecravit. Antiqua Monaſterii Caſſinenſis beneficia novis editis diplomatibus ampliavit, teſte Leone Oſtienſi. Hæc ſunt ferè, quæ ab eo geſta Scriptores idonei produnt.

Baptiſmus Ungariæ Principum. Theophaniæ in Italiam adventus.

Porrò hujuſce Joannis Pontificatum illuſtrem reddidit Gieſcæ Hungarorum Principis, ejusque filii Stephani baptiſmus; & Theophaniæ Imperatricis, Othonis III. matris in Italiam iter, ut Italiæ Principes in officio contineret, rebellesque comprimeret.

Udalricus Epiſc. Auguſt. Sanctis adſcribitur.

Anno Chriſti 993. Romæ in Palatio Lateranenſi Joannem Synodum celebraſſe, in qua Udalricus Epiſcopus Auguſtanus inter Sanctos relatus eſt, affirmat Victorellus; & conſonat Conſtitutio *Unica* Joannis ipſius, quæ habetur tomo 1. Bullarii: ubi hæc leguntur: *Cumq; perlecta eſſet vita prædicti ſanctiſſimi Epiſcopi Udalrici &c. communi conſilio decrevimus, memoriam illius affectu piiſſimo, & devotione fideliſſima venerandam eſſe &c.*

Joannes moritur.

Cùm ſediſſet Joannes non menſes tantùm quatuor, ut ſcribit S. Antoninus, qui Joannem XV. cum XVI. confundit, ſed annos novem, menſes ſex, & dies decem, ut ſcribit Ciaconius, vel meliùs cum Baronio menſes aliquot ſupra annum decimum, Nonis Maij anni 996. obiit, & ſepultus eſt apud S. Petrum in Oratorio S. Mariæ, cum hoc ſequenti Epitaphio à Manlio, & Victorello relato.

Ejus Epitaphium.

Clauditur hoc tumulo venerabilis ille Joannes,
Qui leges ſacra diffundere noverat amnes,
Egregius Doctor verbo quacunque docebat,
Juribus, & vita tribuens exempla gerebat.
Hunc à Canonici diſtricto jure rigoris

Non

Non timor, aut lucrum, non gratia flexit amoris
Huic Deus emerito, det cœli lumine paſci.
Quando vir iſte obiit, ſi vis cognoſcere verum,
Septima lux Maij fuit illi meta dierum.

SCRIPTA.

Epiſtolas varias conſcripſit Joannes, in quibus ſe in utroque Jure verſatiſſimum Doctorem oſtendit: Harum duæ leguntur,quæ extant impreſſæ, prima apud Maſonum ad Hugonem Capetum Regem Galliarum data, unà cum Epiſtola ejuſdem Hugonis ad Joannem: altera apud Guilielmum Malmesburienſem ad omnes fideles de pace inter Angliæ Regem, & Northmannorum Ducem compoſita per Leonem Viceepiſcopum Trevirenſem. Extant etiam plures in Bibliotheca Vaticana ad Epiſcopos Rhemenſis Provinciæ pro Arnoldo: ad Abbatem Congregationis Caſſinenſis: ad Mauritium Epiſcopum Cruſvicenſem. Edidit quoque varia diplomata,& Conſtitutionem pro Apotheoſi S. Udalrici, ut ſuprà vidimus. *Scripta.*

ANNO CHRISTI CMXCVI.

Imperatore OTHONE III. Auguſto.

DE

JOANNE XVI. Pontifice Max.

CÆſar Baronius in Annalibus, Joannis XV. immediatum ſucceſſorem Gregorium V. (prætermiſſo Joanne XVI.) nominat: Verùm cùm cæteri Scriptores eum communiter in ſummorum Pontificum ſerie collocent, non eſt, cur illum ego ex ſacro eorum albo expungam. Fuit Joannes XVI. patria Romanus, natus patre Roberto, *Vir*, ut S. Antoninus teſtatur, *rei militaris perttiſſimus, & in ſcientiis omnibus exercitatiſſimus.* Qui ſtatim atque electus eſt Romanus Pontifex, adeò ſeditionibus à Creſcentio Conſule Romano, imperium Urbis ſibi vindicare conante, exagitatus eſt, ut hominis furori cedens, in proximam Hetruriæ regionem, quæ Pontificiæ ditionis erat, ultrò exulatum conceſſerit; litteris interim querimonia plenis Othonem Imperatorem de iniquis Creſcentii molitionibus, atque miſerando Eccleſiæ, ſanctæque ſedis ſtatu certiorem reddens, orando, conteſtandoque per ſacra omnia, ne ſibi ad recuperandam Eccleſiam, debitamque ſedem omni ſubſidio deſtituto, auxilio ad eſſe gravaretur. Interim Creſcentius cognita Joannis indignatione, qua percitus Othonem contra ſe cum exercitu in Italiam vocabat, Pontificis propinquos & amicos, qui in Urbe remanſerant, ad eum miſit rogatum, ut omiſsâ accerſendi Othonis curâ, ad Urbem ipſe cum omni poteſtate redeat, ſpondens ſe ei tanquam Urbis domino rebus in omnibus obtemperaturum. Pontifex Creſcentii pollicitis, etiam juramento firma- CXLII.

Joannes XVI. vir ſcientiſicus. *Urgente Creſcentio fugit.* *Othonis opem implorat.* *Creſcentius Joannem revocat.*

firmatis, ſuorumque precibus permotus, ad Urbem redire omnino ſtatuit, tùm maximè, quòd vereretur, ne ſi Otho cum exercitu Italiam ingrederetur, plus detrimenti quàm lucri Provinciæ allaturus eſſet. Igitur Romanis ſuburbiis appropinquanti occurrit Creſcentius magno Procerum Romanorum ſtipatus comitatu, exceptumque qua decuit veneratione Pontificem, ad Ædes uſque Lateranenſes, inter feſtivas acclamantis populi voces, perducit; tum in genua provolutus ipſe, ac ejus exemplo ſeditionis auctores omnes, petitâ commiſſorum veniâ, ſtantis in veſtibulo Pontificis pedes exoſculati ſunt. Quo facto, impetratâ injuriarum veniâ in concordiam redacti, vitam ſimul quietè traduxerunt.

Redeuntem cum honore excipit.

Otho interim in Italiam, ut diximus, evocatus, Romam eo tempore advenit, quo Pontifex gravi infirmitate detentus naturæ debitum ſolvit. Obiit Joannes, teſte Oldoino, VIII. Kalendas Septembris anno ſalutis 996. Pontificatus ſui menſe tertio, die ſexto: ſepultus ad S. Petrum.

Otho in Italiā venit: Pontifex moritur.

SCRIPTA.

Joannis Scripta.

Scripſit Joannes XVI. unicam Epiſtolam ad Othonem Auguſtum, qua ejus auxilium contra ſediciosos Creſcentii, & complicum conatus implorat. Extat hujus exemplar m. ſſ. in Bibliotheca Vaticana. Cæterùm Joannem *in ſcientiis omnibus exercitatiſſimum fuiſſe*, dixit S. Antoninus. Platina, & Ciaconius Martini Poloni teſtimonium ſecuti, de eodem ſic ſcripsêre: *Fuit Joannes vir tantæ doctrinæ, ut multa eleganter ediderit, quemadmodum ſcribit Martinus.* Quæ verò ea ſint, quæ adeò eleganter edidiſſe memoratur, neque Martinus prodit, neque ejus ſequaces, fors injuriâ temporum exciderint.

ANNO CHRISTI CMXCVI.
Imperatore OTHONE III. Auguſto.

DE

GREGORIO V. Pontifice Max.

CXLIII. *Vir pius & litteratus.*

GRegorius V. natione Germanus, Bruno anteà dictus ex ordine S. Benedicti, Othonis Saxoniæ & Sueviæ Ducis ex Juditha paris proſapiæ fœmina illuſtris filius, Joanne XVI. mortuo, ob vitæ morumque integritatem, magnamque rei litterariæ cognitionem, Othonis Imperatoris ſuaſu, qui Romæ tum aderat, à Clero Populoque Romano Sexto Kal. Septembris anni 996. Romanus electus eſt Pontifex. Hic ob largiſſimas eleemoſynas, dietim in pauperes, viduas, atque pupillos erogatas, aliaque innumera dona Oratoriis, Eccleſiis, & Monaſteriis facta, *Gregorius Minor* ad diſtinctionem *Magni* appellatus eſt.

Gregorius minor ob munificentiam appellatus.

Anno ſui Pontificatus primo, bona omnia ſuperioribus annis Eccleſiæ Ravennati à Pontificibus conceſſa, Joanni Archiepiſcopo confir-

confirmavit, ſancies, ne ab ullo Clerico Ravennate per omnem Æmiliam & Pentapolim portorium aliquod exigeretur. Roberto Galliarum Regi, Hugonis Capeti filio inceſtas cum Bertha nuptias interdixit; quare Robertus relictâ Berthâ Conſtantiam Wilhelmi Toloſani Comitis filiam, annuente Gregorio, in matrimonium duxit. Gaudentium fratrem ſancti Adalberti Pragenſis Epiſcopi, Miecislao Principe id per litteras, & Nuntios petente, ad Gneſnenſem Cathedram in Polonia evexit. Heriberto Archiepiſcopo Colonienſi jus Pallii conceſſit, eundemque poſteà in numerum ſeptem Electorum, quibus creandi Imperatoris Romani jus conceſſum eſt, aſſumpſit. Othonem III. cum Maria conjuge Imperiali corona, & Auguſti titulo in Baſilia Vaticana inſignivit.

Clerum Ravennatem à portorio immunem facit. *Roberto Regi nuptias interdicit.* *Epiſcopo Colonienſi jus pallii concedit.* *Othonem coronat.*

Anno verò Chriſti 997. abeunte in Germaniam Othone Auguſto, Creſcentius vetere dominandi libidine ſtimulatus, Gregorium Pontificem diris ſeditionibus exagitare cœpit. Cujus vim cùm Gregorius omni præſidio militari deſtitutus ferre diutiùs nequiret, Joannis Prædeceſſoris exemplo, Urbe egreſſus in Hetruriam ſe recepit. Gerebat eo tempore Placentiæ Epiſcopatum Joannes quidam *Philagatus* appellatus, natione Calaber, patria Roſſanus, profeſſione Monachus Caſſinas, qui litterarum ſcientia, qua excellebat, & pecuniæ magnitudine, qua cæteros ſuperabat, inflatus, eò uſque arrogantiæ fuerat prolapſus, & ſemetipſum, ultrò Archiepiſcopum appellaret. Hunc igitur, quòd pecunioſus eſſet, turbiſque concitandis aptus, Romani nacti, auctore Creſcentio, Pſeudopontificem adverſus Gregorium abſentem proclamârunt. Qua re cognita Gregorius in Germaniam, queſturus ſimul injuriam, ac opem Cæſaris imploraturus, conceſſit. Creſcentius rerum edoctus, nihil de contumacia remiſit; quin potiùs, quaſi certum Othonis bellum haberet, Urbis mœnia firmare, aggeres ſtruere, foſſas agere, & ante omnia Molem Hadriani (à ſuo nomine poſteà *Creſcentii* dictam) variis propugnaculis, commeatu, & milite munire cœpit.

Exagitatur à Creſcentio. *Schiſma exoritur: Philagatus Pſeudo papa eligitur* *Creſcentius Urbem & molem munit.*

Otho Gregorii precibus exoratus, eodem anno cum firmiſſimo omnis generis copiarum roborè rediit in Italiam, agnati Pontificis injuriam ulturus. Exercitu Romam adducto, urbique admoto, civibus parere recuſantibus, Urbem fortiter oppugnat. Aliquamdiu acriter reſtitère Romani, à Creſcentio & Antipapa ſpe magna præmiorum animati. At invaleſcentibus omni ex parte Germanis, cùm obſeſſi rerum penuria laborantes, tantum impetum ampliùs ſuſtinere non poſſent, Cæſari portas ultrò aperiunt, Urbiſque deditionem faciunt; Creſcentio, & Antipapa intra Molem Hadriani dilapſis. Otho cum ſuis Urbem ingreſſus, Gregorium decimo, poſtquam exactus eſt, menſe ſedi ſuæ reſtituit, rebuſque in Urbe depoſitis, Creſcentium cum Joanne Antipapa in Arce obſedit. Cùm verò in longum obſidio traheretur, Cæſar propoſitis præmiis Germanos, ut acriùs incumberent, incendit. Qui impetu quaquaverſum facto, Arcem denique (ut Ditmarus ſcribit) expugnant: ſævitum in omnes: Creſcentius vulneratus captus, èque muro præcipitatus eſt; cujus cadaver poſt terga bovum religatum, ac per plaudes tractum, probeque illuſum, denique in conſpectu

Otho Urbem obſidet, & expugnat. *Gregorium reſtituit.* *Arcem expugnat.* *Creſcentii interitus.*

Oo Roma-

Romanorum excelsâ trabe ſuſpenſum eſt. Simile ſupplicium de iis pariter ſumptum, qui ex complicibus ſupererant.

Antipapa oculis orbatus ludibrio habetur, ac relegatur.

Joannes verò Antipapa, juſſu Cæſaris, oculis orbatus, ac naribus auribusque præciſis jumento impoſitus, toti Urbi, per quam circumducebatur, vectoris ſui caudam in manibus tenens, acerbum ſpectaculum fuit. Tum in Germaniam exulatum miſſus, paulò pòſt dolore vulnerum, animique mœrore confectus deceſſit, cùm ſediſſet in Romana Cathedra, quam invaſerat, circiter menſes decem. Hic dum adverſus Gregorium ſederet, Legatum miſit in Galliam Petrum Cardinalem, ut Eccleſiam, quam Fulco Comes Andegavenſis in Diœceſi Turonenſi exererat, ſuo nomine conſecraret: Verùm ipſâ die ad conſecrationem præſtitutâ, Templum derepentè corruit, veluti reſpueret Deus ipſa Templa per Schiſmaticum, aut ſanctæ Sedis invaſorem in ſui honorem dedicata.

Templum repentè corruit & quare?

Gregorius celebrato Romæ Concilio ſtatum Eccleſiæ reformat, & electioni Imperatorum deinceps faciendæ conſulit.

Interim Gregorius, ſublatis æmulis, debitæ ſedi ac libertati reſtitutus, inito cum Othone conſilio, animum tum ad reformandum ſtabiliendumque Romanæ Eccleſiæ ſtatum, tum ad electionem Imperatorum pacificè & abſque tumultu in poſterum faciendam adjecit; Conciliumque Epiſcoporum Romæ eapropter coëgit: cujus acta licèt perierint, ex fragmentis tamen, quæ deinde reperta ſunt, revocantur in lucem, quæ perierant. Mentio in primis hujus Concilii Romæ ſub Gregorio V. habiti extat in rebus geſtis S. Adalberti, ſcriptis ab Auctore illius temporis, quibus ſignificatur in hac Synodo agitatam fuiſſe cauſam S. Adalberti Pragenſis Epiſcopi, judicio poſtulati ab Archiepiſcopo Moguntino de facienda in ſua Eccleſia, quam reliquerat, reſidentia. Quod autem majoris momenti eſt, ad hoc ipſum Concilium referendum videtur, quod de Imperatoris Electoribus (Archiepiſcopis ſcilicet Moguntino, Trevirenſi, Colonienſi, tum Marchione Brandeburgenſi, Comite Palatino, Duce Saxoniæ, & Rege Bohemiæ) ab eodem Pontifice Gregorio conſtitutum multorum aſſertione traditur: ſiquidem res magni momenti nonniſi conſultis Patribus, collectis Epiſcopis in Synodo fieri conſueverunt. Legendus hic venit Platina in Gregorio V. & Baronius tomo X. ad annum 996. Bellarminus, & alii: præſertim Jo: Palatius Venetus tomo 2. Monarchiæ Occidentalis *lib. 14. cap. 3.* ubi latè ac ſolidè hanc ipſam quæſtionem tractat.

Viri ſancti, qui hoc tempore vixêre.

Sedente Gregorio ad clavum Eccleſiæ, Hungari Chriſtianam fidem amplexi ſunt; virique per id tempus ſanctiſſimi vixêre Romualdus ſcilicet Abbas; Bonifacius Ruſſorum Apoſtolus, Othonis cognatus, & Romualdi diſcipulus: Adalbertus in Pruſſia Martyr; Stephanus Hungariæ Rex; Majolus Abbas Cluniacenſis, & Roſwitha Sanctimonialis Saxonica, Græcè & Latinè ſupra virum docta.

Gregorius piè decedit.

Obiit verò Gregorius, adminiſtrato optimè Pontificatu (cui biennium ſupra menſes quinque, ac dies 24. præfuit) duodecimo Kalendas Martii anno noſtræ ſalutis 999. ſepultus ad S. Petrum in Vaticano, juxta cineres B. Gregorii Magni, cujus in vita Æmulator extiterat, cum hoc ſequenti adhuc extante Epitaphio.

Hic,

Hic, quem tegit humus, oculis vultuq́; decorum, *Ejus Epitaphium.*
Papa *fuit* Quintus *nomine* Gregorius.
Ante tamen Bruno, *Francorum regia proles,*
Filius Othonis de genitrice Judith.
Lingua Teutonicus, Wangia doctus in Urbe:
Sed juvenis Cathedram ſedit Apoſtolicam.
*Ad binos annos, & menſes circiter * octo,* **quinque.*
Ter ſenos Februo connumerante dies.
Pauperibus dives, per ſingula Sabbata veſtes
Diviſit, numero cautus Apoſtolico.
Uſus Fracigena, Germana, & voce Latina,
Inſtituit populos eloquio triplici.
Tertius Otho ſibi Petri commiſit ovile,
Cognatis manibus unctus in Imperium.
Exuit & poſtquam terrena vincula carnis,
*Æquivoci * dextro ſubſtituit lateri.* **Id eſt Gregorii Magni.*
DECESSIT. XII. KAL. MARTII. CMXCIX.

SCRIPTA.

Scripſit Epiſtolas varias, præſertim ad S. Abbonem Abbatem Floriacenſem, qui multas & ipſe ad Gregorium epiſtolas dedit, teſte Poſſevino in Appendice ad tomum I. Apparatus ſacri. Litteras etiam dedit ad Alfanum Archiep. Beneventanum de uſu Pallii, quæ extant apud Marium Viperam in Chronologia Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum Eccleſiæ Beneventanæ. Scripſit pariter Epiſtolam ad Monachos Amiatini Cœnobii, quibus Imperatorum, ac Regum Indulta Pontificio Diplomate ſtabilivit contra Arialdum, ſive Efualdum Epiſcopum Cluſinum, Monachorum jura perturbare auſum. Extant etiam ejuſdem Gregorii Litteræ M.SS. in Vaticano ad Joannem Archiep. Ravennatem datæ, quibus antiqua beneficia Ravennatenſis Eccleſiæ à Romanis Pontificibus obtenta confirmat eidemq́ue Ferretranam Cathedram ſubjecit. Scripſit quoque Gerberto Archiepiſcop. Ravennati, Joannis Succeſſori, cui Pallium inſigne Archiepiſcopalis præſtantiæ unà cum litteris miſit. Hic Gerbertus, ut mox viſuri ſumus, ipſi Gregorio in Pontificatu ſucceſſit. Legitur etiam Diploma Gregorii tom. 9. Conciliorum, quo Privilegium Abbatiæ S. Ambroſii confirmavit.

ANNO CHRISTI CMXCIX.

Imperatore OTHONE III. Auguſto.

DE

SILVESTRO II. Pontifice Max.

NE Romanus Pontificatus, quo perfunctus erat Gregorius natione Germanus, in aliquem relaberetur Romanum (ſuſpectam enim, & nuſquam tutam fidem Otho expertus CXLIV. *Eligitur Gerbertus ſubno-*

mine Silveſtri ſecundi: Germanus fuerit, an Gallus? incertum

tus fuerat Romanorum) *Gerbertum* ſuum olim magiſtrum, monachum Floriacenſem ex ordine divi Benedicti, Archiepiſcopum tum Ravennatem, natione ſecundùm aliquos *Germanum*, ſecundùm alios *Gallum Aquitanum* (nutant enim hac in parte Scriptores) *quo nemo eo avo*, auctore Balderico in Chronico Cameracenſi l. 1. c. 100. *literatior extitit*, ſummum Pontificem eligendum curavit. Qui mox electus, dimiſſo odioſo *Gerberti* nomine, quo toties Eccleſiam impugnaverat, nuncupari voluit *Silveſter II.*

Ex aperto Eccleſiæ hoſte fit Pontifex.

Baronio tanta ſede indignus.

Hunc (ne neſcius ſis lector) Baronius vivis coloribus in Analibus depingens, *hominem* vocat *alioqui aſtutum, & maximum ſe ſe in gratiam Principum inſinuandi artificem, tanta ſede indigniſſimum, cujus & hoſtis anteà extiterat infenſiſſimus, utpotè qui adverſus eam tempore Joannis XV. Papa, cùm ab eo exturbaretur ab Archiepiſcopatu Rhemenſi, quem malè occupaverat, quacunque potuit improperia calumnioſè collegit, ſcriptiſq; mandavit. Eccleſiam igitur, quam antè negaverat, amore primatûs illectus poſteà dilexit: illudq; poſſumus affirmare, nullum hactenus in Petri ſedem fuiſſe promotum, qui eandem ſedem ſuis ſcriptis ita proſciderit, uti Gerbertus. Iſta adeò indigna pati coacta eſt Romana Eccleſia, quamdiu per Principes ſaculi electiones Romanorum Pontificum facta ſunt.* Hæc Baronius.

Calumniarũ in Silveſtrum occaſio.

Benno Schiſmaticus primus calumniæ author.

Silveſter legitimus Pontifex.

Quare tam cita, tamque inopinata Gerberti promotio & continuata proſperitas, viri præſertim, qui in conventu Epiſcoporum, judicio Sedis Apoſtolicæ depoſitus è throno Rhemenſis Eccleſiæ, redactus anteà in ordinem fuerat; inſueta, atque adeò miranda de ipſo opinandi, atque ſcribendi tribuit occaſionem, ipſum nimirum magicis incantationibus ad Apoſtolicæ Sedis culmen provectum eſſe. Recentiores nonnulli adeò *Bennonis* Pſeudocardinalis (qui fuit primus fingendarum de Silveſtro fabularum architectus) perculſi ſunt teſtimonio, ut in controverſiam revocarint, num Silveſter iſte eſſet inter Romanos Pontifices numerandus, quem crederent à diabolo fuiſſe promotum, ut apparet ex Sigeberto, qui poſt annos ducentos Chronicon ſuum ſcripſit. At longè aliter, qui illo ſæculo claruêre Scriptores, Ditmarus, Glaber, Helgaldus, Lambertus, Hermannus Contractus, & Marianus Scotus, qui omnes abſque ulla controverſia, vel levi dubitatione Silveſtrum poſt Gregorium V. legitimum nominant Romanum Pontificem; & extat fragmentum veteris Chronici Floriacenſis à Pithæo editum, in quo hæc verba leguntur: *Hic Otho III. Gerbertum Archiepiſcopum Raven[illegible] propter ſummam Philoſophiam ſummo amore excolent, ordinavit eum Papam, vocavitq; nomen ejus Silveſtrum.* Epigramma quoque hanc magicis de artibus impoſturam ab hoſtibus excogitatam, & ab ignaris, & ſtupidis receptam depellit, quod ex antiquo Codice M.SS. Altempſianæ Bibliothecæ refert Oldoinus in additionibus ad Ciaconium, in hæc verba,

SYLVESTER PAPA II.

Ne mirare Magum fatui quòd inertia vulgi
Me (veri minimè gnara) fuiſſe putat.
Archimedis ſtudium quòd eram Sophiaq; ſecutus
Tum, cùm magna fuit gloria ſcire nihil,
Credebant Magicum eſſe rudes; ſed buſta loquuntur,
Quàm pius, integer, & religioſus eram.

Magiæ

Magiæ igitur crimen viro literatiſſimo Silveſtro impingunt,qui vel hoſtes, vel planè rudes ſunt: à quo tamen crimine eruditè eum liberat Onuphrius Panvinius in Platinam, qui ex Anonymo de rebus geſtis Francorum, Guilelmo Bibliothecario, & aliis adſtruit hunc doctiſſimum fuiſſe Mathematicum,& Philoſophum egregium, qui propter inſignem doctrinam Archiepiſcopus primò Rhemenſis, dein Ravennas, demum Romanus Pontifex evaſit. Epitaphium ejus ſepulchro inſculptum in Baſilica Lateranenſi auctore Sergio IV. Romano Pontifice, & Helgaldus Monachus Floriacenſis, qui ſumma fide ſcripſit vitam Roberti Francorum Regis, filii Hugonis Capeti, falſitatis redarguunt illos, qui contra Gerbertum ſcripsêre: Helgaldus enim Gerbertum hunc fuiſſe Hugonis Capeti Magiſtrum affirmat profeſſione Monachum Benedictinum, qui pro maximo ſuæ ſapientiæ meritò, qua toto fulgebat in Orbe, Hugonis Regis munificentiâ Rhemenſem Cathedram adeptus, multorum annorum ſpatio illam ſplendidè rexit; illâque derelictâ Ravennatium factus eſt Archiepiſcopus ab Othone III. cujus pariter Magiſter erat; dein ad Apoſtolatum Petri feſtinus aſcendens, multa in eo virtutum operatus eſt inſignia, & præcipuè in eleemoſyna ſancta, quàm uſque ad extremum ſuæ vitæ ſpiritum mira largitate exercuit, uniceque dilexit; ut nihil dicam de cultu divino aſſiduè promoto, & Cleri diſciplina collapſa in integrum reſtituta: Quæ neſcio an Magus, dæmoni jam addictus, ut ipſi ſtultè fabulantur, poſſet operari. At ſi Gerbertus cum Petro aliquando eſt lapſus, vel cum Saulo Chriſti Eccleſiam eſt inſectatus, cum Petro illum etiam fleviſſe, & ex Saulo in Paulum mutatum, dicendum eſt nobis; nam ſi contra Eccleſiam iniquo aliquando animo ſcripſit, in ſe reverſus eandem poſteà omnium pugnaciſſimè defendit, ut ipſa ejus ſcripta etiamnum exſtantia luculenter evincunt.

Liberatur à calumniis.

Liberalis in pauperes.

Romanus renuntiatus Pontifex, cùm accepiſſet Giſelerum Archiepiſcopum Magdeburgenſem duos tenere Epiſcopatus incompatibiles, contra doctrinam Apoſtoli, qui unius uxoris virum, hoc eſt unius Sponſæ Eccleſiæ, non duarum ſponſum eſſe Epiſcopum volebat, ei diem in Concilio Romano ſtatim initio Pontificatus habito ad cauſam dicendam dixit; cumque ille paralyſi percuſſus Romam ſe conferre haud poſſet, rem omnem ad Concilium Provinciale Germaniæ remiſit, à Commiſſariis Apoſtolicis decernendam.

Giſelerum Archiep Magdeburgenſem in ordinem redigit.

Cùm etiam Leonis Vercellenſium Epiſcopi merita in ſedem Apoſtolicam, ejuſque Eccleſiæ, in qua ſancti Euſebii cineres quieſcunt, neceſſitates expenderet, apud Othonem Imperatorem precibus egit, ut is Vercellenſem civitatem cum Comitatu eidem Leoni, & Vercellenſi Eccleſiæ donaverit, ſcripto Diplomate per manus Heriberti Cancellarii, quod extat in Tabulario Vercellenſi, & citatur à Baronio tomo X. Annalium.

Leoni Vercellenſi Epiſcopo ſuffragatur.

Summa etiam uſus eſt clementia Silveſter Pontifex in illos, quos olim acerrimos obtrectatores expertus fuerat; Arnulphum illum dignitatis, fortunarum, famæ & vitæ inſuper ſuæ hoſtem, non ſolùm vivere, ſed etiam Cathedræ Rhemenſi, ex qua ipſe illius artibus à Joanne XV. dejectus fuerat, inſidere, omniaque ejus Eccleſiæ

Arnulpho olim hoſti favet.

cleſiæ ornamenta geſtare permiſit, edito ea de re inſigni diplomate tanto Pontifice digno, quod legere quivis poterit apud Bzovium in ejus vita.

B. Adelaidi Imp. ſacros honores decernit. Cùm Adelais primi Othonis conjux, fœmina ſanctiſſima, & tam ſpiritu prophetiæ, quàm dono miraculorum clara, atque in cultu divino amplificando, ac pauperibus ſublevandis munificentiſſima, ex hac vita migraſſet, Silveſter rerum & vitæ illius gnarus, acta illius conſcripſit, & defunctam ſanctitatis titulo inſignivit, ac publicas preces dicendas in ipſius Miſſa, & horis Canonicis, in fine vitæ appoſuit. Publica quoque ſanctione Silveſter ubique locorum ſervari juſſit poſt ſolemnitatem omnium Sanctorum, *Commemorationem fidelium Defunctorum*, ut fidem facit Oldoinus in notis ad Ciaconium.

Othonem in Barbaros animat. Anno Chriſti 1000. Cùm Sarraceni terra marique in Campaniam delati, devaſtatis pluribus locis Capuam vi occupaſſent, Otho Imperator admonitus à Silveſtro valida manu barbaros aggreſſus, maxima ſtrage hoſtes devicit, Capuamque recepit. Ab ea victoria Silveſter Pontifex animo erectus, Cæſarem, alioſque Chriſtiani nominis Principes ad proſequendum feliciter bellum exhortatus, *Claſſicum canit contra Sarracenos.* ſacræ militiæ Claſſicum occinit, ad Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ſubſidium afferendum; introducens per Proſopopœiam ipſam Hieroſolymorum Eccleſiam Romanæ Sedi verba facientem, & univerſali Eccleſiæ in Epiſtola, cui titulus eſt: *Ex perſona Hieruſalem devaſtatæ, univerſali Eccleſiæ ſceptris Regnorum imperanti.* Recitat hanc Epiſtolam, quæ inter Epiſtolas Silveſtri vigeſima octava eſt, Baronius tomo XI. ad annum Chriſti 1003. n. 6.

Cæſenam ad obſequium revocat. Urbiventum, quæ eſt Urbs mediterranea in Etruria, Silveſter Pontifex profectus, Rempublicam ejus Civitatis multis ſalutaribus legibus vinxit; & Cæſenam Apoſtolico imperio rebellantem, admoto exercitu circumſedit, & ad obſequium Romanæ Sedis revocavit.

Coronam dat Stephano Ungariæ Regi. Eodem anno 1000. Stephanus Hungariæ Rex, miſſis Romam ad Silveſtrum legatis, ab ipſo Regni coronam petiit, & accepit. Quare, qui hactenus *Dux* fuerat dictus Hungarorum, ex hoc anno *Rex* appellatus eſt. Hungariæ verò Regnum eximio quodam religionis affectu & vinculo Romanæ Eccleſiæ devinctum, ſingularibus quibuſque beneficentiæ, favoris, & gratiæ privilegiis ornavit Silveſter. Neque ſolùm Coronam, Hungaris omni Regno chariorem, *Eidem Apoſtolatus inſigne concedit.* libens contulit, ſed Crucem ante Regem, ceu Apoſtolatus inſigne, deferendam indulſit: *Ego*, inquiens, *ſum Apoſtolicus, at ille meritò Chriſti Apoſtolus dici poteſt, cujus operâ tantum populum ſibi Chriſtus acquiſivit: qua de cauſa quemadmodum divina gratia ipſum docebit, Eccleſias Dei una cum populo, noſtra vice et ordinandas relinquimus.* Hæc Romanus Pontifex oretenùs, eademque litteris explicavit, dignis utique poſterorum memoria, & præcipuè eorum, quos tam inſignis facti à Romano Pontifice, tantique Regis, ad omnium Regum exemplum, religio ab eodem commendata delectat. Coronationem quoque Boleslai Polonorum Principis, Mieceslai filii, factam fuiſſe per Othonem III. auctoritate Silveſtri II. Pontificis, refert Staniſlaus Lubienski *Poloniæ Regi coronationē procurat.* Epiſco-

Epiſcopus Plocenſis in vita Martialis ſecundi Epiſcopi Plocenſis.

Anno Chriſti 1002. Otho Imperator religionis cauſa Caſſinum profectus, duas coronas argenteas, gemmis ac pondere inſignes S. Benedicto donavit, ac nudis pedibus Garganum montem, multis retrò annis Archangeli Michaëlis nomine celebrem, viſitavit. *Otho Imp. Caſſinum honorat.*

Interim Romani, novis excitatis tumultibus, Silveſtrum Pontificem, tanquam Cæſari nimiùm addictum, infeſtum habere cœperunt; ad quos motus compeſcendos Romam Otho citatus perrexit. Ubi verò, ſupplicio affectis ſeditionis auctoribus, Civitatem legibus firmare, atque in antiquum tranquillitatis ſtatum redigere niteretur, Romani ea re, tanquam libertati civicæ contraria, offenſi, novam conſpirationem adverſus eum inierunt, atque arreptis protinùs armis, occiſiſque nonnullis ex præſidio Cæſaris militibus, ipſum Cæſarem in Prætorio audaces obſederunt. Rebus tamen cum Proceribus pacificè tranſactis, Otho relictâ Româ in Lombardiam cum Pontifice Silveſtro ſeceſſit, ubi ægrotare incipiens, ex enatis in corpore puſtellis, XII. Kalend. Februarii anni 1002. beato fine quievit, ut teſtatur Ditmarus Epiſcopus Merſepurgenſis libro 4. *Fuit Otho III.* (teſte Ciaconio) *bellica virtute avo inferior, religione verò, & patre & avo multò ſuperior.* *Otho Romanos infeſtos habet.* *Moritur.*

Succeſſit in Imperio Henricus Bavariæ Dux, Othonis I. ex fratre uepos, Eghardo Thuringio fruſtrà renitente: ſuſcepit Imperium æmulatione Principum litigioſum; donec eminens virtus tam ſecuro Regno quàm juſto potita ſit. Is imperatoriis titulis *Sancti* nomen adjunxit, implevitque magnis virtutibus. Nec domi ſancto, foris gloria defuit; quam triplici in Italiam expeditione, Hardvico bis Longobardiâ pulſo, & ſeditione Ticinenſi oppreſsâ, collegit luculentam. Et ejus felicitatem vel infirmior ſexus promovit. Sanè Cunegundis beatitudinis Henrici maxima portio, Virgo nupta virgini, & in matrimonio eadem perſtans. Felices nuptiæ, & portento perſimiles, quibus virginitas pronuba, dos integritas, pudor ornamenta, & juncti ſunt animi, immunes corporum. Nec in Giſla ſorore deſideratus Henricus, quæ nupta Stephano Regi Hungarorum, Chriſto conjugem peperit, gentemque ferociſſimam ad religionem veram traduxit: quaſi in fatis eſſet, ut corruptiſſimo ſæculo per Germanas fœminas tota quaſi Europa Deo vinceretur. Porrò qualia virtutis rudimenta, quibus faſtigium ſanctitatis adepti Henricus Imperator, & Stephanus Rex, à fundamentis eminuit, qui ſuos docuêre virtutis veræ nullas eſſe cunas. *Ei ſuccedit Henricus cognomento claudus: poſteà inter Sanctos relatus.*

Anno ſalutis 1003. Silveſter Pontifex, prudenter integreque perſunctus munere Apoſtolico, IV. Idus Maji Romæ diem clauſit extremum, ſedis ſuæ anno quarto: Sepultus in Eccleſia Lateranenſi; cui ſequens Elogium funerale appoſuit Sergius IV. *Silveſter piè decedit.*

Ejus Epitaphium.

Iſte locus mundi Silveſtri *membra ſepulti*
Venturo Domino conferet ad ſonitum.
Quem dederat mundo celebrem doctiſſima Virgo,
Atque Caput mundi culmina Romulea.
Primum Gerbertus meruit Francigena ſede
Rhemenſis populi Metropolim patriæ.

Inde

Inde Ravennatis meruit conſcendere ſummum
Eccleſia regimen nobile, ſicq; potens.
Poſt annum Romam, mutato nomine, ſumpſit,
Ut toto Paſtor fieret Orbe novus.
Cui nimium placuit ſociali mente fidelis,
Obtulit hoc Cæſar Tertius Otho ſibi.
Tempus uterque comit clara virtute Sophia,
Gaudet & ſaculum, frangitur omne reum.
Clavigeri inſtar erat, Cælorum ſede potitus,
Terna ſuffectus cui vice Paſtor erat.
Iſte vicem Petri poſtquam ſuſcepit, abegit.
Luſtrali ſpatio ſacula morte ſui.
Obriguit mundus diſcuſſa pace Triumphus
Eccleſia nutans, dedidicit requiem.
Sergius hunc loculum miti pietate Sacerdos,
Succeſſorq; ſuus compſit amore ſui.
Quisquis ad hunc tumulum devexa lumina vertis,
Omnipotens Domine, dic, miſerere ſui.

OBIIT ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS MIII.
INDICTIONE PRIMA, MENSIS MAIJ DIE XII.

Nugæ Bennonis de Silveſtri morte exſufflanda.

Porrò nugas illas de obitu Silveſtri, ab homine Schiſmatico Bennone primùm excogitatas, mendacique ſtylo vulgatas, tomo x. Annalium in ipſius Silveſtri ingreſſu, eruditè refutavit Baronius, adeò ut nonniſi inter vecordes, levesque, atque penitùs ineruditos ſe conſtituat opus ſit, qui iisdem aliquam fidem adhibendam putârit.

S C R I P T A.

Silveſtri Scripta.

Scripſit ante Papatum virulentas *adverſus Decretales Pontificum* Epiſtolas, quas quidem Baronius tomo X. nervosè confutavit.

Scripſit item Dialogum pulcherrimum, cujus interlocutores ſunt ipſe, & Leo Nuntius Apoſtolicus.

Item De Arithmetica, ſeu de Numeris ad Conſtantinum Floriacenſem Monachum: extabat hic Tractatus M.S. apud Joannem Maſſonium Papyrii fratrem Archidiaconum Bojacenſem, ut ipſe teſtatur in Epiſtola Dedicatoria ad Antiſtites, & Clerum Galliæ, Operibus Silveſtri præfixa editis anno 1611.

Item de Sphæra lib. unum.
De Compoſitione Aſtrolabii lib. unum.
De Rhetorica lib. unum.
De Geometria lib. unum.
Epigrammata in Boëtii Imaginem.
Vitam S. Adalberti Archiep. Pragenſis Martyris.
Orationem, quam habuit in Synodo Moſonii, anno 995.

Prætereà ſcripſiſſe compertum habemus ante adeptum Epiſcopatum Rhemenſem Epiſtolas CLIX. quarum teſtimoniis uſus eſt Baronius in Annalibus. Prodierunt hæ Epiſtolæ ſeparatim è Bibliotheca Papyrii Maſſonii I.C. Pariſiis anno 1611.

Uni-

Unicam ejus Epiſtolam ad Azolinum, ſeu Adaberonem Epiſcopum Laudanenſem refert Binius tomo 7. Conciliorum.

Adimarus S. Martialis Lemovicenſis Monachus meminit *unius Conſtitutionis Silveſtri II.* de Vidone Vicecomite Lemovicenſi, turri captivum detinente Grimoaldum Præſulem Engoliſmenſem, qui Pontificem ſummum ſuper ſua cuſtodia appellavit: pœnaque eſt conſtituta in eos, qui captivitati traderent Epiſcopos, *ut viviequis in diverſa actis diſcerperentur.* Hanc Conſtitutionem referunt Papyrius Maſſonius, & Ciaconius. *Conſtitutio Silveſtri contra eos, qui Epiſcopos captivos detinent.*

Fuit etiam Silveſter *Hydraulicorum* reſtaurator inſignis, ſi non inventor: de quo Vincentius Bellovacenſis hæc habet: *Exiſtens Silveſter Archiepiſcopus Rhemenſis fecit arte Mathematica Horologium, & Organa Hydraulica, ubi mirum in modum per aqua violentiam implet ventus emergens concavitatem barbyti, & per multiforabiles tractus anea fiſtula modulatos clamores emittunt.* Horologii aquatilis, ſeu clepſydræ figura eſt Ravennæ in Herculis regione, quam Gerbertus conſtruxit Archiepiſcopus tunc Ravennas. Ob has igitur artes, aliaſque id genus ingenioſas Mathematices ſtructuras, quibus Silveſter utplurimum incubit, & quas rude ſæculum ceu monſtra ſupra naturam tantoperè, illam *de Magica artis exercitio* (quam diximus) calumniam ſubiit. Erat enim rudi illi ſæculo *Magia* quidquid ſupra captum vulgi erat: ſanis interim & prudentibus tantam ſimplicium ſtoliditatem ridentibus, & explodentibus. Hoc ferè modo *Trithemius* ſuo ævo, & noſtro *Athanaſius Kircherus* inſignes Mathematici, à ſtupidis *Magi* proclamati ſunt, nemine tamen doctorum impactam viris ingenioſis calumnia approbante. *Stultè Magiæ inſimulatur Silveſter.*

ANNO CHRISTI MIII.

Imperatore HENRICO II. Auguſto.

DE

JOANNE XVII. Pontif. Max.

CXLV.

JAcobus de Columna, qui ſcripſit hiſtoriam Romanorum Pontificum, apud S. Antoninum de duobus Romanis Pontificibus, qui dicti ſunt *Joannes*, nullam mentionem facit, ſed ſtatim Silveſtro II. Sergium IV. annectit, contra ferè omnium, qui de Rom. Pontificibus ſcripſêre ſententiam. Ego verò cum Baronio, Ciaconio, Oldoino, & aliis, poſt Silveſtrum Papam pono Joannem: ad evitandam tamen in numero Romanorum Pontificum confuſionem, & perplexitatem, quæ lectoribus moleſtiam poſſet afferre (nullum interim præjudicium veritati inferendo) nomino Joannem hunc Decimum ſeptimum, ut Succeſſorem ipſius Decimum octavum: Nefarius enim ille, qui ſedit in Schiſmate contra Gregorium V. Joannes Placentinus (dictus *Philagatha*) indignus penitùs eſt, qui legitimi Pontificis nomine cenſeatur. *Silveſtro ſuccedit Joannes XVII. cognomento ſiccus.*

Joannes igitur XVII. cognomento *Siccus*, patria Romanus

 non

Obiit eodem, quo electus eſt, anno.

(non ignobili genere, ut Platina, Ciaconius, & Panvinius credidêre, ſed nobiliſſimo & antiquiſſimo natus, ut ex Indicibus Romanis Baronius, & ex actis publicis Palatius contendunt & probant) mortuo Silveſtro II. favore Comitum Tuſculanorum, ſucceſſit in Pontificatu VII. Idus Junii anno ſal. 1003. Imperii habenas moderante S. Henrico II. Imperatore: ſeditque non niſi menſes quatuor, & dies 25. De quo ob Pontificatus brevitatem nihil memoria dignum legitur. Scribit quidem Palatius, multa Joannem digna Pontifice cogitâſſe, ſed timore Tuſculanorum Comitum, ſublato Othone III. impotenter dominantium, perterritum nihil effectui mandâſſe, contentumque fuiſſe Romanum legitimè aſcendiſſe Pontificatum, & deſcendiſſe ſine tumultu. Obiit autem Romæ pridie Kal. Novembris eodem, quo electus eſt, anno 1003. ſepultus in Eccleſia Monaſterii S. Sabbæ in Cella Nova.

SCRIPTA.

Nihil ſcripſiſſe Joannes hic invenitur præter Diploma Baſilicæ Vaticanæ conceſſum, cui ſubſcripſit Petrus Epiſcopus Oſtienſis, teſte Oldoino.

Joannes annuam diſunctorum Commemorationem in Eccleſia jam ante obſervari ſolitam decreto confirmat.

Scribunt nonnulli, inter quos Joannes Stella Venetus, & Andreas Ducheſnius præcipui, Joannem hunc *Mortuorum Commemorationem* poſt feſtum omnium Sanctorum ab Odilone Cluniacenſi Abbate jamdiù inſtitutam, univerſali Eccleſiæ obſervandam Apoſtolicis litteris mandâſſe. Hiſce tamen Auctoribus adverſantur Baronius in Romano Martyrologio die XI. Novembris, & Oldoinus in additionibus ad Ciaconium, ex hoc maximè capite: quòd ducentis propè annis ante Odilonem Amalarius Fortunatus Trevirenſis (qui tempore Ludovici Pii vixit) in Libro *de Antiphona cap. 65.* ſcripſiſſe inveniatur: *Poſt Officium Sanctorum inſervi Officium pro mortuis: multi enim tranſierunt de præſenti ſæculo, qui non illicò Sanctis conjunguntur: pro quibus ſolito more officium agitur.* An verò ex decreto Pontificum hæc fieret *Commemoratio?* an poſt Sodalitium in gratiam defunctorum ſub Joanne XIV. inſtitutum? an poſt Odilonem? incerta omnia. Oldoinus exiſtimat *Commemorationem hanc* dudum ante Joannem XVII. inſtitutam, & ab Eccleſia receptam in uſu fuiſſe; à Joanne verò poſteà decreto firmatam fuiſſe, uti etiam ab ejus Prædeceſſore Silveſtro factum legimus. Vide, quæ hac de re diximus in Purpura docta lib. 1. num. 3. in vita Amalarii Fortunati Card.

ANNO CHRISTI MIII.

Imperatore S. HENRICO II. Auguſto.

De

JOANNE XVIII. Pontifice Max.

Joan-

CXLVI.

S. Tagmonem Archiep. Magdeburg. conſecrat.

JOannes XVIII. cognomento *Phaſan*, Romanus ſtatim ut electus eſt Romanus Pontifex Legatum mitit in Germaniam Magdeburgum ad conſecrandum novum Archiepiſcopum Tagmonem, diſcipulum olim S. Wolfgangi Epiſcopi Ratiſponenſis, præſtanti vita & doctrina virum, cui Eccleſiæ, ab Othone Magno erectæ, conceſſum fuerat à Romano Pontifice privilegium, ut non niſi per Romanum Pontificem conſecratio ejus fieri deberet : ſed cùm ob tumultus Urbis à Tuſculanis excitatos Joannes Pontifex loco abeſſe non poſſet, nec electus Tagmo Romam ſe conferre, miſſus eſt Legatus Apoſtolicus ad id munus nomine Pontificis explendum. Erexit etiam Epiſcopatum Bambergenſem ad preces Henrici Imperatoris, ut ſcribunt Sigebertus, & Ditmarus anno ſalutis 1004.

Bambergenſem Epiſcopatum erigit.

Fulbertum creat Epiſc. Carnotens.

In Galliis Fulbertum virum ſanctitate & doctrina inſignem, ex Monacho Carnotenſi ad Infulas Carnotenſes aſſumptum, miſſo diplomate confirmavit ; & ad ejusdem poſteà preces , Rodulphum Comitem, qui jura Carnotenſis Eccleſiæ invaſerat, atque Clericum obſiſtentem propriis manibus interfecerat, anathemate defixit. Sancto Brunoni Epiſcopo ad Pruſſiæ populos Chriſtiana fide imbuendos Apoſtolatum contulit, quem cùm ritè perfeciſſet, à barbaris martyrio affectus eſt. Pallium Sancto Elphego, ex Wintonienſi ad Cantuarienſem Eccleſiam translato, Romæ dedit.

S. Elphego pallium concedit.

Eccleſiam Conſtantinop. cum Latina jungit.

Auctore Joanne XVIII Conſtantinopolitanam Eccleſiam cum Romana in Catholica communione fuiſſe conjunctam teſtatur Petrus Epiſcopus Antiochenus in Epiſtola ad Michaëlem Cærularium; id ipſum teſtatur etiam Epitaphium Joanni poſt obitum erectum, ut videbimus infrà.

Hæreſis Berengariæ initium.

Bonifacius Ruſſiæ Apoſt. & Martyr.

Hujus Joannis temporibus Leutherius Senonenſis Epiſcopus hæreſis Berengarii primordia, & ſemina ſparſit; & licèt Leutherius multos ab Eccleſia Romana nova hæreſi removere ſtuduerit , Bonifacio tamen auctore in Ruſſia plurimi ad ſacrum baptiſma confluxêre, inter quos Rex ipſe, qui cœleſti lavacro expiatus, filio Regnum relinquens, quàm diu Bonifacius vixit, ab eodem ſeparari nullatenùs voluit : martyrii palmam paulò pòſt Bonifacius eſt aſſecutus.

S. Everhardi Martyrium.

Carnoti quoque in Gallia vir ſanctiſſimus Everhardus impiorum manibus occubuit , qui percuſſus in percuſſores ſuos , dum ſuis artubus inhæſit ſpiritus, illud Stephani Protomartyris inclamavit : *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.*

Joannis obitus.

Sub hoc pariter Pontifice, lethali morbo, qui totam penè Urbem invaſerat , quamplurimi mortalium interierunt ; deſtillatio enim deſcendens in fauces, meatusque vi obſtruens, homines ſuffocatos confeſtim mori cogebat. Quo morbo, ſunt qui putent, ipſum quoque Joannem Pontificem correptum, xv. Kalendas Augufti anno à partu Virginis 1009. Pontificatus ſui anno ſexto nondum exacto, neceſſiſſe : Sepultus ad S. Petrum, hoc Elogio marmori inciſo meruit honorari : principium vetuſtate exeſum deſideratur.

Epitaphium.

Quàm ſolers Domino placuit, quàm mente modeſta,
Præſul Apoſtolicus, Orbis & omne decus.
Hic ſtatuit tumulo claudi ſua membra ſub iſto,
Hæc eadem ſperans ut ſibi reddat humus.
Ardua qui fulſit cunctis per ſidera cæli,
Auguſtis charus, gentibus, & tribubus.
Doctrinis comptus ſacris, & dogmate claro,
Per patriam ſancta ſemina fudit ovans.
Nam Græcos ſuperans, Eoi partibus unam,
Schiſmata pellendo, reddidit Eccleſiam.
Principis hic Petri quiſquis contendis ad Aula,
Dic ſupplex idem regnet ut arce Poli.

Hoc Epitaphium Ciaconius Joanni XIX. adſcribit, contra Baronium & alios, illud Joanni noſtro applicantes.

SCRIPTA.

Scripta.

Scripſit Joannes XVIII. Epiſtolas quaſdam tam ad Græcos, quàm ad alios, ut colligitur ex ejus vita apud Ducheſnium. Ad Fulbertum Carnotenſem Epiſcopum litteras Joannem dediſſe extra dubium eſt, quod etiam ex Fulberti reſponſoriis clarè apparet. Ciaconius in vita variorum Diplomatum à Joanne editorum mentionem facit. Fuiſſe verò Joannem virum ſacra eruditione præſtantem conjici poteſt ex Epitaphii verſu ſeptimo, & octavo, ubi *doctrinis comptus, & clarus dogmate ſacro* depredicatur.

ANNO CHRISTI MIX.
Imperatore S. HENRICO II. Auguſto.

DE

SERGIO IV. Pontifice Maximo.

CXLVII. *Falsò primus cognomen mutaſſe dicitur.*

Sergius IV. Romanus, Monachus quondam Benedictinus, Petrus *Bucca porci* anteà vocatus, ſtatim atque electus eſt Romanus Præſul, ob reverentiam Apoſtolici culminis inhoneſtum nomen mutare, atque Sergius appellari voluit. Hinc enatam permutandorum in ſucceſſoribus nominum occaſionem quidam contendunt. Quamvis ante Sergium IV. nonnullos Romanos Pontifices nova nomina aſſumpſiſſe Hiſtoriæ peritis exploratum ſit.

Vir magnarum virtutum.

Fuit verò Sergius, ut Ciaconius ex Platina fidem facit, vir ſanctiſſimæ vitæ, gratæque conſuetudinis; in pauperes liberalis, in amicos jucundus, in familiares comis, in delinquentes clemens, in contumaces modeſtus, ante & in ipſo Pontificatu omnibus norma piæ converſationis. Tantæ prætereà prudentiæ & integritatis, ut durante ſuo Pontificatu nihil ab eo commiſſum notetur, quo meritò

meritò gubernantis modus reprehendi poſſit. *In Deum enim*, inquit Platina, *omnem mentem convertens (quod facere Pontifices omnes deberent) juſtè, atque integrè omnia ex animi ſui ſententia, & moribus inſtituti ſui gubernabat.*

Intereà prudenti Sergii conſilio, & monitionibus Principes Italiæ, compoſito fœdere, conſilia ineunt pellendi Sarracenos è Sicilia, quam per multos annos maximo Italiæ detrimento detinuerant. Itaque maximis copiis inſtructi, Sarracenos aggrediuntur, cædunt, profligant, pellunt. *Eo auctore Sarraceni è Sicilia pelluntur.*

Scribit Ciaconius, huic Sergio viſum & Cardinalibus, Principibusque viris Urbis Romæ, Imperium Romanum Germanicæ genti tribuere, quòd ea natio (afflictâ præſertim tum Hiſpaniâ, Galliâque ad novos Reges recens translatâ) omnium Europæ Provinciarum aptiſſima juxtà ac potentiſſima videretur, quæ tantam dignitatem cum decore & majeſtate ſuſtinere poſſet. Decretumque, ut in poſterum digniſſimus tantùm eligeretur, & quem Romana Eccleſia approbaret, qui Cæſar & Rex Romanorum appellatus, tum demum Imperator & Auguſtus haberetur, cùm eum Romanus Pontifex ex Dei nomine confirmaſſet. Hos autem Imperatoris eligendi jus & auctoritatem primò habuiſſe, Ptolemæus refert, Archiepiſcopum Moguntinum Germaniæ, Archiepiſcopum Trevirenſem Galliæ, Archiepiſcopum Colonienſem Italiæ nomine. His additi quatuor Principes, Marchio Brandeburgenſis, Imperatoris electi Camerarius; Comes Palatinus, Dapifer; Dux Saxoniæ, Enſifer; & Rex Bohemiæ, Pincerna. Hæc quidem Ciaconius ex Scriptoribus Italis Ptolemæo, Ricordano, & Villano. Cæterùm de Electorum Septemviratu, an à Gregorio V. vel à Silveſtro II. aut à Sergio IV. vel denique Gregorio X. aut ab alio quovis Pontifice Romano inſtitutus ſit? tam variæ, tamque pugnantes ſententiæ ab Auctoribus circumferuntur, ut cui fidem tutò adhibeas, haud facilè ſcias. Legi poteſt de his Baronius, Bellarminus, Morerius, ac quàm maximè Aurea Bulla Caroli IV. Imp. Mihi hiſce immerari nec vacat, nec libet. *Imperium Romanum ad Germanos transferre ſtudet.*

Sedente Sergio in Petri Cathedra, Romæ in quadam Eccleſia per integrum diem oleum ſcaturiit, ex quo vas plenum à Sergio miſſum eſt in Germaniam ad Henricum Imperatorem, ut narrat Ditmarus integerrimus hujus temporis Scriptor. Paulò antequam prodigium hoc Roma aſpiceret, Hieroſolymorum Templum, quod Salvatoris noſtri ſepulchrum continebat, funditùs everſum fuit. Id, ut acciderit, paucis habe: Anno ſalutis 1010. Sergii IV. ſecundo, perfidi Judæi, qui Aureliæ degebant in Gallia, clàm miſſo Legato, quem auro corrumperant, Roberto Cœnobiarcha fugitivo S. Mariæ Melerenſis, Babylonem ad *Ammiratum*, ſeu ut alii habent *Azzitium* Principem Sarracenorum, falſò excitarunt vaticinio, ut niſi quantocyùs ſubverteret Sepulchrum D. N. J. Chriſti, Chriſtiani ſubverſuri eſſent regnum ejus. Quibus auditis, furore ſuccenſus miſit protinus, qui everterent Templum Hieroſolymitanum; concavum Sepulchri tumulum ferro quaſſare tentates, non valuerunt. Brevi tamen patuit Judæorum perfidia per Orbem univerſum: unde com- *Oleum Romæ ſcaturit.*

Demolitio Templi Hieroſolymitani.

muni Chriſtianorum conſenſu, urbibus pulſi, gladio cæſi, aqua ſubmerſi meritas execrandi facinoris dedêre pœnas. Tunc quoque decretum ab Epiſcopis, ut cum Chriſtianis nullo immiſcerentur negotio, niſi baptiſmo perfidiam abluerent : quorum plurimi metu mortis coacti, mentientes ſuſceperunt, paulò pòſt ad perfidiam revertentes. Divina autem propitiante clementia, ejuſdem Ammirati Principis mater Maria nomine, religione orthodoxa reædificavit Templum Domini lapidibus quadris. *Ita Glaber, Curopalates, Cedrenus, & alii*

S. Tagmonis obitus.

Hoc etiam tempore ex hac vita migravit Tagmo Archiepiſcopus Magdeburgenſis, vir ſanctitate, & miraculorum gloria conſpicuus, cujus virtutum Elogium breviavit his verbis Ditmarus: *Quinto Idus Junii non obiit, ſed ad Chriſtum, quem ſemper amavit, latus abiit Tagmo.* Anno autem noſtræ ſalutis 1011. Henricus Imp. ad Dedicationem Baſilicæ Bambergenſis, à ſe conſtructæ, cœtum plusquàm XXX. Epiſcoporum convocavit, inter quos adfuit Joannes Patriarcha Aquileienſis, & Ditmarus Epiſcopus Merſepurgenſis; cujus conventus occaſione celebrata eſt Synodus, in qua controverſiæ inter nonnullos Epiſcopos diù agitatæ, Patrum judicio ſedatæ.

Conſecratio Templi Bambergenſis.

Sergius moritur.

Quod verò Sergium ipſum ſpectat, rebus humanis ereptus eſt die 12. Maji anni 1013. ſæviente adhuc in Urbe peſtilentia, qua periiſſe ſcribitur, cùm ſediſſet annos tres, nonnulloſque menſes, tumulatus in Eccleſia Lateranenſi cum hoc Epitaphio etiamnum extante.

Ejus Epitaphium.

Quisquis ad hac tendis ſublimia limina lector,
Et caperis tanta nobilitate domus:
Lumina cum greſſu prudens arguta coërcens
Reſpice ſollicitus, quid velit hic Titulus?
Hic tumulata jacent Paſtoris membra ſereni,
Quem Deus Eccleſia contulit omnipotens.
Pauperibus panis, nudorum veſtis opima,
Doctor & egregius qui fuit in populo.
Jura Sacerdoti latas dum videt ariſtas,
Cætibus aquavit naviger Angelicis.
Albanum regimen luſtro venerabilis uno
Rexit, pòſt ſummum ducitur ad ſolium:
In quo mutato permanſit nomine Praſul
Sergius *ex Petro ſic vocitatus erat.*
Ductus mente pia JESU dic parce Redemptor,
Utq; vicem capias, dic Deus hunc habeas.

QUI SEDIT ANNOS III. ET MENSES VIII. ET DIES XII. OBIIT MENSIS MAIJ DIE XII. INDICTIONE X. ANNO MXIII.

SCRIPTA.

Scripta.

Scripſit Sergius vir valdè doctus Epitaphium Silveſtri II. Papæ, nec non Epiſtolas quamplures. Marius Vipera in Chronologia Archiepiſcoporum Eccleſiæ Beneventanæ Litteras Sergii IV. ad Alfanum ſecundum Archiepiſcopum datas de uſu Pallii affirmat ſe vidiſſe

diſſe

diſſe in Bibliotheca Beneventana, quibus etiam Larinenſem Epiſcopatum ejus ditioni ſubjiciebat. Litteras quoque dedit ad Ditmarum Epiſcopum Merſepurgenſem in Saxonia, illique, ut petierat, ſuæ Eccleſiæ privilegia confirmavit. Scripſit etiam alia nonnulla opera ex Poſſevino, qui eapropter illum inter Scriptores Eccleſiaſticos numerat. Quænam verò ea ſint opera, cùm ille non indigitet, divinare non poſſum.

ANNO CHRISTI MXIII.

Imperatore S. HENRICO Auguſto.

DE

BENEDICTO VII. Pontif. Max.

CXLVIII

Pontifex electus Henricũ Imp. fœdere ſibi jungit.

Benedictus VII. Romanus, ex Comitibus Tuſculanis, poſt obitum Sergii, propinquorum operâ juxtà ac Cleri ſuffragio Pontifex maximus creatus, ante omnia Henricum Imperatorem fœdere ſibi junxit; cujus auctoritate ingruentes in ſe inimicorum procellas ſemel iterumque perdomuit, ut paulò mox dicturi ſumus.

Fidei Symbolum in Miſſâ recitari mandat.

Benedictus primo ſuæ ſedis anno, Fidei Symbolum in ſolemni ſacrificio Miſſæ, rogatu Henrici Imperatoris, poſt Evangelium Romæ recitari juſſit: illud enim Romani Presbyteri in ſolemnioribus ſacrificiis adhuc non recitabant, ex eo quòd Romana Eccleſia nunquam ulla hæreſeos fæce fuiſſet infecta, ſed ſecundùm ſancti Petri doctrinam in fide Catholica ſemper permanſiſſet inconcuſſa. Pallia dedit tribus Archiepiſcopis, Unvano Hamburgenſi, & duobus Salernitanis, Benedicto, & Amato Juniori, ejuſdem Benedicti ſucceſſori.

Schiſma inter Benedictum & Gregorium quendam.

Inter hæc Romani cives Benedictum Cæſari addictum averſati, conflata ſeditione illum throno ac Urbe pellunt, atque in ejecti locum Gregorium quendam contra ſacros canones intrudunt. Is occupata nonnullorum menſium intervallo ſancta ſede, ut audivit Henricum Imperatorem rogatu Benedicti cum copiis in Italiam venire, ad evitandam ejus iram, relicta protinus ſede, urbe profugus exceſſit. Benedictus exacto æmulo reſtitutus, adventantem Romam Henricum cum Auguſta conjuge maximo quo potuit apparatu excepit, indeque ſolemni ceremonia corona Imperiali cum uxore condecoratum pomo aureo, ſeu orbe primus donavit. Narrat hæc fuſiùs ex Glabro tum vivente & ſcribente Baronius ad annum *1013. n. 5. & 6.* ubi etiam de globo aureo cum cruce à Benedicto Henrico donato agit.

Benedictus Henricum Imp. coronat.

Sarracenos ex Italia pellit.

Peracta coronatione, Benedictus Henrici copiis fultus, expeditionem adverſus Sarracenos ſuſcepit, illoſque ingenti ſtrage ſuperatos tota fermè Italia expulit. Tum Caſſinum, Domino exercituum pro parta victoria gratias dicturus, cum Cæſare præceſſit. Ibi Henricus dolore calculi jactatus graviter decubuit, *Noctu cubanti*

ti

Henricus Imp. Caſſini à morbo calculi curatur.

ti (ſunt verba Ciaconii in vita Benedicti VII.) *apparuit S. Benedictus, & quoniam vulgari fama deceptus, verenè ibi ſancti Benedicti corpus ſitum eſſet, ſubdubitaret; dubium omne ſuſtulit illi glorioſus Confeſſor, aſſerens ſua ibi oſſa quieſcere; & in hujus rei ſignum, futurum, ut cùm mane ſurgeret, tres calculos eliceret qui morbi & doloris cauſa fuiſſent, ac tum plenè ſanitati reſtitueretur. Id eventus comprobavit, Ille præſenti beneficio S. Benedicti ſanatus, Monaſterium maximis muneribus remuneravit.* Eleganter iſthæc omnia proſequitur Leo Oſtienſis in Hiſt. Caſſinenſi *lib. 2. c. 42. & 43.* & Baronius ad annum *1022. n. 9. 10. & ſeqq.* ex eodem Leone.

Benedicti obitus.

Porrò cùm ſediſſet Benedictus Papa annos decem ac nonnullos menſes (juxta Oldoini calculum ad Baronii cenſuram emendatum) obiit Romæ tertio Kalendas Martii anno noſtræ ſalutis 1024. ſepultus ad S. Petrum: Cujus animam poſt Purgatorii pœnas ſalvam factam precibus S. Odilonis Abbatis Cluniacenſis teſtatur Petrus Damiani in Odilone.

Sanctorum virorum obitus.

Sedente Benedicto in Cathedra Petri, ad Deum feliciter migrarunt Lievizo Archiepiſcopus Bremenſis; Macarius Patriarcha Antiochenus; Simon genere Armenus, profeſſione Anachoreta; Ditmarus Epiſcopus Merſepurgenſis, & Heribertus Archiepiſcopus Colonienſis, omnes ſanctitate, plerique miraculis quoque clari. Licèt autem hos Romana Eccleſia amiſerit viros, non tamen lachrymis proſecuta eſt illorum mortem; nam pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eſt: lachrymas verò continere haud potuit, cùm

Sclavi à fide deficiunt.

Sclavos vidit à fide Chriſtiana defeciſſe: hi enim à Chriſto ſegregati, more Apoſtatarum adverſus fideles ſæviſſimi, ingentem ac planè inhumanam in Chriſtianos, nulli ſexui aut ætati parcentes, exercuerùnt carnificinam. Hanc verò Eccleſiæ calamitatem portendit imber ſanguineus, qui iis in regionibus cecidiſſe proditur.

S C R I P T A.

Scripta.

Scripſit Benedictus VII. epiſtolas varias ad varios, præſertim ad Monachos Caſſinenſes, quibus plura privilegia conceſſit, & dona obtulit ſepulchro S. Benedicti; quando illud in conſortio Henrici Imp. inviſit.

Marius Vipera in Chronologia Epiſcoporum Beneventanæ Eccleſiæ affirmat vidiſſe ſe in Bibliotheca Beneventana plures hujus Benedicti litteras, datas ad Alfanum Archiep. Benevent. *De Pallio: de Conceſſione Eccleſiarum Sipontina, & S. Michaëlis Archang. in Gargano:* & *de aliis Eccleſiis ſuffraganeis.*

Extat etiam apud Ughellium *tom. 2. Ital. ſac.* egregium Benedicti *litterale Monumentum*, Sigefridi Epiſcopi Placentini precibus Monaſterio Sabiniano conceſſum, in quo omnia, quæ idem Epiſcopus dicto Monaſterio dono dederat, confirmantur.

Nec ſemel ſed pluries ad S. Henricum Imp. cum Schiſmate urgeretur, ſcripſiſſe litteras reperitur.

Legitur etiam inſignis epiſtola Benedicti, Tomo 9. Conciliorum inſerta, data ad Epiſcopos Burgundiæ & Aquitaniæ contra iuvaſores Bonorum Eccleſiæ, quibus anathema intentatur.

ANNO

ANNO CHRISTI MXXIV.

Imperatoribus S. Henrico II. & Conrado II. Auguſtis.

D E

JOANNE XIX. Pontifice Max.

CXLIX.

Diverſa Auctorum circa Joannis ingreſſum opinio.

SCribunt Ciaconius, Wion, Bucelinus, horumque ſequaces, Joannem XIX, patria Romanum, genere Comitem Tuſculanum, profeſſione monachum Benedictinum, dignitate Epiſcopum Portuenſem, rariſſimo exemplo, Benedicto VII. germano fratri non largitione pecuniæ, ſed legitimis ſuffragiis in Pontificatu ſucceſſiſſe. At recentiores his Auguſtinus Oldoinus *in addit. ad Ciac.* P. Chriſtophorus Ott *in ſua Roma glorioſa*, & Jo. Palatius *in ſerie Pontificum Romanorum* facto diligentiori in acta Joannis examine, contendunt Joannem hunc adhuc laicum vi & largitione auri poſt obitum Benedicti fratris in ſanctam ſedem irrupiſſe: poſteà tamen Benedicti fratris in purgatorio graviter torti apparitione perterritum uſurpato ſe Pontificatu abdicaſſe, ac tum demum vitâ meliori inſtitutâ, accedente Cleri conſenſu, legitimè ſedere cœpiſſe. Probant id ex ingenuo, ac ipſi Joanni contemporaneo auctore Rudolpho Glabro *lib. 4. cap. 1.* illegitimum Joannis ingreſſum hiſce verbis deſcribente: *Erat Joannes iste, cognomento Romanus, frater illius Benedicti, cui in epiſcopatum ſucceſſerat largitione pecuniæ, repentè ex laicali ordine neophitus conſtitutus Præſul &c.* Anteà itaque, ſubinfert Palatius, Papa hic non Joannes appellabatur, ſed Romanus; neque monachus, aut ſacerdos, aut Epiſcopus erat, ut perperàm laudati auctores ſcribunt, ſed laicus; neque legitimis ſuffragiis electus, ſed vi & auro intruſus: licèt poſteà viſione perterritus, emendatâ vitâ, Cleri aſſenſu pro canonico ſit habitus.

Joannes adhuc laicus, largitione Pontificatū adipiſcitur.

Græci tentant muneribus corrumpere Joannē.

Cognitâ itaque Pontificatus uſurpatione per Joannem factâ, Baſilius Orientis Imperator, & Euſtathius Patriarcha Conſtantinopolitanus conſilium inierunt, quomodo Græcorum Eccleſia in ſuo orbe *Univerſalis* diceretur, ſicut Roma in univerſo. Propitia videbatur occaſio Joannis, qui cùm emiſſet Pontificatum, ut expenſas repararet præteritas, haud ſpreturus munera videbatur. *Statim itaque* (inquit Glaber loco citato) *miſerunt, qui multa ac diverſa donorum xenia Romam deferrent, tam Pontifici, quàm cæteris, quos ſuæ parti favere conſpicerent, diſpertienda: Ubi advenientes expoſuerunt ſuæ profectionis cauſam. Sed quid non penetrat cæcus amor habendi? eſt proverbium: aureo pugillo murum frangi ferreum. Mox namque, ut videre Græcorum ſibi deferri fulgidas opes, verſum eſt cor illorum ad fraudulentiæ diverticula, percuntantes an fortè clanculò concedere poſſent, quod petebatur. Sed nequaquam. Non enim falli poteſt ſumma veritas, quæ ſpopondit; Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Dum ergo adhuc leni ſub murmure hujuſce machinatores in Conclavi ſe ſe putarent talia tractaviſſe; velox fama de ipſis per univerſam Italiam decurrit. Sed qualis tunc tumultus, quàm vehemens commotio per cunctos extitit, qui audierunt, dici non valet. Præcipuè tamen vir pruden-*

Joannes, ne Græcos audiat, ab Abbate Willelmo monetur.

tiſſimus, Pater videlicet Willermus, ad Romanum Pontificem de hac re miſit epiſtolam, corpore quidem brevem, ſed materia ingentem, ac ſermone gravem; qua ei ſuades, ne Græcorum Legatos audiret, munera non acciperet, petitionem negaret &c.

Obſequitur Joannes, Græcosq; vacuos remittit

Tanti ponderis epiſtola hæc fuit, ut Joannem omninò, ne ultrà in negotio procederet, cohibuerit; ac Græcos, datâ repulsâ, vacuos remiſerit, ut patet ex epiſtola S. Leonis Papæ IX. ad Michaëlem Orientis Imperatorem. Fuit autem Willermus Abbas S. Benigni Divionenſis, de quo laudatus Glaber *lib. 3. cap. 5.* hæc habet: *Erat Willermus vir acri ingenio, inſigniq; prudentia*: idcircò ſummum in palatiis Regum, ac cæterorum Principum obtinebat locum. Quodcunque Monaſterium proprio viduabatur paſtore, ſtatim compellebatur à Regibus & Pontificibus, *ut illud meliorandi gratia ad regendum ſuſciperet: quoniam ultrà cætera, divitiis, & ſanctitate, ipſius patrocinio aſſumpta cernebantur excellere monaſteria.*

Willermus Abbas quis?

Joannes correctus ſanctè munere ſuo fungitur.

Cæterùm Joannes non tam terrifica Benedicti fratris viſione correptus, quàm ſalubribus Willermi Abbatis monitis correctus, Magiſtratum, quem peſſimè occupaverat, optimè adminiſtravit, diſſolutum reformando Clerum; ſeditioſum tranquillando populum; depreſſam erigendo juſtitiam; inolita abigendo vitia; Monaſteria, Templa, Oratoria, altaria erigendo, reparando, exornando; atque omnibus exemplo probatiſſimæ vitæ prælucendo; quanquam iniquiſſimo eo tempore, ut auctores contemporanei conqueruntur, omnes ad ſalutaria obſurdeſcerent, nullusque ferè ſanctitati locus, prædominante improborum licentia, relinqueretur.

S. Henricus Imp. moritur

Sedente Joanne in Petri ſolio, anno ſalutis 1024. tertio Idus Julii magno Germaniæ luctu ſanctiſſimus juxtà ac glorioſiſſimus Imperator Henricus II. moribus, vita, & converſatione angelus, è terreno ad regnum cœleſte evocatus eſt propè Halberſtadium, magnificentiſſimo tumulo conditus Bambergæ, quam Urbem Epiſcopali ſede, pluribus Eccleſiis, Monaſteriis, redditibus, donis, ac privilegiis ampliſſimis illuſtraverat. De quo Leo Oſtienſis *lib. 2. cap. 47.* præclarum poſteritati reliquit teſtimonium in hæc verba: *Ad mortem veniens Henricus, præſentibus Epiſcopis, Abbatibus, Proceribus, Chunegundam conjugem manu prehenſam, propinquis hoc elogio conſignâſſe traditur: recipite, quam mihi tradidiſtis, virginem veſtram.* Concordant publica Eccleſiæ Romanæ acta. Gloriatur jure Germania noſtra uno ſe edidiſſe partu Auguſtum & Auguſtam ſanctos Imperatores, angelis quàm hominibus propiores, inter *Sanctos* eo tempore relatos, quo inundantibus vitiis *omnis* pænè *Sanctitas*, mundo in maligno poſito, naufragium feciſſe videbatur.

Ejus laus ex Leone Oſtienſi.

Conradus Salicus Auguſtus dicitur, & coronatur.

Anno quo obiit Henricus, Conradus II. cognomento *Salicus* Dux Franconiæ & Sueviæ, Principibus ab eodem Henrico commendatus, eorum ſuffragiis triennio poſt lectus eſt Auguſtus; heros rerum geſtarum gloria cum fortiſſimo quovis optimoque Principe facilè comparandus, ni tantam famam inceſtuoſo connubio, quod diſſolvi noluit, polluiſſet. Ferunt tamen diſpensâſſe cum eo Joannem Pontificem, à quo Romæ in Baſilica Vaticana ipſo Reſurrectionis die anno ſalutis 1027. Imperii coronam accepit.

Anno

Anno verò 1026. ante Coronationem Conradi, menſe Decembri Baſilius II. Imperator Græcorum, ætatis ſuæ anno 70. Imperii 50. repentino morbo correptus corruit exanimis, relinquens Imperium integrum fratri ſuo Conſtantino, ventris Veneriſque mancipio potiùs, quàm Imperatori. Conſtantinus triennium ſuperſtes, Rempublicam inertiâ, prodigalitate, ſcortatione, & crudelitate afflixit: inter cætera flagitia id unum maximè curans, ut Zoæ filiæ jam quinquagenariæ pararet Imperium, quod nec perfecit ſine novo flagitio, dato illi in matrimonium Romano duce Græcorum, à legitima uxore abire juſſo.

Baſilius Græcorum Imp. moritur, ei ſuccedit Conſtantinus.

Scribit Glaber *lib. 4. cap. 8.* Conradum Imperatorem anno ſalutis 1033. iterum in Italiam cum exercitu deſcendiſſe ad tumultus abs ſeditioſis tum in Cæſarem, tum maximè Pontificem excitatos, compeſcendos. *Itaque redactâ armis in ordinem Italiâ, cùm die natali Apoſtolorum in Eccleſia B. Petri* (ſunt ipſa Auctoris verba) *quidam de Principibus Romanorum, facta conſpiratione, in Pontificem inſurrexiſſent, cupientes illum interimere, Pontifex furori earum cedens, periculo ſe quidem ſubduxit, atque ita ſua ſede à factioſis expulſus eſt. Id reſciens Cæſar, pro ſua in ſanctam ſedem reverentia Romam profectus, affectis ſupplicio ſeditionis auctoribus Jaannem Papam debito honori reſtituit.*

Conradus Imp. Joannē Papam à conſpiratione Romanorum liberat.

Eodem anno 1033. jam jam in occaſum declinante, Joannes mœrore conſumptus, quòd corruptis Romanorum moribus diſciplinam Eccleſiaſticam reparare non poſſet, VI. Idus Novembris rebus humanis exemptus eſt, poſtquam muneri ſuo cum laude præfuiſſet annos novem, menſes octo, dies decem: ſepultus in Baſilica S. Petri inter Portam argenteam & Romanam. Huic Joanni quidam attribuunt Epitaphium, quos nos ſuprà ex Baronio Joanni XVIII. adſcripſimus.

Joannis Papæ obitus.

Sacris Chriſtianis præſidente Joanne noſtro ad ſuperos evolarunt Romualdus Abbas, & Emericus S. Stephani Hungarorum Regis filius, qui ob admirandas, quæ in eis fulsêre virtutes, Sanctorum faſtis adſcribi, ac publicâ per Eccleſiam memoriâ celebrari meruerunt.

Sancto fine decedunt Romualdus Abbas & Emericus.

SCRIPTA.

Scripſit Joannes varias litteras, quarum nonnullas aſſervabat Andreas Ducheſnius Regis Galliæ Hiſtoriographus, earumque aliquas retulit *in Notis ad Bibliothecam Cluniacenſem.*

Joannis Scripta.

Litteras quoque dedit ad Epiſcopos Galliarum, quibus omnes illos redarguit, qui contradicebant Apoſtolatui S. Martialis Chriſti olim diſcipuli, qui primus in Aquitania Evangelium prædicavit: illis litteris adjunxit etiam *Collectam* ſeu Orationem de eodem S. Martiale ex antiquo Codice Gregoriano excerptam, ut docent acta Concilii Lemovicenſis.

Extat pariter epiſtola Joannis ad Epiſcopum Antiſiodorenſem, cui remiſſionem peccatorum humiliter petenti plenariè conceſſit. Erat hic Epiſcopus & Comes Cabilonenſis, multaque bella geſſit, qua occaſione cùm plurima peccata contraxiſſet, in ſe rediens eorum condonationem à S. Sede petiit.

Monachis item Leirenſis Monaſterii ad preces Sancti Majoris Caſtellæ Regis, *privilegium* indulſit creandi Epiſcopum Pampilonenſem: nam antiquis temporibus Pampilonenſes Epiſcopi, ob barbarorum metum, in Leirenſe Monaſterium ſedem ſuam tranſtulerant, ut teſtatur Mariana *lib. 8. c. ult.*

Scripſit etiam ſexaginta eoque amplius *Diplomata*, variis Eccleſiis, ac Monaſteriis per orbem conceſſa, ut fidem facit Oldoinus in additionib. ad Ciaconium.

Ad Joannem verò Papam litteras miſit S. Willermus Abbas S. Benigni, quibus eum hortatur, ut ſuprà inuimus, ne Græcorum Legatos audiret, qui Romam cum donis venerant, ut Conſtantinopolitana Eccleſia in ſuo orbe, ſicut Romana in univerſo, *univerſalis* diceretur.

ANNO CHRISTI MXXXIII.

Imperatoribus Conrado II. & Henrico III. Auguſtis.

DE

BENEDICTO VIII. Pont. Max.

CL. *Intruditur in Petri ſoliū Benedictus VIII.*

SCribunt temporis hujus Hiſtorici in Joannis XIX. defuncti locum poſt biduum ſubrogatum fuiſſe Benedictum VIII. Romanum, ex Comitibus Tuſculanis, Theophylactum anteà vocatum; idque ſtudio, opera, & largitione pecuniæ Alberici Comitis Tuſculani patris: cùm enim morte duorum germanorum Benedicti VII. & Joannis XIX. Albericus è domo ſua Pontificatum diu retentum egredi amaro animo ferret, ne id eveniret, cùm alium non haberet, filium ſuum Theophylactum, ætate quidem juvenem, ſed dignitate Diaconum Cardinalem in Petri Cathedram vi, pecunia, & armis intruſit.

Ob hujus intruſionem totus Orbis ingemuit, atteſtante Glabro & aliis.

Ingemuit ad illius aſpectum Catholicus Orbis haud mediocre paſſus in electione adeò impia ac illegitima ſcandalum, ut intelligere potes ex Glabro tunc ſuperſtite, iſta vidente, ſcribente, ac deteſtante, qui dum diverſa horum temporum mala deplorat, hæc ad poſteros ingerit luctuoſa: *Inſuper*, inquit, *ad cumulum tanti mali, cùm non eſſent in populo, vel rari, qui cæteros corrigentes talia redarguerent, impletum eſt Propheta vaticinium, quod ait*; Et erit ſicut populus, ſic Sacerdos: *præſertim cùm tum in ſæculari poteſtate, tum etiam in Eccleſiaſtica religione totius regiminis perſona conſtiterant in puerili ætate. Propter peccata enim populi contigit tunc illud Salomonis, quod ait*: Væ tibi terra, cujus Rex puer eſt: *nam & ipſe univerſalis Papa Romanus, nepos ſcilicet Benedicti, atque Joannis, qui ei præceſſerant, puer fermè decennis, intercedente theſaurorum pecuniâ, electus extitit à Romanis, à quibus frequenter ejectus, ac indecenter receptus, nulla poteſtate viguit.* Hæc Glaber Monachus Cluniacenſis: qui rurſum ea refricans, ac deplorans, in fine ſuæ hiſtoriæ ita perorat: *Ipſo quoque in tempore Romana Sedes, quæ univerſalis jure habetur in Orbe terrarum, præfato morbo peſtifero (nempe Simoniaca labe)*

labe) per viginti quinque annorum ſpatia miſerrimè laboraverat ; fuerat enim eidem Sedi ordinatus quidam puer circiter annorum duodecim contra jus faſq;, quem ſcilicet ſola pecunia auri, & argenti plus commendavit, quàm ætas, aut ſanctitas : & quoniam infelicem habuit introitum, infeliciorem perſenſit exitum ; nam conſenſu totius Romani populi, atque ex præcepto Imperatoris ejectus eſt à Sede.

At in Orbe Chriſtiano cognitum, habitumque fuiſſe Benedictum hunc abſque controverſia Romanum Pontificem liquet : ab eodem etenim Pallium petiiſſe conſtat, & obtinuiſſe Hermannum Archiepiſcopum Hamburgenſem, ejuſque Succeſſorem Bezelinum cognomento Alebrandum, & qui eidem ſubrogatus eſt, Adalbertum : extant & alia ejuſdem monimenta, quibus ſignificatur ipſum exercuiſſe munera Pontificalia. Quare non adeò puerum, adhuc impuberem creatum fuiſſe Romanum Pontificem planè poſſumus judicare ; præſertim cùm ex Petro Damiani notum ſit, ab exordio ſuæ creationis uſque ad finem ſemper luxuriis delectatum fuiſſe & inquinatum : vitia enim hæc non ætatis ſunt puerilis, cui ex natura puritas ineſt, ſed ejus ætatis, quæ concupiſcentiæ ſtimulis turpiſſimè agitatur, uti benè hoc loco obſervavit Baronius. *Habitus nihilominus pro legitimo Pontifice.* *Vita luxurioſa.*

Benedictus igitur Pontifex creatus Cremonam ſe contulit ad Conradum Imperatorem, ut illius animum perduellione Archiepiſcopi Mediolanenſis offenſum quavis arte mitigaret, pacatumque redderet. Porrò in Sanctorum numerum retulit Simeonem Anachoretam incluſum apud Treviros, agente pro hominis canonizatione Poppone Archiepiſcopo Trevirenſi, qui eodem anno ex hac vita migraret. Brzetislaum Bohemorum Ducem, hominem Sacrilegum in Deum, & Sanctos ejus, ac Severum Epiſcopum Pragenſem omnium hujuſce ſacrilegiorum participem Romam ad dicendam cauſam vocavit, & ad reſtitutionem ſacrilegè ablatorum damnavit. Nuncii tamen, qui pro Duce, & Severo Romam venerant, auditâ Benedicti ſententiâ, pleroſque Cardinalium adierunt, maximiſque promiſſis & largitionibus illos ſollicitarunt, ut non modò conſiliis, verùm ſuffragiis quoque Apoſtolicum Decretum de reſtituendis ſanctuariis Eccleſiæ Gneſnenſi reſcinderent, aut ſi reſcindere non poſſent, executionem ſaltem ſuſpenderent. Cardinales auro illecti in Principem latam ſententiam remittunt, & Pontifici variis in ſpeciem productis rationibus remittendam perſuadent. Tales erant à Benedicto creati Cardinales, nempè ſui ſimiles. *Cremonam ſe confert ad Imp.* *Simeonem Eremitam ſanctis adſcribit.* *Sacrilegos in jus vocat.* *Similis ſimili gaudet.*

Polonorum quoque Legatos, qui Romam venerant prò impetrando Caſimiro Cluniaci profeſſo Monacho, ut Regem conſtituerent ad propulſandas innumeras clades, quibus Polonia affligebatur, humaniſſimè recepit, & eorum precibus annuit ; hac tamen lege (teſte Longino in ſua Hiſtoria) ut Poloni in ſignum præſtiti per Apoſtolicam Sedem, acceptique in magno ſuæ neceſſitatis articulo beneficii, B. Petro, & Succeſſoribus Romanis Pontificibus, de quolibet capite Nobilium uſualem nummum annis ſingulis ſolvere, cæſariem capitis, & comam barbaro more non nutrire, ſed auribus patentibus, & inſtar Religioſorum Latinarum nationum tonſum caput geſtare, & in præcipus Chriſti, & Virginis Matris ejus feſti- *Caſimirum monachum Polonis concedit in Regem.* *Conditiones ob eam rem præſcripta.*

feſtivitatibus panno lineo albo in ſtolæ modum dependente cervicem exornare perpetuò ſint aſtricti: ità planè ut pro uno ſibi oppignorato votis ſolemnibus Monacho, omnes Poloni tonſurâ capitis ſe Monachos præferrent, annuoque tributo ſe Romanæ Eccleſiæ obligarent.

E ſolio Apoſtolico deturbatur: Schiſma exoritur.

At cùm Benedictus in dies modò hunc, modò alium Romanorum, tyrannide & avaritia ſua affligeret, tandem facta multorum conſpiratione, ſede ſua pulſus eſt, & in ejus locum Epiſcopus Sabinenſis, ſub Silveſtri III. nomine, ſuffectus. Benedictus recuperandæ Sedis cupidus, collectâ protinus hominum agreſtium, & amicorum ex Tuſculo manu, Romam armatus venit; Silveſtroque æmulo diù reſiſtere auſo, è Lateranenſi Patriarchio violenter exacto, ſua iterum ſede potitus eſt. Pontificatu recepto cùm ſe iterum eadem diſcrimina ſubiturum cerneret, Joannem Presbyterum Cardinalem virum opulentum æquè ac ambitioſum in Coadjutorem primò aſſumpſis, mox acceptâ grandi pecuniâ, Pontificatus jura, ſolo ſibi retento nomine, eidem conceſſit, & Patriarchium, quod erat apud S. Mariam Majorem incolendum tradidit; ipſe interim in Patriarchio Lateranenſi permanens, conſuetis voluptatibus atque deliciis indulſit.

Sedem iteratò occupat.

Pontificatũ alteri vendit

Gratianus Card. intercedit: ac mox Pontifex acclamatur.

Ad extinguendam tricipitem hanc beſtiam remedium denique adhibuit Gratianus Cardinalis quidam, eximiæ in urbe nobilitatis & virtutis vir, qui zelo pietatis commotus, præfatos ſanctæ Sedis uſurpatores adiit, eisque malè occupato loco cedere pecuniâ perſuaſit, Benedicto redditibus Angliæ, qui majoris videbantur æſtimationis, relictis: ob ea cives Romani præfatum Gratianum ſummoperè dilaudantes, omnibusque commendantes, denique ceu afflictæ Eccleſiæ liberatorem à Deo in ſubſidium miſſum, rejectis tribus aliis, in ſummum Pontificem elegerunt, eumque mutato nomine Gregorium VI. appellarunt; de quo mox, ubi Benedictum expediverimus, ſequenti numero acturi ſumus.

Iterum iterumq; ſedem invadit Benedictus.

Benedictus poſt aliquantum abdicationis tempus, ſuorum hortatu animatus dimiſſam repetiit Cathedram; & poſt Clementis II. obitum iterum rediens, octo illam menſes tenuit, donec ab Imperatore Henrico III. tranſmiſſus eſt è Germania Poppo Brixienſis Epiſcopus, qui dictus eſt Damaſus II. Quo mortuo, uti etiam defuncto Leone IX. iterum quartò, & quintò Romana Eccleſia diſcerpta unguibus eſt invaſoris Benedicti, ejusdemque ſpurcitiis fœdata. Cardinales tamen tale monſtrum deteſtati, neque amplius ſuſcipere volentes, Legatos ad Henricum Imperatorem miſerunt, non quidem ut ipſe Romanum Pontificem eligeret, ſed quem ſibi utilem fore exiſtimaret, Romam mitteret, ut ex more, Romæ Cardinalium ſuffragiis eligeretur. Poſt Leonis IX. obitum nuſquam ampliùs de Benedicto eſt mentio apud Scriptores, ex quo facilè conjicere poſſumus, hominem nefarium circa illud tempus (nempe anno ſalutis 1057.) finem vivendi feciſſe: quem Deus condemnatum ad inferos, voluit omnibus innoteſcere: conſtat enim ſimulachrum ejus admodùm monſtruoſum cuidam devoto Deo famulo apparuiſſe, & interrogatum quid illa horrida imago præſe ferret?

Iteratò repellitur.

Morte peccatorum peſſima moritur, & damnatur

ferret? reſpondiſſe; *Quia in vita ſine lege, & ratione vixi, ideò Deo, & Petro volentibus, cujus Sedem tot probris inquinavi, ſimulachrum meum plus veritatis, quàm humanitatis in ſe habet.* Teſtatur id Petrus Damiani *in Epiſt. ad fratres eremi.*

Turbante Cathedram S. Petri Benedicto, obiit Conradus II. Imperator, Pridie Nonas Junii anno 1040. decimo quinto Imperii ſui. Cui ſucceſſit filius Henricus III. cognomento Niger, de quo ſuo loco. *Obitus Conradi Imp. ſuccedit Henricus III.*

Conſtantinopoli occiſus eſt Romanus III. Græcorum Imperator, cui ſucceſſit Michaël IV. Paphlago, qui cum uxore Zoë Auguſta imperavit annos 6. menſes totidem. Eo ſe imperio abdicante, ſuffectus eſt Michaël V. *Calaphates*, qui nonniſi menſes 4. dies 5. imperium tenuit; hunc excepit Conſtantinus IX. *Monomachus*, qui ab anno 1042. imperavit uſque ad annum 1055. nempe annos tredecim. *Romanus Græcorum Imp. occiditur.*

Cæterùm Romanæ Eccleſiæ caligines, quas Benedicti VIII. vitia emiſerant, diſcuſſit cultus Eccleſiæ Ruſſicæ propagatus à Joraſdislao Ruſſorum Duce. Hunc enim anno noſtræ ſalutis 1034. è cæcis Idololatriæ tenebris ad ſplendorem Chriſtianæ veritatis eductum, plura Monaſteria virorum ac fœminarum, Eccleſiaſque multas exædificaſſe, teſtatur Longinus in Annalibus Polonorum. Eodem tempore ex hac vita migrarunt Robertus Francorum Rex verè Chriſtianiſſimus, & Willermus Abbas S. Benigni, diſcipulus quondam S. Majoli, quem poſt obitum miracula plurimùm commendarunt. Anno verò 1038. ad ſuperos evolarunt S. Stephanus Hungariæ Rex, & biennio pòſt S. Virgo Cunegundis Auguſta S. Henrici Imperatoris conjux, jam inter Sanctimoniales Ordinis Benedictini profeſſa, quorum ſepulchra Deus plurimis miraculis illuſtravit. *Cultus Religionis Catholicæ apud Ruſſos.* *Obitus quorundam Sanctorum.* *S. Stephanus Rex S. Cunegundis Auguſta.*

SCRIPTA.

Duas Benedicti VIII. Epiſtolas, ſeu Diplomata invenio apud Ughellium tomo 3. Italiæ Sacræ: unum ad Rolandum Præpoſitum Florentinæ Eccleſiæ, quo bona omnia ab Athone Epiſcopo Canonicis conceſſa confirmat: alterum quo Dedicationes Eccleſiarum factas per Petrum Epiſcopum Legatum Apoſtolicum in Cluſini Epiſcopi Diœceſi ſtabilivit. Sunt etiam aliæ ejuſdem Epiſtolæ ad Brzetiſlaum Bohemorum Ducem, & ad Severum Epiſcopum Pragenſem, quibus eos ob commiſſa ſacrilegia Romam ad dicendam cauſam citat. Item alia Epiſtola ad Proceres Regni Poloniæ, qua eis Caſimirum Monachum in Regem concedit. *Benedicti Scripta.*

ANNO CHRISTI MXLV.

Imperatore HENRICO III. Auguſto.

DE

GREGORIO VI. Pontifice Max.

Grego-

CLI.
Acclamatur Romanus Pontifex.

GRegorius VI.Romanus, Gratianus anteà vocatus, monachus Benedictinus Petri Leonis eximiæ nobilitatis viri filius, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Archipresbyter Cardinalis S. Joannis ante portam Latinam, exactis tribus ſacri throni uſurpatoribus, ut ſuprà diximus, Cleri ac Populi Romani ſuffragiis acclamatus eſt ſummus Pontifex, ipſis Calendis Maij anno ſalutis 1045.

Hic verè germanus, ac legitimus Pontifex à ſanctiſſimis, iiſque doctiſſimis ejus temporis viris habitus eſt, nempe ab Hildebrando poſteà Gregorio VII. & à Petro Damiani, aliiſque his ſimilibus viris, ſimoniacorum hoſtibus implacabilibus. Non enim Gregorius ambitione, ſed zelo pietatis (mediante licèt pecunia) perſuaſit Pſeudopontificibus, ut à ſancta Sede recederent: quare Romani Cives, ac præſertim Clerus illum, tanquam Eccleſiæ Dei liberatorem, præſtiti beneficii memores, in ſummum Pontificem elegerunt.

Pro legitimo agnoſcitur & habetur.

Et Gregorius ipſe VII. in Concilio Romano, anno Redemptionis noſtræ 1080. celebrato agnoſcit Gregorium hunc legitimum Pontificem: imò & Glaber ejus planè temporis auctor (quippè qui ad ipſius Gregorii electionem ſtylo pervenit) ſummoperè Gregorium VI. laudat, atque hæc poſt Benedictum ejectum dicit; *Tunc cum conſenſu totius Romani Populi, atque ex præcepto Imperatoris ejectus eſt à Sede Benedictus, & loco ejus ſubrogatus eſt vir religioſiſſimus, ac ſanctitate perſpicuus Gregorius, natione Romanus, cujus videlicet bona fama, quidquid prior fœdaverat, in meliùs reformavit.* Ipſe quidem Petrus Damiani, mox ut audivit Gregorii exaltationem, & quidem Canonicam, ad ipſum ſcribens, eidem congratulatur, quòd Eccleſia Dei per ejus electionem, ſordibus expurgatis, primum decorem ſit conſecuta. Ut proinde nullum legitimi ejus ingreſsûs ſit dubium.

Ejus præclara acta ex idoneis Scriptoribus.

Sed quænam Gregorius creatus omnium conſenſu Pontifex egerit, videamus. De ipſo Guillelmus Malmesburienſis, qui paulò poſt floruit, ac ſcripſit, hæc habet, etiam ab aliis coætaneis Scriptoribus conteſtata: *Erat Papa Gregorius VI. anteà dictus Gratianus, magnæ religionis, & ſeveritatis: is ita Romani Apoſtolatus ſtatum per incuriam Anteceſſorum ſuorum diminutum invenit, ut præter pauca Oppida Urbi vicina, & oblationes fidelium penè nihil haberet, quo ſe ſuſtentaret. Civitates, & poſſeſſiones in longinquo poſita, quæ ad jus Eccleſiæ pertinebant, à prædonibus ablatæ; tramites publici, & ſtrata viarum per totam Italiam à latronibus ſtipabantur, ut nullus peregrinus niſi cum majori manu impunè tranſiret: fervebant totis ſemitis inſidiatorum examina, nec inveniebat viator, quo colludio evaderet, ità in vacuum, ſicut in pecunioſum ſæviebatur, nec ſupplex habere gratiam, nec reſiſtens pati poterat violentiam. Ceſſatum eſt ab omni Provincia Romam iter aggredi, quòd mallet quilibet per domeſticas Eccleſias numos ſuos dividere, quàm latrunculos propriis laboribus paſcere. Quid in Urbe, unico olim Sanctitatis habitaculo? ibi in medio foro Sicarii vagabantur, genus hominum infidum & verſutum: ſi quis ſemitarum obſervatores aliquo tranſiſſet artificio, capitis ſcilicet periculo Apoſtoli Eccleſiam videre cupiens, in ſicarios incidens, nullo modo ſine ſubſtantiæ, vel ſalutis diſpendio domum revertebatur. Super ipſa corpora ſanctorum Apoſtolorum & Martyrum, ſupra ſacra*

Miſerrimus Eccleſiæ ſtatus.

Altaria

Altaria gladiis nudabantur, & oblationes accedentium vixdum appoſita, de manibus abripiebantur, abrepta in comeſſationes, & Scortorum abuſiones conſumebantur. Tantorum malorum heu turbo Gregorii Papatum offendit. Quid igitur? Ille primò leniter magis amore, quàm terrore cum ſubjectis agere; delinquentes verbis pluſquàm verberibus premere; Urbani à Peregrinorum infeſtatione, à rapina ſuorum ceſſarent: Alterum eſſe contra naturam, ut ille qui communi veſceretur aëre, non communi frueretur pace, Chriſtiano inter Chriſtianos liberè, quò liberet, progrediendum, dum omnes ſint ex uno famulitio, omnes unius ſanguinis conjuncti coägulo, redempti pretio: Alterum contra Dei mandatum, quod præcepit, ut qui Altari deſerviunt, de Altari vivant: præthereà Domum Dei decere eſſe domum orationis, non ſpeluncam latronum, non gladiatorum conventiculum: permitterent oblationes tranſire in uſus Sacerdotum, vel in expenſas pauperum; pro[...]ſurum ſe illis paternè, quos egeſtas ad rapinas compelleret, ut aliquo honeſto officio ſtipem haberent: quos cupiditas exagitabat, ipſi ſibi pro Dei timore, & ſæculi honeſtate modum ponerent. Invaſores Eccleſiaſtici Patrimonii mandatis, & epiſtolis invitavit, ut aut indebita redderent, aut ſe jure illa tenere in Senatu Romano probarent; ſi neutrum facerent, Eccleſiæ membra ſe non eſſe cognoſcerent, qui Capiti Eccleſiæ, beato Petro, & ejus Vicario inſultarent.

Omnia in melius reformat.

Talia frequenter concionatus Gregorius, cùm parùm aut nihil apud obſtinatos animos proficeret, ſeverioribus remediis inveterato morbo occurrere ſtatuit: cauterio itaq; excommunicationis omnes ab Eccleſiæ corpore removit, vel qui talia facerent ipſi, vel qui facientibus non contrairent, cùm poſſent; vel denique, qui taliter agentibus convivio, vel etiam alloquio participarent. Hæc ille pro ſuo officio ſatis habebat: ſed penè in perniciem verſa ſedulitas: maligni illi levi admonitione perſtricti, contrà furere, minis auras territare, muros Urbis armis circumſonare, adeò ut penè Papam intérimerent. Itaque ferro abſciſſionis utendum judicans, arma undecunque & equos conquiſivit, milites conſcripſit, equites adornavit, ac ante omnia Baſilicam Vaticanam præoccupans, raptores oblationum vel extinxit, vel effugavit; inde fortunam ſibi aſpirare, propitio Deo, videns, longiùs progreditur, iiſq; qui reſiſterent, occiſis, prædia omnia, caſtella, & oppida multis temporibus amiſſa ſed recuperata, in antiquum jus reformavit. Quo factum, ut pax & publica tranquillitas per multorum ſegnitiem exulans, auctore Gregorio in patriam revocata ſit: tùm ſecuri Peregrini inſuetas viarum terebant orbitas, læti per Urbem antiquis oculos paſcebant miraculis, cantitantes donis facti repatriabant. Quirites intereà rapto vivere aſſueti, ſanguinarium vocant illum, & indignum eſſe, qui Deo offerret ſacrificium tot cædium conſcius. Et, ut fieri amat quòd morbus obloquii ſerpat in omnes: ipſi etiam Cardinales argumenta populi probabant. Hæc Malmesburienſis, & cum eo alii, qui illo ævo floruêre Scriptores.

Cenſuris & armis in facinoroſos agit.

Bona Eccleſiæ recuperat, pacem procurat.

Cùm igitur Gregorius zelo juſtitiæ commotus, graves de latronibus, ſicariis, & viarum graſſatoribus pœnas ſumeret, Romani, qui hujus ſacrilegæ rapinæ participes erant, offenſi, Henricum III. cognomento *Nigrum*, falſis querelis circumventum, ut in Italiam adverſus Gregorium ſpecie extirpandæ Simoniæ, qua thronum Apoſtolicum occupaſſe accuſabatur, deſcenderet, nunciis, litteris, precibus ſollicitarunt. Res quommodo ſe habuerint, Leo Oſtienſis, monachus Benedictinus, gravis auctor *lib.2.cap.78.* disertè

Accuſatur apud Henricum quaſi Simoniacus.

Leonis Oſtienſis de eo narratio.

narrat his verbis. *Jam duobus annis, & menſibus octo prædictus Archipresbyter (cui Gregorii nomen in Papatu eſt inditum) Apoſtolicæ ſedi præſederat; cùm Henricus Imperator Conradi filius, tot de Romana & Apoſtolica ſede perturbationibus auditis, cælitùs inſpiratus, anno Domini 1047. Italiam ingrediens, Romam accelerat. Qui de tanta hæreſi Sedem Apoſtolicam deſiderans expurgare, Sutrii perſtitit, & ſuper tanto negotio deliberaturus, univerſale ibi Epiſcoporum Concilium fieri procuravit. Miſit ergo ad omnes: & magna inibi Epiſcoporum, Abbatum, ac religioſorum virorum multitudine congregata, Romanum quoque Pontificem, qui eidem Concilio præſideret, decenter invitat. Quid multa? Concilio habito Synodicis Canonicisq; ſententiis convictus Gregorius Simoniacus, ſponte ſua è ſede deſiliens, pontificalibus ſe inſulis exuit, & terra proſtratus uſurpati honoris indulgentiam ſibi concedi humiliter petiit.* Leoni conſonant Abbas Deſiderius Caſſinenſis *lib. 3. Dialog.* Hermannus Contractus, & Sigebertus *in Chronicis.*

Legitimenè acta hæc ſint, dubitatur.

Hæc verò an legitimè & Canonicè acta? dubium. Stant undique Patroni: Henrico Cæſari homini laico nullum jus fuiſſe, cauſam ſummi Pontificis cognoſcendi, certum eſt: Nec ſanè ipſe Henricus cognoſcere, aut judicare tentavit, ſed coacta Synodo Patribus cognoſcendam remiſit. Unde Gregorium ad ſe venientem honorificè excepit, ut teſtantur Hermannus Contractus, Otho Friſingenſis, ipſeque Leo. Gemina tamen interceſſiſſe videtur Simonia. Prima, quòd mediâ pecuniâ, controverſia Eccleſiaſtica ſit deciſa.

Simoniacus fuiſſe videtur.

Secunda, quòd ſacræ facultates, & Petri patrimonium cum ſcandalo totius orbis fuerit profuſum Pſeudopontificibus, ſeu invaſoribus ab homine privato, Gratiano ſcilicet, qui nullo potiebatur jure. Excuſat tamen ſaluatque Gregorium, omnia hæc zelo pacis,

Excuſatur.

religionis, & unionis amore fuiſſe perpetrata; & quod caput eſt, populus plauſerit Romanus, qui bonum opus religioſo laudavit elogio, Gregorium extollendo ac ſalutando *ut liberatorem Eccleſiæ è manibus trium tyrannorum.* Accedit, quòd Gregorius in illa Synodo non fuerit judicatus, neque depoſitus, ſed ipſe zelo ſuo non deficiens, ſe ſpontè abdicaverit, cùm videret non aliter pacem, quam unicè exoptaverat, Eccleſiæ poſſe reſtitui; nam Benedictus uſurpato throno exactus, nova ſemper cum complicibus moliendo, occaſionem captabat iterum rapiendi Pontificatum, ut videbimus in vita Damaſi II.

Spontè Pontificatu ceſſit.

Spontè verò, non coactè Pontificatu ceſſiſſe Gregorium, teſtis eſt Otho Friſingenſis *lib. 6. cap 32.* cujus verba hæc ſunt: *Quem Rex Primò, ut decuit, honorificè ſuſcepit, poſtmodùm autem, collecto Epiſcoporum conventu, à Pontificatu per nota Simonia cedere perſuaſit.* Idem aſſerit Hermannus Contractus in Chronico: *Henrico Regi in Italiam venienti Gratianus Papa, quem Romani expulſis prioribus ſtatuerant, Placentiæ obvians, honorificè ſuſcipitur: qui tamen poſtmodum apud Sutrium in Synodo non invitus paſtorale officium depoſuit.* Idipſum ſentiunt Baronius, Ciaconius, Oldoinus, ac Monumenta Sanblaſiana mihi liberaliter communicata in hæc ferè verba: Porrò Gregorius VI. ſtabilito utcunque Pontificatu, ut Romanæ Eccleſiæ pacem diù concupitam conciliaret, utque aliis tribus, qui ſanctam Sedem invaſerant, memorabili exemplo præiret, Sutrium ad preces Henrici profectus, in

pleno

pleno Concilio ibidem celebrato, ſe ipſum ſponte Pontificatu, quem annis duobus, ac menſibus octo laudabiliter rexerat, abdicavit. Factum id eſſe anno ſalutis 1047. ſcribit Palatius in vita: alii etiam diem addunt trigeſimum Decembris.

In Germaniam abduci tur, & quare

De obitu Gregorii, & loco ubi is contigerit, major naſcitur difficultas propter hiſtoricorum variationem. Certum eſt poſt ejus abdicationem, & electionem Clementis II. Henricum Cæſarem in patriam remeantem duxiſſe ſecum Clementem Pontificem, timens ne in hominem Germanum Romani aliquid molirentur. Duxit etiam ſecum Gregorium exauctoratum, ne ipſo præſente, Romæ quid ſiniſtri tentaretur, aut innovaretur, teſte Friſingenſi *lib. 6. cap 32.* ubi clarè dicit, Gregorium ab Henrico trans alpes in Germaniam abductum, eumque honoris gratia ſecutum eſſe Hiltprandum, qui poſteà Gregorius VII. emerſit. Idem teſtatur ipſe Gregorius VII. in Concilio ſub annum 1080. Romæ celebrato, in quo ſic locutus memoratur: *Vos enim ſcitis, quia non libenter ad ſacrum ordinem acceſſi, & invitus ultra montes cum Domino Papa Gregorio abii &c.* Certum igitur eſt Gregorium Româ abductum fuiſſe: an verò redierit? quommodo? aut quando? incertum.

Sententia Malmesburienſis de Gregorio non omnibus probatur.

Unus Willelmus Malmesburienſis, quem ſequitur Platina, ſcribit Romæ morbo conſumptum deceſſiſſe, poſtquam Eccleſiam ferro & igne à latronibus purgâſſet. Et cùm à vulgo eapropter *homicida & ſanguinarius* vocitaretur, ipſique Cardinales argumenta populi non improbare viderentur, hos ad ſe vocatos gravibus verbis caſtigâſſe, ac inter alia hæc ad eos dixiſſe; *ut ſcire poſſitis, rectenè an perperàm fecerim purgando à latronibus Eccleſiam? ponite, ubi deceſſero, exanime corpus meum ante fores Eccleſiæ vectibus obſerata: ſi divino nutu Eccleſia patuerit, judicabitis me Chriſtiana dignum ſepultura: ſin ſecus acciderit, projicite me quorſum libuerit, damnatumq; putate.* Fecère mandata Cardinales, ſuſpenſâ mente rei exitum opperientes: cùm ecce repentini turbinis vi obſerata Eccleſiæ oſtia patuêre, ipſumque corpus ſtupentibus cunctis in medium templi introlatum eſt. Hæc quidem Auctor Anglus, quæ tamen peritis non admodùm probantur. Credunt enim non infimæ notæ Scriptores, veterum traditionibus inhærentes, Gregorium vel Cluniaci, quo ſe cum Hiltprando receperat, vitæ reliquum tranſegiſſe, ibique ſanctè mortuum ſepultum fuiſſe; vel certè exulem in ipſa Germania, quò à Cæſare, ne Clementi electo negotium faceſſeret, abductum diximus, defunctum eſſe. Audi Baronium hæc ipſa *ad annum 1044. n. 15.* non ſine ſcrupulo ponderantem: *Quæ circumferuntur de Gregorii obitu, miraculoq; ad januas S. Petri ſponte recluſas ad ſuſcipiendum ejus cadaver facto haud apud omnes ſibi fidem conciliant, quòd ſcilicet non Romæ, ſed in Germania, ubi exul agebat, defunctus eſſe dicatur. Sed nec nos adeò conſtanter ea de miraculo ſuadendo proponimus: fides ſit penes auctorem.* Nutant igitur omnia hac in parte, nec quem facilè ſequaris, habes. Sed nec illa, quæ Ciaconius Platinam ſecutus ſubjungit, majorem fidem merentur. Scribit is, Gregorium (quem nunquam Româ abductum putat) poſt Henrici reditum, collecto paruo exercitu, Clementem II. Urbe expuliſſe, jura & prædia recuperaſſe, cum Cæſare bellum geſſiſſe, nec

Creditur in Germania extinctus.

Quæ de eo Ciaconius.

ab eo ſuperatum eſſe. Confirmat ſua dicta auctoritate Leonis Oſtienſis, & conſtanter Romæ mortuum, ac facto ante fores miraculo, in Vaticano ſepultum ſcribit. Sed pace tanti viri, hæc in Oſtienſi minimè leguntur, falſoque citantur, ut luſtranti liquidò conſtabit.

SCRIPTA.

Gregorii Scripta. Scripſit Gregorius Epiſtolas nonnullas, quarum unam ad S. Odilonem Abbatem Cluniacenſem dedit, ut refert Andreas Ducheſnius: alteram ad Rotlandum Eccleſiæ Florentinæ Præpoſitum, quam Ferdinandus Ughellius tomo 3. Italiæ ſacræ reſcripſit: tertiam ad Petrum Damiani, qua ei ob gratulationem ſibi factam reſpondet, eidemque ſe in preces commendat.

ANNO CHRISTI MXLVII.

Imperatore HENRICO III. Auguſto.

DE

CLEMENTE II. Pontifice Max.

CLII. *Vir morum probitate, ac litteris præſtans.* Clemens II. natione Germanus, Saxo, Suidgerus anteà vocatus, Epiſcopus Bambergenſis, vir morum probitate, ac litteris clarus, exauctorato Gregorio VI. omnium votis (quamquàm invitus, diuque reſuctans, ut Hermannus Contractus teſtatur) Romanus Pontifex ſalutatur. Hunc S. Antoninus, errantem Martinum Polonum ſecutus, per vim Romanam Sedem invaſiſſe ſcribit, cùm revera poſt Gregorii abdicationem, omnium votis, Henrico tamen Imperatore ſuadente, electus ſit Romanus Pontifex, uti ex litteris Petri Damiani tùm viventis Baronius in Annalibus docet.

Henricũ Imp coronat. Clemens jam jam Pontifex conſecratus, ineunte anno 1047. Henricum III. cum Agnete conjuge in Baſilica Vaticana Auguſtalibus inſigniis decoravit, maximo totius populi Romani plauſu, ad tanti majeſtatem ſpectaculi concurrentis. Tradunt verò multi hunc ipſum Clementem Romanos (ne in errores ſuperioribus ſimiles inciderent) jurejurando adegiſſe, ut deinceps à Pontificum electione, quæ ſoli Eccleſiæ & Clero deberetur, abſtinerent.

Beneventanos cenſuris notat. Peracta coronatione Beneventum cum Imperatore contendit; ſed cùm noluiſſent eum Cives recipere, tam ob ſuam, quàm ob Cæſaris injuriam, ſacra illis interdixit. Romam reverſus, ad reformandum Eccleſiæ ſtatum Concilium in Laterano celebravit, in quo illud potiſſimùm conatus eſt cum Epiſcopis, annitente maximè Cæſare, ut Simoniacos vepres, qui adeò excreviſſent, ut patris familias ſuffocarent ſementem, non modò ſuccideret, ſed penitùs eradicaret. *Contra Simoniacos Concilium celebrat* Fusè hæc tractat Baronius *ad annum 1047. & ſeqq.*

Sedente in Petri Cathedra Clemente, Gerardus Epiſcopus Chanodien-

nodienſis in Hungaria, & plerique fidelium Hungarorum cæſi ab hoſtibus fidei Chriſtianæ, titulo martyrii felices occubuêre: ut habet Hermannus, & alii. *S. Gerardi & aliorum Martyrium.*

Rebus in Italia compoſitis Henricus Imp. in Germaniam revertens, Clementem Pontificem, ne quid mali in eum tanquam Germanum alienigenam Romani molirentur, ſecum ducere conſultum credidit: conduxitque, ut alibi diximus. Qui mox ut Germaniam attigit, Cæſari benè precatus ſuum adiit Epiſcopatum Bambergenſem: ubi nono ſui regiminis menſe, quum magna in Simoniacos ac concubinarios animo volueret, VII. Idus Octobris eodem quo electus eſt anno 1047. ex hac vita migravit: inſigni pompa Bambergæ in principe Eccleſia tumulatus. Ferunt repentè obiiſſe virum præclarum, *veneno petitum arte magiſtra Italorum: quommodo enim ferrent Germanum Papam, qui Romanum* (puta Gregorium VI.) *non ferebant?* Ita Kranzius *lib. 5. Metropol. c. 1.* A ſucceſſore Damaſo II. *venenum accepiſſe Clementem*, habet Sabellicus *lib. 9. Ennead. c. 2.* Sed & hoc falſum: Damaſus enim *vir magna virtutis ac probitatis*, (ut eum coætanei Scriptores vocant) *ac propter notam ſanctitatem inter Cælites à Germanis* (teſte Serario *lib. 5. Rerum Mogunt.*) *relatus*, tantum flagitium, nonniſi à peſſimis committi ſolitum, perpetraſſe nequaquam putandus eſt. Mendacium igitur videtur, Clementem veneno petitum periiſſe, niſi id ei à Simoniacis, aut concubinariis, quos acerrimè inſectabatur, porrectum velimus. *Clemens Romà in Germaniam migrat: ac Bambergæ moritur.* *Dubium an veneno perierit?* *Damaſus falsò in crimen vocatur.*

SCRIPTA.

Edidit varia Decreta adverſus Simoniacos & concubinarios, uti videre eſt in Concilio Romano ab ipſo celebrato. Controverſiam inter Patriarcham Aquileienſem, & Ravennatem Archiepiſcopum *de primatu* agitatam, in favorem Ravennatis compoſuit, edito deſuper Diplomate pontificio, cujus mentionem facit Oldoinus in additionibus ad Ciaconium, & Ughellius *tomo 2. Italia ſacra.* Scripſit etiam ad Joannem Archiepiſcopum Salernitanum, qua Epiſtola Joannis translationem ex Epiſcopatu Peſtano ad Salernitanum confirmat, eique Pallium concedit: hanc legere quis poterit apud Binium *tomo 7. Conciliorum*, & apud Baronium tomo XI. Annalium *ad annum 1047. n. 11. & 12.* *Ejus Scripta.*

Ad ipſum verò Clementem Petrus Damiani Eremi tum incola, magni nominis, doctrinæ, & ſanctitatis vir, ſcripſiſſe Epiſtolam reperitur, quam ex Caſſinenſi Bibliotheca tomo XI. Annalium Baronius tranſcripſit. Hanc legiſſe non pœnitebit. Cùm ad Clementem quæſtio allata eſſet: *num qui à Simoniaco Epiſcopo initiati eſſent, ordinem retinere deberent?* Decretum edidit; ut ſi ipſum tum Simoniacum, cùm initiabantur, eſſe ſciviſſent, quadraginta dierum ſpatio accepti ordinis miniſterio abſtinerent: ſecùs officio ſuo citra ſcrupulum fungerentur.

ANNO CHRISTI MXLVIII.

Imperatore HENRICO III. Auguſto.

DE

DAMASO II. Pontifice Maxim.

CLIII.

Popo Epiſcopus Brixinenſis eligitur Pontifex.

EXtincto Clemente II. ſtatim Clerus Populusque Romanus juxta ſacramenti fidem Legatos ad Henricum Imperatorem in Germaniam miſerunt pro electione novi Pontificis, non quidem ut Ipſe Imperator Papam eligeret, ſed quem Eccleſiæ utilem fore putaret, Romam mitteret, ut ex more, Romæ conſilio Cardinalium Papa eligeretur. Imperator Poponem cognomento *Bagnarium*, natione Bavarum, Epiſcopum Brixinenſem, virum probum ac doctum nominavit, qui Romam veniens, pulſo Benedicto Sedis Apoſtolicæ invaſore, à Cardinalibus, Clero, & Populo Romano Pontifex maximus electus ac conſecratus, dictus eſt Damaſus hujus nominis ſecundus. Quamobrem redarguendus eſt erroris Joannes Stella auctor Venetus, qui non ſine temeritate ſcribere auſus eſt; *Damaſum hunc, Clemente adhuc vivente, regia auctoritate fultum, nullo populi Cleriq. conſenſu ſedem Romanam occupaſſe, & illius dolo Clementem veneno ſublatum eſſe.* Gravis injuria hæc viro ſancto & innocenti impacta, nemini veterum proborumque Scriptorum probatur: Omnes ferè uno ore dicunt, Damaſum virum probum, poſt obitum Clementis, legitimè electum, Romæ in Baſilica S. Petri inſignia Pontificatus accepiſſe, ac Clero populoque Romano gratum extitiſſe: diſſentit quidem Platina, ac *ambitu ſanctam Damaſum uſurpaſſe ſedem* ſcribit: ſed deceptum Platinam quivis facilè intelliget, qui coætaneos Damaſo Scriptores Leonem Oſtienſem, Othonem Friſingenſem, aliosque Platinâ ſuperiores leget.

Stella mendacium exploditur.

Item Platinæ error.

S. Odilonis obitus.

In ipſo exordio anni noſtræ ſalutis 1048. quo ſedit Damaſus, Calendis Januarii admirandus ille Odilo Cluniacenſis Abbas, illius ſæculi aſtrum lucidiſſimum, quem Reges, Imperatores, ac Romani Pontifices coluerunt, quemque præ egregia virtutum excellentia Fulbertus nominat *Archangelum*, ex hac vita migravit apud Silviniacum, anno ætatis ſuæ 87. cujus res geſtas proſecutus eſt Petrus Damiani.

Damaſi obitus.

Anno Domini 1048. ſexto Idus Auguſti, Præneſte (quo ſe animi relaxandi cauſa, & ad fugiendos urbanos æſtus contulerat) Damaſus II. vigeſimo ſuæ ſedis die fatis conceſſit: quem Benno ait operâ Benedicti invaſoris veneno ſublatum. Verùm cùm hujus Scriptoris plura ſint mendacia, quàm verba, an tutò ei credi poſſit, judicabit lector. Damaſi corpus Romam relatum, in Eccleſia ſancti Laurentii extra muros ſepultum eſt.

SCRIPTA.

Ejus Scripta.

Unicam ſcripſiſſe epiſtolam Damaſus Papa invenitur, & quidem

dem ad Imperatorem Henricum, qua ei ſuam in Pontificem conſecrationem notificat. Cæterùm fuiſſe Damaſum virum ingenioſum, doctum, ac in pertractandis negotiis dexterrimum, Ciaconius & alii affirmant. Pontificatus brevitas, ſcribendi copiam ei ademit.

ANNO CHRISTI MXLIX.
Imperatore HENRICO III. Auguſto.

DE

S. LEONE IX. Pontifice Maxim.

CLIV.

Vir ſplendore generis ac vitæ ſanctitate nulli Prædeceſſorum ſecundus.

SAnctus LEO IX. Bruno anteà dictus, natione Germanus, gente Alſata, illuſtri planeque regio ſtemmate ortus (utpote Conrado Salico, & Henrico III. Auguſtis conſanguinitate proximus) vir fuit divini humanique juris peritiſſimus, vitæ inſuper ſanctitate, ac miraculorum gloria nemini Prædeceſſorum ſecundus. Parentes habuit Leo, Hugonem Dagſpurgi & Eggſenhemii Comitem, qui vitâ piè tranſactâ, in ſancti Truthberti Cœnobio apud Briſgios non ignobili ſepultus eſt; matrem Heidwidem, ſive Heilwigem filiam Theodorici Comitis ab Eggſen, in Superiore Alſatia ad radices Vogeſi montis, infra Rubeacum antiquiſſimum oppidum; ubi hodieque viſuntur tres arces, vel potiùs acris tripartitæ rudera, vulgò *drey Eggsen*: uti teſtatur Baſilea ſacra.

Ejus parentes.

His adeò ſanguine regio illuſtribus ſimulque religioſiſſimis parentibus natus Bruno, ubi quinquennium attigit, Hermanno Tullenſium Epiſcopo erudiendus traditus eſt: quo doctore in litterarum ſtudiis, quas admitteret ea ætas, & morum honeſtate adeò inſigniter profecit, ut inter coætaneos exſplendeſcens, facilè omnes virtute & eruditione ſuperaret.

Hermanno doctore in literis & pietate mirè proficit.

Ex his auſpicatiſſimis principiis, in quem olim virum poſſet evadere puer Bruno, non vanâ utique conjecturâ præſcius Cacodæmon, ſpem de illo conceptam in tenera radice maturè præcidere ſtatuit. Poſt aliquot annos adoleſcens factus dulciſſimos parentes in Caſtro Eggſenheim degentes reviſerat, ut illos diù abſens, & animum moleſtâ ſtudiorum contentione occupatum, præſentiâ ſuâ recrearet: & en! veteratorius Ceraſtes in omnes excubans nocendi occaſiones, faciem dormientis terrimum bufonem immittit: quæ obſcœna & venenifera beſtia adeò pertinaciter mediæ faciei incubuit, ut Brunoni lethali veneno, doloris ſenſum maximum, & omnibus, qui prodigioſum hoc monſtrum ſpectabant, horrorem incuteret incredibilem. Sed adversùs has dæmonis inſidias preſentem opem cœlum minimè diſtulit; dum Benedictum Patriarcham ab addictiſſimo cliente ferventur imploratum, abſtergendæ lui, & revellendo facilè bufoni medicum ſubmiſit præſentiſſimum.

Ei inſidiatur Cacodæmon.

Ab immiſſo bufone divinitùs liberatur.

Emenſo deinde ſtudiorum curriculo, Tullenſibus Canonicis adle-

Adſcribitur Canonicis Tullenſibus. adlectus, & ſacris ordinibus inſignitus, ob præclaras animi dotes, & quibus eminebat virtutes, ab omnibus ſuſpiciebatur, ipſi Cæſari Conrado, conſanguineo ſuo præ primis charus & acceptus, cujus operâ & conſiliis, quamdiu Bruno in aula verſatus eſt, frequenter & cum emolumento utebatur. Quare vitâ defuncto Hermanno Tul- *Infulas Tullenſes conſequitur.* lenſi Epiſcopo ſuccedit diſcipulus, licèt diu multumque tergiverſatus, rerum utique longè m[illegible]orum à Deo deſtinatus Adminiſter, ad quas jam velut in propi[illegible]yrocinio ſe graviter præpararet. Novo munere & dignitate tantum abeſt, ut inſoleſceret Bruno, quin potiùs illa priſtina conſectandæ mirificæ ſanctitatis exercitia novo ſtudio & contentione plurimùm augeret; quæ luculenter enituit in reducenda ad veterem rigorem diſciplina Eccleſiaſtica & monaſtica, ſublevandis ære alieno, aut dotandis antiquioribus, maximè quæ inſtituti Divi Benedicti erant, Monaſteriis.

Prænunciatur ei Pontificatus in viſione. Neque hìc ſilentio prætereundum puto, quòd illi accidiſſe memoratur ante ſui in Pontificem electionem: *Dum eſſet Tullenſis Urbis Epiſcopus* (inquit antiquus Codex Monaſterii Sublacenſis) *priuſquàm Romanam Eccleſiam gubernandam ſuſciperet, nocturna viſio apparuit ipſi: contemplabatur, quòd quidam ſenex vultu placidiſſimo, canicie decorus, per aſperrimam & longiſſimam viam ducebat eum ad quoddam vetuſtiſſimum Templum, quod ingreſſus fecit eum ſedere juxta ſe in mirifica ſede præfati Templi, dicens; hoc nobiliſſimum ſolium tranſactis quinque annis conceſſit tibi Deus, ut fideliter regas, & amplifices illud, ut merearis audire, Euge ſerve bone, & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Alia ipſi, eâdem occaſione, oſtenſa fuiſſe de bellorum turbinibus, quibus vexandus eſſet, ac demum de felici rerum eventu, teſtatur Oldoinus.

Sacra Apoſtolorum limina, annis, quoad licuit, ſingulis præſens venerari ſolitus, gravem aliquando morbum in itinere contraxit: at rurſus alius à cœlo Patronus ipſi conſpicuus S. Blaſius Martyr, clientem ſuum, virum Orbi neceſſarium, diuturniori vitæ ſervavit incolumem. Tanti igitur viri famâ ſanctitatis Romam uſque *Ob famam ſanctitatis eligitur Pontifex.* divulgatâ, cùm Clerus Romanus ſucceſſorem perquireret ſubrogandum Damaſo II. rebus humanis circa annum 1048. exempto, præ Leone aptiorem digrioremque nullum invenit. Quamobrem miſſis ad Henricum III. Imperatorem Legatis de hac ſua unanimi in Brunonem Epiſcopum Tullenſem conſpirantium voluntate edocent, & magno Romanæ Eccleſiæ bono ſummum Pontificem pronunciant. Et verò Cœlum ipſum manifeſtè approbare viſum eſt hanc electionem, modulato ſuaviter in via, quæ ad Urbem ducit, *Audit Angelicum concentum.* Angelico concentu: *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* Atque ubi ſummæ in terris dignitatis capeſſivit inſignia, univerſæ Eccleſiæ Tutelarem Archangelum ſingulariter ſibi demereri ſtuduit, piè inſtituta peregrinatione ad Garganum montem, religioſâ S. Michaëlis veneratione frequentatum. Unde credo felices re- *Jura Eccleſiæ vindicat.* rum, quas deinceps aggreſſus eſt, ſucceſſus, hinc promanaſſe. Illud cumprimis admirabili felicitate & ſapientia evicit, ut auctoritas illa, quam in eligendis Pontificibus Romanis, annis centum & quinquaginta contra jus faſque Imperatores ſibi uſurparant, ad Clerum denuò,

Digitized by Google

nuò, prout exigebat rei æquitas, ex integrò redierit, vindex ipſe jurium Eccleſiæ acerrimus exiſtens.

Id aſſecutus, in eam totus poſteà incubuit curam, ut Eccleſiæ ſtatum, tum in Oriente, tum in Occidente, ſanè afflictiſſimum omni ope ſublevaret. Miſſis Conſtantinopolim Legatis, Imperatorem primò ſibi conciliavit, idque ab eo (adverſantibus licèt multis) conſecutus eſt, ut abuſus periculoſi, & inſperſa paſſim zizania ſtirpitùs abolerentur. Ejus pariter auſpiciis & vigilantiâ debellata Berengarii hæreſis; ſublatæ bonorum Eccleſiaſticorum, rerumque ſacrarum Simoniacæ nundinationes; & obtrita enormium criminum, quibus Clerus magnoperè laborabat, ſeminaria. *Eccleſiæ ſtatum mirificè format.*

Secundâ legatione demandatâ Friderico Cardinali Lotharingico (qui poſteà & ipſe fuit Romanus Pontifex Stephanus X.) diſſidentes inter ſe Imperatorem Conſtantinum Monomachum & Patriarcham Conſtantinopolitanum, poſt Synodum ritè peractam, ita emollivit, ut ambo (Clero reliquo, & populo ſummorum capitum exemplum ſequentibus) ſacco & cinere piè ſordidi, ad Legatum procederent, in eoque Apoſtolicam Auctoritatem proni agnoſcerent, & venerarentur. *Orientalem Eccleſiam ad obſequium reducit.*

Eodem interim ſtudio Occidentales Eccleſias complexus eſt, ſuam præſertim Tullenſem, cujus titulum quoad vixit retinuit. Ne verò deciperetur abſens, aut lentiùs procederent, quæ animo ſanctè agitabat, nullis tutiùs, quàm propriis fidebat oculis. Et hinc tot laborioſæ viſitationes Eccleſiarum, celebratæ Synodi & Concilia, quibus ipſe, quantum quidem fieri potuit, ſemper præſidebat: ut nempe ſummi Paſtoris veneranda in terris majeſtas pondus & momentum majus ſuâ præſentiâ afferret. Ita Moguntiæ in Germania, Rhemis in Gallia, Romæ, Papiæ, ac Vercellis in Italia coactis Synodis collapſam veterem diſciplinam ubique pro viribus erigebat; in Simoniacos & fornicarios juſtitiæ zelum ante omnia exercens: atque cenſuras, pœnas, ac anathemata in ipſos fulminans. *Occidentalem ipſe viſitat, & reformat.*

Venit in Germaniam Leo Pontifex anno 1052. rogatu Andreæ Regis Hungariæ ad componendam pacem inter Imperatorem & ipſum, ſimulque ad petendum militem & auxilia contra Nortmannos, qui provinciam tùm Pontificiam dirè vexabant. Sub eam occaſionem, dum Ratiſponæ Pontifex cum Henrico Auguſto moratur, declarat publica auctoritate tabularum (quæ hodie leguntur, & apud Baronium tomo XI. extant) ſervari Ratiſponæ S. Dionyſii corpus, furto per Arnulphum Imperatorem Pariſiis olim ſublatum, indeque Ratiſponam deportatum: Gallis interim id èxertè negantibus, & litteras in rei teſtimonium à Baronio allatus, à Boijs confictas contendentibus. Sed quæ cauſa Bojos adegiſſet litterarum excogitandarum, ſi Dionyſio caruiſſent? aut quorſum illa opinio gentem invaſiſſet, ſi non Imperator ipſe Arnulphus corpus in Bavariam tranſtuliſſet? an ut umbram Dionyſii, vel cærula cœli adorarent? Legi poteſt in hanc rem laudatus Baronius tomo XI. ad annum 1052. à numero X. uſque ad n. 16. ubi in fine hæc addit. *Ut planè appareat, eandem controverſiam viguiſſe inter Pariſienſes & Ratiſponenſes,* *Proficiſcitur in Germaniã & quare?* *Corpus S. Dionyſii Areopagitæ Ratiſponæ aſſervari declarat.*

ſes, Francos & Bavaros, quæ inter Caſſinenſes & Floriacenſes de Sancti Benedicti corpore per plura ſæcula eſt agitata. Conſulatur etiam Raderus in Bavaria ſancta, de S. Leone Nono agens, & hanc ipſam controverſiam pro Boijs adverſus Gallos obiter pertractans.

SS. Wolfgangum & Erhardum divis adſcribit: Cæterùm idem Leo Ratiſponæ agens, ſanctiſſimos olim ejus loci Antiſtites Wolfgangum & Erhardum, multis mirandis operibus claros, cœleſti inter Sanctos religione colendos præcepit. Idem ædem S. Emmerami corruptam incendio, inſtauratamque ſuis manibus conſecravit. Dedicatum ab eodem Sacrarium SS. Apoſt. Simonis & Judæ ſupra fornicem (in Capitolio) Curiæ contiguum, conſtans eſt fama. Ratiſpona dein Norimbergam proficiſcenti occurrêre duo quidam viri illuſtres ex Schwarzenburgiorum Dynaſtarum gente, ſupplicesque rogavêre, uti paullulùm flecteret iter

Conſecrat Eccleſiam miniſterio Angelorum. in latus, ubi in conſpectu ædiculam S. Cruci conſtituerant, & Sacellum ſacra Cæremonia dedicaret. Leo non digreſſus loco, ſed protenſa manu ſignum ſanctæ crucis expreſſit, abſenſque locum conſecravit. Qua re haud contenti Conditores inſtabant, ne gravaretur ipſe accedere, & aras initiare. Tum Pontifex; *Ite*, inquit, *& niſi ritè luſtrata ædis ſigna expreſſa deprehenderitis, reverſi me revocate*, abiêre, domum ſacro oleo delibutam offendêre, cruces, litteras in pulvere ſcriptas, & alia Luſtrationis peractæ certiſſima argumenta; nec dubitavêre, quin Vicario Chriſti Angeli ſubminiſtrarint.

Varias Eccleſias præſertim in Germania ſuis ipſe manibus conſecrat. Fidem propè ſuperant, quæ præſtitit hic Pontifex verè pius, optimus, maximus, partim in Italia, partim in Germania, & Gallia in ſuis cùm viſitationibus, tùm peregrinationibus, in quibus Templa, Sacella, Altaria innumera ſuis ipſe manibus, præſertim in noſtra Baſilienſi Diœceſi, conſecrabat. Inter alias ſancti Martini ædem in *Hypolskirch*, ſeu *Sundersdorff*. Extat hodieque Sacellum intra tres antiquas, ſed pridem dirutas arces in clivo Vorburgico ad ex-

Plurima dona ſacra Eccleſiis confert tremos Vallis Delemontanæ fines, quod tradunt jam tum memoriæ S. Himerii Confeſſoris ab hoc Potifice fuiſſe conſecratum. In Germaniam ſecundò profectus, inſpexit ſingulariter in Tullenſem Eccleſiam, & Natale ſolum Eggenhemium, aliaque pia loca olim à ſe fundata, aut dotata, relictis ubique pietatis & pontificiæ munificentiæ nobiliſſimis monimentis. Wofenhemii Monaſterio ad S. Crucem ſanctiſſimæ crucis ſegmentum, in in Monte-Olivarum (vulgò Olenberga) prope Reiningam in Alſatia, S. Romani Martyris ſacras donavit reliquias. Corpora Sanctorum Remigii Rhemenſis, & Wolfgangi Ratiſponenſis, ſancti etiam Aurelii Hirſaugiæ, ſanctæ Richardis Andlaviæ, aliorumque honorificentiori loco reponenda de tumbis ſuſtulit.

Proprias fortunas ad condenda ſacra ædificia prodigit. Sed ut ea, quorum meminimus, ad Religionis incrementum, optatum ſibi finem perduceret, non Eccleſiaſticos duntaxat proventus, ſed relictas à majoribus ſuis fortunas gentilitias impendit liberaliter, non conſanguineis, ut fit, aut nepotibus ditandis, ſed Eccleſiis ac Cœnobiis dotandis. Certè in Alſatia duo illa Monaſteria ſanctæ Crucis, & Montis-Olivarum à fundamentis ædificaſſe, & prædiis inſuper ampliſſimisque cenſibus opulentaſſe extra dubium eſt.

Præter

Privata ejus vita ſanctis operibus plena.

Præter hoſce publicos labores (quos longùm enumerant Baronius, & Oldoinus) quibus ſe totum impendere viſus eſt, ſui interim minimè obliviſcebatur; ſed privatos intra parietes divinis contemplationibus, & ferventi orationis ſtudio, animum Deo arctiùs, conjungebat. Audi hoc loco Oldoinum, breviter multa complectentem: *Sanctus hic Pontifex charitate, miſericordia, patientia, vigiliis, jejuniis, orationibus, noctu diuq́ ſe ſe exercebat, omnem lecti mollitiem fugiebat, ſumpto cilicio, ac tapete terra ſtrato, capiti lapide ſuppoſito, tantillum dormiebat, integrum non infrequenter recitans Pſalterium; ſingulisq́ diebus divinum offerens ſacrificium.* Et ne quod pretioſi temporis diſpendium ullum faceret, ſi quid vacuum habuit, utiliter illud Græcorum errores confutando, vel muſicos & Eccleſiaſticos de Sanctis modulos componendo, vel alia ſimili honeſtiſſima occupatione nunquam otioſus impendit.

Ejus otium ſanctè negotioſum.

In pauperes liberaliſſimus

Neque ſilentio prætermittam, tantæ illum beneficentiæ, tamque celebrem hoſpitalitatis famâ fuiſſe, ut ejus domus peregrinis ac pauperibus ſemper, uti & cordis viſcera, paterent. Quem Leonis in egenos commiſerationis affectum placuiſſe ſibi vehementer, probavit ipſe Chriſtus evidenti teſtimonio. Leproſus quidam aſpectu fœdus (fuit ipſe Servator hoc ſchemate perſonatus) pro foribus aliquando repertus à Leone, benignè deinde ab illo & tenerrima charitate habitus, ac in proprium deportatus lectulum, evanuit derepentè ex oculis, & licèt poſteà diligentiſſimè conquiſitus, nuſquam reſpectus eſt.

Chriſtum ſub leproſi ſpecie honorat.

Sanctiſſimè moritur.

Leo denique admirandis operibus clarus, rebusque plurimis, teſte Baronio, pro Deo & Eccleſia fortiter geſtis inclytus, ſexto ſui Pontificatus anno nondum expleto, Romæ exceſſit è vita anno ſalutis 1054. die 19. Aprilis, quo die, utpote Divis accenſus, feſtâ quotannis memoriâ in Diœceſi Baſileenſi laudatur. Conditus eſt in Baſilica Vaticana Principis Apoſtolorum juxta tumulum Gregorii Magni, cui vetus Poëta memorabili hôc Epitaphio parentavit.

Epitaphium.

Victrix Roma dolet Nono *viduata* Leone,
Ex multu talem non habitura Patrem.

Ejus elogium.

Hic unus (inquit Deſiderius Abbas Caſſinenſis, auctor contemporaneus, qui poſteà Romanus electus Pontifex dictus eſt Victor III.) *poſt Leonem, & Gregorium cognomento Magnos, orbem terrarum nominis ſui gloria, famaq́ ſanctitatis & eruditionis adimplevit.* Quem etiam *moribus Angelum, factis Apoſtolum, converſatione Sanctum, miraculis virum prodigioſum* appellavit Petrus Damiani.

SCRIPTA.

Scripta.

Scripſit S. Leo IX. dum adhuc Urbis Leucorum Præſul eſſet *Reſponſoria* pro veneratione
S. Cypriani Martyris;
S. Hidulphi Trevirorum Archiepiſcopi:
Beatæ Odilæ Virginis.
S. Gregorii Doctoris Eccleſiæ, & Pontificis:
Aliorumque utriusque ſexûs Sanctorum.

Metis in Gallia precibus Sigefridi Gorzienſis Abbatis inductus, compoſuit
Sancti Gorgonii Presbyteri & Martyris Reſponſoria Nocturnalia:
Romæ eruditum Libellum edidit contra Epiſcopos Michaëlem Conſtantinopolitanum, & Leonem Adrianum, eorum calumnias contra Latinam Eccleſiam nervosè diluens.
Scripſit prætereà ad Conſtantinum Monomachum Imp.
De extirpandis hæreſibus lib. unum
Ad Patriarcham Conſtantinopolitanum de eadem re
Librum alterum: contrà errores Græcorum lib. tertium.
Item Epiſtolas quamplurimas, quarum quædam leguntur apud Binium tomo 7. Conciliorum, apud Baronium tomo XI. Annalium, & apud Laurentium Surium.
Sermones inſuper ſacros, ſeu Homilias
editas Lovanii anno 1565. & Antverpiæ anno 1583.
Et cùm eſſet Muſicæ peritus, multus edidit Antiphonas, Hymnos ſacros, & cantiones pro Eccleſiis.
Addit Trithemius libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, *Scripſit ultra hæc, nonnulla alia opuſcula præclara, in quibus eloquii venuſtas, & ſententiarum ſublimitas meritò commendatur.*

ANNO CHRISTI MLV.

Imperatoribus Henrico III. & Henrico IV. Auguſtis.

DE

VICTORE II. Pontifice Maxim.

CLV. *Vir omni virtutum genere clarus.*

LEonem IX. Alſatam excepit Victor II. Suevus, Gebhardus anteà vocatus, Epiſcopus Aichſtadienſis: vir certè nobilitate, religione, doctrina, prudentia, & pietate, cuilibet optimo facilè comparandus. Fuit natione Germanus, ex Comitibus Calbenſibus in Provincia Suevica ortus, propinquo ſanguine Imperatorem Henricum contingens. *Qui quamvis ætate juvenis eſſet*, inquit Ciaconius, *poterat tamen doctrinâ & ſapientiâ, morumq; gravitate vel ſenibus æquari.* Erat autem Gebhardus in maxima apud omnes Imperii Proceres auctoritate, ipſi Auguſto ob egregias animi dotes adeò charus acceptusque, ut ægrè eum Romam dimiſerit. Qualiter electus ſit, paucis aperiam.

Eligitur Pontifex.

Mortuo Leone IX. cùm Cardinales, Clerus, & Romanus Populus juxta fidem, & jusjurandum Imperatori Henrico datum, Hiltprandum Monachum S. R. E. Oeconomum & Subdiaconum, virum prudentiſſimum pro novo Pontifice petendo in Germaniam ad Imperatorem miſiſſent, ejuſdem Hiltprandi petitione, & Imperatoris aſſenſu electus eſt Gebhardus, poſteà Victor II. appellatus. Imò veniſſe Romam Henricum Imp. ſecumque duxiſſe Pontificem conſecrandum tradit Leo Oſtienſis.

Primo

Primo ſui Pontificatus anno Victor horrendam planè paſſus eſt proditionem, venenum ſcilicet ad ejus interitum immiſſum eſt in ſacrum Calicem: ſed Deus duplici miraculo, ne Pontifex biberet, obſtitit, & tanti ſacrilegii auctorem detexit: Rem geſtam Lambertus Schaffnaburgenſis coætaneus auctor his verbis deſcribit: *Huic* (nempe Victori Papæ) *Subdiaconus toxicum in Calicem miſit, quem cum Pontifex poſt conſecrationem levare vellet, nec poſſet, à Domino cauſam facti inquiſiturus, cum populo ad orationem proſternitur, ſtatimq́, toxicator à dæmone arripitur: Ita igitur causâ manifeſtatâ Dominus Papa Calicem cum ſanguine Dominico cuidam Altari juſſit includi, & pro Reliquiis in Perpetuum conſervari: deinde iterùm cum populo ad orationem tamdiu proſternitur, quousque Subdiaconus à dæmone liberatur.* Hæc Lambertus, cui adſtipulantur Abbas Urſpergenſis, & alii.

Calicem venenatum ſibi ad mortem porrectum divinitus agnoſcit.

Victor Leonis prædeceſſoris ſanctiſſima veſtigia ſecutus, præſentem Eccleſiæ ſtatum, ne iterum vacillaret, firmare perrexit, ac propterea Concilium Florentiæ, invitato eò etiam Cæſare, indixit: in quo ipſe, qui acerrimus Cleri cenſor & reformator erat, præſente Imperatore, plures Epiſcopos Simoniaca labe infectos, & in concubinatu deprehenſos, convictosque damnavit, ſedibusque amovit. Tum inſtituta gravi oratione Clerum univerſum commonuit, quid ſui potiſſimùm muneris eſſet, quamque purè ac ſanctè Eccleſiæ miniſtros coram Deo ad ædificationem commiſſi populi ambulare oporteret: denique leges ſaluberrimas adverſus Simoniacos & fornicarios condidit, gravi pœnâ in tranſgreſſores ſtatutâ.

Concilium adverſus Simoniacos celebrat, ac Clerum reformat.

Soluto Concilio, Victor cum Cæſare Romam profectus, ejus auxilio Urbes aliquot, arces, & oppida Eccleſiæ Romanæ, prioribus ſæculis amiſſa, recuperavit. Quo tempore Hiltprandus Victoris in Gallia Legatus, indicto Lugduni Concilio, graves adverſus Simoniacos & concubinarios quæſtiones exercuit: cumque ſex Epiſcopos horum criminum reos, atque convictos damnaſſet; Archiepiſcopum Ebrodunenſem Simoniæ accuſatum, ſed impudenter objecta negantem, arte convicit. Quid igitur? non conſpectu Patrum plenoque conſeſſu, *Agedum*, inquit, *Ebrodunenſis, qui te inſontem hujus criminis jactas; ad noxam expiandam pronuncia, ſi potes, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.* Ebrodunenſis ratus eo ſe dicto omne gravioris periculi judicium declinaturum, ridenti ore formulam pronunciare inſtituit, ac *Gloria Patri, & Filio* pronunciavit quidem, ſed quod reliquum erat *& Spiritui ſancto*, quamquam ſæpè conatus, expedire nullatenus potuit: creditumque eſt, quia in nundinatione rerum ſacrarum ſpeciatim læditur Spiritus ſanctus, uti ejus culpæ participem Ebrodunenſem in pronuntiando Divini Spiritus nomine hæſiſſe. Siquidem mox ut commiſſum Simoniæ crimen confeſſus eſt, nullo linguæ intercurrente impedimento, hymnum expeditè ac integrè recitavit. *Quod factum* (ſubjungit Nicolaus Cardinalis Aragonius, quem citat Baronius ad annum 1055. n. 15.) *Simoniacos in tantum perterruit, ut præter alios Prælatos Eccleſiarum viginti ſeptem, Epiſcopi quadraginta quinque Simoniacos ſe eſſe confeſſi ſint, qui ſuis honoribus, abſque ulla alia accuſatione, renunciaverunt.*

Ablata Eccleſiæ oppida recuperat.

Simoniaci in ſigni miraculo ad ſaniora revocantur.

Sed redeamus hac Victorem; hic ubi poſt mortem Leonis Berenga-

Hæreſim Berengarii perſequitur & damnat. rengarium hæreticum ad vomitum rediiſſe, ac multos in Francia errore ſuo infeciſſe comperiſſet, zelo commotus, abruptis aliis negotiis, eò properè ſe contulit, indictoque Turonenſi Concilio deteſtabilem Berengarii opinionem jam anteà ſub Leone damnatam, iterum damnavit, atque proſcripſit. Porrò quoties hæreſis Berengariana in variis Conciliis damnata fuerit, tradit Cardinalis Bellarminus lib. 3. de Euchariſtia cap. 8. qui conſuli poteſt.

Henricus Imp. ægrotat Anno 1056. Henricus Imperator finem vitæ ſuæ ex ingraveſcente morbo inſtare præſentiens, litteris humaniſſimis Victorem Pontificem in Germaniam ad ſe invitavit. Quo admirabili Principum concurſu Coslariæ excepto, atque Fulderum ad Cæſarem extremè languentem perducto, Henricus magno Dei beneficio, poſt ſuſcepta devotiſſimè exeuntium Sacramenta, III. Nonas Octobris præſente Victore, eumque ad mortem piè adhortante, animam Deo reddidit. *Expirat præſente Victore.* Ejus corpus Spiram translatum, in magnifico Beatæ Virginis Templo ab ſe extructo, curante funus Pontifice, tumulatum eſt juxta cineres Conradi patris. Imperii titulos ſuſcepit filius ejus Henricus IV ab ipſo Victore coronatus, qui imperavit annos undequinquaginta. *Succedit Henricus IV.* Quo anno etiam mortem oppetiiſſe Theodora Græcorum Auguſta memoratur, inteſtinorum morbo abſumpta. Cui in Imperio ſuffectus eſt Michaël IV. cognomento Stratonicus.

Obitus Victoris. Cæterùm Victor rebus Eccleſiæ, quantum licuit, egregiè conſtitutis, anno ſui regiminis tertio nondum completo, Florentiæ (ubi ferè ſemper commoratus eſt) ſancto fine quievit, v. Kalend. Auguſti anno Chriſti 1057. Ejus corpus ibidem in Eccleſia Cathedrali S. Reparatæ conditum eſt.

SCRIPTA.

Ejus Scripta. Edidit Victor varia Decreta, Statuta, Diplomata, quorum paſſim meminit Baronius tomo XI. Annalium.

Scripſit varias litteras ad diverſos Apoſtolico fervore plenas; harum unam ad Epiſcopum Ferrarienſem & Canonicos ejuſdem Eccleſiæ datam reſcripſit Ferdinandus Ughellius in ſuo ſecundo tomo Italiæ ſacræ. Extat etiam inter MM. SS. Bibliothecæ Vaticanæ, inſignis ejus Oratio habita in Concilio Florentino adverſus Simoniacos, & Concubinarios; & alia ejuſdem, qua Clerum univerſum ad vitæ honeſtatem admonet.

ANNO CHRISTI MLVII.

Imperatore HENRICO IV. Auguſto.

CLVI. DE STEPHANO X. Pontifice Max.

Vir genere, doctrina, & vitæ integritati illuſtris. STephanus X. regio Lotharingiæ Ducum ſanguine ortus, ex Abbate Caſſinenſi, poſt obitum Victoris II. omnium ſuffragiis, reluctans licèt, in Petri ſolium ſufficitur: Fridericus anteà vocatus,

catus, vir eruditione, ſapientia, pietate, legationibus, natalium & virtutum ſplendore, toto Orbe celebris, tantoque faſtigio dignus.

Quid verò Stephanus poſt conſecrationem ſuam præcipuè egerit, paucis enarrat, qui tum vivebat, Leo Oſtienſis in Hiſtoria Caſſinenſi: *Quatuor menſibus Romæ ab electione moratus*, inquit, *crebris Synodis Clerum Urbis, populumq́ conveniens: maximeq́ conjugiis Clericorum, Sacerdotum, & Conſanguineorum copulationibus tollendis inſiſtens, tandem ad Monaſterium ſuum Caſſinenſe cum plerisque Romanis reverſus, ibidem propè per trimeſtre moratus eſt: & quoniam vitium proprietatis paulatim à prioribus annis irrepſerat, cœpit omnibus modis inſiſtere, opportunè importunè arguens, obſecrans, increpans, & diſtrictius inhibens, ut prædictum hinc vitium, juxta mandatum Regulæ, radicitùs velleret; quod ex parte maxima fecit: tunc & Ambroſianum cantum in Caſſinenſi Eccleſia cani omnino interdixit.* Hæc Leo. *Cleri populiq́ vitia emendat.*

Quod autem in Clericos concubinarios ediderit Stephanus Decreta, Petrus Damiani ad Epiſcopum Taurinenſem ſcribens ſignificat his verbis: *Alio quoque tempore Papa Stephanus, qui zelo Phinees æmulabatur ardorem, omnes Clericos Romæ, qui poſt interdictum Papæ Leonis incontinentes extiterant, de Conventu Clericorum, & Choro Eccleſiæ præcepit exire.* Quo tempore divina ultio in Presbyterum pravi tenacem, inque peccandi libidine obſtinatum, omnium oculis patuit: nam licèt ſanus veſpertinis horis ad quieſcendum in lecto ſe compoſuerit, manè tamen repentina divinæ ultionis animadverſione percuſſus, repertus eſt exanimis: quare ad terrorem libidinoſis augendum & ad caſtitatis gloriam geminandam ſine ullo Hymnorum & Pſalmodiæ officio, profanæ ſepulturæ commiſſus eſt. *Decreta adverſus concubinarios edit.*

Simoniacos etiam acerrimè inſectans, Henricum IV. qui à ſuis familiaribus depravatus Eccleſias non iis, qui majori litterarum ac vitæ laude clarerent, ſed qui plus mercedis ac pecuniæ præbuiſſent, aperta ſacrorum nundinatione vendere cœperat, aſpero decreto perſtrinxit, quò eum à fœdo Simoniæ flagitio abſterreret. *Henricum Imp. ob ſimoniam arguit.*

Multa & præclara ad emolumentum Eccleſiæ animo verſabat Stephanus, alioquin infirmæ valetudinis, ſed immatura morte præventus, ad optatum exitum omnia perducere non potuit. Nam cùm Florentiam Româ ſe contuliſſet ad Godifredum fratrem Tuſciæ Ducem, cui Imperii coronam procurare ſatagebat, lethalem in morbum incidit: decumbentem beatus Hugo Cœnobiarcha Cluniacenſis inviſit, morientique fidelem operam præſtitit, dæmonem Stephano infeſtum ſuâ fugans præſentiâ. Obiit Stephanus ſanctò fine, IV. Kal. Aprilis anno ſalutis 1058. cùm ſeptem menſes & duodetriginta dies Pontifex vixiſſet, ſepultus Florentiæ in Eccleſia Cathedrali S. Reparatæ. Leo Oſtienſis multa fuiſſe patrata ad ejus tumulum miracula affirmat his verbis: *Ad ſacrum Stephani corpus, intervenientibus meritis, Chriſtus plurima ſigna oſtendit.* *Stephanus ſanctè moritur.* *Claret miraculis.*

S C R I P T A.

Scripſit *de veritate Corporis Domini* contra Michaëlem Patriarcham Conſtantinopolitanum. *Ejus Scripta.*

De

De eadem re tractatum contra quendam Monachum.
Epiſtolam ad Gervaſium Archipræſulem Ravennatem, quæ extat tomo 3. Bibliothecæ Patrum: tomo item 7. Conciliorum, & tomo XI. Annalium Baronii.

Scripſit etiam ad Udalricum Archiepiſcopum Beneventanum *de uſu Pallii, & conceſſione aliquarum Eccleſiarum*: hæ litteræ, teſte Mario Vipera, habentur in Archivio Beneventano. Idem ad Arnaldum Epiſcopum Aretinum, cujus Eccleſiam multis privilegiis munivit.

Fertur quoque Diplomata varia Pontificia ſcripſiſſe, dum ſub Leone IX. Bibliothecarii & Cancellarii S R.E. officio fungeretur. Eodem Leone Papa mandante conſcripſit Privilegia Monachis Caſſinenſibus conceſſa: *Federico Cancellario S.R E.* (inquit Leo Oſtienſis) *mandat Pontifex Privilegium conſcribi, Monaſteriumq́, S. Stephani ſupra Terracinam Cœnobio Caſinenſi conſignari.*

Hiſtoriæ Bavariæ Ratiſponenſis Eccleſiæ referunt eundem Fridericum Lotharingum S R. E. Diaconum tum Cardinalem, anno 1052. ſcriptis mandaſſe declarationem corporis S. Dionyſii Pariſiorum primi Epiſcopi, Ratiſponæ exiſtentis. Vide Raderum *in Bavaria ſancta in vita S. Leonis IX.*

Cæterùm Stephani noſtri Decreta leguntur Coloniæ excuſa cum aliis, teſte Poſſevino in Apparatu ſacro.

ANNO CHRISTI MLIX.

Imperatore HENRICO IV. Auguſto.

DE

NICOLAO II. Pontifice Maxim.

CLVII. STephani X. morte Romæ nunciatâ, Gregorius Patricius Tuſculanus, & Gerardus Galeriæ Comites, Populi Romani Duces, & Joannis Mincii Velitrenſis Epiſcopi affines, ipſius Mincii impulſu, concitato ad arma populo, noctu cum armata manu Lateranenſe Patriarchium occupant, nec ſine profuſa largitione coëmptis quorundam Cardinalium ſuffragiis (reliquis Patribus inconſultis, vel certè repugnantibus) memoratum Joannem Mincium Pontificem conſtituunt, inditoque Benedicti IX. nomine in ſanctam Sedem violenter intrudunt, Legati Hiltprandi reditu è Germania contra datam fidem non expectato. Tùm Petrus Damiani Oſtienſis Epiſcopus, ad quem conſecratio Pontificis de more ſpectabat, & alii Cardinales, qui reclamando nihil profecerat, minis perterriti ex Urbe per varia loca aufugêre. Oſtienſis verò Eccleſiæ Archipresbyter vi ad Urbem tractus, vice Epiſcopi Oſtienſis coäctus eſt eum conſecrare.

Schiſma in Eccleſia ob Mincii intruſionem.

Interim Hiltprandus Apoſtolicæ Sedis Legatus è Germania redux, intellecto Schiſmate, Senas Tuſcorum acceſſit (quòd Romæ

Auctore Hiltbrando eligitur Gerardus

Pſeu-

tutò comitia Pontificalia haberi nequirent libertate Eccleſiaſticâ à Pſeudopontificis Benedicti ſatellitibus oppreſsâ) eoque Cardinales omnes ac Nobiles Romanos ſecum ſentientes, per circulares litteras convocavit. Quorum ſuffragiis Gerardus Allobrox, cognomento Burgundio, Epiſcopus Florentinus, ob ſpectatam virtutem, animique præſtantiam, Benedicto adulterino rejecto, anno Domini 1058. Pontifex Maximus renunciatus, Nicolai II. nomen accepit.

Epiſc. Florentinus ſub nomine Nicolai ſecundi.

Poſt electionem nil cunctatus Nicolaus, cum Hiltprando Legato, Cardinalibus, Clero, ac Nobilibus Romanis, armis Godifredi Tuſciæ Ducis ſtipatus, Romam verſus iter arripiens, Sutrii ſubſtitit: ibi Tuſciæ, Longobardiæ, & Campaniæ Epiſcopis congregatis (præſentibus Italiæ Proceribus) Synodum celebravit, in qua abdicato Antipapa Benedicto, ac Velitras in exilium relegato, ipſe denuò in ſancta Sede confirmatus eſt. Romam poſteà cum Godifredi Ducis copiis ſub finem Decembris profectus, Benedictum cum omni factione, Pontificatu & Urbe expulit, ac Sedem ſibi debitam III. Nonas Januari, ineunte anno 1059. recepit: anathemate interim Benedicto, ejusque complicibus, notatis. Qui haud longè pòſt, quorundam Cardinalium interventu, eundem præteritorum veniam ſuppliciter poſtulantem, à cenſuris & exilio abſolvit; atque ut apud Eccleſiam S. Mariæ Majoris, ſacerdotio exauctoratus maneret, juſſit; ubi mœrore animi ſenſim confectus, v. Idus Aprilis, ejusdem anni 1059. moritur, ac ibidem nullo funeris apparatu ſepelitur. Sedit Pſeudopontifex dies viginti ſupra menſes novem.

Nicolaus Concilium convocat, ac Mincium Antipapam damnat.

Mincius exauctoratus Romæ moritur.

Extincto Benedicto, Nicolaus ſua in ſede firmatus, Concilium generale Lateranenſe convocavit, in quo præter alia legem tulit Eccleſiæ Romanæ ſaluberrimam, quæ habetur apud Gratianum diſtinctione 23. Cap. *in Nomine Domini.* cujus ſumma hæc eſt. *Si quis pecunia, vel gratia humana, aut populari, militarivè tumultu, ſine concordi & Canonica Cardinalium & Cleri electione fuerit in Petri ſolio collocatus, is non Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus vocetur, liceatq; Cardinalibus, Clericis, & Religioſis illum ut prædonem anathematizare, & quovis humano auxilio à Sede Apoſtolica expellere, ac quovis in loco, ſi in Urbe fieri non potuerit, Catholicos hujuſce rei cauſâ congregare.* Hoc autem ideò decrevit Nicolaus, ut Schiſmatibus, quæ inpoſterum oriri poſſent, obviàm iret, occaſione à Benedicti ſeditione acceptâ. Quamvis id ipſum poſteà Decretum dolo malo Schiſmaticorum fuerit labefactatum, ut fuſiùs oſtendit Baronius tomo XI. ad annum 1059. *n. 30. & ſeqq.* Edidit quoque in eodem Concilio Nicolaus Conſtitutionem contra ordinatos à Simoniacis, ipſosque Epiſcopos Simoniacos depoſuit gradu, inter quos Aldredum Archiepiſcopum Eboracenſem, qui Romam accipiendi cauſâ Pallii venerat, cui paulò pòſt ablatam dignitatem, quòd pœnituiſſet, reſtituit. In eadem Synodo Berengarius Turonenſis hæreticus jam anteà damnatus, iteratò damnatus eſt, & ab errore revocatus, cujus palinodia, quæ in *Decretis 11. diſt. 2. de Conſecratione* extat, incipit: *Ego Berengarius indignus Diaconus Eccleſiæ S. Maurilii Andegavenſis cognoſcens veram & Apoſtolicam fidem, anathematizo omnem hæreſim, eam præcipuè de qua hactenus infamatus ſum &c.* Conſule Baronium *ubi ſuprà n. 12.*

Concilium generale Lateranenſe celebrat.

Schiſmati occurrit.

Decretum contra Simoniacos edit.

Berengarius damnatus palinodiam canit.

Tt Cùm

Nicolaus contra concubinarios ſtimulatur à Petro Damiani.

Cùm autem (quod unum deſiderari à bonis omnibus videbatur) Nicolaus Pontifex remiſſiùs agere viſus eſſet in Epiſcopos inſectandos, qui introductas haberent fœminas, ne ex hoc publico judicio infamaretur dignitas Epiſcopalis, decantareturque ubique locorum, quod Synodali ſententia ſciretur publicè definitum: Petro Damiani mandavit, ut fultus Pontificia Auctoritate cum illis ſecretiùs ageret, eoſque ad meliorem frugem converteret. Qui rem aggreſſus, cùm non ex ſententia ſuccedere tentata ſenſiſſet, ad Nicolaum converſus, Libellum obtulit, quo ipſum hortatus eſt, ut poſtpoſito omni humano reſpectu adverſus hujuſmodi prævaricatores Apoſtolico zelo inſurgeret, non reveritus potentes, qui Dei Eccleſiam ſummo cum ſcandalo tanta turpitudine coinquinarent. Recitat hunc libellum laudatus Baronius *n.39.* dignum ſanè, quem Eccleſiaſtici omnes ad ſuum profectum legant.

Conſtitutionem edit adverſus incontinentes.

Itaque Nicolaus Apoſtolica falce, quod malè pullulabat, amputandum ratus, adverſus incontinentes Eccleſiaſticos ſpeciale Conſtitutum edidit: citatur hoc ab Alexandro II. ejus Succeſſore *Diſt.32. cap. Præter hoc*, recitaturque ad omnes Epiſcopos breve ejus fragmentum his verbis: *Nullus Miſſam audiat Presbyteri, quem ſcit concubinam indubitanter habere, aut ſubintroductam mulierem. Unde etiam ipſa ſancta Synodus hoc Capitulum ſub excommunicatione ſtatuit, dicens: Quicunque Sacerdotum &c.* Ut apud Gratianum recitatum habetur decretum.

Eccleſiam Mediol. reformat.

Idem Sanctiſſimus Pontifex, cùm percepiſſet Mediolanenſem Eccleſiam, ſicut Simoniaca labe, ita & Clericorum impuritate labefactatam, penituſque collapſam, ad eam reſtituendam Legatos decrevit viros Sanctiſſimos atque doctiſſimos Petrum Damiani Cardinalem Oſtienſem, & Anſelmum Lucenſem Epiſcopum. Quàm verò ſtrenuè hi Legatione ſibi commiſſa perfuncti fuerint, leges lib. 1. Purpuræ doctæ *n.XI. in vita ipſius Petri Damiani*: & apud Baronium tomo XI. *ad annum 1059. n.44.*

Pacem cum Northmannis certis conditionib. componit.

Porrò Nicolaus pertæſus belli, quod Northmanni perpetuò cum Eccleſia gerebant, pacem cum iis facere certis conditionibus per Legatos conſtituit, eo fine, ut ipſorum copiis, ac opibus adjutus, Comites Tuſculanos, ac nobiles Romanos ſibi adverſantes compeſceret, & Eccleſiæ Oppida ab iis malè occupata recuperaret. Robertus Guiſcardus, qui tunc utramque Siciliam obtinebat, Nicolai Pontificis voluntate cognita, quò imperium ſuum Principum fœderibus & legitimis titulis ſtabiliret, ſimulque perpetuum ad id tempus Romanorum Pontificum contra gentem ſuam odium extingueret, eo in Apuliam accito, pacis conditiones cupidè amplexus eſt, quæ ejuſmodi fuêre:

Pacis conditiones.

Ut Northmanni anathemate à Nicolai Prædeceſſoribus inflicto ſolverentur: Ipſorum Princeps Robertus Guiſcardus beneficiario jure cuncta, quæ in Italia poſſidebat, à Romana Eccleſia emanata agnoſceret, ſuſciperetq́; cum penſione annua duodecim denariorum pro ſingulis jugeribus boum perſolvenda: utq́; Romanus Pontifex univerſam eam gentem, ejuſq́; jura tueretur, & viciſſim Nothmannorum Principes jurejurando ſe fidem Romanis Pontificibus ſervaturos, & ipſorum ditionem defenſuros promitterent, ab iis vexilli ſuſceptione Principatûs inſignia, titulos, & jura ſuſciperent, & quæ Romana Sedi eripuerant, reſtituerent, præſertim Trojam & Beneventum.

Roberti Guiſcardi juramentum, & abſolutio.

His

His confectis Pontifex Robertum & Northmannos in Apoſtolicæ Sedis gratiam & communionem ſuſceptos anathemate ſolvit, ipſumque Robertum jam vectigalem Eccleſiæ factum, Campaniæ, Calabriæ, & Apuliæ Ducem, Siciliæ Comitem creavit. Acta hæc ſunt anno ſalutis 1060. & in Concilio Amalphitano confirmata. Lege Baronium citatum *num 68. & ſeqq.*

Hiſce pactionibus initis Nicolaus, ut ditionem Eccleſiaſticam à Tyrannis occupatam reciperet, magno exercitu à Roberto ex fœderis formula accepto ad Urbem rediit; Prænestinos, Tuſculanos, Tiburtinos, & Nomentanos, Romanæ Eccleſiæ rebelles in deditionem accepit, Tyberique trajecto, Galeriam, & alia Gerardi Comitis infenſiſſimi Eccleſiæ hoſtis oppida diripuit: Caſtella omnia Sutrium uſque expugnavit, & Eccleſiaſticam ditionem tutiſſimam reddidit. *Nicolaus ablata Eccleſiæ oppida recipit.*

Canonicos Regulares ad antiquam obſervantiam redegit, editis ea de re pluribus decretis in Conventu Lateranenſi centum & tredecim Epiſcoporum: & amore, quo ſemper proſecutus eſt Virginem Deiparam, ut ipſemet teſtatur in Diplomate, beneficiis ampliſſimis Abbates, & Canonicos Tremitanos, qui Virgini matri inſerviebant, affecit. Anglorum Legatos, quos Romam cum litteris S. Eduardus Rex tranſmiſerat, benigniſſimè recepit. Monaſterio S. Felicitatis, Florentiæ dum eſſet, beneficia quamplurima contulit, eandemque Eccleſiam S. Felicitatis VI. Idus Novembris anno 1059. conſecravit. Denique ſancto fine quievit Romæ V. Nonas Julii anno Domini 1061. poſtquam ſediſſet annos duos, & menſes ſex: ſepultus in Baſilica Principis Apoſtolorum in Vaticano juxtà *portam Judicii*, teſte Romano Canonico apud Paulum de Angelis in deſcriptione Baſilicæ Vaticanæ. *Canonicos Regulares reformat.* *Alia preclare operatur.* *Sanctè moritur.*

Quod ad res Orientis pertinet: hoc eodem tempore Iſacius Comnenus Imperator Dei vindictâ vehementer exagitatus, ſpontè depoſitâ purpurâ, ſucceſſore delecto Conſtantino *Duca*, monaſticum ſumens habitum, in Monaſterio *Studii* monachis ſerviens, illic reliquum vitæ tempus ſanctè tranſegit. De quo videri poteſt Curopalata, & Baronius *n.83.* *Iſacius Græcorum Imp. Monachum induit.*

SCRIPTA.

Scripſit Nicolaus II. varias Epiſtolas: illarum tamen non niſi quinque inter Decretales numerantur: quatuor ad Archiepiſcopum Rhemenſem, & una ad Eduardum Anglorum Regem, & hæ leguntur apud Binium tomo 7. Conciliorum cum tribus ejus Conciliis; apud Bignæum tomo 3. Bibliothecæ Patrum, apud Baropium ſæpè laudatum, & Papyrium Maſſonum. Cumque eſſet probatæ caſtitatis Pontifex (ut eum appellat Petrus Damiani) egregiam Conſtitutionem edidit contra concubinatum Clericorum, qua Eccleſiæ honeſtati conſuluit. Alia item Decreta contra ordinatos à Simoniacis, ipſoſque Epiſcopos Simoniacè ordinantes edidit, ut videre eſt apud allegatum Baronium: Diplomata item varia, quæ idem Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis exhibet legere cupientibus. *Nicolai Scripta.*

ANNO CHRISTI MLXI.

Imperatore HENRICO IV. Auguſto.

DE

ALEXANDRO II. Pontif. Max.

CLVIII. *Vir ſanctus & doctus.*

ALexander II. Anſelmus anteà vocatus, patria Mediolanenſis, ex Canonico Lateranenſi Epiſcopus Lucenſis, nobili genere *de Bedagio* ortus, ob egregias animi dotes, & præclara virtutum inſignia (*erat enim vir ſanctus, doctus, humanus, & clemens*, teſte Petro Damiani) mortuo Nicolao II. Papa, à Cardinalibus legitimo ritu abſens Romanus Pontifex creatur. At verò Ciſalpini Epiſcopi ſimoniâ & incontinentiâ infames, Alexandri ſeveritatem juxtà ac ſanctitatem pertimeſcentes, ſacta conſpiratione reclamarunt, ejuſque loco Cadaloum Parmenſem Epiſcopum, pari infamiâ notatum, eligi curârunt, Guiberto Parmenſi viro potentiſſimo ſimul ac nequiſſimo modis omnibus annitente, ac incœptum Schiſma urgente, Etenim Guibertus apud Henricum Imperatorem pluribus conqueſtus, Alexandrum ipſo neſciente Pontificem electum, citra injuriam Cæſarei nominis & auctoritatis tolerari non poſſe, Henricum eò pepulit, ut is alium eligendum decerneret. Qua arrepta occaſione Guibertus, nihil morandum ratus, ſuæ Civitatis intimum familiarem Cadaloum Cæſari proponit, qui cùm Cæſari probaretur, mox à duobus Epiſcopis publico concubinatu infamatis, nempe Vercellenſi & Placentino, extra Synodum, creatus eſt Pſeudopontifex: cui ſtatim Ciſalpini omnes obtemperavêre, præter Mathildem optimam ſœminam, & cum Eccleſia Romana benè ſentientem.

Schiſma inter Alexand. II. & Cadaloum Parmenſem dictum Honorium II.

Prælium inter Schiſmaticos & fideles.

Superveniente deinde Cadaloo, ab his, qui Alexandro adverſabantur, accito, in pratis Neronianis ſub radicibus Aurei montis grave prælium committitur, in quo multi utrinque cecidêre, Alexandro Pontifice, & Godifredo Tuſciæ Duce Mathildis conjuge, ſe ſe ad ædes Lateranenſes continentibus. Incerti enim erant, quibus potiſſimùm ſe tutò committerent, adeò omnia ſeditione atque perfidia ſcatebant. Sunt qui ſcribant, Alexandrum ante prælium commiſſum Lucam profectum vitandæ cædis causâ, eoque loci quietè aliquamdiu vixiſſe; neque ingratum tantæ erga ſe Lucenſium benevolentiæ, Eccleſiam & Civitatem multis privilegiis (ut in eorum Annalibus apparet) inſigniorem reddidiſſe.

Pſeudopapa Urbem occupat:

Repulſus tandem ab Urbe Cadalous Pſeudopontifex non diù in Provincia quievit: accitus ſiquidem iteratò à Romanis quibuſdam quorum maximè intererat omnia Romæ perturbari explendarum voluptatum causâ, comparato majore atque anteà exercitu Romam venit, ac Urbem Leoninam Eccleſiamque beati Petri, proditore Cincio Romani Præfecti filio, vi occupat. At verò erumpentibus Romanis cum Ducis Godifredi copiis tantus terror repentè

hoſtes

hoſtes invaſit, ut projectis armis, effuſâ propè omnes fugâ abierint, parumque abfuerit, quin ipſe Cadalous caperetur à ſuis derelictus, quem Cincius Urbis proditor, facto cum ſuis cuneo, per media Civium agmina ægrè in arcem Hadriani perduxit, ubi aliquamdiu obſeſſus, cùm nullam liberè abeundi ſubeſſe ſpem videret, trecentis argenti libris ab his ſe redimens, qui Arcem obſidebant, conſcenſo velociſſimo equo, mutatoque habitu, ſolus inde Parmam aufugit; quum magnas Urbi duplici oppugnatione calamitates intuliſſet.

Fugit in arcem: obſidetur: redimitur.

At verò Otho Colonienſis Archiepiſcopus apud Henricum Imperatorem adoleſcentem Agnetem matrem criminatus, quod contra majeſtatem Imperii Chriſtiana Reſpublica mulieris nutu gubernaretur, acceptâ poteſtate componendi ex arbitrio cauſam Eccleſiæ Dei, Romam veniens; primò quidem acribus verbis Alexandrum increpat, quòd Sedem Romanam injuſſu Cæſaris, & contra conſuetudinem, occupaſſet. Tùm Iltprandus Archidiaconus vir ænei pectoris, partes Pontificis aſſumens, eundem acerrimè tutatus eſt, quòd diceret, electionem non ad Cæſarem, ſed ad Clerum pertinere, ſi jus, ſi antiquam conſuetudinem, ſi divina oracula vellet, inſpicere: qua dicendi libertate facilè Othonem, qui quod opponeret in promptu non habebat, ſuam in ſententiam pertraxit. Quare Henricus, cognito errore, ad ſe poſtremò rediens, Alexandrum rogat, ut Concilium, quo ſe perventurum pollicetur, indiceret. Urbs Mantua ad eam rem potiſſimùm idonea viſa eſt: eò proficiſcuntur omnes, ad quos pertinere videbatur Eccleſiæ ſalus & tutela. Ubi compoſitis longa diſcuſſione rebus, Imperator ipſe non ſolùm in gratiam Pontificis rediit, verùm etiam precibus ab eo impetravit, ut & Cadaloo, jam jam Patrum ſententiâ exauctorato, veniam petenti ignoſceret, & Guibertum, tanti mali (ut diximus) authorem Ravennatis Eccleſiæ Archiepiſcopum crearet: primum haud gravatè fecit, Salvatoris noſtri exemplum imitatus, qui novit etiam pro perſecutoribus exorare: ſecundum invitus conceſſit & non niſi precibus Henrici fatigatus; quòd verebatur (uti poſteà accidit) ne ea res Eccleſiæ Romanæ magnas calamitates afferret.

Otho Colonienſis Archiep. Alexandrum arguit.

Hiltprandus eundem defendit.

Alexander Mantuæ Concilium indicit: & quæ in eo geſta ſint, exponitur.

Soluto Concilio Mantuâ abiens Pontifex, ac Lucam iter faciens Eccleſiam ibi majorem, Divo Martino ſacram, anno 1060. à fundamentis inſtauratam (cujus Epiſcopus anteà fuerat) ſacris ſolemnibus adhibitis conſecravit, prolato in eorum favorem ampliſſimo indulto, qui dictam Eccleſiam ea ipſa die quotannis inviſerent. Lucæ tamdiu ſubſtitit, quoad ab Iltprando Archidiacono res in Apulia perturbatæ pacatiores redderentur. Is enim acceptis à Mathilde comitiſſa auxiliaribus copiis, non ſolùm Richardi & Guilielmi impetus repreſſit, verùm etiam eos coëgit, quæ Eccleſiæ abſtuliſſent, oppida reſtituere.

Lucam proficiſcitur, ibique conſiſtit.

Anno ſalutis 1065. rebus omnibus Iltprandi diligentiâ tam in Apulia quam in Urbe pacatis, Alexander Romam rediit; ubi cùm Eccleſiæ Mediolanenſis mutuas diſſenſiones, ac perturbationes à Simoniacis & fornicariis Clericis excitatas audiſſet, miſeratus errores ac damna ex iis jugiter provenientia, Legationem ad Mediolanenſes decrevit; delecti ſunt ad hoc munus Maynardus Epiſcopus Sylvæ

Romam redit & quæ ſui muneris ſunt exequitur.

væ Candidæ, & Joannes Presbyter Cardinales, qui cùm illuc perveniſſent, præſcriptis legibus, utcunque morbos Clericorum curarunt. Hugonem Candidum Cardinalem, quem jam Eccleſiæ communioni reſtituerat, in Hiſpanias ad abrogandas leges Gothicas, quibus utebantur Catalauni, ablegavit: in Gallias verò Petrum Damiani, expetente ſancto Hugone Abbate Cluniacenſi, ad propulſanda mala illa, quæ Principum diverſorum tyrannide Monachi patiebantur; quem etiam ad Imperatorem Henricum cum legatione miſit, ne legitimam uxorem, pellice inductâ, ſine cauſa ejiceret. Quin & eundem Imperatorem Simoniæ accuſatum Romam ad dicendam cauſam vocavit, quòd Epiſcopatus & Abbatias plus offerentibus, nullâ legum aut cenſurarum habitâ ratione, hominibus prorſus indignis vendidiſſe diceretur.

Henricũ Imp monet, & in jus vocat.

Ut autem Alexandro innotuit, poſt Conſtantini Ducæ obitum, Michaëlem VII. Imperatorem Orientis creatum, ex more ad eum Apocriſarium direxit: qua quidem legatione colligitur eundem Imperatorem cum Romana Eccleſia fuiſſe communione conjunctum. Delectus eſt ad id muneris Petrus Epiſcopus Anagnienſis, vir ſcientia non minùs, quàm ſanctitate, & miraculorum gloria inſignis, qui honeſtiſſimè eo munere perfunctus, ipſum Imperatorem lethali morbo decumbentem ſanitati reſtituit: cujus beneficii accepti memor idem Auguſtus, eundem ad conſtruendam Eccleſiam, quam inchoarat, multâ donatum pecuniâ dimiſit.

Legationem Conſtantinopolim mittit.

Petrus Anagnienſis vir ſanctus.

Porrò cùm Haroldus Tyrannus, extincto ſancto Eduardo Rege, Angliam invaſiſſet, Alexander, ne populi illi Romanæ Eccleſiæ addictiſſimi perirent, vexillum ad Guilielmum Northmanniæ Comitem, & legitimum Eduardi ſucceſſorem miſit, ut Tyrannum collatis ſignis expelleret: cumque Guilielmus Burgundiæ Comes, compluresque alii Francorum viri primarii, imò & Vratiſlaus Dux Bohemiæ juramento ſe obligaſſent, ſemper cùm opus eſſet, aſſurgere ad defenſionem Romanæ Eccleſiæ, Alexander Vratiſlao uſum Mitræ, laicis hactenus inconceſſum, permiſit.

Angliæ Regno contra invaſorem patrocinatur.

Sedente Alexandro in Petri Cathedra, ex hac vita migrârunt Ferdinandus Magnus Rex Caſtellæ & Legionis, cujus pietatem, & in Eccleſias munificentiam plurimùm commendarunt omnes hujus ſæculi Scriptores: Et Dominicus cognomento Loricatus, cujus res præclarè geſtas ſcripſit Petrus Damiani ad ipſum Alexandrum Pontificem: & Arialdus, vir Apoſtolicus, qui diù multumque pro cuſtodia ſacrarum legum adverſus Simoniacos & Nicolaitas Mediolani laborans, denique operâ Guidonis Pſeudoepiſcopi Mediolanenſis martyrio coronatus eſt.

Ferdinandi Caſtellæ Regis Dominici Loricati; & Arialdi obitus.

Cæterùm miracula, quibus Deus voluit Vicarium ſuum Alexandrum ante obitum illuſtrare Leo Oſtienſis in Chronico Caſſinate diſertè deſcribit: inter alia ſtupenda refert & hoc: *Cùm ſanctus Pontifex pertranſiret Aquinum, claudam quandam in itinere jacentem invenit; cujus infirmitati compatiens, aquam eandem, qua poſt Miſſarum ſolemnia manus ſuas abluerat, ei ad bibendum dedit, quam ubi illa ſorbuit, ſanitati reddita, Deo gratias maximas dicere cœpit.* Obiit verò Alexander Papa ſenio confectus Romæ beato fine, anno à Chriſto nato 1073. Undecimo

Alexander claret miraculis.

Ejus obitus.

decimo Kalend. Maij : cujus corpus miraculis coruſcans, nullo non genere honoris ſepultum eſt in Baſilica Lateranenſi, cujus olim Canonicus fuerat, & in qua eundem Ordinem, temporum iniquitate collapſum, reſtituerat. Præfuit Reipublicæ Chriſtianæ annos undecim, menſes ſex, dies viginti duo.

SCRIPTA.

Scripſit Epiſtolas quamplurimas, quarum aliquæ deſumptæ ex Codicibus Bibliothecarum Vaticani, Caſſini, & S. Victoris Pariſienſis hæc ſunt. *Scripta.*

Una ad Mediolanenſes, illos ad virtutum exercitia excitans, iisdemque Orationem Dominicam interpretans.

Alia ad Heraldum Norvegiæ Regem, illum hortans ad obedientiam Adalberto Hamburgenſi Epiſcopo præſtandam.

Una ad Sueſorum Daniæ Regem, qua exigit cenſum, quem majores ejus perſolvere conſueverant.

Iterum una ad Petrum Dalmatiæ & Sclavoniæ Archiepiſcopum, cum qua Pallium illi mittit.

Una ad omnes Epiſcopos de Rebus in Concilio Romano geſtis.

Una ad Epiſcopos Daniæ pro Synodo celebranda.

Quatuor & decem ad Guilielmum ſeu Gervaſium Rhemenſem Archiepiſcopum de Simoniacis, deque vitiis Clericorum extirpandis.

Duæ ad Wilhelmum Regem Anglorum pro exactione denarii ſancti Petri, & pro Lanfranco Archiepiſcopo.

Una ad S. Annonem Archiepiſcopum Colonienſem, qua concedit illi privilegium immunitatis pro Monaſterio Sigebergenſi.

Una ad Landulphum in Corſica, qua illi vetat niſi cum uxoris conſenſu Monaſticam vitam ingredi, & votum continentiæ emittere.

Una ad Archiepiſcopos Galliæ, qua mandat, ut Petro Damiani Oſtienſi Epiſcopo, Sedis Apoſtolicæ Legato obediant.

Scripſit etiam ad Conſtantinum Aretinum, Lambertum Bononienſem, Ubaldum Cremonenſem Epiſcopos; item ad Everhardum Archipresbyterum Ferrarienſem, & Gerardum Eccleſiæ Piſanæ Canonicum, conceſſionesque factas à Prædeceſſoribus ſuis Eccleſiis Aretinæ, Bononienſi, Cremonenſi, Ferrarienſi, & Piſanæ comprobavit: quin etiam Capuæ cùm eſſet, vetera Romanorum Pontificum in Eccleſiam Salernitanam beneficia inſtauravit.

Epiſtolas quoque plures dedit Lucenſis Eccleſiæ Clero & Populo, quibus illos ad optimam vivendi rationem reducere ſtuduit. Item ad Petrum Præpoſitum Spoletanæ Eccleſiæ, quibus ratam habuit Andreæ Epiſcopi donationem eidem Eccleſiæ factam. Cùm autem à Petro Damiani litteras accepiſſet, ad eum prolixam officiique plenam reſcripſit Epiſtolam; illud ab eo exigens, ut quia jam non liceret ipſius frui verbis, ſaltem litteras legere concederetur. Præter Petrum Damiani Alexandro ſcripſerunt Lanfrancus Archiepiſcopus Cantuarienſis, Clerus & Populus Florentinus.

Conſti-

Conſtitutionem in Synodo Lateranenſi edidit, qua Monachis pedem è Clauſtris efferre, & Civitates percurſare prohibuit: Canonicos verò regulares in communi vivere, & nil proprii habere præcepit: utque Lateranenſis Baſilicæ Canonicos ad antiquum inſtitutum revocaret, Romam Lucenſes Canonicos Congregationis S. Fridani vocavit, quibus Eccleſiam *S. Mariæ*, antiquam olim, nunc Novam dictam, conceſſit.

Conſtituit *Reſponſoria* in Dominica Septuageſimæ recitanda; mandavitque *Alleluja* in Sabbato diem Dominicum Septuageſimæ præcedente dimitti uſque ad Sabbatum ſanctum.

ANNO CHRISTI MLXXIII.

Imperatore HENRICO IV. Auguſto.

DE

GREGORIO VII. Pontif. Max.

CLIX. *Vir doctrina, meritis, ac virtutibus inſignis.*

GRegorio VII. Jetprandus ſeu Hildeprandus anteà vocatus, natione Etruſcus, patria Soänenſis (quæ Urbs Etruriæ eſt propè Senas) nobili & antiqua *Aldobrandeſcorum* Comitum Soänenſium familia, patre Bonicio natus, profeſſione Monachus Benedictinus, ob maximas virtutes, inſignem doctrinam, & eximia in Eccleſiam Dei merita, poſt obitum Alexandri Papæ II. miro omnium conſenſu & acclamatione electus eſt in Romanum Pontificem. Patet id luculenter admodùm (quidquid mendax Benno proſcriptus auctor contradicat) ex ipſo ejus electionis Decreto, à Cardinalibus eadem die, qua electus eſt, his verbis concepto, & edito: *Regnante Domino Noſtro JESU Chriſto, anno clementiſſima incarnationis ejus 1073. Indictione & Luna undecima, decimo Kalend. Maij, feria ſecunda, die ſepultura Domini Alexandri bona memoriæ ſecundi Papæ, ne Sedes Apoſtolica diù lugeat proprio deſtituta Paſtore, congregati in Baſilica beati Petri ad vincula Nos ſancta Romanæ Catholica & Apoſtolica Eccleſia Cardinales, Clerici, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, præſentibus Epiſcopis, & Abbatibus, Clericis & Monachis, conſentientibus plurimis turbis utriusque ſexûs, diverſiq; ordinis acclamantibus, eligimus nobis in Paſtorem & ſummum Pontificem, virum religioſum, gemina ſcientia prudentiâ pollentem, æquitatis & juſtitia præſtantiſſimum amatorem, in adverſis fortem, in proſperis tempiratum, & juxta Apoſtoli dictum, bonis moribus ornatum, pudicum, modeſtum, ſobrium, caſtum, hoſpitalem, domum ſuam benè regentem, in gremio hujus matris Eccleſiæ à pueritia ſatis nobiliter educatum & doctum, atque pro vita merito in Archidiaconatus honorem uſque hodie ſublimatum; Hiltprandum videlicet Archidiaconum, quem à modo uſque in ſempiternum & eſſe, & dici Gregorium Papam, & Apoſtolicum volumus, & approbamus. Placet vobis? placet: vultis eum? volumus: laudatis eum? laudamus. Acta Romæ decimo Kalend. Maij, indictione undecima*

Ejus electionis Decretū à Cardd. electoribus editum.

Fruſtrà Henricum Imp. admonet.

Adeptus Pontificatum Gregorius, ſtatim Henricum Imperatorem per litteras admonuit, ne deinceps largitione corruptus, cuipiam

piam Epiſcopatus & Eccleſiaſticas dignitates per ſimoniam committeret, ſecùs uſurum ſe in ipſum & complices, more majorum, cenſuris Eccleſiaſticis. His admonitionibus licèt æquiſſimis non modò non obtemperavit Henricus, verùm etiam Agnetem Imperatricem matrem, id ipſum ſæpiùs inculcantem, pravorum inſtinctu, adminiſtratione & aula depulit; quæ Romam profecta ſumpto religioſo habitu non diu ſupervixit, extincta ſanctiſſimo vitæ exitu circa ſalutis annum 1077. Frutellis in Lombardia. Tandem verò multis legationibus ultrò citroque miſſis, Imperator poſt multas ſimultates cum Gregorio in gratiam rediit, eundemque in Pontificatu (ut tum Imperatorum mos erat) confirmavit: Quemadmodum ex Baronio & aliis teſtatur Oldoinus his verbis: *Henricus Rex non ſolùm Gregorii electionem approbavit, ſed & Gregorium Vercellenſem Epiſcopum Italiæ Regni Cancellarium ad Urbem miſit, ut conſecrationi ejusdem intereſſe ſtuderet, ut factum eſt: nam infra octavam Pentecoſtes in Presbyterum Hiltprandus ordinatus eſt, & in Natali Apoſtolorum Petri & Pauli conſecratus.*

Agnes Imperatrix aula pellitur.

Henricus placatum Gregorium confirmat.

At verò cùm Henricus in bono levis, in malo pertinax, ejuratam paulò ante ſimoniam rurſum repeteret, eandemque publicè ſummo bonorum omnium ſcandalo & execratione, totâ paſſim Germaniâ exerceret, Pontifex rei indignitate commotus, omnes illos anathemate notavit, qui infami largitione Epiſcopatus & beneficia adepti erant. Et ne id temerè feciſſe videretur, indicto apud Lateranum Concilio (cui quamplurimi Epiſcopi, Abbates, & Eccleſiaſtici interfuêre, ac inter hos Guibertus Archiepiſcopus Ravennas, fautor Cæſaris) rationem reddit, quam ob rem cenſuris Eccleſiaſticis Simoniacos innodaſſet: minitatus etiam, niſi Cæſar ſententiam mutaret, ſe adverſus eum pari zelo proceſſurum. Tum verò Guibertus ſoluto Concilio, criminandi Gregorii occaſionem nactus, ad Pontificatum viam quærens, Cincium Romanum civem, Stephani Præfecti Urbis filium, hominem patrandis flagitiis, concitandisque ſeditionibus aptiſſimum, in Pontificem animat, magna ei ex Imperatoris nomine pollicitus, ſi tantum facinus ex ſententia confeciſſet. Structis itaque inſidiis Cincius, quum Pontifex media nocte Natalis Domini in Templo *S. Mariæ Majoris* ad Aram Præſepis ſacrificat, irrumpens è latebris cum ſatellitibus & conjuratis Pontificem diſtricto gladio involat, abſtractumque ab aris, atque ligatum in turri munitiſſima Capitolii collocat. Sequenti die Populus Romanus, cognito facinore, ingenti agmine facto in Cincium arma ſuſcipit, Pontificem liberat, ædes ac turrim ſacrilegi proditoris à fundamentis evertit, omnemque ejus familiam naribus mutilatam, probrisque ac ſaxis impetitam Urbe expellit. Ipſe verò Cincius tanti ſceleris author, barbâ ac ſuperciliis abraſis fœminam mentitus, variis tramitibus in Germaniam ad Imperatorem diſfugit. Guibertus autem totius Tragœdiæ machinator, cùm inſidiæ ex voto non ſucceſſiſſent, ſimulatâ benevolentiâ à Pontifice dimiſſus, Ravennam frendens peiora moliturus ſe contulit. Nam & Theobaldum Mediolanenſem Archiepiſcopum, & pleroſque alios Ciſalpinæ Antiſtites, ſimoniâ & concubinatu infames, jurare in Grego-

Gregorius Concilium indicit adverſus Simoniacos.

Guiberti Antiſtitis Ravennatis perfidia

Conjuratio in Gregorium:

Capitur à Cincio, ſed liberatur à populo: Cincius fugit.

Guibertus peiora molitur.

gorium pollicitationibus compulerat. His addidit Hugonem Candidum ſacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, Gregorii hoſtem ſub larva acerrimum. Is enim viribus omnibus annixus eſt, Imperatorem & Northmannos, inter ſe de imperio diſſidentes, compoſitâ pace, initisque fœderibus in Pontificem, ut è ſede dejiceretur, concitare. Hæc tanta facinora ubi Gregorio Pontifici innotuêre, congregatâ ad Lateranum Synodo, propoſitisque cur id faceret rationibus, Guibertum & Hugonem dignitatibus privatos unà cum Theobaldo & complicibus anathemate ex Patrum ſententia feriit.

Anathemate cum complicibus notatur.

Henricus Gregorium pro depoſito promulgat.

Dum hæc Romæ aguntur, Henricus cum Saxonibus hoſtibus proſperè pugnans, adeò felicitate illa elatus eſt, ut habito apud Vormatiam conventu (Sigefrido Archiepiſcopo Moguntino negotium procurante) interdicere omnibus auſus ſit, ne ulla in re Pontifici Romano, ſe inconſulto & abnuente, obtemperarent; ipſumque Pontificem pro depoſito, damnatoque, dum alius eo dignior ſufficeretur, haberent. Porrò ex illo ipſo conventu, juſſu Henrici, Rolandus Clericus Parmenſis Romam veniens, Gregorio publicè interdixit, ne quid ageret deinceps, quod ad magiſtratum Pontificis pertineret, ſciretque ſe Imperiali & Synodali decreto in Concilio Vormatienſi depoſitum: quin & Cardinalibus ipſis eadem temeritate mandavit, ut relicto Gregorio, alium propediem habituri Pontificem, in Germaniam ſe ad Henricum conferrent.

Rolandus Clericus contra Gregorium Romam mittitur.

Gregorius adunato Concilio Henricum cum complicibus damnat.

Tum Gregorius tantam injuriam, non tam ſibi, quàm Deo, cujus vice ſungebatur, factam vulturus, tertium Lateranenſe Concilium in Quadrageſima indixit, in quo, poſt invocationem Spiritus Sancti, Henricum Cæſarem, Sigefridum Moguntinum, Guibertum Ravennatem Archiepiſcopum, Hugonem Candidum Cardinalem, & aliquot alios Epiſcopos, dignitatibus & beneficiis privatos excommunicavit: reliquos vero Epiſcopos, & Abbates, qui execrabili Vormacienſi Conciliabulo interfuerant, niſi ad præfixam diem Romam ad dicendam cauſam venirent, ſimili ſententia damnavit. Abrogationis formula, qua Henricum omni regia adminiſtratione privatum diris devovit Gregorius, hæc erat: *Beate Petre Apoſtolorum Princeps, inclina quaſo aures tuas, & me ſervum tuum exaudi, quem & ab infantia educaſti, & uſque ad hunc diem ab iniquorum manibus vindicaſti, qui me pro mea in te fide oderunt, & perſecuti ſunt. Tu mihi teſtis es optimus, & pia Jeſu Chriſti mater, & frater tuus Paulus tecum martyrii participes, me non ſpontè, ſed invitum Pontificatus gubernacula ſuſcepiſſe: non quòd rapinam arbitratus ſim Sedem tuam legitimè conſcendere, ſed mallebam vitam meam in peregrinatione degere, quàm locum tuum pro fama & gloria tantùm occupare. Fateor ego, & meritò quidem, mihi tuâ gratiâ, non meritis meis Populi Chriſtiani curam demandatam eſſe, conceſſamq; à Deo ligandi & ſolvendi poteſtatem. Hac itaque fiducia fretus, pro dignitate & tutela Eccleſia tua ſancta, ex parte omnipotentis Dei Patris & Filii, & Spiritus Sancti, Henricum Regem, Henrici quondam Imperatoris filium, qui audacter nimium & temerariè in Eccleſiam Dei manus injecit, Imperatoriâ adminiſtratione regiaq; dejicio; & Chriſtianos omnes imperatorio ſubjectos juramento illo abſolvo, quo fidem legitimis Regibus praſtare conſueverunt. Dignum enim*

Damnationis & abrogationis in Henricum lata formula

nim

nim eſt, ut is dignitate careat, qui majeſtatem Eccleſiæ imminuere conatur. Prætereà verò, quia monita mea, imò tua, ad ſui ipſius populorumq́; ſalutem pertinentia, contempſit, & ſe ab Eccleſia Dei, quam ſeditionibus peſſumdare cupit, ſeparavit; eum anathematis vinculo colligo, certò ſciens te eſſe Petrum, in cujus petra, uti in vero fundamento Rex noſter Chriſtus ædificavit Eccleſiam ſuam &c. Hactenus formula, ex Platina in vita Gregorii deſumpta: cui concordat illa, quam refert Baronius *ad annum 1076. n. 25.*

Monetur Gregorius ut mitius cum Cæſare ageret.

Fuère tamen multi ex Purpuratis Patribus, qui poſt execrationem memoratam, pacis redintegrandæ nomen Pontifici ingererent: quibus ille ita reſpondit; ſe pacis honeſtæ conditiones non abnuere, modò Henricus in ſe reverſus pacem primò cum Deo ineat *Non ignoratis*, inquit, *quamdiù, & quantis malis Romanam affecerit Eccleſiam, quotieſq́; à me in Dei nomine ſit admonitus, ut meliorem vitam, moreſq́; probatiores indueret. Hoc tribuimus benevolentiæ & charitati, qua Henrico patri conjuncti olim fuimus: ſed nihil profecimus, adeò mores à patre averſos imbibit.* Inſtabant tamen ex his, qui aderant, Procerum nonnulli, Regem non ita citò anathematizandum eſſe: quibus in hunc modum reſpondit Ponrifex: *Quando Salvator noſter Eccleſiam ſuo ſanguine redemptam Petro commiſit, & dixit, Paſce oves meas, excepitnè Reges & Principes? Nam cùm eidem ligandi & ſolvendi poteſtatem daret, nullum excepit, neminemq́; ejus potentiæ ſubtraxit. Hanc ob rem, qui dicit ſe vinculo Eccleſiæ ligari non poſſe; reſtat etiam, ut fateatur ſe abſolvi ab ejus poteſtate nullo modo poſſe: & qui hoc impudenter negat, à Chriſto, & Eccleſia ejus ſe omnino ſejungit.*

Reſpondet Gregorius.

At Henricus, cognitâ Gregorii cenſurâ, multas litteras ad gentes & nationes conſcripſit, quibus ſe contra jus faſque damnatum à Pontifice querebatur. E contrariò Gregorius id à ſe jure factum non verbis tantùm & litteris, verùm etiam ratione & factis, re ipsâ omnium oculis propoſitâ, comprobat. Interim verò cùm pars magna imperii ab Henrico defeciſſet, & jam Saxones conſcripto milite bellum adverſus eundem quàm diligentiſſimè pararent, Germani Principes veriti, ne quid mali in Provincia naſceretur, conventu habiro decernunt, ut ſi Gregorius ad id exoratus in Germaniam pergere vellet, Henricus ſupplex (ni coronâ & causâ cadere amarer) erratorum veniam peteret quod ſe facturum Henricus interpoſito juramento pollicitus eſt. Motus itaque Pontifex his pollicitationibus, & precibus Archiepiſcopi Trevirenſis, Henrici Oratoris, Auguſtam Prætoriam petiturus, Vercellas uſque jam jam pervenerar, ubi ab Epiſcopo loci, regni Italiæ Cancellario, clam edoctus, Henricum hoſtili in ſe animo cum exercitu adventare, omiſſo inſtituto itinere Canuſium ſe recepit, oppidum agri Rhegienſis Principatui Mathildis Comitiſſæ ſubjectum. Henricus inſidias ſuas detectas cognoſcens, ad artes converſus, pœnitentiam ſimulat, gratiamq́ue Pontificis expectat. Gregorius ſubdolo ejus ingenio haud facilè fidendum ratus, durior in ſententia perſtitit. Venit igitur Canuſium Henricus cum omni exercitu, non contradicente Pontifice, ſtatimq́ue depoſito regali ornamento, nudis pedibus, ut oppidanos ad miſericordiam commoveret, portæ oppidi appropinquans ſuppliciter intromitti petit. Denegatum à civibus in-

Principes Imperii Henrico pacem cum Gregorio ſuadent.

Henricus pœnitentiam ſimulat.

 greſ-

greſſum æquo animo tulit, aut tuliſſe diſſimulavit, quamvis aſpera eſſet hyems, & gelu cuncta rigeſcerent. In ſuburbio oppidi triduo immoratus, unam Pontificis clementiam aſſiduis inclamat precibus. Tandem Mathildis, Sabaudi Comitis, & Abbatis Cluniacenſis rogatu introductus cenſuris abſolvitur, & Eccleſiæ reconciliatur, pace jurejurando firmatâ, & ſtabili firmaque obedientiâ Pontifici Gregorio, duris quibuſdam conditionibus, promiſsâ; illud addens, paratum ſe opportuno quovis tempore, de objectis ſibi criminibus, Pontifice cognitore, cauſam dicere. Actum hoc eſt Canuſii, quinto Kalendas Februarii anno ſalutis 1077.

Abſolvitur à cenſuris.

Henricus pace compoſita, anathemate abſolutus (quum Germaniæ Principes periculo liberatus eluſiſſe videretur) quorundam Epiſcoporum Italiæque Procerum impulſu, inita paulò antè cum Pontifice pacis fœdera perjurus abrupit, ipſique Pontifici longè durior infenſiorque, atque anteà fuerat, eſſè cœpit. Cujus perfidiam, mutatumque animum Gregorius perſpectum habens, Canuſii diù, utpote loco tutiſſimo (Imperatore etiam ex vicinis locis non abſcedente) ſe continuit, eaque occaſione clàm cum Imperii Principibus, Henrici perfidiam deteſtantibus, egit, ut eo abdicato pro publica Imperii & Eccleſiæ tranquillitate novum Imperatorem meliori animo & moribus imbutum deſignarent. Qui Forcheimii convenientes, præſentibus Romanæ Sedis Legatis, depoſito, Henrico, Rudolphum Sueviæ Ducem, priùs Comitem Rheinfeldæ, Henrici ſororium, III. Idus Martii anno 1077. Cæſarem creant, eundemque XII. Kalendas Aprilis Moguntiæ per manus Sigefridi Archiepiſcopi imperiali diademate condecorant.

Fit perjurus.

Deponitur: ejusq; loco Rodulphus Suevus eligitur.

Henricus ea re magnoperè conſternatus, miſſis protinùs Romam ad Gregorium Legatis, petiit ab eo, uti Rudolphum tanquam Imperii invaſorem execrationibus à Regni occupatione depelleret: quod quum ſtatim impetrare non poſſet, cauſante Pontifice tam arduum negotium cum Principibus Imperii tranſigendum, Henricus ſumptis armis in Germaniam ulturus injuriam magnis itineribus contendit: ubi collatis utrinque ſignis, magna clade, incertaque victoria aliquamdiu dimicatum eſt. Quæ dum gererentur, Gregorius metu elongati Imperatoris liberatus ad Urbem rediit; annoque inſequenti (qui fuit Chriſti 1078.) quartum Lateranenſe Concilium celebravit: in quo Guibertum Ravennatem, Theobaldum Mediolanenſem, alioſque Longobardiæ Præſules, anathemate in ipſos renovato, tanquam rebelles, contumaces, ac præcipuos vigentis Schiſmatis auctores, ſacerdotiis, titulis, & emolumentis ſpoliavit. Poſteà Decretum illud ſolemne ac longè ſaluberrimum edidit: *Ne quis Sacerdotium ullum, Epiſcopatum, vel Abbatiam à manu Laici, cujuscunque ordinis, conditionis, dignitatis, aut ſtatus is eſſet, ſuſcipere præſumeret: qui contra faceret (daret ſcilicet, vel ſic ſuſciperet) anathemate notaretur, & ad eos deinceps honores inhabilis perpetuò eſſet.* Voluit autem Decretis majorum inſiſtens, ut electio Abbatum ad Monachos, Epiſcoporum ad Clerum, conſecratio ad Metropolitanum, vel Romanum Pontificem liberè & jure pertineret. In eodem Concilio comparuêre etiam Legati ab utroque Rege Henrico & Rudolpho miſſi, rogan-

Æmuli mutuò confligunt.

Guibertus cum complicibus anathemate notatur, & honoribus ſpoliatur.

Decretum adverſus Simoniacè ordinantes, vel ordines ſuſcipientes.

Æmuli Reges in ſuas partes Gregorium ſollicitant.

rogantes Pontificem, ut in partes ſuorum declinaret: quibus nihil aliud reſpondit, quàm ut ab armis infeſtis deſiſterent, & Legatorum Apoſtolicorum adventum expectarent, qui in Conventu Procerum Germanorum ex omnium conſilio eam controverſiam non armis, ſed jure compoſituri eſſent. Hi fuêre Bernardus Abbas Maſſilienſis, & Bernardus alius Diaconus, Cardinales. Qui in Germaniam ex nomine Pontificis euntes, quum omnia bellis turbata oſtendiſſent, re infecta reverſi, quintæ poſtmodum Synodo eodem anno in Lateranenſi Baſilica celebratæ, in qua multi Canones ad rem Chriſtianam pertinentes editi ſunt, interfuêre.

Ex æquo utriusq; cauſam cognoſcere ſatagit.

Cùm verò videret ſapientiſſimus Pontifex, diſcordiam inter æmulos Imperatores vigentem, niſi ex æquo ſedata foret, maximas Reipublicæ Chriſtianæ calamitates parituram, eoſdem iterum Legatos, addito Othone Archiepiſcopo Trevirenſi, in Germaniam miſit: quibus in mandatis dedit, ut coacto Conventu, auditiſque litigantium Principum cauſis, maturè decernerent, utri duorum Regum ex æquo & bono jus Imperii competat; eidemque, conſenſu bonorum, imperium adjudicent, cujus cauſa juſtior & potior videretur; ſe verò poſteà re cognita, quod ſtatuiſſent, Apoſtolica auctoritate confirmaturum. His inſtructi mandatis Legati in Germaniam iteratò ſe contulêre: verùm Henrico obicem ponente, atque etiam inſidias, ne coire cum Germaniæ Proceribus poſſent, ſtruente, ſuâ legatione fruſtrati Italiam repetiêre. Tum verò Gregorius juſta indignatione ſuccenſus, execrationem in Henricum verbis hiſce graviſſimis iteravit, confirmavitque.

Henricus obicem ponit.

Gregorius execrationem in Henricum reiterat.

Beate Petre Apoſtolorum Princeps, & tu Paule gentium Doctor, veſtras mihi aures, quæſo, præbete, meq; famulum veſtrum clementer exaudite: nam veritatis diſcipuli eſtis & amatores: quæ dicam, vera ſunt. Hanc cauſam ſuſcipio veritatis gratiâ, ut fratres mei, quorum ſalutem exopto, mihi obſequentiùs acquieſcant, ſciant, ac intelligant, quòd veſtro auxilio fretus poſt Chriſtum & matrem ejus ſemper Virginem, flagitioſis & iniquis reſiſto; fidelibus autem ac Deum timentibus præſtò adſum, & auxilium fero. Non enim volens ac libens hanc ſedem conſcendi, ſed invitus & lachrymans, quòd me indignum judicabam, qui in tam excelſo throno ſederem. Hæc autem dico, quia non ego vos, ſed vos me elegiſtis, & graviſſimum pondus humeris meis impoſuiſtis. In me autem, veſtro juſſu montem ipſum conſcendentem, clamantem, & annunciantem populis eorum ſcelera, & filiis Eccleſiæ peccata, membra diaboli conſurrexêre, & ad ſanguinem uſque manus ſuas in me conjecêre. Aſtiterunt enim Reges terræ, & Principes ſæculi, cum his conjurarunt quidam Eccleſiaſtici, & vulgares in Dominum, & vos Chriſtos ejus, dicentes, dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipſorum: Hoc autem fecêre, ut me vel morte, vel exilio mulctarent: quorum de numero Henricus, quem Regem vocant. Henricus, inquam, Henrici quondam Imperatoris filius, qui cornua & calcem contra Eccleſiam Dei ſuperbè nimium erexit, facta conjuratione cum multis Epiſcopis Italici, Gallici, Germanicique nominis, cujus ſuperbiæ veſtra adhuc reſtitit auctoritas, qui fractus potiùs, quàm ad ſanitatem redactus, ad me in Ciſalpinam perveniens, abſolutionem anathematis ſuppliciter quæſivit. Hunc ego, quem ad pœnitentiam veniſſe credideram, in gratiam recepi; huicq; tantummodò communionem reddidi, non tamen in Regnum, è quo eum in Ro-

mana Synodo meritò depuleram, reſtitui; nec Vectigalibus Regni, ut ad fidem ei praſtandam redirent, conceſſi. Hoc ideò feci, ut ſi redire in gratiam cum finitimis ſuis, quos ſemper vexaverat, differret, redderéq; res tum Eccleſiaſticas tum profanas ex fœdere abnueret, cogi ad officium execrationibus & armis poſſet. Hac opportunitate adjuti quidam Germaniæ Epiſcopi, & Principes ab hac fera beſtia diù vexati, in locum Henrici, ſuis flagitiis è Regno cadentis, Ducem ſuum & Regem Rudolphum deligunt. Qui regia modeſtia & integritate uſus, ſtatim Nuncios ad me miſit, à quibus intelligerem, ſe coactum Regni gubernacula ſuſcipere, non eſſe tamen adeò regnandi cupidum, ut non malit Nobis, quàm Regnum pollicentibus, obtemperare: futurum ſe in Dei poteſtate ſempor ac Noſtra, idq; ut arbitremur, pro cautela filios proprios obſides pollicitus eſt. Stomachari tum Henricus cœpit, & nos primò quidem precari, ut Rudolphum ab occupatione Regni execrationibus propelleremus. Dixi me velle videre, cui jus competeret, & eò miſſurum Nuncios, qui rem omnem reſcirent, meq; deinceps judicaturum uter ipſorum in cauſa potior habendus eſſet. Vetuit Henricus quò minùs res à Legatis noſtris decerneretur, multoſq; tum ſæculares, tum Eccleſiaſticos interfecit, Eccleſias diripuit & profanavit, atque hoc modo ſe anathematis vinculis illigavit.

Henricum deponit, & imperio privat.

Hanc ob rem fidens in Dei judicio, & miſericordia, inq; patrocinio beata Mariæ ſemper Virginis, fultus etiam auctoritate veſtra, ipſum Henricum, ejusq; fautores vinculo anathematis colligo, atque iterum regiam ei poteſtatem adimo, interdicoq; Chriſtianis omnibus, illo juramento abſolutis, quo fides Regibus dari conſuevit, ne Henrico ulla in re obtemperent; Rudolphum in Regem ſuſcipiant, quem multi Germaniæ Principes, abrogato Henrico, in Regem optimum ſibi delegêre. Etenim par eſt, ut ſicuti Henricus ob ſuperbiam & contumaciam facultatibus ſuis privatur, ita Rudolphus omnibus gratus, pro ſua pietate & religione, regia dignitate & poteſtate donetur.

Rudolphum Regem confirmat.

Agite igitur Apoſtolorum ſanctiſſimi Principes, & quod dixi, veſtra interpoſita auctoritate, confirmate: ut omnes nunc demum intelligant, ſi poteſtis in cœlo ligare & ſolvere, in terra quoque Imperia, Regna, Principatus, & quidquid mortales habere poſſunt, auferre & dare vos poſſe. Si enim, quæ ad Deum pertinent, judicare poteſtis, quid de his inferioribus & profanis conſcendum eſt? Et ſi Angelos dominantes ſuperbis Principibus veſtrum eſt judicare, quid in ſervos illorum facere vos decet? Ediſcant nunc Reges hujus exemplo & omnes ſæculi Principes, quid in cœlo poſſitis; quantiq; apud Deum ſitis, ac deinceps timeant ſancta Eccleſiæ mandata contemnere. Hoc autem judicium citò in Henricum exercete, ut intelligant omnes, iniquitatis filium non fortuitò, ſed veſtra opera è Regno cadere. Hoc tamen à Vobis optaverim, ut pœnitentia ductus in die judicii veſtro rogatu gratiam à Domino conſequatur. Actum Romæ Nonis Martii, Indictione tertia, anni 1079. Promulgata hac execratione, litteras ad Rodulphum dedit, quibus eum ad vindicandam adverſus Henricum Eccleſiam incitavit, eidemque regiam coronam cum hoc verſiculo tranſmiſit:

Eidem regiã coronam tranſmittit. Guibertum pariter exauctoratum declarat.

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho.

Poſt hæc in eodem Concilio Guibertum diſcordiarum omnium & hæreſum, quæ tunc erant, auctorem, ab Eccleſia Ravennate dejiciens, Sacerdotibus ac Clericis omnibus eidem Eccleſiæ obtemperantibus, in virtute ſanctæ obedientiæ mandavit, ne Guiberto facinorum omnium auctori, & ob eam rem anathematis vinculo illigato

ligato, ulla in re obedirent. Et ne populi illi gubernatore indigerent (Petrum imitatus, qui Apollinarem quaſi ſupplementum mittere conſueverat, ubi oportebat) eò alterum Archiepiſcopum proficiſci juſſit cum integra poteſtate, quâ & hæreſim Guiberti avelleret, & mentes hominum in fide confirmaret.

Heinricus depoſitum Guibertum Antipapam creat.

Heinricus hiſce cenſuris in ſe atque Guibertum publicatis extremè offenſus, irritatuſque, indicto Brixiæ Bavarorum VII. Kal. Julii 1080. triginta Epiſcoporum ſecum malè ſentientium conventiculo, abdicato Gregorio, Guibertum Archiepiſcopum Ravennatem, diris licèt ſæpiùs Synodali ſententia devotum, in locum Gregorii ſufficit, eundemque Clementem III. appellat. Extat adhuc infamis hujuſce promotionis Decretum, tum apud Baronium, tum apud Ciaconium, aliosque: qui conſuli poſſunt.

Henricus à Rudolpho ſuperatur: Rudolphus ſaucius moritur.

Gregorium pellere ſatagit.

Guiberto Antipapa creato, cùm Henricus ab æmulo Rudolpho Saxonibus juncto armis premeretur, relicto ad tempus Guiberto, in eos movet; ac commiſſo prælio magna ſuorum ſtrage ſuperatur. Victor Rudolphus accepto lethali vulnere paululùm abſcedens, mortuus inventus eſt, anno regiminis ſui tertio, qui fuit Chriſti 1080. Ferunt Henricum ea clade adeò perterritum fuiſſe, ut diffugiis intentus, vix decimo ſeptimo à pugna die repertus ſit. Qui ab Antipapa Clemente fruſtrà anathemate ſolutus, omnes inde curas ad pellendum Gregorium, ſtabiliendumque Clementem, à quo Imperii diadema ſuſciperet, intendit. Itaque magnis delectibus habitis, è Germania ingenti cum exercitu in Italiam movit. Gregorius infracti pectoris vir, cognito ejus adventu, animum nequaquam deſpondit, ſed fretus Romanorum atque Mathildis præſidiis Urbem ſibi ex Epiſcoporum ſententia defendendam ſuſcepit.

Fruſtrà Romam obſidet.

Urbem Leoninam capit.

Spoliato S. Petri Templo recedit.

Henricus cum Clemente pridie Pentecoſtes anno 1081. in agro Romano allapſus, caſtris in pratis Neronianis de more poſitis Urbem Leoninam obſidere inſtituit. Verùm ſagittis, lapidibusque à Romanis repulſus nihil profecit: itaque ad ſuburbana loca ſuccendenda converſus (Æde ſancti Pauli violatâ direptaque) cùm ne ſic quidem eliciendæ deditionis conatus ſuccederet, re infecta Ravennam ad hyberna ſe contulit. Ineunte vere anni 1082. exercitu ex hybernis reducto Romam reverſus, Urbem Leoninam acri iterum obſidione toto Quadrageſimæ tempore preſſit, ac denique poſt Paſcha majori incumbens conatu in poteſtatem redegit. Ea occaſione, direpto auguſtiſſimo Principis Apoſtolorum Templo, duas porticus labefactavit. Inde veteris Urbis oppugnationem aggreſſus, multa per æſtatem Romanis incommoda intulit. Demùm ſævientium æſtuum magnitudine conflictatus, atque inſigni Romanorum in tuenda patria virtute deterritus, ab oppugnatione receſſit: exercitu per vicina loca diviſo, ac Clemente rei bellicæ præfecto. Ab eo pleraque cùm ſacra, tum profana ædificia, quibus Henricus pepercerat, ferro & igne conſumpta ſunt.

Romam iteratò obſidet, & capit.

Anno ſalutis 1083. Henricus peracto Ravennæ Paſchate, ad exercitum rediens, novo, eoque multò, quàm anteà, graviore conatu Urbem aggreſſus, magnum obſeſſis metum incuſſit. Quo terrore Gregorius perculſus, relicto Laterano Arcem S. Angeli cum Cardi-

Cardinalibus conſcendit. Inter hæc quum Urbs initâ oppugnatione quaquaverſum acerrimè machinis & arietibus quateretur, tandem III. Nonas Junias ejus expugnandæ occaſio oblata eſt. Miles quidam clanculùm muros ſupergreſſus, cùm omnia Romanorum

Ejus capienda occaſio.

negligentiâ cuſtodiis vacua animadverteret, ne clamore ſe ipſum proderet, manu contubernales accivit, ab iiſque, cùm & ipſi ſocios nutibus accerſiſſent, mœnia capta, atque Henrico & cuncto exercitui introitus in Urbem patefactus. Henricus ferro per Urbem viâ factâ in Capitolium eluctatus, locum validiſſimo mox præſidio communit; inde ad oppugnandum Pontificem digreſſus, Arcem foris ac intra Urbem acri obſidione cingit. Verùm obortâ gravi in exercitû peſtilentiâ, decretam oppugnationem ad tempus inter-

Gregorius in arce obſidetur.

mittere coactus, mutandi aëris gratiâ ad Colles ſeceſſit. Interim Romani triplici calamitatum genere, bello, fame, ac peſte preſſi, ab Henrico petiêre, ut viginti obſidibus acceptis, dies ipſis ineundæ compoſitionis conſtitueretur. Ei negotio cùm Kalendas Novembris deſtinaſſet, ipſe Henricus condicto tempore adfuit. Convenientibus Romanis, Gregorius etſi rogatus, tractatui intereſſe noluit, infra dignitatem ſuam eſſe reputans, coram infenſiſſimo Ec-

Romani à Gregorio deficiunt.

cleſiæ hoſte, ac divinis interdicto comparere; quod ubi Romani cognoverunt, indignantes à Gregorio defecerunt.

Dum hæc aguntur, nunciatur Cæſari adventare Romam mag-

Robertus Guiſcardus Gregorium liberat.

no cum exercitu Robertum Guiſcardum Pontificis liberandi causâ. Henricus viribus ſuis magna ex parte fractis diffiſus, non expectato Guiſcardi adventu, cum Antipapa Clemente Urbe exceſſit, Senasque ſe contulit. Guiſcardus nemine vetante Urbem ingreſſus, Gregorium arce eductum incolumem Laterano reſtituit. Ibi Gregorius, ut tot Reipublicæ vulneribus opportunam medicinam afferret, Conventum in Quadrageſimam indixit: verùm ob infrequentiam Epiſcoporum (Henricum & Antipapa itinera obſidentibus, ac tranſitum negantibus) habere non potuit. Guiſcardus ſaluti Gregorii timens, quòd Henricus non longè cum exercitu ab Urbe con-

Gregorius Caſſinum migrat.

ſediſſet, ac Romanorum animos prorſus à Pontifice alienatos cognoſceret, Urbe cedendum ratus, accepto ſecum Gregorio Caſſinum primò, indeque Salernum conceſſit. Eo profecto, Romani collectis ex magno pavore animis, miſſâ Senas legatione, Henricum ad Urbem revocarunt; eidemque cum Clemente & exercitu adventanti undecimo Kalendas Aprilis anno 1084 portas Urbis ultrò ape-

Henricus in Urbem vocatus Antipapam coronari facit.

ruerunt. Henricus Urbem portâ Lateranenſi ingenti cum gloria biduo ante feſtum Palmarum ingreſſus, in Laterano divertit: poſtridie concione advocata, crimina ad ſe de Gregorio perlata, ſuique adventus rationem expoſuit. Tum triginta factionis ſuæ Epiſcopis ad Concilium vocatis, exauctorato ſacrilegè Gregorio, Clementem Antipapam ex eorum auctoritate ſuffecit; eundemque ipſa Palmarum die per Mutinenſem, Bononienſem, & Cremonenſem Epi-

Viciſſim ipſe ab Antipapa coronatur.

ſcopos Schiſmaticos conſecrari fecit. Octavo inde die, qui Reſurrectionis erat, Imperatorem ſe ab eo juſſit inungi, & cum conjuge ſua Bertha in Vaticano de more Auguſtali diademate coronari. Quibus peractis, relicto in Urbe cum præſidio Clemente, in Germaniam,

maniam, quò gravioribus objectis defectionibus vocabatur, migravit. Romanos intereà peſtilentia adeò atrox invaſit per æſtatem, ut præſidium omne Germanorum, præter magnam Urbis partem, abſumpſerit. Quod ubi Romani, qui Gregorio ſtudebant, animadverterunt, (ut ſunt libertatis ſuæ præter cæteros avidi) Clementem omni præſidio deſtitutum, facta conſpiratione, Urbem ejectum, ad Marſos ire compulerunt.

Germani peſtilentia pereunt.

Antipapa pellitur.

Anno ſalutis 1085. die 21. Maij Gregorius Pontifex Jurium ac libertatis Eccleſiaſticæ vindex acerrimus, & propugnator indefeſſus, Salerni in Campania (quò ſe furorem implacabilis hoſtis Henrici IV. declinans receperat) poſt immenſos labores, agoneſque, pro Deo & Eccleſia invicto animo exantlatos, gravi morbo implicitus eſt. Triduo antequam cœlo conſignaretur, rogatus à circumſtantibus Cardinalibus & Epiſcopis, ut quem ſibi maximè, poſt exceſſum ſuum, in Petri Cathedra ſucceſſorem exoptaret, exprimeret: *Legite*, reſpondit, *Deſiderium Abbatem Caſſinenſem; aut ſi ille recuſet, Hugonem Lugdunenſem, aut Othonem Oſtienſem Epiſcopos.* Tùm ſacroſanctis Eccleſiæ myſteriis ad æternitatis iter ritè munitus, ſanctiſſimè, uti vixerat, expiravit, Pontificatus ſui anno tertio decimo, die 24. Maij Anno ſal. 1085. Ultima morientis verba fuêre: *Dilexi juſtitiam, & odivi iniquitatem, propterea morior in exilio.* Cui quidam venerabilis Epiſcopus reſpondiſſe fertur: *Non potes, Domine, in exilio mori, qui vice Chriſti, & Apoſtolorum ejus, divinitùs accepiſti gentes hæreditatem, & poſſeſſionem terminos terræ.* Sacrum ejus corpus Salerni in Eccleſiâ Cathedrali Divo Matthæo ſacrâ, marmoreo incluſum ſepulchro, honorificè tumulatum eſt. Ipſe verò ſtupendis ſenſim inclareſcens ſignis, paulò pòſt in Album ſanctorum relatus, anniverſaria memoria in Eccleſia Dei, celebri nomine, perſeverat. Tanti Pontificis obitum ingentem Catholicis omnibus luctum attuliſſe teſtatum reliquit, qui tunc vixit, Domnizo in vita Mathildis his verſibus:

Gregorius ægrotat.

Sanctè moritur.

Morientis verba.

Signis coruſcat.

Intereà planctus de Præſule naſcitur altus
Gregorio, *geſtat Dominus quem Chriſtus ad æthra,*
Ante dies ſeptem Maij quàm finis adeſſet.
Hunc Monachi flerunt, Monachus quia noſcitur eſſe;
Hunc Clerici flebant valdè, Laiciq́; dolebant,
Pura fides quorum procul eſt à Schiſmaticorum,
Quando ſuum ſanctum reverenter corpus humatur.

Publico luctu defletur.

Fuiſſe Gregorium VII. Virum Deo gratum, prudentem, doctum, ſanctum, juſtum, clementem; pauperum, pupillorum ac viduarum patronum; Eccleſiæ Romanæ, & fidei Catholicæ defenſorem fortiſſimum; Hæreticorum, Schiſmaticorumque, ac malorum Principum res Eccleſiaſticas per vim occupare conantium, ultorem imperterritum ac domitorem maximum, teſtantur omnes, qui ſuo ævo ex vero ſcripſerunt: uno Bennone Schiſmatico, omniumque mortalium mendaciſſimo excepto, iiſque qui eum in odium ſanctiſſimi Pontificis ex apertis hæreticis ſecuti ſunt. Lege Baronium *ad annum 1073. n. 13. & alibi in vita Gregorii VII.* paſſim: Item Bellarminum

Ejus elogium

De Romano Pontifice lib. 4 c. 13. Sanderum *lib. 7. de viſibili Eccleſia Monarchia ad annum 1086.* Palatium *in vita*, ac alios.

Nicephorus imperio ſe abdicat. Regnante Gregorio VII. Nicephorus & Conſtantinus Orientis Imperatores abdicarunt: quibus ſucceſſit anno ſalutis 1081. Alexius Comnenus Iſaci Imperatoris filius, acclamatus Auguſtus à Legionibus, ſola imperii diuturnitate memorabilis, regnavit ſiquidem annos triginta & octo.

SCRIPTA.

Gregorii Scripta. Scripſit Gregorius VII. tot ac tantas Epiſtolas, quantas non facilè Pontificum Romanorum alius, doctrina, pietate, zelo, & Apoſtolico ſpiritu refertas. Extant hæ in Libros undecim diviſæ apud Binium: ex quibus ſanè quis cognoſcet, Gregorium Eccleſiaſticæ libertatis ſtrenuiſſimum ac incomparabilem defenſorem fuiſſe.

Apoſtolicas inſuper Traditiones omnes diligentiſſimè inveſtigavit, & inveſtigatas ſtudioſiſſimè in actum referre curavit: editis in hunc finem variis, iiſque ſaluberrimis Decretis. Vide Microlog. *Epiſt. 14 17. 24. 2. & 43.*

Jejunium quater in anno à majoribus inſtitutum, hiſce temporibus penè deſtitutum, omnibus indixit, ac edito novo decreto ad uſum revocavit.

In Sacroſancto Miſſæ Sacrificio, ubi Sacerdos Chriſti corpus & ſanguinem confecerit, nolâ excitato ab Ara populo ſublime monſtrari mandavit: habetur ſpeciale hac de re Decretum, loco ſuprà citato apud Microlog.

ANNO CHRISTI MLXXXVI.

Imperatore HENRICO IV. Auguſto.

DE

VICTORE III. Pontif. Maximo.

CLX. Victor III. ante Pontificatum Deſiderius vocatus, Beneventi in Samnio, patre ejus Civitatis Principe natus eſt: cujus ſtudio à teneris integrè educatus, quum optimæ indolis eſſet, miræ virtutis, ſpectatæque probitatis adoleſcens evaſit.

Victoris III. vita ſancta primordia. Qui ſolitariæ vitæ, ſervandæque caſtitatis deſiderio ductus, ſponſam adhuc virginem ſummo loco natam relinquens, parentibus inſciis, clàm Eremum petiit, & ab Hyacintho ſanctæ converſationis Monacho, haud procul à Benevento, monaſticam divi Benedicti regulam aſſumpſit. Cujus probitatem, virtutem, & eruditionem Leo Papa IX. (qui tum Beneventi commorabatur) perſpectam habens, agentibus Humberto, & Friderico Cardinalibus, eum in ſacrum Purpuratorum Senatum, reluctantem licèt, cooptavit. *A Leone IX. purpura decoratur.* Leone è vivis ſublato, veniâ à Victore II. impetratâ, ad Caſſinenſe Monaſterium ſub Abbate Petro ſe contulit, ubi cùm doctrina, pietate, & religione reliquis

liquis omnibus antecelleret, denique ſub annum 1058. communi Monachorum ſuffragio Abbas trigeſimus ſeptimus deſignatus eſt. Auctus hac dignitate, Monaſterium cum adjacente Templo vetuſtate collapſo à fundamentis reſtituit, Eccleſiamque ab Alexandro II. ſolemni ritu (innumerâ hominum multitudine ad eam feſtivitatem confluente) dedicari fecit. Tum ad ſacram ſupellectilem amplificandam converſus, multa maximi pretii & decoris ornamenta eidem Templo contulit. Catholicæ partis ab infantia in ſenium uſq; ſtudioſiſſimus, Nicolao primùm II. contra Joannem Mincium; tum Alexandro II. contra Cadaolum; ac noviſſimè Gregorio VII. contra Guibertum Antipapas, non ſine capitis periculo conſtantiſſimè adhæſit. Quare ab ipſo Gregorio in extremis conſtituto pro Succeſſore deſignatus, primus omnium eſſe videbatur, cujus virtute, collapſa ferè deterrimo ſchiſmate Romana Sedes reſtitui poſſet, & ad priſtinum decus revocari.

Abbas Caſsinenſis eligitur.

Partes catholicas conſtanter tuetur.

Gregorio itaque ſeptimo fatis erepto, riteque ſepulto, Epiſcopi & Cardinales, cæterique qui Catholicam partem tuebantur, concordi mente ad eam fulciendam incumbentes, quotquot undique ad nova comitia conciere poterant, per litteras ac nuncios convocarunt. Adunatos magno numero Patres ac Principes, Deſiderius ipſo die Pentecoſtes, impetratâ loquendi copiâ, quid Gregorius morti proximus de providenda bono Paſtore Eccleſia præcepiſſet, pluribus edocuit; tùm cum eis pariter Principes ac Magiſtratus adiit, atque ad opem afflictæ Eccleſiæ neceſſario hoc maximè tempore ferendam, quantâ potuit verborum efficaciâ adhortatus eſt. Ea re cognita, Principes, Clerus, ac populus, ejurato Clemente Antipapa, unanimi voce in Deſiderium ipſum diù multùmque reluctantem conſenſerunt, eundemque vi ac precibus tandem victum, ſummum Pontificem (impoſito ei Victoris III. nomine) delegerunt, atque conſecrârunt.

Pontifex ſub Victoris III. nomine renunciatur.

Victor è Caſſino, quò ſe ad tempus poſt electionem receperat, Romam inſigni ſacrorum Procerum comitatu ſtipatus contendit; atque Urbem auxilio Mathildis, armiſque Principum Capuani & Salernitani munitus intravit, ſede apud Inſulam, quæ ſui juris erat, accepta. Pridie verò feſti Apoſtolorum Petri & Pauli, cupiens Antipapa Clemens in Baſilica Vaticana Sacris de more operari, Romanos quoſdam ſui ſtudioſos induxit, ut Tyberim armati trajicerent, Templumque ejectis Victorianis occuparent: qui cùm cætera loca armis cepiſſent, ipſum tamen Templum à Victorianis obſeſſum defenſumque in poteſtatem redigere haud valuerunt. Unde Clemens abſcedere coactus, meridie in Æde S. Mariæ in Turribus ſacra confecit.

Romam ingreditur.

Antipapam à Templo B. Petri arcet.

Intereà Victor, accedentibus ſibi ſenſim Romanis, ſacra in ſede firmatus, ut Sarracenorum, qui in Africa erant, inſolentiam frangeret, conſilio cum Epiſcopis & Cardinalibus habito, ingentem ex omnibus ferè Italiæ populis exercitum congregavit, illumque ſacro beati Petri vexillo donatum, ac plenario peccatorum indulto affectum adverſus infideles in Africam miſit. *Chriſto itaque duce* (inquit Leo Oſtienſis hæc ipſa enarrans) *ingreſſi Africam, centum millia pugna-*

Ingenti victoria adverſus Sarracenos potitur.

pugnatorum in ore gladii occiderunt, Urbe illorum præcipua capta & exciſa: neque victoria ulla per hac tempora fuit inſignior aut major. Porrò ne quis ambigat, hanc Dei nutu contigiſſe, ſciendum illam eodem die per præſcium Victorem in Italia fuiſſe nunciatam, quo fuit in Africa à Chriſtianis edita.

Henricus Imp. clade afficitur. Eodem verò tempore Henricus in Germania ſiniſtro marte cum Saxonibus dimicans, quatuor ad quinque millia ſuorum amiſit, Deo volente: ut tandem deſiſteret Eccleſiam perſequi, & calamitatibus vexare. Sunt qui ſcribant, hoc ipſo tempore multa paſſim prodigia, in Italia maximè, contigiſſe: nempe aves domeſticas, gallinas, anſeres, columbas, pavones, nemine impellente, ad loca montana confugiſſe, ſylveſtresque eſſe factas: & piſces cùm fluviales, tùm marinos, magna ex parte interiiſſe: Terræ motu etiam plures urbes adeò concuſſæ ſunt, ut Syracuſis magna Baſilica corruens, dum Veſperæ celebrarentur, omnes qui in Templo aderant, contriverit, duobus tantùm divinitùs ſuperſtitibus, Diacono ſcilicet & Subdiacono. Sed redeamus ad Victorem: *Varia prodigia.*

Synodum adverſus Antipapam convocat. Qui adverſus Clementem Pſeudopapam, ejusque aſſeclas converſus, Auguſto menſe anno ſalutis 1087. Concilium Beneventi indixit, omnesque eò Apuliæ & Calabriæ Epiſcopos convocavit. Dum verò hæc ipſa Synodus in actu eſſet, Pontifex gravi dyſenteria correptus, abrupta Synodo, feſtinus ad Caſſinenſe Cœnobium cum Epiſcopis & Cardinalibus ſe recepit: à quibus, ubi mortem ſibi inſtare præſenſit, inſtanter petiit, ut juxta Gregorii VII. voluntatem, Othonem Epiſcopum Cardinalem Oſtienſem, ſe mortuo, Papam conſtituerent, quem manu prehenſum adſtantibus Cardinalibus in hæc verba commendavit: *Accipite Virum divino ſpiritu plenum, eumq; vice mei in Petri ſolio locate: erit, ut facti vos non pœniteat: eſt enim uti dignus Eccleſia, ſic Eccleſia digna eo.* Quibus depoſitis, divinâ refectus Euchariſtiâ, triduo pòſt feliciter in eodem Cœnobio migravit ad Chriſtum xvj. Kal. Octobris anno 1078. Multorum opinio Scriptorum eſt, veneno eum in Calice porrecto, dum ſacris operaretur, Henrici & Clementis inſidiis ſublatum eſſe: quod ipſum non eſt à dyſenteriæ morbo alienum: Unde dyſenteriam veneno petiti interdum patiuntur, corruptis & labefactatis inteſtinis. Sacrum ejus corpus in Capitulo Caſſinate (cujus Monaſterii ante Pontificatum Abbas, ut diximus, fuerat) in ſepulchro marmoreo, hoc elogio addito, conditum eſt. *Ægrotat, & Eccleſia conſulit.* *Sanctè moritur.*

Ejus Epitaphium.

Quis fuerim, vel quid, qualis, quantusq; doceri,
Si quis fortè velit aurea Scripta docent.
Stirps mihi Magnatum, Beneventus patria, nomen
Eſt Deſiderius, tuq; Caſine decus:
Intactam ſponſam, matrem, patriamq; propinquos
Spernens huc propero, Monachus efficior.
Abbas dehinc factus, ſtudui pro tempore totum,
Ut nunc aſpicitur, hunc renovare locum.
Intereà fueram Romana clarus in Urbe
Presbyter Eccleſiæ, Petre beate, tua.
Hoc ſenis luſtris minùs anno functus honore
Victor Apoſtolicum ſcando dehinc ſolium:

Qua-

Quatuor & ſemis vix menſibus inde peractis,
Bis ſex luſtra gerens, mortuus hic tumulor.
Solis Virgineo ſtabat lux ultima ſigno,
Cùm me Sol verus hinc tulit ipſe Deus.

Præfuit Eccleſiæ menſibus quatuor, & nonnullis diebus ſuprà annum unum. Victorem Leo Oſtienſis in Prologo libri tertii Chron. Caſſin. *admirabilem, & ſingularem ſui Ordinis virum* appellat : Petrus Damiani, qui plures ad illum epiſtolas dedit, *Archangelum Monachorum :* Petrus Diaconus libro de Viris illuſtribus Cœnobii Caſſinenſis, *Virum compunctionis, timorisq; Dei plenum, caſtitate ſingularem, profeſſione & opere Monachum.* In Martyrologio Monaſtico Benedictino, Victoris III. memoria his verbis celebratur 16. Septembris : *In Monaſterio Caſinenſi obitus beati Victoris Papæ III. ſanctitate vitæ, & miraculorum gloria clariſſimi.* Victoris res præclarè geſtas diligentiſſimè omnium conſcripſit Leo Oſtienſis Cardinalis *libro 3. Chronici Caſſinenſis*: poſt hunc & alii complures. *Elogium.*

SCRIPTA.

Hic Gregorium Magnum æmulatus, *tres*, vel ut aliis placet, *quatuor Dialogorum libros* de probatiſſimis ſui Cœnobii Viris, ac Miraculis perſcripſit ; minùs elaborata oratione illos quidem, ſuavi tamen ſtylo, & ut ea ferebant tempora, non vulgari : hi Baronio teſte extant M. S. in Bibliotheca Vaticana : memorantur à diverſis ſub hoc titulo : *De miraculis à S. Benedicto, aliisq; Monachis in Monaſterio Caſſinenſi ope divina patratis.* Hi panvinio atteſtante magnam redolent pietatem. Edidit etiam Cantus quoſdam de S. Mauro Abbate : De S. Scholaſtica, & S. Placido. *Scripta.*

Scripſit etiam plures Epiſtolas ad diverſos, quæ nobis hactenus ignotæ.

Muſices etiam & Medicæ artis peritiſſimum fuiſſe, harumque ſcientiarum nonnulla ſpecimina ſcripto edidiſſe, auctor eſt Leo Oſtienſis, quem citat Andreas Victorellus *in Additionibus ad Ciaconium.*

ANNO CHRISTI MLXXXVIII.

Imperatore HENRICO IV. Auguſto.

DE

URBANO II. Pontifice Maximo.

URbanus hujus nominis II. Otho anteà vocatus, Gallus, illuſtri proſapia ortus, parentem habuit Milonem Caſtellionis & Baſochii Dominum, virum militari gloria inſignem, multaque virtute commendatum. Litteris & pietate apprimè imbutus Romam venit adoleſcens, ubi obtentâ in utroque Jure laureâ, inſtitutum primò Canonicorum Lateranenſium ſub regula Divi Auguſtini militantium amplexus, vitam nonnullis annis CLXI. *Ejus vita primordia.*

purè ac integrè tranſegit. Arctius poſteà vivendi genus quærens, Cluniacum profectus, aſſumpto ibidem B. Benedicti habitu, magnâ ſanctitatis & doctrinæ opinione effulſit. A Gregorio VII. (cujus amicitiam Cluniaci monachus contraxerat) Romam accitus, atque in locum Gerardi vita functi, Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis ſuſfectus, multos pro Eccleſia Romana labores in Schiſmate Guibertino pertulit. Extremis Gregorii annis Legatus Apoſtolicus in Germaniam miſſus, non ſolùm Catholicæ partis ſtudioſos in fide atque obedientia continuit, ſed & coacto Telemgeburgi Concilio, Wencilum Archiepiſcopum Moguntinum, quòd Schiſmaticorum in Germania princeps eſſet, anathemate defixit: dignus eapropter ſummo magiſtratu à Gregorio VII. & Victore III. judicatus.

Fit Cardinalis.

Archiep. Moguntinum damnat.

Eligitur Pontifex.

Mortuo itaque Victore III. omnium calculis Pontifex maximus renunciatus, atque relicto Othonis nomine Urbanus II. nuncupatus, Tarracinæ in Eccleſia S. Petri, ſuſceptis coronationis inſigniis, ritu ſolemni inauguratus eſt. Progreſſus inde Romam, cùm à Clementis Pſeudopontificis factione armis pelleretur, in Inſulam Tyberis (nomine *Lycaoniam*) exul profugit: ubi nonnullis menſibus hærens, atque Pontificia munia exercens, ne interim egeſtate premeretur, piâ quorundam Principum Romanorum, matronarumque benignitate ſublevatus eſt.

Roma exiens, Concilium Amalphitanum celebrat Henricum & Antipapã damnat.

Anno 1089. Urbanus Pontifex à Schiſmaticis extremè exagitatus, cùm nullum Eccleſiæ ſubſidium afferre ſe poſſe Romæ animadverteret, Urbe exiens in Apuliam ad conventus agendos cum Patribus ſe contulit: ac primùm Trojæ, deinde Amalphi Concilia coëgit, in quibus Clementem III. Antipapam, atque Henricum IV. Imperatorem, eorumque fautores & aſſeclas, confirmatis Gregorii VII. & Victoris III. decretis, ſolemni more deteſtatus eſt. Eo occaſione Rogerium ad ſe profectum, poſt editum fidelitatis & obedientiæ Sacramentum, Ducem Apuliæ & Calabriæ confirmavit; eidemque vexillum à ſe benedictum in manus conſignavit.

Caſſinum adit, ibiq; à S. Benedicto dolore calculi liberatur.

Anno 1090. Urbanus ad Campaniam in fide retinendam progreſſus, Caſſinum per Quadrageſimam adiit. Ibi conſtitutus cùm in pervigilio S. P. Benedicti ſæviſſimo calculi dolore torqueretur, ac de præſentia corporis ejus dubitaret, viſus eſt ſibi per quietem S. Benedictum coràm tueri, loquentem audire, omnemque dubitationis ſcrupulum de ſui corporis præſentia tollere: tum priſtinam ſanitatem diſcuſſo calculi dolore (ſi quidem dictis fidem adſtrueret) prædicere. Experrectus calculum citra dolorem facillimè excuſſit, ac gratiis Deo divoque Benedicto peractis, miraculum ſtupentibus monachis ſanus expoſuit. Ferunt Caſſinenſium Annales, de tanta re editum ab Urbano haberi diploma, quo anathema iis dicitur, qui corpus S. Benedicti in Caſſino monte quieſcere temerè negant. Lege Baronium *ad annum 1088. n. 5.* dictum diploma candidè referentem: ſed quid de eo ſentiat (ut nihil ego contradicam) tecum ipſe expende.

Ejus Diploma de præſentia corporis S. Benedicti in monte Caſſino.

Variè à Schiſmaticis exagitatur.

Pontifex ſanitati reſtitutus, relicto Caſſino, Romam ſub Petri Leonis civis potentiſſimi tutela rediit: verùm cùm tutò in Urbe permanere ob Antipapæ fautores nequiret, impetrato à Mathilde comi-

Synodum coëgit, & quid in ea actum.

Philippum Regem excommunicat.

comitiſſa militari præſidio in Longobardiam ſeceſſit; ubi Eccleſiæ rebus conſulens, concilium Guaſtellæ ſuper Padi ripam celebravit, cui & ipſa Mathildis interfuit. Inde Placentiam profectus maximam ducentorum Epiſcoporum Synodum coëgit, in qua iteratò damnatis Henrico & Guiberto, acta Gregorii & Victoris confirmavit: preces item B. Virginis, & Præfationem ejus in Eccleſia Latina publicè cani præcepit: Philippum Francorum Regem ob ejectam legitimam conjugem Bertham, introductamque ejus loco agnatam pellicem Comitis Andegavenſis uxorem, à fidelium cœtu ſegregavit. Quem tamen poſteà anno 1096. in Galliis agens, pœnitentem ac adulteram repellentem, ſoluto anathemate, rurſum in gratiam recepit.

Concilium Claromantanum celebrat

Expeditio transmarina decernitur.

Soluto Concilio Placentino, rebuſque ex animi ſententia compoſitis, Alpes emenſus Gallias petiit, atque in Arvernis apud Claromontem longè celeberrimum Concilium anno 1096. menſe Novembri adunavit, confluentibus ad illud ex Germania, Gallia, Hiſpania, & Italia quamplurimis Epiſcopis: de hoc Bertholdus Scriptor Germanus ita loquitur: *In Galliis ad Clarum montem Synodus Generalis à Domino Papa Urbano in octava S. Martini congregata eſt, in qua tredecim Archiepiſcopi cum ſuis Suffraganeis fuerunt, & ducenta quinque paſtorales virga numerata ſunt.* In hoc Concilio nobiliſſimam illam, omniumque Scriptorum calamis decantatam Expeditionem tranſmarinam inſtruxit Urbanus, excitatus ad id à Petro quodam Eremita, & Alexii Imperatoris Conſtantinopolitani litteris. Qua à Chriſtianis, qui in ſacram militiam nomina dederunt, Aſia minor, Syria, Palæſtina, Meſopotamiæ pars, Urbeſque clariſſimæ Antiochia & Hieroſolyma, quæ paulò ante à Turcis occupatæ fuerant, duce Deo recuperatæ ſunt.

Ingens ad eam nationũ concurſus.

Hanc ſacram Expeditionem (quam vulgò *Cruciatam* appellant) Gregorius VII. jam anteà animo conceperat, at continuis Schiſmaticorum bellis, & Eccleſiæ perturbationibus impeditus, perficere nequaquam potuit. Urbanus eam perfecit: cujus ſuaſu, precibus, concionibus, litteriſque ad omnes Provincias miſſis, trecenta Chriſtianorum millia ex Germania, Hiſpania, Anglia, Scotia, Hybernia, Gallia, Lotharingia, Flandria, Italia, ſigno Crucis ſuſcepto, arma ſumpſerunt. Erat verò eorum, qui ejuſmodi cœleſti tubâ excitati nomina dabant, tanta hominum multitudo, ut opus fuerit dehortari plurimos, quorum vel ætas, vel ſexus, vel valetudo ponderi militari ſubeundo impar eſſe manifeſtis indiciis videbatur, adeò ut magnus fuerit delectus habendus.

Principes, qui huic expeditioni interfuère.

Porrò tanti apparatûs bellici Duces fuère Ademarius Podienſis Epiſcopus, Apoſtolicæ Sedis in ea Expeditione Legatus; Petrus ipſe Eremita, vir magnæ ſanctitatis; Hugo Magnus Philippi Francorum Regis frater; Godifredus Bulionus Lotharingiæ Dux, ejuſque fratres Balduinus & Euſthatius; duo Roberti, quorum alter Northmandiæ, alter Flandriæ Comes erat; Stephanus item Carnoteuſium, & Raymundus Toloſanorum Comites; Boëmundus Princeps Tarentinus, & ejuſdem ſororis filius Tancredus. Multi præterea magni nominis Epiſcopi, Principes, Comites, Barones, Nobiles è regioni-

gionibus Tranſalpinis, Germania, Gallia, & Hiſpania. Aderant & Veneti, Piſani, ac Genuenſes, armis, commeatu, & Claſſibus inſtructi. Ab his itaque fortiter dimicantibus, quadriennii ſpatio, omnes prædictæ Provinciæ è Turcarum poteſtate ereptæ ſunt. Militantibus ferrum Lanceæ, quo Chriſti pectus fuit apertum, Antiochiæ in Templo S. Petri, ipſo revelante Apoſtolo, ſub annum 1096. repertum, pro theſſera prælatum eſt. Boëmundus captæ Antiochiæ Princeps eſt conſtitutus; Godifredus verò Lotharingiæ Dux, Rex Hieroſolymorum creatus, qui quòd Rex æternus eò loci ſpinis coronatus fuiſſet, diadema capitis aureum recuſavit. Signum militiæ fuit Crux è purpureo panno conſuta, quam Urbanus veſtibus militantium ſuper dexteram ſcapulam affigendam in ſalutaris Indulgentiæ ſignum indulſit. Unde qui profecti ſunt in eam Expeditionem *Crucesignati*, ipſa verò Expeditio *Cruciata* vocata eſt. Annus totus in eo armorum apparatu expediendo conſumptus eſt, innumerabili mortalium multitudine, uti diximus, ad bellum adeò ſacrum confluente.

Magni Chriſtianorum progreſſus. *Ferrum Lanceæ repertũ.* *Expeditio cur Cruciata dicta?*

His ritè feliciterque ordinatis, Urbanus ſacri belli Ducibus, qui maritimum iter facere conſtituerant, ſtipatus, è Gallia in Italiam rediit. Quorum timore Guibertus Antipapa perterritus, ex Urbe Ravennam fugit. Eo elongato Urbanus Romam triumphantis inſtar deductus, in Petri ſolio collocatur; & à Ducibus belli ſacri, qui mox in Epirum trajecturi erant, more Chriſtianis conſueto adoratur. Ejus poſteà ſolemni benedictione muniti, ac ſacris Indulgentiis affecti, iter ſuum plenis velis proſecuti ſunt. Habebat in animo Pontifex cum iiſdem in Orientem proficiſci, ſed ne in tanta Eccleſiæ perturbatione, Petri Sedem relinqueret morſibus luporum dilaniandam, precibus Catholicorum detentus eſt.

Urbanus Romam redit: Antipapa fugit.

Urbanus itaque rebus quoad licuit ſedatis; Romaniſque omnibus ſibi conciliatis, ac pace diù exule reſtituta, ipſaque Eccleſiâ in ſtatum tranquilliorem aſſertâ, cùm ſediſſet menſes quatuor, dies decem & octo ſupra annum undecimum, Romæ anno ſalutis 1099. quarto Kalendas Auguſti, ultimum Deo ſpiritum reddidit: quem ut Epiſcopum Roma, Gallia ut parentem, Orbis ut Paſtorem luxêre. Corpus ejus ad Vaticanas ædes delatum, ibidem magno omnium mœrore honorificè in marmoreo Cœnotaphio conditum eſt.

Urbani obitus.

Urbani II. memoria colitur *ut ſancti* in Martyrologio Monaſtico, & apud Philippum Ferrarium in Catalogo Sanctorum, qui non ſunt in Martyrologio Romano inſcripti, his verbis: ***Romæ beati Urbani II. Papæ, qui ſacrum bellum in Sarracenos pro recuperandis Hieroſolymis indixit.*** Et quidem haud hic prætermittendum, quod ad triumphum pertinet Urbani Papæ, captam nimirum Hieroſolymam per Godifredum Ducem Bullonium die 14. Julii anno 1099. quatuor ſcilicet ſupra decem diebus, antequam Urbanus ex hac vita ad æternam migraret; *ut nimirum in cælo poſſet triumphare, cui non erat in terris par laboribus honor*, ut ſcribit Baronius. Res illius geſtas omni memoria dignas, omnique Scriptorum genere illuſtratas, & ab eorundem temporum Auctoribus fideliſſimis cujuslibet propemodùm nationis monumentis perpetuis conſignatas, adeò conſtat eſſe vulgatas,

Urbanus ceu ſanctus colitur. *Eo regnante Hieroſolyma recuperata.*

gatas, ut non indigeant ſtylo noſtro. Tu autem Lector, ſi iſta cupis, habes Willhelmum Tyri Archiepiſcopum, qui plura diverſorum volumina in unum volumen colligens, iſta locupletiùs fide ſincera ex profeſſo pertractat: maximè *libro 8. c. 1. de bello ſacro* uſque ad *caput. 13.*

S C R I P T A.

Scripſit Urbanus vir doctrina, eloquentia, & pietate inſignis (ſic eum vocat Aimonius *lib. 5. c. 48.*) Librum de Injuriis ſibi ab Henrico Imperatore illatis, dum in Germania Legatum ageret Gregorii VII. *Ejus Scripta.*

Item Volumen contra Hæreticorum dogmata.

Orationem ad Yvonem Epiſcopum Carnotenſem.

Sermones tres Apoſtolico ſpiritu plenos, quos habuit in Concilio Claromontano; quorum duo reperiuntur apud Willhelmum Tyrium, Joannem Nauclerum, Guilielmum Malmesburienſem, Baronium, Binium, & alios; tertius verò in Bibliotheca Vaticana aſſervatur.

Item Epiſtolas plures ad Mathildem Comitiſſam, Alexium Imp. Conſtantinop. Yvonem Carnotenſem, Petrum Leonis, & alios plures.

Officium Deiparæ Virginis, quod in uſu tantùm apud Eremitas à beato Petro Damiani inſtitutos erat, emendavit; ac qualibet Sabbati die recitandum præſcripſit, pro ut habet ſcriptus Codex Abbatiæ Dionyſianæ.

Tributur etiam Urbano Pontifici tanquam Auctori Præfatio illa Sabbatina, *Et te in veneratione B. Mariæ ſemper Virginis collaudare &c.* à Ciaconio, Locrio, & aliis. Sed ab horum opinione me Petrus Caniſius revocat, qui *lib. 4. cap. 21. ſui Marialis* ita ſcribit. *Conſonat & Miſſa Gregoriana, in qua mille ab hinc annis propemodùm, quoties de Virgine ſolemnis memoria celebratur, præſentes omnes excitantur hac voce: Gratias agamus Domino Deo noſtro; moxq; cauſa hujus gratiarum actionis adnectitur: Verè dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, & te in veneratione beatæ Mariæ ſemper Virginis collaudare, benedicere & prædicare, quæ & Unigenitum tuum ſancti Spiritus obumbratione concepit, & Virginitatis gloria permanente, lumen æternum mundo effudit Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Hæc Caniſius. Ex quibus liquidò conſtat, Gregorium re & cognomento Magnum, auctorem *Præfationis Sabbatinæ* extitiſſe. Puto autem cum Hippolyto Maraccio in Pontificibus Marianis, Urbanum tantummodò prædictam Præfationem, novâ Miſſâ Marianâ pro Expeditione terræ ſanctæ ordinatâ, legendam vel cantandam ſtatuiſſe: neque ampliùs quippiam inſinuare videntur Honorius Auguſtodunenſis, Sigonius, aliique, qui tantummodò dicunt Urbanum II. eam reliquis addidiſſe, ſed nequaquam compoſuiſſe. *An auctor ſit Præfationis B.V. dubium.*

Scripſit etiam Regiſtrum Epiſtolarum, quod periiſſe dolet Baronius: tanti enim erudita Pontificis hujus ſcripta fecit vir doctus, ut tot gemmas ſe inveniſſe exiſtimarit, quot apices legiſſet.

Cæterùm apud Anſelmum Lucenſem in Volumine, quod mag-

no labore ex Conciliorum Canonibus, atque Decretis ſummorum Pontificum collegit, nonnulla Urbani reperies. Sed & Yvo Carnotenſis pariter, qui his temporibus doctrina clarus enituit, quamplurima ex Epiſtolis atque Decretis Urbani accepit, atque in Corpus canonum, quod elaboravit, inferens, ſuis locis aptè diſpoſuit. Noviſſimè verò Gratianus id ipſum cæteris abundantiùs præſtitit. Quæ cùm typis edita paſſim habeantur, laborandum mihi non eſt, ut hîc ſingula deſcribantur.

ANNO CHRISTI MXCIX.

Imperatoribus Henrico IV. & Henrico V. Auguſtis.

DE

PASHALI II. Pontifice Maximo.

CLXII.

Nobiliſſimo genere oritur.

Ejus vitæ primordia.

PAſchalis II. natione Tuſcus, Raynerius anteà vocatus, ex nobiliſſima *Rayneriorum* familia ortum trahens, patrem habuit Creſcentium Raynerium, matrem verò Alſatam, virtutum acrerum opulentia illuſtres. Is ſpectatæ probitatis & doctrinæ adoleſcens, ſpretis mundi illecebris, ad Monaſterium Cluniacenſe vocante Deo profectus, ibidem ſacrum Divi Benedicti inſtitutum ſub Abbate Hugone viro ſanctiſſimo amplexus eſt. Ex quo ſanè Monaſterio tres ſibi ordine haud interrupto ſuccedentes Pontifices, Gregorius VII. Urbanus II. & Paſchalis ipſe exierunt. Raynerii virtutem, ſapientiam, rerum gerendarum peritiam, & vitæ integritatem admiratus Gregorius VII. eundem primò Abbatem Monaſterii S. Laurentii extra muros; tùm Presbyterum Cardinalem titulo S. Clementis magno afflictæ Eccleſiæ emolumento conſtituit. Ejus conſtantia, virtus, ac fortitudo in profligando Schiſmate Guibertino maximè enituit, magnoque Eccleſiæ Romanæ, ut Baronius teſtatur, uſui fuit. Quare Urbanus II. paulò ante obitum ſuum, motus Gregorii VII. exemplo, eundem, ut ſibi in Apoſtolico regimine contra Guibertum invaſorem ſuccederet, Cardinalibus tum præſentibus enixè commendavit, quòd tanto munere omnium digniſſimum, omniumque aptiſſimum ex perſpecta virtute dijudicaret.

Fit Cardinalis.

Summo Sacerdotio dignus pronunciatur.

Mortuo itaque Urbano, initis comitiis, Raynerius diu reluctans & latitans, expetente populo, eligente Clero, collaudante Cardinalium Senatu, Pontifex maximus creatur, poſtquam ter feſtivis vocibus acclamatum eſſet; *Deus, & Petrus Apoſtolorum Princeps Raynerium virum optimum Pontificem elegêre:* cui poſteà, explorata ejus voluntate, per Primiſcrinios Paſchalis II. nomen inditum eſt. Tum indutus coccineam chlamydem, tiaraque capiti ejus impoſitâ, comitante populo & Clero, equo albo ad Baſilicæ Conſtantinianæ porticum perducitur: ubi cùm in ſede ad eam rem de more parata aliquantulùm quieviſſet, atrium Lateranenſe conſcendens, baltheo, unde ſeptem claves totidemque ſigilla pendebant, ſuccingitur,

Omnium more Pontifex creatur.

gitur, ut intelligeret, ſe ſecundùm ſeptifariam ſancti Spiritus gratiam, ſanctarum Eccleſiarum, quibus Deo auctore præerat, claudendi, ſigillandi, aperiendique poteſtatem accepiſſe. Sequenti verò die, qui Dominicus erat, magno apparatu, à Cardinalibus, Clero, & populo ad Baſilicam Vaticanam conſecrationem accepturus perducitur, atque ibidem per Epiſcopos, quorum id erat muneris, conſueto ritu inungitur & conſecratur. Hoc ita futurum Albertus Alatrinus Epiſcopus, magnæ vir ſanctitatis, dudum antè prædixerat: nam cùm ab amico, quem Urbano ſucceſſurum putaret? interrogaretur; *Raynerium*, inquit, *propter eximiam fidem, zelum, & conſtantiam Deus eliget: qui ter ſex annos Eccleſiæ regimen tenebit:* Divinationi ad unguem reſpondit eventus: Paſchalis enim electus, annos decem & octo ad clavum Eccleſiæ ſedit, ut ſuo loco dicetur.

Coronatur.

Vaticinium de ejus Pontificatu.

Paſchalis igitur divino munere inauguratus, Eccleſiæ Dei propemodùm labenti ante omnia conſulturus, coacto exercitu in Guibertum Antipapam malorum omnium caput, Rogerio Siciliæ Comite aurum & auxilium ſufficiente, movet. Albæ Marſorum Guibertus homo pernicioſus tum degebat: qui ubi intellexit hoſtes ingenti apparatu adventare, haud ſatis copiis ſuis, à Richardo Campano Comite acceptis fidens, relicta protinùs Alba, in Furconenſium (hodie Aquilanorum) montana indeque Ravennam ſe ſe proripuit: ubi derelictus à ſuis, poſtquam Eccleſiam annis circiter duobus ſupra viginti acerrimo Schiſmate vexaſſet, ſubita morte correptus periit anno 1101. cujus corpus Ravennæ in Eccleſia Cathedrali ſepultum, ac juſſu Paſchalis ſub annum 1106. inde erutum, poſt acerba populi ludibria, igni traditum eſt. A ſeditionibus tamen Eccleſia Dei, ſublato hoc monſtro, non ſtatim quievit. Richardus enim, quem diximus Guiberto copiis & opibus faviſſe, in demortui locum Albertum quendam ſufficit Atellanum civem (quæ Urbs Neapolim inter & Capuam poſita, Averſa hodie nuncupatur) qui ſtatim, cùm ad Urbem vexandam incautiùs prolaberetur, à Paſchali militibus captus, diuque ludibrio habitus, demum ejuſdem Paſchalis imperio Averſam in Monaſterium S. Laurentii relegatur: ubi mœrore animi contabeſcens, quinto uſurpatæ dignitatis menſe, vitam miſerè finivit.

Movet in Antipapam, eumq́ loco pellit.

Antipapæ Guiberti interitus.

Albertus Atelanus Antipapæ ſubrogatur: capitur, & relegatur.

Extincto Alberto, Cavenſes agri Præneſtini incolæ, Urgente Wernero Henrici Imp. in Campania Præfecto, Richardi Comitis ſtultitiam & arrogantiam ſecuti, Theodoricum quendam Romanum, Guibertinæ factionis Cardinalem, Pontificem creavère: verùm & hic tertio Pſeudo-honoris menſe, à præſidio Paſchalis interceptus, & Schiſma Guibertinum abjurare coactus, perpetuo carceri in Monaſterio Caventi adjudicatus eſt. Ubi pœnitentiæ operibus commiſſa diluens, non multò pòſt mortem oppetiit Guiberti & Alberti exitu honeſtiorem.

Sufficitur ſecundus Antipapa, ſed captus relegatur.

Relegato Theodorico, mox Maginulphus Romanus, Monachus & Abbas Farfenſis, ejuſdem Werneri Cæſarei in Campania Præfecti violentia intruditur Pontifex; ſed & hic oborta ſeditione titulis ac vita, ultore Deo, privatus, finem longo ac pernicioſo Schiſmati attulit ſub annum 1103. Trium itaque Pſeudopontificum

Succedit tertius, qui occiditur, ac cũ eo Schiſma extinguitur.

cum infauſto exitu perterriti Romanæ Eccleſiæ hoſtes, neminem deinceps, (vivente Paſchale) qui ſummam poteſtatem fœdaret, elegerunt: atque ita ſublato Dei benignitate exitiali ſchiſmate, quod viginti & octo annos duraverat, pax Eccleſiæ reddita eſt, Imperatore præſertim Henrico bellis Germanicis & inteſtinis occupato: qui ut conſilia ſua aliorſum, quàm ad vexandam Sedem Romanam, transferret, ab hoſte filio compulſus eſt. Paſchalis autem lucidiſſimi ſolis inſtar adulterinos illos Pontifices veluti nebulam orco enatam diſcutiens, deinceps ita ſe geſſit, ut ſumo Pontificatu dignus ipſo adverſariorum ore, & teſtimonio haberetur.

Hoſtes Eccleſiæ expugnat, & ablata recipit.

Pacatâ hoc modo Eccleſiâ Romanâ, Paſchalis vir magni animi atque ingenii à religione ad arma converſus, adjuvante Rogerio urbem Caſtellanam & Beneventum ab hoſtibus occupatum recipit. Interim verò Petrus *Columna* Romanus civis, impellente Richardo Campano Comite, cujus maximè intererat copias Pontificis diſtrahere, Cavas occupat pontificiæ ditionis oppidum. Eapropter Pontifex in eum movens, collatis proſperè ſignis, non ſolùm Cavas recuperavit, verùm etiam Gabios, Zagarolum, & Columnam paternæ hæreditatis caſtella ei abſtulit. Ex columna nobiliſſimam Columnenſium familiam, quæ inter Romanos divitiis, opibus, & Caſtellis præcipua eſt, cognomentum duxiſſe, Scriptores aſſerunt.

Columnenſium nomen unde?

Paſchalis Decretum.

Hoc ipſo tempore Conventus Procerum Imperii Moguntiæ anno 1106. habitus eſt; in quo auctoritate Paſchalis ſtatutum, ut hæretici Epiſcopi viventes de Sede deturbarentur; morti è ſepulchris extraherentur, & qui ab iis ordinati fuerant, uſque ad generalem Conventum à muneribus amoverentur. Quo decreto Clementis III. Antipapæ cadaver, qui fuerat hujus hæreſis auctor, ſuo ſepulchro evulſum, poſtquam à furente plebe dilaceratum eſſet, flammis abſumptum eſt, ut ſuprà diximus.

Guiberti cineres exhumantur, & comburuntur.

Stephani Corſi ſeditio comprimitur

Inter hæc Stephanus Corſus, illuſtris Corſorum familiæ Princeps, à Paſchali deficiens, eo abſente Baſilicam S. Pauli & caſtellum eo loci ædificatum furto occupat: unde continuis excurſionibus agrum Romanum ipſamque Urbem mirum in modum vexabat. Hanc ob rem omiſſis rebus externis Pontifex ad Urbem rediens, Stephanum vi inde dejicit: quem ideò incolumem evaſiſſe credimus, quòd abjecto militari ſago, Monachi habitum indutus, irrumpentes decepit.

Paſchalis intereſt translationi Corporis S. Geminiani.

Anno ſequenti, qui fuit Chriſti 1107. Mutinenſes Corpus S. Geminiani Epiſcopi, quem ipſi præcipua religione venerantur, è vetere Baſilica in novam inchoatam transferebant: eamque rem vicinorum omnium Epiſcoporum accitu, ac magno circumjacentium populorum accurſu unà cum Epiſcopo ſuo Dodone concelebrabant. Huic igitur pompæ Paſchalis quoque in conſortio Mathildis Comitiſſæ adfuit; ac dedicatâ S. Geminiano Arâ, omnibus, qui ſolemni adeò functioni intererant, plenariam indulgentiam conceſſit. Mathildis verò, ne Pontifici benignitate ceſſiſſe videretur, eandem Aram variis donorum generibus cumulavit. Pontifex hoc munere perſunctus, ut inſolentiam Epiſcoporum Ravennatum (qui per centum fermè annos Romanæ Eccleſiæ, ſed maximè Guiberto

berto proximè Eccleſiam adminiſtrante, adverſarii fuerant) comprimeret, eorumque auctoritatem minueret, Epiſcopos Bononienſem, Mutinenſem, Rhegienſem, Parmenſem, & Placentinum illorum obedientiæ ſubtraxit. Tum in Ciſalpinam profectus, ad Guaſtallum Conventu multorum Principum atque Epiſcoporum habito, de Homagiis, de feudis, de Sacramentis Epiſcoporum laicis anteà exhibitis, exhibendisvè magna eſt habita ratio. *Ravennatū Epiſcoporum auctoritatem minuit.*

At verò cùm intelligeret Gallos Sacerdotes non ita integrè, uti decebat, vitam ducere, eò profectus, apud Trecas anno 1108. coacta Synodo, Eccleſias ad laudabiliorem cultum redegit, earumque Præſules partim caſtigationibus emendavit, partim ſedibus amovit. Henrico autem per Legatos jus in eo ſuum imminui graviter expoſtulanti ſpatium datum Romam adeundi, ac Generali in Concilio cauſam ſuam probandi. Quibus peractis in Italiam regreſſus, ac turbatas Romæ res nactus, Stephani Corſi conatibus, qui Ponticellum, & Montem altum ditionis Romanæ oppida occupaverat, per Autumnum armatus occurrit, eundemque diutiùs obſeſſum, receptis in fidem oppidis, ſtatione dejecit. Inde Beneventum movens, res Apuliæ ſeditionibus deformatas componere aggreſſus eſt. Verùm eo in Apulia agente, Anagnia, Præneſte, Tuſculum, Sabinusque tractus, auctoribus Ptolemæo Sublacenſi, & Petro à Columna, defecêre. Quo cognito, accito properè in auxilium Richardo Comite Cajetano, Romam reverſus, & hoſtes Eccleſiæ ſuperavit, & Oppida, quæ defecerant, recepit, atque adeò pacem diù deſideratam populis reddidit. *Trecis Synodum celebrat, & quâ ob cauſam.* *Hoſtes Eccleſiæ armis domat.*

Intereà Henricus V. mortuo patre, quem apud Leodium bellò ſuperaverat, compoſitis in Germania rebus, in Italiam cum exercitu veniens, Sutrii (quæ Urbs Patrimonii eſt) ſubſtitit, quòd ſenſerat adventum ſuum Paſchali parùm admodùm gratum eſſe: quippè qui & Eccleſias multas durante bello everterat, & Epiſcopatus contra jus fasque pro libidine animi, cui placuiſſet, demandaverat. Verùm miſſis ultrò citroque ad Pontificem Legatis, cùm Imperator jurejurando interpoſito polliceretur ſe non ſolùm pacato agmine Urbem ingreſſurum, ſed & Epiſcopos omnes Simoniacè ingreſſos compulſurum, ut ſe à poſſeſſione Epiſcopatuum, quos largitione acceperant, abdicarent: annuente Pontifice Urbis portæ apertæ ſunt. Itaque Henricus, prodeunte obviàm Clero, ac honorato quoque, urbem Leoniam ingreſſus, ad Baſilicam Vaticanam usque proceſſit; ubi proſtratus in terram Pontificis ad primos gradus conſiſtentis pedes exoſculatus eſt. Poſitis deinde militibus ſuis in ſtationibus, Templum ipſe unà cum Pontifice dextrum latus tenente ingreditur, in quo poſt orationem ad Altare factam, à Pontifice petit, ut illos, quibus ipſe Epiſcopatus dederat, confirmet, licèt jusjurandum anteà interpoſuiſſet, ſe nunquam id à Pontifice poſtulaturum. Paſchalem verò id facere recuſantem, intromiſſis militibus, dato ſigno, unà cum Patribus purpuratis capit, eumque cum magna Cleri priùs ſpoliati parte in caſtra perducit. Permotus tam inſigni injuria populus Romanus, ſumptis armis Theutonicos omnes ex Urbe Leonina pellit, portasque protinùs clauſas machinis *Henricus V. Imp. Romam venit.* *Cum honore ſuſcipitur.* *Simoniacos Epiſcopos confirmari poſtulat: Repugnat Pontifex:*

Capitur & abducitur. atque præſidio obfirmat. Tùm verò Imperator ad Soractis montem perveniens, Pontificem cum Cardinalibus in loco excelſo eoque munitiſſimo collocat, diſpoſitis circumquaque cuſtodibus & præſidiis, ne inde aufugere, vel retrahi ab aliquo poſſent. Quo facto collectis ſtatim copiis, Urbem oppugnaturus, Anienem cum exercitu pervenit. Unde occupato priùs ponte Mammæo, à matre Alexandri Imperatoris nomen ducente, incenſis circumquaque *Coactus ſubſcribit.* villis, aſſiduas incurſiones in Romanos faciebat. Quare Pontifex incommodis civium, magnatumque precibus permotus, atque ad pontem Salarium perductus, accitis ex Urbe Notariis, qui pacta conſcriberent, eos omnes (licèt invitus) in Epiſcopatu confirmavit, quos anteà Henricus nefariè delegerat. Hoc itaque modo compoſitis rebus, dimiſſis captivis omnibus, Imperator à Pontifice co- *Henricum coronat.* ronatur in Baſilica S. Petri Vaticana, clauſis priùs Urbis portis, ne populus erumperet, firmataque ſtationibus ipsâ ab Henrico Baſilicâ: unde non ita multò pòſt voti compos factus, in Germaniam, quò eum Imperii negotia vocabant, cum exercitu rediit. Paſchalis verò, pacatâ aliquantulùm Italiâ, elongatoque Cæſare, libertati *Paſchalis libertate donatus, retractat malè promiſſa.* reſtitutus, Concilium in Laterano celebravit, in quo omnia, quæ Henrico promiſerat, revocavit: quòd coactus, non libens in ejus ſententiam, armis non rationibus munitam, deſcendiſſet, inſtantibus Cardinalibus, qui in vinculis erant, populoque Romano, qui ab Henrico bello vexabatur, ut quavis conditione pacem componeret. Satiùs itaque viſum eſt, retractare malè acta, violenter præſertim, quàm pati exemplo pernicioſo, ut id quoque reliquis Principibus licere videatur, quòd perfidus Henricus ab invito Pontifice extorſerat. Acta hæc ſunt anno ſalutis 1112.

Mathildis fœmina laudatiſſima moritur. Hoc eodem tempore (vel meliùs anno 1115.) Mathildis Comitiſſa, annos ſex & ſeptuaginta nata, Nono Kalendas Auguſti mortem vitæ ſanctiſſimè actæ congruentem oppetiit, atque in Monaſterio S. Benedicti, ab avo ſuo inter Padum & Larionem propè Mantuam conſtructo, ſepulturam accepit. Fœmina certè non ſolùm egregia pietate, ac religione omnium & ſui, & ſuperiorum ſæculorum mulierum præſtantiſſima; ſed publicis etiam operibus, arcubus, pontibus, viis, Templis Monaſteriis in Lombardia ac alibi conſtructis, belliſque aſſiduis pro tuenda Eccleſiæ & ſanctæ Sedis auctoritate ſuſceptis, ſingulari encomio in perpetuum celebranda. *Donatio Mathildis Eccleſiæ facta.* Hæc inter alia ex teſtamento reliquit Eccleſiæ Romanæ, quidquid à Piſſia amne & S. Quirico agri Senenſis uſque ad Ceperanum inter Apenninum & mare pertinet, additâ Ferrariâ, quæ hucuſque Romanæ Eccleſiæ vectigalis fuit, ac demum ex integro ad liberum ejus dominium (mortuo Ferrariæ Duce Alphonſo Eſtenſi) pervenit.

Concilium Lateranenſe & quid in eo actum. Sequenti anno 1116. Pridie Nonas Martias Paſchalis iterum Conventum in Laterano celebravit, quò diverſarum Provinciarum Epiſcopi ac Principes confluxerant. In eo multa Eccleſiæ detrimenta ſarcita: Canones ſaluberrimi conditi: ac privilegium ab Henrico per vim extortum, iteratò revocatum; ipſeque perjurus Cæſar anathemati ſubjectus.

Anno Chriſti 1117. Tertio Nonas Januarias, Italia inaudito ante

te multa ſæcula terremotu concuſſa eſt. Quippè ejus impetu mœnia, templa, Urbiumque turres cum ingenti mortalium ſtrage procubuerunt; ad hæc fontes turbati ſanguine manarunt, Templorum lampades nullo impellente ventorum flatu per aëra latæ. Quin etiam tertio Kalendas Februarias tremenda tonitrua ac fulgura (qualia nulla hominum meminerat ætas) creberrima immiſſa grandine, mortalium auribus, oculiſque objecta rem in eam religionem adduxerunt, ut diræ aliquid calamitatis impendere, homines ſuſpenſis mentibus pertimeſcerent: quodque pavorem animis majorem incutiebat, eadem prodigia, ac multò triſtiora ex Germania paſſim nunciabantur. Quibus perterritus Henricus (urgente eum oneratâ flagitiis conſcientiâ) litteras ad Paſchalem Pontificem veniæ deprecandæ cauſa miſit: cui Pontifex reſpondit, ſe illum, ſi verè pœniteret, atque Eccleſiæ ſatisfaceret, proximo in Concilio Romæ cogendo abſoluturum. *Ingentes terræmotus & ſigna.* *Henricus iis terræfactus, veniam petit*

Ergo Henricus Pontificis clementiâ illectus, è Germania in Italiam cum exercitu deſcendens, magno terrori Romanis omnibus fuit. Verùm cùm is Romam veniſſet abſente Pontifice, qui tum in Apulia Concilium agebat; cumque ſe privatum dignitate imperii, juxtà ac poteſtate dandorum Epiſcopatuum non ignoraret, à Bracharenſi Archiepiſcopo patria exule Schiſmaticoque abſolvitur, iterumque coronatur in Baſilica Vaticana. Quo facto populabundus per Italiam regreditur in Germaniam. *Abſolvitur & coronatur à Schiſmatico*

Paſchalis autem abſoluto Conventu, ex Apulia Romam cum copiis Northmannorum rediens, & multa Oppida ab hoſtibus occupata recepit, & Præneſte Caloioannis Imperatoris Conſtantinopolitani, qui patri Alexio defuncto ſucceſſerat, oratores libenter audivit, iiſdemque in mandatis dedit, ut Caloioannem ſuo nomine contra Sarracenos animarent. At verò aperti Eccleſiæ hoſtes, Italiæque Tyranni, paulò antè potificiis armis compreſſi, qui nullum ſibi veniæ locum apud Pontificem ob maleficia reliquerant, latebris deliteſcentes, tandem per amicos in Paſchalis viri mitiſſimi gratiam rediêre. Pacatis hoc modo rebus, dedicataque Præneſte Agapeti Baſilicâ, Pontifex effuſâ obviàm honoris cauſa Romana multitudine ad Urbem rediit, qua quidem ex frequentia in morbum incidens, ſe paulò pòſt moriturum ex apertis ingraveſcentis morbi ſignis cognovit. Quare acceptis ſumma devotione Eccleſiæ Sacramentis, cohortatuſque Clerum ad pacem & concordiam, Pontificatus ſui anno decimo octavo, menſe quinto, die nono (id eſt decimo quinto Kalendas Februarii anni 1118.) non ſine ſanctitatis opinione moritur Romæ apud S. Mariam Tranſpontinam; ſepeliturque in Patriarchio Lateranenſi in Mauſolæo puriſſimi marmoris theſapſico opere ſculpto. Vir verè magnus, ſeu bella, quæ pro Deo & Eccleſia geſſit, ſeu monumenta pietatis, quæ paſſim edidit; ſeu virtutes, atque doctrinam, queis maximè floruit, conſideres. *Paſchalis ablata recepit: Græcorum Legationem audit.* *Ægrotat, ac pie moritur.*

SCRIPTA.

Scripſit Paſchalis Epiſtolas varias, quarum triginta duæ habentur *Ejus Scripta.*

bentur apud Binium tomo 7. Conciliorum : quaſdam etiam referunt Baronius tomo 12. Annalium, Henricus Caniſius, & Ferdinandus Ughellius in Italia ſacra. Illarum aliquæ ſunt ad Henricum V. Imperatorem, cujus juſſu Paſchalis cum nonnullis Cardinalibus à Pridie Kal. Februarii uſque ad v. Kal. Majas in carcere detentus, multis affectus eſt injuriis.

Scripſit etiam ad Clerum Florentinum, teſte Oldoino, ut illum ad antiquam in divinis celebrandis conſuetudinem revocaret. Godifredum è nobiliſſima Cantalbertorum gente, Epiſcopum Florentinum, in quem falsò crimina nonnulli Eccleſiaſtici impegerant, abſolvit; accuſatoresque juxta Sanctorum Patrum, Conciliorumque ſanctiones ab officio removit, data hac de re inſigni Epiſtola ad Clerum, populumque Florentinum. Extant pariter plura Paſchalis Diplomata variis conceſſa, apud Baronium, Victorellum, & Oldoinum. Ejus quoque inſignia duo Decreta citantur à Gratiano 16. q. 1. *Decimus*, & 14. q. 2. *Super prudentia*.

Ad Paſchalem litteras dediſſe inveniuntur Godifredus Dux Hieroſolymitanus, Yvo Epiſcopus Carnotenſis, Henricus IV. & V. Imperatores, Anſelmus Epiſcopus Cantuarienſis, S. Otho Epiſcopus Bambergenſis, S. Bruno Carthuſienſium Patriarcha, Willhelmus Rex Angliæ, & alii quamplures, ut videre eſt apud Baronium tomo 12. Annalium.

ANNO CHRISTI MCXVIII.

Imperatore HENRICO V. Auguſto.

DE

GELASIO II. Pontifice Maxim.

CLXIII. *Ejus natalitia, & vitæ primordia.*

GElaſius II. Joannes anteà vocatus, natione Campanus, Cajetæ patre Creſcentio nobili genere natus, ingenueque à teneris annis educatus, non pœnitendos in omni virtutum & ſcientiarum genere profectus fecit. Adoleſcens ſolitariæ vitæ deſiderio Caſſinum profectus, ſacrum ibidem Divi Benedicti Inſtitutum ſub Oderiſio Abbate viro ſanctiſſimo amplexus eſt. Famâ virtutis ejus ac eruditionis longiùs promanante, ab Urbano II. Romam accitus; eidem Pontifice, Gubertino tum Schiſmate extremè divexato, ſolatio non minùs, quàm præſenti auxilio fuit. Eapropter Urbanus meliori poſtmodùm fortuna uſus, tanti beneficii memor, Joannem virum ſapientem providumque ob exploratam fidem doctrinamque ſecretis ſuis admovit, atque Apoſtolicæ Sedis Cancellarium (qui *Præſignator* dicebatur) adjecto inſigni ſtipendio creavit. Nec multò pòſt, quod arte dicendi ſcribendique omnibus eo tempore præſtaret, eidem ob elegantiam compoſitionis negotium dedit, ut in conſcribendis Diplomatibus Romanæ Curiæ ſtylum, majorum ignaviâ labefactatum, in meliorem formam redigeret. Poſteà verò cognita hominis amplitudine, eundem

Cancellarius Apoſt. Sedis creatur.

dem referre in cœtum Purpuratorum inſtituerat, eaque de re ſæpiùs in Senatu locutus, cùm nemo Patrum diſſentiret, immò propoſitum omnes laudarent, diem promotionis ejus Calendas Junii deſignaverat. Verùm morte præter opinionem præventus, negotium Paſchali Succeſſori perficiendum reliquit, qui meritorum tanti viri haud immemor, eundem in prima ſtatim creatione Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Coſmedin decrevit. *Purpurâ donatur.*

Mortuo deinde ſub annum 1118. Paſchali, cùm abſente Cæſare de creando novo Pontifice ratio haberetur, ob eamque rem Cardinales omnes in Monaſterio *Palladii*, juxta ædes Leonis & Cincii *Frangepanum* ſito, congregati eſſent, uno omnium conſenſu Joannes Cajetanus, aſſumpto Gelaſii II. nomine, Pontifex maximus creatur. Verùm Cincius Frangepanis ob eam electionem ira percitus (quòd, quem ipſe Collegio eligendum nomine Cæſaris propoſuerat, Patres neglexiſſent) accinctus gladio cum armatis ſatellitibus in Monaſterium Palladii irrumpit, refractiſque foribus ac fugatis cuſtodibus obvium quemque percutit: Pontificem neoelectum obtorto collo arreptum inque terram afflictum, nulla dignitatis aut perſonæ habita ratione, quaſi brutum pugnis calcibus conterit, calcaribus cruentat, vinculiſque conſtrictum extra limen Eccleſiæ in proximas ædes pertrahit, catenat, ac carcere claudit. Porrò Epiſcopos, Cardinales, Clericos fugam ad tantum furorem parantes, ex mulis equiſque proturbat, diſtrahit, vulnerat, expoliat, nullumque contumeliæ genus, quo tantus affici Senatus poſſet, homo ſacrilegus prætermittit. *Pontifex renunciatur.* *Cincii Frangepanis execrandum facinus.*

Non tulit luculentem adeò injuriam Populus Romanus: qui præclaris ducibus ſuffultus, ad ædes Cincii armatus concurrit, eique ac familiæ certum minatur interitum, ni properè ſolutum vinculis Gelaſium reddat incolumem. Cincio ob timorem fugâ dilapſo, faciunt mandata perterriti Frangepanes; maximè verò Leo, qui Pontificis pedes, inſpectante populo, ſæpè ſæpiùs exoſculatus, veniam ſupplex de genu petebat. Aſſertus in libertatem Gelaſius, conſcenſo equo albo ducitur in Lateranum; ibique plaudente populo, geſtiente Clero, ſolemni ritu ac pompa (ringente licèt invidia) ſacris inauguratur, & corouatur. *Populus Romanus Gelaſium liberat.* *Gelaſius coronatur.*

Intereà Balduinus Solymorum Rex (quem ſtatim litteris ac nunciis Pontifex adhortatus eſt, ut barbarorum impetum tamdiu ſuſtineret, quoad in Aſiam nova militum ſupplementa mitterentur) Caſtellum in Syria, *Sobal* vocatum, vi occupat, idque ut fidelibus adverſus barbaros continuè dimicantibus refugium atque receptaculum eſſet, fortiter commeatu ac milite munit. At verò Boëmundo adoleſcente extincto, Tancredus tutor, Antiochiæ Princeps ab omnibus Chriſtianis declaratur: Quem quidem confirmato priùs Principatu, Balduinus Rex ad ſe cum ſuis militibus vocat, dimicaturus cum hoſtibus Turcis, Sarracenis, Arabibus; qui cum ingenti exercitu Provinciam Hieroſolymitanam ingreſſi erant. Eò itaque veniens Tancredus, cognita Chriſtianorum paucitate, fruſtrà Balduino diſſuaſit, ne collatis ſignis cum hoſte longè potentiſſimo decerneret; nevè rem Chriſtianam tanto labore partam in diſcrimen *Balduinus* Sobal *expugnat, ac munit.*

Improſperè cum barbaris dimicat.

ſcrimen dubio congreſſu adduceret. Nam cùm hoſtibus ipſis pugnandi copiam feciſſet, ingenti clade ſuperatus, ægrè cum paucis Hieroſolymam eluctatus eſt : Tancredo interim diverſis tramitibus Antiochiam dilapſo. Elati autem tantâ victoriâ hoſtes, montem Tabor ferocientes conſcendunt : monaſterium eo loci poſitum aggrediuntur, diripiunt, diruuntque, monachis ad unum omnibus crudeliter interfectis.

Hoſtes in monachos deſæviunt.

Gelaſius Romà fugit.

Nec interim quietus ab externo hoſte Gelaſius fuit, qui Henrici Imperatoris Italiam vaſtantis, jam jamque hoſtili animo Urbem ingreſſuri furorem declinans, ad ædes Bulgamini potentiſſimi civis primò confugit. Verùm cùm ibi quoque nequaquam tutus videretur, omniaque circà Urbem itinera hoſtili præſidio intercluſa eſſent, prima luce clanculùm per Tyberim ad mare delatus, duas cum ſuis triremes ad id paratas conſcendit, Oſtiamque delabitur, inſequentibus eum à tergo militibus Germanis, ac telis ſagittiſque veneno illitis ipſum petentibus. Cùm verò Oſtiam non ſine capitis periculo attigiſſet, neque ingredi mare navibus propter inſtantes procellas licuiſſet, terreſtri itinere Ardeam, uno comitatus Hugone Cardinali viro ampliſſimo, proficiſcitur. Mari pacato Oſtiam reverſus, Tarracinam primò, mox Cajetam patriam ſuam adnavigat, à civibus ſuis perbenignè ſuſceptus, magniſque honoribus cultus. Convenêre eò ſtatim, præter Archiepiſcopos decem, Epiſcopos viginti, Abbates triginta, Guilielmus Apuliæ Dux, Robertus Princeps Capuanus, Richardus Aquilanus, & alii aliarum Provinciarum Proceres, pollicentes interpoſito juramento ſe in ejus poteſtate ſemper futuros, uti fideles Eccleſiæ Dei vectigales deceret.

Indignè à Germanis habetur.

Cajetæ honorificè excipitur : Principes ei obedientiâ ſpondent.

Henricus Imp Antipapam conſtituit, quem Gelaſius cum fautorib. damnat.

Interim Henricus Cæſar, qui in Urbe commorabatur, renovato Schiſmate, Mauricium Burdinum Bracharenſem quondam Archiepiſcopum, Lemovicenſem Gallum, Antipapam ſub Gregorii VIII. nomine conſtituit ; quem potiſſimùm Gelaſio objiceret, eumque Frangepanûm familiæ modo meliori tutandum commendavit. Gelaſius id intelligens, nullâ morâ Capuam commigrat, ubi coacto plurium Epiſcoporum conventu, Imperatorem, Antipapam, omneſque eorum fautores ſacris interdicit. Tum conſcripto exercitu, vocatiſque in ſocietatem Apuliæ, Calabriæ, ac Campaniæ Principibus, expeditionem in Eccleſiæ hoſtes parat. Territus eo apparatu Henricus, relictâ protinùs Urbe, copias ſuas in Anagninum agrum movet, omniaque hoſtilem in modum diripit & capit. Exinde Turriculum progreſſus, locum oppugnaturus, docetur ab exploratoribus ; Gelaſium cum Proceribus fœderatis, magnoque cum exercitu adventare : quare motis ſubitò caſtris Italiâ excedens, obvia quæque rapinis ac cædibus complet, indeque in Germaniam, majorem comparaturus exercitum ſe recipit.

Henricus fugit, omniaq; vaſtat.

Gelaſius Romam venit, ac mox prævalente Antipapa alior-ſum ſe recipit

Gelaſius autem, remiſſis in Apuliam Proceribus, Romam venit, arbitratus elongato Cæſare omnia deinceps pacata fore. Verùm longè ſecus, quàm putarat, accidit. Nam cùm intellexiſſet Gregorium Antipapam Frangepanûm auxilio fretum Romæ manſiſſe, potentiam iſtius familiæ veritus, apud amicos quoſdam aliquamdiu delituit. At verò cùm poſteà in Eccleſia ſanctæ Praxedis divina

divina myſteria celebraret, irruentibus cum factione ſua hoſtibus, vix ſe ſe ab eorum manibus fugâ ſubtraxit, Corſis Northmannisque egregiis familiis, ac Creſcentino nepote acerrimè eum defendentibus. Sequenti die à ſuis, armis & clientelis benè munitis, revocatus in Urbem (nam ad S. Paulum confugerat) habito Cardinalium conventu diſcedere ab Urbe inſtituit, ne creſcente in dies magis magisque ſeditione, magna aliqua clades oriretur. Relicto itaque Petro Epiſcopo Portuenſi, qui vices ſuas, quantum ad rem ſacram pertinet, Romæ gereret, commendatâque Benventanæ Urbis curâ Hugoni Cardinali duodecim Apoſtolorum, Piſas primò adnavigat, cùm terreſtre iter inſidiis ſcatens nequaquam ſibi ac Cardinalibus, quos comites ſociosque habebat, tutum videretur.

Exceptus itaque perbenignè à Piſanis, cùm rationem diſceſſûs ſui ab Urbe audientibus omnibus reddidiſſet, atque eorum Epiſcopum in vicem gratitudinis Archiepiſcopum conſtituiſſet, inde ſolvens in Galliam ad portum S. Ægidii pervenit, ut gentis humanitate frueretur, peteretque auxilium à Rege Francorum adverſus Eccleſiæ perturbatores, exemplo Prædeceſſorum. Lugdunum deinde honeſto magis quàm ſplendido comitatu perductus, ab ejus loci Abbate Hugone viro optimo, & Proceribus Galliæ, qui eò honoris gratia, viſendique Pontificis ſtudio confluxerant, magnificè & cum gaudio ſuſceptus eſt. Tum ab Abbate Pontio Cluniacum invitatus, iter eò arripuit: inter eundum Eccleſias S. Cæciliæ in Stagello, S. Silveſtri in Tiliano, & S. Stephani in Tornaco ſolemni ritu dedicavit, lapidibusque Eccleſiarum terminos diſtinxit. Menſe propemodum Cluniaci traducto, Viennam profectus, Synodum ibidem plurium Galliæ Epiſcoporum coegit; in qua, confirmatis priùs Prædeceſſorum ſuorum Decretis, Henricum Imperatorem, & Antipapam Gregorium anathemati ſubjecit; ejusque rei litteras quaquaverſum ad notitiam fidelium tranſmiſit.

Migrat in Galliam, ubi ſummo honore excipitur.

Vienna Concilium cogit: Cæſarem cũ Antipapaitarum damnat

Soluta Synodo Viennenſi, cùm apud Matiſconem proxima Quadrageſima Concilium Rhemis celebrandum indixiſſet, Cluniacum lecticâ delatus, ibidem pleuritide corripitur. Quare accitis ad ſe Cardinalibus, (quos ad unionem Eccleſiæ concordiamque, accommoda in rem uſus oratione, adhortatus fuerat) ultimum vale non ſine lachrymis dixit; ſuſceptisque maxima cum devotione Eccleſiæ Sacramentis, ſtrato in terram corpore, VI. Kalend. Februarii anno Dominicæ incarnationis 1119. Pontificatus ſui anno primo, & die quinto, ſanctiſſimè, uti vixerat, in Domino quievit: rebus iis, quarum cauſa advenerat, planè infectis. Viſitur adhuc Cluniaci monumentum ejus ex albo marmore, opere Tuſco, conſtructum. Funebrem orationem in laudem Gelaſii dixit Petrus Pictavienſis Monachus Cluniacenſis, vir magni eo ævo nominis & doctrinæ. Quin & Epitaphium eidem verſu heroico, (veridico magis, quàm culto) conſcripſit, quod refert ex Baronio Ciaconius in vita.

Ægrotat, ſanctèq. moritur

Vir gravis, & ſapiens, actu, verboq. Joannes,
Cùm priùs ex Monacho pro multa ſtrenuitate

Ejus Epitaphium.

Archilevita foret, & Cancellarius Urbis,
Præſule Paſchali meritis ad ſidera rapto,
Promeruit tandem ſacram conſcendere ſedem,
Dignus poſt primum Gelaſius eſſe ſecundus.
Sed quia Rege fuit non præcipiente levatus:
Horrendum fremuit Princeps. Et filia dulcis
More ſuo profugum ſuſcepit Gallia Patrem.
Si licuiſſet ei (pro certo crede) ſub ipſo
Virtus & pietas, & honeſtas creſceret omnis,
Et pax Eccleſiæ toto floreret in Orbe:
Nam rapuit mors atra virum, cùm Pontificatus
Vix ageret primum Vir venerabilis annum &c.

Inter Sanctos à pluribus exiſtimatur.

Gelaſium ob vitæ ſanctitatem Choro Sanctorum adſcriptum agnoverunt Benedictus Bobienſis *in mſ. Chronico Monaſtico*, Trithemius *de Viris illuſtr. Ord. S Bened.* Arnoldus Wion *in Martyrolog. Monaſt.* Franciſcus Joannettus *in vita*, Andreas Sauſſaius *in Martyrolog. Gallic.* Platina, Simonetta, Illeſcas, Bucelinus & alii. Baronius verò ejuſdem Gelaſii acta memorandis hiſce verbis concludit: *Quo quidem poſt Martyres, qui fuſo ſanguine martyrium conſumârunt, haud facilè inter Romanos Pontifices aliquem quis invenerit, qui breviori vitæ tempore majora ſit paſſus, ob idq; præclariori corona donandus, atque celebrioribus præconiis extollendus.*

Templariorũ origo.

Gelaſio Sedente inchoätum ferunt Templariorum Ordinem, qui non longè à Dominico Sepulchro habitantes, peregrinos Hieroſolymam adeuntes, magna charitate ſuſcipiebant, eosque per ſacra loca armati deducebant ac reducebant, quò eis ſine ulla Arabum vexatione, omnia loca ſancta tutò inviſere facultas eſſet. Caſtitatem hi, obedientiam, & paupertatem in manibus Patriarchæ Hieroſolymitani profitebantur. Novem primitùs fuêre ſocii, ſeu auctores hujus Ordinis, & per novem annos minimè multiplicari potuerunt, donec à Sede Apoſtolica in Concilio Trecenſi confirmati, in immenſum aucti ſunt numero, opibus, & poſſeſſionibus. Unde pernicies, ac denique excidium. Si enim à paupertate jurata non defeciſſent, nec eis Chriſtus, qui tutor pauperum & amator eſt, eis defuiſſet. De horum origine, progreſſu, vitiis, & excidio egimus in Purpura docta lib. 1. n. 23. quo lectorem ad pleniorem notitiam remittimus.

SCRIPTA.

Gelaſii Scripta.

Scripſit Gelaſius ſoluta oratione, cùm adhuc Caſſini inter Monachos degeret,

Paſſionem S. Eraſmi Epiſc. Cajetani & Martyris, quam Commentariis ampliſſimis illuſtratam in lucem edidit Romæ anno 1639. Conſtantinus Cajetanus Abbas S. Barontii.

Item verſu heroico Paſſiones ejuſdem S. Eraſmi, & Anatoliæ ac Cæſari Martyrum.

Compoſuit etiam *Regiſtrum Paſchalis II. Papæ*, dum adhuc Cancell. R. Eccl. eſſet.

Tra-

Tractatum etiam adverſus Henricum V. Imper. & Gregorium VIII. Antipap. eorumque in Schiſmate ſequaces, teſte Petro Diacono Caſſinenſi.

Epiſtolas varias, quæ extant *Tomo X. Concil.* Harum quinque refert Binius notis à ſe illuſtratas:

Unam ad Clerum, Epiſcopos, & Populum Gallicanum.

Alteram ad Bernardum Præſulem Toletanum.

Tertiam ad Clerum Populumque Romanum contra Mauritium Burdinum Bracharenſem Archiepiſc. ab Henrico Imp. in Petri ſedem violenter intruſum.

Quartam ad Gualterum Ravennatem Archiepiſc. qua illius electionem poſt ejuratum Schiſma confirmat, eique pallium concedit.

Quintam ad exercitum Chriſtianorum Civitatem Cæſaraugustanam obſidentem, qua omnibus ad eum aliquid ſubſidii vel auxilii conferentibus Indulgentias plenarias largitur.

Plures recenſet alias Conſtantinus Cajetanis in Commentariis ad ejus vitam à Pandulpho Cardinali Piſano auctore contemporaneo ſcriptam.

ANNO CHRISTI MCXIX.

Imperatore HENRICO V. Auguſto.

DE CALLISTO II. Pontif. Maximo. CLXIV.

Gelaſio II. Cluniaci, ut diximus, extincto, riteque ſepulto, Cardinales, qui tum aderant numero ſex, ſtatim de creando novo Pontifice conſilia agitarunt, talemque ſibi deligendum unanimi ſententia judicarunt, qui & generis ſplendore, & opibus, & Principum gratia, virtute, prudentia, auctoritate, doctrina, rerumque peritia, pacem atque concordiam, ſublato ſchiſmate, Eccleſiæ Romanæ reſtitueret, eamque tot perturbationibus, quibus per annos propè quinquaginta jactata fuerat, liberaret, & Henrico Imperatori ejusque Idolo Pſeudopapæ, acerrimis hoſtibus, fortiter conſtanterque ſe ſe opponeret.

Qualem Cardinales virû in Pontificem deligendum ſtatuerint?

Eos verò in hanc ſententiam pertraxerat amplitudo nobiliſſimi viri Guidonis Archiepiſcopi Viennenſis, Ordinis quondam divi Benedicti in Cœnobio Faveriano Biſuntinæ diœceſis alumni, qui tum commodè extrema pietatis officia defuncto Pontifici ſoluturus, Cluniacum advenerat: in hunc omnes, tanquam ſupremo Sacerdotio digniſſimum, oculos mentemque converterunt, quòd iis potiſſimùm conditionibus, quas paulò antè commemoravi, exactè polleret. Nam præterquam quod è nobiliſſima proſapia ortum traheret, (quippe qui Guillelmi magni Burgundiæ Comitis ex Gertrude Limburgica filius, proximo ſanguinis & affinitatis gradu Galliæ Angliæque Reges, ac ipſum etiam Cæſarem Henricum conti-

Guido Archiepiſc. Viennenſis, vir per omnia egregius evehitur

tingebat) præſtabat inſuper maximis virtutibus, & ampliſſimis in Eccleſiam meritis, ex arduis legationibus, durante Schiſmate, cumultè collectis.

Guido igitur tot inſignitus prærogativis, urgente cœlo, omnium, qui aderant, Cardinalium ſuffragiis, invitus planè, diuque repugnans, Pontifex maximus acclamatur in Monaſterio Cluniacenſi. Verùm ne ea electio abſentibus Cardinalibus, qui Romæ remanſerant, novi conflandi Schiſmatis occaſionem præberet, ornatu Pontificio ac nomine tamdiu abſtinuit, quouſque litteris ac nunciis edoctus eſſet, eam Romæ quoque gratam ratamque haberi. Approbatâ itaque, omnium ſententiâ, ſuâ electione, mutatoque Guidonis nomine in Calliſti II. Cluniacô Romam, magno Præſulum ac Procerum ſtipatus comitatu, venit. Ubi cunctis congratulantibus Romanis honorificè ſuſceptus, atque in Lateranenſe Patriarchium perductus, more conſueto eoque ſolemni, à Lamberto Oſtienſi Epiſcopo junctus, & coronatus eſt.

Romam venit, ubi honorificè ſuſcipitur, & coronatur.

Rebus ex animi ſententia Romæ peractis, Beneventum, quo eum Eccleſiæ negotia vocabant, proficiſcitur: quò & Principes omnes utriusque ſtatus ſtatim convenêre, ſalutandi, ut mos eſt, novi Pontificis causâ: maximè vero Guillelmus Apuliæ Dux, Jordanus Campaniæ Comes, Arnulphus Ariolæ, & Robertus Lotorellæ Comites, viri inſignes, & ſine controverſia illius partis Italiæ facilè Principes; qui etiam adhibito juramento, ſe in ejus poteſtate, fide, atque obedientia ſemper futuros, magna nominis ſui gloria polliciti ſunt.

Pergit Beneventū: Principes obſequentes habet.

Calliſtus autem, qui nihil aliud quam pacem unionemque Eccleſiæ meditabatur, Romam reverſus, Lambertum Oſtienſem Epiſcopum, Saxonem de Comitibus S. Stephani in Cœlio monte Presbyterum Cardinalem, & Gregorium Sancti Angeli Diaconum, viros omni memoria dignos, ad redigendum in Ordinem Henricum Legatus in Germaniam miſit. Qui coacto Coloniæ Germanorum Epiſcoporum conventu, Henricum Cæſarem, niſi collationi Epiſcopatuum Abbatiarumque per nefas hactenus uſurpatæ renunciaret, atque ablata Eccleſiæ bona reſtitueret, damnaque eidem illata reſarciret, cœtu fidelium ejectum exauctoratumque publicatâ ſententiâ declararunt. Quo facto permoti Germaniæ Principes, indicto Herbipoli Conventu, eò Henricum ad dicendam cauſam vocarunt, haud obſcurè denunciantes, ſe, niſi veniſſet, abſentem Regno ſpoliaturos. Paruit Henricus, aditoque Conventu Pontificis ac Principum deſiderio ſe ſatisfacturum interpoſito juramento ſpopondit: actum in eo præprimis de pace atque concordia ineunda: verùm cùm diverſis inter Principes ſententiis diu multumque certatum eſſet, neque manentibus diſcordibus eorum ſtudiis, res commodum habitura finem videretur: Tum Henricus, divino afflatus ſpiritu, è throno conſurgens; *Quid tantopere*, inquit, *Principes viri, de re non neceſſaria certatis, cùm ego paratus ſim, auctoritati ſancta Dei Eccleſia obedire, ac liberè id, quod concordiam diſtinet, jus Sacerdotiorum remittere: quaque aut à me, aut à patre meo Eccleſia ablata ſunt oppida, reſtituere, damnaque hactenus illata, amore pacis, reſarcire.* Quam vocem

Legatos in Germaniam mittit ad Henricum Imp. in ordinem redigendum.

Henricus reſipiſcit: & Eccleſiæ reconciliatur.

ubi

ubi Legati Pontificis, Epiſcopi, ac Principes audierunt, continuò alacres ſummis Henricum laudibus extulerunt, atque ut in ſententia firmiter perſiſteret, pro ſuo quiſque in Eccleſiam ſtudio hortati ſunt.

Itaque IX. Kalendas Octobris anno 1122. Henricus ipſe cum toto exercitu, qui execrationi ſubjacebat, in communionem Eccleſiæ, fidemque receptus, jus Epiſcoporum, Abbatumque inſtituendorum malè hactenus retentum, in manus Epiſcopi Oſtienſis maxima humilitate remiſit, ac tabulis conſcriptis tale Sacramentum concepit: *Ego HENRICUS Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, pro amore DEI, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Calliſti Pontificis, & pro ſalute animæ meæ, dimitto DEO & ſanctis ejus Apoſtolis Petro & Paulo, & ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ omnem Inveſtituram per annulum & baculum; & concedo in omnibus Eccleſiis fieri electionem & liberam conſecrationem; poſſeſſiones, & Regalia B. Petri, quæ à principio hujus diſcordiæ uſque ad hodiernum diem, ſive tempore patris, ſive etiam meo ablata ſunt, quæ habeo, eidem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reſtituo: quæ autem non habeo, ut reddantur fideliter juvabo, & do veram pacem Calliſto, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & omnibus, qui in parte ipſius ſunt, vel fuerunt, & in quibus ſancta Romana Eccleſia auxilium poſtulaverit, bona fide juvabo &c.* Hucuſque apud Urſpergenſem Abbatem promiſſio Imperatoris. In Codice Vaticano ex Autographo (teſte Baronio) adduntur iſta: *Et in quibus mihi querimoniam fecerit; debitam ſibi juſtitiam faciam:* inſuper & quæ ſequuntur: *Hæc omnia acta ſunt conſilio & aſſenſu Principum, quorum nomina ſubſcripta ſunt &c.* Vide Baronium *tomo 12. ad annum 1122. n. 6. 7. 8.* Atque ita diuturnæ, re & exemplo pernicioſæ diſcordiæ, quæ inter Pontificem & Cæſarem viguit, finis tandem, miſerante Deo, impoſitus eſt.

Henrici Imp. renunciatio de Inveſtituris Eccleſiæ.

Stabilitâ hoc modo concordiâ Legati Pontificis, muneribus ampliſſimis ab Henrico donati, ad Urbem redeuntes, tabellam pacis ad Lateranenſem Baſilicam ſuſpendêre: qua quidem perlectâ, tanta repentè lætitia publica exorta eſt, ut paſſim congratulantium cœtus exaudirentur. Verùm ne diuturnior hæc lætitia exiſteret, effecit Rogerius Siciliæ Comes, qui Calabriam & Apuliam, abſente Guillelmo Comite, occupavit. Guillelmus enim Alexii Imperatoris Conſtantinopolitani filiam in uxorem ducturus, abiens, Calabriam & Apuliam Calliſto Pontifici commendaverat. Hanc ob rem Calliſtus ab Urbe diſcedens Beneventum pervenit, indeque Hugonem Cardinalem ad eum, Nicephorim tum in Calabria obſidentem, miſit. Monitus autem Rogerius, ut ab armis diſcederet, nequaquam Pontificis edicto obtemperat: immò acriùs inſtabat, ne Guillelmus conſobrinus rediens, ſibi, quò minùs Apulia & Calabria potiretur, impedimento foret. Parabat jam arma Pontifex in contumacem, cùm ſubitò unà cum magna parte ſenatùs febri correptus redire ad Urbem re infecta compellitur. Quare Rogerius elongato Pontifice, nemineque præterea adverſante, Apulia & Calabria potitur. Atque hoc modo Guillelmus uxore fruſtratus, ac Principatu dejectus, apud Salernitanum Principem exulem vitam degens, ex animi mœrore ſine hæredibus brevi moritur. Rogerius autem tanto

Rogerius Siculus pacem Eccleſiæ turbat.

Pontifici non obſequitur.

tanto adverſario ſublato, Regem Italiæ ſe nuncupans, multorum odia, non ſine ſanguine delenda, contraxit.

Calliſtis Concilium longè maximum in Laterano cogit.

Intereà Calliſtus recuperata valetudine apud Lateranum nongentorum nonaginta ſeptem Epiſcoporum Concilium habuit, in quo præter alia, ad Imperium ſpectantia, deliberatum eſt, ut primo quoque tempore ſupplementa militiæ jam deficientis, Chriſtianis in Aſia bellum gerentibus, ſubmitterentur. Qua ſpe erectus

Balduinus hoſtium victor.

Balduinus Rex Solymorum, Gazim Regem Turcarum minorem Aſiam incolentium, magno cum exercitu in ſe moventem, ſuperat, & captum in carcerem conjicit. Pari fortunâ quoque uſus, Damaſci Regem Hieroſolymas cum exercitu hoſtili animo petentem fundit, fugatque, tribus millibus hoſtium cæſis, milleque captis. Verùm ſuperveniente paulò mox cum magnis copiis Balaac Parthorum Rege, cum quo ſtatim nullis expectatis auxiliis congredi

Balduinus ſuperatur & capitur.

auſus eſt, tanta clade ſuperatur, ut ipſe etiam unà cum multis Proceribus ſit captus, & in vincula conjectus. Qua re cognita Calliſtus Pontifex maturandum ratus, ne reliqui Chriſtiani amiſſo Rege opprimerentur, inſtante Veramundo Hieroſolymitano Patriarcha viro optimo ac doctiſſimo, Venetos ſpe gloriæ & præmii concitos in hoſtem magna Claſſe permovit, Dominico Michaelio Duce. Qui

Veneti progreſſus faciunt.

ſub annum 1123. ad Joppen claſſe ducti, quam Sarraceni terra marique obſidebant, ſuperatis ingenti clade barbaris obſidionem ſolvunt. Itum deinde in Tyrum, quam diu obſeſſam, haud incruenta victoria iidem Veneti cepêre; pacti tamen priùs, ut Tyri & Aſcalonis dimidium obtinerent, ſi eornm operâ in Chriſtianorum poteſtatem devenirent.

Gracorum Imperator Latinis victoriam invidet

Verùm Emmanuel Græcorum Imperator Caloioanni ſuffectus, tantam victoriam Latinis invidens, Venetis mandat, ut Claſſis ſuæ Ducem Michaelium revocent, aut bellum ſibi indicendum expectent. Is verò ira incenſus, dum patriam repetit, Rhodum, Chium, Samnum, Mitylenem, Andron Imperatoris Inſulas diripuit: Motonium ſpoliatum incolis munivit: Tragurium ex Ungaris captum ditioni Venetæ ſubjecit. Atque adeò recedendo longè majores progreſſus fecit, quàm anteà pugnando.

Balduinus reſtituitur.

At verò Balduinus, quem diximus ab hoſtibus captum, tranſmiſſo à Pontifice pretio redemptus, Hieroſolymas rediens, Chriſtianam rempublicam jam jam labentem aliquamdiu ſuſtinuit. Hanc

Calliſti præclara opera.

ob rem Calliſtus aliquid quietis à rebus externis nactus, Baſilicas multas vetuſtate collapſas reſtituit: mœnia Urbis inſtauravit: aquam in Urbem induxit: arces Eccleſiæ munivit: donaria plurima argenti aurique Baſilicis diviſit: fundos pleroſque cœmptos Patrimonio Petri adjecit: atque, ut verbo dicam, munus optimi Paſtoris per omnia complevit.

Antipapam Sutrii obſidet; capit, deluſumq; relegat.

Verùm ne tanta felicitas incommodo diutiùs vacaret, effecit malignitas Gregorii Antipapæ: qui auxilio quorundam tyrannorum fretus, nomen munuſque Pontificis uſurpans, Sutrium occupavit, unde crebris excurſionibus & Romanos infeſtabat, & peregrinos negotii ac religionis cauſa ad Urbem accedentes ſpoliabat. Quare Calliſtus comparatis repentè copiis, præmiſſo Joanne Cremenſi

menſi S. Chryſogoni Presbytero Cardinali, tanquam belli duce, Sutrium obſidione cinxit, nec ab ea deſtitit, donec cives variis calamitatibus afflicti, Antipapam malorum cauſam extraderent. Quem Joannes comprehenſum, cameloque impoſitum Romam populo ludibrium futurum perduxit. Hunc Calliſtus probè deluſum, donatâ vitâ, in arcem Monaſterii Caſſinenſis primùm, deinde in Cavenſe Cœnobium perpetuò carcere mulctandum relegavit. Quem Honorius poſteà II. eo loco abſtractum, apud Fumonem concluſit, ubi non longè pòſt miſeram vitam finivit, poſtquam triennio vel potiùs quadirennio Romanam Eccleſiam conturbaſſet. Egimus de hoc in Purpura Docta lib. 1. n. 25. in vita Joannis de Crema Cardinalis.

Calliſtus ſancto fine quieſcit.

Calliſtus autem, adminiſtrato integerrimè Pontificatu, de Deo, deque hominibus optimè meritus, anno Sedis ſuæ quinto, menſe decimo, die decimo tertio, Chriſti verò anno 1124. Idibus Decembris, Romæ in Patriarchio Lateranenſi beato fine quievit: ſepultus in Baſilica S. Salvatoris *Conſtantiniana* nuncupata. De quo hæc legimus in Martyrologio Gallicano ab Andrea Sauſſay conſcripto: *Romæ depoſitio beatæ memoriæ Calliſti Papæ II. ex Archiepiſcopo Viennenſi, qui pacem cum Henrico V. Imp. Eccleſiæ infeſtiſſimo feliciter compoſuit; virq; planè Apoſtolicus cùm eſſet, virtutibus atque miraculorum ſignis enituit.* Calliſti memoriam ceu *Sancti* ſummis laudibus extollunt, præter Baronium, alii quoque primæ notæ Scriptores: quos citat & refert Victorellus in Notis ad Ciaconium.

Ordinis Præmonſtratenſium origo.

Ad Calliſti tempora referunt idonei Scriptores inclytum Ordinem Canonicorum Regularium S. Auguſtini Præmonſtratenſium, à S. Norberto, Archiepiſcopo olim Magdeburgenſi, in deſerto loco, qui *Præmonſtratus* vocabatur, inſtitutum anno ſalutis 1120. de qua re vide Baronium in Annalibus; Vincencium Bellovacenſem *in Spec. Hiſtor.* Norbertum Normannum *in Append. ad Sigebertum.* Trithemium *in Chronico Hirſaug.* Miræum *in Chronico Præmonſtr.* Favent etiam verſiculi, præteritis ſæculis vulgò decantati.

Anno milleno, centeno, bis quoque deno
In Præmonſtrato fundatur candidus Ordo.

De origine Inclyti Cœnobii Beinwilenſis.

Huc etiam ſpectare videtur origo duorum celeberrimorum Monaſteriorum in Diœceſi Baſileenſi ſitorum *Beinwilæ* nimirum & *Lucellæ*, quam referre, more noſtro, breviter placet ex auctore Baſileæ ſacræ. *Annales Eremi* (inquit ille) *teſtantur anno 1124. Comites à Thierſtein & Sogeren in Juraſſo monte condidiſſe nobile Cœnobium S. Vincentii, Beinwilam vulgò dictum, Ordinis S. P. Benedicti. In litteris, quibus anno 1152. Fridericus Imp. cognomento Barbaroſſa Ulmæ donationem confirmavit, nominantur Fundatores Nortgerus, Oudelardus, Burckardus, & Ulricus. Anno 1240. Comitibus à Thierſtein Advocatia, ſive Patrocinium hujus Monaſterii ab Imperio in feudum permiſſum eſt.* Hactenus *Baſilea ſacra*, à Claudio Sudano S. J. conſcripta. Mihi præplacet deſcriptio Jacobi Hoffmanni Baſileenſis Hiſtoriographi ex Urſtiſio deſumpta, quæ ſic habet. *Beinwilenſe Monaſterium divi Vincentii, profeſſionis Benedictinæ, in valle eſt, ad decurrentis Birſæ dexterum latus ad Meridiem abeunte, in agro*

Raurico. Initium ſupſit eadem ætate, qua Lucellenſe, auctoribus Notkero, Oudelardo, Burckardo, atque Udalrico, viris nobilibus ac opulentis, in quorum proprietate initio conſtructum fuit, ut diploma confirmationis Friderici Barbaroſſa Imp. apud Ulmam anno 1152. facta ſonat. Et primò quidem Oudelardus è Comitibus Sogerenſibus Cœnobii advocatum egit: quod munus dein ad Comites Therſtenios devenit anno 1240. ſub Imperii fide. Hodie Abbatia translata eſt ad *Petram Marianam*, locum amœnum fertilemque, intra montes in ſuperficie profundæ vallis ſitum, ſignis cœleſtibus prodigiisque quotidianis (operante in eo Thaumaturga Virgine MARIA, unde nomen traxit) mirè coruſcum. In hac Petra ceu fundamento nobile conſtructum ſupereminet Monaſterium cum magnifico templo, ampliſſimoque Hoſpitio recipiendis utriuſque ſexûs peregrinis, devotionis causâ dietim eò confluentibus, perquàm commodo ac opportuno, vix trihorio Baſileâ diſtans.

Abbas Beinwilenſis hodie reſidet in Petra Mariana.

De origine Lucellenſis Monaſterii allegatus auctor Baſileæ ſacræ in Berchtoldo I. Epiſ. Baſil. XXXIII. hæc habet: *Anno ſalutis 1125. ætate S. Bernardi, novi mundo ſyderis, cum ipſis propè Ciſtercienſis Ordinis initiis cœptum eſt præclarum Lucellenſe Monaſterium, facultates ſuas ad ſanctum opus conferentibus Hugone de Camillis, Amedeo à novo Caſtro, Richardo à monte Falconis, viris in ſuperiore Burgundia ſanguine illuſtribus: petita priùs, ut par erat, & impetrata facultate, ac annutu ab Archiepiſcopo Biſuntino Anſerico, & Berchtoldo Baſileenſi Epiſcopo, & loco templum & Cœnobium extruendi.* Confirmationis litteræ traditæ ſunt Chriſtiano Abbati ſecundo, anno 1136. eo pacto & conditione, ut Eccleſiæ Baſileenſi quotannis in accepti beneficii teſtimonium ceræ pondo offerret Monaſterium, Quam rem & ipſe Conradus III. Imperator probavit Argentorati anno 1139. Eugenius item III. Papa Divione anno 1147. Patronos Monaſterii poſteà fuiſſe Comites Pfirtenſes tradit Urſtiſius *lib. 1. c. 4.*

De origine celeberrimi Monaſterii Lucellenſis Ord. Ciſter.

Hiſce conſonat deſcriptio facta ab Hoffmanno in Lexico ſuo Hiſtoriali: *Lucella vallis*, inquit, *Juraſſi montanis incluſa eſt, ad lævam Birſa amnis, cujus ſupremum locum celebre Cœnobium cognomine occupat. Cœpit id non multò pòſt, quàm Ciſtercienſis propoſiti religio apud Burgundos introducta eſſet anno 1030. Fundatores fuêre Hugo de Camillis, Amedeus de Novo Caſtro; & Richardus de Monte Falconis, viri illuſtres atque nobiles. Primus Sodalium Præſul* (aliis ſecundus) *Chriſtianus quidam fuit. Agnoſcunt Lucellenſem Abbatem ſuperiorem ſuum Virgines ejuſdem Ordinis, quæ tum Michelfeldia, dimidio infra Baſileam milliari, ubi nunc Pandochium eſt, conſidentes: poſteà Blotzhemium in vicinum Suntgoia pagum conceſsère, templo ibi cum Monaſterio condito.* Ita ex Urſtiſio Hoffmannus. Nos, quæ Calliſti reliqua ſunt, proſequamur.

Deſcriptio ejuſdem ex Hoffmanno.

SCRIPTA.

Scripſit Calliſtus (quem Trithemius *Virum in divinis ſcripturis eruditum, ac ſæcularium litterarum peritum* appellat) eleganti ſermone:

Calliſti II. Scripta.

De Miraculis S. Jacobi Apoſtoli librum. Hic M.S. extat Oxoniæ in Bibliotheca Anglicana Balliolenſi *n. 213.* & Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti *n. 41.* teſte Jo. Palatio in vita: hujus libri nonnulla fragmenta

menta recitantur in *Speculo Hiſtoriali* Vincentii Bellovacenſis *lib. 26. cap. 30.* Ejuſdem etiam mentionem facit Jo. Mariana S. I. in Libro *de Adventu S. Jacobi in Hiſpaniam*, ut teſtatur Oldoinus *in addit. ad Ciac.*

Item Theſaurum Pauperum.

De obitu & vita Sanctorum.

De Inventione corporis S. Turpini Archiep. & Mart.

De Translatione S. Jacobi Apoſtoli.

Vitam Caroli Magni Imp. teſte Ludovico Gollut *lib. 5. Hiſt. Seq.*

De Contractibus illicitis.

Decreta quædam Coloniæ Ubiorum excuſa.

Epiſtolas plurimas ad diverſos: quarum magnam partem recitant in operibus ſuis Abbas Urſpergenſis, Wilhelmus Malmesburienſis, & Cæſar Baronius: Extant etiam Tom. X. Concil.

Apologiam adverſus Mauricium Burdinum Antipapam.

De ejuſdem Burdini relegatione: ut videre eſt apud citatos Urſperg. & Malmesbur.

ANNO CHRISTI MCXXIV.

Imperatoribus HENRICO V. & Lothario II. Auguſtis.

DE

HONORIO II. Pontifice Max.

HOnorius II. Lambertus *de Fagnano* antea nuncupatus, patria Bononienſis, ſeu ut alii ſcribunt, ex agro Imolenſi oriundus, ob præclaras animi dotes, prudentiam, eruditionem, rerumque tractandarum ſingularem peritiam à Paſchali II. in Senatum Purpuratorum lectus, infuliſque Oſtienſibus decoratus, Calliſto II. vitâ functo, non ſine factione & ſtrepitu ſummum Pontificatum obtinuit. Rem ex Pandulpho Diacono Cardinali, qui ejus electioni interfuit, hauſtam Platina, Ciaconius, aliique in hæc ferè verba enarrant: Mortuo Calliſto Pontifice riteque funerato, cùm indictis comitiis ratio de legendo novo Pontifice haberetur, Leo Frangepanis vir clientelis potens, & auctoritate pollens, Cardinalibus jam jam ad electionem adunatis ac parantis interdixit, ne uſque ad tertium diem, quò & maturiùs deliberare, & Canones accuratiùs inſpicere liceret, Pontificem crearent: quamvis id non ea mente fecerit homo acutus & ad fallendum vafer, quam verbis præſeferebat, ſed ut eo dierum intervallo Cardinalium animos diſtrahere, eorumque ſuffragia in Lambertum amicum, quem evectum cupiebat, diſponere poſſet. Nam Populus ipſe Saxonem de Comitibus S. Stephani Cardinalem, virum per omnia egregium, ardenti ſtudio Pontificem exoptabat. Id quoque unicè cupere ſe Leo Frangepanis doloſè admodùm ſimulabat, quò & populum & Patres negligentes incautoſque in ſententiam ſui quavis arte pelliceret. At verò cùm id velle Leonem Cardinalium nonnulli, qui hoſtes erant, animadverterent, ne ex ejus ſententia Pontificem lege-

CLXV.

Honorius vir egregius non ſine ſtrepitu Pontifex eligitur.

Leo Frangepanis ei callidè ſtudet.

Populus ſuffragatur Saxoni Cardinali.

Patres Theobaldo Card. evehendo operam dant.

legerent, omiſſo de induſtria Saxone, Theobaldum S. Anaſtaſiæ Presbyterum Cardinalem Pontificem decernunt, eumque mutato nomine Cœleſtinum II. appellant. Cognito hoc ſtratagemate verſipellis Leo non amplius immorandum ratus, quòd jam offenſum populum hac electione cerneret, Lambertum Oſtienſem (de quo antè diximus) Pontificem magna voce præponit, acclamante populo clerôque, eam electionem manibus ac nutibus approbante.

Frangepanis artificium ſuccedit.

Tum Leo maturandum ratus, ne ſententiæ hominum immutarentur, arreptum ſubitò Lambertum, in *Simiis* (loci id nomen eſt non longè ab Eccleſia S. Silveſtri) pontificali habitu exornat, inditoque nomine Honorium II. appellat: turbatis ad facinus non modicè Patribus.

Honorii modeſtia.

Honorius autem vir pacis amans, cùm ſuam non omnibus probari electionem, utpotè Leonis artificio procuratam, intelligeret, convocatis duodecimo pòſt die Cardinalibus inſignia cum Pontificatu ultrò depoſuit, ſeque eo honore abdicavit, aſſerens; *Malle ſe Oſtienſem Epiſcopatum jure tenere, quàm Romanum injuriâ.* Cardinales hominis candorem, animique demiſſionem admirati, ne Schiſmati occaſionem præberent, confirmato in dignitate Honorio, non ſolùm coronationis inſignia ei detulerunt, ſed & conſuetam debitamque Pontifici obedientiam de genu præſtiterunt.

Confirmatur & coronatur

Honorius virorum præſtantium cultor.

Hoc igitur modo Pontificatum adeptus Honorius, plures ſtatim Cardinales, moribus & doctrina inſignes, creavit: quorum operâ magnis in rebus familiariter uteretur. Delectabatur enim, ſi quis alius, conſortio & uſu præſtantium virorum. Coluit inter alios ſtudio prorſus ſingulari Divum Bernardum Abbatem Claravallenſem, virum ea ætate ſignis, eruditione, ac vitæ ſanctimonia percelebrem: quod ex mutuis eorum epiſtolis quivis facilè cognoſcere poteſt. Pontium item Cluniacenſem, Hildebertum Archiepiſcopum Turonenſem, & Hugonem de S. Victore Doctorem Pariſienſem, viros induſtrios, eruditos, omnique memoria dignos

Honorii præclara acta ſtrictim attinguntur.

Porrò ipſo ſtatim initio ſui Pontificatus, cùm per ſanctum Malachiam Epiſcopum Conneretenſem, Hiberniam florentiſſimam olim Eccleſiam, ad antiquum quaſi ſplendorem redactam vidiſſet, Joannem Cremenſem Presbyterum Cardinalem S. Chryſogoni in Angliam legavit à quo menſe Septembri anni 1124. celebratum eſſe Londinenſe Concilium Scriptores rerum Anglicarum paſſim affirmant. Cùm plures Eccleſiæ neceſſitates id exigerent, Legationes quoque alias inſtituit: in Gallias ad celebrandum Concilium Trecenſe Matthæum Cardinalem Epiſcopum Albanenſem miſit; & in Germaniam Gerardum Cardinalem, qui poſteà Romanus renunciatus Pontifex, dictus eſt Lucius II. Magdeburgenſibus S. Norbertum Ordinis Præmonſtratenſis Inſtitutorem; ac Tyriis Willermum natione Anglum in Archiepiſcopos conceſſit: qui impetrandi Pallii cauſa Romam profecti, eo accepto ad divulgandum Evangelum ad ſuas quiſque provincias migrârunt. Miſit etiam Ravennam Petrum Presbyterum Cardinalem tituli S. Anaſtaſiæ, qui congregata Synodo, Aquileienſem & Venetiarum Patriarcham, ob graviſſimos exceſſus, depoſuit. In Daniam quoque, Suetiam, ac Bohemiam Gregorium Diaco-

Diaconum Cardinalem cum litteris Apoſtolicis ad earundem Provinciarum Reges; & in Hiſpaniam Humbertum Presbyterum Cardinalem, magno Reipublicæ emolumento, legavit.

Hugonem Epiſcopum Gratianopolitanum, ampliſſimum virum, ſenio fatiſcentem, Romam profectum, ut Epiſcopalem ſarcinam deponeret, benigniſſimè excepit, ei tamen, quod ſuppliciter rogaverat, non conceſſit. Creditum eſt enim, quòd ſola auctoritate, & ſanctæ converſationis exemplo plus poſſet plebi prodeſſe ſubjectæ Hugo licèt debilis & ægrotus, quàm quivis alius robuſtus & ſanus. *Hugo Gratianopol. Epiſc. vir ſanctus.*

Beneventum ſe conferens Honorius miſericordiâ motus, Urbem illam horrendis terræmotibus quindecim dierum ſpatio concuſſam, nudis pedibus cum Cardinalibus ad placandum Deum circumivit. Inde profectus Capuam, coacto plurium Epiſcoporum Concilio, Robertum in Principem Capuanum inunxit. Rogerium item Eccleſiæ rebellem, cenſuris emendatum, facta cum eo pace, beneficiario jure quartum Apuliæ Ducem creavit, acceptâ in ſignum initæ pacis & reconciliationis Signiâ. *Honorius nudis pedibus luſtrat Beneventum.*

Scribit Platina, ſed dubia fide, ſedente Honorio, Arnulphum quendam (Monachum, an Eremitam?) Chriſtianæ Religionis prædicatorem eximium, Clericorum inſidiis Romæ necatum eſſe, quòd eorum vitia acerbè nimis, palamque reprehendiſſet: fruſtrà Honorio in auctores necis, neutiquam inventos, animadvertere ſatagente. *Arnulphi cujusdam cædes & quare?*

Anno ſalutis 1125. Honorii Pontificatus ſecundo, decimo tertio Kalend. Januarii, Henricus V. Imperator, Paſchate Leodii celebrato, Aquas contendit, ubi morbo Carbunculi, quo utplurimùm tentari ſolebat, vehementiùs affici cœpit: itaque ad Pentecoſtem Ultrajecti peragendam progreſſus, haud ita multò pòſt, ingraveſcente morbo, deceſſit è vita, nullâ ex uxore Mathilde prole relictâ. Corpus more majorum Spiræ in Baſilica S. Mariæ conditum. Henrico ſucceſſit in Imperio Lotharius II. Dux Saxoniæ, creatus Idibus Septembris eodem anno, quo vita functus eſt Henricus. Princeps, bonus, validus, & religione præſtans. *Henrici Imp. obitus.* *Ei ſuccedit Lotharius II.*

Regnante Honorio Balduinus Rex Hieroſolymitanus Antiochiam Regno Hieroſolymitano adjunxit, mortuis iis omnibus, ad quos Principatus ille jure ſpectabat. Verùm cùm tantus Principatus retineri ſine Præſide non poſſet, eidem Balduinus præfecit Raymundum Guilielmi Auſtriæ Ducis filium, cui Defuncti Bœmundi filia nupſerat. Hoc modo compoſitis rebus, Balduinus Honorii litteris & ope animatus, Regem Aſcalonitarum copiis Ægyptiorum fretum, & ob eam rem Hieroſolymitanos infeſtantem, unico prælio repulit: Saladinum præterea Damaſci Regulum idem molientem, ſed majoribus copiis, tribus graviſſimis præliis fudit, fugavitque, multis paſſim more pecorum cæſis, aut in ſervitutem redactis. *Res orientis Balduini virtute augentur.*

At verò Honorius, cùm anno ſalutis 1130. gravi infirmitate detineretur, mortem ſibi proximè abeſſe ſentiens, ex Lateranenſi Palatio ad S. Andreæ monaſterium deferri ſe petiit, ubi ſacro viatico *Honorius piè decedit.*

tico ad iter æternitatis munitus, oleoque exeuntium ritè inunctus, xvi. Kalend. Martii, anno ſui Pontificatus quinto, menſe ſecundo, vitam piè laudabiliterque actam concluſit: ſepultus in Baſilica Lateranenſi, *Salvatoris* nuncupata.

SCRIPTA.

Ejus Scripta. Scripſit Reſcriptum pro Concilio Nannetenſi.

Leges aliquot in Concilio Trojano publicatas.

De pace ad Romanos Epiſtolas duas.

Epiſtolas item plures ad diverſos: quarum quinque referunt Baronius *tom. 12. Annal.* & Binius *tomo 7. Conciliorum.*

Honorio ſcripſerunt S. Bernardus Abbas primus Claravallenſis: Hugo Epiſcopus Gratianopolitanus: Hildebertus Archiepiſcopus Turonenſis: Stephanus Abbas Ciſtercienſis; & Capitulum Ciſtercienſe, aliique Principes, & Præſules, quibus ipſe reſponſorias dedit.

Edidit prætereà Diplomata plura, diverſis Eccleſiis, ac Monaſteriis conceſſa, ut referunt, Baronius, Ciaconius, Oldoinus, aliique.

ANNO CHRISTI MCXXX.

Imperatore LOTHARIO II. Auguſto.

DE INNOCENTIO II. Pontif. Max.

CLXVI. INnocentius II. Romanus, ex gente Papareſca (quæ olim Guidonia, hodie de Matthæis appellata, nobiliſſima etiamnum Romæ viget) patre Joanne viro in paucis ſtrenuo primam lucem aſpexit anno æræ Chriſtianæ 1075. moderante habenas Eccleſiæ Gregorio VII. Pont. maximo.

Innocentii vitæ primordia. Is parentum induſtriâ more nobilium optimè educatus, & liberalibus diſciplinis apprimè imbutus, poſtquàm adolevit, in Collegio Lateranenſi Canonicorum regularium inſtitutum profeſſus eſt: cujus virtutem Urbanus II. (qui tunc Schiſmate Guibertino vexabatur) exploratam habens, eum adhuc juvenem, Diaconum Cardinalium S. Angeli creatum, in ſacrum Senatum adlegit. Qui magno deinceps Romanis Pontificibus uſui, ob prudentiam, doctrinam, & vitæ integritatem, fuit. Gelaſium II. Urbe fugatum exul exulem in Gallias uſque ſequutus eſt, in cujus defuncti locum, ut Calliſtus II. Cluniaci ſufficeretur, præcipuus auctor fuit: à quo poſteà cum Lamberto Epiſcopo Oſtienſi, & Saxone Anagnino Cardinalibus, in Germaniam legatus, pacem inter Sacerdotium & Imperium, magno Reipublicæ Chriſtianæ emolumento, compoſuit.

Pontifex creatur. Mortuo ſub annum 1130. Honorio II. à Patribus non ſine diffi-

diſſidio ſuffectus, ac in Laterano per Epiſcopum Oſtienſem ex more conſecratus, conſcripto ſtatim exercitu, in Rogerium Comitis Siciliæ filium, dominatum Apuliæ contra Eccleſiæ jura occupare nitentem, hoſtiliter movet. Habebat tum caſtra Rogerius ad ſanctum Germanum, locum ſitu & commeatu munitum, quem Innocentius è caſtris ſtratagemate elicitum, primo ſtatim impetu, diſjectis ejus ordinibus loco repulit; captoque ipſo S. Germani oppido, tyrannum in Galutio aliquamdiu acriter obſedit. At verò Guilielmus Calabriæ Dux cum magnis copiis Rogerio in auxilium feſtinans, comiſſo feliciter prælio, & Pontificem cum iis Cardinalibus, qui in exercitu Romanorum erant, capit, & Rogerium ad extrema redactum obſidione liberat. Reſtitutus hoc modo Rogerius, captivos omnes, mirâ uſus modeſtiâ, nullo petito pretio, cum ipſo Pontifice libertate donat. Quam ob rem deinceps, quidquid voluit, facilè à Pontifice (præter regni titulum, maximis licèt præmiis, & pollicitationibus ſollicitatum) obtinuit.

Movet in Eccleſiā hoſtes.

Capitur, & liberatur.

Interim verò Petrus Leonis, Presbyter Cardinalis tituli S. Caliſti, patria Romanus, Petri Leonis nobiliſſimi juxta ac potentiſſimi civis filius, quorundam facinoroſorum ſeditionibus, ſub nomine Anacleti II. Pſeudopontifex creatur: qui patris potentiâ, fautorumque armis fretus, auſu ſacrilego, Romanæ Urbis Templa theſauris ac ornamentis omnibus expoliat; conflatâque inde pecuniâ, perfacilè largitionibus ſeditioſum quemque in ſui ipſius ſententiam pertrahit.

Petrus Leonis Antipapa creatur.

Innocentius autem bello, uti diximus, Siciliano perfunctus, ad Urbem rediens, ubi ſeditionibus plena omnia cerneret, ſpectareque rem ipſam ad cædem multorum intelligeret, furorem Schiſmaticorum declinaturus, paratis occultè navigiis, primò Piſas, deinde Genuam adnavigat: celebratis utrobique Conciliis, in quibus Anacletum Pſeudopontificem, ac patrem ejus cum adhærentibus, fidelium cœtu ejecit. Durante Concilio Piſano, Legati ab eo in Franciam miſſi, Ludovicum Regem, ac Galliæ populos, de juſtis Innocentii comitiis edoctos, ad complectendum cum hortati ſunt. Hærente autem animo Rege, Epiſcopi Galliæ regio juſſu Concilium Stampis indicunt, atque eò præcipuè Bernardum Abbatem Claræ-vallenſem, maximæ tum propter creditam ſanctitatem auctoritatis hominem, evocant. Ibi diſcuſſis utriuſque Pontificis Comitiis, Bernardo Innocentii cauſam graviter & copioſè agente, Rex & Epiſcopi validis Bernardi rationibus perſuaſi (ejurato Anacleto) ab Innocentio legitimo Pontifice ſteterunt, eundemque ut in Gallias, tutum profugis Pontificibus aſylum, migraret, litteris ac nunciis invitârunt.

Innocentius fugit: Concilia celebrat: Antipapam cum complicibus damnat

Invitatur in Gallias, & pro legitimo Papa ſuſcipitur.

Inter hæc Anacletus Antipapa, tanto adverſario ſubmoto, elongatoque, & animos civium cum Innocentio ſentientium, quoad fieri poteſt, ſibi largitionibus conciliat; & Rogerium in partes ſuas facilè deſcendentem, quò magis ei obnoxius eſſet, utriusque Siciliæ Regem creat.

Antipapa Rogerium Siciliæ Regem creat.

Innocentius autem, adornato in Gallias itinere, per Burgundiam Aurelianum profectus, ibidem ab Epiſcopis, & Ludovico Rege

ge

ge honoris ergô obviàm progreſſis exceptus, regieque cultus eſt. Flexo inde Carnotum itinere, Henricum Angliæ Regem cum maximo Epiſcoporum Principumque comitatu obvium habuit, Rege verò invitis Epiſcopis ſuis Innocentium recipere non audente, Bernardus, qui aderat, *Quid haſitas*, inquit, *ò Rex? anne ut Deo diſpliceas piaculumq́, contrahas, Chriſti Vicario obniteris? cogita de aliis peccatis tuis, quid ei reſpondeas: illud verò tu mihi transfigendum relinquas:* atque ita Regem ad colendum Innocentium impulit. Eodem tempore Leodiô reverſus à Lothario Cæſare Gerardus Cardinalis Legatus, bonum ejus erga Innocentium animum retulit. Quo nuncio erectior ipſe factus, omiſſo ad tempus Leodio, quò à Cæſare invitabatur, prius Gallias, ita poſtulantibus populis, perluſtrare inſtituit. Itaque præſente Ludovico Rege, decimo quarto Kal. Novembris anno ſalutis 1131. Concilium Rhemis frequentiſſimum habuit: in quo Anacletum ſanctæ ſedis invaſorem uſurpatoremque iterato fulmine perculſit; ac Ludovicum juvenem, Ludovici VI. cognomento Craſſi, filium regiâ Franciæ coronâ ornavit.

S. Bernardus Innocentio ſuffragatur.

Innocentius Antipapam iteratò damnat.

Sequenti anno (qui fuit Chriſti 1132.) Leodium viſendi Cæſaris gratiâ profectus, Lotharium magnâ Præſulum, Principum, Nobiliumque Germanorum coronâ ſtipatum, occurrentem ſibi habuit. Exceptus eſt tanto honoris ac comitatis ſtudio, quanto ſummum Eccleſiæ caput excipi decuit. Ibi regio hoſpitio, menſâ, famulitio cultus, Cæſarique, quæ oportebat, locutus, Conventum longè celeberrimum coëgit, in quo præſente Lothario, totiusque Germaniæ Epiſcopis ac Proceribus ſacras adverſus Anacletum iras reiteravit, atque Lotharium ad ſe, Eccleſiamque tuendam, exemplo Othonis magni, aliorumque fidelium Cæſarum, eleganti oratione hortatus eſt. Pollicitus eſt Lotharius, ſe pro ſua in Eccleſiam religione, eum Romam ſalvum cum exercitu reducturum, atque exacto Anacleto, incolumem in Laterano collocaturum, ſi ipſe ſibi Imperatorium diadema ſponderet. Quod cùm Innocentius tum viva voce, tum tabulis conſcriptis ſpopondiſſet, muneribus à Cæſare donatus Leodiô abiit, ac Monaſterio Clarævallenſi ad inſtantiam Bernardi Abbatis luſtrato, ſe ſe in Italiam recepit. Genuam ſecundo itinere delatus, progredi ulteriùs, donec Cæſar cum exercitu allaberetur, renuit. Genuenſibus, intereà, quorum incredibili humanitate bis jam uſus fuerat, ne ingratus eſſet, hanc retulit gratiam; quòd Epiſcopum eorum, obedientiâ Archiepiſcopi Mediolanenſis exemptum, dignitate Archiepiſcopali condecorârit, atque eidem dimidiam Epiſcoporum Corſicæ partem, Mediolanenſi anteà obnoxiam, ſubjecerit. Syrus primus ea dignitate ornatus memoratur.

A Lothario Cæſare humaniſſimè excipitur.

Pacta inter eos facta.

Genuenſes Archiepiſcopali dignitate donat.

Innocentius motu adventantis Cæſaris intellecto, relictâ Genuâ Placentiam terreſtri itinere profectus, coactâ ibidem Epiſcoporum Synodo, Anacleto iterum ejusque fautoribus anathema inflixit. Viâ inde Æmiliâ Bononiam, ac mox ſuperato Apennino Piſas digreſſus, pacem inter diffidentes Piſanos ac Genuenſes compoſuit, Piſanamque Eccleſiam, uti Genuenſem, Metropolitanam effecit, parte altera Epiſcoporum Corſicæ, eidem attributâ.

Piſanam Eccleſiam Metropolitanam facit.

Interim

Interim Lotharius Cæſar cum exercitu ſuperveniens, aſſumpto ſecum Pontifice, primò Viterbium, indeque Romam movit: ibi caſtris ad portam S. Agnetis locatis, Genuenſium atque Piſanorum Ducibus, ut claſſes ſuas Romanis admoverent littoribus, imperia dedit: ac tantum Anacleto ejuſque fautoribus terroris eo apparatu injecit, ut diffugia quaquaverſum quærentes, in editas munitaſque turres tuendæ ſalutis causâ, ſe ſe conjecerint. Qua re animadverſa, qui Cæſari atque Innocentio Romæ ſtudebant, apertis repentè portis, eoſdem intra Urbem, pacato cum agmine ingreſſos, plauſu tantis hoſpitibus digno, receperunt. Cæſar repoſito in Laterano Pontifice, Aventinum inſedit, atque ad inſignia Imperii ſuſcipienda animum convertit. Huic rei cùm illud obſtaret, quòd Anacletus Baſilicam Vaticanam operibus præſidioque firmatam teneret, in qua moris fuerat diadema Imperatorium tradi, Innocentius, ne qua ei ſolemnitati mora injiceretur, Lotharium in Lateranum evocatum, pridiè Nonas Julias, anno ſalutis 1133. Auguſtum dixit, inunxit, & coronavit.

Lotharius Imp. Innocentium Romam ducit.

Antipapa fugit.

Lotharius coronatur.

Premebantur eo tempore Germani, quos Cæſar Romam ſecum adduxerat, duobus graviſſimis detrimentis: altero, quòd liberè vagari per Urbem non poterant, adverſariis eos lapidibus, miſſilibuſque longiſſimè laceſſentibus: altero, quòd æſtu Romani cœli, Germanorum corporibus infeſtiſſimo, afficiebantur. Quorum utrique occurrere Lotharius cupiens, Urbe exceſſit, ac Lombardiam repetiit. Eo ex Urbe profecto, Anacleti factio è latebris ac turribus prorumpens, perque Urbem volitans, cædem paſſim amicis Innocentii intentare, ac novo omnia tumultu permiſcere inſtituit. Quare Innocentius, intelligens manſionem ſuam in Urbe rationibus Eccleſiæ parum conducere, ne præſentia ſua rabiem ac furorem adverſariorum accenderet, Piſas, civium erga ſe benignitatem jam anteà expertus, repetiit; ibique novum Concilium, quo malis Eccleſiæ mederetur, indixit.

Urbe excedit & quare?

Innocentius Piſas migrat.

Inter hæc Mediolanenſes Innocentii Papæ, & Lotharii gratiam, qua ob fultum Schiſma exciderant, recuperare geſtientes, Litteras ad Bernardum Clarævallenſem Abbatem ſcripſerunt. Is ab Innocentio precibus obtinuit, ut Legati à latere duo Epiſcopi mitterentur, & cum eis Bernardus ipſe. Mediolanenſes, ubi Bernardum cum Legatis adventare ſenſerunt, extemplò ingenti lætitia Urbe effuſi, obviàm ad ſeptem millia paſſuum prodière, tantâ ordinum, ætatum, ſexuumque univerſorum frequentiâ, ut Urbem deſerere, atque aliò commigrare viderentur: interſtinctis autem eum ordinibus, agminibuſque partitis recipientes, certatim & intueri, & alloqui, & pedes etiam deoſculari geſtiebant. Quin & pilos de veſtibus ejus detractos ad oportuna incidentium morborum remedia reſervabant: omnia ſancta judicantes, quæ ille contigiſſet, & ſe ſanctos fieri ex ejus contactu putantes. Atque ita ſumma religione lætiſque clamoribus in Urbem, & hoſpitium Bernardum in conſortio Legatorum deduxerunt. Die deinde conſtituto habitum eſt Concilium: ibi primùm, rejecto Anacleto, Innocentium ut legitimum Pontificem ſuſceperunt: deinde, repudiato æmulo Conrado,

Mittit Legatos Mediolanum, inter hos S. Bernardum.

Mediolanenſium affectus in S. Bernardum.

Bbb

Innocentium Papam, Lotharium Auguſtum profitentur. rado, Lotharium Regem & Dominum, Romanorumque Imperatorem Auguſtum profeſſi ſunt: ac mox Bernardum Judicem receperunt, ſe ſe piaculo, quod ipſe impoſuiſſet, ultrò ſubjicientes. Porrò Bernardus Mediolani exiſtens, quamplurimos utriuſque ſexus malè affectos, divina virtute, cum omnium admiratione, curavit: claudis greſſus, ſurdis auditus, cæcis aſpectus, debilibus priſtinus artuum motus eſt reſtitutus.

Anacleti Pſeudopapæ interitus. Cùm autem Anacletus Pſeudopontifex Apoſtolicam Sedem annis 7. menſibus undecim, & diebus 22. occupâſſet; anno à partu Virginis 1138. die ſeptima Januarii ex hac vita, Deo vindice, divulſus eſt: Ejuſque corpus, Chriſtiana ſepultura indignum, in latebris ſine pompa ſepultum. Sed audiamus Bernardum Bonæ vallis Abbatem, ejuſdem temporis Scriptorem, de Anacleti morte in vita S. Bernardi hæc *lib. 2. c. 7.* referentem: *Advenerat tempus, in quo completâ Amorrhæi malitiâ, Angelus percutiens gladium jam vibrabat, & pertranſiens domos, quarum ſuperliminaria ſanguis agni imbuerat, ad domum Petri Leonis pervenit, ſalutare in ea non reperiens ſignum. Percuſſit igitur miſerum; nec tamen illicò defungitur, ſed datur triduum pœnitentiæ locus. Ille patientia Dei abutitur, & in peccato ſuo moritur deſperatus. Miſerabili pompa corpus ejus effertur; cadaver ejus in latebris ſepelitur, & uſque hodie fovea illa à Catholicis ignoratur.* Hæc ipſe: cui ſuffragatur S. Bernardus Epiſt. 147.

Anacleto ſurrogatur Victor IV. Sublato Anacleto, Cardinales qui ei contra Innocentium adhæſerant, ut opportuniùs & honorabiliùs, ac magis ex eorum dignitate, aliquâ temporis morâ interjectâ, Innocentio reconciliari poſſent, Gregorium Presbyterum Cardinalem in defuncti locum Antipapam crearunt, qui Victor IV. appellatus, ſedit menſes quinque & dies aliquot: quibus elapſis, ſuaſu Bernardi Clarævallenſis Abbatis, Pontificatu abdicato, IV. Kalendas Junii in Octava Pentecoſtes, unà cum complicibus Cardinalibus, Innocentium Romanum Pontificem veneratus eſt, à quo anathemate ſoluti, dignitatibus, quibus ob Schiſma exciderant, reſtituti ſunt: atque hoc pacto Schiſma trigeſimum in Romana Eccleſia, quod annos octo duraverat, è medio remotum eſt menſe Junio anno Domini 1138. *Reſipiſcit, & reconciliatur*

Lotharii Imp. obitus. Quo etiam anno Tridenti diem ſuum obiit IV. Nonas Decembris Lotharius II. Imperator, anno Imperii ſui XIII. menſe II. die XXI. magnam toto Orbe terrarum laudem adeptus, ob pietatem, religionem, & tranquillitatis Eccleſiaſticæ ſtudium; ob bellicam fortitudinem, & reſtitutum Jus civile veterum Imperatorum, à longo tempore, Gothorum & Longobardorum motibus, ſuppreſſum. Ei ſucceſſit in Imperio Conradus III. Suevorum & Francorum Dux, quatuor menſium interregno elapſo: creatus decimo Kalend. Aprilis anno 1139. *Succedit Conradus III.*

Joannes à Stampis moritur. Anno Innocentii Pontificatus nono, Chriſti 1138. fatis pariter ceſſit Joannes *à Stampis*, quem ob protractam in tria ſæcula vitam, Scriptores Joannem *à Temporibus* paſſim vocant: vixiſſe namque annos 361. & ſub Carolo Magno ſtipendia meruiſſe perhibetur: de quo Baptiſta Mantuanus *in Alphonſo* cecinit.

Et quem fama refert hyemes vidiſſe trecentas.

Cæte-

Cæterùm Innocentius, extinćto Schiſmate, priſtinam Urbi faciem reſtituere conatus, diſperſos exules reduxit; vetera Eccleſiarum miniſteria revocavit; plebem ad frequentandum conciones & ſacramenta adduxit; Baſilicas, Monaſteria, oratoria, ipſaque Urbis mœnia partim refecit, partim funditùs excitavit, congruis proventibus, quibus ſuſtinerentur, larga manu adjećtis. Celebrato etiam ſub annum 1139. Concilio Generali Lateranenſi, cui mille circiter Patres interfuêre, leges ſaluberrimas pro Cleri emendatione edidit, ac nonnulla Decreta in Cleri ac Monachorum favorem ſtatuit. Petrum Abailardum, ejusque ſećtatorem Arnaldum de Brixia, recentium hæreſum aućtores, damnavit; eorumque codices comburi juſſit. Adhæc ordinationes omnes Petri Leonis irritavit, & ab eo ordinatos de gradu ejici, nec ultra ad ſacros ordines admitti juſſit. Singularia certamina, ſeu duella, corporibus ac animabus exitioſa, intentatis cenſuris ſuſtulit ac interdixit. *Reliqua Innocentii geſta.*

Anno ſalutis 1143. oćtavo Kalendas Novembris Innocentius, ſublatis ſeditionibus, de Eccleſia optimè meritus, poſtquam ſediſſet menſes ſeptem, dies oćto ſupra annum decimum tertium, obiit Romæ ſeptuagenario major. Ejus corpus publico mœrore funeratum, ac labro porphyretico illatum, in Eccleſia Lateranenſi conditum eſt. *Moritur.*

S C R I P T A.

Scripſit Innocentius *in Cantica Canticorum* Commentaria, quæ teſte Poſſevino, aſſervantur M.SS. in Bibliothecâ Monaſterii S. Galli apud Helvetios, anno ſalutis 1713. fœdè à Tigurinis & Bernatibus expilatâ. Item Epiſtolas multas, quarum 12. leguntur tomo 7. Conciliorum, & tomo 12. Annalium Baronii. Quatuor aliæ in Chronico M.S. Vezabienſi apud Jacobum Javellum olim aſſervato, ut teſtatur Andreas Ducheſnius in vita Innocentii. Et rurſum aliæ quatuor inveniuntur apud Gabrielem Pennotum in Hiſtoria Ordinis Canonicorum Lateranenſium, datæ Alphonſo Luſitaniæ Principi; Bernardo Epiſcopo Conimbricenſi, Priori & Canonicis Regularibus S. Crucis Conimbricenſis, & Joanni Priori Cœnobii Portuenſis apud Ravennam: Unam itidem invenio apud Ferdinandum Ughellium *tomo 5. Italiæ ſacræ* datam Joanni Priori & Fratribus Cœnobii S. Mariæ in Portu Venetiis, à Marco Juliano viro clariſſimo erećti. *Ejus Scripta.*

Edidit etiam Conſtitutionem, Gratiano teſte, ne quis Laicus ſub anathematis pœna manum violentam in Clericum mittere præſumeret; ut habemus in Canone 17. q. 7. cap. *Si quis ſuadente Diabolo.* Mandavit inſuper Eccleſiaſticis omnibus caſtè vivere ſub pœna privationis beneficiorum; ac Epiſcopis prohibuit, ne ſucceſſores ſibi conſtituerent in Eccleſiaſticis Beneficiis; aliaque Decreta promulgavit, quæ referunt laudatus Gratianus, Auguſtinus Barboſa, aliique Decretorum collećtores. Porrò plurima edidit Diplomata variis Eccleſiis ac Monaſteriis conceſſa, quorum magnam partem ſingillatim enumerat Auguſtinus Oldoinus S. J. in additionibus ad Ciaconium. *Ejus decreta.*

Quinam ad Innocentium ſcripſerint? Ad Innocentium litteras dedêre Lotharius Imperator, S. Petrus Mauricius, dictus Venerabilis Abbas Cluniacenſis: plures S. Bernardus Abbas Claræ vallenſis nomine proprio, & ex perſona Stephani Pariſienſis, Godifredi Lingonienſis, Trevirenſis, & Rhemenſis Epiſcoporum. Obtulerunt eidem etiam Judæi Pariſiis tum agentes ſacræ Hiſtoriæ librum pretioſo panno intertextis gemmis velatum; quem perquàm benignè ab eorum manibus ſuſcipiens, dixit: *Deus omnipotens auferat velamen à cordibus veſtris.*

ANNO CHRISTI MCXLIII.
Imperatore CONRADO III. Auguſto.
DE

COELESTINO II. Pontif. Max.

CLXVII. *Ejus vitæ primordia.* COeleſtinus II. natione Tuſcus, è Caſtro S. Felicitatis propè Tiphernum ortus, ac Magiſter Guido *de Caſtello* anteà vocatus, virtutis ac doctrinæ laude longè clarior, quàm generis proſapia fuit. Is à Calliſto II. ob eruditionem & pietatem Apoſtolicus primò Scriptor electus, tùm ab Honorio II. inter Patres purpuratos titulo Diaconi Cardinalis S. Mariæ in Via Lata, cooptatus, demùm ab Innocentio II. Presbyter Cardinalis ſancti Marci eſt ordinatus. Mortuo ſub annum 1143. Innocentio II. quum Romæ omnia civili diſcordia ob novi Magiſtratus electionem fervérent, Patres tumultum declinantes, non expectato populi conſenſu, unanimi ſuffragio Guidonem de Caſtello S. Marci Presbyterum Cardinalem, Romanum Pontificem ſalutarunt, eundemque Cœleſtinum II. appellatum, ſolemni ritu per Epiſcopum Cardinalem Oſtienſem inauguratum ſacra thiara decorarunt. *Renunciatur Pontifex.* Hujus favore, poſt ſuſcepta ſupremi Sacerdotii gubernacula, Joannes à Craticula; Ordinis Ciſtercienſis digna ſoboles, ac ſancti Bernardi meritiſſimus Diſcipulus, ad Alethenſem Cathedram evectus eſt: *Joannem à Craticula Card. creat.* quem ſanctæ vitæ, zeli Apoſtolici, ac doctrinæ laude clariſſimum Petrus Cellenſis Abbas *alterum* ſuo tempore *Heliam* nominat, *inſtantia laborum, ſolicitudine Eccleſiarum, compaſſione afflictorum, reconciliatione diſſidentium perpetuò æſtuantem.*

Balduinus Rex Hieroſolymit. moritur: ſuccedit Fulco Comes Andegavenſis. Sub hoc Romano Pontifice, Balduino II. Hieroſolymorum Rege vita functo, Andegaventium Comes Fulco, gener defuncti Balduini, viduatum rectore regnum ultrò deferentibus Chriſtianis accepit, quod duorum etiam filiorum virtute fretus, aliquamdiu acerrimè contra irruentes hoſtes tutatus eſt. Nam cum Turci Sinum Perſicum incolentes, maximis inſtructi copiis, in agrum Antiochenum incurſiones feciſſent, eos non ſolùm fudit Rex Fulco, verùm etiam deletis hoſtium tribus millibus, totidemque captis, ex integro caſtris exuit, atque Cæſaream Philippi expugnavit. Ea clade excitus *Alaph* genere Turcus, Babylonum auxiliis adjutus, Edeſſam *Edeſſa fœde diripitur.* Meſopotaniæ civitatem longè celeberrimam, Balduino anteà à fra-

tre

tre Godifredo donatam, hoſtiliter invaſit, cepit, diripuitque; occiſis omnibus oppidanis, Chriſti fidem abnegare recuſantibus, ſtupratisque etiam nobiliſſimis matronis ſuper altari S. Joannis Baptiſtæ, quod ſciebant à noſtris piè ac ſanctè cultum fuiſſe. Maximo mœrori ea crudelitas Fulconi fuit: hinc comparato ingenti exercitu Turcas in proximum aggredi, urbemque dolo captam rurſum in poteſtatem redigere decrevit. Sed neſcio quo fato, dum inſtaurando prælio incumbit, Fulco in venatione leporem concitatè nimium & incautè inſequens, equo in caput verſo occubuit: cui filius Balduinus hujus nominis III. in regno ſucceſſit. *Fulco moritur: ſuccedit Balduinus.*

Cœleſtinus autem II. Anno ſalutis 1144. Pontificatus ſui menſe ſexto nondum completo, ſæviente totâ Italiâ peſte, ſeptimo Idus Martii eâdem lue abreptus eſt, ſepultus in Baſilica Lateranenſi: hac una re felix ob brevitatem temporis, quòd nullis ſeditionibus toto ſuo Pontificatu vexatus fuit. *Cœleſtini Obitus.*

SCRIPTA.

Scripſit Cœleſtinus Epiſtolas quaſdam, quarum una ad Petrum Mauricium, vulgò venerabilem Abbatem Cluniacenſem invenitur in Bibliotheca Cluniacenſi. Reliquæ habentur apud Baſilium Serenum in Collectione Indultorum & Privilegiorum ſummorum Pontificum Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium. Extat & alia, teſte Andrea Victorello, data pro Eccleſia Canonica SS. Sepulchri Hieroſolymitani. Ante Pontificatum plura diverſa opera edidiſſe Cœleſtinum divinat potiùs aliqui, quàm probant. Nobis comperta meminiſſe ſufficerit. Ad Cœleſtinum extat Epiſtola Petri Cluniacenſis, qua ei adeptam ſummi Sacerdotii dignitatem eleganter gratulatur: hanc reſcripſit in ſuis Annalibus Tomo 12. Baronius. *Scripta.*

Ad eundem Cœleſtinum extant etiam S. Bernardi Abbatis Claravallenſis litteræ pro electo Eboracenſi Henrico *Murdac* adverſus intruſum Willhelmum ejusdem Eccleſiæ Theſaurarium, nefandis ſceleribus inſamatum, & jam anteà ab Innocentio II. depoſitum: cui ſeductus à Rege Angliæ Cœleſtinus favere videbatur. Sunt & aliæ ejusdem Bernardi litteræ ad Cœleſtinum, quibus illum hortatur, ne tutelam ſuſciperet Petri Abailardi, cujus doctrina Arium, Pelagium, Neſtorium, damnatos hæreſiarchas, ſaperet. Quin & contra Arnaldum Brixianum hæreticum ad eundem ſcripſit, ut videre eſt apud Jo. Palatium *in Cœleſtino II.*

ANNO CHRISTI MCXLIV.

Imperatore CONRADO III. Auguſto.

DE

LUCIO II. Pontifice Maximo.

CLXVIII. LUcius II. biduo poſt obitum Cœleſtini à Cardinalibus quadraginta tribus Pontifex maximus deſignatus, pontificiæ coronationis inſignia ſuſcepit Romæ in Baſilica Principis Apoſtolorum ſeptimo Kalendas Aprilis anni 1144.

Lucii vita primordia. Is Gerardus anteà vocatus, Bononiæ nobili Caccianimicorum genere, patre Alberto ortus, ex Canonico Regulari Monaſterii ſanctæ Crucis in Hieruſalem Congregationis S. Fridani Lucenſis à Calliſto II. presbyter primò Cardinalis ſanctæ Crucis in Hieruſalem, deinde ab Innocentio II. Cancellarius Apoſtolicæ Sedis, demum *Pontifex creatur.* ſuffragio Patrum Romanus Pontifex, ut diximus, creatus eſt. Vir prudentia, animi magnitudine, doctrina, rebusque anteà præclarè geſtis tanto faſtigio non indignus. Lucius Pontificatum iniit eo tempore, quo Romæ nunciata eſt everſio præclariſſimæ urbis Edeſſæ, *S. Bernardi zelus pro religione.* cladesque Chriſtianorum maxima, à Turcis illata. Qua audita ſanctus Bernardus Abbas Claræ vallenſis, patrocinium Chriſtianæ Religionis, ad inſtantiam & preces Lucii Pontificis, aſſumens, Principes Chriſtianos omnes litteris, tum nunciis adhortatus eſt, ut ſumpto ſalutifero Crucis Chriſti vexillo in Sarracenos properarent, rebusque Chriſtianis in Oriente dilabentibus auxilium ferrent. Excitatus *Conradus Imp. in Sarracenos movet.* Lucii Bernardique zelo Conradus Imperator, ut reliquis exemplo eſſet, comparato ingenti exercitu, proximus in militiam nomen dedit. Progreſſusque cum cruce ſignatis, magnis itineribus Conſtantinopolim verſus, ab Emmanuele Græcorum Imperatore precibus compellitur, nullo comparato commeatu, Iconium ſtatim ducere; ſe enim omnia, quæ exercitui neceſſaria forent, ſuffectu*Doloſè cum eo agit Emmanuel Græcorum Imperator.* rum Emmanuel promiſerat. Obſecutus eſt Græco Conradus, Iconiumque ducto exercitu, Urbem natura & artificio munitam obſidione cingit, acriterque impugnat. Verùm cùm ſceleſtus Imperator, Græco uſus ingenio, gypſum farinæ immiſcuiſſet, ex eaque re panis fieret, quo exercitus Chriſtianorum aleretur, tot ſtatim milites corruptis inteſtinis periêre, ut re infecta, ſolutaque obſidione, in Thraciam ſecedere oportuerit. Hoc tamen emolumenti *Balduinus inſignes progreſſus facit.* illa expeditio habuit, quòd Balduinus Hieroſolymitanus Rex animo auctus & milite Aſcaloniam diu obſeſſam tandem vi ceperit, cum paulò antè Gazam urbem antiquiſſimam ab hoſte derelictam inſtauraſſet, incolendamque fratribus Templariis conceſſiſſet. Auſus quin etiam idem Balduinus, Turcorum Satrapas vicina Solymis loca infeſtantes propulſare, quorum de numero, unico prælio, ad quinque millia interfecta referuntur. Noradinum quoque Damaſcenæ militiæ Principem, agrum Hieroſolymitanum vexantem, tanta clade ſuperavit, & perſecutus eſt, ut ægrè Chriſtiani, quò minùs cum hoſte Damaſci mœnia ingrederentur, retenti ſint.

Lucius Chriſtianis in Oriente ſubſidia mittit. Lucius intereà pro ſuo in terram ſanctam amore nihil prætermittebat, quod ad tantam tamque neceſſariam expeditionem pertinere videbatur, tranſmiſſo tum ære, tum novo militum ſupplemento: Quo confortati in Oriente Chriſtiani, acerbum ſæpiùs hoſtibus negotium fecerunt. Ejus præterea ſuaſu & auctoritate in Gallia Synodus quorumdam Epiſcoporum & Abbatum celebrata eſt con-

contra Petrum Abailardum Philoſophum Peripateticum, virum multæ quidem doctrinæ, ſed peſſimè cum orthodoxa fide ſentientem: qui præſente Ludovico Galliæ Rege, validis Patrum rationibus victus, non modò ſententiam mutavit, verùm etiam ejurato perverſi dogmatis errore, monaſticam vitam & religionem amplexus, deinceps cum diſcipulis quibusdam in deſerto loco ſanctiſſimè vixit. *Petrus Abailardus damnatur, & ad ſaniora convertitur.*

Lucius autem ſeditionibus Romanorum magnoperè exagitatus, primo ſedis ſuæ anno nondum completo, v. Kalendas Martii 1145. in Monaſterio SS. Andreæ & Gregorii in clivo Scauri ſito, diem clauſit extremum, delatus inde in Baſilicam Lateranenſem, ibidem more majorum funeratus, & conditus eſt. Qua verò morte, naturali an violenta ſublatus ſit? incertum: Joannes Stella in Libro, quem de Romanis Pontificibus ſcripſit, auctor eſt, Lucium à ſeditioſis in tumultu fuſte abſumptum: Codex Vaticanus (quem Baronius refert) ictu lapidis percuſſum memorat. Verba Codicis hæc ſunt: *Cùm enim Romanos ad nova ſtudia concitatos Lucius depellere conaretur, incerto lapidis ictu percuſſus fuit, atque non multos poſt dies agrotavit, eoq; morbo ex hac vita migravit.* Cæteri Scriptores & mortem, & mortis cauſam narrant, ſeditionem videlicet tumultuantium civium: ſed ictum lapide aut fuſte reticent. *Lucius moritur, naturali an violenta morte? incertum.*

SCRIPTA.

Scripſit Epiſtolas varias, quarum tres leguntur tomo 7. Conciliorum, & tomo 12. Annalium Baronii; quatuor in Chronico m.ſ. Vezalienſi; duæ in Bibliotheca Cluniacenſi. Præter has invenio ſeptem apud Ughellium in Italia ſacra, datas brevi illo tempore, quo vixit Romanus Pontifex, Ogbiero Malvicino Abbati S. Columbani Bobienſis, Uberto Epiſcopo Cremonenſi, Henrico Gradenſi Patriarchæ, Alberoni Regino, & Raynerio Ariminenſi Epiſcopis, Farolfo Faventinæ Eccleſiæ Archidiacono, & Petro Archipresbytero. Scripſit etiam ad Petrum Cluniacenſem inſignem Epiſtolam, qua breviſſimè complexus eſt hiſtoriam rerum ſuarum cum Rogerio Siciliæ Rege geſtarum. *Ejus Scripta.*

ANNO CHRISTI MCXLV.

Imperatoribus Conrado III. & Friderico I. Auguſtis.

De

EUGENIO III. Pontif. Maximo.

LUcio II. in civili ſeditione vita functo, Cardinales tres & quadraginta, tùm in Urbe præſentes, pro novi Pontificis electione in Baſilica Lateranenſi intra Oratorium S. Cæſarii congregantur. Ibi Senatoribus & populo ad arma ſurgentibus, quum haud ſatis inter eos conſtaret, quem potiſſimum ex numero *CLXIX.* *Eugenius divino nutu Pontifex creatur.*

numero præſentium deligerent, populuſque ad eos impediendos excitatus urgeret, illicò divino nutu perciti, unanimi conſenſu Romanum Pontificem elegerunt Petrum cognomento Bernardum, Abbatem SS. Vincentii & Anaſtaſii *ad Aquas Salvias*, virum ætate, gratia, & ſanctitate venerabilem, quem & Eugenium III. ex ipſius voluntate nuncuparunt.

Eugenii natales, & vitæ primordia.

Natus proditur in Tuſcia in oppido agri Piſani, cui *Montis magni* nomen eſt, nobili & antiqua Paganellorum proſapia: ut pluribus oſtendit Raphaël Roncionus Piſanus, accuratiſſimus Patriæ ſuæ Scriptor, *lib. 5. Piſana Hiſtoria* de Eugenio III. familia verba faciens, eorumque ſententiam, qui humili loco & familia natum Eugenium edicunt, rejiciens. Erat Eugenius anteà Canoicus & Vicedominus Eccleſiæ Piſanæ, virtutibus æquè ac opibus pollens. Verùm Bernardi Abbatis Clarævallenſis, viri ſibi amiciſſimi monitis acquieſcens, rejectis ſæculi honoribus, Monachum Ciſtercienſem in Claravalle induit; eoque virtutis, famæ, & auctoritatis tractu temporis progreſſus eſt, ut urgente ipſo Bernardo, Infulis Abbatialibus primò in Monaſterio S. Zenonis Piſis, deinde S. Anaſtaſii ad *Aquas Salvias* Romæ decorari meruerit. Denique, defuncto Lucio Pontifice, divina potiùs ordinatione, quàm hominum diſpoſitione, extra Collegium uno omnium ore ſummus Sacerdos renunciatus, quarto Nonas Martii anni 1145. Apoſtolicæ conſecrationis munus, ac onus Pontificii ſuſcepit.

Varia Scriptorum ſententia de Eugenii promotione.

Hanc electionem ſoli Eugenii ſanctitati adſcribit auctor Hiſtoriæ Huſſitarum Æneas Sylvius, dum ait: *Eugenius III. Monachus Ciſtercienſis, & Abbas S. Anaſtaſii, majori ſanctitatis amore, quàm rerum gerendarum peritia à Patribus electus.* Baronius verò ad prudentiam & ſanctitatem reſpexiſſe Patres in eligendo Eugenio tradit his verbis: *Poſt obitum Lucii, ob tumultuantes Romanos, convenerunt unanimes Cardinales metuentes in Eccleſiam Monaſterii S. Cæſarii, illicò Dei nutu, haud de gremio, ex more aliquem eligendum putarunt ex Cardinalibus in Romanum Pontificem; ſed convertentes oculos in Abbatem Monaſterii S. Anaſtaſii Trium Fontium Ordinis Ciſtercienſis, Petrum Bernardum nominatum, patria Piſanum, virum probitate inſignem, & prudentia in negotiis obeundis locupletem, tempore perditiſſimo, quo hujuſcemodi bello civili Urbs flagraret, putarunt fore aptiſſimum: quem cùm ſagaciſſimum fuiſſent experti, pari conſenſu, ſumma concordia elegerunt.* S. Antoninus infuſam Eugenio in electione ſcientiam ac prudentiam exiſtimat; ait enim: *Hunc, cùm anteà ſimplex eſſet, Deus mirabili gratia, & elegantia ſic perfudit, ut nulli non prudentiſſimus videretur.* Idem ſenſiſſe videtur Ciaconius in hæc verba: *Patribus verò parumper hæſitantibus, ne ob prius vitæ inſtitutum parùm admodum aptus ad Eccleſiæ regimen eſſet, tanta repentè vir auctoritatis, experientia, & rerum gerendarum peritia evaſit, ut multorum Prædeceſſorum ſuorum memoriam obſcuraverit.* Crediderim ego, hominis aliàs induſtrii & prudentis columbinum candorem præcelluiſſe, nec ſe voluiſſe extendere ultra Monachum, dum intra ejus profeſſionis ſepta contineretur; Pontificem verò creatum relaxaſſe habenas propriæ induſtriæ, quæ nihilominùs divinitùs afflata, etiam ultra mortalem prævolaverit. Sed ad inſtitutum.

Sub

Arnaldus Brixianus Monachus damnatus, Romæ ſeditionem in Papam excitat.

Sub initium Pontificatûs Eugenii, Arnaldus Brixianus, Monachus, jam anteà ſub Innocentio II. ob hæreſim damnatus, proſcriptusque, in Italiam revertitur: qui captato Romanæ ſeditionis, & Pontificiæ abſentiæ tempore (Eugenius enim pervicacis populi aſpectum devitans, Viterbium ſe receperat) in Urbem clanculùm irrepſit, ac ſeditioni jam per ſe ſatis ardenti, majores faces admovit, populum ad vetera majorum inſtituta ſequenda, gravi in primis, ac præſenti tempori accommodata oratione adhortatus: *Romanos heröas illos eſſe*, dictitans, *qui Senum olim conſilio, Conſulum potentia, Procerum auctoritate, Nobilium opibus, juvenum robore totum ſibi Orbem ſubjeciſſent: Id ipſum hodie, ſi quidem viri eſſent, ſi libertatis patria, ſi veteris gloria amantes, præſtandum iis eſſe. Iniquum proinde jugum Pontificis rejicerent; vincula Sacerdotum diſrumperent; nomen ſuum, gentibus olim terribile, fortiter aſſererent; vireſq; ſuas, nullis arctandas repagulis, exererent propagarentq;. Reædificandum eſſe Capitolium, Senatores, Conſules, Equites, majorum more in libertatem revocandos. Urbis regimen non ad Papam, ad Romanos pertinere: illi claves cœli, non terræ dominatum à Salvatore concreditum; jus illi in animas, non corpora conceſſum: contentum ſuâ ipſum eſſe ſpartâ, quæ Eccleſiaſtica non ſæcularis ſit, oportere: Infra dignitatem Romanorum eſſe, qui Regibus olim imperaſſent, Orbi jura dictaſſent, imbelli nunc pedo Sacerdotis regi, ſubjiciq;.* Hæc & ſimilia perfidus pro roſtris.

Romani Pontifici rebellãt.

Quibus vocibus incitati Romani, ſubmoto Urbis præfecturâ Pontificio miniſtro, cæteros magiſtratus Patricio recens conſtituto ſubjecerunt: ac populari invaleſcente tumultu, Turres aliquot, ædesque Cardinalium æquè ac nobilium Romanorum cum Pontifice ſentientium diruerunt:

Eorum in peregrinos crudelitas.

Baſilicam Vaticanam, pulſis inde Sacerdotibus, vi ceperunt: peregrinos & advenas, religionis causâ Romam profectos, more latronum expoliarunt: quique mulctam petitam pendere recuſaſſent, in ipſo templi aditu crudeliter trucidarunt. Neque his contenti, litteras inſuper & Oratores ad Conradum Cæſarem in Germaniam misêre, eumque ad delendum in Urbe pontificium dominatum inſtigavêre, atque adeò novo diſſidio eum ab Eccleſia alienare contendêre.

Conradus Imp. Pontifici favet.

Verùm religioſiſſimus Princeps rei indignitate commotus, ſpretis perduellium Romanorum Oratoribus, neque in aſpectum admiſſis, Guidonem Cardinalem Piſanum Eugenii Legatum comiter excepit, ac liberaliter ei omnia, quæ Pontificis nomine petiit, confirmatis priùs Eccleſiæ privilegiis, conceſſit.

Triſtis Nuncius ex Oriente.

Dum hæc aguntur, triſtis nuncius ex Oriente de ſtrage Chriſtianorum maxima allatus, curas Pontificis ac Cardinalium magnoperè oneravit, atque animos omnium à minore moleſtia ad ſummum timorem traduxit. Erat tum Eugenius cum Patribus Viterbii, quando hunc nuncium accepit. Itaque rebus omnibus, quæ ad cauſam Orientalem pertinebant, quanta potuit celeritate, ſagaciter conſtitutis, ad ultionem Romanorum rebellium converſus,

Eugenius movet in rebelles Romanos:

armis eos ad priſtinum Eccleſiæ ſtudium obſequiumque traducere ſtatuit. Quid igitur? Tiburtes, cæterosque Latii populos per litteras ad arma in Eccleſiæ ſubſidium ſumenda ſolicitavit, ductoque magno exercitu Romam verſus, Urbem ipſam admotis undique machinis oppugnare mœniaque disjicere cœpit, extrema quæque,

ni ſe dederent, minatus. Romani, cùm per aliquot dies acerrimè reſtitiſſent, multosque ſuorum è fortiſſimis amiſiſſent, tectorum everſionem, patriæ, fortunarumque jacturam extimeſcentes, in ſe converſi pacem petierunt: eamque demum, miſſis ultrò obſidibus, his conditionibus impetrarunt: *Ut Patricium abrogarent: Præfectum reſtituerent: Senatores ex Pontificia auctoritate tenerent: Arnaldum turbatorem, maliq; fontem, Urbe in exilium propellerent.* Acceptatis conditionibus atque completis, Eugenius triumphanti ſimilis Urbem ingreditur, Clero, populoque fauſtis vocibus, *Benedictum, qui veniret in nomine Domini*, certatim concinente.

Romani ſe dedunt Eugenio

S. Bernardus ſacram expeditionem urget.

Litteris intereà Eugenii in Franciam de ſacra expeditione perlatis, S. Bernardus Abbas palàm Crucis ſuſceptionem flagranti ſtudio, ſummaque orationis gravitate perurgere cœpit. Quæ verò dicebat verbis, eadem mirabilium ſignorum magnitudine cumulabat. Siquidem ſatis conſtat, nullum præteriiſſe diem, quo non aut ægros, aut debiles, membrisque captos, turmatim oblatos, ſanâſſet. Quibus impulſus Rex Ludovicus, Crucem ipſe, præſente Bernardo, cum Proceribus, magnaque Galliæ nobilitate ſuſcepit, tanto populi undique affluentis accurſu, ut Bernardus ad Eugenium de multitudine ſignatorum ſcribens, exhauriri vicos, oppida, & Urbes, dixerit.

Ludovicus Rex crucem ſuſcipit: decipitur à Græcorum Imp.

Ludovicum verò per varios tramites cum exercitu Conſtantinopolim delatum, Emmanuel Græcorum Imperator non ſecùs atque Conradum Cæſarem anteà, fraude circumvenit, perſuaſum enim iniquo tempore ducere copias per deſerta Syriæ, eò neceſſitatis compulit, ut lacerum exercitum difficultate & inopia rerum Antiochiam re infecta ducere coactus ſit.

Rogerius contra Græcorũ Imp. prævalet, ac Ludovicum liberat.

Hanc ob rem Rogerius Siciliæ Rex, Emmanueli infenſus, claſſe inſtructiſſima in Græciam delatus, Corcyram Inſulam, Corynthum, Thebas, & Eubojam de Imperio Emmanuelis occupat: duxiſſetque eodem animo Conſtantinopolim, ni Veneti inſtructâ in Hadriatico ſexaginta triremium claſſe, quò minùs id faceret, prohibuiſſent. Flexit itaque Rogerius ad littora Aſiæ, occultè ipſum Deo in auxilium Ludovici eò impellente. Nam tum fortè Sarracena claſſis Ludovicum temerè navigantem circumvenerat, quò non longè à portu ſancti Simeonis ſolvens, Paleſtinam petiturus erat. Rogerius itaque barbaros in anguſto nactus, aggreditur, oppugnat, & vincit, Regemque Chriſtianiſſimum cum exercitu ab interitu liberat.

Venetos infeſtos habet.

Iterim verò Claſſis Veneta, quæ Emmanueli admodùm favebat, ea loca recipit, quæ Rogerius occupaverat, imminutaque ac ſine ullo præſidio reliquerat. Rogerius autem dimiſſo apud Joppen Ludovico, Conſtantinopolim delatus, ſuburbia vidente Emmanuele incendens, eouſque victoria progreſſus eſt, ut & ædes Imperatoris aliquamdiù oppugnaverit, & poma ex hortis ejuſdem, manu legerit. Verùm poſteà cùm inde in Siciliam ſecurus incompoſita claſſe abiret, in Venetos incidens inſtructos, & ad dimicandum paratos, ex ſuis triremibus viginti amiſit, ægreque fugâ dilapſus Siciliam attigit.

Cæſar, Gallus, & Balduinus Damaſcũ obſident.

Inter hæc Conradus Cæſar, Ludovicus Galliæ, & Balduinus Solymæ Reges, junctis copiis animisque Damaſcum magnis conatibus

Google

bus obſident, locum natura, præſidio, ubertate rerum, & operibus munitiſſimum. Parvus amnis in regione unicus, non longè ab Urbis mœnibus præterlabens, Inſulam quandam facit, in qua noſtri, poſitis caſtris, & aqua abundabant, & oppidanos facilè ab aquatione ipſis perneceſſaria cohibebant. Verùm Aſſyrio quodam dolosè perſuadente (cui maximè Balduinus in rebus arduis credebat) caſtra ad alteram Urbis partem transferuntur; quòd diceret, faciliùs eò loci hoſtium mœnia, utpotè minùs munita, irrumpi poſſe. Motis itaque caſtris, Damaſceni repentè ſtativa noſtrorum occupant, ac muniunt, noſtroſque ab aquatione & commeatu prohibent. Quare cùm ſiti fameque toto paſſim exercitu laboraretur, tandem non ſine contumelia obſidionem ſolvunt. Hieroſolymam Balduinus, in Galliam Ludovicus, & Conradus in Germaniam, comminutis variis caſibus exercitibus, inglorii revertuntur. Hæc in Oriente. *Infauſta eorū expeditio.*

Quod Occidentem ſpectat, Romani quorundam inquietorum inſtinctu ſeditionem hactenus compreſſam redintegrantes, ab Eugenio poſtularunt, ut Tibur everteret. Qua re, utpotè iniquâ, diſertè negatâ, uſque adeò exaſperati animis ſunt, ut ſe, ni, quod peterent, impetrarent, vim adhibituros oſtenderent. Itaque Eugenius conſilio cum Patribus habito, ex eorum ſententia Urbe cum omni Curia excedere ſtatuit. Igitur pedum pulvere, ad terrorem injiciendum, in eos excuſſo, è Laterano cum præcipuis Cardinalium, totaque Curia Romana in inſulam primò Transtyberinam, indeque Tibur contendit, ingrato populo telis miſſilibuſque eos hoſtiliter inceſſente. Quod ut inaudiit S. Bernardus Abbas, zelo commotus, graves mox litteras objurgationis plenas ad Romanos ſcripſit, quibus eorum plurimos ad ſaniora conſilia, obſequiumque Pontificis traduxit. *Eugenius nova ſeditione vexatus Romà excedit.*

Eugenius autem inſanientium furori ad tempus cedendum ratus, diverſis conſiliis agitatis, demum veterum Pontificum exemplo in Franciam ire conſtituit, ſive ut abſentiâ deſiderium ſui Romanis efficeret; ſive ut Eccleſiæ Gallicanæ, multis hæreſibus laboranti, præſens conſuleret. Iter terrâ ingreſſus, Senis duos Diaconos Gilberti Porretani Epiſcopi Pictavienſis offendit, Epiſcopum ſuum de ſanctiſſima Trinitate malè ſentientem deferentes. Quibus Pontifex, ſe in Francia ex Concilii ſententia quid de ejus doctrina ſtatuendum ſit, reſponſurum dixit. *Pergit in Franciam rebus Eccleſiæ conſulturus.*

Pariſios delatus, omni honoris obſequio tum à Ludovico Rege, tum à Galliæ Proceribus exceptus eſt. Ibi conſiſtens, cùm ad inſtantiam Regis in Eccleſia Beatæ Genovefæ divina vellet myſteria celebrare, atque Rex ibidem ac Proceres conveniſſent, Sacerdoti ſacrificioque affuturi, inter Canonicos per ſpeciem conſervandorum jurium ſuæ Eccleſiæ, & Pontificis miniſtros contentio eſt orta, quæ non verbis modò, ſed & pugnis & armis agitata, ut nec ipſe Ludovicus Rex, dum compeſcere tumultuantes curat, vulnus evaſerit. At quæ vindicta delictum tale ſecuta ſit, Eugenio vindice, & zelante pro Dei gloria, ex actis beati Willhelmi Abbatis accipiat lector. *Tanta autem nefariæ rei indignitate permotus Pontifex, cum* *Contentio inter Canonicos S. Genovefæ & Pontificios.*

Amoventur in pœnam Canonici.

Ludovico Rege tractavit de improborum hominum inſolentia dignè caſtiganda: viſum eſt autem in eorum locum alios ſubrogare homines religioſos, nempe duodecim Canonicos ex ordine S. Auguſtini; atque in Abbatem Odo electus eſt. Extat Epiſtola S. Bernardi Abbatis Claræyallenſis ad Suggerium gratulatoria de reformato conventu S. Genovefæ.

Eugenius ſacris operatur

Refert Oldoinus ex Baronio, Eugenium, dum adhuc Pariſiis detineretur, Regis Ludovici, ejuſdemque piiſſimæ genitricis Reginæ Adelaidis precibus, Templum, quod in Monte Martyrum propè Pariſios erexerant, ſacris cæremoniis initiaſſe; ipſique ad Aram principem ſacris operanti S. Bernardum Abbatem pro Diacono, & Petrum Cluniacenſem Cœnobiarcham pro Subdiacono inſerviiſſe. Illuſtre admodùm Sacrum, cui trias illa ſanctorum Virorum beneplacenti divinæ Majeſtati obſequio viſa eſt coöperari.

Trevirim profectus, S. Hildegardis acta & ſcripta examinat.

Trevirim deinde Eugenius profectus cum decem & octo S.R.E. Cardinalibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis multis, ac ſancto Bernardo Abbate, ut Hildegardis ſanctitatem examinaret. Florebat enim tunc ſanctitate illuſtris Virgo Hildegardis, & ſancti Spiritus unctione magiſtra, multa edocta, multa & ipſa docebat, datis epiſtolis, atque editis opuſculis, quæ per omnem Germaniam lectitabantur. Non deerant tamen, qui mulierem illuſam, aut illudentem, ſanctitatem figmentum, revelationes ſomnia nuncuparent, & cerebro per jejunia evacuato potiùs, quàm illuſtratæ menti adſcribenda, quæ plurima dictabat, arbitrarentur. Varius hic de Hildegardi rumor, & diverſæ ſententiæ adegerunt Pontificem, ut rem indicto Concilio examinaret: Scripta, & Revelationes approbavit, eique exhortatoriam Epiſtolam ſcripſit, quam inter ejus opera vulgatam Trithemius primùm, mox Severinus Binius, & alii tradunt.

Rhemis Concilium cogit.

Tribus menſibus Treviri exactis, Rhemos ſub annum ſalutis 1148. profectus, frequentiſſimum ibidem Concilium per Quadrageſimam habuit: in quo (poſt varia edita Decreta, quibus corrupta Eccleſiæ Gallicanæ diſciplina emendata eſt) hæretici duo, qui Franciam pravis doctrinis polluebant, exterminati ſunt: Gilbertus Porretanus, & Eudo.

Gilbertus Porretanus Epiſ. Pictavienſis damnatur: reſipiſcit.

Gilbertus novas de Trinitate quæſtiones temerè inferebat, nec Patrum Decretis veteribus ſtabat: Damnatus eapropter, Synodali ſententiæ humiliter acquievit, ac, teſte S. Bernardo, errorem ſuum proprio ore confeſſus damnavit. Eudo autem, natione Britto, delirabat ſe illum eſſe, de quo in Eccleſiaſticis Exorciſmis dicitur, *per eum, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos:* & cùm Socios erroris ſui multos aſciviſſet, eorum duodecim, ad modum Salvatoris, Diſcipulos appellabat.

Eudo cognomento ſtella hæreticus.

Ipſe tanquam phanaticus, communi Patrum Decreto, perpetuo carceri addictus eſt: Diſcipuli verò, quòd mori potiùs, quàm corrigi mallent, ſupplicio affecti. In eodem Concilio Decreta quoque Innocentii II. confirmata ſunt: & Crux purpurea Templariis militibus, albis eorum veſtibus aſſuenda, conceſſa eſt.

Eugenii mores.

Soluto Concilio Monaſterium Claræyallenſe ad preces Divi Bernardi Eugenius viſitavit: ubi gloriam ſummi Pontificatus inſigni humilitate condecoravit. Admirationi erat omnibus in tantæ dignitatis faſtigio tam conſtans ſui demiſſio. Etenim tunicâ

lanceâ

laneâ carnem premebat; & dies noctesque cucullâ indutusnon ſolùm incedebat, ſed etiam cubabat: intus Monachi habitum & animum gerens, foris Pontificem moribus & indumentis repræſentans. Segmentata ei circumferebantur pulvinaria; lectus paliis inſtratus cortinâ ambiebatur purpureâ: at ſi evolverentur operimenta, ſuperjectis laneis comploſa ſtramina, & paleæ conglobatæ reperiebantur. Allocutus Monachos, fratrem ſe non Dominum profitebatur, communi menſa, accubitu, & ferculo contentus. Cumque ibi longiorem moram trahere eum non pateretur magna aſſectantium multitudo, ſalute fratribus dicta, impertitoque ſacræ benedictionis munere, Italiam repetiit. Audiebat enim, Romanos inteſtinis ſe tumultibus atterentes, Pontificis in Urbe præſentiam peroptare. Cùm autem ad Urbem veniſſet, ne ita quidem eam inire potuit, ipſa adhuc populi manente erga ſe contumaciâ. Itaque aliquo temporis ſpatio, modò in Vaticano, modò in ſuburbanis Latii oppidis unà cum Cardinalibus vitam duxit. Sigebertus auctor eſt, ipſum multa cum Romanis certamina obtinendæ Urbis cauſa poſt reditum è Francia contraxiſſe, Rogerio Siciliæ Rege copiis & commeatu ipſum fulciente. *Redit in Italiam.*

Demum Romani tot calamitatibus vexati, ac Bernardi monitis & oratione placati, Pontificem facta pace è Tuſculo in Urbem per Legatos evocarunt. Qui à tantis anguſtiis liberatus, compoſito utcunque Urbis ſtatu, animum vetuſtis fabricis reparandis, vel novis excitandis intendit. Palatium enim apud S. Petrum à fundamentis extruxit. Signum prætorium condidit: Porticum S. Mariæ Majoris refecit, & picturis, opere vermiculato (quod Muſivum vocant) eleganter exornavit, ut inſcriptio capitalibus litteris adhuc oſtendit. *Recipitur à Romanis.*

Tertius Eugenius Romanus Papa benignus,
Obtulit hoc munus Virgo Maria tibi.

Denique rebus Eccleſiæ optime conſtitutis, cùm æſtivis caloribus imminentibus animi relaxandi causâ Tibur ſeceſſiſſet, morbo nonnullos dies tentari cœpit, quo invaleſcente, more Chriſtiano ſacris Eccleſiæ myſteriis proviſus, ſanctiſſimo exitu vitam inculpabilem concluſit octavo Idus Julii anno ſalutis 1153. Corpus Tibure Romam revectum, ſummoque omnium luctu & mœrore funeratum, in Vaticano ante Aram maximam, cum hoc Epitaphio (quod hodie vetuſtate attritum legi amplius vix poteſt) honorificè conditum eſt. *Sanctè moritur.*

Hic habet Eugenius *defunctus carne ſepulchrum,*
Cui pia cum Chriſto vivere vita fuit.
Piſa virum genuit, quem Claravallis alumnum
Exhibuit ſacra religionis opus.
Hic ad Anaſtaſii translatus Martyris ædem,
Ex Abbate Pater ſummus in Urbe fuit.
Eripuit ſolemne jubar, mundiq; decorem
Julius octavum ſole premente diem.

Ejus Epitaphium.

Sedit in Pontificatu Annos viii. Mens. iv. Dies xii.

Fulget miraculis. Eugenium poſt ſepulturam gloriâ miraculorum claruiſſe, antiqui graveſque Scriptores affirmant: Godifredus in primis, qui tunc temporis vivebat, & cui tanquam alumno Clarævallis facilior indagatio, & major cura erat. Is Divi Bernardi (qui eodem anno, quo Eugenius, obiit) mortem deſcribens, hæc ait: *Facta ſunt hac eodem anno, quo B. Papa noſter Eugenius Tertius, ejuſdem Patris ſancti in converſatione ſancta filius ab hac luce, vel ab hac magis caligine migravit ad lucem, cujus merita in ipſa, cui inſigniter præfuit, Urbe miraculis pluribus illuſtrata coruſcant.* Hæc Godefridus: nec diſſimilia Robertus Montenſis Abbas *in Appendice*: Vincentius Belluacenſis *in Speculo*, Chronicon Antiſiodorenſe, & Chronicon Normanniæ per Andream Duſcheſne vulgatum. Breviùs hæc eadem Wernerus Weſtphalus Carthuſianus in Faſciculo temporum: *Obiit tandem Eugenius III. in magna ſanctitate, ſuis meritis illuſtrando Romam miraculis pluribus.* Et Chronicon Magnum Belgicum: *Tandem Eugenius Papa moritur, qui fuit Claravallis Monachus, à quo facta fuiſſe miracula plurima certiſſimum eſt.* Videri etiam poteſt Andreas Sauſſay in Martyrologio Gallicano ad octavum Idus Julij. Denique Auguſtinus Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium inſignia nonnulla miracula ab Eugenio patrata ſigillatim enarrat, qui conſuli poteſt.

Obitus Conradi Imp. Penultimo Pontificatus Eugenii anno (qui fuit Chriſti 1152.) decimoquinto Kalend. Martii Conradus III. Imperator decimo tertio Imperii anno Bambergæ obiit. Princeps Eccleſiæ & Pontificibus *Succedit Frid. Ænobardus.* addictiſſimus: cui poſt decem & ſeptem dierum interregnum, Fridericus Ænobardus, Ducis Suevorum filius, IV. Nonas Martii omnium Principum lectione Francofurti ad Mœnum ſuffectus eſt in Imperio.

SCRIPTA.

Eugenii Scripta. Epiſtolas quamplurimas ad diverſos ſcripſit Eugenius ad Ludovicum ſcilicet Regem Galliæ, ad Archiepiſcopum Ravennatem, ad S. Hildegardem, ad Romanum Clerum, ad Archipresbyterum S. Mariæ, ad Januenſes, ad Hiſpaniæ fideles adverſus Sarracenos. Item ad Conradum Imperatorem, ad Engelbertum Bambergenſem Epiſcopum pro Canonizatione S. Henrici Imperatoris: ad Epiſcopos Germaniæ, ad Hugonem Abbatem Monaſterii S. Angeli in Valle Gaiſæ Diœceſis Urbinatis, ad Eugenium Radulphum Abbatem Monaſterii Cantavocis in veteri Caſtella, ad Magdalenam Abbatiſſam Monaſterii S. Petri, quod in ſuburbio Florentinæ Urbis ſitum eſt.

Ad Vernerum Uladislavienſem, Rodulph. Imolenſem, Volateranum, Florentinum, Lucenſem,	Epiſcopos.	Veronenſem, Tridentinum, Vincentinum, Caſtellanum, Ferrarienſem.	Epiſcopos.

Ad Attonem Abbatem Monaſterii S. Benedicti de Saxo Laterone Cluſinæ Diœceſis, ad Gilbertum Archipresbyterum, & ad Canonicos Veronenſes: ad Aquileienſem Patriarcham, ad Abbatem Monaſterii

naſterii SS. Trinitatis, ad Abbatem beati Michaëlis Archangeli de Mileto, Ad Abbatem Monaſterii Arch-hauſani in Ducatu Wirtembergico. Ad Michaëlem Monopolitanum Epiſcopum, & alios longè plures.

Harum quædam leguntur tomo 7. Conciliorum; tomo 2. Annalium Ciſtercienſium Angeli Manriquez; tomo 12. Annalium Baronii: in Hiſtoria Guillelmi Nangiaci, & apud Ferdinandum Ughellium in Italia ſacra.

Porrò S. Antoninus *parte 2. tit. 17. cap. 1. §. 7.* inter laudes Eugenii non minimas numerat, quòd literatus ipſe litterarum cultor, ac doctorum hominum promotor extiterit. Quin & Decretum Synodi Romanæ, quod habetur in C. *de quibuſdam diſt. 37.* eidem attribuit. *Error S. Antonini.* Verùm quoad hanc poſteriorem partem prorſus immeritò: nam neque Eugenius III. Romæ Synodum habuit, nec in Rhemenſi, cui præfuit, id ſancivit: quoad priorem verò partem, indubitatum, Eugenium & litteratum fuiſſe, & ſcientias omnes, ac viros ſcientiis præditos promoviſſe egregiè: Unde & curavit Decreti compilatio- *Doctorum virorum cultor, & promotor.* nem à Gratiano faciendam, & ejus tempore inter plures alios inſignes viros, præter Bernardum Abbatem, & Petrum Mauricium, duo illi Petri noſcuntur floruiſſe *Lombardus*, & *Comeſtor*, qui plurimùm Eccleſiam Romanam ſuis ſcriptis illuſtrarunt. Adde libros S. Joannis Damaſceni *de fide Orthodoxa* ſub ipſo Eugenio, ejuſque hortatu translatos è Græcò in Latinum per Burgundionem Judicem, & civem Piſanum, ut fidem faciunt S. Antoninus, & Genebrardus.

Scripſère ad Eugenium præter innumeros alios, Conradus III. Imperator, Ludovicus Galliæ, Stephanus Angliæ, Rogerius Siciliæ, Balduinus Hieroſolymæ Reges, ſed præcipuè S. Bernardus, qui eidem etiam libros quinque *de Conſideratione* plenos gravitatis, & ſcientiæ divinæ inſcripſit.

ANNO CHRISTI MCLIII.

Imperatore Friderico I. Ænobardo Auguſto.

DE

ANASTASIO IV. Pontif. Max.

CUm vacâſſet Romana Sedes poſt Eugenii obitum dies duos, CLXX. ſexto Idus Julii, omnium Cardinalium, qui aderant, ſuffragiis electus eſt ſummus Pontifex Conradus *de Suburra*, no- *Anaſtaſii primordia.* bili familiâ Romæ patre Benedicto natus, Monachus & Abbas olim S. Rufi Veliternenſis, Ordinis ſancti Benedicti. Is ex Abbate S. Rufi Epiſcopus Cardinalis Sabinus ab Honorio II. creatus, & Vicarius Urbis ab Innocentio II. durante ſchiſmate Anacleti conſtitutus, eo munere uſque ad Pontificatum ſuum magna cum laude functus eſt. Vir ob egregias corporis animique dotes, prudentiam, eruditionem, vitæ ſanctitatem, rerumque publicarum experientiam ſuprema ſede non indignus. Electus Pontifex, mutato Conradi nomi-

nomine in nomen Anaſtaſii IV. quarto Idus Julii Coronationis ſuæ inſignia ſuſcepit Romæ in Baſilica Principis Apoſtolorum anno ab *Eligitur Pontifex.* Orbe redempto 1153. Civibus ſuis ob pacis ſtudia, & profuſas in egentes eleemoſynas acceptiſſimus; à Baronio tamen nimiæ facilitatis in regimine Eccleſiæ notatus.

Ejus geſtas. Hic Gerardum S.R.E.Cardinalem ad Fridericum Imperatorem pro cauſa Magdeburgenſis Eccleſiæ legavit, qui re infecta dimiſſus à Cæſare, in via exceſſit è vita. Religioſos viros, (maximè ſuæ profeſſionis) quos plurimùm venerabatur, ampliſſimis privilegiis & gratiis communivit. Corpora ſanctarum Rufinæ & Secundæ, Juſtinæ, Luciæ Virginis, & Cypriani propè Baptiſterium Lateranenſe collocavit. Oratorium ſancti Nicolai (intra ſepta quondam Lateranenſis Baſilicæ, in quo noſtris hiſce temporibus Lateranenſes Pœnitentiarii celebrant) inſtauravit: unde in illius Oratorii apſide Anaſtaſii Papæ ad Deiparæ Virginis pedes procumbentis effigies apparet, atque hi verſus inſcripti leguntur.

Suſtulit hic primò Templum Calliſtus *ab ima*
Vir clarus latè Gallorum nobilitate:
Verùm Anaſtaſius *Papatus culmine* Quartus
Hoc opus ornavit, variisq́ modis decoravit.

Feſtinè moritur. Plura mente deſtinaverat Anaſtaſius, tùm ad dignitatem Eccleſiæ, tum ad ornatum Urbis pertinentia: verùm præcoci morte præventus, quæ animo conceperat, aliis perficienda reliquit.

Anno non completo in Pontificatu, Anaſtaſium obiiſſe affirmat S. Antoninus: poſt annos duos, menſes quatuor, dies viginti quatuor ſcribit Joannes Stella: at revera ex Baronio, Ciaconio, & aliis primæ notæ Scriptoribus, ad ſuperos prudentia & ſanctitate clarus ille evolavit tertio Nonas Decembris anno ſalutis 1154. cùm ſediſſet annum unum, menſes quatuor, & dies viginti quatuor. Corpus ejus in Baſilica Conſtantiniana, conchâ porphyreticâ conditum.

SCRIPTA.

Ejus Scripta. Epiſtolas plures ſcripſit Anaſtaſius, quas penes ſe M.SS. aſſervaſſe narrat Andreas Ducheſhius. Unam duntaxat invenio apud Binium in Appendice ad Concilium III. Lateranenſe Oecumenicum. Septem reſcripſit in Italia ſua ſacra Ferdinandus Ughellius, datas per manus Rolandi Cancellarii (poſteà Alexandri Papæ III.) ad Guidonem Eccleſiæ Aprutinæ, Dodonem Reatinæ, Rodulphum Feſulanæ, Anſelmum Aſtenſis, Epiſcopos: item ad Guidonem Abbatem Monaſterii S. Anthimi in Tuſcia, Leonem Archipresbyterum, & Canonicos Eccleſiæ Piſanæ, & Lanfrancum Præpoſitum, ac Canonicos Eccleſiæ Bergomenſis. Unam in Tabulario Aretinenſi datam ad Hieronymum Epiſcopum ſervari affirmat Jacobus Buralius in Vitis Epiſcoporum Aretinenſium.

Petrus Lombardus floret. Sedente Anaſtaſio IV. in Petri ſolio, Theologiam ſpeculativam, induſtriâ atque operâ ſuâ provexit Petrus Novarienſis, cognomento *Lombardus*, Epiſcopus Pariſienſis, quatuor libris, qui dicuntur

Senten-

ſententiarum, conſcriptis. Exinde *Magiſtri ſententiarum* nomenclaturam cum æterna ſui nominis fama adeptus. Anno primo Anaſtaſii Pontificatus, S. Bernardus Abbas Claræ vallenſis, vir verè Apoſtolicus, virtutibus, doctrina, & miraculis clariſſimus ſpiritum Deo reddit decimo tertio Kal. Septembr. Cujus admiranda vita tot præcones habet, quot Orbis Chriſtianus ſacros Scriptores. *S. Bernardus moritur.*

ANNO CHRISTI MCLIV.

Imperatore Friderico I. Ænobardo Auguſto.

De

HADRIANO IV. Pontif. Max.

EXcepit Anaſtaſium IV. mirabili Dei diſpoſitione Hadrianus IV. natione Anglus, de Caſtro S. Albani Diœceſis Batonienſis, Roberti monachi ex legitimo antè matrimonio filius, Nicolaus *Breckſpere* ſeu Haſtifragus ante adeptum Pontificatum appellatus. Hujus primordia Codex Vaticanus, Nicolaus Neubrigenſis, Joannes Pitſæus, Alphonſus Ciaconius & alii his ferè verbis deſcribunt. *CLXXI.* *Hadrianus IV. anteà Nicolaum Breckſper.*

Robertus Nicolai pater, conſentiente legitima uxore, Inſtitutum Canonicorum Regularium apud S. Albanum amplexus, filium adhuc impuberem ſe in Monaſterio quotidie frequentantem, ac alimenta, quibus ſuſtentaretur, requirentem, eò denique verborum acrimoniâ adegit, ut is de terra ſua, & cognatione egrediens, fortunam alibi tentaturus in Galliam ſeceſſerit. Erat puer indolis optimæ, acri ingenio, expedita facundia, eleganti corpore, facieque læta & hilari. Itaque in Provinciam delatus, juxta Valentiam Cavarum (quam Urbem Rhodanus flumen abluit) in templo S. Rufi ſubſtitit; occaſionemque ibi reperiens ſtudiis aptam, quibus potuit obſequiis ſe fratribus illis commendare, eorumque animis ſe ſe inſinuare cœpit. Placuit omnibus adoleſcentis induſtria, comitas, ingenium. Suſcipitur in conſortium, exactoque ritè tyrocinio, Regulari veſte induitur. Studiis tum politioribus, tum gravioribus ſenſim excultus, annis plurimis ibidem reſedit. Regularis diſciplinæ eximius cultor & æmulator, Prioratum primò in ipſa domo obtinuit: unde factum, ut Abbate defuncto, fratres eum tanquam omnium aptiſſimum, concordi ſuffragio, in defuncti locum deligerent. Quibus cùm aliquandiù integrè ſanctèque præfuiſſet, velletque exorbitantes in ordinem redigere, atque adeò diſciplinam, pro ea qua pollebat auctoritate, ſartam tectam conſervare, fratrum odia incurrit: qui pœnitentia ducti, quòd hominem peregrinum ſibi præfeciſſent, confictis adverſus cum accuſationibus, ad Sedem Apoſtolicam innocentem nihilque ſibi conſcium detulerunt. *Ejus vita primordia.*

Erat tunc Pontifex Eugenius hujus nominis Tertius, vir juſtitiæ, ſi quis alius, apprimè tenax, qui rebelles filios contra patrem Judex audivit, & ejus pro ſe allegantis prudentiam modeſtiamque *Accuſatur apud Eugeniū eiq; Pontifex ſuffragatur.*

 ani-

animadvertens, compoſito citra ſtrepitum negotio, tranquillos à ſe dimiſit. Verùm non diù quievit neſcia quietis malitia, grandiuſque intonuit rediviva tempeſtas. Siquidem interpellatus eſt iterum apud eundem Eugenium, & quidem longè iniquius, quàm anteà. Pontifex hominis innocentiam ex reſponſis perſpectam habens, delatorumque invidiam manu, & ajunt, palpans, abrupta prudenter negotio, *Scio*, inquit, *ubi Sedes eſt Sathanæ; ſcio, quid in vobis ſuſcitet procellam iſtam: tantum virum tam vili gregi eripiendum cenſeo: ite, eligite vobis patrem, cum quo pacem deinceps habere poſſitis: iſte enim vobis ulteriùs oneri non erit.* Et ereptum, palamque laudatum, de communi Patrum conſilio, ad purpuram Infulaſque Albanas promovit (Alba autem non procul ab Urbe eſt) ut quoties ſe nominari audiret, gentis & patriæ ſuæ recordaretur. At non multò pòſt ad populos immanitate barbaros, & disjunctiſſimas Danorum & Norvegiorum nationes Legatum miſit. Qua legatione magno Eccleſiæ incremento perfungens, tanquam miniſter Chriſti, & fidelis ac prudens diſpenſator in miniſterio Dei, gentem illam barbaram, ac rudem in lege Chriſtiana diligenter inſtruxit; ac ne quandoque ab hauſta ſemel fide deficeret, Sacerdotes Eccleſiaſticis eruditionibus pollentes eidem ad cautelam præfecit. Rebus in Dania Norvegiaque ritè depoſitis, Romam revertitur Eugenio III. jam vitâ functo, ſuſcipiturque ab Anaſtaſio Pontifice, ſacro Senatu, omnique populo Romano feſtivè ac comiter. Anaſtaſio autem modico pòſt temporis intervallo è vivis erepto, ſummo concurſu & lætitia, omnium ſuffragiis eligitur Pontifex maximus ſub nomine Hadriani IV. Cauſam hujus electionis Codex Vaticanus ampliſſimis viri meritis adſcribit: *Erat enim, inquit, vir valdè benignus, mitis & patiens, & in Græca & Latina lingua peritus, ſermone facundus, eloquentia politus, in cantu Eccleſiaſtico præcipuus, prædicator egregius, ad iraſcendum tardus, ad ignoſcendum velox, hilaris dator, eleemoſynis largus, & omni morum compoſitione præclarus.*

Creatur Epiſcopus Albanus. *Legatione fungitur in Dania.* *Creatur Pontifex.*

Igitur poſt creationem ſacro diademate in Laterano ornatus, ſtatim à Romanis tum precibus, tum minis tentatus eſt, ut Senatoribus abs ſe approbatis liberam Urbis adminiſtrationem relinqueret, quod ſe facturum conſtantiſſimè renuit, teſtatus *Urbis dominatum ad Paſtorem, non ad oves pertinere.* Hinc acerbiùs, quàm anteà ſeditio popularis exarſit, Arnaldo præſertim Brixiano hæretico, quem Senatores contra fidem in Urbem receperant, populum ſuis concionibus adverſus Clerum & Pontificem concitante: cujus verbis adeò aliquando plebs irritata fuit, ut Guidonem Presbyterum Cardinalem titulo S. Pudentianæ, ad Pontificem proficiſcentem, mediâ viâ aggreſſum, inflictis aliquot vulneribus penè confecerit. Quare iratus Pontifex, Senatores ac populum eouſque execratione perſecutus eſt, quoad mutatâ ſententiâ, & Arnaldum Pontifici extraderent, & Senatores magiſtratu ſe abdicarent, relictâ Pontifici adminiſtrandæ Urbis liberâ facultate. Quod ubi fecêre, magnâ omnium lætitiâ Urbem interdicto ſolutam in fidem recepit, & Arnaldum publicæ tranquillitatis perturbatorem ſuſpendio affectum, in cineres redigi, atque in Tiberim ſpargi præcepit. *Ne à ſtolida plebe* (ut ſcribit Otto Friſingenſis *in Friderico I. Imp. lib. 2. c. 20.*) *à corpus ejus tanquam Martyris*

Romanos tumultuantes in ordinem redigit. *Arnaldum ſeditionis auctorem ſuſpendio afficit*

tyris venerationi haberetur. De quo etiam Ligurinus Vates *lib. 3. in Frid.* canit:

Appenſuſq; cruci, flammâq; cremante ſolutus
In cineres, Tiberine, tuas eſt ſparſus in undas,
Ne ſtolidæ plebis quem fecerat improbus error,
Martyris oſſa novo cineresvè foveret honore.

Atque hic finis fuit nefandiſſimi Hæreſiarchæ, Urbis & Orbis perturbatoris, omni ſupplicio digniſſimi, Baronii judicio.

Interim verò Willhelmus Siciliæ Rex, qui mortuo patri Rogerio Eccleſiæ beneficio ſucceſſerat, contra datam fidem Beneventana ſuburbia, Ceperanum Baucumque de Eccleſia occupat. Pontifex rei indignitate commotus, non ſolùm perfidum Regem gravi anathemate notat, ſed & ſubditos omnes, ejus ditioni ſubjectos, ſacramento felicitatis abſolvit quo faciliùs à Rege deficerent, nullo jurejurando adſtricti. Hinc turbæ, defectiones, & bella inteſtina Regem inter ſubditos conflata. [*Regem Siciliæ anathemate ferit.*]

Fridericus autem primus hoc nomine ex gente Sueva Imperator, Ciſalpinam Galliam cum exercitu ingreſſus, ut ad Urbem pro ſuſcipiendo Auguſtali diademate veniret, cùm Lairam, Aſtam, Bertonam, Urbes haud ſatis imperio obtemperantes cepiſſet, magna celeritate Romam verſus iter arripuit. Pontifex Viterbii tum agens, confirmaturus in fide Eccleſiaſticas civitates circumquaque poſitas, Orvetum & civitatem Caſtellanam adiit. Verùm imparem ſe tanto exercitui cernens, pace per internuntios certis conditionibus compoſitâ, in agro Sutrino Imperatori fit obviàm: qui mox honoris gratiâ ex equo deſcendens, infixo pedibus ejus oſculo, eum ut verum Chriſti Vicarium reverenter excepit. [*Fridericus Cæſar venit in Italiam.*]

Cùm verò ad Urbem unà veniſſent, & Pontifex in Baſilica Principis Apoſtolorum Fridericum Imperii coronâ donaret, populus Romanus, clauſis tum portis ne quid tumultus excitaretur, per Hadriani pontem vi erumpens, Teutonicos cum Pontifice præter eorum voluntatem ſentientes, armis aggreditur, cæditque. Excitus eo tumultu Imperator, intromiſſo mox exercitu, qui in pratis Neronianis conſederat, Romanos ex Vaticano in Urbem retrudit, cæſis eorum nonnullis millibus, ac captis propè quingentis: quos tamen Pontificis precibus lenitus, incolumes ſtatim dimiſit. Sedato tumultu, cùm pro veteri more ituri ſimul ad Lateranum Cæſar & Pontifex eſſent, idque fieri nequaquam poſſe citra novum diſcrimen animadverterent, Romanis ob paſſam cædem ad arma ſpectantibus, Manlianum ſimul proficiſcuntur: ubi tranſmiſſo flumine, per Sabinos, & pontem Lucanum & Lateranum pervenientes, coronationis ſolemnia, digno Cæſare & Pontifice apparatu, perſolvêre. Dum hæc Romæ agerentur, Tiburtini, imperium pontificium exoſi, ad Imperatorem venientes, ſe ſuaque omnia ei ſpontè dedunt. Verùm cùm Imperator intellexiſſet, Urbem illam ad ditionem Eccleſiaſticam pertinere, eandem Hadriano reſtitui nulla mora imperavit: neque ita diù immoratus, quum domum ardua eum negotia vocarent, in Germaniam rediit. [*Coronatur ab Hadriano.*] [*Seditio Romana.*] [*Tiburtinorum defectio.*]

Pontifex Beneventum venit. At Pontifex à Proceribus Apuliæ rogatus, Beneventum profectus, majorem Regni partem ſuâ tantùm præſentiâ Willhelmo abſtulit. Intereà verò Palæologus, vir nobilitate æquè ac auctoritate inſignis, Manuelis Græcorum Imperatoris Orator, Anconam primò navigio delatus, terrâ deinde Beneventum petiit, Pontificique Imperatoris nomine quinque librarum millia auri obtulit, fugaturumque ſe ex Italia Willhelmum, ſi tres maritimæ in Apulia Urbes ei ex fœdere, rebus benè geſtis, darentur, promiſit. *Legatio Orientalis.* Quod ubi Willhelmus reſcivit, Pontificem ad pacem æquis conditionibus ineundam cohortatus, pollicetur non modò ſe reſtituturum, quæ de Eccleſia abſtulerat, verùm ultrò Padulam, montem Fuſcum, & Merconem, pro damnis illatis, condonaturum, Romanoſque Eccleſiæ rebelles ſuis armis in officio retenturum, ſi laxato anathemate, titulis utriuſque Regni tam citrà, quàm ultrà Pharum poſiti, inſignior fieret. *Sicilia Rex pacem petit.* Inclinabat quidem Pontifex in tam proficuas conditiones, ſed eas ſuſcipere, adverſantibus maximè Cardinalibus Cæſari addictis, inconſultum duxit. *Non exauditus furit.* Hanc ob rem Willhelmus indignatus, Apuliam inſtructo cum exercitu furenti ſimilis ingreditur, omniaque Eccleſiæ parentia oppida, aut ſibi obſiſtentia, ferro ac flamma funeſtat. Tum in Græcos & Apulos movens, qui apud Brunduſium caſtra poſuerant, eos facilè ſuperat; Barium ab iis occupatum recipit; totamque Apuliam nemine reſiſtere auſo recuperat. *Compoſita pace Regũ titulum acquirit.* Pontifex tanto rerum progreſſu perterritus, miſſis pacis Oratoribus, Willhelmum in gratiam recipit; eidemque utriuſque Regni titulos (poſtquàm juraſſet, ſe nihil deinceps, quod Eccleſiam offenderet, moliturum) conceſſit.

Pontifex Urbem veterem exornat, primusq; inhabitat. Rebus ex ſententia cum Willhelmo compoſitis, Pontifex per Caſſinates, Marſos, Reatinos, Narnienſes, Tudertinos iter faciens, Orvetum (hodie Urbem veterem) natura & arte munitiſſimam civitatem pervenit, primuſque Romanorum Pontificum fuit, à quo ea Urbs inhabitata dicitur, & cultior facta: quam multis privilegiis & immunitatibus exornatam, Romanæ Eccleſiæ fidiſſimam reddidit, & iis, qui poſt eum fuerunt, Romanis Pontificibus tutiſſimum perfugium. Inſtante autem hyeme, induciis cum Romanis factis, cum gloria & honore ad Urbem remeavit. *Fridericus Imp. Pontifici infeſtus redditur.* Ejus verò pacem cum Siculo initam Fridericus Imp. iniquiſſimo animo tulit, quaſi Juribus Imperii pernicioſam. Hinc ferialis odii adverſus Pontificem origo facta: Hinc Imperii adverſus Sacerdotium inimicitia renovata, ſuſpiciones auctæ, & apertum denique bellum enatum. De quo videri poteſt Baronius *ad annum 1157. n. 1.*

Hadrianus moritur. Hadrianus interim à civili ſeditione parumper ſublevatus, Sarciendis Urbis Baſilicis, aliiſque conſtruendis publicis operibus animum adjecit. Denique à Senatoribus, libertatem Romanam novo conatu reſtituere ſatagentibus, iteratò vexatus Anagniam petiit, ubi menſe vixdum exacto, morbo anginæ correptus, diem clauſit extrenum ipſis Kalendis Septembris anno à Chriſto nato 1159. Pontificatus ſui anno quarto, menſe octavo, die vigeſimo octavo. Corpus ejus Romam delatum atque in marmoreo Sarcophago prope Eugenium III. repoſitum, inde poſteà in Baſilicæ Vaticanæ navim,

(quæ

Digitized by Google

(quæ Veronicæ nuncupabatur) ad dextram ſcilicet intrantibus, translatum eſt, ubi præterito ſæculo arca marmorea adhuc conſpiciebatur, qua ſub annum 1607. in demolitione veteris Baſilicæ reſeratâ, ejuſdem Hadriani corpus omni ex parte integrum repertum eſt, caſulâ ſericâ nigri coloris, aliiſque pontificalibus indumentis de more exornatum, quod poſteà unà cum eadem arca ſubtus novi Templi pavimentum delatum fuit. Quod verò muſcâ in os ejus illapsâ enectus à Schiſmaticis prodatur Hadrianus, inter ſtrophas aniles relegandum eſt, niſi muſcam appellare velis anginam.

Laus Hadriani. Sed illud Hadrianus reliquit poſteris admirandum exemplum, quòd nec obulum cuidem erogarit in propinquos ſuos, licèt pauperes, adeò ut nec matri ipſi aliquid voluerit impendiſſe, quam alendam reliquit eleemoſynis Cantuarienſis Eccleſiæ.

Porrò, quum multis moleſtiis in adminiſtratione Romani Pontificatus afficeretur, Joanni Sarisberienſi Anglo familiari ſuo ſæpiùs dixiſſe fertur; Romano Pontifice neminem mortalium miſeriorem eſſe, ejus conditione nullam miſerabiliorem inveniri: audiamus ipſum Joannem *lib. 8. Chron.* notabilia hæc verba referentem: *Ejus de Pontificatus onere notabilis querimonia.* *Fatebatur enim* nempe Hadrianus) *in illa ſublimi ſede tantas ſe miſerias inveniſſe, ut facta collatione præſentium, tota præterita amaritudo vitæ, jucunditas & felicitas ei fuerit: Spinoſam enim dicebat Cathedram Romani Pontificis magnis & acutiſſimis undequaque conſertam aculeis, tantaq́ molis, ut robuſtiſſimos premat, terat, & comminuat humeros: Coronam & phrygium clara meritò videri, quoniam ignea ſunt: ſeq́ nunquam à natali ſuo Angliæ ſolo malle exiiſſe, aut in Clauſtro beati Rufi apud Valentiam perpetuò latuiſſe, quàm tantas intraſſe anguſtias, niſi quia divinæ diſpenſationi reluctari non auderet. Hoc etiam ſæpiſſimè adjecit, quòd cùm de gradu in gradum ex clauſtrali Clerico per omnia officia aſcendiſſet ad ſummum Pontificatus apicem, nihil unquam felicitatis aut tranquillæ quietis vitæ priori adjectum eſſe ab aſcenſu. Et ut ejus utar verbis, in incude, inquiebat, & malleo ſemper dilatavit me Dominus: ſed nunc oneri, quod infirmitati meæ impoſuit, ſi placet ſupponat dexteram, quoniam mihi importabile eſt. Nonne miſericordia dignus eſt, qui pugnat pro tanta miſeria? Sit ſanè ditiſſimus, qui eligitur, ſequenti die pauper erit, & infinitis pænè creditoribus tenebitur obligatus. Quid ergo erit ei, quem nulla vocat electio, ſed repugnante in membris Chriſto, ambitio cæca & cruenta non ſine ſanguine fraterno intrudit? Hoc quidem eſt Romulo ſuccedere in parricidiis, non Petro in commiſſi diſpenſatione ovilis.* Hactenus Joannes Sarisberienſis de Hadriano Papa rem experto.

SCRIPTA.

Scripta. Hadrianus ante adeptum Pontificatum elaboravit librum unum De Conceptione B. V. Mariæ ad Petrum Pontiniacum.

De ſua legatione librum unum.

Homilias quaſdam, quæ impreſſæ habentur.

Catechiſmaticas leges ad Populos Norvegiæ & Succiæ.

Romanus renunciatus Pontifex Epiſtolas multas ſcripſit, quarum plures extant apud Baronium, Radevicum, Ferdinandum Ughellium, & alios: harum una ad Fridericum I. Imperatorem prodiit ſeparatim Francofurti anno noſtræ ſalutis 1585.

 Scripſit

Scripſit etiam pro expeditione Hiberniæ ad Henricum Angliæ Regem.

Ei Epiſtolas dedêre Fridericus I. Imp. Henricus Anglorum, Willhelmus Siciliæ Reges; Theſſalonicenſis Epiſcopus, & Ludenſis Archiepiſcopus, cui primatum in Regno Sueciæ conceſſit.

ANNO CHRISTI MCLIX.

Imperatore FRIDERICO I. Ænobardo Auguſto.

DE

ALEXANDRO III. Pont. Max.

CLXXII. *Simultas Hadrianum inter & Cæſarem.*

GRavis ſuper Eccleſiaſtico & Imperiali jure inter Hadrianum IV. & Fridericum I. Imperatorem controverſia exorta, eò tandem improborum hominum malitiâ pervenit, ut apertas hoſtileſque inimicitias Pontificem inter & Cæſarem excitârit. Quibus maximè ferventibus, Hadrianus inito arctiſſimo fœdere cum Willhelmo Siciliæ Rege, Mediolanenſibus, aliiſque Imperatoris hoſtibus, Fridericum, quòd jura Eccleſiaſtica contra jus faſque occuparet, ſacris interdicere conſtituit; ſed lethali morbo præventus, cùm ea, quæ animo conceperat, in opus redigere per ſe ipſe non poſſet, Succeſſori perficienda reliquit. Interim verò ne maximi momenti negotium negligeret, convocatis ad lectum Patribus, majorem eorum partem in ſua verba adegit, ut Pontificem poſt ſe crearent, qui pro bono Eccleſiæ actiones abs ſe contra Cæſarem ſuſceptas tueretur, Octavianum verò de Monticello Cardinalem S. Cæciliæ, apertum Eccleſiæ hoſtem, Friderici ſtudioſiſſimum à comitiis & electione excluderent. Eo igitur paulò pòſt, ut præcedenti numero diximus, Anagniæ mortuo, Cardinales, qui tunc triginta omninò erant, præſentibus adhuc Cæſaris in Urbe Legatis, diem tertium Comitiis Pontificalibus præfigunt Nonas Septembris. Quo die initis in Vaticano ſuffragiis, quatuordecim ex iis Cardinalibus, qui Hadriano IV. jurejurando adſtricti erant, Rolandum Presbyterum Cardinalem S. Marci, Apoſtolicæ Sedis Cancellarium, priùs Pontificem eligunt: Novem deinde, qui Imperatoris partes tuebantur, Octavianum de Monticello Romanum, Cardinalem S. Cæciliæ, Friderici fautorem, Pontificem deſignant: Victor hic IV. Alexander III. ille vocatus. Quinque reliqui Patres diù, cui partium accederent, fluctuantes, tandem majoris partis conſenſum ſequuntur, & ad novendecim numerum Alexandro ſtudentium augent. Quo animadverſo, quatuor ex iis, qui Victori IV. ſuffragati fuerant, eum etiam ipſi deſerentes, ad Alexandrum III. accedunt. Atque ita tres ſuprà viginti Patres Alexander pro ſe, quinque verò duntaxat Victor habuit. Qui temeritate & animo Alexandro audacior, illicò pontificalibus indumentis, quæ Alexandro per vim eripuerat, veſtitus, ab iis, qui eum elegerant, adorari ſe paſſus eſt. Alexandro, cum ſuis attonita mente rei eventum

Hadrianus convocat Cardd. & quare?

Alexander ergo igitur Pontifex.

Victoris Pſeudopapæ audacia.

ventum expectantibus, ad partem ſecedente: Mox reſeratis Baſilicæ portis, ingens Cleri, populique multitudo concurrit, quæ Victorem in Apoſtolica Sede locatum videns, nullâ Alexandri curâ habitâ, ut verum Pontificem venerata eſt: Alexandri Cardinalibus reclamare non auſis, ob multas, quas ſibi jam Victor ex Senatoribus, nobilibuſque Romanis paraverat clientelas, qui armata manu in Eccleſiam irrumpentes, omnia tumultu & clamoribus miſcebant. Quorum vim Alexander ejuſque Cardinales veriti, in molem Hadriani, quæ tum in Boſonis Cardinalis Alexandro addicti poteſtate erat, ſe ſe conjecerunt; ubi protinùs à Victoris factione obſeſſi, novem ibi diebus detenti ſunt. Interim Victor à Senatu populoque Romano Pontificis inſtar cultus, ad Palatium Lateranenſe ſummo cum honore deductus eſt. Qui, cùm in parte ſua non niſi unum Epiſcopum Cardinalem Ymarum haberet, tamdiù Conſecrationem protraxit, donec alios duos per vim nactus, inaugurationem extorſit. *Alexander fugit in Arcem.* *Victor coronatur.*

Fuit Alexander III. natione Tuſcus, patria Senenſis, nobili Bandinellorum familia (quæ poſtea *Paparona* dicta eſt) patre Rainutio ortus; Canonicus anteà Piſanus, tùm Lateranenſis, & nequaquam ut Chryſoſtomus Henriquez Scriptor Ciſtercienſis perperam contendit, Monachus Claræ vallenſis: vir eloquens, diſertus, pius, ſacrarum litterarum peritus, divini humanique juris conſultiſſimus, maximæque apud omnes exiſtimationis: Ad quem extat inſignis Epiſtola Divi Bernardi, in qua eum vir ſanctus Romanum Pontificem futurum ob doctrinam & vitæ ſanctitatem vaticinatur.

Alexander poſt conſecrationem ſuam à Victorianis Urbe exactus, primò Tarracinam, tum Anagniam ſe cum Cardinalibus ſuæ factionis contulit: ubi conſtitutus, Fridericum Imperatorem per Legatos & litteras rogat, ut interpoſita auctoritate Imperatoria pernicioſum Schiſma, quo Victor Eccleſiam turbaret, comprimeret. Reſpondit ille utrumque Pontificem Papiam ire oportere, quo & ipſe cognoſcendæ diſceptationis cauſa propediem venturus eſſet. Alexander, qui ſe legimè Pontificatum obtinere non ignorabat, in incerto collocare nolens, quod certum & legitimum habebat, renuit eò ire. Imperator Alexandri renitentiâ offenſus, coacto mox Concilio, Octavianum in dignitate confirmat, promulgatumque per præcones, totâque Urbe circumductum, Pontificem adorat. Eâ injuriâ permotus Alexander, præmiſſa admonitione, Octavianum & Fridericum in malo perſiſtentes anathematis vinculo colligat, litteraſque Apoſtolicas ad omnes Reipublicæ Chriſtianæ Principes, Magiſtratus, & populos mittit, quibus id jure ac merito abs ſe factum intelligant. *Alexander Urbe pellitur* *Cæſar Victori contra Alex. ſuffragatur.* *Uterque ab Alexandro damnatur.*

Suſcepêre Alexandrum pro legitimo Pontifice Imperator cum primis Conſtantinopolitanus, Francorum item, Hiſpaniæ, Angliæ, Siciliæ, Hieroſolymæ, Ungariæ, Poloniæ, Daniæ, Sueciæ Reges, & omnes earum gentium Præſules, ac totus Ciſtercienſis Ordo, quamplurimis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & innumerabili Monachorum multitudine præditus. Hi Capitulum quotannis apud Ciſtercium celebrabant, inquit Ciaconius, & quæ è Republica erant, decer- *Qui pro Alexandro ſteterint?*

decernebant. Itaque propoſita præſenti pontificia cauſa, publico decreto Alexandro ſe adjunxerunt, ejuratoque Antipapa Victore, maximas vires legitimi Pontificis parti addiderunt. Qua re cognita Fridericus ira incenſus, edictum imperiale divulgavit, quo omnes Ciſtercienſis Ordinis Monachi, ſuis in Regnis degentes, aut Victori ſubſcribere, aut Regnis ſuis excedere ſunt juſſi. Hinc ingens eorum numerus, relictis ſedibus, in Franciam commigravit. Quin etiam Epiſcopos multos per Germaniam, licèt ſanctitate inſignes, quia Alexandro dediti erant, ſedibus ſuis ejecit, ſubrogatis in eorum loca aliis, Victori Antipapæ addictis: & ut Conventum Romæ ab Alexandro indictum impediret, vias omnes, ne cuiquam Epiſcopo liber eò tranſitus pateret, militibus obſepſit.

Fredericus Monachos Ciſtercienſes perſequitur: Epiſcopos pellit.

Alexander, cùm ſe Concilium in Italia habere adverſus Fridericum, Victoremque non poſſe cerneret; ſimulque occultas Romanorum ſævientium inſidias vereretur, ac nimiam Friderici omnia circumquaque tenentis potentiam extimeſceret, in Franciam ad Conventum habendum proficiſci conſtituit. Itaque tertio decimo Kalend. Maij anni 1162. relicto Romæ Julio Cardinale Legato Tarracinam profectus, conſcenſis triremibus à Willhelmo Siciliæ Rege ad eam rem tranſmiſſis Genuam adiit, ubi effuſis obviàm Urbis ordinibus ampliſſimo honore exceptus eſt. Genuâ progreſſus in Galliam, Pariſios ad Ludovicum VII. Regem ſe contulit: qua in Urbe benigniſſimè excepit Faſtradum communem Ciſtercii parentem, & S. Bernardi diſcipulum, qui unà cum Godefrido Clarevallenſi Abbate Pontificem adiit, acturus, ut Bernardus (quod omnium vota poſcebant) ſolemni ritu inter Sanctos adſcriberetur. Meminit Faſtradi adventûs ipſemet Alexander in litteris Canonizationis poſteà expeditis. Faſtrado Pariſiis ægrotanti adſtitit Alexander & Ludovicus Francorum Rex, eumque è vita decedentem Romanus Pontifex propriis manibus ſacro perunxit oleo, & mortuum, quaſi chariſſimum parentem lachrymis proſecutus eſt. Poſt hæc frequentiſſimum in Turonibus Epiſcoporum Abbatumque Concilium habuit: in quo, actis Conciliabuli Papienſis reſciſſis, ſacras adverſus Victorem & Fridericum deteſtationes redintegravit; & Clerum ſeveriſſimis legibus ab effuſa licentia ad Eccleſiaſticam diſciplinam reſtrinxit: tum Epiſcopos omnes gravi oratione, ut hæreſim Catharorum ſeu Albigenſium, apud Toloſam ſerpentem, coërcerent, admonuit. Soluto Concilio in Senonas profectus, annum ibi cum dimidio, dum res Italiæ pacarentur, tranſegit.

Alexander migrat in Galliam.

Faſtrado ultima pietatis officia exhibet.

Fridericum & Antipapā iteratò damnat.

Anno 1164. Mediolanum, Urbs Italiæ florentiſſima, à Friderico Cæſare ob rebellionem capta, ſoloque æquata eſt, auctoribus turbarum ſecuri percuſſis. Ad cæteras calamitates, illa tum quoque Mediolanenſibus adjecta eſt, quam ipſi omnium graviſſimam judicarunt, quòd veneranda trium Magorum corpora, de Perſide olim Conſtantinopolim ab Imperatore translata, & inde à S. Euſtorgio Mediolanum miraculosè advecta, Arnoldus Archiepiſcopus Colonienſis ſecum Coloniam Ubiorum aſportaverit. Ubi hodiedum in Templo maximo honorificè condita requieſcunt.

Mediolani excidium.

Corpora triū SS. Regum.

Eodem Anno Victor IV. Antipapa Cremonâ Lucam profectus, dum

Victoris Antipapæ interitus.

dum fulmina & execrationes in Alexandrum ejuſque ſequaces parat, ſubito correptus morbo in excommunicatione è vita ceſſit Idibus Aprilis, Quinto ſui Pſeudopontificatus anno. Scribit Oldoinus in additionibus ad Ciaconium, Victorem Pſeudopapam, quindecim diebus ante mortem phreneticum effectum, in tantam verſum eſſe inſaniam, ut nec Dei nec ſui memor, impœnitens in execratione deceſſerit: Alexandrum tamen, adinſtar Davidis, perſecutorem ſuum defleviſſe extinctum, & Cardinales de illius obitu exultantes, acriter increpuiſſe. Cæterùm Victori in ſede iniquitatis ſubrogatus eſt à Schiſmaticis Guido Cremenſis Cardinalis Presbyter S. Calliſti, Paſchalis III. appellatus. Is, poſtquam Schiſma quinquennio adverſus Alexandrum protraxiſſet, atque Fridericum Imperatorem cum Beatrice Auguſta coronis aureis in Vaticano exornaſſet, ultore Deo, fiſtuloſo cancro perculſus, infelicem animam in execratione exhalavit circa ſalutis annum 1170. de quo quidam Metrographus hæc cecinit:

Succedit Paſchalis III. Antipapa.

Corruit inſans Guidonis *&* Octaviani
Impia majeſtas, atque intoleranda poteſtas;
Surgit Alexander, *ratione prior, Petrus alter*
Stat nunc in petra, poſthac ſtatuendus in æthra.

Paſchali ſufficitur Joannes Ungarus Pſeudop.

In extincti Guidonis Pſeudopapæ locum, illicò à ſeditioſis & Schiſmaticis, urgente Cæſare Romæ tum præſente, ſuffectus eſt Joannes Ungarus, *vir Apoſtata, perjurus, vorax, atque gyrovagus* (ut eum vocat Ciaconius, & alii) quem ex Monacho atque Abbate Strumenſi Victor IV. Antipapa Epiſcopum Albanum, vel, ut alii tradunt, Tuſculanum creaverat. Hic Calliſtus III. nuncupatus, ſeptennio, quo Eccleſiam afflixerat, exacto, ut vidit Cæſarem cum Alexandro legitimo Pontifice ſub annum 1178. pacem feciſſe, reatum ſuum agnoſcens, ad pedes Alexandri cum quibuſdam ſuis Clericis humilis acceſſit, depoſitaque mitra, aliiſque pontificalibus ornamentis, veniam erratorum deprecatus eſt. Quem complexus Alexander pro ſua manſuetudine, velut bonus Paſtor errantem oviculam, in gratiam recepit, donatumque Inſulis Beneventanis his verbis dimiſit: *Vade frater, remittuntur tibi peccata tuâ, qui de lupo factus es agnus. Memento, Dominum miſericordiarum nolle mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Age igitur, & Eccleſiam, quam tot malis perſecutus es, totidem bonis cumulare deinceps contende.* Eccleſiæ reconciliatus Calliſtus haud diù ſupervixit: nam eodem illum anno, quo ab Alexandro in gratiam ſuſceptus eſt, Benventi obiiſſe, affirmat Marius Vipera in Chronologia Archiepiſcoporum Eccleſiæ Beneventanæ.

Antipapa reſipiſcit, & Alexandro reconciliatur.

Alexander è Gallia revocatur ad Urbem.

Redeo ad Alexandrum, quem Romani, creatis Senatoribus ipſi amicis, ex Francia ad Urbem revocarunt, qui primò in Siciliam, mox Romam navigio delatus, congratulantibus omnibus perbenignè ſuſceptus eſt. Mortuo interim Willhelmo Siciliæ Rege, Emmanuel Græcorum Imperator Legatos cum muneribus ad Pontificem miſit, qui ei non ſolùm magnas in Fridericum copias pollicerentur, ſed & certiſſimam unionem Orientalis Eccleſiæ cum Occidentali, ſi pateretur Imperium Romanum à Leone III. Pontif. diviſum

Legatio Orientalis ad Alexandrum.

ſum, in unum corpus redigi. Legatis quid tum reſponſum ſit, haud ſatis conſtat, cùm bellum inter Romanos, Tuſculanos, atque Albanos ortum, Pontificem impediverit, quò minùs certum reſponſum daret. Nam cùm Tuſculani Albanique pendere Romanis tributa immoderatiùs recuſarent, incenſus ira populus Romanus (reclamante licèt Pontifice) hoſtiliter in Tuſculanos movet. Gubernabat tum maximè rempublicam Tuſculanam Rayno Comes Tuſculanus, quem Rogerius anteà ducatu Apuliæ dejecerat. Is itaque in re militari peritus, accerſitis in auxilium Germanis propè Nepeſum Sutriumque tum ſtativa habentibus, tanta Romanos clade affecit, ut deinceps vix ſe tueri mœnibus, nedum hoſtem foris laceſſere potuerint.

Bellum Romanos inter & Tuſculanos.

Tum verò Fridericus ulciſcendi injurias (ut ipſe dicebat) ab Alexandro acceptas occaſionem nactus, Anconâ deſcendens, rectà Romam movet. Poſitis autem caſtris in agro Neroriano, irrumpere ſuburbium Vaticani conatus, à præſidio ac familiaribus Alexandri conſtantiſſimè repellitur. Sequenti verò die Baſilicam Principis Apoſtolorum procul dubio incendiſſet, niſi Templi cuſtodes furentem ac jam jam faces intentantem precibus prohibuiſſent. Pontifex autem haud ſatis tutò in Laterano conſiſtens, quòd jam jam irrupturos Germanos videret, ad ædes Frangepanum munitiſſimas cum ſelecta militum manu confugit. Tùm verò Willhelmus Siciliæ Rex defuncti Willhelmi cognomento Magni filius, audito Pontificis diſcrimine, ingentem pecuniæ vim, duaſque triremes omni ſubſidio inſtructiſſimas, ei in auxilium miſit. Inſtabat cum populo Romano Fridericus, cui pacem ea lege promittebat, ut de duobus Pontificibus (nam Paſchalis III. Antipapa adhuc in vivis erat) digniorem eligeret, altero eliminato atque rejecto. Quæ res certè, cùm tota ad Friderici nutum ſpectaret, Pontifex noctu conſcenſis triremibus Romà abiens, ſalutem ſibi fugâ quæſivit. Cajetam primò, mox Beneventum delatus, utrobique cum honore ſuſceptus eſt.

Fridericus adverſus Alexandrum Romam venit.

Alexander fugit.

Expulit intereà Fridericum ab Urbe Roma incumbens graviſſima peſtis, qua paſſim veluti pecora & cives & milites abripiebantur. Venienti autem in Galliam Ciſalpinam Friderico, copiis æquè ac Ducibus ex peſte imminuto, fœderatæ Civitates recenti eum exercitu occurrunt, quos acriter nimium inſtantes, detrectato certamine, ſtudioſè declinans, Germaniam aucturus militem repetiit.

Fridericus peſte Româ abigitur.

Elongato Cæſare, Sociæ Civitates, poſitis ad tempus armis, *Alexandriam* de nomine Alexandri Pontificis nuncupatam, inter Aſtam & Dertonam ad ripas Tanari fluvii, paribus animis, impenſaque condunt; in eamque ex proximis civitatibus, quindecim millia hominum ad incolendum mittunt, diviſis agris viritim, partitiſque in Urbe locis ad ædificandum. Papienſes autem, cæterique Cæſareæ partis ſtudioſi, eam aut *Cæſaream* à Friderico Cæſare, aut Alexandriam quidem, ſed ob conteptum *Palearem* appellarunt, quo nomine uſque in hunc diem vocatur ab Italis *Aleſſandria della paglia.* Hanc ſub annum 1175. Epiſcopalem fecit Alexander.

Alexandria nova conditur.

Romani inter hæc acceptæ cladis memores, abſente, ut diximus,

Digitized by Google

Tuſculani ſe dedunt Alexandro.

mus, Friderico, reſumptis armis Albam vi capiunt, diruuntque; idem etiam facturi Tuſculanis niſi à Pontifice nunc minis, nunc cenſuris à tanto facinore deterriti fuiſſent. Eapropter Tuſculani, ne ingrati viderentur, publico decreto confecto, ac conſilio adhibito (Raynone Comite ultrò aſſentiente) Pontificem recipiunt, ſeque ei ſuaque omnia in fidem committunt. Miſit tùm Emmanuel Imperator Conſtantinopolitanus alios oratores, qui majora Pontifici pollicerentur, ſi in ſententiam ſuam de conjungendo Imperio deſcendiſſet: quibus Alexander, ut importuni hominis ſpem elideret, ita reſpondit: *Nolle ſe temerè in unum conjungere, quod olim Majores ſui de induſtria disjunxiſſent.* Atque ita Græcorum muſcas abegit.

Græcorum ſollicitatio.

Eodem tempore (annus erat poſt Chriſtum natum 1171.) auditi ſunt etiam Henrici Regis Angliæ Legati, Regem ſuum pluribus purgantes, quòd falsò diceretur in necem Beati Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis, à Sicariis in feſto Innocentium ad aram occiſi, conſpirâſſe. Pontifex, cùm non facilè Oratoribus regiis crederet, in Angliam duos Cardinales cum magna poteſtate mittit, qui rem ipſam diligenter inſpicerent. Quibus Rex honoris cauſa apud Normanniam occurrit: Re deinde diutiùs agitata atque diſcuſſâ ad hoc ventum eſt, ut Henricus adhibito juramento (cùm non ſatis de facto conſtaret) ſe ſe purgaverit, promiſeritque ſe pœnitentiam pro nece ſanctiſſimi viri acturum, cujus etſi fuiſſet inſons & inſcius, occaſionem tamen præſtitiſſe ſit viſus, quòd viventem ſimultate & odio perſecutus ſit. Additum præterea, ut ducentos milites Hieroſolymam in ſubſidium fidelium mitteret, qui ſuis auſpiciis, ſuaque impenſâ per annum contra Sarracenos dimicarent; utque ipſe cum quanto poſſet exercitu contra Barbaros bellum gereret; libertatem Eccleſiaſticam in ſuo Regno tueretur; appellationibusque ad Curiam Romanam factis non adverſaretur. His autem rebus jurejurando confirmatis, Regni Anglici titulum in ſe, atque in hæredes ſuos transferre meruit, Pontifice annuente. Plura de his vide *in Purpura docta, libro 1. n. 42.*

Henricus Angliæ Oratores Romam mittit: & quare?

Pœna quæ ei inflicta fuerit?

Porrò Alexander diù cum Romanis colluctatus, cùm diceret ſe Urbem eorum pacificè ingreſſurum, dimiſſaque eis rerum ſæcularium curâ, nihil præter rem divinam curaturum, ne ſicquidem obſtinatos eorum animos emollire potuit. Igitur Signiam digreſſus, auditis, qui ex Anglia venerant, Legatis, cognitiſque ex eorum relatione Beati Thomæ Cantuar. miraculis, eum die 2. Februarii Anno noſtræ ſalutis 1173. Sanctorum cœtui adſcripſit. Quo honore etiam affecit ex Baronio Helenam Viduam, genere Viſigotham, & Canutum Danorum Regem, uti teſtatur Saxo Grammaticus. De Bernardo Abbate Claræ vallenſi die 7. Februarii anno 1161. inter Sanctos ab eodem Alexandro relato diximus ſuperius.

Alexander ſanctorum numerum auget.

Intereà Fridericus recenti cum milite Italiam iteratò ingreſſus, redactis in poteſtatem Aſtenſibus, Alexandriam novam obſidet. Protracta ea obſidio eſt in quartum uſque menſem, Alexandrinis acerrimè reſiſtentibus, ac per crebras eruptiones maximum Friderico incommodum inferentibus. Quare laſſus Cæſar longitudine laborum, ſoluta obſidione, Papiam diſceſſit inglorius. Intereundum

Fridericus infeliciter pugnat.

novo ad Legnarium accepto detrimento, parum abſuit, quin ipſe quoque, ſubfoſſo ejus equo, interficeretur. Auxit malum, rei pecuniariæ inopia, hoſtium conjuratio, & ingraveſcens in dies ſuorum defectio. Tot incommodis obrutus (attrito præſertim frequentibus præliis exercitu) mitiora poſthac cogitare, & ad ſinceræ pacis conſilia animum inclinare inſtituit. Occupatum his cogitationibus facilè ad ſaniora impulêre viri cum primis graves, & magnæ apud eum exiſtimationis, quibus bellum hoc non cum homine, ſed cum Deo potiùs geri viſum: *Conteſtantes, præterita & præſentia incommoda ex uno hoc fonte effluxiſſe, quòd in Alexandro Deum & Eccleſiam perſequeretur*: minari quin etiam, in patriam ſe redituros omiſsâ tam iniquâ militiâ, niſi pacatâ Eccleſiâ cum Pontifice in gratiam rediret. Pervicerunt tandem poſt multa perplexum Cæſaris animum Proceres: Locus paciſcendæ pacis atque concordiæ, Venetiæ electæ.

Ad pacem cum Alexandro faciendam perſuadetur.

Dum verò pax in Italia tractatur, in locum Noradini Sarracenorum Regis demortui, Saladinis vir fortiſſimus ſufficitur: qui Rege Ægypti capto atque occiſo, totam ſtatim Ægyptum ac Syriam ſuo adjecit imperio. In Chriſtianos deinde movens, nequaquam certè tali fortunâ uſus eſt. Nam primo prælio apud Aſcalonam, ſecundo ad Tyberiadem, Duce Balduino ſuperatur. Comparatis deinde copiis, contra Emmanuelem in Siciliam profectum, exercitum movet: quem ſimulatâ fugâ in anguſtas convalles protractum ſuperat & capit, eaque conditione dimittit, ut quæ in Aſia ceperat, ſtatim dimitteret.

Saladini progreſſus.

Convenerat intereà Venetias Alexander Pontifex componendæ pacis Italicæ causâ: eò & Fridericus Cæſar accedens, in veſtibulo ſancti Marci Pontificis pedes exoſculatur: ſimul deinde ad Altare majus progreſſi, acceptâ dataque ſalute, de fœderibus pacis inter ſe multùm diuque collocuti ſunt, quæ poſteà ſequenti die, conſcriptis tabulis, ex utriusque ſententia confecta eſt. Abiens deinde Imperator cum bona Pontificis venia, Ravennam primò, mox Bertonorum ſe contulit, quod oppidum cùm retinere ob loci opportunitatem decreviſſet, rogatu Alexandri, Eccleſiæ, cujus erat, reſtituit. Abiens quoque Venetiis Alexander cum tredecim triremibus Wilhelmi Siculi, & quatuor Venetorum, Sipontum primò ventis delatus, atque inde Trojam & Beneventum, per Caſſinenſem ſaltum Anagniam ſe contulit. Ubi non diù immoratus Tuſculum petens, de abrogandis Conſulibus agere cum Romanis cœpit, antequam pax componeretur. Verùm quia res in quinquageſimum jam annum protracta tolli difficillimè videretur, pacti ſunt, ut non priùs electi à populo Conſules magiſtratum inirent, quàm in verba Pontificis jurarent, ſe Eccleſiæ Romanæ fideliſſimos fore; nihilque unquam molituros, quod dignitati pontificiæ obeſſet. Hoc itaque pacto rebus compoſitis, Alexander Pontifex Romam profectus, prodeunte obviàm gratulationis & honoris causâ honoratiſſimo quoque, Concilium generale III. trecentorum Epiſcoporum, Abbatumque plurimorum in Baſilica Lateranenſi concelebrat, tum ut mores Curiæ jam nimia licentia labefactatos componeret; tum ut Eccle-

Fridericus & Alexander pacem ineunt.

Alexander cum Romanis ſuper Conſulum magiſtratu agit.

Concilium Lateranenſe celebrat.

Digitized by Google

Eccleſiæ neceſſitatibus (ſerpente maximè in Gallia hæreſi Albigenſium) proſpiceret; ac denique ſub anathematis pœna decerneret, ne quis ferrum, ligna, arma, infidelibus, & à noſtra religione alienis importaret. Extant & alia hujus Concilii Decreta ſaluberrima, apud Baronium *tomo 12. ad annum 1179. n.1.* & apud Bellarminum *lib.1.c.5.de Concil.* videnda.

Emmanuel Græcorum Imp. moritur ſuccedit Alexius. Hoc ipſo ferè tempore (annus agebatur poſt Chriſtum natum 1180.) moriens Emmanuel Conſtantinopolitanus Imperator, Alexium filium hæredem Imperii reliquit, Andronico Græco, regia progenie orto, tutore dato: De quo Joannes de Buſſieres S. J. *in floſculis Hiſtoriarum* hæc habet: *Alexius Comnenus duodecim annorum, Manueli patri ſucceſſit; ætate tenerâ regimini alieno obnoxiâ calamitatibus involvente Imperium. Prima omnium atrociſſima Andronicus, Manueli cognatus, flagitiorum omnium fundus, qui ab exilio rediens, ut pupillum Alexium à tutorum injuriis vindicaret, maximas intulit. Nam rerum potitus, Xenam Alexii matrem ſuffocavit, matri filium addidit, cadavere in mare projecto, ejusq; ſponſam undecennem cruento thoro adhibuit, tertio poſt Manuelis obitum anno; Adoleſcente Alexio in purpura nato, ut miſerabiliùs interiret.* *Andronicus Imperium invadit.* Nec Andronico diu frui licuit Imperio crimine parto: ſiquidem biennio exacto, comprehenſus à populo, exquiſitis ſuppliciis, & (quod Principi moleſtiùs) ignominioſis, inter duas columnas pendulus, diù animam impuram egit: hoc uno felix, quòd calamitate reſipiſcens, inflictas pœnas æquo animo patiens, divinam juſtitiam implendo pacavit. *Fædè inter ſupplicia moritur.*

Alexandri obitus. Anno verò Chriſti 1181. Sexto Kalend. Septembris Alexander Papa III. poſt longos & aſſiduos labores, cùm jam quieturus à tyrannicis perturbationibus videretur, Pontificatus ſui anno vigeſimo primo, vel, ut aliis placet, vigeſimo ſecundo, Romæ in Palatio Lateranenſi moritur, atque ibidem in Baſilica Conſtantiniana, marmoreo pilo affabrè ſculpto ſepelitur. Vir acer in primis, eruditus, pius, atque in ſuſcepta Eccleſiæ defenſione incomparabilis: cujus causâ præter aliquot Principes, tria coronata excommunicavit Capita Fridericum Cæſarem, Henricum Angliæ, & Willhelmum Scotiæ Reges.

S C R I P T A.

Scripta. Scripſit, Oldoino teſte, Epiſtolarum ad diverſos, libros viginti duos: ſed an omnes extent, nil certi habeo. Quædam prodiêre Pariſiis ſtudio eruditiſſimi P. Jacobi Sirmundi Soc. J. Andreas Ducheſnius magnam harum partem in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica Gallicana promittebat, at morte præventus incœptum opus perficere non potuit. Severinus Binius tomo 7. Conciliorum, Baronius tomo 12. Annalium, & Ferdinandus Ughellius in Italia ſacra illarum plurimas referunt. Quædam alia reperiuntur, ex Ludovico Jacobo à S. Carolo, manu ſcripta in Chartulariis S. Germani & Genovefæ Lutetiæ Pariſiorum, & in Chronico M. S. Vezalienſi.

Scripſit etiam *de Poteſtate Eccleſiaſtica*, ut notat Trithemius:

& alia quædam minutiora, ut refert Trullus in Chronico Canonicorum Regularium.

Prætereà Decretales ſui temporis Epiſtolas in unum Codicem redactas, *Conſulta Alexandri* voluit nominari.

Ad Alexandrum reſcripſerunt Epiſtolas, præter alios, duo Orientis & Occidentis Imperatores, Emmanuel Comnenus, & Fridericus: Ludovicus Francorum, Henricus Anglorum, Willhelmus Siciliæ, & Balduinus Solymorum Reges: Guillielmus item Archiepiſcopus Rhemenſis, S. Thomas Cantuarienſis, Petrus Bleſenſis, S. Joannes Scotus, Arnulphus Epiſcopus Lexovienſis, Stephanus Epiſcopus Tornacenſis: Abbates Galliæ, Soldanus Iconii Princeps, qui Alexandri operâ etiam ſacro baptiſmate ablutus proditur.

ANNO CHRISTI MCLXXXI.

Imperatore FRIDERICO Ænobardo Auguſto.

DE

LUCIO III. Pontifice Maximo.

CLXXIII. PErſolutis Alexandro III. juſtis, Lucius III. Tuſcus, Luca Urbe, nobili Allucingola gente oriundus, omnium conſenſu Romanus Pontifex eligitur, & de more ſuſceptis Pontificatus inſigniis in Baſilica Vaticana coronatur. Erat is Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis & Veliternus, ſacriqúe Collegii Decanus, vir ut ætate, ſic prudentia, pietate, & doctrina inſignis, plurimiſqúe legationibus in Anglia, Gallia, Sicilia, & Germania obitis, clarus.

Lucius vir egregius Pontifex creatur.

Diſcordia inter Romanos & Papam.

Lucium Pontificem renunciatum, eadem ſtatim, quæ Prædeceſſores ejus, calamitas afflixit: Nam cùm Romani intellexiſſent, eum quorundam civium operâ deliberaſſe, Senatores in ordinem redigere; atque abolito Conſulum nomine, Urbis dominatum ſibi vendicare, excitata ſeditione, cunctis Pontifici faventibus, qui capi potuêre, more barbarorum occulos effodêre. Qua lucenta admodùm contumelia accepta, Pontifex Urbe recedens, Velitras primùm, deinde Anagniam ſe contulit, ubi propè annum, Reipublicæ proſpiciens, hæſit. Cùm verò in Urbem ſeditionibus turbatam, nulla regrediendi ſpes citra capitis periculum eſſet, in Lombardiam cum tota Curia (relicto Urbis Vicario Petro Epiſcopo Tuſculano) potiſſimùm profectus eſt. Mutinam ingreſſus, Fridericum Imperatorem, qui per ea tempora ex Germania in Lombardiam venerat, ad mutuum de graviſſimis rebus colloquium invitavit: Conventui Verona deſignata eſt, Urbs tum opulenta & commodo: eò per Hetruriam cum pleriſque Cardinalium iter inſtituens, Lucam patriam adiit, eamqúe ampliſſimis privilegiis & gratiis auctam, illuſtriorem reddidit. Quin & ab Imperatore Friderico tùm amico obtinuit, ne Hetruſci alia moneta quàm Lucenſi, Imperatoria ſignata nota, uterentur.

Lucii Pontif. varia itinera

Lucâ

Mutinenſium obſequia in Lucium, ac viciſſim Lucii in Mutinenſes benignitas.

Lucâ digreſſus Mutinam, ibidem ad preces Gerardi Archiepiſcopi Ravennatis, & Urbis Gubernatorum, Baſilicam S. Geminiani recens ædificatam magnâ ceremoniâ dedicavit, ac corpore ipſius Confeſſoris populo oſtenſo, poſtridie ſub lucem Civitati ſalutem atque incrementum à Deo precatus inde exiit: Et cùm ad mille circiter paſſus progreſſus eſſet, quod adhuc non ſenſerat, inuſitato ſe comitatu ſtipatum animadvertit. Erant autem hominum diverſi ſexus, ætatis, & conditionis tria circiter millia, qui honoris ac pietatis gratiâ ipſum ab Urbe pedibus proſequuti, cum accenſis cereis præcedebant: itaque ad eos converſus, his redituros verbis dimiſit; *Gratias vobis agimus pro inſigni honore, quem Nobis luculenta adeò pietate conteſtati eſtis:* tum protenſa manu eos ſignans; *Benedicta ſit*, inquit, *terra, quam incolitis, & benedicti vos, ac poſteri veſtri in perpetuum.* Id, ne ignoraret poſteritas, publicum monumentum in pariete Baſilicæ Mutinenſes poſuêre.

Conventus Veronæ celebrat: & quid in eo actum.

Trajecto inde lintribus Pado, Veronam Pontifex & Cæſar pridie Kalendas Auguſti anni 1184. ingreſſi ſunt, ibique Conventu maximo Chriſtianorum habito (cui raro exemplo Lucius & Fridericus interfuêre) Pontifex de injuria, Sævitia, ac ſuperbia Romanorum conqueſtus, remedia conquiſivit: tùm Principes omnes Chriſtianos graviſſima oratione hortatus eſt, ut fidelibus in Syria pro Chriſti fide contra Sarracenos & Turcas laborantibus, atque in extremo periculo poſitis, communi conſilio & ope ſuccurrerent; idque eò magis, quòd Principum noſtrorum ſeditionibus & diſcordiis hoſtes fidei freti, Saladino Ægytiorum Rege duce, Hieroſolymitanorum agrum, nemine propè obſiſtente, popularentur. Quos ipſos etiam Pontifex frequentibus litteris ac Nunciis in Syriam miſſis hortabatur, ut ſimultatibus poſitis una mente & conſilio tamdiu ſaltem hoſtibus reſiſterent, quoad novæ copiæ in militiæ ſupplementum ex Europa ſubmitterentur. Jam enim inſtante Heraclio Patriarcha Hieroſolymitano, & Magiſtro Hoſpitalis (qui primùm Veronam, ejus rei gratia ad Lucium venerant, deinde ad Regem Francorum Philippum acceſſerant) milites cruce ſignati ad tantam expeditionem parabantur.

Cæſar pro Epiſcopis Schiſmaticis intercedit.

In eodem etiam Conventu Epiſcopi & Archiepiſcopi complures, qui Schiſmate fœdati erant, comparuerunt, quos, ut anathemate ſolutos priſtinis honoribus reſtitueret Pontifex, Imperator enixè poſtulabat. Papa non iniquis Imperatoris poſtulatis annuere videbatur, ſed à Cardinalibus, in rigore perſiſtendum eſſe affirmantibus, diſſuaſus, id facere recuſavit, cauſatus, eos in Veneto Concilio damnatos eſſe, cujus Concilii acta reſcindere, aut mutare ſine alterius Synodi ſententia, nollet. Pollicebatur tamen, ſe non longè pòſt aliud Concilium coacturum, quo eorum honori maturè pro rerum exigentia conſulere poſſet.

Diſcordia inter Cæſarem & Papam.

Cùm verò Pontifex cum Cæſare de Mathildis Comitiſſæ hæreditate, Eccleſiæ per teſtamentùm legata (quam Imperator in præjudicium Romanæ Sedis occupaverat) verba faceret, eamque ſeriò repoſcere videretur, nova inter eos ſimultas exorta eſt: Cæſare affirmante, rem ad Imperium ſpectantem, neutiquam Eccleſiæ vel

legari,

legari, vel donari, citra præjudicium Imperii potuiſſe: velle ſe tamen ſuper ea re cum Proceribus conſilia agitare, & quod expedire videretur, proximè ſtatuere. Manſit itaque ea quæſtio in ſuſpenſo. Exoravit demùm Fridericus Lucium, ut Henricum filium ſuum, jam in Germania Regem declaratum, & Aquiſgrani coronatum, Imperiali diademate exornaret. Renuit id facere Pontifex, affirmans neminem, eo ſuperſtite, Imperatorio nomine honeſtari poſſe: hoc enim hæreditarium Imperium filiis per ſucceſſionem demandare eſſet, quod cunctis Principibus, ac maximè Electoribus Imperii graviſſimum fore non ignoraret. Quare ſimultates inter utrumque, ob mutuas negationes, paulatim auctæ, in apertam perniciem erupturæ videbantur, niſi res aliorum ſuaſu abruptæ pertractari deſiiſſent: atque ita ſuboffenſis utrinque animis Concilium eſt dimiſſum. Fridericus dicto vale Pontifici, recto tramite Mediolanum profectus, ibidem Henricum filium, magno rerum apparatu, per Lambertum Archiepiſcopum, Regem Italiæ coronavit. Lucius Romanos averſatus, Veronæ ſubſtitit.

Lucii obitus. Ubi anno ſalutis 1185. ſeptimo Kalendas Decembris, morbo correptus, riteque ad iter æternitatis proviſus, vitam ſancta morte concluſit, poſtquam Chriſtianis ſacris annos 4. menſes 2. dies 28. magna prudentia præfuiſſet. Cujus corpus in Cathedrali Eccleſia Veronenſi, uti decedens juſſerat, honorificè marmoreo tumulo illatum eſt. Mauſolæo eruditum hoc funerale Epigramma inſcriptum.

Ejus Epitaphium.

Luca dedit lucem tibi Luci: *Pontificatum*
Oſtia: Papatum Roma: Verona mori.
Imò Verona dedit tibi Lucis gaudia: Roma
Exilium: Curas oſtia: Luca mori.

OBIIT S. PATER DD. LUCIUS PAPA TERTIUS
ANNO MCLXXXV. DIE XXV. NOVEMBRIS.

Alexius Imp. Orient. occiditur. Sub Pontificatu Lucii Papæ III. Alexius Imperator Græcorum menſe Octobri anno 1183. occiſus eſt, cui ſucceſſit interfector ipſe Andronicus Comnenus, uti numero præcedenti diximus. Cujus horrendam mortem, graphicè à Niceta Choniata deſcriptam, habes apud Baronium *ad annum 1185. n. 13.* Andronico ſubrogatus eſt Iſaacius Angelus Auguſtus, monſtrum libidinum, qui imperavit annos novem, & menſes ſeptem.

SCRIPTA.

Lucii Scripta Scripſit Lucius Epiſtolas varias, quarum duæ, una ſcilicet ad Epiſcopos, & Clericos Scotiæ de abſolutione Willhelmi Scotiæ Regis; altera ad Henricum II. Angliæ Regem leguntur Tomo 7. Conciliorum in appendice ad Concilium Lateranenſe III. Oecumenicum: & apud Baronium tomo 12. Annalium. Plures refert Ferdinandus Ughellius in Italia ſacra.

Lucio adhuc in minoribus conſtituto inſcripſit Sermones Dominicales totius anni Hieronymus Aretinus Epiſcopus, Canonicus Regu-

Regularis, qui extant M. SS. in Bibliotheca Vaticana, teſte Ughellio tomo 1. Italiæ ſacræ.

Decreta Lucii varia extare in Codice M.S. apud Carmelitas Lugdunenſes affirmat Ludovicus Jacobus à S. Carolo in ſua Bibliotheca Pontificia : licèt unicum tantùm de Hæreticis legatur apud Gratianum.

ANNO CHRISTI MCLXXXV.

Imperatore FRIDERICO Ænobardo Auguſto.

De

URBANO III. Pontifice. Maxim.

CLXXIV. *Urbanus ex Archiep. Mediolanenſi creatur Pontifex.*

LUcio obeunti eodem die ſuffectus eſt Urbanus III. Lambertus *Cribellus* anteà vocatus, patria Mediolanenſis, nobili ac pervetuſta Cribellorum gente ortus. Clericus cùm eſſet Eccleſiæ Mediolanenſis, ob virtutis ac eruditionis famam, Canonicorum ſuffragiis Archidiaconus primò, deinde Archiepiſcopus Mediolanenſis electus eſt, cui poſtmodùm purpuram adjecit Alexander III. Venerat autem Veronam Lambertus cum reliquis Patribus ad Concilium, quod Lucius III. pro reformatione morum & Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtitutione paulò ante obitum indixerat. Venerabili Pontifice Lucio Veronæ ad Cœlites ſublato, communi ſuffragio à ſeptem & viginti Patribus Purpuratis in defuncti locum ſubſectus, riteque coronatus eſt.

Ejus geſta.

In Petri ſolium evectus, ſtatim litteris ac Nunciis revocare ad concordiam Principes Chriſtianos, maximè eos, qui in Aſia degebant, annixus eſt, ne inter ſe diſſidentes, à barbaris paſſim irruentibus, opprimerentur. Joanni Regis Hiberniæ filio Regnum contra adverſarios confirmavit, eique coronam auro ac gemmis contextam per Nuncios ſubmiſit. Octavianum Diaconum Cardinalem, & cum eo Hugonem *de Nunant* in cauſa reformationis morum ablegavit. Archiepiſcopo Rhemenſi mandavit, ut ſanctarum Virginum & Martyrum Mauræ ac Brigidæ ſacras reliquias fidelium venerationi exponeret : cujus celebritatis memoria quot annis in territorio Bellovacenſi Dominica prima poſt Aſcenſionem Domini recolitur, teſte Andrea Sauſſay in Martyrologio Gallicano.

Agit cum Imperatore de iisdem rebus de quibus anteà Lucius.

Ipſe verò Veronæ conſiſtens, cum Friderico Imperatore de iiſdem rebus, quibus ei negotium cum Lucio Prædeceſſore fuerat (nempe de Epiſcoporum Germaniæ reſtitutione; de Imperialis diadematis Henrico impoſitione; de hæreditatis Mathildis repetitione) conſilia agitare cœpit. Conquerebatur Pontifex, quòd Imperator, cùm Epiſcopos Germaniæ mori contigiſſet, Sacerdotia defunctorum rebus omnibus mobilibus expoliaret: immobilium verò (uti Prædiorum, Caſtrorum, Villarum, Vectigalium, & reliquorum hujuſmodi) partem ab Epiſcopali ditione ſibi aſſeret. Quò fieret, ut novi Epiſcopi, cùm Eccleſias ipſas adirent, adeò inopes redderentur, ut ea, quæ remanſerant, per multos annos, ad ſuſtinen-

dam dignitatem, oppignorare neceſſariò compellerentur. Cœnobiis quoque tam Monachorum, quàm ſacrarum Virginum idem faciebat: quibus etiam, contra mentem fundatorum, annuos proventus ſurripiens, eos in ſtipendia militum diſtrahebat. Qui nihilominus Pontificem ſollicitare cœpit, ut filium ſuum Henricum diademate Imperiali exornaret, exornatumque *Auguſtum* proclamaret: quod ut faceret Pontifex, nulla unquam ratione perſuaderi potuit, niſi priùs ipſe Imperio ſe abdicaſſet. Quare acerba ſimultas, harum intuitu rerum, Pontificem inter & Cæſarem exorta. Qua in dies aucta, duodecim præcipui Germaniæ Præſules (quos Baronius nominat) ſe ſe palàm à Friderico alienarunt; conqueſti, quòd omnia Eccleſiarum bona poſt ipſorum obitum, injuſtiſſimè ab Imperatore in ærarium publicum, non abſque graviſſimo immunitatis Eccleſiaſticæ præjudicio, ac religionis detrimento, referrentur.

Præſulum Germanorũ quarela contra Frid. Imp

Iratus itaque maximè Imperato, cùm omnes Alpium anguſtias præſidiis & cuſtodibus firmaſſet, ne quis Epiſcoporum, ſe invito, in Curiam Romanam penetraret, Veronâ cum filio, & Proceribus diſcedens, in Germaniam profectus eſt. Ibi conventu Præſulum habito, de Romano Pontifice maximè conqueſtus, Epiſcopos omnes conſuluit, atque ut ſibi adeſſent, poſtulavit: quapropter Senatusconſultum factum eſt, ut Germaniæ Epiſcoporum nomine, Nuncii cum litteris ad Pontificem mitterentur, qui de publicis ſimultatibus atque odiis, Papam inter & Cæſarem cum ſcandalo vigentibus conquererentur, atque ut Pontifex, poſito ſupercilio, Cæſari deferret, deprecarentur. Auditis Nunciis, lectiſque eorum litteris Pontifex ſummoperè admiratus eſt præproperam Germanorum Epiſcoporum (quorum cauſam tuendam contra Imperatorem ſuſceperat) mutationem, remque hanc graviſſimè tulit: ſed cùm poſteà certior factus fuiſſet, hujuſmodi litteras dolo Friderici, ejuſque rogatu potiùs, quàm libero Epiſcoporum decreto editas fuiſſe, Cæſarem in jus vocare, atque etiam, ni obtemperaret, anathemate notare conſtituit. Verùm à Veronenſibus rogatus, ut ad promulgandum anathema alium locum, quàm Veronam, eligeret (quippe Cæſaris indignationem verebantur, ſi in eorum Urbe diris eum devoveri contigiſſet) Ferrariam ad hoc tranſigendum negotium ſelegit.

Creſcit ſimultas inter Cæſarem & Pontificem.

Pontifex anathema minatur.

Anno igitur 1187. Ferrariam cum omni Curia, animo execrandi Fridericum, profectus, triſti nuncio expugnatæ à Saladino Hieroſolymæ, captique Regis, & ſanctæ Crucis in poteſtatem redactæ adeò conſternatus eſt, ut præ nimio dolore lethalem in ægritudinem inciderit, ac decimo quarto Kalendas Novembris ejuſdem anni mortem oppetierit: nactus ſepulturam ibidem in Cathedrali Eccleſia, cùm ſediſſet annum unum, menſes decem, dies quindecim.

Moritur dolore animi ob amiſſam Hieroſolymam.

SCRIPTA.

Ejus Scripta. Plures litteras ſcripſit Urbanus; ad Chriſtianos ſcilicet de ſua electione

ctione : ad Willhelmum Regem Scotiæ in cauſa Hugonis S. Andreæ, & Joannis Duncheldenſis Epiſcopi : ad Balduinum Archiepiſcopum Cantuarienſem : ad Abbatem Monaſterii S. Juliani de monte Spoletano : ad Jocelinum Glaſingenſem Epiſcopum, & ad alios plures, ut refert Binius tomo 7. Conciliorum, & Ughellius in Italia ſacra.

Scripſit etiam piam Metaphraſim in Pſalmum 50. *Miſerere mei Deus &c.* Et extat tomo 1. Bibliothecæ Patrum. Varia ejus Decreta reperiuntur in pervetuſto Codice m.ſ. Lugduni apud Carmelitas aſſervato, teſte Ludovico Jacobo à S.Carolo in Bibliotheca ſua Pontificia.

Huic Pontifici, Hiſtoriarum ab Orbe condito uſque ad tempora ſua libros XVIII. inſcripſit Gottifridus Presbyter Viterbienſis, qui in Bibliotheca Vaticana aſſervantur.

ANNO CHRISTI MCLXXXVII.

Imperatore FRIDERICO Ænobardo Auguſto.

DE

GREGORIO VIII. Pont. Max.

CLade Chriſtianorum Orientalium, ac Hieroſolymarum expugnatione conſternati Cardinales, haud quaquam tamen animo defecerunt : verùm extemplò indictis pro novo creando Pontifice comitiis, Ferrariæ altera ab obitu Urbani die, Deo auſpice, Albertum *de Mora*, patriâ Beneventanum, provinciâ Samnitem, Sertorii de Mora filium, Monachum anteà Benedictum, ex Presbytero Cardinale S.Laurentii & Cancellario Apoſtolicæ Sedis, ſummo omnium conſenſu Pontificem maximum elegerunt, eidemque (indito Gregorii VIII. nomine) per manus Hyacinthi Bobonis Diaconi Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin coronationis inſignia detulerunt. *CLXXV.* *Gregorius ex monacho Benedictino fit Pontifex.*

Fuit verò Gregorius, vir ſapientia, eruditione, vitæ integritate, rerumque civilium & Eccleſiaſticarum peritia quàm maximè conſpicuus : hoc enim illi elogium tribuit Neubrigenſis Hiſtoricus veritatis amator. Bernardus verò itidem Pontificiæ vitæ accuratus Scriptor, & antiquior Bernardo Gerardus Fraſquez Dominicanus, litteratum eum, facundum, Juriſque conſultiſſimum quidem dicunt, ſed vitæ ſanctitate, animique integritate longè præclariorem. *Ejus elogium.*

Et certè nemo Gregorio circa rem Chriſtianam promovendam aptior, diligentiorque luctuoſo eo tempore creari poterat, qui virtute & pietate, quod humanâ negligentiâ amiſſum erat, recuperandum exiſtimans, quarta ſtatim creationis ſuæ die, litteras dolore ac zelo plenas ad omnes Chriſti fideles, Reges, ac Principes ſcripſit, ut eos ad ſacrum bellum ſuſcipiendum, opemque Terræ ſanctæ ferendam commoveret ; quarum Exemplar Rogerius in Anglo- *Chriſtianos litteris adverſus Sarracenos excitat.*

 rum,

rum, & Baronius in Eccleſiaſticis Annalibus deſcripſit. Neque multò pòſt ipſemet Piſas profectus eſt, ut compoſita inter Piſanos ac Genuenſes pace, utrumque populum bello maritimo præpotentem in ſanctam expeditionem tam neceſſario tempore concitaret.

Rebus humanis eximitur. Verùm dum hæc magna ſolicitudine, flagrantiſſimoque animo ageret vir ſanctiſſimus, rebus humanis magno Reipublicæ Chriſtianæ detrimento ſurripitur decimo octavo Kalendas Januarii anni 1187. Pontificatus ſui die vigeſimo ſeptimo ſupra menſem, ſepultus in Cathedrali Baſilica Piſana.

S C R I P T A.

Ejus Scripta. Scripſit Gregorius Pontifex binas litteras ad Chriſti fideles, quarum mentionem facit Auguſtinus Oldoinus *in Additionibus ad Ciaconium in geſtis Gregorii* : Scripſit & alias plures, quarum quædam leguntur tomo 7. Conciliorum Binii, & in Appendice ad Concilium Tertium Lateranenſe Oecumenicum, & tomo 12. Annalium Baronii, ac apud Ferdinandum Ughellium tomo 4. Italiæ ſacræ. Ad Gregorium verò aliquot inſignes Epiſtolas dedit S. Joannes Epiſcopus Sanctandreanus, teſte Oldoino laudato.

ANNO CHRISTI MCLXXXVIII.

Imperatoribus Friderico Ænobardo, & Henrico VI. Auguſtis.

DE

CLEMENTE III. Pontif. Max.

CLXXVI. *Clemens vir doctus & pius ſufficitur.* Poſt Gregorium VIII. ad Petri ſolium omnium Cardinalium ſuffragiis Piſis in Eccleſia Cathedrali evectus eſt Paulus cognomento *Scholaris*, Romanus, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus, vir ob doctrinam, prudentiam, morumque probitatem miximæ in Eccleſia Romana auctoritatis. Coronationis inſignia ſuſcepit Piſis VII. Idus Januarii anno Redemptionis humanæ 1188. ab Hyacintho Bobone Cardinale Diacono S. Mariæ in Coſmedin, dictuſque eſt Clemens III.

Chriſtianos adverſus Sarracenos omni modo concitat. Hic Pontificatum iniens, ut Deum propitium haberet in expeditione Terræ ſanctæ, ſtatim precum formam per ſingulos hebdomadæ dies præſcripſit, quam ex Rogerio recenſet Baronius tomo 12. Annalium, & qua etiamnum Eccleſia in neceſſitatibus utitur: tum Edictum de bello in Sarracenos gerendo per univerſam Eccleſiam promulgavit. Nam Saladinus hoſtis fidelium acerrimus, ſecundam Victoriæ fortunam ſecutus, jam Civitates quinque & viginti de Principatu Antiocheno ceperat, ipſamque Antiochiam, corrupto largitionibus Patriarcha, proximè occupaturus videbatur. Hanc ob rem moti Principes Chriſtiani, urgente eos inſtantiſſimè Pontifice, arma ſumpſère; quorum de numero præcipui fuère

fuêre Fridericus Imperator, Philippus Franciæ, Henricus Angliæ Reges, & Otho Burgundiæ Dux, ſubſequentibus quamplurimis magni nominis Epiſcopis, & Archiepiſcopis. Veneti quoque, Piſani, & Genuenſes paratiſſimas eduxêre Claſſes. Willhelmus autem Siciliæ Rex, pacato ab infeſtatione piratarum mari, annonam omnifariam ex Sicilia & Apulia proficiſcentibus ſubminiſtrabat. Friſones præterea, Dani, Sueci, & Flandrenſes cum quinquaginta triremium Claſſe inter navigandum ad Africæ littora flectentes, Sarracenos magnis incommodis afflixêre, capta ac direpta Siluma eorum urbe. Bela autem Boloniæ Rex ſaluti Chriſtianorum conſulens, Ungaris pacem dedit, quò omnibus proficiſci faciliùs ad tantam expeditionem liceret. *Fridericus aliiq. Principes Chriſtiani expeditionè ineunt.*

Tyrum jam pervenerant omnes, indeque paribus animis è Ptolemaida moventes, Urbem ipſam oppugnabant: tùm ſuperveniente cum magno exercitu Saladino, noſtris à tergo, & à fronte contra hoſtem dimicare neceſſe fuit. Pugnatum eſt diù acriter, & jam ad Chriſtianos victoria inclinabat, cùm repentè equus è manibus gregarii cujuſdam dilapſus, Chriſtianis fugiendi initium dedit, arbitrantibus ſuos in fugam verſos. Verùm Luſignianus ad cuſtodiam caſtrorum relictus, eruptione facta, & hoſtes repreſſit, & ſuis animum ad reſiſtendum dedit. Conſtat tamen ex Chriſtianis ad duo millia eo die cæſos fuiſſe. Periêre item ex acceptis vulneribus Templariorum Magiſter, & Andreas Bremenſis comes, viri militari peritia inſignes. *Pugna inter Chriſtianos & Sarracenos.*

Durante autem diutiùs obſidione, tanta fame obſidentes oppreſſi ſunt, ut etiam ab hoſte annonam peterent. Quare Saladinus, rei benè gerendæ occaſionem nactus, caſtra rerum omnium copiâ referta ſine cuſtode dimiſit: ad quæ diripienda cùm paſſim nullo ordine, nulla lege, Chriſtiani accurriſſent, Saladinus ex inſidiis rediens, multos incautos, & nil tale opinantes oppreſſit. Non deſeruêre tamen tam gravem & diutinam obſidionem Chriſtiani, licèt ad cætera mala, dyſenteriâ quoque in caſtris laboratum ſit. *Saladini ſtratagema.*

Interim verò, dum hæc in Oriente agerentur, Willhelmus Siciliæ Rex Panhormi moritur, cujus Regnum, nullo legitimo hærede relicto, ad Eccleſiam Romanam devolvebatur, licèt Inſulæ Proceres Tancredum ſtatim ſuffecerint ex Rogerio Normanno & pellice quadam genitum, hominem certè tantæ ſocordiæ, ut eum Willhelmus negaret ex Rogerio natum. Repetiturus itaque ſua jura Clemens Pontifex, copias eò celeriter miſit, quibus dum Tancredi fautores reſiſtunt, rapinis & cædibus omnia repleta ſunt. Pontifex difficiliorem, quam exiſtimaverat, provinciam nactus, omiſſo tantiſper Siculo bello, donec Chriſtiani contra Sarracenos in Syria meliorem fortunam ſortirentur, revocatis ex Apulia copiis, animum ad componendas res Romanas adjecit. Nam ab Innocentii II. temporibus uſque ad tempora Clementis III exitialis diſcordia inter Eccleſiam & Populum Romanum, ratione urbani regiminis excitata, magno utriusque partis detrimento, viguit. Populus enim Romanus, ſubmoto Urbis adminiſtratione Pontifice, Senatores cum Patricio quodam creaverat, qui Reipublicæ ſumma cum auctoritate *Bellum Siculum enaſcitur.* *Diſcordia Romana componitur.*

præeſſent. Pontifex reclamabat, ſuique juris & arbitrii Urbis regimen contendebat. Protractum in quinquageſimum annum diſſidium eſt. Secuti tumultus, ſeditiones, cædes, exilia, cenſuræ, anathemata. Noviſſimè tanti diſſidii utrâque parte pertæsâ, Populus Romanus cum Clemente III. certis conditionibus convenit, pacemque tam firmam fecit, ut nunquam poſteà, ejus rei occaſione, turbata fuerit. Ictæ pacis conditiones (teſte Cencio Camerario in libro Cenſuum Romanæ Eccleſiæ) fuère ſequentes.

I. *Ut Urbs in Romani Pontificis poteſtate eſſet.*

Pacis conditiones.

II. *Ut abrogato Patricio: Præfectus reſtitueretur.*

III. *Ut Senatores annui ex Pontificis auctoritate crearentur, qui in Pontificis verba jurarent, & ſacramento fidem, pacem, ac etiam ſubſidium, ſi opus eſſet, Eccleſia Romana promitterent.*

IV. *Ut Populus Romanus Baſilicam Vaticanam, ac redditus S. Petri, quos bello durante occupaverat, liberè ac integrè reſtitueret.*

V. *Ut vectigalia & redditus publici in poteſtate Pontificis eſſent, ea lege, ut tertia eorum pars uſibus Populi cederet.*

VI. *Ut Romana Eccleſia, & Summi Pontificis majeſtatem, honorem, & poteſtatem Senatus Populusq; Romanus coleret, & tueretur.*

VII. *Ut Romanus Pontifex Senatoribus, Judicibus, Advocatis, Scriniariis, & Senatus miniſtris conſuetas largitiones, & donativa, (quæ Presbyteria vocantur) ſtatis temporibus tribueret.*

VIII. *Ut idem certam annuam penſionem pro murorum Urbis reſtitutione ſolveret.*

IX. *Ut Tuſculum ſolo æquandum promitteret, & infra certum tempus Populum Romanum ad eam expeditionem adjuvaret; hac tamen lege, ut diruto Tuſculo, ager & homines in poteſtate Eccleſia Romana eſſent.*

Pontifex Romæ cum plauſu excipitur.

His pacis conditionibus utrobique conſcriptis ac initis, Pontifex Piſis diſcedens Romam venit, incredibili plauſu & honore à Senatu Populoque Romano exceptus. Tum à profanis ad ſacra converſus, mores cum primis Eccleſiaſticorum depravatos debita ſeveritate correxit: celebre Monaſterium S. Laurentii extra muros ædificavit: Laterani ædes labefactatas non mediocri impenſa, additis aliquot cubiculis, reſtituit; Templumque ipſum vermiculato opere ac muſivo exornavit, atque alia id genus publica monumenta ad Urbis decorem edidit.

Ejus geſta.

Fridericus movet in Orientem: victoria inſigni potitur.

Moverat intereà Fridericus Imperator copias ſuas in hoſtes Chriſtiani nominis; & per Ungariam Thraciamque iter faciens, jam Conſtantinopolim pervenerat: quem certè Iſaacius Græcorum Imperator, ejus potentiam veritus, miſſis muneribus trajicere Boſphorum adhortatus eſt. Trajectis itaque copiis Fridericus (inſtante maximè litteris ac nunciis Clemente) & Philomenam Urbem de Turcis capit, & agrum Iconio adjacentem populatur, & Armeniam minorem deletis hoſtium triginta millibus in poteſtatem redigit. Verùm à militari labore nonnihil reſpirans, dum medio æſtatis fervore, à venatione laſſus, cui addictiſſimus erat, refrigerandi cauſa inconſultò in rapidum amnem Serram deſcendiſſet, magno rerum diſpendio, undarum vorticibus abſorptus eſt, tertio Idus Junii anno 1190. Imperii trigeſimo octavo: cadaver inventum, à Friderico filio

Perit in amne Serra.

filio in Syriam deveɛtum, Tyri nobiliſſimo monumento conditum eſt. Cui eodem anno in Imperio à Proceribus Germaniæ ſuffectus eſt Henricus VI. filius, ab aſperitate morum, & ſeveritate tam in ſe, quàm in alios, *Aſper* dictus. *Succedit Henricus VI. filius.*

Sequenti anno, qui fuit Chriſti 1191. quarto Idus Aprilis Clemens III. Pontifex, poſtquam Eccleſiæ integrè laudabiliterque præfuiſſet annos tres, menſes duos, dies viginti, è vita exceſſit: ſepultus in Baſilica Lateranenſi, ſub pilo vetuſto marmoreo, ſculptis Virtutum ſymbolis ornato. *Clemens moritur.*

SCRIPTA.

Multas ſcripſit Epiſtolas Clemens ad diverſos, quarum plures inveniuntur apud Binium, Baronium, & Ferdinandum Ughellium. Extant etiam nonnullæ in Chronico Caſſinenſi, in Chronico Bambergenſi, & in Archivio S. Germani de Pratis. *Ejus Scripta.*

Auguſtinus Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium hæc de Clemente refert: *Licèt Clemens initio ſui Pontificatus, Paleſtinæ ærumnis fatigatus fuerit, non tamen prætermiſit curam aliarum Eccleſiarum, & præcipuè Scotorum plurium annorum controverſiis agitata: quibus ut finem denique faceret, litteras ſcripſit ad Regem Scotorum; alias ejuſdem argumenti ad Regem Angliæ, ad Clerum Epiſcopatus Sanctandreani, alias verò generatim ad Epiſcopos Scotiæ, alias privatas ſeorſim ad quoſdam Scotiæ Præſules: quæ omnes extant integræ apud Rogerium in Annalibus Anglicanis.* Clementis III. Decreta in pervetuſto Codice M. S. tribus libris diſtincto, apud Carmelitas Lugduni aſſervari, teſtatur Ludovicus Jacobus à S. Carolo *in ſua Biblioth. Pontificia.*

Ejuſdem Clementis *Animadverſionem in Monachum proprietarium* (opus doctis laudatum) refert Antonius Daurotius *in Catechiſmo Hiſtorico.*

Conſtitutionum ejus, quarum nonnullas edidit, apud Gregorium IX. duæ tantùm reperiuntur: una *de Auctoritate & uſu Pallii*: altera *de obſequio*, quo quiſque Deo & Eccleſiæ adſtringitur: Nec poteſt Conſtitutio illa breviùs dici: *Omnes*, inquit, *Principes terræ, & cæteros homines Deo & Epiſcopis obedire, beatus Petrus præcepit.*

Scribit Saxo Grammaticus *lib 15.* extare etiam *Decretum Clementis*, quo Dani Sacerdotes ſub pœna excommunicationis jubentur uxores, & concubinas dimittere, & cœlibatum ſervare.

Porrò memoriæ commendandum venit, inquit Ciaconius, ab Alexandro III. Papa uſque ad Innocentium IV. floruiſſe in Sede Romana Pontifices uſque adeò doctos, ut ex ſolis eorum Epiſtolis ingens *Decretalium* volumen fuerit collectum, in quo totum fermè *Jus Canonicum* continetur, & ex quo omnes cauſæ Eccleſiaſticæ facilè dijudicari poſſunt, & ſolent. *Notabilis obſervatio Ciaconii.*

ANNO

ANNO CHRISTI MCXCI.

Imperatore HENRICO VI. Auguſto.

DE

COELESTINO III. Pontif. Max.

CLXXVII. COeleſtinus III. Hyacinthus *Bubo de Urſinis* anteà vocatus (uti monumenta Urſinæ familiæ, teſtibus Dominico Fœdino, Ferdinando Ughellio, & Andrea Victorello, docent) patria Romanus, nobilis viri Petri *Bubonis de Urſinis* filius, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin, poſt obitum Clementis III. unanimi Patrum conſenſu, præſente Henrico VI. Cæſare, Pontifex maximus renunciatus eſt. Vir grandævus, comis, urbanus, prudens, multis maximiſque legationibus clarus, & ob ſummam probitatem, eruditionem, miteque ingenium omnibus gratus. Annum is agebat octogeſimum ætatis quintum, quando in Pontificem electus fuit, annoſque ſexaginta quinque Diaconi Cardinalis officio functus fuerat, ut teſtatur Petrus Bleſenſis Epiſtolâ 123. ad Richardum Londonienſem Epiſcopum: *Vidimus:* inquit, *quamplures in Eccleſia Romana in ordine Diaconatus uſque ad decrepitam ætatem, & exhalationem extremi ſpiritus miniſtraſſe: certè Dominus Cæleſtinus, qui hodie ſedit, (ſicut ex ipſius ore frequenter accepi) in officio Levita 65. annos expleverat, antequam ipſum Dominus in ſummi Pontificatus apicem ſublimaſſet.*

Vir ætate ac multis virtutibus conſpicuus.

Anno ſalutis 1191. quarto Kalendas Aprilis, ſolemni die Paſchatis, Romæ in Baſilica Vaticana, Cœleſtinus in Presbyterum primò, deinde Epiſcopum conſecratus, inſignia coronationis ſuæ ſuſcepit per manus Gratiani Diaconi Cardinalis SS. Coſmæ & Damiani, S. R. E. tum Archidiaconi. Qui poſtridie ſecundo die Paſchatis Henricum Cæſarem cum uxore ſua Conſtantia (poſt præſtitum juramentum, ſe Eccleſiam Romanã, illiusque jura illibata fideliter ſervaturum, juſtitiam culturum, & ſi quid ex D. Petri Patrimonio ablatum fuiſſet, reſtituturum, ac Tuſculum, quod occupabat, redditurum) Auguſtali diademate coronavit. *Sedebat autem*, ait Rogerius in Annalibus Anglicanis, *Dominus Papa in Cathedra Pontificali, tenens coronam auream Imperialem inter pedes ſuos, & Imperator inclinato capite recepit coronam, & Imperatrix ſimiliter de pedibus Papa; qui ſtatim percuſſit cum pede coronam Imperatoris, & dejecit eam in terram, ſignificans, quòd ipſe poteſtatem ejiciendi eum ab Imperio habet, ſi ille demeruerit. Sed Cardinales ſtatim accipientes coronam impoſuerunt eam capiti Imperatoris.* Hæc Rogerius. *Porrò factum hujuſcemodi Pontificis* (ait Victorellus in Not. ad Ciac.) *auſpicandi Imperii ſcias ea ratione recens adhibitum, quòd Henricus Succeſſor & filius illius eſſet, qui poſt tantum ab Eccleſia acceptum beneficium in Imperii corona eidem impartita, de ipſa tamen adeò malè meruiſſet. Ut autem id fixum menti Henrici hæreret, nempè dare, cuſtodire, conſervare; & auferre, ſi cauſa exigeret: Imperium eſſe in poteſtate Romani Pontificis: ejuſmodi voluit commonuiſſe ipſum exemplo.*

Cœleſtinus Henricum VI Imp. coronat.

Cœle-

Tancredo adverſatur.

Cœleſtinus Pontificatum adeptus, ægrè ferens Tancredum ſpurium, in vitâ Romanâ Eccleſiâ, Regno Siciliæ cum filio potiri, actionem à Clemente prædeceſſore inchoätam perficere decrevit. Quod ut faciliùs præſtaret, Conſtantiam ejuſdem Tancredi ſororem, ſed legitimo connubio ex Rogerio Apuliæ Duce (Rogerii Regis primogenito) natam, operâ Archiepiſcopi Panhormitani, clàm è monaſterio, ubi tùm, ne fratri negotium faceſſeret, includebatur, eduxit; eamque triginta jam annos circiter agentem Henrico Cæſari in Urbe præſenti in matrimonium hac conditione collocavit, ut Regnum Siciliæ cis & ultra Pharum dotis nomine ſuis armis repeteret: omnia Eccleſiæ oppida, quæ priores Normannorum Reges occupaverant, reſtitueret: annuum cenſum Apoſtolicæ Sedi feudatario jure debitum perſolveret: Regni titulos more majorum à Pontifice acciperet: fidem poſtremò & obedientiam eidem, interpoſito juramento, promitteret.

Conſtantiam Henrico Imp. matrimonio jungit.

Hac autem beneficentia motus Henricus, Tuſculum ſibi paulò antè à civibus deditum, educto Germanorum præſidio, Cœleſtino reddidit. Cœleſtinus, ex fœdere Clementis III. cum Romanis inito, illud Romanis tradidit: qui ferali odio, ob cladem, à Tuſculanis *ad Porcum* ignominioſè acceptam, æſtuantes, oppidum priùs direptum funditus everterunt: adeò, ut ubi fuerit locus vix appareat. Quin & lapides demoliti oppidi nobiliores Romam tranſtulerunt, qui in Capitolio, ad excitandam quotidiano hoſtilis ruinæ aſpectu iracundiam, poſiti, longo deinceps tempore in memoriam tantæ cladis ſervati ſunt. Ex Tuſculi excidio Fraſcata, Molaria, Roca Papæ, Roca Prior, Burgum S. Cæſaris, & aliquot alia Caſtella condita ſunt. Civium turba aut in vicina alia Caſtra migravit, aut amore ſoli, novas ſibi ſedes in eiſdem locis, ſed anguſtiores humilioresque paravit.

Tuſculum à Romanis evertitur.

Inter hæc Rogerius adoleſcens, quem pater Tancredus Regni ſui conſortem, & Regem creaverat, anno regiminis octavo moritur, cujus immaturo obitu conſternatus Tancredus, mœrore animi anno 1194. è vita exceſſit: in cujus locum, conſenſu Regni Procerum, Willhelmus III. ſecundogenitus, Rex legitur, Contra quem Henricus VI. Imperator, magno inſtructus exercitu, ex Germania veniens, nullo negotio totum Regnum anno 1195. obtinuit: Proceres ſuppliciis aut exilio ſuſtulit, ipſum verò Willhelmum Regem caſtratum, ne prolem gigneret, luminibus privavit, atque ita Normannorum nomen, ſtemma, & regnum defecit, & in poteſtatem Sueviæ Ducum pervenit.

Regnum Siciliæ ad Duces Sueviæ devolvitur.

Dum hæc in Sicilia aguntur, Chriſtiani, qui biennio Ptolemaidem obſederant, tandem eam, dedente præſidio, his conditionibus in poteſtatem redegerunt: ut Dominica crux, quam in expugnatione Hieroſolymæ amiſſam diximus, à Barbaris redderetur, & obſeſſis cum re mobili domeſtica abire liceret. At verò cum Dominica crux, dolo abſcondita, non reperiretur, multos è Barbaris Richardus Rex trucidavit. His itaque malis perterritus Saladinus, deſperansque poſſe reliqua tueri, quarumdam Urbium mœnia demolitus, de reddenda Chriſtianis Hieroſolyma cogitavit: quod cer-

Ptolemaïs à Chriſtianis capitur.

Diſcordia Regum. tè ne faceret, diſcordia inter Philippum, Richardumque Reges orta, de Principatu inter ſe contendentes, effecit. Verùm abeunte ex Aſia Philippo, ac morbum, ne de perfidia incuſaretur, ſimulante, Richardus majori animo rem bellicam deinceps aggreditur, eo potiſſimùm tempore, quo Conradum Monteferratum Tyri in foro agentem, ſicarii duo gladiis confodêre, minantes, ſe Chriſtianos omnes, Mohometicæ ſuperſtitionis hoſtes, pari modo interfecturos. Hi autem poſteà de fuga retracti, ac latâ mortis ſententia damnati, exquiſitiſſimis cruciatibus ad terrorem aliorum ſunt interempti. Henricus verò Campaniæ Comes Iſabellâ Reginâ in uxorem ductâ, Tyri dominatu potitus eſt. At Richardus Guidonem Luſignianum, (blandè eum appellando) in eam denique ſententiam adduxit, ut ſibi jura Regni Hieroſolymitani permitteret, quem titulum Anglici Reges, Richardi beneficio acquiſitum, longo pòſt tempore uſurparunt.

Richardus Anglus Rex Hieroſolymitanus evadit.

Auctus itaque animo Richardus, atque etiam ære, commeatu, novoque militiæ ſupplemento à Cœleſtino firmatus, Hieroſolymam obſidere inſtituerat: verùm in itinere à Saladino extremum agmen carpente vexatus, cùm iniquo loco decertare neceſſe eſſet, hoſtem magno ſuorum incommodo tandem ſuperat. Hoſtis fugatus, collectis properè copiis, non longè à Bethleem munitiſſimo loco caſtra metatus intercipere commeatus inſtituerat, quò minùs ab Ægypto ad Chriſtianos, Hieroſolymam obſeſſuros, importarentur. Ob hanc itaque cauſam, & ob hyemem, quæ jam appetebat, Richardus, relictâ tam neceſſariâ obſidione, ad quam Pontifex eum continuò ſubminiſtratis pecuniis animabat, Aſcalonam conceſſit: quam pariter, uti & Gazam, à Saladino anteà deletas, inſtauravit.

Res Chriſtianorum in Oriente, qualiter ſucceſſerint.

Dilabentibus deinde paſſim maritimis copiis, Piſani in Hadriaticum delati, Polam Capiunt, eo loco hybernaturi. Hanc ob rem Veneti auctâ majorem in modum ſuâ Claſſe, Piſanos Polâ ejiciunt, Urbemque diripiunt; eos quovis loco perſecuturi, ni Cœleſtinus Pontifex Reipublicæ Chriſtianæ cavens, ſubmiſſo Legato utrumque populum ad pacem cohortatus fuiſſet. Inſtabat jam ver, & movere copias Hieroſolymam Richardus decreverat, cùm ſubitò nunciatum eſt, Philippum Franciæ Regem Normanniam ea mente vexare, ut in Angliam trajiciens, Regnum illud Fratri Joanni acquireret. Mutatâ itaque ſententiâ, Richardus pacem cum Saladino his conditionibus componit, ut ſibi omnia, præter Tyrum & Ptolemaidem, haberet; reliqua autem, quæ in Chriſtianorum poteſtate remanerent, armis nequaquam vexaret.

Richardus cum Saladino pacem componit.

Ictis hoc modo fœderibus, Richardus in Europam rediens, à Francis hoſtibus capitur. Redemptus autem ingenti pecuniæ vi, tandem in Angliam proficiſcens, ſæpè cum Rege Franciæ dubio marte decertavit, inclamante litteris ac Nunciis Pontifice, ut poſitis armis, animum ad recuperandam Hieroſolymam converterent, fidelibusque in Syria exiſtentibus, ac rei benè gerendæ occaſionem, ex morte Saladini nuper extincti, nactis opem conferrent. Verùm, Gallo à pacis nomine abhorrente, Anglus invitus licèt, bellum domi continuare compulſus eſt.

Richardus & Gallus mutua bella gerunt.

Tùm

Tùm Cœleſtinus, qui ſuos omnes cogitatus in recuperanda Terra Sancta defixerat, miſſa legatione Henricum Imperatorem ad idem bellum hortatur: quod cùm ipſe, arduis imperii negotiis præpeditus, obire non poſſet, eò Moguntinum Archiepiſcopum, Ducemque Saxoniæ cum magnis copiis properè mittit. Germani per Hungariam in Aſiam trajicientes, cæſis nonnullis Barbarorum millibus, Berytum à Sarracenis deſtitutum munivêre, & Joppen urbem hoſtili obſidione preſſam liberaverunt, petituri deinceps Hieroſolymam, ni Cœleſtino Pontifici optimo ſanctiſſimoque, & ad curas Terræ ſanctæ unicè intento, mori tum contigiſſet.

Cœleſtinus Henricum Imp. ad bellū ſacrum accendit.

Mortuus eſt autem, publico omnium mœrore, maximoque Reipublicæ Chriſtianæ detrimento, Romæ in Patriarchio Lateranenſi, ſexto idus Januarii anno noſtræ ſalutis 1198. Pontificatus ſui anno ſexto, menſe nono, die undecimo, ætatis ſuæ anno nonageſimo ſecundo. Ejus corpus in Baſilica S. Salvatoris juxta aram S. Saloninii honorificè conditum eſt.

Annis & meritis gravis moritur.

Sedente Cœleſtino III. Iſaacius Angelus Græcorum Imperator, qui totus emaſculatus, inter unguenta, convivia, & ſcorta vitam duxerat impuriſſimam, à fratre Alexio III. excæcatus, throno que dejectus eſt anno 1195. quo anno Alexius ipſe, vitiis æquè deditus, & infamis, Imperii gubernacula ſuſcepit: ut paulo mox in vita Innocentii III. viſuri ſumus.

Iſaacius Imperio pellitur, ſuccedit Alexius.

S C R I P T A.

Scripſit Cœleſtinus III. Epiſtolas varias, quarum ſexdecim reperiuntur tomo 7. Conciliorum, ex Rogerio Hovedeno, Archivio Eugubino, ac Baronio deſumptæ: & ſunt,

Cœleſtini Scripta.

I. Ad Prælatos, & Archiepiſcopos Angliæ pro Willelmo Elienſi Epiſcopo.

II. Ad Licolnienſem, & Roffenſem Epiſcopos de irritatione ſententiæ in Dunelmenſem Epiſcopum per Eboracenſem latæ.

III. Ad Epiſcopum & Clerum Eugubinum de S. Ubaldi Canonizatione.

IV. Ad Epiſcopos Angliæ de peccatis expiandis, & moribus emendandis.

V. Ad Lincolnienſem Epiſcopum, ut in exceſſus Eboracenſis Archiepiſcopi inquireret, & de illis Romanum Pontificem moneret.

VI. Ad Decanum, & Archidiaconum Lincolnienſis Eccleſiæ contra Gaufridum Præſulem Eboracenſem.

VII. Ad Hubertum Cantuarienſem Archiepiſcopum, quem Sedis Apoſt. Legatum conſtituit, ad infirmandas vires Eboracenſis.

VIII. Ad omnes Angliæ Epiſcopos, de reverentia & obſequio exhibendo Sedis Apoſtolicæ Legato Huberto Cantuarienſi.

IX. Ad Senonenſem Archiepiſcopum, ut Francorum Regem moneat, & cogat recipere uxorem, falſo conſanguinitatis prætextu dimiſſam.

X. Ad Hubertum Cantuarienſem Archiepiſcopum pro Terra ſancta,

XI.

XI. Ad Simonem Decanum Eboracenſem de Adminiſtratione Diœceſis.

XII. Ad omnes Clericos Eboracenſes ejuſdem argumenti.

XIII. Ad Epiſcopum Lincolnienſem ejuſdem argumenti.

XIV. Ad Hubertum Cantuarienſem iterum de negotio Terræ ſanctæ.

XV. Ad Philippum Belluacenſem Epiſc. de ejus captivitate.

XVI. Ad Cantuarienſem Archiepiſcopum pro Monachis in Caſtrenſi Eccleſia reſtituendis.

Præter has nonnullæ aliæ inveniuntur in Chartulario Paracleti Diœceſis Trecenſis, & apud Ferdinandum Ughellium in Italia ſacra.

Varia Decreta, quæ Cœleſtinus, Eccleſiæ Catholicæ ſtudioſiſſimus edidit, extare in antiquo Codice m. ſ. apud Carmelitas Lugdunenſes ſcripſit Jacobus Ludovicus à S. Carolo in ſua Bibliotheca Pontificia. Meminit etiam cujusdam Epiſtolæ ad Willelmum Scotorum Regem ab eodem Cœleſtino datæ Auguſtinus Oldoinus in additionibus ad Ciaconium: Item alterius, qua Sacerdotes Dani & Scoti concubinas dimittere, & cœlibatum ſervare ſub pœna excommunicationis iteratò jubentur.

ANNO CHRISTI MCXCVIII.

Imperatoribus Henrico VI. Othone IV. & Friderico II. Auguſtis.

DE

INNOCENTIO III. Pont. Max.

CLXXVIII. *Innocentius III. à Cœleſtino commendatus eligitur Pontifex.*

NUllos inter Romanos Pontifices memoratur, qui Patribus Purpuratis gratior acceptiorque extiterit, quàm Cœleſtinus III. cujus incredibili humanitate, gratia, & comitate moti, poſt ejus obitum, non alium Pontificem maximum renunciarunt, quàm illum ipſum, quem ipſis paulò ante mortem eligendum nominatim propoſuerat, nempe Joannem de S. Paulo, (aliis Lotharium) Diaconum Cardinalem Sanctorum Sergii & Bacchi Campanum genere, doctrina, & moribus inſignem, ac nonniſi trigeſimum ſeptimum ætatis annum attingentem.

Anonymus Auctor, qui Innocentii geſta accuratiſſimè, ac ſumma fide (ut teſtatur Baronius) uſque ad annum ejus Pontificatus undecimum deſcripſit, de primis Innocentii vitæ auſpiciis, corporis forma, animi egregiis dotibus, ac claritate generis, hæc poſteris tradidit: *Innocentius III. ex patre Traſimundo de Comitibus Signia, matre verò Clarina de Nobilibus, vir fuit perſpicacis ingenii, & tenacis memoriæ, in divinis & humanis litteris apprimè eruditus, Sermone tam vulgari, quàm litterali diſertus, exercitatus in ſacra cantilena & Pſalmodia: ſtatura mediocris, & decorus aſpectu; medius inter prodigalitatem & avaritiam, ſed in* *elee-*

Ejus vita primordia, virtutes, ſtudia.

eleemoſynis dandis largus: in rebelles & contumaces Severus, è contra erga humiles & devotos benignus: fortis, magnanimusq́, fidei defenſor, & eximius hæreſum expugnator: in juſtitia rigidus, ſed in miſericordia pius; humilis in proſperis, & patiens in adverſis: naturæ tamen aliquantulum indignantis, ſed facilè ignoſcentis. Hic primùm in Urbe, deinde Pariſiis, tandem Bononiæ Scholaſticis ſtudiis inſudavit, & ſuper coætaneos ſuos tam in Philoſophica, quàm Theologica diſciplina eminuit, ſicuti, quæ diverſis temporibus edidit opuſcula, manifeſtant. Hactenus Anonymus Auctor[1], teſtis occulatus.

Canonicus Baſilicæ Vaticanæ extitit.

Antequam Cardinalis Diaconi dignitate fulgeret, non in Baſilica Lateranenſi, neque in Eccleſia S. Mariæ de Rheno, ſeu S. Pudentianæ de Urbe, ſed in Baſilica Vaticana S. Petri Canonicus extitit, ut ipſemet teſtatur in Epiſtola ad Canonicos illius Eccleſiæ data, cùm jam Pontificias Infulas adeptus eſſet. Emenſus etiam erat alios honorum gradus, in quibus divina illum providentia ad omnium auguſtiſſimum munus pro dignitate gerendum expolierat.

Commendat ſe piorum precibus.

Curat pacem Hungariæ.

Eccleſiis conſulit.

Epiſcopos in ordinem redigit.

Renunciatus Romanus Pontifex, conſcriptis ſtatim litteris, Epiſcoporum ſe precibus, aliorumque religioſorum virorum orationibus commendabat: Philippo Galliarum Regi impendentes ob rejectam uxorem calamitates prædixit: exardeſcente inteſtino & civili in Hungaria bello, Archiepiſcopo Strigonienſi, qui Crucis militare ſignum ſibi, & aliis multis impreſſerat, ac profectionem Syriacam voverat, ut in Hungaria adſervandam pacem, & frangendos rebellium impetus ſiſteret, imperavit. Paulò pòſt cùm inter Regem, fratremque diſcordiæ minimè ſopitæ eſſent, ad illas componendas, Andreæ Duci litteras ſcripſit, quibus poſt exornatum multis laudibus Hungariæ Regnum, quod ſemper Sedi Apoſtolicæ fidiſſimum extitiſſet, atque etiam ipſius Bela pater, dum Schiſmatis funeſti tempeſtate concuteretur Eccleſia, pro illius dignitate periculoſiſſimum bellum in Schiſmaticos ſuſcipere non veritus eſſet, ſignificavit incredibili ſe conciliandæ inter ipſum & Regem pacis cupiditate ardere, atque ad eam amplectendam paternè adhortari: quam ſi præter ſpem reſpueret, ſciret ſe Strigonienſi, & Colocenſi Archiepiſcopis provinciam tradidiſſe, ut in ipſum ac fautores anathema fulminarent. Convertit deinde animum ad alias Eccleſias, cùm omnium curæ ipſius humeris incumberent, ad eas ſcilicet in priſtinum ſplendorem, ac jura aſſerendas, ſuoque exemplo plurium inertiam Epiſcoporum ac Archipræſulum excitavit: quorum quoſdam cenſuris in ordinem redegit, quosdam dignitatibus ad tempus ſpoliavit, quoſdam omninò ſedibus pepulit: neque interim bonis ac morigeris paternæ ſinum clementiæ clauſit, ſed ultrò aperuit: quin & Reges & Principes indignè vexatos in patrocinium ſuſcepit: ut pluribus oſtendunt Odericus Rynaldus in Annalibus Eccleſiaſticis, Oldoinus in Additionibus ad Ciaconum, Hieronymus Garimbertus de Romanis Pontificibus, & alii.

Germanos in officio retinere ſatagit.

Bello etiam ſacro in Barbaros continuando animum adjiciens, Germanos propter mortem Henrici (Meſſanæ in Sicilia pridie Kal. Octobris anno 1198. veneno extincti) in Aſia tumultuantes, retinere in officio litteris, Nunciis, præmiis, ac pollicitationibus conatus

tus eſt. Verùm id quidem fruſtrà tentavit. Germani enim ſublato Cæſare nemini obtemperantes, relictâ Aſiâ, in Europam cum maximo Chriſtianorum detrimento tranſeunt, potiſſimùm verò Joppenſium, in quos omni ope deſtitutos delati hoſtes, captâ everſaque Urbe ad unum omnes interfecère.

Diſcordia inter Othonem & Philippum Impp.

Orta & in Germania ſeditio exitialis eſt, cùm pars Electorum Othonem Saxoniæ Ducem, pars Philippum Sueviæ ac Hetruriæ Ducem, quem Henricus moriens tutorem Friderici filii reliquerat, Imperatorem optaret. Et ne quid mali ad perturbanda omnia deeſſet, Rex Franciæ Philippo, Othoni Rex Angliæ favebat. At verò Innocentius, inſpectis litigantium rationibus, rejecto Philippo, Othonem ſaniori ac potiori ſuffragio electum, Imperatorem confirmat: quem Adolphus Archiepiſcopus Colonienſis, præſente Legato Pontificis, imperiali poſteà diademate Aquiſgrani coronavit. Non deſtitit tamen Philippus rebus ſuis conſulere: nam conſcripto milite, & Hetruriam in Italia, & Sueviam in Germania firmo præſidio munivit. Idem fecit & Conſtantia Henrici vidua, quæ Friderici (poſteà Cæſaris) filii ſui adhuc pueri curam gerens, Siciliæ Regnum cis & ultra Pharum, præter conditionem ſexus, ad propulſandam vim hoſtium pugnaciſſimè munivit.

Innocentius Principes in Sarracenos excitat.

Increbeſcentibus hoc modo diſcordiis, non omittendum bellum Aſiaticum Innocentius ratus, ſua auctoritate fortiſſimos Principes Bonifacium Montisferrati Marchionem, Balduinum Flandriæ, Henricum S. Pauli, & Ludovicum Sabaudiæ Comites in Sarracenos concitavit. Hi omnes conjunctis copiis Venetias delati, non priùs Venetos ad parandam in hoſtes claſſem permoverunt, quàm polliciti eſſent, ſe paribus armis Jaderam, quæ iterum ad Ungaros defecerat, recuperaturos. Comparata itaque Claſſe, Tergeſtinos mare Hadriaticum infeſtantes compeſcunt; & Jaderam poſt cruentam obſidionem capiunt.

Diſcordia in Oriente.

Agebantur hæc in ſinu Hadriatico, cùm Alexius III. fratrem Iſaacum Angelum Imperatorem Orientis, quo Latini amiciſſimo uſi ſunt, Imperio depulit, & captum oculis in vincula conjecit. Hanc ob rem Alexius adoleſcens Iſaaci filius ex fuga in caſtra fœderatorum perveniens, opem pro patre contra tyrannum patruum petit: quæ hac ei lege conceſſa eſt, ut Græcam ante omnia Eccleſiam Romanæ ſubjiceret; & auri marcas triginta millia, ob damna Venetis ac Francis olim ab Emmanuele illata, perſolveret. Ictis hoc modo fœderibus, ab Jadera moventes, dum Cretam (hodie Candiam) præterlabuntur, eam puer Alexius in deditionem accipiens, Bonifacio Montisferrato ſibi cognatione juncto condonavit. Inde Conſtantinopolim hoſtiliter progreſſi, dum terra marique urbem oppugnant, Theodorum Laſcarem Alexii tyranni generum erumpere conantem intra mœnia retrudunt, Urbemque, biduo continuata oppugnatione, vi capiunt. Aufugerat noctu Alexius mutato habitu & animo fœminam mentitus, relicto magno auri pondere apud Irenem virginem Deo dicatam.

Candia Bonifacio Montisferrato donatur.

Conſtantinopolis capitur.

Alexius itaque adoleſcens hoc nomine IV. Francorum ac Venetorum ope, fugato patruo, throno impoſitus, eâ modeſtiâ imperium

imperium adiit, ut patri Iſaaco quantumvis cæco diadema reddiderit, ſe ejus collegam profeſſus. Sed Iſaaco beneficium damno fuit; cùm enim quibus debebat omnia, pauca concederet, ortâ inter Græcos & Latinos rixâ, quidam Alexius Ducas regii generis, ob ſupercilia conjuncta *Murzuflus* dictus, à Græcis deteſtantibus Angelos, Auguſtus dicitur: Iſaaco ſene interim mortuo, filius in carcere laqueo periit, menſe ſeptimo Imperii. Murzuflus tertio pòſt menſe ſibi fuga conſuluit, cùm à Francis poteſtatem tyrannicam inſectantibus pacem non impetraret, multò minùs bellum ab iis illatum repelleret. Ita ad Latinos delatum Orientis imperium, hoſtibusque permiſſa corruptiſſima Urbs voluptatibus; nempe antè perdita, quàm capta, luxu hoſtilibus armis præeunte.

Murzuflus Imp. Græcorum dicitur.

Imperium Orientale ad Latinos devolvitur.

Intereà verò Bonifacius Montisferratus armis Regno Theſſaliæ potitus, cùm pecuniâ ad ſolvenda militibus ſtipenda indigeret, ſuadente Balduino, accepta ingenti vi auri, Cretam Venetis dedit. Auctus ære, Hadrianopolim à Sarracenis preſſam oppugnans, & Valachos ulteriorem Danubii ripam incolentes, & Bulgaros vicinos in ſe excivit. Multitudinem itaque hoſtium pertimeſcens, relicta Hadrianopoli, Conſtantinopolim conceſſit, Soldano Iconii agenti iturus obviàm, qui Satelliâ Urbe Græcâ captâ, maximis calamitatibus Chriſtianos quotidiè vexabat.

Candia Venetis cedit.

Innocentius autem tot hoſtibus undique laceſſitus, conquiſitum maximis impendiis militem, in Orientem pro conſortandis Chriſtianis tranſmittebat. Qui ubi accepit Miramolinum, potentiſſimum Mahometanorum Regem, maxima claſſe in Hiſpaniam trajeciſſe, Toletumque oppugnare, publico edicto, omnes qui ferre arma poſſent, ad extinquendum tantum incendium concitavit. Convenerant eò multi Gallorum, Germanorumque, Hiſpanis laborantibus opem allaturi. Ubi verò adventum ſuum Hiſpanis minimè gratum ſenſêre, poſitis armis ad ſuâ rediêre. Horum regreſſu Miramolinus elatior factus, utriusque Hiſpaniæ oras incredibili celeritate hoſtilem in modum pervagatus, rapinis, cædibus, & populationibus omnia complevit. Qua calamitate perciti tres Hiſpaniæ Reges, Alphonſus IX. Caſtellæ, Petrus II. Aragoniæ, & Sanctius Navarræ, junctis ſimul copiis cum hoſte communi Sarraceno congreſſi, maximam ab hominum memoria victoriam adepti ſunt: De qua paulò fuſiùs egimus lib.I. Purpuræ doctæ n. 50.

Innocentius Chriſti fideles in Miramolinum excitat.

Victoriam fideles reportant.

Otho interim Romanorum Imperator, quum aliquoties cum Philippo æmulo infeliciter conflixiſſet, acceptâ in uxorem Philippi filiâ, pacem cum eo (urgente Innocentio) fecit. Philippus non diu pòſt inſidiis Comitis Palatini interfectus, Othoni liberam potiundi Imperii copiam fecit. Periit Philippus Bambergæ decimo Kalend. Julii anno ſalutis 1208. ab Othone Witelesbachio interemptus. Poſt cujus obitum Otho Imperator cum exercitu Romam veniens, ab Innocentio Pontifice in Baſilica Vaticana Imperii diadema, certis legibus, quinto Idus Octobris anno 1209. accepit. Coronationem Othonis Cardinales aliquot, Imperii Proceres multi, Senatus pars probarunt, reliquis reclamatibus, & loco Othonis, Fridericum, Siciliæ Regem Henrici VI. filium, poſtulantibus

Philippus Imp occiditur.

Otho coronatur.

lantibus. Hinc triduo ipſa in Urbe dira ſeditio exorta eſt, quæ non niſi multorum ſanguine extingui potuit.

Ejus juramentum.

Otho ante coronationem hoc ſe fidei ſacramento obſtrinxit: *quòd jura Eccleſiæ Romanæ ſarta tecta tuiturus eſſet, & contra quoſlibet adverſarios, indicto etiam bello, ſi neceſſitas exigeret, defenſurus. Quod electiones Prælatorum liberas eſſet permiſſurus, & appellationes ad Sedem Apoſtolicam neutiquam impediturus. Quòd Romano Pontifici in omnibus honorem debitum, fidem, obedientiamq. eſſet præſtiturus, nihilque contra ejus auctoritatem, aut jura moturus.* Hæc quidem Otho coronandus ſanctè juravit, ſed poſt coronationem jurata minimè ſervavit. Nam vix aliquot à ſuſcepto diademate elapſis menſibus, contra jus faſque occupatis pluribus Eccleſiæ oppidis & caſtris, in Regnum Neapolitanum hoſtiliter movit, ut illud Friderico adhuc juveni & ſub tutoribus conſtituto eriperet. Quem Pontifex (aliquot jam Urbibus, ac præcipuè Capuâ occupatis) crebris litteris & Nunciis datæ fidei admonitum, cùm ab inceptis revocare non poſſet, anathemate notatum imperio privavit: Germaniæ Proceres miſsâ legatione adhortatus, ut in exauctorati locum, novum Cæſarem per ſuffragia deligerent.

Fit perjurus.

Anathemate notatur, & imperio privatur.

Fridericus II eligitur Imperator, & coronatur.

Anno igitur ſalutis 1210. Electores Fracofordiæ ad inſtantiam Pontificis congregati, Fridericum II. utriuſque Siciliæ Regem, ac Sueviæ Ducem, annum tùm decimum ſeptimum ætatis agentem, contra Othonem excommunicatum, Imperatorem deſignant. Qui ex Siciliæ Regno Romam veniens, ſalutato Pontifice, eique in ſignum grati animi condonato, vel potiùs reſtituto, Comitatu Fundano, in Germaniam profectus, anno ſalutis 1212. à Theodorico Archiepiſcopo Colonienſi Aquiſgrani Imperii inſignia ſuſcepit. Otho depoſitus in Germaniam rediens, paternæ ditioni conſulturus, Innocentio Pontifici omnia, quæ in Italia ceperat, recuperandi occaſionem præbuit. Multa bella cum Principibus Germaniæ geſſit, ſed præcipuè cum Ludovico VII. Francorum Rege, ejusque filio Philippo Auguſto, à quo noviſſimè *ad Bovinas* prælio victus, vix fuga evaſit. Denique anno 1218. Brunſvici Saxoniæ metropoli, ubi ſeptennio privatus vixerat, mœrore animi contabeſcens, inglorius obiit v. Kalend. May: memorabili ac attendendo Principibus exemplo, neminem falilè eorum, qui Chriſti in terris Vicarium contempſerint, impunè vitam terminâſſe.

Otho Imp. depoſitus inglorius moritur.

Hæreſes Pauperum de Lugduno, & Albigenſium impugnantur.

Duæ per hæc tempora peſtilentes hæreticorum ſectæ obortæ, totum ferè Latinum orbem infecêre, *Pauperum de Lugduno*, & *Albigenſium*: Albigenſes Lucius III. paulò antè hæreticos declaraverat, cùm eos dogmata ſuperſtitione, maledicentia, & obſcœnitate plena circumferre comperiſſet, quibus Dei Eccleſiæ multum detrimenti inferebatur. Pauperum hæreſim Innocentius, fulminato in ſequaces anathemate, repreſſit. Contra has duas ſectas, gemini cœlo miſſi Athletæ *Dominicus* Hiſpanus, & *Franciſcus* Aſſiſias, celeberrimos Ordines Prædicatorum & Minorum condidêre. Franciſcus quidem contra *Pauperes de Lugduno*, Dominicus contrà *Albigenſes*: quorum oppugnationem communicatâ operâ ſuſcipientes (fulti Inno-

SS. Franciſcus & Dominicus.

Innocentii auctoritate) monſtroſa capita ſignis, concionibus, doctrina, & vitæ puritate, velut armis jugularunt.

Innocentius verò, cùm Sarracenorum potentiam in dies creſcere, Chriſtianorum minui; ac Clericorum mores quotidiè in pejus vergere animadverteret, ſerpenti malo remedium opportunum adhibere cupiens, luculentiſſimas per orbem Chriſtianum litteras ad Reges, Principes, Magiſtratus dedit, quibus eos ad Concilium Generale Romæ in Laterano celebrandum invitavit. Potiſſima adunandi Concilii cauſa præferebatur, Recuperatio Terræ ſanctæ; publica morum emendatio; & hæreſim extirpatio. Decreto Concilio initium dedit dies Novembris undecimus anni 1215. Cui interfuerunt, præter ipſum Innocentium & Cardinales, Patriarchæ duo Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus; Antiochenus infirmus miſit legatum ſuum Antiſiodorenſem Epiſcopum: Alexandrinus Turcarum vi oppreſſus, Decanum Alexandrinæ Eccleſiæ: aderant Epiſcopi diverſarum nationum 412. inter hos Primates & Metropolitani 71. Abbates & Priores 800. Archiepiſcoporum porrò Abbatum, Priorum, & Collegiorum abſentium Nuncii numero vix comprehenſi. Legati inſuper Friderici II. Cæſaris, Henrici Imperatoris Conſtantinopolitani, Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Hungariæ, Poloniæ, Sueciæ, Daniæ, Aragoniæ, Cypri, Hieroſolymorum, & aliorum Regum, Principum, Ducum, & Rerumpublicarum Oratores. Concilium hoc Lateranenſe IV. Oecumenicum *Magnum* vocatum, quòd concurſu & frequentia Patrum anteriora longè ſuperaverit. In hoc Saluberrimi Canones pro morum emendatione promulgati: Confeſſio vocalis annua, ac communio Paſchalis præcepta: aſſervatio perpetua Euchariſtiæ in Templis pro ægrotis ſtatuta: clandeſtini matrimonii inhibitio facta: expeditio in Terram Sanctam decreta: Porrò in eodem Concilio variæ hæreſes damnatæ: Libellus etiam Abbatis Joachimi Calabri de SS. Trinitate improbatus; ac Almarici Carnotenſis hæretici impium dogma cum auctore ſuo (poſteà Pariſiis exuſto) anathematizatum. Leguntur ſexaginta ſex Capitula hujus Concilii in Romana editione, Decretis Gregorii IX. magna ex parte inſerta. Conſule Ludovicum Morerium in Dictionario Hiſtorico verbo *Latran. IV. Concile General de Latran.*

Innocentius Concilium Generale Lateranenſe incidit.

Quid in eo actum?

Innocentii auctoritate, quatuor inſignes Ordines Romanam Eccleſiam fœcundârunt. I. Prædicatorum, inſtitutus à B. Dominico, anno 1205. II. Minorum, inchoatus à B. Franciſco, anno 1209. III. Fratrum Eremitarum S. Pauli primi Eremitæ in Hungaria, à B. Euſebio Strigonienſi inſtitutus anno 1215. Et IV. Sanctiſſimæ Trinitatis, auctore B. Joanne de Matha, fundatus in monte Cœlio Romæ pro redemptione captivorum, anno 1215. Quos omnes Honorius III. Innocentii poſteà Succeſſor, Romæ ſolemni ritu confirmavit.

Sacri Ordines ſub Innocentio euati.

Denique ſanctiſſimus hic Pontifex admirandis operibus, ac publicis pietatis monumentis clarus, dùm Piſanos ac Genuenſes maritimo, & Ciſalpinos terreſtri bello decertantes, ad concordiam revocare nititur, Peruſii fatali morbo correptus, magno Reipubli-

Innocentii obitus.

Hhh cæ

cæ Chriſtianæ detrimento, migravit è vita XIII. Kalendas Auguſti anno humanæ redemptionis 1216. poſtquam Eccleſiæ Romanæ annos decem & octo, menſes ſex, ac dies novem ſumma religione & emolumento præfuiſſet. Ejus corpus in Baſilica Cathedrali Peruſina S. Laurentii conditum, lugubri hoc Epitaphio, ab impolitiore ejus ævi Poëta conſcripto, nobilitatum eſt.

Ejus Epitaphium.

Nox accede, quia ceſſit ſol, lugeat Orbis,
In medio lucis, lumen obiſſe ſuum.
Lumen obit mundi, quia deceſſit Pater INNO-
CENTIUS, iſte Pater Urbis & Orbis erat.
Nomen utrumque tenens verſum notat, hoc, quod habebat,
Quid mundo poſſet reddere, quidve Deo.
Si ſpeciem, ſi mentis opes, ſi munera linguæ
Attendas, cedet lingua, cadetq́; ſtylus.

Ejus ex variis Scriptoribus elogia.

S. Bonaventura *capite 3. vitæ S. Franciſci*, Innocentium *virum integritate vitæ & ſapientia clarum* depredicat: Rigordus, qui eo tempore floruit, *de geſtis Philippi Auguſti Franciæ Regis* agens, eundem *virum clari ingenii, magnæ probitatis, & ſapientiæ, cui nullus ſecundus ſuo tempore extiterit*, appellat: Joannes Mariana *Libro 12. de Rebus Hiſpaniæ*, eidem breve elogium in hæc verba contexuit: *Anno 1216. ſeptimo decimo Kalendas Auguſti obiit Innocentius Papa Tertius, vir iis corporis & animi virtutibus præſtans, quantas paucis contigiſſe ſatis conſtat; præter alia, ingenio fuit in utroque ſapientiæ genere divina atque humana, eloquentiaq́; præcellenti.* Genebrardus eundem Innocentium *libro 4. Chronogr. Virum ſanctiſſimum, Theologum profundum, & Juriſconſultum doctiſſimum* appellat: additque, plura illius Decreta in quinque Decretalium libris extare, quàm aliorum omnium Pontificum ſimul: Ejus vitam adeò probatam omnibus fuiſſe ſcribit Platina; ut poſt illius obitum, nihil eorum, quæ vivens egerit, laudaverit, aut improbaverit, immutatum fuerit. Hæc iſti: ex quibus facilè Philippi Mornæi, Jacobi Hoffmanni Baſileenſis, aliorumque hujus farinæ ſociorum congeſta in virum ſanctiſſimum mendacia diluas, atque explodas.

S C R I P T A.

Scripſit Innocentius III. Regiſtrum ſui Pontificatus octodecim Libris comprehenſum.

Scripta.

Item in ſeptem Pſalmos pœnitentiales commentaria.
In Magiſtrum Sententiarum erudita Scholia.
De Purgatorio.
De Clauſtro Animæ.
De Eleemoſyna.
De Laude & commendatione Charitatis.
De Contemptu Mundi, ſeu Miſeria hominis libros tres.
De Eruditione Principum lib. unum: qui aſſervatur m.ſ. Patavii in Bibliotheca Benedictina S. Juſtinæ.
De Officio Miſſæ, ſeu de ſacri Altaris myſteriis libros ſex.
De Sacramento Baptiſmi Lib. unum.
De Conſecratione Pontificis Homilias quatuor.

De

Google

De Sanctorum Veneratione libros tres.
Expoſitionem Canonis Miſſæ.
Encomium in Chriſtum, & ejus Matrem.
Hymnos *Stabat Mater doloroſa*, & *Ave Mundi ſpes Maria*.
Conciones duas Parænetica, ante Concilium Lateranenſe.
Acta & Decreta Concilii Lateranenſis.
Sermones de Tempore, & de Sanctis.
Ordinationem expeditionis pro recuperanda Terra Sancta.
Precationes ſacras, & Hymnos.
Singularia in Jure, quæ extant M.S. in Bibliotheca Bodleiana.
Conſtitutionum Generalium libros quinque.
Moralitatem de Scaccario, M. S. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegii S. Benedicti.
De Roſa aurea, & de antiqua Conſuetudine Apoſtolicæ Sedis, celebrandi Roſam auream: agit de hac in Sermone Dominicæ Lætare.
Epiſtolarum ad diverſos libros duos.

Auctor etiam fuit, ut in feſtis ſimplicibus occurrentibus ab Octava Pentecoſtes uſque ad Adventum; & à Purificatione uſque ad Quadrageſimam, in ſacro Miſſæ Sacrificio recitaretur ſecunda oratio *A cunctis*, & tertia adderetur in honorem SS. Trinitatis. Et irruentibus variis perſecutionibus, juſſit ut in ſacra Liturgia loco *Miſerere nobis* (repetito tertiò *Agnus Dei*) *Dona nobis pacem*, Sacerdotes recitarent. Ejus pariter Lex illa fuit: *Ægrotos, niſi peccata ritè confeſſos à prima inſpectione, Medici nevè adeunto, nevè curanto.*

Græcorum Impp. ſucceſſio.

Sedente Innocentio III. Alexius V. Ducas Murzuflus Imperator Conſtantinopolitanus, capta à Venetis & Francis Urbe, ex fuga retractus, anno 1204. obtruncatur. Ei ex Latinis primus Orientis Imperator ſufficitur Balduinus Flandriæ Comes: quo à Græcis victo capto, cæſoque, Imperii habenas accepit Henricus anno 1206. Mortuo poſt decennium Henrico, ſucceſſit Petrus Altiſiodorenſis Francus anno 1216. qui regnavit annos quinque.

ANNO CHRISTI MCCXVI.
Imperatore FRIDERICO II. Auguſto.

DE

HONORIO III. Pontifice Max.

CLXXIX.

Eligitur Peruſii.

EXcepit Innocentium Honorius III. patria Romanus, Centius anteà dictus, illuſtri gente Sabellâ, Romæ conſpicuâ, patre Haimerico progenitus. Hic Peruſii omnium ſuffragiis electus, poſt ſuſcepta coronationis inſignia Romam ſtatim profectus eſt. Ubi conſtitutus, tum Præſules, tum Principes Chriſtiani orbis de ſua electione litteris ac nunciis certiores fecit. In Pontificio Regeſto primum locum obtinent litteræ, quibus in Hieroſolymitano Regi ſignificavit, & pollicitus eſt omnem ſe operam, ac ſtudium daturum, ut in ſubſidium Terræ Sanctæ auxiliares copiæ quantocyùs ſubmitterentur: exorſus igitur; *Magnus*

Scribit ad Regem Solymorum, eumque ſolatur.

Dominus & laudabilis nimis : ac nonnulla præfatus ſubjicit : *Felicis recordationis Innocentio Papa Prædeceſſore noſtro* XVIII. *Kalend. Auguſti, ſoluto debito carnis, ad regionem ſanctorum Spirituum, ut credimus evocato, & ſequenti die celebratis exequiis, ac cum honore debito collocato ipſius corpore in Sepulchro, unà cum fratribus noſtris ad eligendum convenimus ſucceſſorem, & die tertio Spiritus S. gratia invocata, ſuper hoc tractavimus diligenter, & poſt tractatum diutinum placuit fratribus univerſis, humeris noſtris, quamvis inſufficientibus, imponere onus iſtud. Et quamvis in primis duxerimus reſiſtendum, ne tamen videremur vocationi divinæ reſiſtere, ſubmiſimus humeros ad portandum, ſperantes in eo, qui linguas infantium facit diſertas, quòd ipſe, qui vota fratrum aſpirando prævenit, proſequeretur etiam adjuvando. Fiduciam enim talem habemus per Chriſtum ad Deum, non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed noſtra ſufficientia eſt ex Dea, qui nos ad ſuum miniſterium evocavit. Non erga propter obitum præfati Prædeceſſoris noſtri conſternetur cor tuum, neque formidet, quaſi propter hoc Terra ſancta impediatur ſuccurſus, quoniam etſi illius ſufficientiâ, noſtra videatur inferior; ad liberationem tamen ipſius, votis non minoribus aſpiramus, quibus ipſe Dominus, qui ſperantes in ſe nullatenus deſerit, effectum tribuat & profectum, ut quod poſſibilitas noſtra non obtinet, ejus nobis gratia largiatur. Serenitatem igitur regiam rogamus attentiùs, & monemus, & exhortamur in Domino, quatenus de gratia noſtra favore ſecura (utpotè qui ad ſubventionem Terræ ipſius tota intendimus voluntate) confortetur in Domino, & in potentia virtutis ipſius ad conſervationem Terræ ſanctæ intendens viriliter, & prudenter, prœliatura prœlia Domini, cùm tempus advenerit opportunum, & ob hoc receptura ab eo gratiam in præſenti, & gloriam in futuro. Dat. Romæ* VIII. *Kal. Aug. Pontificatus Noſtri anno primo.*

Urget expeditionem pro Terra ſancta.

Conſenſiſſe verbis facta, & res Hieroſolymitanas Pontificio pectori inſediſſe, illuſtrant ejus litteræ ad Galliarum Epiſcopos datæ, quos religioſo imperio monuit, ut Crueeſignatos, Innocentii morte conſternatos, erigerent & confirmarent : ſe perducendis Prædeceſſoris conſiliis, tota animi & operæ contentione incubiturum, atque adeò ſuſcipiendæ expeditioni ſtrenuè ſe accingerent: tum etiam ipſos Præſules rogavit, ut ſuis apud Deum precibus & ſacrificiis recèns impoſitum onus levarent, ac viciſſim paternam illis ſollicitudinem eſt pollicitus.

Burgundiæ deinde & Brabantiæ Duces, Barenſem & Antiſiodorenſem Comites, alioſque Principes, qui ſacræ militiæ nomen dederant, ad trajiciendum cum reliquo exercitu Chriſtiano expeditos eſſe juſſit, ubi ſtatutum à Synodo Lateranenſi tempus appetiiſſet. Deinde Cluniacenſi Abbati mandavit, ut Ordinis ſui redditutuum partem Terræ ſanctæ ſubſidio, ac præſidio mittendam, ex ejuſdem Concilii præſcripto, cogeret. Tùm ad incendos militari ardore Chriſti milites, qui ſe Cruce inſignierant, miſſis in Galliam, & Germaniam Legatis & litteris, in hoſtem divini nominis claſſicum cecinit.

Commendat Colonienſium pro terra ſancta ſtudium.

Cùm verò bellici Colonienſium apparatûs ingens fama ad Honorium Pontificem perveniſſet (divino enim amore accenſi trecentas naves ad ferenda Syriæ auxilia inſtruxerant) eximium illorum zelum commendavit, gratulatuſque eſt his verbis. *Tam ſan-*

ctum

ctum propoſitum in corde veſtro fuiſſe firmiter ſtabilitum opera manifeſtant : nempè à veſtra converſionis exordio ſtuduiſtis, ut audivimus, cum multo deſiderio & fervore acies dominicas inſtaurare in navibus, victualibus, armis, inſtrumentis bellicis, & aliis neceſſariis opportunis, & more Abrahæ ad liberationem juſti Loth feſtinatis, aſſumptis trecentis Vernaculis expeditis, hoc eſt trecentis Navibus, quas ad Sanctæ Trinitatis honorem cum perfectione operum, per centenarium deſignata in expeditionem exercitûs Domini, lætanti animo præparaſtis, proficiſci volentes in eis menſe Aprili proximo nunc futuro, reliquis per terram ad portus properantibus opportunos.

Cohortatus quoque eſt Apoſtolicis litteris Patriarcham Conſtantinopolitanum ad pacem & concordiam cum Imperatore ſervandam, modò Eccleſiæ juribus detrimentum non inferretur. Præterea Regis Theſſalonicenſis adhuc pueri, regniqúe ejus patrocinium ſuſcepit. *Curat pacem inter Orientales.*

Inter hæc non prætermiſit Italiæ curam : nam omne ſtudium & diligentiam ſuam eò vertit, ut pacem inter populos Italos conciliaret, & confirmaret : atque adeò adverſus illos, qui ipſam turbabant, cenſuris ac pœnis animadvertit. E fidelium communione Viterbienſes ejecit, ob affectos graviſſimis injuriis viros Eccleſiaſticos. Florentino Præſuli mandavit, ne quem in Clericalem ordinem cooptaret, donec Florentini latam iniquè legem, qua Clerici paternam adire hæreditatem prohibebantur, revocarent. Repreſſit Bodienſes, qui Epiſcopum ſuum in exilium egerant, quibus idcircò Placentinos favere vetuit. Increpuit Bononienſes Cives, Comitiſſæ Mathildis ditionem, quæ ad Romanam Eccleſiam pertinebat, invadere auſos. Mediolanenſes, qui adverſus Oecumenicæ Synodi decreta, & data Apoſtolicæ ſedi promiſſa, expeditionem contra Parmenſes, & Cremonenſes parabant; Placentinos verò, qui jurisjurandi Romano Pontifici præſtiti religione ſpreta, Mediolanenſium partibus ſtudebant, intentato cenſurarum terrore perculit. Rejecit è fidelium cœtu Comitem Aſcariæ, qui immani ſcelere Abbati Nieubergenſi oculos effoderat. Joannem Sueciæ Regem monuit, ne res Eccleſiæ occuparet, nevè Epiſcopos adulterinos intruderet. *Et Occidentales.* *Varios populos cenſuris frænat.*

Excepit verò paterno ſinu Waldemarum Epiſcopum, qui cùm toties olim ob innumera à ſe commiſſa flagitia anathemate perculſus fuiſſet, ægrotus, admiſſorum tandem ſcelerum pœnitens, ac veniam ex Eccleſiæ ritu conſecutus, ubi convaluit, nuntio rebus humanis miſſo, in Ciſtercienſi familia ſe Deo conſecrarat, quem Honorius Ciſtercienſibus Abbatibus commendavit. Luſitanum Regem, qui graviſſimis facinoribus regium decus inquinaverat, ob quæ è fidelium cœtu ablegatus jam fuerat, Apoſtolica conſtantia redarguit, atque ad officium & reſipiſcentiam revocavit : eundem paulò pòſt contra Sarracenos dimicantem, in Sedis Apoſtolicæ protectionem ſuſcepit. Hoſpitalariis in Hiſpania, ut Alphonſo à Mauris in Caſtro *Albuquerci* obſeſſo ſuccurrerent, præcepit. Hieroſolymitano Patriarchæ, ut in alienis Eccleſiis Pallium geſtaret, indulſit. Legatos Regis Cypri audivit, atque ad eorum petitionem eundem Regem puerum Magiſtro Hoſpitalariorum commendavit. Comitem Tripolitanum bona militum S. Joannis Hieroſolymitani iniquè *Alia ejuſdem præclarè geſta.* *Regem Luſitanum in ordinem redigit.* *Principes viros literis monet : cenſuris terret.*

iniquè uſurpantem anathemate percuſſit, ejuſque contra Comitem ſumendi arma poteſtatem fecit. Ludovicum Galliarum Regem, ut edicta contra libertatem Eccleſiaſticam promulgata antiquaret, Apoſtolicis litteris compulit. Regi Scotiæ ut nobilem Viduam Regno ejectam revocaret, ſeverè præcepit. Waldemaro Regi Daniæ, ut Comitem Quaricenſem ab ergaſtulo liberaratum, in ſubſidium Terræ Sanctæ ire permitteret, injunxit. Duci Venetorum, niſi Iconam Epiſcopo Bethleemi reſtitueret, excommunicationis ſententiam intentavit.

Frider. II. Imp. coronat: tum imperio privat.

Porrò Pelagium Epiſcopum Albanenſem, & Guallam Cardinales ad Fridericum II. Imperatorem pro confirmandis veteribus Eccleſiæ privilegiis Legatos deſtinavit: eundemque, poſt Othonis IV. obitum, Imperiali diademate in Baſilica Vaticana x. Kalend. Decembris anni 1220. condecoravit: licèt eum poſteà perjurio, dolis, ſceleribus, rapinis, ſacrilegiis obnoxium anathemate percuſſerit, omnibusque Imperii titulis privaverit. Priuſquàm verò Fridericum ſacro fulmine percuteret, Eccleſiis Capuanæ, Salernitanæ, Brunduſinæ, Conſanæ, & Adverſanæ contra Fridericum Præſules præfecit, eique humaniſſimè ſcripſit, ne id ægrè ferret, ſe enim vi officii, quo Chriſti nomine fungeretur, comittere non potuiſſe, ut oves ſine Paſtoribus deſerrentur, & quam plurimis periculis, orbatæ Paſtoribus, exponerentur. Iratus Fridericus, plenas contumeliis ac minis litteras Honorio reſcripſit. Reſpondit ille juxta ſententiam Sapientis; *ſtulto ſecundùm ſtultitiam ſuam*: cumque illi beneficia ab Eccleſia Romana liberaliter collata commemoraſſet, & ſacramenti in coronatione editi formulam in mentem revocaſſet, tum deinde contumaciam ejus redarguit, & ad manſuetudinem Chriſtianam, atque obedientiam erga ſedem Romanam hortatus eſt; exerens cenſuræ Eccleſiaſticæ virgas, & faſces, ſi auctoritatem Eccleſiæ contemneret, & jura illius violaret. Verùm ſurdo fabulam: Ille enim ſpretis optimi Pontificis monitis, Romam hoſtiliter veniens, Pontificiam ditionem contra jus faſque diriſſimè vexavit; indeque minatum diu fulmen in ſe concitavit.

Fridericus Eccleſiam perſequitur.

Soldanus Chriſtianorum diſcerdia animatus progreſſus facit.

Qua re motus Soldanus (quòd de inimicitia Imperatoris cum Pontifice ei conſtaret) majorem quàm unquam anteà comparavit exercitum, arbitratus Chriſtianos, durante inter ſumma eorum Capita diſcordiâ, neutiquam apparituros: verùm hi, ſuadente Joanne Columna Cardinale Legato, ſumptis armis, magno animo hoſti ad Nilum obviàm fiunt. Soldanus vafrè timorem ſimulans, ne à loco, in quo conſederant, abirent: excreſcentiam Nili expectavit. Quæ paulò pòſt apertis undique ipſius fluminis cataractis, ita omnia inundavit, ut cubitum quovis in loco excederet. Hoc malo perterriti Chriſtiani, pacem ſtatim hac conditione inière: ut Damiatâ relictâ, captivis utrinque dimiſſis, reddito à Barbaris Crucis ligno, Chriſtianis Acconem, Tyrumque tutò redire liceret. Damiatâ itaque Barbaris ex fœdere redditâ, Chriſtiani Crucis ſignum receperunt anno ſalutis 1222. Duces verò noſtri, cùm moliri in Aſia fractis viribus nihil amplius poſſent, cum Joanne Cardinale Columna in Italiam redeunt, quos ſubſecutus Joannes Hieroſolymi-

Joannes Rex Solimorum Romæ ſuſcipitur.

lymitanus Rex, cùm Romam attigiſſet, perbenignè, magnis donatus muneribus, ab Honorio ſuſceptus eſt. Porrò hic ipſe Joannes, Friderico Cæſari, quem diximus anathemate Pontificis notatum, filiam Jolantam ex Jole uxore ſuſceptam in matrimonium locavit, eique jus illud, quod ſibi hæreditario jure in Regno Hieroſolymitano competebat, dotis nomine condonavit. Hinc eſt, quòd omnes Siciliæ Neapolitanique Reges titulum Regni Hieroſolymitani ſibi vendicant. Joannes deinde in Franciam proficiſcens, meliore quàm anteà fortunâ uſus eſt. Nam Philippus Rex Franciæ moriens, ei ex teſtamento quadraginta millia librarum auri reliquit: quo adminiculo fretus, in Hiſpaniam voti causâ Divo Jacobo promiſſi perrexit, ibique Berengariam Alphonſi IX. Regis Legionis filiam in uxorem duxit. *Friderico Imp. filiam matrimonio locat.*

Cæterùm amiſſâ, ut diximus, Damiatâ, licèt Chriſtianorum animi ex acceptis cladibus languerent, Honorii tamen Pontificis ope, anno noſtræ ſalutis 1223. celebratum eſt in Campania militare Concilium de redintegranda re Hieroſolymitana: cui ipſe Honorius, Fridericus Cæſar, Joannes Rex, & Patriarcha Hieroſolymitanus, ac Religioſorum Ordinum Magiſtri, aliique viri Principes interfuerunt. Extant de tanto præclariſſimorum virorum Conventu, deque ferendo ſubſidio, Honorii litteræ ad Galliæ, Pannoniæ, & Angliæ Reges, quas Odericus Raynaldus, aliique ex Regeſto Pontificio reſcripſerunt in Annalibus ſuis. *Honorius Concilium celebrat, & quare?*

Nec prætermittenda nonnulla religioſa facinora, in quibus Honorius pietatem ſuam explicuit. Ubi in Syriam perveniſſe, inque Sarracenorum ditionem ingreſſa Chriſtianorum agmina accepit, ſolemnem in Urbe ſupplicationem, ad divinum implorandum auxilium, inſtituit; ac nudis ipſe pedibus capita SS. Petri & Pauli à Baſilica Lateranenſi ad Liberianam uſque geſtavit: & ne Orationi jejunia & eleemoſynæ deeſſent, largiſſimas jejunantibus indulgentias ſtatuit, magnamque ipſe auri vim in pauperes, peregrinos, viduas, pupillos erogavit. Emicuit pariter pontificius zelus in aſtringenda religioſa diſciplina, quæ in pluribus utriusque ſexus Monaſteriis collapſa erat; nec effulſit minùs in ſervando ſacrarum veſtium ſplendore, vaſorum nitore, ac divini cultus retinenda majeſtate. *Preces publicas instituit pro Terra ſancta.*

Sacroſanctam Euchariſtiam ſumma cum reverentia cuſtodiri, atque à Sacerdotibus tractari juſſit; haſque ad Præſules omnes litteras dedit, tanto Pontifice dignas: *Cùm olim vas aureum manna plenum, Chriſti corpus Deitatem continens, præfigurans, in Arca fœderis auro tecta infra Sancta Sanctorum fuerit collocatum, ut mundè in loco venerabili ſervaretur: dolemus plurimùm, & triſtamur, quòd in pleriſque Provinciis Sacerdotes ſanctiones Canonicas, immò divinum judicium contemnentes, ſacram Euchariſtiam incautè cuſtodiunt, & immundè ac indevotè contrectant, quaſi nec Creatorem timeant, vel recreatorem diligant, aut Judicem omnium expaveſcant: Quamquam Apoſtolus terribiliter comminetur deteriora illum mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcaverit, vel ſanguinem Teſtamenti pollutum duxerit, aut Spiritui gratiæ contumeliam fecerit, quàm tranſgreſſorem legis Moſaicæ, qui mortis ſententia plectebatur. Ne igitur de cætero propter incuriam* *Cultum ſervandæ Euchariſtiæ præcipit.*

curiam

curiam Sacerdotum, in devotos divina indiguatio graviùs exardeſcat, diſtrictè præcipiendo maudamus, quatenùs à Sacerdotibus Euchariſtia iu loco ſingulari, mundo etiam, & ſignato ſemper honorificè collocata, devotè ac fideliter conſervetur. Sacerdos verò quilibet frequenter doceat plebem ſuam, ut cum iu celebratioue Miſſarum elevatur Hoſtia ſalutaris, quilibet revereuter inclinet. Idem faciens, cùm ipſam portat Presbyter ad infirmum, quàm in deceuti habitu, ſuperpoſito mundo velamine ferat, & referat manifeſtè, ac honorificè ante pectus, cum omni reverentia & timore, ſemper tamen lumine præcedente, cùm ſit candor lucis æternæ, ut ex hoc apud omnes fides, & devotio augeatur. Prælati autem hujus mandati graviter punire non differant trausgreſſores, ſi & ipſi divinam, & noſtram volunt effugere ultionem. Vos autem ſic obſervari faciatis prædicta, quòd non efficiamini vindictæ participes, ſed corona.

Hæreticos reprimit. Cùm autem apud Inſubres, ac Brixienſes, Hæretici potentiâ, opibus, & audaciâ adeò crevissent, ut Orthodoxos graviſſimis injuriis palàm afficere non timerent, horum inſolentiam Honorius per Brixiæ, Mutinæque Epiſcopos comprimendam curavit. *Piſanos Eccleſiæ conciliat.* Reſipiſcentes Piſanos, Vercellenſes, Alexandrinos, Ferrarienſes, ad conſortium fidelium, è quo exacti fuerant, admiſit: nec Piſanos modò in gratiam recepit, verùm eos etiam beneficiis eſt proſecutus, eorumque Eccleſiam privilegiis auxit, quæ litteris ad Vitalem eorum Archiepiſcopum exaratis continentur, eosdemque Piſanos Janueníibus conciliavit.

Alia ejuſdem ſtatuta. Per litteras quoque Galliarum Archiepiſcopis, & Epiſcopis prohibuit, ne anniverſariorum pro defunctis occaſione, Miſſarum ſolemnia, vel de feria prætermitterent: Clericos ſæcularibus negociationibus implicitos, ſi iterum ac tertiò admoniti, à cæptis non deſtitiſſent, clericale privilegium amiſſuros, eorumque bona legibus municipalibus obnoxia fore, ſcriptis ad Ambianenſem Epiſcopum litteris, ſtatuit. Univerſis per Orbem Epiſcopis actiones in die Cœnæ Dominicæ agendas præſcripſit; nimirum ut omnes & ſinguli eo die anniverſario Chriſma conficerent; pœnitentes publicanos Eccleſiæ reconciliarent, & pedes pauperum abluerent, ablutis autem eleemoſinas erogarent.

Sacrã militiam in hæreticos inſtituit. Inter hæc cùm in Galliis Toloſates hæretici omnia miſcerent, neque verbis, aut armis cohiberi poſſent, quò minùs Catholicos ſæviſſimè infeſtarent, Honorius Pontifex, ut promptas & expeditas caſtrorum acies contra eoſdem inſtrueret, Religioſis S. Dominici injunxit, ac poteſtatem plenariam dedit, ut ſacram militiam quæ *de Pœnitentia* diceretur, adverſus Hæreticos inſtituerent. Convenit multitudo ingens, & huic ſanctæ Sodalitati nomen dedit, ſumpto pullo pallio ſuper alba veſte, & præſtito ſacramento in tutelam fidei Orthodoxæ.

Officium Magiſtri Sacri Palatii inſtituit. Suadente etiam Divo Dominico, Ordinis Prædicatorum Inſtitutore, Honorius Officium Magiſtri ſacri Palatii erexit. Cùm enim cerneret D. Dominicus, occupatis quotidie cum Pontifice Cardinalibus, eorum Clericos, & Miniſtros in Aula Palatina variis deambulationibus, inutilibuſque colloquiis, ac nugis tempus terere, indoluit: tùm Pontificem conveniens, turpe eſſe dixit, illos honeſtatem profeſſos indecora committere, ſacroſque illos parietes indigniſſimis

mis ſcurrilitatibus contaminare; ſibi videri utile fore, ſi tantiſper, dum Cardinales cum eo in negotiis Eccleſiæ occupentur, quiſpiam doctus utile aliquid publicè interpretaretur. Placuit conſilium Honorio, & illi ipſi, qui conſuluerat, id negotium commmiſit. Is verò quotidie Pauli Apoſtoli Epiſtolas in numeroſiſſimo auditorum conſeſſu maxima dicendi copiâ interpretari cœpit: adeoque res Pontifici & Eccleſiæ placuit, ut deinceps inſtitutum ſit, ut ex Ordine Prædicatorum ad hoc munus aliquis eligeretur, & Magiſter ſacri Palatii diceretur. *Primus Sacri Palatii Magiſter S. Dominicus.*

Porrò non ſolùm Ordines ſacros ſanctorum *Dominici* & *Franciſci* ſolemni cæremonia confirmavit Honorius, ſed etiam (præter alios) Carmelitarum Ordinem, ſub Regula B. Alberti Patriarchæ Hieroſolymitani hactenus viventem, auctoritate Apoſtolica anno ſalutis 1217. approbavit. Diutiùs diſtulerat poſtulationes ejus Inſtituti fratrum exaudire; quapropter ſacratiſſima Dei Genitrix, tenebris noctis interruptis, æthereo cum lumine adveniens, ſummum Pontificem admonuit, ac dixit; *Non eſt adverſandum in his, dum jubeo, nec diſſimulandum, cùm promoveo*; inſinuavitque eidem Pontifici, duos ex ejus Palatinis, dictæ Religionis adverſarios, Deo ultore eſſe plexos, diſpari exitu, ſed diſceſſu pari. Audivit hæc omnia Honorius, & dato Diplomate eam vivendi rationem, ex præſcripto formulæ Alberti inſtitutam, approbavit. *Sacros Ordines confirmat.* *B.V. patrocinatur Ordini Carmelitano*

Cùm verò ex oriente haud læta audiret Honorius (Cruceſignatis infeliciter adverſus Chriſti hoſtes pugnantibus) eò deſtinavit Nicolaum Epiſcopum Regienſem, qui conſilio, & auro, quod ſecum deferebat, infirmis animos adderet. Nicolaus in Palæſtinam cum Claſſe delatus, diù eam Provinciam contra ingruentes Sarracenos eximiè fortiterque ſuſtinuit, ac talem ſe ea in legatione exhibuit, qualem ipſe Honorius in litteris ad Orientis Præſules, & Duces datis prædicaverat. Ugolino quoque Epiſcopo Oſtienſi ſedis Apoſtolicæ Legato præcipuam in comparandis Cruceſignatorum copiis provinciam in Italia dedit. *Honorius Cruceſignatis ſuccurrit.*

Neque tantùm Palæſtina, ſed aliæ quoque Chriſtiani orbis Provinciæ cordi fuère Honorio. Nam Legati Apoſtolici munus Gregorio Creſcentio Diacono Cardinali in Dania, Suecia, Polonia, ac Bohemia commiſit, ut Eccleſias illas moribus deformatas ad primævam pietatem revocaret. Ad Livoniæ verò, Eſtoniæ, ac Pruſſiæ populos excolendos, Evangelicos præcones mittendos curavit, datis ea de re ampliſſimis ad Abbates, Præpoſitos, Priores tum Ciſtercienſis, tum aliorum Ordinum litteris. Extat etiam Apoſtolicum Diploma ad Epiſcopos alios, quibus Honorius poteſtatem facit, ut religioſos viros zelo & doctrina inſignes ad promulgandum gentibus Evangelium mitterent. Epiſcopo quoque Revellenſi, qui ardenti fidei Chriſtianæ amplificandæ ſtudio accenſus apud ethnicos Eſtoniæ Evangelium ſerebat, conceſſit, ut quos ad id operis ex religioſis familiis idoneos nôſſet, de Præpoſitorum licentia ſecum in meſſem abduceret. Nec ſine fructu; nam poſt receptam Evangelicæ veritatis lucem, mox Oratores Stephani Serviæ, Diocliæ, aliarumque Provinciarum Regis, obedientiam ſpondentes, Romæ recepit. Horum *Totius orbis Chriſtiani provincias cordi habet.*

rum litteras pietate & religione in Sanctam ſedem plenas, Oldoinus de Honorio agens, in additionibus ad Ciaconium recitat.

Numerum Sanctorum auget. Porrò non ſolùm Eccleſiæ militantis fines, quoad potuit, dilatare ſemper ſtuduit Honorius, ſed novis quoque honoribus triumphantis Eccleſiæ cives auxit: nam præter Archiepiſcopos tres Guilielmum Bituricenſem, Hugonem Lincolnienſem, & Wilhelmum Eboracenſem miraculis claros, Laurentium quoque Dublinenſem Epiſcopum, illuſtri Hiberniæ Regum ſanguine natum, cujus ſanctitatem cæci, claudi, muti, ſurdi, qui auditum, linguam, greſſum, viſum acceperunt, teſtati ſunt, in Sanctorum numerum retulit. Eaque de re Anno ſalutis 1220. ad univerſos Chriſti fideles Apoſtolicas literas dedit.

Sanctè decedit. Denique optimi & vigilantiſſimi Paſtoris munere functus exceſſit è vita xv. Kal. Auguſti anno Dominicæ Incarnationis 1227. cùm ſediſſet annos decem, & menſes octo: Sepulturam nactus in Baſilica S. Mariæ Majoris ante aram Præſepii.

Pariſii calumnia refellitur. Matthæus Pariſiius, & qui illum ex hæterodoxis Scriptoribus ſecuti ſunt, malevolentiâ ſuffuſi in Romanos Pontifices, Honorium avaritiæ arguunt, cùm tamen luculenter conſtet, illum durante Pontificatu tantum auri in apparatum belli ſacri, & contra Albigenſes hæreticos, ac in pauperes effudiſſe, quantum quis unquam ardentiavaritia collegerit ad explendam ſui cordis cupiditatem.

S C R I P T A.

Honorii Scripta. Scripſit Honorius III. (ſub nomine *Centii de Sabellis*) inſignes aliquot *Sermones* S. Dominico Guzmano, Ordin. Prædicat. Inſtitutori dicatos.

Item alios ad Clerum Populumque Romanum: quos citat Ludovicus Jacobus à S. Carolo *in Biblioth. Pontif.*

Vitam Cœleſtini Papæ III.

Cenſuum Romanæ Eccleſiæ prægrande Volumen: quod m.ſ. aſſervatur in Bibliotheca Vaticana.

Pro defenſione *Libri Abbatis Joachim*, in quantum defendi potuit, adverſus *Petrum Lobardum* Epiſtolam ad Epiſcopum Lucaniæ, ut refert Poſſevinus in Apparatu ſacro, verbo *Joachim.*

Ceremoniale etiam compoſuit, *Centii de Sabellis*, alias *Camerarii*, nomine prænotatum, quod extat M. S. in Bibliotheca Barberina Romæ.

Epiſtolas Decretales plures compilavit, & in unum corpus compegit: harum Regiſtrum in quinque Volumina diſtributum aſſervatur in Bibliotheca Vaticana.

Edidit etiam *Epiſtolas familiares* ad diverſos, quarum nonnullæ inter Epiſtolas Petri Bleſenſis leguntur.

Ejus *Decreta* & *Bullæ* inveniuntur apud Collectores.

ANNO

ANNO CHRISTI MCCXXVII.
Imperatore FRIDERICO II. Auguſto.

DE
GREGORIO IX. Pontif. Max.

Vitâ functo Honorio, Gregorius hujus nominis Nonus, (Ugolinus anteà vocatus) Monachus quondam Benedictinus Congregationis Camalduenſis, ut habet Wion *lib.1. cap.22.* ex Epiſcopo Cardinali Oſtienſi & Veliterno, Cardinalium omnium voluntate, quamvis invitus, ſuffectus eſt Romæ. De cujus primordiis, & geſtis ante Pontificatum hæc in vitæ actis enarrantur, & extant ad calcem perantiqui Codicis Vaticani, qui liber Cenſuum inſcribitur: *Hic natione Campanus, de Anagnia nobiliori ejuſdem Provinciæ civitate, patre Triſtenio de Comitibus Signia, felicis memoriæ Dominum Innocentium Papam III. conſanguinitatis tertio gradu attingens, matre verò de Potentioribus Anagninis exortus, formâ decorus, & pervenuſtus aſpectu, perſpicacis ingenii, & fidelis memoriæ prærogativâ dotatus, liberalium, atque utriuſque Juris peritiâ eminenter inſtructus, fluvius eloquentiæ Tullianæ, ſacræ paginæ diligens obſervator & Doctor, zelator fidei, diſciplinæ virtutis, rectitudo juſtitiæ, ſolatium miſerorum, Religionis plantator & cultor, caſtitatis amator, & totius ſanctitatis exemplar.* Optarem ego, hæc legiſſent lividus Mornæus, & maledicus Hoffmannus, non utique tot plauſtra convitiorum ac mendaciorum in ſanctiſſimum virum petulanti ore evomuiſſent. Sed benè habet: talibus diſplicuiſſe, maxima Gregorii laus eſt. CLXXX. *Gregorii vitæ primordia & animi dotes.*

Ubi primùm Pontificatum auſpicatus eſt Gregorius, Chriſtiani orbis Præſules, uti mos erat, de ſua electione certiores fecit, eorumque ſe precibus enixè commendavit, ac cunctos admonuit, uti munus Paſtorale ſummâ vigilantiâ obirent. Litteris quoque adhortatus eſt Fridericum Cæſarem, Francorum, & Anglorum Reges, ac cæteros Principes, ut auxiliares copias contra Mahumetanos ſubmitterent: & ob eam cauſam, ut omnia ſacræ expeditionis impedimenta amoveret, operam ſuam in ſtabilienda & firmanda inter Principes Chriſtianos pace diligenter contulit, refragante licèt ſub manu Friderico Cæſare, piis Gregorii ſtudiis ſemper contrario. *Bellum ſacrū promovet.*

Collapſos Chriſtianorum mores emendare, atque ad antiquam pietatem traducere pari fervore curavit. Inſignes ſunt eo argumento litteræ ad Inſulæ Præſules exaratæ, quibus ipſos hortatur, ut extirpandis populorum vitiis vacarent, utque ea cum emolumento præſtarent, primùm vitiorum omnium labem à ſeipſis depellerent. Parem quoque diligentiam ad ſolutiorum Monaſteriorum diſciplinam conſtringendam & reſtituendam adhibuit: quod munus in nonnullis Italiæ Provinciis Joachimo S. Mariæ, Jordano, ac Pandulpho Ordinis Prædicatorum religioſis viris demandavit. *Diſciplinæ Eccleſiaſticæ & Monaſticæ reſtituendæ ſtudet.*

 Cùm

Cùm autem in Neapolitani regni Clero denſiſſimi vitiorum vepres excreviſſent,ad illos evellendos,litteras ad Præſules dedit, quibus eos ad emendandos ſacerdotum mores ſeriò incumbere juſſit, ne prava eorum exempla in populos emanarent tum etiam ne Clerum in libidinum cœno jacere,vel ſuſpectas in ædibus mulieres alere, è quarum contubernio pudicitiæ periculum crearetur, permitterent, diſtrictè præcepit; ſeque in illos, qui intra ſex menſes ea vitia non evulſiſſent, juſtæ ſerveritatis aculeos exerturum litteris graviſſimis eſt comminatus.

Religioſis bonæ frugis patrocinatur.

Cæterùm ut ſeverum ſe in eos religioſos viros,in quibus antiquæ pietatis flos emarcuerat, exhibuit; ita alios apud quos vigebat diſciplinæ honeſtas, ſingulari benevolentia eſt proſecutus. Neque ita in emendandis corrigendiſque Eccleſiaſticorum moribus ſtudium impendit, quin multò magis ad graſſantem in Galliis Albigenſis hæreſis luem extinguendam incumberet. Quo argumento ad Ludovicum Francorum Regem, in cujus adoleſcentia jam tum illuſtria futuræ ſanctitatis indicia promicabant, ſcripſit: ipſum hortatus, ut cùm Galliarum Regno proprium fuiſſet fidem tueri, & ejus majores illam defedendi cauſâ opes ac ſanguinem profudiſſent, victricibus eorum veſtigiis inſiſteret, ac cœptam ab ejus parente expeditionem, & jam ab ipſo adornatam ad exitum perduceret: cùm maximè tantæ rei à majoribus cœptæ, ſed ab ipſo perficiendæ, gloriam ac decus altiſſimo conſilio Deus illi reſervaſſe videretur, ac propterea quem poſtulaſſet in Legatum, Angelum Diaconum Cardinalem ipſi ac Regno addictiſſimum cum ampliſſima poteſtate ejus negotii ad finem optatum perducendi tranſmiſiſſe. Nec in caſſum Gregorii adhortatio fuit. Nam ejus Legati ſtudio, & Regis licèt pueri operâ intra breve tempus ſublata Albigenſium hæreſis eſt, quæ toties Cruceſignatorum ferro ſuccisâ, multiplici ſobole fœcundior adinſtar hydræ repullulârat. Qua re feliciter confectâ, Raymundus Toloſanorum Comes fidelium cœtui ſolemni ritu eſt aggregatus. Contra Catharos verò, Patarenos, Paſſaginos, Joſepinos, Arnaldiſtas, aliosque id genus hæreticos, ſexto Idus Novembris anno ſalutis 1235. edito Viterbii Diplomate, ſententiam excommunicationis promulgavit.

Albigenſium hæreſim extinguere curat.

Fulmen in hæreticos expedit.

Eccleſiæ jura tuetur.

Quin etiam egregiam animi ſui conſtantiam Gregorius in defendendis acerrimè Eccleſiæ juribus, non ſolùm adverſus iniquos Friderici Cæſaris conatus explicuit, ſed etiam adverſus alios magni nominis Principes, ac Magiſtratus. Lucanos enim, qui Carſagnanam Pontificiæ ditionis Urbem invaſerant, ac plura alia ſcelera commiſerant, cenſuris Eccleſiaſticis coërcuit, atque in ordinem redegit. Urbevetanis Vallis lacus dominium Eccleſiæ, ſub anathematis interminatione, reſtituere coëgit. Florentinos aliquamdiù cum ſancta Sede diſſidentes, armis ac minis eò compulit, ut miſſis quatuor Oratoribus de redintegranda pace conſilia inierint. Cùm autem ad Sedem Apoſtolicam fama pertuliſſet, Ferdinandum III. Caſtellæ Regem, Procerum ſuorum ſuaſu deceptum, latâ iniquiſſimâ lege vetuiſſe, ne quis in Calaguritanam Cathedralem, ſeu Monaſteria, piaque loca ejus Diœceſeos, poſſeſſiones conferret; atque impartita Eccleſiis bona, ſine ſua vel avi facultate obtenta, Regio fiſco

Oppreſſam libertatem Eccleſiaſticâ ſublevat.

fiſco addixiſſe; Judæos etiam nimio favore proſecutum, ſigna, quibus ex præſcripto Concilii diſtincti erant, abjicere, atque uſuris in Parochiales Eccleſias graſſari permiſiſſe; Burgenſi Epiſcopo, & Calaguritano Decano munus demandavit, Regem ſeriò admonendi, & à cœptis avocandi: ne egregias laudes fœdioribus his nævis macularet. Paruit Rex piiſſimus benè monenti Gregorio, editoque generali Decreto, leges omnes immunitati Eccleſiaſticæ repugnantes ſuſtulit, caſſaſque declaravit.

Pariſienſem Epiſcopum increpat ob neglecta Eccleſiæ jura. Ad tuendam verò in Francorum Regno libertatem Eccleſiaſticam, Pariſienſem in primis Epiſcopum acriter perſtrinxit, quia Eccleſiæ ſuæ damna inerti animo toleraret; & Regem monuit, ut Præfectos regios, qui eam Eccleſiam opprimebant, & in Narbonenſi Provincia Eccleſiaſtica jura pro lubitu invadebant, interpoſita auctoritate compeſceret. Spectabant tum in aula regia nonnullorum ſtudia ad evertendam libertatem Eccleſiaſticam, atque ad conflanda deteriora fortaſsè conſilia, & (ſive ut gloriam aucuparentur, ſive ut aliorum facta in invidiam vocarent, ac variis adulationibus animum Regis ſibi devincirent) Bellovacenſis Epiſcopi cauſæ à Pontifice ſuſceptæ occaſione, crebris detractionibus aures Regis aſperare, atque adeò eximium ejus erga Eccleſiam animum alienare ſtudebant. Quare ad malum ſerpens, ne graviùs invaleſceret, comprimendum, diligentem Gregorius operam defixit: mox enim ad Ludovicum plenas omni amoris ſignificatione litteras ſcripſit, ubi poſt commendata ipſi à Deo munera, quibus cæteris Regibus præcelleret, monuit, ne facilè aures prædictorum ſuſurris daret, ſed potiùs à Deo & Eccleſiâ, quorum cauſa agebatur, ſtaret. *Ludovicum Regem paternè monet.*

Converſioni gentium Studet. Convertit prætereà ſtudium, ac diligentiam ſuam Gregorius ad deducendas intra Eccleſiæ ſepta oves errantes: nam cùm gens Cumana Archiepiſcopi Strigonienſis opera ad Chriſtum deducta, ac luce Evangelicâ colluſtrata eſſet, ingenti gaudio delibutus, gratulatorias ad Archiepiſcopum litteras dedit; eidemque Legati Apoſtolici munus eo fine commiſit, ut faciliùs populos illos noviter converſos in obſequio & fide continere poſſet. Cumque eodem tempore ex ſuperſtitionum erroribus Pomerani plures ac Pozolucenſes emerſiſſent ſtudio Patrum Prædicatorum, qui in iis nationibus Evangelii lumine colluſtrandis operam deſigebant, Pontifex ex Apoſtolico officio complexurus, qua par erat benevolentia, neophytos illos, in ſuam omnes clientelam admiſit. *Pozolucenſes Chriſti fidem amplectuntur.* Porrò ejuſdem Gregorii ſtudio in Septentrionalibus aliis regionibus amplificata quoque religio eſt: tot enim in Pruſſia populi illatum Evangelii lumen admiſêre, ut plures jam in ea Epiſcopatus inſtitui poſſent. *Item plagæ Septentrionales.* Quare Guillelmo Epiſcopo quondam Mutinenſi, Apoſtolicæ Sedis Legato in mandatis dedit, ut de Principis conſilio & annutu limites cuique Epiſcopatu præſcriberet ac definiret: tùm è Dominicana familia tres viros, doctrina & pietate præſtantes ſeligeret, ſelectos ſacris Epiſcopalibus initiaret, qui populos illos in fide excolerent, eorumque ſaluti animarum invigilarent. Marrochiani etiam regni Chriſti fidelibus primum Epiſcopum præfecit Gregorius, cùm in Mau- *Marrochiani item.*

lii 3 ritania

ritania religio Catholica continuis virorum piorum ſudoribus, ac fuſo etiam Martyrum ſanguine irrigata feliciter adoleſceret, ac ſpes affulgeret ſtrenui Epiſcopi diligentia excultam, latiùs amplificatum iri. Pari vigilantia atque ſollicitudine innumeris aliis Provinciis Chriſti Evangelium, beneficio Patrum Dominicanorum ac Franciſcanorum, invexit: ut longùm videre eſt apud Odericum Raynaldum in Annalibus, & Oldoinum in additionibus ad Ciaconium.

Numerum Sanctorum auget Gregorius. Sanctorum Albo adjecit B. Odonem Novarienſem miraculis ac vitæ ſanctitate clarum: Beatum item Virgilium Archiepiſcopum Salisburgenſem, de quo vetus auctor Richardus hæc habet: *Menſe Junio de quodam S. Virgilio miracula multa in ſcriptis redacta, de Alemannia miſſa ſunt ad Dominum Papam Gregorium.* Catalogo quoque Sanctorum adſcripſit Peruſii agens, IV. Nonas Octobris anni 1228. Beatum Franciſcum Seraphicum, ſibi dum viveret amiciſſimum: ad cujus Canonizationem tum multitudine ſignorum, quæ viri ſancti obitum ſequuta ſunt, tum maximè viſione quadam ſibi divinitùs oblata (teſte S. Bonaventura) impulſus eſt Gregorius. Cùm enim ille nonnihil hæſitaret de vulneratione lateris, an illud S. Franciſco ad eum modum, quo Chriſti latus infixum eſſet? intempeſta nocte B. ei Franciſcus, quadam faciei prætenſa duritie, in ſomnis apparuit, & hæſitationem cordis ipſius redarguens, elevando brachium dextrum detexit vulnus, phialamque ab eo popoſcit, ut ſcaturientem reciperet cruorem, qui ex latere defluebat. Obtulit in viſione ſummus Pontifex phialam, quæ uſque ad ſummum ſanguine profluente de latere videbatur impleri. Ex eo tempore erga ſanctum propenſior factus, diſcuſſo omni dubio, illum inter Cœlites ſolemni ritu retulit, ejusque anniverſarium feſtum Quarto Nonas Octobris celebrari juſſit. *Ei apparet S. Franciſcus ſeraphicus, & quare?* Simili honore affecit etiam Beatum Dominicum, cujus ſacras demortui exuvias ſuis ipſe manibus ſepulturæ tradiderat, dum Bononiæ pro Honorio III. Legati munere fungeretur. *Alios Sanctis adſcribit.* Antonium quoque Ulyſſiponenſem, cognomento *Paduanum*, quia eò loci Theologicam facultatem primus ex Ordine ſuo docuerat, ac miraculis, prophetiæ dono, ac vitæ ſanctitate celebris obierat. Eliſabetham etiam viduam, matronam ſanctiſſimam, Andreæ II. Hungariæ Regis filiam.

Fridericum Imp. anathemate defigit, & quare? Ut verò virtutibus & ſanctitate conſpicuos Cœlo aſſeruit, ſic è contrario Eccleſiæ rebelles, vitiiſque infames è fidelium numero expunxit. Atque inter hos præcipuè Fridericum Cæſarem, hoſtem Eccleſiæ ac Pontificum ipſo Nerone acerbiorem. Cauſæ intorti fulminis fuêre, ut breviter dicam: *Quia adverſus perſonam ſummi Sacerdotis ſeditionem excitavit: Epiſcopos ſanctæ ſedis Legatos contra Albigenſes hæreticos, ne in legatione procederent, detinuit: Clericos, Sacerdotes, Monachos, Epiſcopos, ſpreto dignitatis charactere, vinculis conſtrinxit, damnavit, deportavit, ſpoliavit, occidit: Eccleſias ac monaſteria diripuit, incendit, evertit, ac reparari vetuit: Sarracenos ad fidem converſos baptizari prohibuit: Bona, facultates, caſtella, oppida, terras Patrimonii Eccleſiæ, contra datam fidem & juramentum, vi occupavit, diſtraxit, peſſumdedit: Templarios, Hoſpitalarios, aliosq́; religioſi nominis viros, bonis ſpoliatos, admonitus non reſtituit, exagitavit, pepulit: Exactiones, gabelas, contra immunitatem Eccle-*

Eccleſiaſticam, à perſonis Deo dicatis pro extructione caſtrorum extorſit: Diſſidiis ſuis decretam in Sarracenos pro terra ſancta recuperatione expeditionem turbavit, impedivit; Cum Soldano Babylonia Tyranno fœdera Chriſtiana Reipublica perniciosa pepigit: In caput Chriſti Vicarij dolis, conſiliis, ope & opera, conductis ſicariis, & perduellibus, conſpiravit: Ac tandem, fama reſonante, de fide perperàm ſenſit. His, inquam, flagitiis contaminatum Fridericum Cæſarem, ceu apertum Eccleſiæ hoſtem & perſecutorem, Gregorius coactus in Cœna Domini anathemate perculit: omnes officio privans ac beneficio Eccleſiaſtico, qui ei poſt promulgatam excommunicationem divina celebrare præſumpſiſſent.

Anathemate percuſſus Fridericus, qui tum Patavii reſedebat, plenus irarum, ſtatim concionem convocavit in aula Patavina, ubi Petrus de Uineis Cæſaris Cancellarius panegyrim texuit in laudem Friderici, & opprobrium Pontificis. Tum cumulavit epiſtolas circulares in contumeliam ordinis Eccleſiaſtici ad omnes Imperii, & Regnorum Principes: iniquitatis, prævaricationis, injuſtitiæ, & perduellionis poſtulato iniquè Gregorio. E contrà Gregorius Deo & conſcientia fretus (ne ſedes Apoſtolica infamiâ aſpergeretur) encyclicas & ipſe litteras ad omnes Chriſtianos Principes expedivit, in quibus vitam, mores, crimina, ingratitudinem, immanitatem Friderici perſtringendo, mandavit, ut eas cum edicto anathematis ſuis in provinciis publicarent. Interim aſſociatis ſibi Venetis ac Genuenſibus adverſus Fridericum, Bononienſes quoque atque Mediolanenſes, medio Montelongo, adduxit in ſocietatem. Pugnatum aliquoties inter diſſidentes, ſed levi ac dubio Marte: cùm ecce Fridericus, immiſſis repentè in Genuenſes Eccleſiæ confœderatos Piſanis, & adverſus Anconitanos Henrico filio, ipſe cum exercitu toto in Ducatum ac Patrimonium irrupit, ubi Viterbium finitimaque loca ſolo majeſtatis occupavit aſpectu. Exinde vocatis ad ſe nonnullis Rebellibus Romanis, armis opibus ac nobilitate præſtantibus, eos Imperii beneficiarios conſtituit, mox feudali ſacramento obſtrictos, terris Eccleſiæ ablatis donat, præficitque, ea tamen lege, ut Gregorium Pontificem hoſtem ſuum acerrimum Urbe dejiciant. Nec defuêre ſtudiis adeò perverſis corrupti Proceres, ut paulò mox videbimus.

Fridericus contra Greg. ad Principes ſcribit.

Gregorio adverſus Fridericum.

Bellum inter ambos conflatur.

Frid. ſeditionem in Gregorium excitat.

Pontifex in ſummum Urbis ac capitis periculum adductus, ut opem ſollicitaret divinam, Clero ſtipatus ſacra Principum Apoſtolorum capita proferens, cum Cruce, cui lignum ineſt ſalutiferum, à Laterano in Vaticanum uſque proceſſit. Ubi oratione lacrymis potiùs quàm lingua ex umbone dicta, Friderici ſævitiam atque immanitatem pluribus expoſuit, omnibusque remiſſionem peccatorum, qui Crucis arma adverſus Eccleſiæ hoſtem ſumerent, cum benedictione indulſit. Nec paucos, qui ultrò ad arma ſacra pro Eccleſiæ defenſione ruerent, accendit; Qui zelo pietatis ducti, adventanti Friderico in Urbem, aditum oppoſitis ſignis intercluſêre. Ille autem rabie efferatus, cùm aliquot eorum inter pugnandum cepiſſet, quibusdam caput in quatuor diſſecuit partes, aliis candenti ferro crucis, ſignum impreſſit in fronte, nonnullos naribus, lingua, labiis, ac manibus detruncatos in furcam egit. Ex his unum Sacer-

Gregorius Deum in auxilium precibus vocat.

Friderici in aſſeclas Gregorii ſævitia.

Sacerdotali charactere inſignem, prægrandi cruci, (detracta priùs Salvatoris imagine) ſuffixit, igneque ſuppoſito vivum in cineres redegit, aſſiduò inter cruciatus Deum laudantem, ac verſiculum illum, *Te Martyrum candidatus laudat exercitus*, decantantem. Plura tum Fridericus, vel quiſquis ejus vices egit, indigna evomuit adverſus Pontificem: quorum unum:

Roma diù titubans longis erroribus acta
Corruet, & Mundi deſinet eſſe caput.

Cui Pontifex:

Niteris in caſſum Navem ſubmergere Petri:
Fluctuat; at nunquam mergitur iſta ratis.

Replicat Fridericus:

Fata volunt, ſtelleq; docent, aviumq; volatus,
Quòd Fridericus ego, malleus Orbis ero.

Reponit Pontifex:

Fata volunt, ſtellaq; docent, aviumq; volatus,
Quòd tibi vita brevis, pœna perennis erat.

Gregorius Concilium generale indicit, & quare?

Cæterùm calamitatem Pontificis juxtà ac Chriſtianorum adauxit Mars adverſus in Oriente, victis magna ſtrage Cruceſignatis apud Damaſcum. Tantis malis, ut remedium pararet Gregorius, Concilium Generale indicendum duxit anno ſalutis 1240. Itaque ad illud opportunè congregandum, tres ablegavit Cardinales trans Alpes, qui Epiſcopos ex omni plaga convocarent frequentes. Suſpectum cùm eſſet Friderico Concilium, ubi præſideret Gregorius hoſtis, cui Epiſcopi abdicationis metu, vellent nollent, cogerentur aſſentiri, tentabat litteris ad Reges ac Principes datis, illud quovis modo diſturbare. Ità terrenè ſentiebat Imperator, quaſi Concilio & Pontifici non præeſſet Spiritus ſanctus, cùm eſt legitimè congregatum Concilium. Dum itaque pro ſecuritate venientium Epiſcoporum Legati Romani conſilia miſcerent, Ligures Eccleſiæ confœderati, eâ moleſtiâ liberarunt anxios: offerentes, ſe Epiſcopos Concilio affuturos armata claſſe Romam advecturos. Fridericus etiam, doloſè promiſſa ſecuritate, ad terreſtre iter profecturos invitabat, cupiens eos de ſtatu rerum ſuarum commonefacere, ac litem inter ipſum & Pontificem vigentem iis exponere: conquerebatur enim, *Se à Pontifice contra jus faſq; inauditum fuiſſe damnatum, pro hæretico, ac hoſte Eccleſia divulgatum: nec æquum videri, ut cauſa innocentis ab homine inimico, ejuſq; amicis ac fautoribus rem ignorantibus judicetur.* Quaſi in occulto, & Friderico abſente futurum eſſet judicium: cùm ipſe omnium primus per Legatos & litteras fuiſſet vocatus. Ligurum verò promiſſis freti Patres, paratam ad id claſſem magno numero conſcendêre. Quo cognito Fridericus, factum in ſui contumeliam interpretatus, Entium filium nothum ingenti claſſe inſtructum admonuit, ut nulla mora hoſtiliter in eos moveret, omneſque vel caperet, vel armis aut undis opprimeret. Entius mandata patris exequuturus, armatis viginti triremibus, duce Stollio pirata ſagaci, v. Nonas Januarii anni 1241. Piſis egreſſus, Liguſticam claſſem obviam habuit, magnoque impetu adortam, adjuvantibus Piſanis, devicit: Patribus partim captis, partim interfectis,

Hoc impedire conatur Fridericus.

Friderici adverſus Papam futilis querela.

Patres ad Concilium tendentes perſequitur, capit, ac indignè habet.

fectis, aut mari fervente pugna ſubmerſis. Guillelmus Braccius Genuenſibus præerat, quem Patres ſummoperè rogaverant, ut altum teneret, nulliusque pugnæ periculo ſe ſe exponeret, ſed recta mare ſulcaret. Nihilominus verecundia obrutus, ſi Piſanis cederet, pugnam de induſtria iniit, in qua tres Liguſticæ triremes ſubmerſæ: viginti duæ captæ, in quibus tres Pontificis Legati cum pluribus ex Latinis & Tranſalpinis Patribus comprehenſi ſunt. Quærenti poſt pugnam Entio, quid de captivis agendum? reſpondit Fridericus more ſuo feraliter:

Omnes Prælati Papa mandante vocati,
Et tres Legati veniant hucuſque ligati.

Miſit Gregorius protinùs regularem quendam S. Dominici, Friderico non ingratum, pro captivorum liberatione: ſed Fridericus omni humanitate carens; *Sapientis non eſt*, reſpondit, *precibus hoſtis obſequi, vel aures præbere. Cùm Papa nullum perſequendi finem faciat, nec ipſe meliora de me ſperet.* Hisque verbis Religioſum expedivit. Haud mitius reſponſum dedit Ludovico Galliæ Regi, pro manumiſſione Gallorum Præſulum roganti: *Ne miretur*, inquiens, *Regia Celſitudo, ſi Prælatos Franciæ in anguſto tenet Auguſtus, qui ad anguſtias Auguſti temerè nitebantur.* Neapolim perducti captivi Præſules, quaſi viliſſima capita conſtricti vinculis, ac conglobati, fame, ſiti, ſquallore, æſtu, aliisque id genus incommodis ad necem uſque afflicti, magna ex parte in vinculis emarcuerunt, *non ſine palma martyrii*, ut ſcribit Matthæus Pariſius, licèt pontificiarum partium infenſiſſimus. Pontifex quantum doloris ex tantorum virorum ſervitute conceperit, triſtibus ſuis litteris, quibus mœrorem eorum lenire, hortarique eos ad conſtantiam ſtuduit, luculenter oſtendit: Vide *Purpur. doct. lib. 1. n. 72. & n. 74.*

Supplicationes pro manumiſſione Patrum non admittit.

Ejus in captivos Patres crudelitas.

Quantum verò ex diſſipata Genuenſium claſſe impius Cæſar ad opprimendam Eccleſiam animo creverit, ſuis ipſe litteris indicat, in quibus, poſt declamatam victoriam, inter alia ſic tumidus ſcribit: *Propenſiori conſilio Romam versùs victricia caſtra noſtra convertimus, ubi ſub vexillis potentiæ noſtræ nos acclamat fortuna felicior, per quam reliquiæ, ſi quæ ſunt, noſtrorum rebellium conſternantur.* Ita Nangius. Urbi itaque cum exercitu imminens, vicina Romæ loca nullo negotio occupat: tum per rebelles Proceres, feudali ſacramento, ut ſuprà diximus, ſibi adſtrictos, Romanum populum ad ſeditionem in Gregorium concitat. Quam cùm Pontifex nulla arte compeſcere poſſet, furorem ſimul declinaturus ac necem, relicta Urbe, ſeceſſit Reate: ubi hærens, nonis May graves litteras ad Fridericum dedit terroribus omnia complentem, ac Clerum & Monachos horrendis ſuppliciis divexantem; conteſtans eum, *ut ceſſaret à tyrannide & perſecutione innocentium, quorum clamorem, ululatum, & ſtridorem miſerabilem ad ſe aſcendiſſe teſtabatur: niſi obſequeretur, ſciret ſe brevi condignas ultori Deo pœnas daturum, cujus longanimitate ſuum ad interitum tam præfracto animo abuteretur.* Verùm ſurdo fabulam.

Friderici Imp. ſuperbia.

Seditionem Romæ excitat in Greg.

Gregorii monita obaudit.

Tandem multis pro Eccleſia laboribus ſuperatis, Gregorius eruditione, animi magnitudine, & vitæ ſanctitatæ clariſſimus, dum undique pericula ingruerent, & ſuborta malorum tempe-

Gregorius malis ingruentib. obrutus ſancto fine decedit.

ſtate navis Petri ſine requie quateretur, Friderico implacabili hoſte, terra marique ſæviente, beatiſſimus Pontifex centenario major, vocante cœlo, tot malis ſubtractus eſt Romæ XI. Kal. ſept. anno à partu virginis 1241. Pontificatus ſui 14. menſe 5. & die 10. Dignus longiore vita & ſede; utpotè qui pro Deo, Eccleſia, & libertate Eccleſiaſtica conſtanter depugnans, Apoſtolicæ fortitudinis exemplar ſubſecuturis Pontificibus in ſe expreſſerit; & non modò Urbis ornatum, verùm & univerſæ Eccleſiæ decus, & pontificiam majeſtatem amplificaverit. Sacrum ejus corpus in Baſilica Principis Apoſtolorum, magno bonorum omnium luctu, terræ mandatum eſt. Ferunt, Gregorii obitum maximam ſolis ecclypſim, ea ipſa qua obiit hora, prænuntiaſſe.

SCRIPTA.

Ejus Scripta. Scripſit Gregorius Juris utriuſque conſultiſſimus innumeras Decretales Epiſtolas, quarum ſeptem juſta Volumina in Vaticano aſſervantur; & earum aliquæ prodierunt cum Gloſſis Baſileæ anno 1511. Pariſiis 1541. & 1601. ac Venetiis 1591. In Cardinalium Nomenclatore legimus Gregorium Epiſtolas ſuas Decretales adunâſſe, & quinque libris digeſſiſſe ope S. Raymundi de Pennaforti Barcinonenſis, Prioris Generalis Ordinis Prædicatorum Tertii. Harum quædam prodierunt ſeparatim Græcè & Latinè, Scholiis illuſtratæ ſtudio Gerardi Voſſii; & Tomo 7. Conciliorum cum Notis Binii. Quadraginta ſex Gregorii litteras ad diverſos miſſas reſcripſit ex Bibliotheca Vaticana in ſua Italia ſacra Ferdinandus Ughellius, & aliquas in ſua Bibliotheca Præmonſtratenſi pro Præmonſtratenſibus datas Joannes Lepaige. Conſtitutiones edidit de non alienandis Ditionis Pontificæ locis, deque non extruendis in Sabinia Caſtris abſque Apoſtolicæ ſedis licentia: Aliam Conſtitutionem pro Benedictinis divulgavit, quæ prodiit Pariſiis anno 1619. Habentur etiam plures ejus m. ſſ. Sermones in variis Europæ Bibliothecis, teſte Rupipozæo Cardinalium Nomenclatore.

ANNO CHRISTI MCCXLI.

Imperatore FRIDERICO II. Auguſto.

DE COELESTINO IV. Pont. Max.

CLXXXI. TRigeſimo à Gregorii IX. parentalibus die, Cardinales poſt diutinas diſſenſiones, junctis tandem divina ope animis in eligendo Gaufrido Caſtilioneo Mediolanenſi, Epiſcopo Cardinali Sabino, concurrerunt; quem illuſtri proſapiâ natum, integerrimi mores, cumulata merita, ac ſcientia omnifaria, ad Apoſtolicam Sedem ſub nomine Cœleſtini IV. conſcendendam, dignum præ cæteris reddidêre, ut referunt inter alios Scriptores

Cœleſtinus vir doctrina & meritis inclytus.

ptores Stadenſis, ac Pariſius. Quorum poſterior, ob effœtam illum ſenectutem intra ſedecim dies è vita diſceſſiſſe, & communem famam venenum propinatum circumtuliſſe ait: ex cujus præpropera morte univerſa Eccleſia, quæ tot malis hactenus jactata nonnihil recreari cœperat, in priſtinos luctus conjecta eſt. Cæterùm veriſimile non videtur, adeò frequenter in Pontifices & Cardinales veneno graſſatum eſſe, ſed vulgus rumores illos, ut fieri ſolet, temerè ſparſiſſe credi non immeritò poteſt. At Monachus Patavinus in Chronico, auctor etiam antiquus Stero in Annalibus, aliique optimæ notæ Hiſtorici, decem & octo dies Cœleſtini Pontificatui tribuunt, nonnulli alii cum Ciaconio & Platina decem & ſeptem. *Paucis diebus præeſt.*

Obiit igitur Cœleſtinus ante coronationem ſuam, VIII. Idus Octobris, anno eodem quo electus eſt 1241. ac magno ſui relicto deſiderio ſepelitur in Vaticano cum inſigni hoc funerali elogio, ab Antonio Nigrino in Elogiis Caſtilioneis (ut auctor eſt Ferdinandus Ughellius in additionibus ad Ciaconium) relato.

D. O. M.

COELESTINO IV. CASTILIONEO. *Ejus Epitaphium.*

Mediolanenſi Pontifici Optimo Maximo

Prudentia, doctrina, eloquentia, morum gravitate,

vitaq; integritate, inſigni:

Qui cùm multis legationibus ſub GREGORIO IX. *egregiam pro Sacra Roman. Eccleſia opera navaſſet, ſummo totius Reſpubl. Chriſtianæ gaudio, Cardinalium omnium ſuffragiis, Pontifex optimus maximus pronunciatus eſt. Sed conceptam ex ejus Pontificatu lætitiam importuna mors publico mœrore, deſideriumq; mox immutavit.*

Obiit VIII. *Idus Octobris, anno ſalutis* MCCXLI.

Poſt Cœleſtini mortem Cardinales ad evitandum furorem Friderici Imperatoris, qui priſtinum in Eccleſiam odium non remittebat, eo inſepulto ex Urbe Anagniam fugerunt. Ab ipſius obitu vacavit ſedes duobus propè annis, ſeu octo menſibus, diebus quindecim ſupra annum unum. Nam hi, qui tum in Eccleſia auctoritate pollebant, exiſtimarunt, neminem in Pontificem eligendum eſſe, quouſque Cardinales à Friderico in carcere detenti dimitterentur. Aliqui in Cardinales carceribus concluſos protelationis cauſam rejiciunt, quòd ii electionem futuri Pontificis minùs ratam Eccleſiæ, & minùs gratam Friderico Cæſari exiſtimarent, ſi ſuffragia ſua in eam non contuliſſent: id verò prætexebant, ſive ut ſe ergaſtulis excluderent, ſive ut Friderico ea ratione gratificarentur. *Propè biennium vacat Sedes, & quare?*

SCRIPTA.

Scripſiſſe Cœleſtinum doctrina & eloquentia inſignem, nonnullas eruditas ac pias Orationes, dum in Altecumbæ cœnobio monachum ageret, aſſerit Guido Claræyallenſis. *Hiſtoriam* verò *Eccleſiaſticam Scotorum* condidiſſe, teſtatur Thomas Dempſterus. Plures ejuſdem epiſtolas extare, dicit laudatus Nigrinus in Elogiorum libro, *Cœleſtini Scripta.*

libro, quem de gente Caſtilionea edidit. Jo. Palatius pariter mentionem facit cujuſdam epiſtolæ, quam ad Epiſcopum Cathaneſium in Scotia ſcripſit, gratias ei agens, quòd Eccleſiaſticam dignitatem virili conſtantia propugnaſſet, miſſo Ægildo Legato.

ANNO CHRISTI MCCXLIII.

Imperatoribus Friderico II. Conrado IV. Guillelmo, & Henrico VII. Auguſtis.

DE

INNOCENTIO IV. Pont. Max.

CLXXXII. SInibaldus Fliſcus (quem aliqui perperàm Othonem nominant) Genuenſis ex Lavaniæ Comitibus, Monachus quondam S. Benedicti in Cœnobio S. Benigni Fructuariæ in agro Taurinenſi, & Cardinalis S. Laurentii in Lucina, poſt obitum Cœleſtini IV. Patrum ſuffragio Anagniæ renunciatus Romanus Pontifex, dictus eſt Innocentius hujus nominis IV. Hic *Pater & organum veritatis; Canoniſtarum ſplendor, & Juris parens* à multis Juris utriuſque peritiſſimis viris, ob ſummam eruditionem, ac Juris peritiam, meritò indigitatur. Hujus creationem menſe Junio celebratam refert Richardus his verbis: *Menſe Junio Sinibaldus S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis apud Anagniam in Papam Innocentium creatus eſt, voluntate, & conſenſu omnium Cardinalium.* Diem verò menſis, quo electus, & ſacris pontificalibus inauguratus eſt, notat Matthæus Pariſius coætaneus Scriptor in hæc verba: *Ipſo quoque anno 1243. die Nativitatis ſancti Joannis Baptiſtæ creatus eſt in Papam Dominus Sinibaldus Cardinalis, poſtquam vacaverat Sedes per annum, & novem menſes: & die Apoſtolorum Petri & Pauli confirmatus, & conſecratus eſt, & vocatum eſt nomen ejus Innocentius Quartus.* Ex his, atque ex ejuſdem litteris perſpicuum eſt, Innocentium IV. anno noſtræ ſalutis 1243. Apoſtolicum ſolium conſcendiſſe, ut ſupervacaneum exiſtimemus, Scriptores alios, qui idem affirmant, enumerare: quibus eorum error depellitur, qui ad Annum 1244. ac etiam 1245. electionem Innocentii contulêre. Ideo legimus inſtitutam fuiſſe Octavam Nativitatis Virginis Mariæ: Cardinales enim voto ſe obſtrinxerant celebrandi per orbem Octavam Nativitatis Virginis Mariæ, ſi eis daretur, ut concordes procederent ad electionem Romani Pontificis. Innocentius ergo inſtituit celebrari feſtum Nativitatis Virginis Mariæ die Octava menſis Septembris; & quia ejuſmodi electio Romani Pontificis gaudium & jucunditatem maximam attulit univerſo Mundo (vacaverat enim Sedes Romana propè biennium) propterea Pontifex ipſe attribuens eam jucunditatem Nativitati & meritis B. Virginis, inſtituit, ut diceretur Antiphona iſta: *Nativitas tua, Dei genitrix Virgo, gaudium annunciavit univerſo mundo.*

Innocentius vir ſuo ævo doctiſſimus.

Ejus creatio.

Octava Nativitatis Virginis Mariæ cur inſtituta.

Literas ſcribit de creatione ſua.

Suſceptis Eccleſiæ gubernaculis novus Pontifex de ſua creatione univerſos Chriſti fideles encyclicis litteris, ut moris erat, certiores

tiores fecit, quibus enixè commendavit, ut pacem à Deo ardentiſſimis precibus flagitarent, ad barbarorum ſurorem à cervicibus Chriſtianorum avertendum. Intereà Fridericus Imperator, audita Innocentii electione, non admodùm delectatus eſt. Nôrat enim hominis virtutem, animi magnitudinem, atque in tuendis Eccleſiæ juribus conſtantiam (anteà quippè familiariter unà convixerant) & ob eam rem verebatur, ne anteactæ à ſe vitæ rationem expoſceret, & quæ Eccleſiæ violenter abſtuliſſet, repeteret. Quare gratulantibus amicis, ob Sinibaldi Cardinalis peramici promotionem, mœſta voce repoſuiſſe fertur: *Optimum amicum Sinibaldum Cardinalem amiſimus: hoſtem acerrimum Innocentium Papam nacti ſumus.*

Romæ honorificè ſuſcipitur.

Innocentius autem Pontificium habitum indutus, peractis, quæ de more in conſecrandis coronandiſque Pontificibus fieri conſueverunt, Romam Anagniâ veniens, prodeunte obviàm Clero ac Magiſtratu Romano, magno omnium plauſu ſuſcipitur. Mox animum ad firmandam in Eccleſia concordiam adjungens, de pace cum Friderico ineunda mentionem facit, Balduino Imperatore Conſtantinopolitano, ad rem conficiendam, auctoritatem ſuam interponente. In longum verò protracta res, quatuor menſium tempus inſumpſit, Friderico ablata Eccleſiæ reſtituere, ac captivos Præſules dimittere renuente. Conventum denique inter eos, ut Pontifex civitatem Caſtellanam petens, eò loci Imperatorem operiretur, ſecum de rebus componendis ſermonem habiturum. Verùm cùm Pontifex paratas ſibi à Friderico inſidias, tum Romæ, tum in itinere certo indice comperiſſet, Genuenſium navigio fretus, quod apud Centumcellas in portu conſederat, in Franciam proficiſcens, ſecunda navigatione uſus, Lugdunum Galliarum, deluſo Imperatore, pervenit; benignè ab omnibus, juſſu Ludovici IX. Regis, ſuſceptus.

Fridericus ei inſidias ſtruit: ſed eluditur.

Fridericus Pontificis fugâ vehementer irritatus, Hetruriæ & Latii oppidis commeatu ac præſidio munitis, Piſàs acceſſit; initoque cum ſuis ulciſcendi Pontificis conſilio, Petrum de Vineis Juriſconſultum Parmam (ubi tres Pontificis ſorores nupſerant) miſit, ut eam urbem, pulſis Innocentii propinquis primariis civibus, in fide Friderici firmaret. His ſedulò curatis, Piſanorum claſſe uſus, ad nova in Eccleſiam molienda, in regnum rediit.

Fridericus Pontifici iraſcitur, ac nova in eum molitur.

Pontifex talionem Friderico aperto Eccleſiæ hoſti redditurus, indicto ſub annum 1245. Lugduni Concilio, eum litteris, nunciis, ac aperto demum præcone ad dicendam in Concilio cauſam citat, graviſſimis pœnis, niſi edicto obtemperaret, propoſitis. Imperator ægritudinem ſimulans, miſſis eò Legatis, qui ſe excuſarent, dilationem temporis à Pontifice petiit, ac ſe propediem, ubi convaluiſſet, compariturum promiſit. Innocentius Legatorum poſtulatis acquieſcens, terminum in menſem prorogavit. Verùm cùm Fridericus fallendi arte callidus, ex impetrata dilatione, occaſionem calumniandi & opprimendi Pontificis quæreret, omnium Patrum ac Principum conſenſu, præſente Balduino Imperatore, undecimo Kal. Julii anno ſalutis 1245. anathemate notatur, ac Imperio,

Citatur ad Concilium ad dicendam cauſam.

Anathematizatur, & imperio privatur.

rio, titulis, & regnis exauctoratur. Ea re incenſus irâ, ædes, villas, ac oppida cognatorum Innocentii, qui ejus monitu Parmâ, ubi fundos habebant, Placentiam commigrarant, dirui incendiqúe juſſit. Inito deinde fœdere cum Duce Burgundiæ, paratoque ingenti comitatu, proficiſci Lugdunum inſtituit. Pervenerat jam ad Taurinos, cùm ei nunciatum eſt, Parmenſes exules, ſuperatis ad Taram fluvium militibus ſuis, urbem vi ingreſſos maximam cædem edidiſſe. Conſternatus eo nuntio Fridericus, omiſſo itinere, quod cœperat, convocatis ex tota Italia copiis ſuis, (quas ad ſexaginta pugnatorum millia fuiſſe conſtat,) obſidere Parmam inſtituit: ad quam tuendam magna Civitatum ſociarum auxilia cum Legato Apoſtolico Cardinale Collemedio convenerant. Legatus Biennalem conſtanti animo obſidionem paſſus, tandem erumpens, Fridericum nihil tale metuentem aggreditur, fundit, fugatque; eumque caſtris rerum omnium copiâ refertis ſpoliat. Ea clade Fridericus Cæſar diadema aureum ingentis pretii, vaſa item aurea & argentea magni ponderis, univerſamque penè ſuppellectilem regiam amiſiſſe fertur. Ipſe verò ægrè fugâ dilapſus, Cremonam ſe contulit, quam tamen intrare non eſt auſus, quòd multi ex Cremonenſibus ipſi militantibus eo prælio cecidiſſent. Conſule Purpuram Doctam *lib. 1. n.79.* in vita *Petri Cardinalis Collemedii*: ubi hæc omnia fuſiùs pertractantur. Proderit etiam legiſſe Jo. Palatium *in vita Innocentii IV.* à n.2. uſque ad n.3.

Parmam obſidet.

Funditur ac fugatur.

At verò Innocentius, ubi intellexit Fridericum tanta accepta clade infractum animo, voluptatibus ſe dediſſe (quippè conſtructis amœniſſimis hortis turpem cum concubinis vitam agebat) hominis ſortem miſeratus, omiſſo Concilio Legatos per Galliam, Germaniam, aliaſque Provincias miſit, qui populis ſuaderent militiam Chriſti ſuſcipere, Regemque Francorum Ludovicum in Aſiam trajicere properantem ſequi. Id enim ſe facturum ſanctus Rex, dum gravi valetudine laboraret, concepto voto pollicitus erat.

Innocentius ſacram expeditionem urget.

Interim Arabes, Celpharao Ægypti Principe impellente, Templarios aggreſſi, eos fundunt; ac Hieroſolymam mœnibus carentem capiunt, Chriſtianos, qui tum in ea erant, trucidant, ipſumque ſacratiſſimum Domini ſepulchrum quovis genere turpitudinis fœdant. Hanc ob rem motus Innocentius, Ludovicum Regem accelerare iter in Aſiam cohortatur cum eo exercitu, quem ad eam rem comparaverat: qui appellens cum Claſſe in Syriam, Damiatam aliquandiù obſeſſam cepit, claſſem Soldani repulit, & pugnantes in littore terreſtres hoſtium copias ſuperavit, ibique ſtativa tamdiù habuit, donec urgente Innocentio reliquæ ab Italia copiæ ſubſequerentur. Quò minùs autem ex Italia eò miles proficiſceretur, Friderici rabies effecit, qui à libidinibus, quibus aliquandiu immerſus fuerat, ad arma converſus, totam Provinciam tumultu compleverat, impuleratque quaſdam Civitates ſtudio partium à Pontifice deſciſcere, maximè verò Forolivienſes, Ariminenſes, Urbinates, ac totum Picenum. In Umbria præterea defecerant omnes, præter Tudertinos, Peruſinos, & Aſiſiates. Soli autem Florentini in Hetruria Pontificem ſequebantur, quos certè adeò

Infidelium progreſſus.

Retunduntur à Rege Galliæ.

Friderici rabies impedimento eſt.

adeò bello vexavit Fridericus, ut tandem eos coëgerit Guelphos concives ſuos ab Urbe depellere. Bononienſes verò cum Henrico Friderici Præfecto pugnare auſi, hominem vincunt, & obtruncant.

Turbulentus Imperii ſtatus.

Intereà in Germania, ob exauctoratum Fridericum, fluctuavit aliquamdiù ſine gubernatore Imperium: quippè Henricus (dictus VII.) Landgravius Thuringiæ, deſignatus clavo ab Innocentio, dum ſe illi expedit, victoque æmulo Conrado Friderici filio, victoriam urget, in obſidione Ulmæ vulneratus interiit anno 1246. ad coronam evectus obſequio magis, quàm cupiditate. Huic altero pòſt anno ſubſtitutus Guilielmus Holandiæ Comes, licèt repugnante Friderico, & poſt ejus obitum Conrado filio, ſe tamen gerit pro Imperatore, donec anno 1255. pugnans contra Friſios, interemptus eſt.

Friderici interitus.

Fridericus autem mœrore ingenti ob res ſuas in Germania depreſſas correptus, ſimulque filii Conradi calamitate audita exagitatus, dum novos belli apparatus adornat, in Apuliæ vico, *Ferenſula* nuncupato, ſubita febri extinquitur Idibus Decembris, anno à Chriſto nato 1250. ætatis anno 57. Regni Siciliæ 40. Imperii 30. Sunt qui ſcribant, eum in Apulia febri laborantem, & jam jam adhibitis remediis convaleſcentem, à Manfredo filio adoleſcente ex nobili concubina ſuſcepto, injecto in os pulvinari mori coactum: Juſtè utique divinâ Nemeſi eum in filio plectente, qui Pontificem patrem mortalium ingratiſſimus ejuraſſet. Imperii, & Regni neapolitani hæredem reliquit Conradum, Romanorum Regem abs ſe olim deſignatum, ex Jolanta Joannis Hieroſolymorum Regis filia ſuſceptum: qui regnavit annos 3. menſes 5. dies 10.

Innocentius redit Romam numerum Sanctorum auget.

At verò Innocentius, incendiis bellorum jam penè in Italia extinctis, Romam è Gallia redire inſtituit, redactis tamen priùs in Sanctorum numerum beato Edmundo Cantuarienſi Archiepiſcopo Confeſſore; Stanislao Epiſcopo Cracovienſi ob defenſam Eccleſiaſticam immunitatem iniquè cæſo; Guilielmo item Epiſcopo Briocenſi, ac Petro Veronenſi Martyre: quorum nota ſanctitas crebris à Deo miraculis in vita & morte illuſtrata fuit.

Doctorum virorum cultor eximius.

Doctorum virorum familiaritate, doctiſſimus ipſe, mirè delectabatur: teſtimonio ſunt quatuor ab ipſo celebratæ Cardinalium creationes, quibus purpureas ſedes pridem vacuas, optimo quoque & doctiſſimo in Senatum cooptato, replevit: ac iiſdem *rubrum* ferendi *Galerum* poteſtatem fecit; ut ſcirent, capita ſua pro tuenda Eccleſiæ libertate, ad ſanguinem uſque & mortem teneri. Peruſinos ſtudium erga Romanam ſedem ſervare, ac opem Aſſiſinatibus pro Eccleſia laborantibus ferre præcepit, quorum dolorem ob inflictam abhoſtibus cladem litteris delinire eſt conatus, atque inter cœtera ſumma liberalitate Aſſiſinatibus indulſit, ut redditus omnes ad Romanam Eccleſiam in Aſſiſinate Diœceſi ſpectantes, annuo tantùm trium obolorum cenſu impoſito, viginti annorum ſpatio ad ſe derivarent. Conſtitutiones adverſus Eccleſiaſticam juriſdictionem à Prætore Portuenſi editas reſcidit. Parmenſes Clero Eccleſiæ Cathedralis ſatisfacere ſub interminatione cenſurarum imperavit: Epiſcopum Parmenſem, quòd bona ſuæ Eccleſiæ dilapidaſſet,

Rubrum Galerum Cardinalib. concedit.

Jura Eccleſia curat, ac Principes in ordinem redigit.

ſet, ab adminiſtratione ſacrorum ſuſpendit. Conradum Placentinum Prætorem, qui Nuncium Apoſtolicas litteras deferentem peſſimè acceperat, aliaque in Eccleſiaſticam libertatem ſcelera commiſerat, anathemate percuſſit. Denique Januenſibus, ut à laceſſendis, opprimendiſque Eccleſiaſticis viris temperarent, atque Archiepiſcopale Palatium, quod invaſerant, reſtituerent, præcepit. Contra hæreticos Italia inficientes, eorumque fautores, Inquiſitores quamplurimos inſtituit. Regibus quoque, humanis licèt legibus ſolutis, non tamen Dei vel naturæ, jura dictavit Innocentius: nam Jacobum Aragoniæ Regem, qui Epiſcopo Gerundenſi, quòd Regis crimen Innocentio detexiſſet, linguam abſcindi mandavit, piorum cœtu eouſque ſemovit, donec coram Epiſcopis in genua provolutus, ſacrilegi facinoris veniam petiiſſet, ac in criminis expiationem Monaſterium Ciſtercienſibus, & peregrinis hoſpitium Valentiæ erexiſſet. Henricum Angliæ Regem, ob depulſum ſua ſede Vintonienſem Epiſcopum, cenſuris ita perterruit, ut ſummo honore ac omnium plauſu Rex Præſulem in Angliam revocaverit. Sanctium quoque Regem Luſitaniæ, cujus inertiâ Eccleſia Luſitana facta erat ſpelunca latronum, regni adminiſtratione privavit, commiſſa juſtitiæ atque armorum auctoritate Alphonſo Sanctii fratri. Ferdinando etiam Caſtellæ Regi petenti filium minorem Eccleſiæ Oxomenſi præfici reſtitit, quòd Paſtore, non puero indigeret Eccleſia.

Albania in obſequium Eccleſiæ procumbit. Adjunxere verò ſe Romanæ Eccleſiæ ſub hoc Pontifice nonnullæ Provinciæ, quæ Græci Schiſmatis, quo tenebantur, vinculis diffractis, ſe in filiorum Dei libertatem vindicarunt. Prætulit facem inter cæteros populis ſuis Albaniæ Epiſcopus, qui nemini extra Eccleſiam Romanam ſalutem patere agnovit: quem Innocentius benignè excipi juſſit, datiſque Epiſcopo Antivarenſi litteris imperavit, ut ſi nullo anteà Epiſcopo Latino obnoxius fuiſſet, illum Sedi tantùm Apoſtolicæ pariturum decerneret. Nec Albania modò, *Unavia quoque.* verùm Unavia, & finitimæ Provinciæ, quæ latiſſimè excurrunt, miſſo Græcorum ſchiſmate Apoſtolicæ Sedi ſe ſubmiſerunt.

Quo læto nuntio, maximo gaudio delibutus Innocentius, ſummo Prædicatorum in Hungaria Magiſtro munus demandavit, ut in eas regiones ſocios ad inſtruendos populos, ac traducendos ad Ec- *Lituani item & Ruſſi.* cleſiæ Romanæ obſequia, mitteret. *Mendog* quoque, ſive Mindanus Lituanorum Pinceps Ethnicorum abjectis erroribus in Eccleſiæ obſequium tanto pietatis ſenſu, atque ardore ſe demiſit, ut Principatum etiam Divo Petro piiſſimè detulerit, ſeque illius ſtipendiarium perpetuò futurum profeſſus fuerit: cui Innocentius amantiſſimè paternum ſinum explicans, ejus ditionem in clientelam Apoſtolicam arripuit, atque ad ornandam præclaro aliquo præmio ejus pietatem, regia illum dignitate inſignivit. Ruſſi etiam ad Romanæ Eccleſiæ obſequium rediêre; qui licèt anteà Evangelica luce eſſent colluſtrati, in Græcorum tamen Schiſmate, atque erroribus merſi aliquandiù jacuerant. Ad hos Pruſſiæ Archiepiſcopum Sedis Apoſtolicæ Legatum miſit, illique injunxit, ut lectiſſimos quoſque viros ſcientiæ ac virtutum laude conſpicuos, ſive ſæculares Sacerdotes,

dotes, ſive ex Prædicatorum, ac Minorum religioſis familiis, aut aliis regularibus, Epiſcopos Ruſſis præficeret, iiſque conſecrationis munus impertiretur.

Cùm verò ſub annum Dominicæ Nativitatis 1254. Innocentius contra Manfredum à Proceribus Siciliæ Neapolim ad recuperandum Regnum vocaretur, eò cum exercitu profectus, maximoque omnium plauſu & honore ſuſceptus, incidit in morbum, quo in dies ingraveſcente, ſeptimo Idus Decembris ejusdem anni, ingenti bonorum omnium luctu, ſublatus eſt, poſtquam Eccleſiæ præfuiſſet annos undecim, menſes quinque, dies quatuordecim. Qua in Urbe funus ei magnificè curatum eſt in principe Templo, relictâ apud omnes non modò excellentis ſcientiæ & exquiſitæ virtutis famâ, ſed etiam admirandæ prudentiæ integerrimæque vitæ laude: ut profectò ii, qui cœleſti ultione, ob reſciſſa nonnulla Prædicatorum, & Minoritarum privilegia, extinctum tradunt, à mendacio & impoſtura non vacent. Horum figmenta ſolidis argumentis refutat & exſufflat, præter Oldoinum *in additionibus ad Ciaconium*, Jo. Palatius *in vita Innocentii*: qui, ne oleum in re exploratiſſima perdam, conſuli poſſunt. Auctores fabulæ ſunt Thomas Cantipratenſis *lib. 2. cap 10.* & Abraham Bzovius *ad annum 1254. n. 2.* Quorum auctoritas non raro apud Scriptores vacillat. Cæterùm ſepultus eſt Innocentius in marmoreo Sarcophago Neapoli cum hoc ſequenti elogio.

Obitus Innocentii.

Defenditur à calumnia.

Ejus Epitaphium.

Hic Superis dignus, requieſcit Papa benignus,
Lætus de FLISCO, *ſepultus tempore priſco:*
Vir Sacer, & rectus, ſancto velamine tectus,
Ut jam collapſo mundo temeraria paſſo,
Sancta miniſtrari Urbs poſſet quoque rectificari,
Concilium fecit, veteraq; juſſa refecit:
Hæreſis illiſa ex tunc exstitit, atque reciſa,
Mœnia direxit, rectè ſibi credita rexit,
Stravit inimicum Chriſti colubrum Fridericum.
Janua de nato gaudet ſic clarificato:
Laudibus immenſis Urbs tu quoque Parthenopenſis,
Pulchra decore ſatis, dedit hic ſibi plurima gratis,
Hoc titulavit ita, Umbertus Metropolita.

Priſcam hanc Inſcriptionem ab Humberto Archiepiſcopo Neapolitano conditam, Hannibal de Capua in Pontificatu Neapolitano ſucceſſor vetuſtate collapſam, adjecto novo elogio, multis pòſt annis ſic reſtituit.

D. O. M.
INNOCENTIO IV. PONT. MAX.
DE OMNI CHRISTIANA REPUB. OPTIME MERITO:
QUI NATALI S. JOANNIS BAPTISTÆ ANNO 1243. PONTIFEX RENUNCIATUS, DIE APOSTOLORUM PRINCIPI SACRA CORONATUS, QUUM PURPUREO PRIMUS PILEO CARDINALES EXORNASSET, NEAPOLIM A CONRADO EVERSAM, S. P. RESTITUENDAM CURASSET, INNUMERISQUE ALIIS PRÆCLARE, ET PROPE DIVINE GESTIS PONTIFICATUM SUUM QUAM MAXIME ILLUSTREM REDDIDISSET,

DISSET, ANNO 1254 BEATÆ LUCIÆ VIRGINIS LUCE HAC LUCE CESSIT.
ANNIBAL DE CAPUA ARCHIEPISCOPUS NEAPOLIT.
IN SANCTISSIMI VIRI MEMORIAM
ABOLETUM VETUSTATE EPIGRAMMA RESTITUIT.

Jam quæ monumenta litteraria ediderit doctiſſimus hic Pontifex videamus.

S C R I P T A.

Innocentii Scripta. Scripſit Innocentius (quem Trithemius in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis *Virum in Divinis Scripturis, & in Jure doctiſſimum* appellat) libros magna eruditione ac pietate refertos :

Interpretationes ad Vetus Teſtamentum.
De Poteſtate Eccleſiaſtica lib. 1.
Librum Exceptionum.
In Sextum Decretalium, atque Epiſtolarum ad diverſos lib. 1.
Clariſſarum Regulam.
Vitam S. Guillelmi Epiſcopi Brioceniis.

Edidit prætereà inſignem Commentarium in Decretalium libros, quem *Apparatum* vocavit; brevem quidem & eruditum librum, Juris Canonici & Civilis Interpretibus apprimè neceſſarium, magnique ab ipſis habitum : continet enim ſolidiſſimas diſputationes, quæ res dubias propè omnes aperiunt, atque explanant.

De hoc Innocentii *Apparatu* ſic loquitur Auguſtinus Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium : *Tradunt poſt Synodum Lugduni habitam (in qua Fridericum Cæſarem Imperio abdicavit) cùm ibidem longiùs moraretur, Commentarios ſuos in Decretales conſcripſiſſe; qui quidem Commentarii in tanta apud poſteros Juriſconſultos auctoritate fuerunt, ut plerique Patrem Veritatis Innocentium appellaverint. In eo tamen à quibuſdam reprehenſus eſt, quòd dum brevis eſſe laboravit, obſcurus evaſerit.* Hoc memorabile eſt, quòd quamquam Pontifex jam Commentarios illos ediderit, non tamen majorem illos auctoritatem aliorum Scriptis habere ipſe quoque voluerit, & ingenuè ſæpè profeſſus fuerit non hoc ſe cogitaſſe, cùm commentaretur, ut Gloſſæ ſuæ jus facerent. *Ejus modeſtia*

Edidit & alium egregium Tractatum, in Conciliis approbatum, *Novellas* nuncupatum; quem Oſtienſis in Summa *Authendicas* vocat.

Scripſit quoque Librum *de Romani Pontificis auctoritate*, & *Imperatoris Juribus* contra Petrum de Vineis, qui Imperii, & rerum omnium prophanarum arbitrium penès ſolum Imperatorem eſſe profitebatur : quem librum Pontifex *Apologeticum* vocavit.

Commentatus etiam eſt librum *de Poteſtate Imperii, & Eccleſiæ*, teſte Poſſevino, alium ab Apologetico, de quo ſuprà.

Ordinavit quoque, ex Baronio in Notis Martyrologii ad diem xv. Septembris, *Officium*, quod in octava Nativitatis B. Virginis Mariæ recitare ſolemus.

Nonnullos item Sermones de Sanctis, & de Tempore.

Et alia quædam minutiora.

Extant etiam(teſte Ciaconio) in Bibliotheca Vaticana quinque ejus Regiſtri

Regiſtri Volumina, inſigni doctrinâ, & rerum reconditarum ſcientiâ referta.

ANNO CHRISTI MCCLIV.

Imperatoribus dubiis Conrado IV. Richardo, & Alphonſo Auguſtis.

DE

ALEXANDRO IV. Pontif. M.

ALexander IV. Raynaldus anteà vocatus, patria Anagninus, Philippo Signiæ Comite patre genitus, ac à Monachis Benedictinis liberalibus diſciplinis inſtitutus, cùm diu inter Canonicos Eccleſiæ Anagninæ verſatus eſſet, ac Oſtienſem & Veliternum Epiſcopatum Cardinalis circiter ſeptennium rexiſſet, ad Pontificiæ dignitatis apicem ob egregia virtutum ornamenta, ſublato è vivis Innocentio IV. aſcendit. Vir doctrina, eruditione, prudentia, eloquio, & vitæ ſanctitate inſignis. Quem præter Monumenta Sanblaſiana Hercyniæ mihi liberaliter communicata, Wion & Bucelinus (diſſentientibus licèt Ciaconio, Oldoino, ac Palatio) alumnum ordinis Divi Benedicti faciunt. CLXXXIII. *Vir doctrina & ſanctitate præſtans.*

Præſtantiſſimi hujus Viri laudes haud potuit ſilere Matthæus Pariſius, quamquàm ex inſito in Romanos Pontifices odio ad eas obſcurandas non levem nimiæ facilitatis in adulatorum ſuſurris excipiendis, & avarorum ſequendis voluntatibus, nævum ei adſperſerit his verbis: *Sublato de medio Innocentio IV. Papa, ſubrogatus eſt alius vir, ut ajunt, ſatis benignus, & benè religioſus, aſſiduus in orationibus, & in abſtinentia ſtrenuus; ſed ſibilis adulantium ſeducibilis, & pravis avarorum ſuggeſtionibus inclinativus, Epiſcopus videlicet Oſtienſis, & nepos Gregorii IX. pridem defuncti, qui ipſum in Epiſcopatum promoverat, & vocatus eſt Alexander videlicet IV.* Pergit deinde idem Auctor: *Scripſit autem in principio creationis ſua cunctis Eccleſiarum Prælatis, poſtulans humiliter, nt orarent pro ipſo, nt Dominns daret ei poteſtatem, gratiam, & voluntatem Eccleſiam Dei congruè gubernare, & Vicarius Dei, & Petri Succeſſor competenter appellari.* Extant hæ litteræ à Pariſio indigitatæ in Vaticano Codice, quæ ſingularem Alexandri abjectè de ſe ſentientis Chriſtianam animi demiſſionem oſtendunt. Vin' experimentum? genuina ipſius humillimi Pontificis verba dabo: lege; ſimulque mirâre, quàm enormiter putidus Calviniſta Mornæus mentiatur, dum Alexandrum *Hominem ſuperbum & arrogantem* criminatur. Verba Pontificis in litteris circularibus ad Principes & Prælatos hæc ſunt: *Cumq;, ut moris eſt, Spiritus ſancti poſtulato ſuffragio, ſingulorum vota diligenter exquiſita fuiſſent, in Nos demum ſuos direxerunt animos, præeligentes indignitatem noſtram ad exequendum tanta dignitatis officium; cum noſtrorum parvitatem meritorum deceret ſubeſſe potius, quàm tantò culmine præcedere. Nimirum trepidavimus, & intra nos cor noſtrum quaſi ſtupore gelavit, & eorumdem intentioni fratrum reſtitimus, renuendo prorſus ad ſummi Ponti-* *Ejus vel ex hoſte elogium* *Ejus humilitas.* *Mornæi mendacium.*

ficatus apicem ſublimari; & exorando inſtanter, ut imponerent alteri onus iſtud. Ipſi vero propoſito fortiùs inſiſtentes, noſtrâ recuſatione, ac deprecatione omnino repulsâ, perſonam noſtram quantumcunque renitentem, quâdam violentiâ cœgerunt, & extenſis in eam manibus, ad aſſentiendum eorum deſideriis nos pertinaciter attraxère. Unde, ne divina videremur providentia obluctari, votis ad ultimum, quamquàm inviti, acquievimus. Ex his conjice mendacem petulantiſſimi Mornæi linguam, fruſtrà integerrimi famam Pontificis, impactâ duplici ſuperbiæ & ambitionis calumniâ, obfuſcare conantem. Sed huic pridem caput pro meritis ſcalpſit pectine haud eburneo Gretſerus veritatis vindex & aſſertor eximius, *Cap. 55. Exam. Myſterii Pleſſaani*, qui videri poteſt.

Alexander monet Manfredum. Alexander Pontifex renunciatus, ſtatim per litteras Manfredum Friderici nothum admonuit, ne quicquam contra dignitatem Eccleſiæ moliatur, & à rapinis rerum Eccleſiaſticarum deſiſtat, ſecus ſe Petri gladio in ipſum uſurum. Manfredus Pontificis monita contemnens, accerſitis clanculùm à Nuceria Sarracenis, copias Eccleſiæ nil tale metuentes apud Foſſam aggreſſus, partim occidit, partim cepit, jam pridem animos regios gerens mortuo (ut ipſe fingebat) Conradino, cujus ſe hæredem meritò futurum jactitabat.

Res Orientis malè ſuccedunt. Chriſtiani autem, qui ſtativa ad Pharamiam habebant, peſte ac fame ſenſim laborare cœperunt, parte Nili ab hoſtibus occupatâ, per quam commeatus in caſtra vehebantur. Eò enim Patriarcha Hieroſolymitanus cum multis navigiis profectus, ab hoſtibus circumventus capitur. Eapropter Ludovicus Francorum Rex, ne fame opprimeretur, Damiatam repetens, in maximas hoſtium copias

S. Ludovicus capitur. incidit, à quibus bello ſuperatus, cum fratribus Alphonſo Pictavienſi, & Carolo Andegavenſi Comitibus in poteſtatem redigitur. Verùm interfecto à ſuis poſt tantam victoriam Soldano, alter, qui ei ſuffectus eſt, recuperatâ Damiatâ, & acceptâ pecuniâ, Chriſtia-

Liberatur. nos omnes libertate donatos Ptolemaidam perduxit. Ludovicus autem Rex, ſuadente Alexandro Pontifice, remiſſis in patriam Comitibus germanis, tamdiù in Aſia perſtitit, quoad Cæſarea, Joppe & Sidon (quæ oppida Chriſtiani nuper de Sarracenis receperant) inſtaurata, præſidiis firmarentur. Tum demum ipſe ſexto expeditionis ſuæ anno (morte matris auditâ) in Gallias revertitur, ac poſt

Sanctè moritur. adminiſtratum integerrimè regnum, anno ſalutis 1270. ætatis ſuæ 56. regni 44. ſanctiſſimè, uti vixerat, moritur. Quem poſteà Bonifacius VIII. anno 1297. admirandis coruſcantem ſignis inter Sanctos retulit.

Alexander contra Manfredum agit. Intereà Alexander Pontifex, excommunicato Manfredo, Anagniam profectus, Cardinalem Octavianum Ubaldina gente ortum Neapolim eo fine mittit, ut cives ejus Urbis contra Manfredum in fide & obſequio Eccleſiæ contineret, pollicitus ſe brevi Campanis omnibus, ac Neapolitanis auxilio affuturum. Sed Manfredus non

Factionem diſcordia. contentus Neapolitanos ac conterminos populos vexare, in Hetruria acerbas quoque factiones movet; maximè verò Florentiæ, quæ Urbs mortuo Friderico, ſtatim ſe ſe in libertatem vindicaverat: unde communi decreto placuit Guelphos ſub Friderico ejectos in patriam revocare, qui Gibellinorum conatibus reſiſterent. Hac

itaque

itaque ratione Gulpha factio mirè aucta, tantùm in Hetruria valuit, ut Piſtorienſes, Aretinos, Piſanos, Senenſes, qui Guelphos concives ſuos ejecerant, gravi odio & maximis bellis perſequeretur, ac Lucenſes contra Piſanos potiſſimùm adjuvaret: quos certè Florentini ad Arſetim fluvium tum ſuperatos oppreſſiſſent, niſi Bonitii Oppidi ſuſpectam fidem habuiſſent. Erat enim Bonitium in valle Elſæ ſitum, à Senis duodecim paſſuum millibus diſtans, loco, natura, & arte munitum, quo quidem Gibellini ut arce belli in Guelphos utebantur. Hoc vi ſublato, & everſo, Florentini, contra quos Manfredus ſenſerat, Alexandro Potifici Manfredi adverſario fidem & copias pollicentur. Quare Manfredus jam Rex Panhormi declaratus, conducto Sarraceno milite, & Legatum Apoſtolicum Cardinalem Octavianum magnis cladibus attrivit, & Jordanem militiæ ſuæ Præfectum cum mille & quingentis equitibus in auxilium Senenſibus contra Florentinos miſit, qui non multò pòſt junctis viribus Florentinos ad Arbiam flumen tanta clade ſuperarunt, ut relinquere Urbem hoſtibus ſint coacti. *Manfredi Progreſſus.*

Non deſtitit tamen vigilantiſſimus Pontifex Tyrannos Eccleſiæ ubique locorum cenſuris, & armis perſequi. Cùm enim Ezelinus Tyrannus, occupatâ jam Venetorum ditione, Mantuam obſediſſet Philippum Fontanelium Archiepiſcopum Ravennatem Alexander Venetias properare juſſit, qui prædicatâ Chriſti Cruce, comparatoque exercitu Anſelmum Ezelini tyranni affinem è Patavio expulit. Ea re turbatus Ezelinus, Mantuam obſidione ſolvens, ac Veronam concitato gradu petens, cùm recuperandi Patavii ſpem omninò amiſiſſet, in inſontes Patavinos (quorum ad duodecim milla in caſtris habebat) variis cruciatibus debacchatus eſt, ne uxoribus quidem eorum, aut parvulis ab ubere pendentibus parcens. *Ezelinus Tyrannus.* *Ejus crudelitas.*

Tum verò Theologi quidam Ordinis Minorum ab Alexandro Brixiam miſſi, eò prædicando civitatem deduxerunt, ut & Guelphos extorres reciperent, & partes Eccleſiæ ſequerentur. Id quoque Placentini & Cremonenſes feciſſent, ni Obertus Palavicinus dominatum adjuvantibus Gibellinis occupaſſet. In hunc verò, & Ezelinum belli ſocium Legatus Apoſtolicus in conſortio Guelphorum Brixiâ movens, apud Hambaram magnâ acceptâ clade ſuperatur, & capitur cum Epiſcopo Brixiano, & factionis Guelphæ optimatibus, quos omnes Ezelinus acceptâ priùs Brixiâ incolumes dimiſit anno ſalutis 1258. Legatus autem Apoſtolicus veritus, ne Ezelini potentia ſupra modum excreſceret, ſejungere Obertum Palavicinum ab Ezelino inſtituit. Id verò potiſſimum per Boſum Donarium nobilem ac opulentum civem Cremonenſem tentat, qui propoſitâ Oberto cum deteſtatione Ezelini crudelitate & ſævitiâ, eò hominem impulit, ut is, ejurato Tyranno, cum Mediolanenſibus ac Mantuanis, aliiſque ſociis Civitatibus fœdus iniret. Tum verò Ezelinus in furorem actus, quòd omnes propemodùm in ſe conjurâſſe cerneret, comparato ad Caſſanum ingenti exercitu omnem Inſubriam ferro & igne vaſtans, fœderatas Civitates ad bellum excivit, à quibus, ultore Deo, cùm Mediolanum aggreſſurus eſſet, ſuperatus & captus, quadrageſimo tyrannidis ſuæ anno (qui fuit *Progreſſus.* *Conjuratio in eum.* *Inſubriam vaſtat.*

Captus perit. Chriſti 1259.) deſperabundus Socini dignam orco animam efflavit: Socinum enim poſt acceptum lethale vulnus delatus fuerat.

Sublato hoc monſtro, omnes Ciſalpinæ Civitates libertatem conſecutæ, Alexandri Pontificis deinceps auſpicia & monita ſecutæ ſunt. Legatus autem Apoſtolicus, qui Patavinos in libertatem vindicaverat, reliquias bellorum perſecutus, Albericum Ezelini fratrem Tarviſio pulſum, cum uxore & liberis obtruncat. *Ezelini frater occiditur* Alexander verò Pontifex, extincto tanto incendio, repetere bellum Aſiaticum inſtituerat, ſed diſcordia Genuenſes inter & Venetos exorta (de qua fuſiùs Platina in Alexandro IV.) effecit, ne tam pium tamque neceſſarium bellum, etſi maximè vellet, proſequi poſſet. Quare ad alia converſus, cùm inter Mediolanenſes, obtruncato per inſidias eorum Præfecto, graviſſimæ exarſiſſent diſcordiæ, ad eas funditùs evellendas, pro paterno amore, quo ipſos complectebatur, Epiſcopum Bononienſem virum ſpectatiſſimæ prudentiæ ad eos conciliandos, avertendaque imminentia pericula proficiſci illicò juſſit.

Jacobus à Trecis legatur in Orientem. Cùm verò in Pomerania, Jacobi è Trecis Leodienſis Archidiaconi Apoſtolicæ Sedis Legati operâ bellum atrox extinctum eſſet, aliam illi longè auguſtiorem in Oriente demandavit Legationem Alexander; hæc ad eum ſcribens, teſte Longino ad annum 1255. *Tibi, quem charum habemus tuorum exigentiâ meritorum, plenæ legationis officium tam in Provincia Hieroſolymitana, quàm etiam in exercitu Chriſtiano, ubicunque pro ſubſidio Terræ ſanctæ in dicta Provincia fueris, de fratrum noſtrorum conſilio duximus committendum, firmam ſpem fiduciamq́, tenentes, ut, cùm ſemper dilexeris juſtitiam, & iniquitatem oderis, tibiq́ præſto ſit judicium rationis, recta reges, & diriges indirecta, aſperaq́ converteſ in plana.* Roſtanum inſuper Romanæ Eccleſiæ Subdiaconum in Aquitaniam Legatum miſit, *Roſtanus in Aquitaniam* ut Henricum Angliæ Regem ad expeditionem Aſiaticam urgeret. Apoſtolicam etiam ſollicitudinem ac ſtudium defixit ad Græcos à Schiſmate funeſto, in quo tot ſæculis demerſi jacuerant, revocandos, & Eccleſiæ reſtituendos, atque adeò ad tantum perficiendum opus Epiſcopum Urbevetanum Legati dignitate auctum, ad Theodorum Imperatorem Conſtantinopolitanum miſit. *Præſul Urbevetanus Conſtantinopolim*

Arlotus in Angliam, aliiq́. In Angliam verò Arlotum primò, deinde Meſſanenſem Archiepiſcopum, demum Manſuetum Minoritam Legationis munere inſignitos, ſummaque auctoritate pro gerenda commiſſa provincia inſtructos legavit, ut cum Rege Angliæ de vindicanda è manibus Manfredi Sicilia conſilia agitarent.

Sacrum bellum in infideles urgetur. Auditâ poſtmodùm Lituanorum, aliorumque infidelium in Poloniam irruptione, victricia Crucis ſigna expandi, populoſque ad religioſam militiam illicò convocari juſſit. Perſonuit igitur ſacrum claſſicum ad Paganos debellandos, & Eccleſiæ ſubjiciendos, in Polonia, Bohemia, Moravia & Auſtria: munuſque accendendi in arma Chriſtianum populum inter cæteros commiſſum Bartholomæo Bohemo Minoritæ viro ingentis exiſtimationis, ac ſacra eloquentiâ florentiſſimo. Inſuper Gneſnenſi, & Magdeburgenſi Archiepiſcopis injunxit, ut Crucis ſigna adverſus Boleſlaum Ducem Legnicenſem, qui Thomam Vradiſlavienſem Epiſcopum carcere inclu-

incluſum tenebat, attollerent, populoſque ad ſacram expeditionem in Tyrannum, Eccleſiaſticas cenſuras ſpernentem, accingendos curarent, ingenti Indulgentiarum theſauro iis propoſito, qui accepto Crucis ſymbolo tam ſacram militiam profiterentur. Sunt & alia egregii hujus Pontificis opera memoranda, quæ, ne longior ſim, apud Ciaconium, Oldoinum, Victorellum, Raynaldum, aliosque videri poſſunt.

Alexander cenſuris agit in facinoroſos. Armis, ut vidimus, Infidelium audaciam infringere, ac vi vim illorum repellere conatus eſt Alexander: Chriſtianorum verò animos non ferro, ſed cenſuris ſuperavit. Mantuanos enim, qui Pigunagiam Apoſtolicæ Sedi obnoxiam occupaverant; Alphonſum III. Luſitaniæ Regem, qui Boloniam Comitiſſam legitimam conjugem, introducto ſcorto, derelinquerat; Boleslaum Ducem, qui Thomam Epiſcopum Vratislavienſem unà cum Præpoſito, & Eccardo Canonico in vincula conjecerat; Archiepiſcopum Eboracenſem *Scuvalum* nomine, quia pervicaciter Pontificiis imperiis adverſabatur; Manfredo ob coronam Siciliæ uſurpatam, aliosque Italiæ tyrannos anathemate percuſſit.

Salutem animarum promovet. Et cùm non ignoraret, quanti intereſſet, ut Præſules optima virtutum exempla in ſubditos transfunderent, ad revocandum Chriſtianæ ſanctitatis florem, in Sardinia, & Corſica Archiepiſcopo Calaritano legationis fungendæ in iis partibus munus commiſit, ut ad ſalutem animarum promovendam incumberet, Eccleſiæ auctoritatem corroboraret, pravos mores deleret, & priſtinum pietatis florem, exciſis undique vitiis & abuſibus, revocaret.

Epiſcopos officii admonet Obſoleſcente in Suecia Clericalis diſciplinæ ſplendore, Ypſalenſem Archiepiſcopum ad reſtituendum morum priſtinum nitorem excitavit. Encyclitis etiam litteris quaquaverſum datis Archiepiſcopos, & Epiſcopos omnes officii admonuit, propoſitâ ob oculos ipſorum dignitate, qua cæteris eminebant, ut ſaluti gregis commiſſi diligentiſſimè invigilarent: & incuſſit divini judicii terrorem, cùm tot pereuntium animarum ſtragem, effuſique ſui ſanguinis pretium Chriſtus Dominus ab ipſis repetiturus eſſet: acerrimos quoque ſtimulos admovit, ut fœdiſſima ſcandala à ſuis Eccleſiis amoverent, neque paterentur Clericos, qui in concubinatûs cœno volutabantur, publici ſceleris exempla in populos transfundere, quippè Cleri diſſolutionem malorum omnium eſſe originem, funeſtumque tot cladium fontem, quæ in Eccleſiam redundarent. Quò verò majori auctoritate inſtructi Præſules, impudicos percellere, atque ad officium debitum revocare poſſent, præcepit, ut omni provocatione ad Apoſtolicam Sedem abjectâ, in eos juxta legum Eccleſiaſticarum ſeveritatem animadverterent.

Mulieribus pœnitentibus conſulit. Nec in expoliendis modò Clericis incubuit Alexander, verùm etiam in educendis è vitiorum cœno perditis animabus, & continendis, ne in pejora flagitia prolaberentur, ſtudium contulit. Cùm enim accepiſſet piorum hominum operâ plures in Urbe mulierculas (quæ laxatis impudicitiæ frænis, obſcœnis ſe ſe cupiditatibus dediderant) urente præteritorum conſcientiâ ab impuris voluptatibus ſe ſe avulſiſſe, ac generoſa ſectandæ auſterioris vitæ conſilia

ſuſce-

ſuſcepiſſe; zelo adductus Alexander, ut eas Chriſto animas lucraretur, quibus dæmon tanquam tot laqueis ad veſanos amatores irretiendos uſus fuerat, Joanni Presbytero S. Lucinæ Cardinali onus impoſuit, ut iis Eccleſiam, atque Ædes ſuper Minervam attribueret, ut ab humano ſegregatæ conſortio, præteritæ vitæ maculas lachrymis eluerent, & delibatas malè illecebras expiarent: cumque is locus ipſis idoneus non eſſet viſus, præcepit Pontifex, ut ad Eccleſiam S. Pancratii traducerentur.

Doctis favet. Ipſe verò Pontifex, ubi ab externis negotiis vacuus fuit ſemper aliquid, quod ingenium ſaperet, edidit; nam & deinceps Epiſtolas Decretales compilavit, & viris doctis ita favit, ut eorum pleroſque vel ad Infulas, vel ad purpuram provexerit. Anteà omnia *Religioſis patrocinatur.* verò beneficus & liberalis extitit erga pauperes Chriſti, Religioſos, & de religione benè meritos: unde libellos quoſdam contra paupertatem à Guillelmo *de ſancto Amore* Doctore Pariſienſi editos, perpetuo edicto abolevit. Affirmabat enim hic auctor, pauperes Religioni deditos, & eleemoſynis viventes non eſſe in ſtatu ſalutis. Contra hunc Guillelmum, Religioſorum Mendicantium ſtatûs vituperatorem, egregiè pugnavit D. Thomas Aquinas Theologorum Coryphæus, inſigni Opuſculo edito, cujus prima verba ſunt: *Ecce Inimici tui &c.* quo Guillelmi pernicioſum dogma ſolidiſſimè refutavit, confodit inque oblivionis lacunas detruſit.

Sanctè moritur. Expletis igitur omnibus optimi & vigilantiſſimi Pontificis numeris, dum Anagniâ Viterbium, pacem inter Venetos & Genuenſes compoſiturus, ſe contuliſſet; odiaque funeſta, nullo propè remedio tollenda, in dies augeri vidiſſet, mœrore animi ex offenſâ Numinis concepto, ritè expiatus deceſſit è vita Octavo Kal. Junii anno ſalutis 1261. Pontificatus ſui anno ſexto, menſe & die quinto. Sepultus ibidem in Eccleſia Cathedrali S. Laurentio ſacrâ.

SCRIPTA.

Ejus Scripta. Scripſit Alexander Epiſtolas quamplurimas, quarum integrum Regiſtrum extat m. ſ. in Vaticano, earumque multas reſcripſerunt in Annalibus Eccleſiaſticis Abraham Bzovius, & Odericus Raynaldus: Stero item in Annalibus, Caniſius *tomo 1. Antiq.* & Severinus Binius *tomo 7. Conciliorum.*

Edidit etiam Sermones ſacros; namque, ut Ptolomæus Lucenſis in ejus vita ſcribit: *prædicabat frequenter verbum Dei; multaſq; Decretales fecit, quæ in Sexto diverſis titulis continentur.*

Varia ejuſdem Diplomata adſtruunt Andreas Victorellus *in Additionibus ad Ciaconium*, Waddingus *tomo 2. Annalium Minorum ad annum 1255.* & Oldoinus *in Notis Ciconianis.* Habentur autem collecta omnia tomo 1. in Bullarii.

ANNO

ANNO CHRISTI MCCLXI.

Imperatoribus dubiis Richardo, & Alphonſo Auguſtis.

DE

URBANO IV. Pontifice Maxim.

URbani IV. Pontificis (qui ante Pontificatum Jacobus è Trecis appellabatur) patriam, ac primam vitæ inſtitutionem, præter alios Scriptores, his verbis deſcribit contemporaneus auctor Gregorius Decanus apud Maſſonium: *Jacobo Trecenſi, Archidiacono quondam Leodienſi, de Catholicis orto parentibus Trecarum civitas cognomen adjecit (Jacobus enim è Trecis vocabatur) quæ Civitas famoſa populorum frequentià, & nemoribus, & pratis amæna, in Campania ſita, dulcem habitatoribus exhibet ſuis amænitatibus incolatum.* Parentum conditionem auctor premit ſilentio, quam humilem & obſcuram fuiſſe Scriptores paſſim affirmant: at quamvis ignobili ſtirpe fuerit ſatus, tamen in pueritia egregiè excultum, ut propriis ornamentis non alienis abundaret, laudatus auctor refert. *Idem vir dilectus Deo, & hominibus, dum adhuc eſſet parvulus, Pariſios mittitur, ut ibi armariolum puri pectoris Scholaſticis imbueret diſciplinis. Ubi ſic laudabiliter primò in Liberalibus artibus, poſtmodùm in ſcientia Juris Canonici, ſuperni Numinis benedictione, profecit, ut in utriſque cathedrali promeruerit titulo inſigniri. Cumq; ipſius excellentis ingenii altitudo majorem requireret facultatatem, ad Theologiæ ſtudium ſe convertit, in qua ſic laudabiliter dignoſcitur profeciſſe, quòd lingua ejus ſcriba calamus prædicationis verbo ſingulos conſovebat. Solum natale completis ſtudiis repetens, ejus eximia ſapientia, & ordinata vita ſama laudabilis ad vicinos evolat, & remotos. Itaque honorabilis Præſul Laudunenſis Eccleſiæ eum in ſuum Archidiaconum evocavit; in qua Eccleſia laudabiliter vixit, & honeſtæ converſationis habitum ſtuduit conſervare.* Ante Archidiaconatum Laudunenſem, Canonicatum Tricaſſinum obtinuerat, ut ipſemet teſtatur in ſuis litteris ad Clerum Laudunenſem ſcriptis, poſteà Leodii eâdem dignitate decoratur.

CLXXXIV.

Urbani primordia: genus: patria: inſtitutio.

In omni Scientia clarus evadit.

De aliis verò geſtis dignitatibus, Virodunenſi nimirum Epiſcopatu, Patriarchatu Hieroſolymitano, & ſummo Pontificatu, hæc ſubdit idem Gregorius Decanus: *Poſtmodùm autem Virodunenſis Eccleſiæ mortuo Præſule, dictus vir Deo plenus in ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopum honorabiliter eſt aſſumptus; cui Eccleſiæ cum aliquantis temporibus ſamoſiſſimè, & utiliter præfuiſſet, odor ejus bonorum operum montes tranſiliens, & mare perluſtrans, ad partes ultramarinas pervenit, ubi ſic corda incolarum de illis partibus commovit, & ſuavitate morum refecit, ut ſancto Jacobo fratri Domini in Patriarchatu Hieroſolymitano Jacobus Trecenſis omnium votis ſubrogari meruerit, in quo quidem Patriarchatu tam ſanctè converſatus eſt, ut omnes tam amabilem patrem ac Paſtorem ſe habere gauderent.*

Eligitur Epiſcopus Virodunenſis.

Tum Patriarcho Hieroſolymitanus.

Porrò cùm pro Terra ſancta ſubſidio, & ejuſdem Eccleſiæ Hieroſolymitanæ utilibus & arduis negotiis idem Pater neceſſe habuiſſet Sedis Apoſtolicæ limina viſitare, navigii ſubſidio maris pelagus navigavit, & ad Civitatis Ve-

neta littora perveniens, Anagniam (ubi tum Sedes Apoſtolica reſidebat) ſe tranſtulit : ibi ab Alexandro Papa IV. totoq; ſacro Senatu honorificè ſuſceptus, benigneq; habitus, aliquanto tempore conquievit : ſubſidium Terræ ſanctæ, & negotia Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, quorum causâ advenerat, felici conſilia promovens, & procurans.

Denique Romanus Pontifex.

Eodem verò Alexandro Papa in Civitate Viterbienſi, ad quam cum tota Curia, & eodem Patriarcha ſe tranſtulerat, diem claudente extremum, ipſa Romana Eccleſia trimeſtri vacavit, eisdem Cardinalibus, inimico homine ſuperſeminante diſcordiam, non valentibus concordare. Sed cùm Dei Sapientia ab æterno alto providiſſet conſilio eundem Jacobum, quem Archidiaconum, Epiſcopum, & Patriarcham jam fecerat, ſummi Pontificatus faſtigio honorare, eorundem Cardinalium diſparia corda ad tantam concordiam redegit, ut unanimi voto, voce, & animo eundem Jacobum in ſummum Pontificem acclamarent eundemq; Urbanum Papam IV. ingenti gaudio vocarent. In cujus promotione gaudet Clerus & Populus, ſancta lætatur Mater Eccleſia, & cuncti fideles jubilant & exultant : ò magna Dei providentia ! ò altitudo divinæ Sapientiæ, quæ tanto & tali Paſtore ſuam Sponſam Matrem Eccleſiam illuſtravit. Hactenus Gregorius Decanus, candidus & contemporaneus Auctor.

Fidelium preces implorat.

Urbanus itaque Romanus Pontifex renunciatus, ne ſub oneris mole animo deficeret, fidelium apud Deum preces enixè imploravit, datis pro more ad Præſules ac Principes encyclicis litteris, creationis ſuæ indicibus. Miſſo deinde Legato ad S. Ludovicum Galliarum Regem, eo annuente è Gallia milites convocavit, quos Manfredo ditionem Eccleſiæ vexanti objiceret. Hanc ob rem Jordanes copiarum Manfredi in Hetruria contra Guelphos Dux revocatus in regnum, Guelphis reſpirandi facultatem aliquantulum dedit: maximè verò Florentinis & Lucenſibus, quos è medio tollere omni conatu Gibellini inſtituerant. Elongato Jordane Pontifex jam jam Legatum deſignaverat, qui pacem inter Venetos & Genuenſes, rem Eccleſiaſticam non parùm turbantes, componeret; cùm ſubitò Manfredus, comparatis novis Sarracenorum copiis, agrum Picenum jam anteà nutantem occupat. Pontifex itaque, omiſſis ad tempus Venetis & Genuenſibus, Legatum eundem in Galliam mittit, qui Gallos cruce ſignatos, jam anteà ea de re monitos, maturare iter precibus & pollicitationibus impelleret : qui certè Duce Guidone Epiſcopo Antiſiodorenſi in Italiam deſcendentes, ſuperato ad Brixiam Manfredi præſidio, nemine deinceps reſiſtente, Viterbium uſque pervenêre. Unde non ita multò pòſt, acceptâ Pontificis benedictione, digreſſi, per Umbros & Marſos iter facientes, Sarracenos, qui eò confugerant, facillimè ſuperant, & ad Lyrim uſque non ſine ſtrage propellunt.

Gallos in Manfredum convocat.

Romanorum diſcordia.

Eodem quoque tempore Romani etſi ditionem Eccleſiæ nequaquam vexarent, non tamen, uti par erat, Pontificis imperio obtemperabant, Senatores & Magiſtratus in Urbe novos ſuo nutu creantes. Deſinentes itaque Senatorem ex Civitate Romana creare, tum primum ex exteris Brancaleonem Bononienſem, magni animi conſiliique virum, ad tantum Magiſtratum inſigni propoſito præmio accivêre. Verùm poſteà ob plebis murmur mutatâ ſententiâ,

Brancaleo Senator Romanus creatur, deponitur, reſtituitur.

tiâ, hominem comprehenſum in carcerem conjiciunt. Eâ injuriâ Bononienſes moti, Romanos quoſdam captos non alia conditione dimiſſuros ſe affirmant, niſi reſtitutum in libertatem civem ſuum Brancaleonem intellexerint. Tum verò Romani ſuis caventes,non ſolùm Brancaleonem dimittunt, verùm etiam in priſtinum dignitatis locum reſtituunt, alio etiam ex omni regione Urbis delecto Magiſtratu,(quem *Banderiſiorum* Magiſtratum nuncupabant)penes quem vitæ ac necis hominum arbitrium eſſet. Hâc autem inſolentiâ ideo Romanos uti Pontifex intelligebat, quòd ſe à Manfredo armis vexari cernerent, nec eorum conatibus poſſe reſiſtere. Quare Tyrannos à cervicibus Eccleſiæ aliquando rejecturus, Legatos iteratò in Galliam ad S. Ludovicum expedit, qui eum adhortarentur, ut primo quoque tempore Carolum Andegavenſem fratrem ſuum cum exercitu in Italiam mitteret, quòd ſibi omninò decretum eſſet, pulſo Manfredo, eum utriuſque Siciliæ Regem creare. Feciſſet tum id quidem Urbanus (adeò erat ad tantam rem obingratitudinem Manfredi animatus) ni ægritudo, ac ſubſequens mors à rebus gerendis eum abſtraxiſſet, quod deinceps à Clemente IV. Succeſſore ſuo in opus redactum ſcitur. *Carolum Andegavenſem adverſus Manfredum è Gallia vocat.*

Anno verò 1264.(qui Urbani Pontificatus tertius, & ſupremus fuit) inſtituta eſt ſanctiſſimi Corporis Chriſti Solemnitas,quotannis feria quinta poſt Octavam Pentecoſtes cum publica ſupplicatione peragenda: ut habetur in Clementinis *cap.1.de Reliquiis, & Veneratione Sanctorum.* In hunc finem officium feſti à Divo Thoma compoſitum, quo etiamnum utimur, promulgatum fuit. Vide Conſtitutionem *Tranſiturus de hoc &c.* tomo 1. Bullarii, quam Clemens poſteà V. in Concilio Viennenſi confirmavit, ac ſervandam perpetuis temporibus ſtatuit. *Solemnitatē Corporis Chriſti inſtituit.*

Porrò Sanctorum catalogo adſcripſit Urbanus beatum Richardum Epiſcopum Ciſtercienſem, inſtante Richardo Anglorum Rege. De miraculis beatæ Hedwigis, flagitantibus Poloniæ Proceribus, inquiri; & feſtum S.Ægidii ſub ritu duplici in Galliis coli mandavit. Ordinem quoque Cœleſtinorum confirmavit: ac Regulam ſecundam Ordinis S. Claræ inſtituit. Plura in Urbe Roma Templa vetuſtate collapſa, ut S.Hadriani, SS. Quatuor Coronatorum, Oratorium S. Silveſtri, refecit exornavitque. Prolationem nominis *Maria* indulgentiis ditavit; novoque Ordini Militiæ B. Virginis Mariæ formam vivendi præſcripſit, ut nimirum viduarum ac pupillorum curam ſuſciperent, ac paci componendæ operam darent. Huic ordini adſcripti vivebant ſuis in ædibus cum uxoribus & liberis; tunicâ albâ & ſubcinericiâ togâ inducti, crucem purpuream in campo albo, ſtellis ſuperimpoſitis, præferentes. Romanam Eccleſiam ære alieno obſtrictam, ſolutâ tum Senenſibus, tum Florentinis pecuniâ, liberavit. Terras, oppida, caſtella, ac jura Eccleſiæ à diverſis Tyrannis occupata, cenſuris & armis recuperavit. Theutonicos milites Manfredo militantes, ex Patrimonio S. Petri, Sutrinorum auxilio, ac ope Pandulphi Anguillariæ Comitis profligavit. Litteratorum Mœcenas, eos ſemper in honore & pretio habuit, ac beneficiis decoravit. *Reliqua Urbani præclarè geſta.*

Ejus obitus. Tandem ætate & morbo confectus, poſt ſuſcepta devotiſſimo animo Eccleſiæ ſacramenta, exceſſit è vita Peruſii die XI. Octobris anno ſalutis 1264. Pontificatus ſui anno tertio, menſe ſecundo nondum exacto: ſepultus ibidem in Eccleſia Cathedrali S. Laurentii cum ſequenti Epitaphio etiamnum extante.

ÆTERNÆ MEMORIÆ
URBANI PP. IV.

Epitaphium.

Archilevita fui, Paſtorq; gregis Patriar-
Tunc Jacobus, poſui mihi nomen ab Urbe Monar- } *cha.*
Tunc civis exivi, tumuli pòſt candor in Ar-
Te ſine fine frui, tribuas mihi ſumma Gerar-

Ut Sanctus colitur. Urbani IV. memoria colitur *ut Sancti* apud Philippum Ferrarium in Catalogo Sanctorum, qui non ſunt Martyrologio Romano inſcripti: *Pridie Kal. Octobris* (inquit ille) *Romæ ſancti Urbani Papæ IV. qui feſtum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ inſtituit.* Maxima quoque celebritate colitur apud Trecenſes, qui magnificum in ejus honorem Templum dicârunt, ut auctor eſt Oldoinus *in Addit. ad Ciac.* In Urbani gratiam cuſa ſunt aurea & argentea numiſmata cum hoc ſymbolo, *Optimo Principi.* Vocat eundem Gregorius Decanus ſuprà laudatus, *Virum pium, ſanctum, mitem, benignum, munificum, gratioſum, & omni bonitate refertum.* Ferunt Urbanum ante Pontificatum, cuidam obſcuros ſibi natales exprobranti, reſpondiſſe: *Virum non naſci, ſed fieri virtute nobilem.*

Albertus Magnus hoc tempore floret. Scribunt idonei auctores, Urbani IV. ætate floruiſſe Albertum Theutonicum, Ordinis S. Dominici alumnum, natione Suevum, quem *Magnum* fecit Deipara, cujus clientelæ ſe obtulerat parvulus. Ejus monitis caſtra ingreſſus S. Dominici, quòd indolem ad ſtudia attuliſſet tardiorem, fugam parabat. Scalam admoventi ea iterum objicitur Regina virgo, quæ ut animos Alberto faceret, ex ſcientiis omnibus optionem offert. Philoſophiam potiſſimùm ille expetit: & citò, qui omnium anteà riſus, per omnium nunc ora volare, Doctorque primùm Hildeshemii, dein Ratiſponæ, Lutetiæ, Coloniæ, famâ nominis Orbem implere. Ad Ratiſponenſem infulam à Pontifice promotus, ab ordinis Generali moderatore diſſuaſus, ne exemplo ſuo fratres provocaret ad ambitum, renunciavit: ſed à Pontifice coactus onus ſubire, vitam non depoſuit regularem. Commentarios eruditiſſimos in omnia Ariſtotelis opera edidit: Theologiam Chriſtianam omnium acutiſſimè aperuit, magnamque ſacrorum Bibliorum, Evangeliorum, ac Epiſtolarum Canonicarum partem admiranda methodo explicuit. Quin & de arcanis rerum naturalium, poſt Salomonem, omnium ſolidiſſimè diſputavit. In ultima ſenecta Orbis oraculum reſponſa fudit homine majora, ſubitò deficiente memoria, obticuit; vivumque è ſchola funus, diſcipulorum manibus, domum cum lacrymis perducitur, plaudente ipſo, quòd à Deipara vocaretur in cœlum. Obiit propè nonagenarius ſub annum 1280. dono prophetiæ; miraculorum gloria, & vitæ ſanctitate clarus: relictis multis diſcipulis ſui propè ſimilibus, qui poſteritati hauſtâ ab ſe doctrinâ conſulerent. Albertum

tum Magnum nemo ex iis, ingenio, eruditione, facundia, ac ſanctitate feliciùs expreſſit, quàm Thomas de Aquino, ob incomparabilem ſcientiarum omnium cognitionem, *Doctoris Angelici* cognomentum adeptus. De quo Scriptores paſſim.

SCRIPTA.

Scripſit Urbanus quamplurimas litteras, ſententiarum pondere & pietate graves, quarum nonnullas in *Notis* & *Additionibus ad Ciac.* exhibent Victorellus & Oldoinus: Lucas verò Waddingus in *Annalibus Min.* Reliquæ extant in Formulario m. ſ. Marini Ebuli: & in quodam pervetuſto Codice m. ſ. qui in archivio Vaticano aſſervatur. *Urbani Scripta.*

Dediſſe Urbanum ſingulares litteras ad ſororem ſuam Sanctimonialem *De onere & labore pontificio* tradit Waddingus; At has litteras non ad Urbanum, ſed ad Clementem IV. Urbani Succeſſorem ſpectare, contendunt alii; ac merito: nam nec ſtylum Urbani ſapiunt, ſed Clementis: nec inter Urbani, ſed Clementis Epiſtolas collectæ habentur.

Scripſit etiam eruditam Metaphraſim *in Pſal. 50.* Quam habes in Bibliotheca veterum Patrum.

Deſcriptionem item Terræ ſanctæ: qua Adrichomius in *theatro terræ ſanctæ* uſus invenitur.

Ejus *Diplomata* & *Conſtitutiones* habes in tomo 1. Bullarii. Urbano Pontifici primam partem *Catenæ aureæ*, & Tractatum *contra errores Græcorum* dedicavit Thomas Aquinas.

ANNO CHRISTI MCCLXV.

Imperatore dubio Alphonſo Hiſpano Auguſto.

DE

CLEMENTE IV. Pontif. Max.

Mortuo Urbano IV. Comitiorum contentiones inter Cardinales acriter exardeſcentes, diuturnam ſanè quatuor menſium Sedis vacationem, non ſine magno rei Eccleſiaſticæ detrimento, attulerunt. Cùm igitur Patres ſæpiùs ad eligendum adunati, ob enatas hinc inde diſcordias, nullo pacto in deſignando Pontifice concordes eſſe poſſent, poſtremò compromiſſo certis conditionibus in ſex præcipuos Cardinales omnium conſenſu facto, eorum ſuffragiis, Peruſii Nonis Februarii anno ſalutis 1265. Pontifex Maximus renunciatus eſt Guido Groſſus Epiſcopus Cardinalis Sabinus, tunc in legatione Anglica ad pacificandos Regem Henricum & Simonem Comitem Montisfortis occupatus: Vir, ut acta habent, doctrina, prudentia, moribus, & vitæ ſanctitate præſtantiſſimus, tantoque munere non indignus. Is familiâ Groſsâ haud ignobili, patre Fulcodio, in Galliæ Narbonenſis vico, *CLXXXV. Patrum diſſenſiones longam Sedis vacationem cauſant. Guido Groſſus abſens eligitur Pontifex. Ejus primordia.*

bueus, & his, qui robuſti non ſunt, robur multiplicans, ab Eccleſia naſcentis tuitus, mundi hujus infirma eligens, & per ea, fortia ſubigens & confundens &c.

Conſentiunt ſuperioribus, quæ reſpondit Alphonſo Caſtellæ & Legionis Regi gratulanti de accepto Clementis nomine, cùm ſanĉti Clementis feſto die in lucem prodiiſſet, eoque poſteà recurrente ingentia à Deo beneficia accepiſſet: *Flendi potiùs, quàm gaudendi*, inquit, *materiam apud Nos invenimus: nec tamen animus noſter dejicitur, cui conſolationis remedium ingerit inexhauſta divina pietatis abyſſus, quaquos conformes ſuo inveuit beneplacito, non ſic elevat, ut allidat, imò potiùs opus imperfectionis abhorrens, ſicut humiles erigit in ſublime, ſic & locum humilitatis propria conſervantibus reverenter manum non ſubtrahit adjutricem. Sub illius igitur confidentiâ, quiſperantes in ſe non deſerit, ad fortia manum miſimus, & ad gravia coaptavimus humeros imbecilles, & quod poſſibilitas noſtra non obtinet, in eo nos poſſe confidimus, apud quem non eſt impoſſibile omne verbum.* *Idem conteſtatur aliis.*

Sanĉtiſſimo verò Ludovico Galliarum Regi non ad oſtentationis pompam, ſed ad commendationis veritatem ſcripſit: *Illud ſcias, fili chariſſime, quòd in ſuſcepto regimine, nec honos Nos erigit in ſuperbiam, quem onus importabile comitatur; nec diſſolvunt delicia, quas conflictus curarum eliminat; nec divitia ſibi ſubjiciunt, quas nunquam Nobis permiſimus dominari: immò, quod lati referimus, quem ſervum habere nequeunt, & comitem dedignantur.*

Et ſanè (ut paucis multa compleĉtar) quæ lætitiæ materies Clementi eſſe poterat, dum Eccleſia undique anguſtiis premeretur, ac plurium Regnorum, & Provinciarum facies triſtiſſima paſſim occurreret? Lacerabatur Italia Manfredi tyrannide, & pars illius maxima ab Eccleſia diſciſſa, orbata ſacris, à Sarracenis conculcata jacebat: Fluĉtuabat Germania, in contraria duorum Principum Richardi, & Alphonſi eleĉtorum in Romanorum Reges ſtudia divulſa: Tumultuabatur Dania, & feralibus diſcordiis laniata in proprium exitium ruebat: Hungariæ ac Poloniæ graviſſimus Tartarorum, veluti jam jam irrumpentium terror impendebat: Squallebat in lachrymis ac mœrore Anglia, ſuo Rege perduellium crudelitate vinculis irretito: graſſabantur in Hiſpania Sarraceni: convulſum à Schiſmaticis Conſtantinopolitanum Imperium, ac graviora in dies Latinorum reliquiæ vel patiebantur, vel timebant: In extremum periculum adducebatur Terra ſanĉta: adeò ut Pontifex, quem unum tot luĉtus ac mala totius Chriſtiani orbis obruebant, verè diceret, ſibi non gaudiorum pompam, ſed lachrymarum materiam, delato Pontificatu, fuiſſe ſuppeditatam. *Triſtis Orbis Chriſtiani facies.*

Suſcepto igitur non ſine lachrymis Apoſtolico munere, primas adverſus Manfredi tyrannidem curas convertit Clemens; ac Simoni tituli S. Cæciliæ Presbytero Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato injunĉtum ab Urbano IV. in Galliis munus confirmavit: utque Cruce inſignitos pro ineunda expeditione Hieroſolymitana abſolveret à voto nuncupato (cùm non tanta Syriæ inſtaret neceſſitas, quanta Eccleſiæ Romanæ) & illud contra Manfredum converteret, poteſtatem fecit: ac ſimul S. Ludovicum Regem Francorum ad explicandam liberaliter operam fratri Carolo eſt adhortatus, cum ex eo Francorum gloria, ac Terræ ſanĉtæ libertas penderet. *Gallos in Manfredum excitat.*

Igitur

Carolus Andegavenſis Romam venit.

Igitur Carolus, jam anteà ab Urbano in regnum accitus, menſe Majo anni 1265. cum triginta triremibus Maſſiliâ ſolvens, Tiberi amne ſubvectus, Romam ingreditur: ubi magnificè receptus, tamdiù Senatorium munus mandato Pontificis obivit, quoad terreſtres copiæ allaberentur; & quatuor Cardinales, à Pontifice pro ineundo cum eo fœdere miſſi, adeſſent. Fœderis conditiones præcipuæ hæ fuerunt: *ut Carolus ſacramento adactus profiteretur, ſe utriuſque Siciliæ Regnum beneficiario jure à Romana Sede ſuſcipere, atque in hunc finem quotannis, cenſûs nomine quadraginta millia nummûm aureorum* (Ciaconius habet octo millia auri unciarum) *& equum album Eccleſiæ Romanæ perſolveret. Ut fœmina, legitimi maſculi defectu, in regno ſuccederent, quæ nonniſi ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate matrimonia contraherent. Ut novorum Prælatorum litteras, & electiones non impediret, nec Clericos novis exactionibus, inconſulta ſancta Sede, gravaret: multò minùs Apellationes ad Sedem Apoſtolicam impediret. Denique ne Imperium Romanum, etiam ultrò oblatum, ſuſciperet.* Magna enim de Imperio ea ætate inter Alphonſum Caſtellæ Regem, imperium armis & largitione quærentem; & Richardum Cornubiæ Comitem, Angliæ Regis fratrem, ad quem Electores non facilè reſpiciebant, orta erat contentio. Ne igitur Manfredo ſpes ulla ſubeſſet diſcordiarum inter Alphonſum & Carolum, ad quem magna pars hominum Imperium deferebat, ſublatâ petendi imperii facultate. Pontifex hominem in Manfredum Romanæ Eccleſiæ contemptorum concitabat.

Fœderis cum Papa initi conditiones.

Carolus Rex Siciliæ dicitur.

Initis his conditionibus, & juramento firmatis, Pontifex quinque Cardinales Legatos creavit, qui Carolum Ducem priùs Andegavenſem, utriuſque Siciliæ Regem (exauctorato Manfredo) cum uxore Beatrice inungerent. Quod factum eſt in Baſilica Lateranenſi ſexta die Januarii anni tum exorientis 1266. ut teſtantur Platina, Collenutius, Ciaconius, & alii.

Pugna inter Carolum & Manfredum.

Dum hæc Romæ agerentur, Caroli copiæ ſuperatis alpibus in Ciſalpinam deſcenderant; factoque per Flamminiam itinere, omnes factionis Guelphæ milites Romam uſque perduxerant. Unde Carolus movens, & Ceperanum capit, pulſo inde Manfredi præſidio, & ſaltum Caſſinatum occupat, quem Manfredus ipſe cuſtodiendum acceperat, quamquam deinde mutato conſilio Beneventum profectus, expectare hoſtem in planis patentibusque locis inſtituerat, quod plurimum equitatu valeret. Movit & eò Carolus: & factâ pugnandi copiâ, licèt ex itinere feſſi milites eſſent, prælium non detrectat. Urget uterque Dux ſuos in pugnam. Verùm dum Carolus laboranti ſuorum turmæ intentiùs (ut fit) ſuccurrit, ex equo deturbatus, ita hoſtium animos auxit, ut Manfredus extra ordinem incautiùs pugnans interfectus, apparente ſubitò Carolo, fortunam belli ſtatim mutaverit. Ex ſuis enim in fugam verſis multi interfecti ſunt, plerique verò vivi capti.

Manfredus occiditur.

Manfredi corpus à ſuis Beneventi in Eccleſia conditum, Pontifex, tanquam anathemate irretiti cadaver, effodi, & extra regnum ad amnis cognomento *Viridis* ripam deferri juſſit. Ubi hoc olim ipſi inſcriptum legebatur epitaphium.

Hic

Hic jaceo Caroli Manfredus marte ſubactus,
Cæſaris hæredi non fuit Urbe locus.
Sum, patris ex odiis, auſus confligere Petro:
Mars dedit hic mortem, Mors mihi cuncta tulit.

Carolus autem tanta victoria potitus, Beneventum movens, Urbem dedentibus ultrò civibus ingreditur. Nuceriam deinde oppugnare adortus, quo ſe novi veteresque Sarraceni receperant, Magiſtrum militiæ ſuæ (quem Mareſcallum vocant) cum quingentis equitibus in Hetruriam mittit, qui Guelphos extorres in Civitates ſuas reduceret. Is itaque profectus, abeuntibus ſpontè Gibellinis, magiſtratum ſine provocatione Florentiæ conſtituit. Inde verò in Senenſes movens, dum Bonitium à Gibellinis infeſſum obſidione premit, omnes Gibellinos Hetruriæ, maximè verò Piſanos in ſe concitavit: Quorum viribus reſiſtendo impar, obſidione non ſine ſtrage dimotus eſt. Carolus autem utroque Regno in poteſtatem accepto, exceptâ Nuceriâ, Sarracenis tandem pacem concedit, permiſſis etiam ſuis legibus in Italia vivere. Ipſe verò cum exercitu, vocante eum Pontifice, Viterbium ſe contulit, quò & Henricus à fratre Rege Caſtellæ pulſus paulò antè pervenerat, quem Pontifex ad preces Caroli multis muneribus donatum, Senatorem Urbis creavit. Carolus habito Viterbii cum Pontifice colloquio, in Hetrùriam movens, Gibellinos domiturus, qui Conradinum adoleſcentem, Sueviæ Ducem, Conradi IV. Cæſaris filium, ac Manfredi nepotem in Italiam contra Guelphos vocabant, Bonitium egregiè defenſum, & naturâ munitum cùm vi capere non poſſet, fame ad deditionem compellere inſtituit. Quo tandem poſt longam obſidionem recepto, in Piſanos converſus, Mutronium eorum oppidum captum Lucenſibus dono dedit. *Caroli progreſſus.*

Moliturus etiam majora tùm Carolus videbatur, niſi à ſuis in Regnum properè vocatus fuiſſet, ob factioſos quoſdam, qui rebus Conradini ſtudebant; maximè verò Sarracenos, quos deinceps munitiſſimis caſtellis in Nuceria concluſit, quò ei tutiùs in Conradinum proficiſci liceret, quem Piſani in Regnum Siciliæ deducere conabantur, vaſtatis priùs Lucenſium agris, ſuperatoque, atque interfecto apud Aretium Caroli Mareſcallo, adjuvante præſertim Guidone Ferretano, totiusque Ciſalpinæ factione Gibellina. Ferunt Clementem Pontificem, dum regius Adoleſcens Conradinus cum primario Germanæ nobilitatis flore, atque lectiſſimo exercitu per agrum Viterbienſem iter in Regnum faceret, ejus caſum miſeratus, vaticinantis more, dixiſſe; *Illum ut opimam victimam ad cædem duci.* Is itaque Romam proficiſcens, Henricum Caſtellanum, Senatorem Urbis ad Pontem Milvium cum Populo Romano obvium habuit, Imperatoris nomine ſæpiùs acclamato: timorenè id fecerint, an ſtudio partium? haud ſatis conſtat. Dimiſſo autem Romæ Guidone Ferretano, ipſe cum exercitu in Regnum properans, ubi intellexiſſet Carolum ſaltus Hernicos, Latinamque viam occupaſſe, flexit inde ad æquicolos montes, quos *Tagliacocij* appellant, in Marſos profecturus. Caſtra itaque primò non longè à lacu Fucino poſuit, ruinis veterum ædificiorum apprimè munita. Moverat & eò Carolus, *Conradini adverſus Carolum adventus.* *Clementis Vaticinium.* *Pugna inter Conradinum & Carolum.*

rolus, decimo inde ſtadio ad concavæ vallis fauces caſtra locans, qui Alardi Neapolitani conſilio uſus (is enim cum Germanis diù militaverat) partem exercitûs ſtatim præmiſit cum Mareſcallo regia veſte induto, laceſſendi hoſtis causâ. Ipſe verò citra collem cum fortiſſimo quoque in inſidiis latitans, rei benè gerendæ occaſionem interim expectabat. Ad tres horas fortiter utrinque dubio marte pugnatum eſt, cùm Mareſcallus telo trajectus ex equo delabitur exanimis: cujus in morte cedentibus Gallis, Germani ferociores facti, paſſim ſine lege & ordine fugientes inſequebantur. In hos itaque incompoſitè ruentes, Carolus ex inſidiis prorumpens, arma ſtatim movet, adoritur, fundit, fugatque, magnâ in fuga editâ hoſtium ſtrage. Conradinus cum Auſtriæ Duce, ut paucis dicam, fugâ dilapſus, ſed ex annulo & liberali facie (dum trajicere Tiberim navigio in Hetruriam tentat) agnitus, hoſti Carolo cum agnato Duce captivus ſiſtitur. Quos demùm ſequenti anno 1269. unà cum undecim aliis Sueviæ Italiæque Proceribus, Neapoli in foro publico, crudeli ſententiâ, capite plecti juſſit, die 27. Octobris, plexo ſimul carnifice, ne unquam gloriari poſſet, ſanguinem adeò generoſum & altum à ſe effuſum eſſe. Conradinus moriturus, chirothecam proximo vindici veluti pignus inveſtituræ regni Siciliæ è ferali theatro projecit: quam ſublatam Eques quidam auratus ad Jacobum Arragoniæ Regem, Manfredi generum, detuliſſe, atque adeò opportunam novi conflandi belli materiam præbuiſſe fertur. Cæterùm cæſorum Principum corpora, capitibus ſublimè erectis, eouſque in ferali pegmate neglecta jacuêre, donec Carolus, crudelis ſpectaculi ſatur, ea loculis claudi ac ſepeliri mandavit. Super regios Conradini cineres acerbum hoc Epitaphium à ſanguinario Rege poſitum commemorant.

Conradinus ſuperatur.

Capitur & capite plectitur.

Chirothecam in vulgus projicit, & quare?

Conradini Epitaphium.

ASTURIS UNGUE LEO PULLUM RAPIENS AQUILINUM,
HIC DEPLUMAVIT, ACEPHALUMQUE DEDIT.

Hunc calamitoſum habuit Principum Germanorum vita exitum, quem planctu omnes, qui viderunt, proſecuti ſunt: ſic ſimul etiam finem habuit nobiliſſima Sueviæ Ducum familia. Diſplicuit atrox hoc factum adeò ipſiuſmet Caroli amicis, ut Robertus Flandriæ Comes, gener Caroli, indignatione motus, illum, qui ſententiam in Conradinum legerat, gladio conſoſſum extinxerit, vitâ eum indignum reputans, qui infimo loco natus, mortis ſententiam in Principes adeò conſpicuos pronunciare fuiſſet auſus. Sunt quoque qui ſcribant, Conradinum poſt auditam mortis ſententiam, ad eum, qui recitaverat, dixiſſe linguâ Latina: *Proditor flagitioſe, tu condemnaſti filium Regis? an verò neſcis ex Jure, qui Juriſperitus es, paris in parem nullum eſſe imperium? ſed Superis, quam fero injuriam, ulciſcendam relinquo. Erit quandoque, ut mors mea plùs Carolo nocitura ſit, quàm arma.* Hiſque dictis coronandum illud caput, nulli non innocuum viſum, urgente hoſte Carolo, lictori demetendum obtulit. Tragædiam iſtam eleganter & ex vero deſcribit Gerardus de Roo, Hiſtoriæ Auſtriacæ Auctor *lib. 1. fol. 18. & ſeqq.* Nos ad reliqua Clementis revertamur.

Eum ulciſcitur Flandriæ Comes.

Qui

Qui licèt ſummâ premeretur inopiâ ob exhauſtum præteritis bellis ærarium Pontificium, ab alienis tamen opibus puras ſemper ſervavit manus, ut ipſemet ſuis litteris Cardinali S. Nicolai in Carcere Tulliano ſignificavit: *Angit Nos cogitatus aſſiduus de paupere ſtatu noſtro, cujus relevationem Deo committimus, pro cujus amore, & proximorum exemplo noſtram æquanimiter patimur paupertatem, & ab omni extorſionis & quæſtûs ſpecie abſtinemus.* His non obſtantibus, triginta triremes commeatu & milite inſtructas, ad maritimam Syriæ oram defendendam, Chriſti fidelibus ſubmiſit. *Clemens rebus Syriæ ſtudet.*

Viros ſanctitate & doctrina conſpicuos amavit, magnificit, evexit, ſanctos præcipuè Thomam Aquinatem, & Bonaventuram, duo lucidiſſima nobilium Ordinum, & univerſæ Eccleſiæ ſydera; illi Neapolitanam Eccleſiam regendam obtulit, quam tamen Sanctus humiliter recuſavit; hunc Eboracenſem in Anglia Antiſtitem creavit, juſſitque gravi præcepto, ne impoſitum onus detrectaret: egregia hac de re illius ad S.Bonaventuram extat Epiſtola, qua ſanctum Doctorem magnis, ſed veris laudibus cumulat. Data eſt Epiſtola Peruſii VIII. Kal. Decembris anno 1. Hanc lector inveniet in Purpura docta lib. 1. n. 93. in vita S. Bonaventuræ Cardinalis. *Viros doctrina & ſanctitate conſpicuos provehit.*

Porrò ſummum ſtudium adhibuit Clemens, ut Genuenſes ac Venetos vetuſtis odiis imbutos conciliaret. Guidonem S. Laurentii in Lucina Cardinalem Legatum ad Reges Daniæ & Sueciæ, & ad Provincias Bremenſem, Magdeburgenſem, Salisburgenſem, & Gneſnenſem direxit, ut ſuppetias militibus Crucesignatis contra Lituanos & Livones Paganos impetraret, utque diſcordias inter Daniæ Primates extingueret. Othobonum verò Cardinalem S.Euſtachii in Angliam, Scotiam & Hiberniam ad redintegrandam rem Eccleſiaſticam expedivit. Beatam Hedwigem Poloniæ Duciſſam, pauperum dum viveret obſequio addictiſſimam, multis miraculis claram, Viterbii Sanctorum numero adſcripſit. Hujus Canonizationis litteræ extant tomo 1. Bullarii. Plura qui volet de Clemente, Ciaconium, Victorellum, Oldoinum, ac noviſſime Jo. Palatium Venetum conſulat. *Alia ejuſdem Clementis geſta.*

Ipſum verò omnibus virtutibus clariſſimum è vivis Viterbii ereptum eſſe III. Kal. Decembris anno 1268. Pontificatus ſui anno tertio, menſe nono, vel ut alii ſcribunt, anno quarto, omnes Auctores fatentur, ſi Novatores excipias, qui ut nullo rerum delectu, nullo judicio ac fide Centurias ſuas conſarcinare ſolent, ſic Clementis obitum ad annum 1270. falsò contulêre. Sacri ejus cineres ſepulti memorantur Viterbii apud Prædicatores, in Eccleſia S. Mariæ *ad Gradus* cum hoc ſequenti Elogio. *Ejuſdem obitus.*

Epitaphium.

Lectore ſiſte pedes, admirans quàm brevis ades,
Pontificem Quartum CLEMENTEM contegit arctum!
En datur in cineres Petri Succeſſor, & heres;
Cujus ſi memor es, non mundi gaudia quæres.
Hic Judex primùm, quem ſic ſucceſſus opimum
Reddidit, ut fertur, miles probus efficeretur

Taleq́. fortitus nomen, Jurisq́. peritus,
Virginis unius fuit unicus ipſe maritus:
Qui viduatus eâ, mox Chriſti forte potitus,
Anitienſis ità dignus fuit Archilevita,
Præſul ibi factus, poſt Archiepiſcopus actus,
Paſtor ut egregius Narbonæ præfuit auctus:
Utq́. Deo gratus, vir Patribus aſſociatus,
Papatus nomen clarum ſuſcepit, & omen.
Sic ſublimatus, ſic denique clarificatus,
Perficiendo gradus cenſetur ad aſtra levatus,
Annis ſex denis octo cum mille ducentis
Tranſactis Chriſti, CLEMENS tumulo datur iſti,
Ut finalis ei det gaudia ſumma diei. Amen.

Celebratur à multis. Graviſſimorum virorum teſtimoniis Clementis vitus paſſim celebratur: De illo S. Antoninus 3. part. *Valdè felix ſecundùm Deum, quia valdè bonus; & ſecundùm ſæculum, quia prudens, & expertus in regimine, & negotiis ſæculi, & in maxima dignitate.* Ptolomæus Lucenſis, Torcellenſis Epiſcopus in Annalibus ad annum 1265. *Hic quantò plus crevit in dignitate, tantò plus floruit in Sanctitate.* Et alibi idem: *Generalis Clericus fuit; videlicet Juriſta ſummus, Prædicator egregius, Cantor pulcherrimus ſine pari: carnes diù non comedit, aſperrimo lecto uſus eſt, nec veſtibus lineis ad carnem utebatur, & ſic ſanctiſſimam vitam duxit.* Et Ciaconius in vita: *Hujus Pontificis integritas, religio, modeſtia, doctrina, morum ſanctitas, vitaq́. innocenter acta omnibus perſpecta eſt.* Nihilominus

Defenditur ab impacta calumnia. ſplendorem tanti viri nonnulli Chriſtianæ fidei deſertores, Calvini & Lutheri veneno ſuffuſi, procaci maledicentia, ſed inſano & irrito labore, obſcurare conati ſunt, impudenter mentientes, *Clementem necis Conradini auctorem extitiſſe*: cùm tamen Scriptorum omnium teſtimonio conſtet, purum Clementis animum jam ad beatorum ſedes abiiſſe, quando Conradinus, juſſu Caroli, in ferali theatro ſecuri ictus occubuit. Clemens enim, ut vidimus, III. Kalendas Decembris anni 1268. cœleſti premio; Conradinus VI. Kal. Octobris anni ſequentis, terreno ſupplicio affectus eſt. Imò ante pugnam Conradini, Clementem Pontificem obiiſſe, teſtatur in Annalibus Ptolomæus Lucenſis. An fortaſsè mortuus ſententiam in Conradinum dixit? Inſulſas hoſtium deblaterationes pro meritis caſtigant Claudius Clemens *cap 19. & 20. in Judicio Scriptorum de nece Conradini,* & Gretſerus *cap. 55. Exam. Myſterii Plæſſeani,* qui adiri poſſunt.

SCRIPTA.

Ejus Scripta. Scripſit Clemens IV. (quem Gonzalus Illeſcas in ejus vita inter doctiores totius Orbis, ſui ſæculi viros recenſet) præter quinque Epiſtolarum Volumina M.S. Romæ aſſervata,

Quæſtiones Juris, magni habitas, ut refert Corteſius.
De Recipiendarum cauſarum ratione.
Vitam Divæ Hedwigis Poloniæ Duciſſæ.
Sermonem contra Ludovicum Bavariæ Ducem.
Propoſitiones in Metaphyſicam.

Miti-

Mitigationem in Regulam Ord. SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum.

Epiſtolas quamplures, quarum aliquæ habentur in Hiſtoria Regum Aragoniæ, apud Odericum Rainaldum in Annalibus tomo 14. Bzovium tomo 13. Lucam Waddingum tomo 2. Annal. Minorum, & apud Ferdinandum Ughellium in Italia ſacra.

Unam præcipuè ſcripſit Epiſtolam contra Guillelmum de ſancto Amore Doctorem Theologum Pariſienſem, cujus initium; *Si circa veritatem*, Viterbii datam 15. Novembris anno 1266. quæ extat tomo 1. Bullarii.

ANNO CHRISTI MCCLXXI.

Imperatore RUDOLPHO I. Auguſto.

DE

GREGORIO X. PontificeMax.

Clemente IV. vitâ functo, cùm Patres inter ſe diſcordes, novi Pontificis electionem in tertium propè annum, non ſine maximo Reipublicæ Chriſtianæ detrimento protraxiſſent, tandem compromiſſo in ſex Cardinales facto, quo omnis mora ulterior abrumperetur, Compromiſſarii Romanum Pontificem acclamârunt Thedaldum ſeu Theobaldum civem Placentinum, è Vicecomitum ſtirpe oriundum (ſed incertum an congeneri eis, qui Mediolaneo Urbe regia potiti ſunt) Archidiaconum Leodienſem, virum vitæ ſanctitate, religione, modeſtia, Juris utriuſque ſcientia, ac omnium diſciplinarum cognitione inſignem, trans mare tum in obſequio Chriſti detentum. CLXXXVI. *Clemens vir ſanctus & doctus eligitur.*

Ignorantur quidem Thedaldi progenitorum nomina, ſed conſtat ejusmodi fuiſſe, à quibus cum ſanguine affatim potuerit haurire virtutem, & gloriam. Placentiæ adhuc extant Gregorii X. atque avorum ejus ædes prope Templum S. Silveſtri, quæ vulgò *Palatium Papa* nuncupantur. Thedaldus ubi primùm ex ephœbis exceſſit, ut jam imbutus erat omni politiore litteratura, maluit Pontificii Juris prudentiam conſectari, quàm forenſibus exercitationibus operam dare: deliberaverat quippè in Eccleſiæ caſtris merere, arisque ac templis novus Samuel deſervire: Hæc enim de illo legimus in pervetuſta pergamena, illius vitam deſcriptam continente; *Fuit adoleſcens Thedaldus nomine, Placentinus natione, nobilis quidem genere, ſed moribus nobilior. Hic, quam ex Vicecomitibus Placentinis originem traxerat, vita munditia, & venuſtis moribus condecorare ſtuduit. Hic, quem virum eſſet producturus inpoſterum, in primævo ſua juventutis flore monſtravit, quia ex tunc ita virtutis inſigne in eo renituit, ut morum norma, & ſpeculum exiſteret quamplurimis honeſtatis.* *Ejus vita primordia.*

Quando verò Leodium petierit, quave de cauſa Thedaldus, nuſquam invenio proditum. Leodienſem fuiſſe Canonicum, & Ardvennæ Archidiaconum nulli dubium eſt: & ferunt, ejus religione

gione & liberalitate perpetuum vectigal addictum cereis S. Martyris Lamberti conditorio prælucentibus.

Leodii cum Epiſcopo ſimultates habet, & quare?

Leodienſem tunc temporis regebat Eccleſiam Henricus Guelder, vir ad arma aptior, quàm ad ſacra; ſua turpitudine cum vi conjuncta quum aliquando graviter irritaſſet aliquos Leodienſes nobili genere natos, qui magna fide hactenus Epiſcopo adhæſerant, in publico Canonicorum conventu pudendi facinoris accuſatus eſt. Nota erat omnibus, ſed præcipuè Thedaldo hominis incontinentia, qui præſentem Principem minimè veritus, in publico conſeſſu, ejus vitia gravi intrepidaque oratione auſus eſt caſtigare. Salutaria monentem non ſuſtinuit confuſus Princeps, eoque loco, tantâ laborans infamiâ, Thedaldum virum annis, genere, ac virtute venerabilem, pede impreſſo percutere non erubuit. Nova hæc injuria nobiles Leodienſes, qui aderant, uſque adeò commovit, ut diſtricto gladio Henricum invaderent, occidiſſentque procul dubio in ipſa ſtatione, niſi ſupplex Thedaldus medium ſe ſe objeciſſet, ac perturbatos animos leni oratione à ſacrilega Epiſcopi cæde revocaſſet. Effrænem tamen ejus impudentiam juxtà ac iram, in quodcunque facinus facilè erupturam, pertimeſcens, relicto prudenter Leodio, ſacram peregrinationem in Syriam ſuſcepit, tum ut Palæſtinam inviſeret, tum ut ſanctam Urbem Hieruſalem luſtraret, ac ſacrata illius monumenta veneraretur. Ubi conſtitutus, miro Dei beneficio à Compromiſſariis Cardinalibus, uti diximus, poſt longam Sedis vacationem, ipſis Kalend. Septembris anno 1271. abſens, & extra Collegium, in ſummum Pontificem electus eſt. Hanc verò ejus electionem Joannes de Toleto Epiſcopus Cardinalis Pontuenſis (ut videre eſt in Purpura docta *lib.*1. *num.*82.) hoc diſticho facetè non minùs, quàm verè expreſſit.

Peregrinatur in Palæſtinam.

Abſens creatur Pontifex.

Papatus munus tulit Archidiaconus unus,
Quem Patrem Patrum fecit diſcordia fratrum.

Decretum electionis in Syria accipit

Cardinales Decretum electionis per Nuncios in Syriam deſtinarunt: in Civitate *Accon* fuiſſe ajunt Thedaldum, quo tempore certior factus eſt aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum, & hoc affirmant antiqui Codices; alii in Ptolemaide extitiſſe ſcribunt. Mirum porrò videtur, illic in tanto locorum intervallo, à Sede ipſa Comitiorum remotiſſimo, ex præſagitione rumorem fuiſſe Thedaldum Archidiaconum fore Romanum Pontificem, uti populus non ſemper errat, ſed interdum unà cum Deo eligit. Tantam illic opinionem ei conciliaverat mores religioſiſſimi, pietas ſine exemplo, & jugis boni publici procuratio.

Plauſus Chriſtianorum ob ejus creationem.

Odoardus Princeps Anglus cum Beatrice ſorore interfuit annuntiatis gaudiis, dum undique caſtra Chriſtianorum circumſonarent tubis, lituis, & clamore militari jucundiſſimo; nocte autem lychnis accenſis atria & tecta omnia collucerent. Unus Thedaldus ſuſpenſus ſecum animo mœrens pervolvebat, ſibi jam imponi onus humeris etiam cœleſtibus formidandum: & profectò tum ab animi demiſſione, tum à metu periculi confeſtim illud recuſaſſet, niſi religioni duxiſſet, ſi adhuc magis protraheret Eccleſiæ, quæ tam

tam diù ſponſo caruerat, viduitatem. Adnitentibus igitur Principibus Odoardo, & Beatrice, dedit conſenſum, ac Numini jubenti obſequens, (etſi bruma erat) maturavit ſuæ profectionis diem. Abeuntem aſſeclis navigiis, & omni commeatu juvit regia munificentia Odoardus, & Thedaldus in digreſſu conſolaturus alloquio benevolo pias eas legiones Cruce ſignatas, exorſus eſt à verbis illis: *Si oblitus fuero tui Hieruſalem, oblivioni detur dextra mea, adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non propoſuero te in principio lætitia mea.* Cùm verò eos repleviſſet ingenti ſpe auxiliarium copiarum, exercitui benè precatus, ac viciſſim conſalutatus, pronis vexillis, fauſtiſſimaque acclamatione tandem abivit. Queſtus eſt comiter Palæologus Græcorum Imperator, Conſtantinopolim, ubi maxima pompa & gratulatione excipiendus fuiſſet, non divertiſſe. *E Syria ſolvit.*

Solvit quidem tempore anni à navigatione maximè alieno, ſed auris propitiis uſus eſt dono illius, cui venti, & mare obediunt. Calendis Januarii tenuit Brunduſium, atque inde Sipontum venit. Tam effuſa hilaritate Italia nunquam excepit ſolem & diem, præſertim ut novum auſpicaretur annum: littora erant populo referta, omneſque avebant intueri exeuntem è navi eum, qui divino munere poſt diuturnum adeò interregnum accerſebatur, ut fluctuantem Petri naviculam gubernaret. Beneventi obvium habuit Carolum Regem multa lætitiæ ſigna edentem, & is deinceps Romam uſque comes itineris fuit. Ad Ceparanum expectatus à Cardinalibus à ſacro Senatu miſſis, poſt officia, & conſalutationes Viterbium unà commeavit, ubi ab univerſo Purpuratorum Collegio ornatus eſt ſacris Pontificum indumentis: abſtinuerat quippè in via inſignibus Principatûs, nec ab alio, niſi à quibus electus fuerat, ea accipere voluit. Sciſcitantibus verò Cardinalibus, Viterbii nè an Romæ mallet coronâ Pontificiâ redimiri? reſpondiſſe fertur, *Conſtantinus Magnus Auguſtus, Monarcha Imperii Romani, & ex vertice ſuo coronam eximens, illam religioſa munificentia beato Silveſtro Romano Pontifici contulit, ut id argumentum eſſet regii decoris, & ditionis temporaria Pontificum Romanorum: cùm itaque hac peracta ſint in Urbe, qua Caput eſt Orbis, decet me perinde in Urbe, qui Caput Orbis Chriſtiani electus ſum, ſacro inſigniri Eccleſia coronamento.* Proinde Gregorius Pontifex, Patres Auguſti, & Carolus Rex cum aula univerſa Viterbio emigrarunt Romam: ubi in Baſilica Principis Apoſtolorum Sacerdotio initiatus, & conſecratus Epiſcopus Romanus, poſtquam ſacrum Eccleſiaſtica majeſtate decantaverat, more majorum Pontificiam thiaram, ter gemmis & auro diadematam, ſuſcepit VI. Kal. Aprilis anni tum currentis 1272. Atque adeò indeptus Regale Sacerdotium, cum inſigni gloria proceſſit ad Baſilicam Lateranenſem, cujus erat Epiſcopus, cum nobili equitatu Procerum Romanorum. Equitanti Pontifici ſtapedem tenuit Carolus Rex, & aliquo viæ intervallo equum fræno deduxit, ac inſuper inſtructo intra Laterani Palatium convivio, ei manus proluenti obſecutus eſt, ac Dapiferum initio menſæ agens, primum ferculum appoſuit, & poſteà aſſedit conviva. Poſtremò exolvens jura Regni Parthenopæi, & Siculi, quod acceperat ab Urbano IV. & Clemente IV. Neapolim regreſſus eſt.

Italorum lætitia. *Pontificiis ornamentis induitur.* *Conſecratur Pontifex.* *Carolus Rex eidem inſervit.*

At

Gregorii cura pro Syria. At cùm ex vitiis Orientalium Chriſtianorum calamitatibus altus dolor pontificio pectori inhæſiſſet, primas Apoſtolicas curas medendis eorum malis adjecit, ut teſtantur litteræ Pontificiæ datæ ad Odoardum Henrici Angliæ Regis filium, magno tum virtutis exemplo Terræ ſanctæ ruinas ſuſtentantem. Quare duodecim inſtructiſſimas triremes in Syriæ auxilium comparavit: Corinthienſem Archiepiſcopum ad Philippum Francorum Regem miſit, eumque litteris ſolicitavit, ne Chriſti Domini ſanguine perfuſa loca, infidelium faſtu ſacrilego conculcari, ac reliquias Chriſtianorum cædibus exponi pateretur. Obſecutus eſt Gregorii votis Philippus Rex, nam viginti quinque millia marcarum auri Gregorio ad conflanda auxilia mutuò dedit. Deinde Gregorius encyclicas litteras de more exaravit, ac certiores creationis ſuæ Chriſtianos Principes fecit.

Thomam Conſentinum Ep. Patriarcham Hieroſolymitanum, ac Sedis Apoſtolicæ Legatum conſtituit. Thomam ex Conſentina Sede ad Patriarchalem Hieroſolymitanam traduxit, cui etiam Eccleſiæ Acconenſis, Paſtore orbatæ, adminiſtrandæ provinciam commiſit, atque ad illum decorandum majoribus dignitatum ornamentis, Legatum à Latere in Armenia, Cypro, Antiocheno, Principatu, circumjectis Inſulis, eâque totâ Orientis orâ conſtituit, ſuiſque litteris Catholicos Orientis Præſules, ut debitâ eum obſervantiâ colerent, & ipſius imperia, qua par eſſet, religione exciperent, præcepit. Quin etiam Cypri, atque Armeniæ Reges, & Principem Antiochenum, Templarioſque Equites debitum ei obſequium deferre, & opem porrigere juſſit. Ac ne quid Patriarchæ ad ſuas partes obeundas deeſſet, Pallium ipſi tranſmiſit, ac religioſiſſimè imperavit, ut Chriſtianos Syrios à vitiis abduceret, ne in ſe divinas iras, extremumque exitium verterent, cùm familiare ob oculos exciſæ Antiochiæ exemplum verſaretur, quam non hoſtium potentia, ſed effuſa libido everterat.

Italiæ pacem curat. Italiæ quoque pacis deſiderio incenſus Gregorius, dum iret ad Concilium Lugdunenſe, navavit omnem operam, ut Italorum arma in communes fidei hoſtes ſtringerentur, graviſſimaque oratione Guelphorum, & Gibellinorum Signiferos inter ſe conciliare ſtuduit. Ante diſceſſum Galliam versùs ad Concilium, Ildebrandinum Florentinum è nobiliſſima Calvacantia familia, Epiſcopum Urbevetanum in Urbe Vicarium reliquit. Florentiam ingrediens, pacem, ſicut olim Apoſtolus, Urbi nunciavit, atque ad mulcenda Guelphorum odia, in has prorupit ſententias: *Gibellinus eſt? at Chriſtianus, at civis, at proximus: ergo hæc tot, & tam valida conjunctionis nomina Gibellino ſuccumbent, & id unum, & inane nomen plus valebit ad odium, quàm iſta omnia tam præclara ac ſolida & expreſſa ad charitatem? Quoniam hæc veſtra partium ſtudia pro Romanis Pontificibus contra eorum inimicos ſuſcepiſſe aſſeveratis, Ego Romanus Pontifex hos veſtros cives, etſi hactenus offenderint, redeuntes tamen ad gremium ſuſcepi, ac remiſſis injuriis pro filiis habeo: & vos ergo in noſtra cauſa non plus, quàm Nos ipſos velle par eſt: quare ſi bellum pro Nobis ſuſcepiſtis, pro nobis etiam pacem ſuſcipiatis.* In hæc pacis officia impendit ſe ſtudioſiſſimè Gregorius, quamdiu Florentiæ manſit.

Exacta dein æſtate, ad Synodum Lugdunum properans, tantiſper Placentiæ in patria hæſit, ut ſtudioſiùs cives ſuos viſeret, ac ſaluta-

ſalutaret: quo tempore piaculares Indulgentias Templo Deiparæ impertivit, quarum ibi adhuc largitio perennat. Confecto demum itinere, Lugdunum ingreſſus, Synodum inchoavit Kalendis Maji anno 1274. eamque produxit in menſes non ampliùs tres, ne à ſedibus ſuis tot Eccleſiarum Præſules diù abeſſent. Aderant enim, teſte Genebrardo, præter quindecim Cardinales, quingenti Epiſcopi, Abbates infulati ſexaginta, aliorum minorum Prælatorum, & Sacerdotum mille. Alii ſeptingentos interfuiſſe Epiſcopos contendunt. Quæ verò in ea Synodo petractanda eſſent, propoſuit initio Pontifex: nempè agendum de morum norma, & de Cleri diſciplina: proſpiciendum rebus Syriæ afflictis, ac propemodùm conclamatis; curandumque, ut eò nullâ morâ pro ſtipendiis pecunia, & pro bello miles tranſmittatur. Actum quoque de procuranda unione Eccleſiæ Græcæ cum Latina: de Comitiis Cardinalium in electione Pontificum ad certas leges reſtringendis: & de electione Cæſaris in Germania. Conſtat enim hujus præclariſſimi Pontificis opera & ſtudio adminiſtrationem Romani Imperii è Suevorum domo ad Rodulphum Habſpurgenſem fuiſſe translatam. Qualiter verò Rodulphus in Cæſarem lectus fuerit, & quantum Gregorius ad ejus promotionem contribuerit, diximus in Purpura docta *libro 1. n. 95.* in vita Theobaldi de Ceccano Cardinalis.

Concilium Lugdunenſe celebrat.

De quibus in Concilio tractatum?

Favet Rudolpho I. Imp.

Ad hanc etiam Synodum Præſules aliquot vocavit Gregorius, eosque, utpotè vitiis infames, de gradu honoris, & aliorum terrorem ſubmovit. In hoc genere celebris fuit depoſitio Henrici Gheldriæ Comitis ac Epiſcopi Leodienſis, qui ad ampliſſimam Infulæ dignitatem, præter ſtemmatis claritatem, præclari nihil attulerat. Hujus abdicationem deſcripſimus in Purpura docta *lib. 1. numero ſuprà citato.*

Henricum Epiſ. Leodienſ. deponit.

In hujuſce Synodi dimiſſione affirmavit Gregorius, cogitare ſe rurſus in Palæſtinam; ac ſe utique illuc immigraturum, ſi Deus annueret, ut profunderet ibi ſanguinem ac vitam, ubi à piaculis animæ Chriſtus Dominus eluerat nos in ſanguine ſuo: atque hæc dicens præ cordis teneritudine ubertim flevit. Porrò ſacra hæc Synodus ſucceſſit prorſus ex Gregorii ſententia, niſi quòd in ea deceſſit vir incomparabilis doctrinæ, & ſpectatiſſimæ ſanctimoniæ D. Bonaventura Epiſcopus Cardinalis Albanus, cui Synodus parentavit. Hujus vitam & acta fusè deſcripſimus in Purpura docta *lib. 1. n. 94.*

Palæſtinam iter meditatur.

Obitus S. Bonaventuræ Card.

Moratus eſt Gregorius peracta Synodo Lugduni uſque ad Majum anni 1275. quo Menſe Civitati benè precatus, peragratâ Galliâ, ac ſuperatis Alpibus Italiam menſe Novembri attigit. Mediolani primùm, ac dein Placentiæ in patria fuit: ubi aliquantulùm moratus, inter flexit in Hetruriam, reverſurus in Urbem, ni cœlum ei intereà patuiſſet. Aretii hæſerat, ut eò loci ſedaret in Hetruria factionum ſimultates, quibus ea Provincia ſupra modum exagitabatur: cùm ecce oblangueſcere ibi cœpit, ac morbo ſenſim ingraveſcente penitùs deficere. Ideoque inſtare ſibi vitæ exitum animadvertens, Cardinales eſt adhortatus, ut quæ fuerant conſtituta in Synodo maturitate conſiliorum, exequerentur etiam ſumma fide. Poſteà munitus exeuntium Sacramentis, componere ſe, ac

Italiam repetit.

Ægrotat.

ac fingere viſus eſt non ad mortis quidem, ſed ad ſoporis potiùs placidam quietem, nullaque vultûs depravatione, imò tranquilla fronte, ac ſerenis oculis Crucem, quam intra manus habebat, in- *Sanctè placidèq; moritur* tuens, & exoſculatus, in illa verba; *Domine Jeſu, ſuſcipe ſpiritum meum,* defecit IV. Idus Januarii anno Redemptionis humanæ 1276. ſexageſimo ſexto ætatis ſuæ, poſtquam Eccleſiam ſanctiſſimè, juxtà ac integerrimè gubernaſſet annos quatuor, menſes totidem, ac dies decem. Sacri ejus cineres conditi fuêre in Æde Cathedrali S. Donati Martyris: vel, ut Waddingus in Annalibus Minorum contendit, in Eccleſia Minorum Aretii cum hac Inſcriptione.

Ejus Epitaphium.

Gregorius *denus, virtutum luce ſerenus,*
Dormit in hac arca, dignus Romæ Patriarcha,
Quem genuit Placentia, Urbs Aretina tenet.

Ternis ampliùs ſæculis ſacrum ejus corpus abſque corruptionis tabe perſeveraſſe, ſuaviſſimique odoris fragantiam efflaſſe, Scriptores ferè omnes teſtantur. Nec mirum, claruit enim omnibus virtutibus, quibus perfecti decoris Pontifex clarere uſpiam poteſt. Audi Victorellum ſinceri animi Scriptorem, breve hoc ei elogium *Vita Synopſis* texentem: *A puero piè vixit Gregorius: graves pro Dei gloria multosq; labores pertulit: humilitate, manſuetudine, orandi ſtudio, pudicitia, ſacrarum litterarum cognitione, ſalutis animarum zelo, patientia, prudentia, juſtitia, temperantia, fortitudine, fide, ſpe, charitate enituit: mira fuit ejus in Pontificem electio: Eccleſia utiliſſima Lugdunenſis ab eo celebrata Synodus: Sancto fine quievit: Corpus poſt tot annorum ſpatium integrum conſpicitur, animus ævo ſempiterno, in cælo perfruitur: dies ejus obitus quaſi feſtus, ab Aretinis, Placentinis, & Leodienſibus celebratur: Corpus miraculis in hanc uſque diem coruſcat.* Extat Placentiæ vetuſtiſſimus Codex in Tabulario Eccleſiæ S. Antonini Martyris, cum vita Gregorii in pergameno, cui præfigitur titulus: *De vita, morte, & miraculis S. Gregorii Papæ X. Placentini, olim hujus Eccleſiæ Canonici.* Extabat etiam præfixa ejus ſepulchro membrana, in qua deſcripta miracula, quæ menſibus quinque ab ejus obitu patrata fuerant, continentur. Illa quivis legere poterit apud Odericum Raynaldum, & apud Silveſtrum Petram ſanctam in ejuſdem Gregorii vita.

Calumniis fruſtra impetitur. Non defuêre tamen ex caſtris hæterodoxis, qui ſanctiſſimum Pontificem calumniis appetere ſint auſi: neque id mirum cuipiam videri debet, cùm Phariſæi etiam in Chriſtum Dominum contumelias evomere non perhorruerint. Non obſunt tamen id genus latratus Innocentibus, imò proſunt; cùm ab illaudatis non laudari maxima laus ſit. Enumerat Oldoinus ultra centum & ſexaginta præcipuos Scriptores, qui editis voluminibus Gregorii ſanctitatem poſteris commendarunt. Nil egitur moramur talpas, maculas in ſole quærentes.

SCRIPTA.

Ejus Scripta. Scripſit Gregorius Dialogum eruditum inter Saulum & Paulum, & extat, teſte Ludovico Jacobo à S. Carolo, Manu ſcriptus in Bibliotheca Varmienſi. Item

Digitized by Google

Item Orationem elegantem pro concordia inter Guelphos & Gibellinos concilianda.

Sermones ſacros ad Populum frequenter habitos.

Epiſtolas ad diverſos magnam doctrinam & ſanctitatem redolentes: quarum Regiſtrum aſſervatur M.S. in Bibliothecu Vaticana. Conſule tomum 7. Conciliorum Binii, ubi etiam ejus Concilium Lugdunenſe reperitur deſcriptum.

Ejus Conſtitutiones Eccleſiaſticæ aſſervantur cum Gloſſis Domini Garziæ J. Cæſ. & Canonici Profeſſoris in Bibliotheca Patavina S. Joannis de Viridario apud Canonicos Lateranenſes; & Cantabrigiæ in illa aulæ Peubrochianæ, & leguntur libro ſexto Decretalium.

ANNO CHRISTI MCCLXXVI.

Imperatore RUDOLPHO I. Auguſto.

DE

INNOCENTIO V. Pontif. Max.

Innocentius V. primus ex Ord. Prædic. Pontifex.

INnocentius V. natione Burgundus, Petrus Tarentaſienſis anteà vocatus (Tarentaſia municipium eſt non procul à Mamiena valle, flumineque Iſara, qui in Rhodanum influit) eruditione & Chriſtiana eloquentia præſtantiſſimus, abſens & primus ex illuſtri Prædicatorum Ordine ad ſummum Pontificatum electus eſt Aretii XIII. Kalend. Februarii anno noſtræ ſalutis 1276. De quo vetus Codex M.S. Vallicellanus, ab Oldoino laudatus, hæc habet: *Petrus de Tarentaſia, Burgundus, à pueritia in Ordine Fratrum Prædicatorum inſtitutus eſt altus, Doctor demum in ſacra Scriptura eximius efficitur. Poſteà in Archiepiſcopum Lugdunenſem, deinde in Epiſcopum Oſtienſem, ac tandem in ſummum Pontificem aſſumitur.* CLXXXVII.

Literas ſcribit de electione ſua: & contra Sarracenos.

Suſceptis Romæ in principe Baſilica coronationis ſuæ inſigniis, mox Principes ac Præſules Orbis Chriſtiani per encyclicas literas adeptæ dignitatis fecit certiores, ſimulque eos ad operam pro re Chriſtiana tuenda conjungendam excitavit. Apoſtolicis etiam literis ſacrum cecinit claſſicum, ac populos ad arma capeſſenda contra Sarracenos, Hiſpaniarum prædatores incitavit. Collapſas Terræ ſanctæ res paterno auxilio non deſtituit, ad quas inſtaurandas fideles adhortatum eſſe, & Palæologum ſolicitaſſe, ut factam in Concilio Lugdunenſi Græcorum Eccleſiæ conjunctionem, atque alia in loco ſtatuta confirmaret, ex ipſius litteris colligitur.

Pacem curat

Adjecit quoque animum ad res Italiæ turbatas pacandas: in quem finem Legatos magnæ auctoritatis viros miſit, qui & Hetruſcos in perniciem Piſanorum conſpirantes, & Genuenſes ac Venetos, de vita & ſanguine inter ſe certantes, ab armis diſcedere ſub anathematis pœna cogerent. Aderant & Oratores Caroli Siciliæ Regis, cujus etiam auctoritate rem magis ex ſententia confici poſſe ſperabat.

Florentinos ab interdicto abſolvit.

Fecêre mandata Hetruſci; maximè verò Florentini, quos ob hanc rem ab interdicto Gregorii abſolvit. Genuenſes autem & Veneti, quo-

rum odia magis inoluerant, in armis continuò erant, ſe ſe invicem mutuis cladibus & cædibus conficientes; quos tamen Innocentius, ſi ei vivere diutiùs licuiſſet, procul dubio in ſuam ſententiam pertraxiſſet.

Alia meditans morte obruitur. Ingentia alia moliebatur Innocentius conſilia, inquit hoc loco Oldoinus, ad rem Chriſtianam defendendam & augendam, quæ mors nimium univerſæ Eccleſiæ acerba (cùm magna de illius Pontificatu expectatio concepta eſſet) confregit. Quod idem etiam deplorat his verbis Bernardus Guido Scriptor contemporaneus: *Hic licèt multa facere propoſuiſſet, morte præventus non potuit adimplere, ſed prò dolor, mox in ſuo ortu exaruit flos decorus, citò namque tulit eum Deus.*

Ejus obitus. Obiit autem Romæ in Patriarchio Lateranenſi menſe ſui Pontificatus ſexto nondum completo, x. Kalend. Julii anno redempti orbis 1276. ſepultus in Baſilica Conſtantiniana *S. Salvatoris* nuncupata. Ita Auctores paſſim, & vetera monumenta Vaticana. Quare erroris arguuntur Ricordanus Malaſpina, & Joannes Villanus, qui eum Viterbii mortuum, ibidemque ſepulturæ traditum ſcribunt.

S C R I P T A.

Scripta. Scripſit verò Innocentius vir longè doctiſſimus, Commentaria.

In Geneſim.
In Exodum.
In Leviticum.
In Numeros.
In Deuteromium.
In Pſalterium.
In Cantica Canticorum.
In Lucam.
In omnes Epiſtolas D. Pauli.
In quatuor Libros Sententiarum.
De Materia Cœli.
De Intellectu & voluntate.
De Æternitate Mundi.
De Unitate Formæ.
Commentaria ſuper *Miſſus eſt Angelus.*
Et ſuper *Magnificat.*
Orationem funebrem ſuper felici morte S. Bonaventuræ in Concilio Lugdunenſi defuncti.
Compendium Theologicum, in quo totam doctrinam D. Thomæ Aquinatis in ſynopſim redigit.

Reprehenſus defenditur à D. Thoma. Non defuêre (inquit Cardinalis Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis ad annum 1265.) qui pluſquam centum Propoſitiones ejus reprehenderent, ſed juſſu Joannis Vercellenſis Magiſtri Generalis Ordinis Dominicani à Divo Thoma Angelico Doctore fuerunt defenſæ, ut ex ejuſdem Doctoris Opuſculo perſpicuum eſt.

Annales Dominicanorum tradunt, Innocentium ante adeptum Pontificatum, Pariſiis Laureatum Doctorem multis annis publicè

blicè docuiſſe, & arcana divinæ Scripturæ magno auditorum affluxu & plauſu reſeraſſe: denique tum ſcribendo, tum ſermones ad populum habendo ſic inclaruiſſe, ut maxima omnium dignitate ornari meruit.

ANNO CHRISTI MCCLXXVI.

Imperatore RUDOLPHO I. Auguſto.

DE

HADRIANO V. PonticeMax.

CLXXXVIII

Hadrianus V. Octobonus Fliſcus anteà vocatus, natione Ligur, patria Genuenſis, filius Theodori Fliſci, ac nepos Innocentii IV. ex fratre, illuſtri Fliſcorum ſanguine ex Lavaniæ Comitibus, qui duos ſupra ſeptuaginta Purpuratos Patres uſque ad Innocentii VIII. tempora protulerunt, natus eſt. Hic ex Archidiacono Cantuarienſi in Anglia ob merita Diaconus primò Cardinalis S. Hadriani creatus; deinde, mortuo Innocentio V. Pontifex maximus, omnium votis, præſente Carolo Siciliæ Rege, renunciatus, ob reverentiam tituli, quem Cardinalis geſſerat, *Hadrianus* hujus nominis *Quintus* dici voluit.

Hadriani genus, patria, promotio.

Octobonus vir ſpectatæ virtutis, magnæque prudentiæ ac eruditionis, variis legationibus, ante adeptum ſupremi Sacerdotii munus, admotus, iis cum laude ac rerum emolumento perfunctus eſt. Prima omnium, ab Urbano IV. Pontifice eidem commiſſa, fuit in Manfredum Siciliæ Tyrannum, qui Sarracenos ex Africa adverſus Pontificem & Eccleſiam centuriaverat. Octobonus ampliſſima poteſtate inſtructus, collecto Cruceſignatorum exercitu, in hoſtes movit; cæſisque cum ſuo Duce Sarracenis, ac Manfredo fugato, glorioſam, conſervato Peruſino Comitatu, victoriam de hoſtibus reportavit.

Variis legitionibus ornatur.

Manfredum Tyrann. profligat.

Alteram legationem apprimè arduam à Clemente IV. commiſſam habuit. Clemens enim Urbani Succeſſor triſtem Angliæ ſortem bello jactate civili miſeratus, eundem in Angliam, Walliam, Scotiam, Hiberniam Legatum cum ampliſſima poteſtate deſtinavit. Legationis capita erant: *Ut viros principes Eccleſiaſticos, ac laicos ad jurata Regi obſequia adduceret: Impia inter eos conflata fœdera diſſolveret: Rebelles Proceres incuſſo cenſurarum terrore ad officia compelleret: Præſules Romam ad dicendam cauſam evocaret.* Et quia ſine armorum potentia non facilè videbatur infringenda rebellium animorum pertinacia, eidem ſub Crucis ſigno convocandi milites non ſolùm in Anglia, ſed etiam in Germania, & Gallia, annuentibus Cæſare & Gallo Rege, facultatem dedit. *Venit itaq; Octobonus Legatus in Angliam rubeis indutus veſtimentis* (teſte Pariſio) *& in Eccleſia Weſtmonaſterienſi congregato Concilio, fecit mandata Apoſtolica publicari.* Quorum timore correpti Londonienſis, Wigornienſis, ac Wintonienſis Præſules, pœnitentia ducti, ſupplices de genu veniam rogârunt. Sed non propterea diſcordia, aliis adhuc tumultuantibus, quievit. Gilbertus enim Comes

Legatione Anglicana ſtrenuè perfungitur.

Anglos ad obſequium Regis propellit.

Gloverniæ Londinum, quaſi Regi auxilium laturus, ingreſſus, verſis in Regem armis urbem occupat: Octobonum Legatum Pontificis, qui in arce habitabat, ad deditionem evocat. Octobonus cauſæ meritis & Deo fiſus, anathemate reſpondet: atque ad defendendam pro Rege in perduelles arcem, auxilia eouſque urget; donec adveniente Eduardo Regis primogenito, rebelles cogerentur coram Rege procumbere, & mandatis obſequi. Quo tempore, ejusdem Octoboni opera, Leolinus Walliæ Princeps civili eo irretitus bello, poſitis armis, ſe Regis imperio ſubjecit. Ob rem adeò præclarè geſtam Clemens IV. Pontifex ſuo gratulatus Legato, Romam venire cupienti his verbis reſcripſit: *Laboraſtis ſatis diu,& te Dominus in tuis laboribus honeſtavit, & humano judicio jam complevit eosdem: niſi forſan nota Anglicana gentis mobilitas, qua timetur, iteratò ſurgat in ſcandala aduata levitate.*

Ei gratulatur Pontifex.

Principes ac Reges Cruce ſignat pro recuperatione Terræ ſanctæ.

Priuſquam verò Octobonus ex Anglia in Italiam reverteretur, nova ab eodem Clemente mandata congregandi copias Cruceſignatorum, pro recuperanda Terra ſancta, accepit. Explevit munus ſibi impoſitum Legatus: *nam celebrato Londini Concilio* (in quo multa ad reformationem Eccleſiæ Anglicanæ, teſte Pariſio ſtatuit) *Cruce ſignavit apud Northamptenam filios Regis Eduardum & Edmundum: poſt hos verò Comitem Gloverniæ cum multis aliis nobilibus atque privatis Anglicæ regionis.* Inde Romam redux, novis objiciendus laboribus, eodem mandante Clemente, in Hiſpanias profectus, Caſtellæ, Aragoniæ, atque Luſitaniæ Reges ad eandem expeditionem ſolicitavit; quos ut obſequentiores haberet, ex indulto Clementis, Decimas iis pro belli ſumptibus in triennium conceſſit.

Acclamatur Pontifex.

Tam arduis legationibus, ac magnis in Eccleſiam meritis clarus, defuncto, ut diximus, Innocentio V. Succeſſor datus eſt die 4. Id. Julii anno noſtræ ſalutis 1276. Sed diù promeritam dignitatem non retinuit, morbo jam fatigatus, ſenio, ac legationum gravamine. Ferunt gratulantibus ſibi affinibus ob adeptum Pontificatum reſpondiſſe: *Utinam ad ſanum Cardinalem, non moribundum Pontificem veniſſetis!* quaſi fata jam jam inſtantia præſentiſſet.

Rudolphum Imp. Romam evocat contra Carolum Siciliæ Regem.

Renunciatus Pontifex, ante ſuſcepta conſuetæ coronationis inſignia, Viterbium ſeceſſit, ut inde Nuncios & literas ad Rudolphum Cæſarem in Germaniam expediret: timebat enim nimiam Caroli Siciliæ Regis & Senatoris in Urbe licentiam (qui omnia pro arbitrio, nulla pontificiæ dignitatis habita ratione, tùm Romæ agebat) ne fortè Nuncios ſuos impediret, aut aliquam ſibi vim, vel dedecus inferret. Tutiùs proinde rem hanc Viterbii, abſente Carolo, peragi poſſe cenſuerat. Ut igitur nimiam potentiam, qua Carolus elato animo abutebatur (ſunt verba Ciaconii) ejusque impios conatus infringeret, ac ſimul tanta ſeipſum oppreſſione liberaret, per Nuncios & literas Rudolphum Cæſarem, ſub prætextu ſuſcipiendi Auguſtalis diadematis, vocavit in Urbem. Verùm Rudolphus bello Bohemico tùm implicitus, Hadriani votis ſatisfacere haud potuit. Carolus autem intellecto per delatores Pontificis animo, ad declinandam invidiam intentus, omnem belli vim in Achaiam tranſtulit, viam ſibi ad Imperium Græcorum facturus. Sed mortuo paulò poſt

Digitized by Google

lò pòſt Hadriano, mutatâ ſententiâ, rebus ſuis conſulturus rediit in Italiam.

Refert ex Sanuto Hiſtorico Oldoinus in additionibus ad Ciaconium, Hadrianum Pontificem creatum, ſtatim ad inſtaurandas res Syricas animum adjeciſſe: Sanuti verba ſubjicio: *Hadrianus Papa V. magnum oſtendit affectum ad ſuccurſum Terræ ſanctæ per Gregorium X. inchoatum: unde miſit Patriarchæ Hieroſolymitano duodecim millia librarum Turonenſium pro galeis conſtruendis, vel aliis rebus magis bonorum virorum judicio opportunis: ſuiſq; literis multùm confortavit incolas Terræ ſanctæ, & ad ſpem erexit magni auxilii.* Porrò Genuenſes concives ſuos anathematis vinculo, quo innodati erant, abſolvit. Baſilicam & Palatium Lateranenſe, incendio deformatum, reſtaurare inſtituit. incœptum tamen opus perficere haud potuit, præcoci morte præventus: nam paulò mox ante Conſecrationem Viterbii ad ſuperos evolavit duodecimo Kalendas Septembris anno Æræ Chriſtianæ 1276. Pontificatus ſui quadrageſimo die vixdum completo: ſepultus ibidem in ærca marmorea apud fratres Minores cum hoc Epitaphio:

Chriſtianis in Syria ſubſidium mittit.

Genuenſes anathemate ſolvit.

Piè moritur.

HIC REQUIESCIT CORPUS SANCTÆ MEMORIÆ
D. HADRIANI PAPÆ V.
QUI PRIUS VOCATUS EST OCTOBONUS
DE FLISCO DE JANUA TIT. S. HADRIANI
DIACONI CARDINALIS.

Ejus Epitaphium.

Aliam ab hac Hadriano tribuit ſepulchralem Inſcriptionem Ciaconius ex Nomenclatore Cardinalium Rupipozæo: ſed illa recentior, hæc antiquior; illa in inſtauratione, hæc verò ſepulchro ſtatim poſt illius obitum appoſita.

Polycrates Hadriani familiaris, ſæpè dicentem audiviſſe ſe refert Hadrianum: *Nullum ſe ab hoſte ſuo quolibet majus ſupplicium optare poſſe, quàm ut ſummum Pontificatum aſſequeretur.* Perſpiciebat enim vir ſagax ad ejus dignitatis ſarcinam; quæ vulgò felix, & invidentiâ digna judicatur, cùm tamen eam humeris ſubiiſſe, difficillimum & glorioſum miſeriæ genus ſit.

Dictum Hadriani notabile.

SCRIPTA.

Scripſit Hadrianus literas ad Rudolphum Imp. quibus eum in Italiam vocat ad ſuſcipiendam Imperii coronam, & ad comminuendam Caroli Siciliæ Regis potentiam.

Ejus ſcripta.

Item ad Patriarcham Hieroſolymitanum, & ad fideles in Syria militantes, quibus eos in ſpem auxilii propediem mittendi erigit.

Dum verò in Anglia legatione Apoſtolica fungeretur, nonnullas valdè ſalutares Conſtitutiones Eccleſiaſticas edidit, quas commentariis illuſtravit Joannes Acton Canonicus Lincolnienſis.

Papa factus, *Conſtitutionem* à Gregorio X. in Concilio Lugdunenſi *ſuper incluſione Cardinalium intra Conclave tempore electionis* editam, in meliorem formam redigere cœpit, ſed morte præventus opus non abſolvit.

Extant nonnullæ ejus præclaræ orationes m. ſ. in Legationibus dictæ, apud gentiles ſuos pro memoria aſſervatæ.

ANNO

ANNO CHRISTI MCCLXXVI.

Imperatore RUDOLPHO I. Auguſto.

D E

JOANNE XX. dicto XXI. Pontifice Maximo.

Joannis electio.

CLXXXIX. JOannes XX. (quem ii, qui fabuloſam & commentitiam Joannam fœminam Pontificum numero interſerunt, Joannem XXI. appellant) natione Hiſpanus, Provincia Luſitanus, patria Ulyſipponenſis, profeſſione olim Medicus, ex Epiſcopo Cardinali Tuſculano, Viterbii in Comitiis à Patribus, ſuffragante maximè Joanne Cajetano de Urſinis Diacono Cardinali, Pontifex maximus creatur. Poſt ſuſcepta Viterbii coronationis ſuæ inſignia, *Scribit encyclicas literas.* ſtatim encyclicas litteras ad fideles de ſua promotione ſcripſit; eodemque argumento ad Reges & Principes Chriſtianos alias dedit, quibus ipſos ad opem Eccleſiæ explicandam graviter & nervosè adhortatus eſt, uti patet ex Regiſtro Pontificio, quod citant & referunt Odericus Rinaldus in Annalibus, & Auguſtinus Oldoinus *in Additionibus ad Ciaconium.*

Laudatur reprehenditur.

Cæterùm ſtudiis litterarum aſſiduò immerſus, ad tantum regimen nonnullis minùs aptus eſt viſus: Hinc conſilio & opera Joannis Cajetani Cardinalis promotoris ſui uſum, omnia ex ejus nutu & arbitrio perficere ſolitum affirmant. Quod non levem ejus nomini adſperſit maculam. Laudat eum quidem Ptolomæus Lucenſis Scriptor contemporaneus, ſed ita, ut illi etiam notam inurat: genuina Ptolomæi verba hæc ſunt: *Et quamvis in multis deficeret, hoc tamen habuit laudabile, quia cùm ſummus Pontifex, & ſua dignitas eſſet ſuprema, cum inferioribus tamen non dedignabatur converſari, qualiscunque eſſet ſtatûs, dummodò eſſet literatus, ſive pauper, ſive dives eſſet, & talibus fuit largus beneficiis, & pio eoſdem amplectebatur affectu pariter & effectu; & hoc ſolùm fuit virtutis in ipſo: in aliis autem paſtoralis ſtatus multùm deformabatur.* Quibus verò maculis, deſcribit Jordanus: *Parùm diſcretus fuit, præcept in verba, minùs cautus in moribus.* Ejuſdem argumenti ſunt, quæ de eo ſcripta reliquit Platina: *Hic etſi doctiſſimus eſt habitus, tamen ignoratione rerum gerendarum, & morum inæqualitate plus detrimenti, quàm honoris & emolumenti Pontificatui attulit. Multa enim ſtoliditatem, & levitatem præſeferentia egit: in uno tamen commendatione dignus, quòd adoleſcentes litterarum ſtudioſos, inopes maximè beneficiis Eccleſiaſticis juvit, & pecunia.*

Excuſatur.

Sed fors hi ſeveriùs, quàm par erat, de Joanne ſcripſerint. Plurima ſanè egregio & vigilante Pontifice digna ab eo geſta eſſe non inficias iverit, qui quæ æquiores de eo tradunt, perpenderit. *Ejus laudabilia acta.* Nam Philippum Galliarum Regem ne arma, quæ vertenda in Sarracenos erant, Chriſtiano cruore imbueret, monitis abſterruit, & lega-

legationibus. Alphonſum Caſtellæ Regem intentatis cenſuris, quò eum à bello in Gallos decreto dimoveret, ad ferendum Terræ ſanctæ ſubſidium compulit. Palæologum Græcorum Imperatorem ad ſtandum promiſſis in Concilio Lugdunenſi ſuſceptis permovit. Guidoni Flandriæ Comiti, qui ſe expeditioni Syriacæ obſtrinxerat, pro inſtruendo bellico apparatu decimas Flandriæ attribuit. Cenſum è Regnis Angliæ & Hiberniæ pro neceſſitate Romanæ Eccleſiæ expetiit, & recepit ab Odoardo Rege Anglo. Apocriſarios ad magnum Cham Tartarorum Principem, magno rei Chriſtianæ emolumento, miſit, qui fideles in fide confirmarent, devios in viam reducerent; Eique Principi datis litteris rem Chriſtianam paternè, nec in caſſum commendavit. Nuncios ad Regem Hungariæ pro ſedandis domeſticis tumultibus ire juſſit. Principem Antiochenum libertatis Eccleſiaſticæ violatorem reprehendit, & ad ſaniora redegit. Adhibuit etiam ſtudium ad hæreſis venenatas radices amputandas. Extant Joannis litteræ ad Stephanum Epiſcopum Pariſienſem datæ, quibus deplorat, errores aliquot contra fidem ex illa nobili Academia emerſiſſe, è qua anteà limpidiſſimi ſcientiæ fontes emanabant. Hæc & his ſimilia qui animo affectibus vacuo perpenderit, facilè ſibi perſuadebit, Joannem non uſque adeò ſocordem, ſtolidum, & levem in regimine fuiſſe, ut nihil honoris, nihil emolumenti Pontificatui attulerit, quemadmodum Platina, aliique nonnulli criminantur.

Exceſſit è vita Joannes Pontifex Viterbii, octavo ſui regiminis menſe, anno à Chriſto nato 1277. XIII. Kalend. Junii, infra Octavam Pentecoſtes. Illius mortem Ciaconius ex Ptolomæo, & Platina deſcribit his verbis: *Octo menſium Pontifex Joannes appellari potuit: nam cùm Viterbii dormiret, repentinâ cubiculi recèns constructi ruinâ oppreſſus eſt, quod in Palatio Viterbienſi fabricaverat; atque inter ligna & lapides ſemivivus inventus, ſeptima die acceptis Eccleſia Sacramentis expiravit. Vir admodùm literatus, & literatorum valdè amator, multarumq; rerum ſcientiâ inſtructus* Sepultus eſt Viterbii in Eccleſia Cathedrali Divo Laurentio ſacra cum hoc brevi Epitaphio. *Ruina cubiculi opprimitur.*

JOANNI LUSITANO XX.
PONTIFICATUS MAXIMI SUI MENSE VIII.
MORITUR AUTEM MCCLXXVII.

Cæterùm ut ut Joannes triſti adeò caſu eliſus obierit, fides tamen non eſt adhibenda Siffrido, Joannem, dum librum hæreſibus plenum conſcriberet, concuſſo ſubitò atque everſo ædificio oppreſſum mentienti. Satis enim Siffridi commentum Italorum Scriptorum ſilentiò refellitur, cùm nullus hoc crimen ipſi adſperſerit, quamvis ejus famam in aliis carpſerint, & obſcurarint. Nec minùs ineptiarum arguendi ſunt illi, qui inter cætera opprobria, quæ in Joannem jecêre, Magum fuiſſe criminantur. Quæ calumnia ex eo naſci potuit, quòd cùm ſcientiis omnibus, ac maximè Mathematicis artibus inſtructus eſſet, quædam ediderit, quæ ignavis & imperitis ſtuporem injicerent. Ob hanc enim artem etiam Silveſter II. ut ſuo loco oſtendimus, ſtupidis hominibus Ma- *Defenditur à calumniis.*

Ppp gus

gus eſt viſus. Sed alia eſt inſani vulgi, alia prudentum hominum opinio.

S C R I P T A.

Ejus varia Scripta.

Scripſit autem Joannes tanquam Philoſophus, & Medicus celeberrimus.

Summulas Logicales, quibus artis flexiones, & diverticula extricare proclive eſt: in lucem prodierunt cum expoſitione Verſorii Pariſienſis. In has ſumulas Commentaria ediderunt Petrus de Bruxellis, vulgò Crocatius Ordinis Prædicatorum; Gerardus Liſtrius Batavus; Nicolaus Orbellus Gallus Ordinis Minorum; Petrus Tataretus; Matthæus de Bononia Carmelitarum Generalis; Gregorius Buxellenſis; Thomas Bricotus, & alii. Extant M.SS. Patavii in Bibliotheca Nicolai Triviſani cum Commentariis Blaſii de Parma; Cremonæ in Bibliotheca Auguſtinianorum cum Commentariis Joannis de Perſico; & Florentiæ in Bibliotheca Ducali Medica.

Scripſit etiam Parva Logalica, quæ anno 1593. in partes, & Capita diſtincta, in lucem prodierunt Venetiis.

Tractatus Logicales ſex.

Problemata quædam, Ariſtotelem imitatus.

Dialecticam, quæ extat M. S. Patavii in Bibliotheca S. Joannis in Viridario: in quam Chriſtophorus Hagendrophinus edidit Dragmata.

In Phyſiognomiam Ariſtotelis, quæ invenitur m. ſ. Cantabrigiæ in Bibliotheca S. Petri.

Commentaria in Iſaacum Medicum; *de Diætis* univerſalibus, & particularibus, & *de Urinis*: quæ cum Operibus ejusdem Iſaaci in lucem prodierunt Lugduni apud Bartholomæum Troſt anno ſalutis 1515.

Theſaurum Pauperum, ſeu de medendis humani corporis membris, librum empiricum ex omni genere Auctorum, & experientiâ propriâ congeſtum, qui typis datus eſt Lugduni anno 1525. Pariſiis autem anno 1577. cum altera parte, quam ſcripſit Joannes Liebaultius Medicus Divionenſis.

De medenda Podagra Tractatum.

De oculis, & de Formatione hominis.

Super Tegnis, & Hipprocratem Gloſſas de Natura puerorum: extant m. ſſ. Patavii apud Canonicos Lateranenſes.

Canones Medicinæ.

Conſilium de Tuenda Valetudine ad Blancam matrem S. Ludovici Regis Galliarum.

Epiſtolarum Volumen ad diverſos in Vaticano aſſervatum.

Sermones Prædicabiles, & alia, quæ Cremonæ in Bibliotheca Auguſtinianorum aſſervantur m ſſ.

Error Genebrardi in Joanne noſtro hallucinantis

Genebrardus palmari errore huic Pontifici attribuit Extravagantem. *Cùm inter nonnullos.* de Verb. ſignif. qua damnatur error dicentium Chriſtum & Diſcipulos nihil habuiſſe: & alteram Extravagan-

vagantem *vas Electionu*, contra errores Joannis de Poliaco. At Joannes Papa XXII. Extravagantium auctor, Gallus fuit, non Luſitanus, electus in Pontificem anno 1316. Noſter verò Joannes XX. electus, ut vidimus, anno 1276. natione Luſitanus erat.

ANNO CHRISTI MCCLXXVII.
Imperatore RODULPHO I. Auguſto.

De

NICOLAO III. Pontifice Max.

POſtquàm Sedes Romana ob Patrum diſcordiam ſex menſes totidemque dies ab obitu Joannis XX. vacaſſet, tandem, aſpirante cœlo, unanimi ſuffragio in Pontificem Romanum Viterbii electus eſt Nicolaus hujus nominis III. anteà Joannes Cajetanus dictus, qui nobiliſſimis natalibus, familiâ videlicet Urſinâ ortus, ætate jam adultior in Eboracenſi, Sueſſionenſi, & Laudunenſi Eccleſiis Sacerdotia geſſit, atque in Urbe SS. Laurentii & Damaſi, ac S. Chryſogoni Eccleſias adminiſtravit. Ab Innocentio IV. Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano renunciatus, ab Hadriano item IV. unà cum Epiſcopo Sabinenſi, & Jacobo S. Mariæ in Coſmedin Diacono Cardinali Viterbium miſſus graviſſimas controverſias, quæ tum inter Carolum Siciliæ Regem & Rodulphum Cæſarem vigebant, ad tempus compoſuit. Deinde à Joanne XX. ob ingentes virtutes, quæ in eo elucebant, Archipresbyteratu in Baſilica Principis Apoſtolorum donatus, ad redintegrandum in ea Baſilica rei ſacræ ſplendorem, ac perpoliendos ſanctioribus inſtitutis Canonicorum mores, nonnullas leges edidit oppidò ſalubres ac pias, quas poſteà ſuſcepto Pontificatu auxit, & confirmavit. CXC. *Nicolai electio, genus, & dignitates.* *Leges condit pro Canonicis Eccl. Vatic.*

Mox ut Apoſtolicum ſolium aſcendit, Carolum Siciliæ Regem Litteris de ſua electione certiorem fecit; aliiſque Rudolphum Cæſarem hortatus eſt ad pacem: Philippum Galliarum Regem monuit, ne Gallorum arma expugnandis Sarracenis conſecrata, in Alphonſum Caſtellæ Regem, Catholicum Principem converteret, ac ſuis literis ipſi Alphonſo ſuaſit, ut ad pacem cum Philippo contrahendam facilem ſe præberet, belliqûe cauſas removeret: quæ omnia geſta à Nicolao fuêre, antequam Pontificales infulas ſolemni ritu acciperet. *Scribit ad Reges, eosq. ad pacem hortatur.*

Apoſtolicâ thiarâ Romæ poſtmodùm redimitus, ſtatim encyclicas litteras ad Chriſtiani orbis Præſules, Principes, atque Reges, Prædeceſſorum more, ſcripſit; eosque ad mutuam pacem, atque ad arma in Sarracenos ſuſcipienda hortatus eſt. Id ut facilius impetraret, publicas toto orbe Chriſtiano preces indixit, atque orantibus ſacras ex ritu Eccleſiaſtico indulgentias propoſuit. Cùm verò tam præclaræ & neceſſariæ rei unus Carolus Siciliæ Rex obniti videretur, Pontifex ejus potentiam in ſtatu Eccleſiaſtico commi- *Preces ſolemnes pro impetranda pace indicit.*

Caroli Siciliæ Regis potentiam comminuit.

nuturus, ac ſimul libertati Eccleſiæ conſulturus, ei ante omnia Hetruriæ vicariatum ademit, quòd diceret Rodulphum Cæſarem, id ægrè ſerentem, non aliter ſacram expeditionem inchoaturum, cùm Hetruria Imperatoriæ jurisdictionis haberetur. Deinde eum Senatoriatûs munere, quo potiebatur, privavit; lege edita, qua cavebatur: *Ne Imperatori, Regi, Principi, Duci, Marchioni, Comiti, nevè fratris filio, aut nepoti ipſorum, aut alicui, quavis polleret poteſtate aut honore, Senatoriam dignitatem, aut alium Magiſtratum Romæ petere, vel obire liceret: Qui verò ad id munus vocaretur, id ultrà annum ſine publicis Apoſtolica Sedis litteris non obtineret.* Hac ratione Carolo Rege privato, ſeipſum Pontifex Senatorem perpetuum conſtituit, & in ſui locum Proſenatores duos Joannem Columnam, & Pandulphum Sabellum creavit: Romanam Rempublicam, exauctoratis Caroli ſautoribus, innovavit: multas leges pontificiæ libertati commodas edidit: Magiſtratus Florentiæ, atque in cæteris Hetruriæ civitatibus pro animi arbitrio creavit, ipſorumque Rempublicam, novis edictis pronunciatis, & Gibellinis ubique reſtitutis, in ordinem redegit, pacavitque.

Principibus Senatoriam dignitatem lege interdicit.

Magiſtratū Florentinum in ordinem redigit.

Et cùm Rudolphus Cæſar Gregorio X. in Italiam è Concilio Lugdunenſi redeunti promiſiſſet redditurum ſe Romanæ Eccleſiæ Exarchatum Ravennatem, Flaminiam, & Æmiliam Provincias, quas Imperatores vi occupatas diù poſſederant, Nicolaus has per Legatos à Rodulpho repetiit. Qui juſtæ ejus petitioni annuens, miſſo Romam Oratore, in publico illas Conſiſtorio Eccleſiæ reſtituit. Quam rem univerſi Germaniæ Principes ratam habentes Diplomatibus firmarunt. Hujus reſtitutionis Bullæ, & privilegia in ſecretiori Vaticana Bibliotheca deſcripta etiamnum extant.

Exarchatum Ravennatenſem à Rudolpho Imp. recipit.

Tot Provinciis aucta ditione Eccleſiaſtica, Pontifex duos de familia ſua Reges creare decreverat, quorum alterum Hetruriæ, alterum Longobardiæ præficeret, qui hinc Germanos partem Alpium incolentes; illinc Gallos Siciliam & Regnum Neapolitanum tenentes, armis in officio continerent. Quod ut faciliùs aſſequeretur, Caroli Regis vires ſibi nimiùm ſuſpectas, quem conatibus ſuis refragaturum exiſtimabat, magis contundere propoſuit. Palæologum igitur Græcorum Imperatorem à Carolo vexatum, tuendum ſuſcepit; & operâ Joannis Procitæ Petro Aragonum Regi perſuaſit, ut jure hæreditario Conſtantiæ uxoris ſuæ (quæ filia Manfredi Regis fuerat) Inſulam Siciliam Carolo adimeret. Verùm generoſos ejuſmodi conatus mors interveniens paulò pòſt abrupit.

Duos in Italia Reges creare ſatagit: & quare?

Carolo Siciliæ Regi adverſatur.

Fuit autem Nicolaus Pontifex (ut Auctores paſſim ſcribunt) vir magni animi atque conſilii, moribus & vitæ integritate adeò commendatus, ut vulgò linguâ vernaculâ *Compoſitus* diceretur. Amator & cultor doctorum virorum, eorum præcipuè, qui doctrinam cum prudentia & religione conjunctam haberent: in partiendis autem dignitatibus & honoribus adeò circumſpectus, ut nonniſi pietate & eruditione conſpicuos iis exornaret. Produnt Scriptores, neminem ante ipſum religioſiùs ſacrificare viſum, cum ſemper, dum ſacris operaretur, lacrymas ubertim funderet. Erat enim religionis obſervantiſſimus, & adeò Ordinis Minorum ob contemptum

Laudatur paſſim ob egregias virtutes.

Ordini Minorum mire favet.

ptum rerum caducarum amator, ut ipſe etiam Decretali Epiſtola, (quæ in Jure habetur) quædam ipſius Ordinis ambigua declaraverit, duos præterea ex eo Cœtu ad purpuram, decem ad Infulas Epiſcopales aſſumpſerit. Vacantibus Eccleſiis nullus Pontifex celeriùs ac maturiùs conſuluit, cùm eas ſtatim optimo cuique & idoneo, quorum mores, doctrinam, ac pietatem explorata habebat, committeret. Notarios & Tabelliones, utpotè ſanguine pauperum & litigantium viventes, à ſe ut peſtiferos rejecit, Gregorium X. & Joannem XX. hac in re imitatus. Multa demum conſtituit ad decorem Cleri, populique Chriſtiani utilitatem pertinentia, ut in Sexto Decretalium Cap. *Cupientes* apparet. *Vacantibus Eccleſiis piè conſulit.*

Ædificandi ſtudio incenſus, Baſilicam Conſtantinianam, ab Hadriano V. reparari cœptam, perfecit, auxit, & exornavit. Sacellum S. Laurentii (quod dicitur *Sancta Sanctorum*) in porticu Lateranenſi à fundamentis dirutum ſuo ſumptu refecit, & opere vermiculato atque picturis exornavit, marmoreiſque tabulis texit, ac in eo æneis armariis, ab Innocentio III. factis, Capita Apoſtolorum Petri & Pauli argenteis thecis incluſa ſub altari; cui ſancti Salvatoris acheropita imago ſuperſtat, cum multis aliis nobiliſſimis reliquiis ſolemni totius populi Romani ſupplicatione recondidit: quo die, qui fuit Pridie Nonas Junii, eandem Baſilicam dedicavit. Palatium Vaticanum anguſtum, ac vetuſtate collabens reſtituit, ac novis ædibus pro aulæ miniſteriis ſacris atque profanis ampliavit. Viridarium pontificium nemore, vinetis, arboribus, pomario, & aquarum fontibus auxit, quod & muro turriculiſque, ad inſtar Urbis cinxit. Baſilicam S. Petri temporis injuriâ deformem & inclinantem renovavit, picturiſque Romanorum Pontificum in Zophoris nobilitavit, quod & in Baſilica S. Pauli via Oſtienſi præſtitit. Divinum cultum in eadem Baſilica Vaticana mirum in modum auxit, Canonicorum numero & proventu amplificato. Ordines ejus Eccleſiæ prudenter diſtribuit, & quid ad ſingulos ſpectaret, oſtendit; habitationemque unicuique diſtinctam aſſignavit; denique non niſi probatos moribus, doctrinaque conſpicuos eidem Baſilicæ præeſſe voluit. Non caruit tamen in tantis laudibus reprehenſione Nicolaus, utpotè nimio amore propenſus in ſuos, quos opibus, divitiis, clientelis, oppidis, caſtellis, dignitatibus cumulaſſe, & extuliſſe notatus eſt. Falſum tamen, & à veritate prorſus alienum eſt, quod temerè ſcripsêre nonnulli, nempè illum omnia ſanguine junctis conceſſiſſe: nam, ut laudata ſuperius pietatis ejus & liberalitatis monumenta miſſa faciam, ſoli Baſilicæ Vaticanæ in numerata pecunia ſummam Scutorum centum millium dono dediſſe inventus eſt: munus illo tempore ingens, quo res Eccleſiæ Romanæ anguſtiores erant: Porrò integrum catalogum donorum aureorum argenteorum, lapidumque pretioſiſſimorum, ab ipſo eidem Baſilicæ collatorum, recenſet ex monumentis Vaticanis Oldoinus in additionibus ad Ciaconium, ut adeò non omnia ſuis conceſſiſſe citra injuriam dici poſſit. Explodendi etiam ſunt mendaciſſimi Novatores, qui luxuriæ maculam ipſi aſpergere nituntur: non enim maculas, ſi iis infectum noviſſent, diſſimulaſſent Scriptores illi, qui ipſum

Ejus pietatis monumenta.

Ejus ædificia cum ſacra, tum profana.

Quid ei vitio detur?

Dona ab ipſo in Baſilicam Vaticanam collata.

Calumnia Novatorum refellitur.

ipſum nimio in ſuos amore propenſum prædicant. *Tam caſtus moribus enituit* (inquit Ciaconius) *ut virgo à pleruq; ſit creditus.* Et Odoinus: *vir fuit puriſſimis moribus, & ab omni libidinis labe immunis.* Eadem Platina, Genebrardus, Ægidius Card. Viterbienſis apud Victorellum *in Notis ad Ciaconium.*

Repentè moritur.

Solebat Nicolaus quotannis æſtivo tempore Surianum (oppidum eſt non longè Viterbio diſtans, cœli clementiâ, & aquarum nemorumque amœnitate celebre) vitandi caloris gratiâ petere. Eò igitur, cùm anno ſalutis 1280. tertio Pontificatus ſui anno totus vegetus ſanuſque acceſſiſſet, ſubitâ proſtratus apoplexiâ, die 23. Auguſti exceſſit è vita: cujus mortem Tyberim in immenſum auctum, ac Urbem inundantem, indicaſſe ferunt Platina & alii. Corpus Romam delatum in Sacello S. Nicolai à ſe condito, in Baſilica Vaticana, tumulo marmoreo Emblematibus exornato ſepelitur.

Alberti magni obitus.

Quo anno etiam Coloniæ Albertum Magnum, inſigne Germaniæ, & totius Ordinis Prædicatorum lumen, mortem oppetiiſſe XVII. Kal. Decembris ſcribunt.

Nicolai elogium.

Fuit verò Nicolaus Pontifex vir nitidiſſimis moribus, ſobrius, caſtus, vini cibique parciſſimus, doctus, doctorumque hominum cultor eximius: qui in arduis rebus tentandis magnanimitate, in tractandis experientiâ, atque in perficiendis dexteritate magnam toto Pontificatu conſecutus eſt laudem.

SCRIPTA.

Ejus Scripta.

Scripſit Nicolaus inſignem Tractatum De Electione dignitatum:
Item Regeſtorum duo Volumina, quæ in Vaticano m. ſſ. aſſervantur.
Epiſtolarum ad diverſos Volumen.
Sermones ſacros.

Regulam S. Franciſci ipſe explicat.

Anno verò ſui Pontificatus ſecundo, cùm intellexiſſet, ſancti Franciſci Regulam quorumdam morſibus peti, in Suriani ſeceſſu per duos fermè menſes, aliis curis ſepoſitis, illius explicationi diligentem navavit operam, condiditque gravem illam, præclaramque conſtitutionem, *Exiit, qui ſeminat, &c.* Vide Emanuelem Rodericum p. 1. Collectionis Privilegiorum Apoſtolicorum Regularibus conceſſorum.

Plæſſei mendacium.

Contemne autem mendaces Plæſſei nugas, dicentis, Nicolaum præcepiſſe, ut Minorum Regula publicè legeretur in Scholis: non juſſit Pontifex, ut Franciſcana Regula in Academiis explicaretur, ſed ut ſua illa Conſtitutio *Exiit &c*, ſicut cæteræ Conſtitutiones, & Decretales Epiſtolæ legi ſolent, ad notitiam adverſariorum legeretur: ea autem explicat, confirmat, & approbat Regulam Minorum. Vide Conſtitutionem ipſam, & Gretſerum cap. 55. Examinis Plæſſeani.

ANNO

ANNO CHRISTI MCCLXXXI.
Imperatore RODULPHO I. Auguſto.

DE MARTINO II. dicto IV. Pont. M.

FErunt poſt Nicolai III. obitum, ſanctam Sedem ob diſſidium inter Patres de novo deligendo Pontifice ortum, ad ſex propè menſes vacaſſe. CXCI. Nam dum Viterbii à Cardinalibus novi Pontificis electio fieret, præeſſetque Conclavi Richardus Hannibaldenſis Romanorum nobiliſſimus, ac Regi Carolo addictiſſimus, qui paulò antè Urſum defuncti Nicolai nepotem, inſtigante Carolo Urſinæ gentis hoſte acerrimo, Præturâ Viterbienſi dejecerat; duo Cardinales ex familia Urſina Matthæus Rubeus, & Jordanus, Richardi violentiâ offenſi, impediebant, quò minus electio, niſi reſtituto in Præturam Urſo, procederet. Hanc ob rem Viterbienſes & ipſi Urſino nomini infenſi, urgente Richardo, ad arma concurrunt, factaque conſpiratione Conclave ingreſſi, Urſinos Cardinales vi abſtractos in vincula conjiciunt. Quod ubi Romæ nunciatum eſt, eadem Hannibaldenſium factio, ſollicitante Carolo Rege, familiam Urſinam, armis adoritur, Urbeque pellit. Sexto itaque vacationis menſe Gallicæ factionis Cardinales, abſentibus Urſinis, Italos ſuffragiis ſuperantes, Gallicum Pontificem creant octavo Kalend. Martii, die Cathedræ S. Petri ſacra, anno ſalutis 1281.

Diſſenſio in electione Pontificii.

Is erat Simon Mompitius, Gallus Campanus, Diœceſis Senonenſis, ab Oppido Briæ, *de Bria* dictus, Presbyter Cardinalis S. Cæciliæ: vir haud ignobili genere ortus (ut Petrus Frizonius in Gallia Purpurata teſtatur) doctrinâ, rerum gerendarum peritiâ, animi magnitudine, morum & vitæ ſanctitate in paucis conſpicuus. Refert Oldoinus in additionibus ad Ciaconium, Cardinales Viterbii congregatos tanto animi ardore memoratum Simonem de Bria ad Pontificatum evexiſſe, ut reſpuenti pontificios apices, evulsâ veſte purpureâ, vim illi intulerint, diuque obluctanti ſupremi Sacerdotii ornamenta injecerint. Ceſſit licèt invitus omnium votis Simon, ac Martini nomen accepit. Mos invaluit, ut Martinus IV. vocaretur, licèt ſecundus revera nominandus veniat; unus enim præceſſit Martinus, & duo Marini, ut eorum monimentis, ac Diplomatibus eſt luce clarius.

Simon de Bria invitus eligitur Pontifex.

Martinus IV. vocatur.

Gerebat quidem in votis Martinus in Urbe ritu ſolemni Pontificiæ dignitatis inſignia ſibi conferri, & inteſtinos ejuſdem Urbis motus ſedare; utque iter optatis ſterneret, Latinum Epiſcopum Oſtienſem, & Gottifredum Diaconum Cardinalem S. Georgii ad velum Aureum ad Romanos miſit, qui eos quovis modo, ſublatâ diſcordiâ, pacificarent: at efferati mutuis odiis eorum animi tam citò flecti ad concordiam non potuêre, atque adeò Martinus, ne in Urbe Viterbienſi, ob Urſinos Cardinales cuſtodiæ mandatos, Ecclesia-

Urbevetari coronatur, et quare?

cleſiaſtico ſuppoſitâ interdicto, ſolemnem Conſecrationis Pontificalis pompam celebraret, ad Urbemveterem ſe contulit. Ex qua Urbe, mox ut coronatus fuit, encyclicas litteras ad Orbis Chriſtiani Præſules ac Principes dedit, quibus eos de ſuſceptis à ſe Catholicæ Eccleſiæ gubernaculis certiores factos monuit, ut operam ſecum in re Chriſtiana agenda conjungerent, ac Numen precarentur, ut cœleſti ope tanto muneri imparem fulciret.

Scribit ad Princip. Chriſtianos.

Regem deinde Carolum ad ſe honoris gratiâ venientem perbenignè ſuſcepit, eidemque Senatoriam dignitatem, qua à Nicolao III. privatus fuerat, reſtituit: quod non ita ab omnibus, præſertim Urſinæ gentis fautoribus, probatum eſt, cùm ea res magnas in Urbe ſeditiones excitatura videretur, reverſis jam Urſinis, ac pulſis Hannibaldenſibus. Urſinis enim, ob odium in Nicolaum conceptum, Carolus mirificè adverſabatur. Joannes itaque Urſinus, fratrum Urſinorum Cardinalium injurias ulturus, tutaturusque dignitatem ſibi à Populo Romano traditam, comparato ſat juſto exercitu, in Viterbienſes movens, eorum agros longè lateque populatus eſt. At Martinus, qui tum in Monteflaſcone erat, Viterbienſium calamitate permotus, Matthæum ex gente Urſina Cardinalem Legatum Romam properè ad res componendas miſit, qui ex itinere Joannem Romani exercitus ducem ſecum adduxit. Venerant & eò, mandato Legati, omnium factionum capita, maximè verò Richardus Hannibaldenſis, ut ab interdicto, quod Viterbii contraxerat, dum Conclave violenter irrupit, & Cardinales Urſinos in carcerem conjecit, Legati auctoritate abſolveretur. Is itaque ad Cardinalis pedes provolutus, laqueum collo gerens, ac veniam deprecans, condonatâ magno animo injuriâ, abſolvitur.

Carolo Siciliæ Regi favet

Viterbienſes cum Urſinis pacificat.

Compoſita autem hoc modo inter utramque factionem pace, revocatoque ab injuria Viterbienſium exercitu Romano, Pontifex Romanis ſtatim conceſſit, ut ex Civibus duos ſibi Senatores deligerent, qui Urbem gubernarent. Delecti itaque duo, Hannibal Petri Hannibaldenſis filius, & Pandulphus Sabellus, viri ſpectatæ fidei & virtutis, qui Civitatem toto ſuo Magiſtratu prudenter, integreque moderati ſunt: eo potiſſimùm tempore, quo Martinus Pontifex Michaëlem Palæologum Græcorum Imperatorem, Concilii Lugdunenſis Decreta, ac initæ unionis pacta non ſervantem, inſtante Carolo Siciliæ Rege hoſte ejus acerrimo, excommunicavit.

Urbis ſtatum componit.

Tum verò Palæologus Caroli potentiam veritus, clàm fœdus cum Petro Arragoniæ Rege Caroli æmulo iniit, qui Regnum Siciliæ ob Conſtantiam uxorem, Manfredi filiam, & Conradini neptem ſuo jure repetebat. Communi itaque impensâ, magna Claſſis ab utroque parabatur. Pontifex rem ſuſpectam habens, Jacobum Ordinis Prædicatorum, virum doctum & prudentem, Legatum ad Petrum mittit ſciſcitatum, quid ſibi vellent tanti armorum apparatus? Cui Rex, *In Sarracenos proximè moturus, me præparo:* Inſtanti verò Legato, contra quos Sarracenos? *Id jam ſe nolle aperire*, repoſuit Rex: addens etiam, *Quodſi altera ex ſuis manibus id ſciret, ſe eam protinùs abſciſſurum, quò res occultior eſſet.* Abiit itaque re infecta Legatus

Palæologus cum Arragonio fœdus adverſus Carolum init.

Arragonidubium reſponſum.

gatus, nulla, aut plena ſuſpicionis reſponſa ad Pontificem deferens. Petrus autem comparata jam claſſe in Africam contendens, Hipponenſium littora vehementer populatus, in Sardiniam rediit, expectans, dum res novæ à Joanne Procita orirentur, quemadmodùm inter eos convenerat.

Conjuratio in Carolum.

Interim verò Siculi (annus agebatur 1282.) quorum motus Rex Petrus in Sardinia expectabat, ſuperbiam ac libidinem Gallorum ampliùs ferre nequeuntes, ſuadente Joanne Procita, in Carolum conjurationem ineunt, data die ad rem conficiendam, ut cùm primùm die Paſchæ Veſperarum ſonus è turri exaudiretur, ubique Galli, nullo ſexus, ætatis, ordinis diſcrimine habito, ad internecionem totâ Inſulâ cæderentur. Qua in re ab efferatis Siculis adeò ſævitum eſt, ut etiam mulieres Gallico compreſſu prægnantes (ne ulla intenti generis proles ſupereſſet) necatæ tradantur. Hinc *Veſperarum Sicularum* proverbium manavit. Vide quæ de hac Tragœdia ſcripſimus in Purpura docta *lib.1.n.100.*

Veſſera Sicula.

Malum quoque factum expertus eſt eodem tempore Guido Appius, Pontificis nomine cum octingentis equitibus Gallici nominis ad recuperandam Romandiolam miſſus: Nam dum Forumlivium obſidet, eſſentque cives erumpendi cupidi, Guido Bonatus Aſtrologiæ peritiſſimus, concives ſuos adhortatus eſt, ut expectatâ parumper Aſtrorum benignitate, tum demum erumperent, quando eis ſignum daret. Fecêre mandata obſeſſi, paratis armis ſignum operientes, quo demum dato, alacri animo erumpentes, Appium nil tale expectantem cum omnibus ferè Gallis interfecêre. Atque Urbs eo pacto obſidione Gallorum liberata eſt.

Appius dux cum Gallis obtruncatur

Carolus autem Rex audita Siculorum defectione, ſuorumque immani cæde, cum magnis copiis in Siciliam trajiciens, primò Meſſanam Urbem obſidet, quam certè per deditionem cepiſſet, niſi Galli ultionis cupidi, deleturos ſe urbem minati fuiſſent. Tum verò Petrus Arragonius tantos motus (ut diximus) expectans, rerum certior factus, è Sardinia & ipſe properè in Siciliam trajecit, Panhormumque contendit, à civibus & Siculis perbenignè ſuſceptus: à quibus etiam, (confluente undique ad eum multitudine) regium nomen & Regnum conſecutus eſt.

Arragonius Regnum Siciliæ conſequitur.

Ea re perterritus Carolus, Meſſanâ relictâ, in Calabriam ſe ſtatim recepit, expectaturus Carolum filium Salerni Principem, quem paulò pòſt è Narbonenſi provincia cum aliquot cohortibus venturum ſciebat. Reprehenſus à Carolo per Nuncios Petrus Arragonius, quod affinis conſanguineuſque regnum alienum invadere auſus eſſet, reſpondit; *Se miſericordia motum, calamitoſo populo & indigna ferenti petitam opem denegare haud potuiſſe: quamquam id quoque regnum uxorio nomine ſibi deberetur propter Conſtantiam conjugem, Manfredi filiam, & Conradini injuſtè à ſe occiſi neptem.*

Carolus conqueritur.

Reſſondet Arragonius.

Concreſcentibus igitur ultrò citroque jurgiis, reſtandem ex Caroli provocatione ad ſingulare certamen deducta eſt, hac conditione, ut uterque Rex centum ſibi commilitones ad certamen adſciſceret. Locus pugnæ apud Burdegalam, in Regis Anglorum tum poteſtate, delectus. Erat verò Rex Angliæ utrique Regi affinitate conjunctus, qui propterea tantum certamen (cujus nos fuſiùs me-

Carolus ad ſingulare certamen provocat.

minimus *lib.1. Purp.doct.n.101.*) adjuvante Martino Pontifice, tandem diremit. Verùm cùm nihilominus Petrus Carolum bello premeret, Martinus Gerardum Blancum Parmenſem Cardinalem Legatum Neapolim ea lege miſit, ut is Pontificis nomine Neapolitanos in fide Caroli contineret, & Carolum ipſum adoleſcentem armis, conſilio; & auctoritate juvaret. At verò cùm Petrus Rex Rogerium

Carolus Caroli filius capitur, & in Arragoniam ducitur.

Loriam Claſſis ſuæ Præfectum Neapolim expediviſſet, Carolus adoleſcens pugnandi cupidus (aliter ſentiente Legato, & reclamante, *Nequaquam tantum Regnum fortunæ committendum eſſe, quæ ſæpè falleret*) in hoſtem temerè ruens, non longè ab Urbe Neapoli ingenti ſuorum ſtrage ſuperatur, & capitur: captuſque in Siciliam primò, deinde in Arragoniam ad Petrum perducitur. Quod certè ei non accidiſſet, ſi benè monenti Legato, ut par erat, obtemperaſſet. Nam pater Carolus non multò pòſt cum ingenti Claſſe supervenit, qua etiam cum hoſte nondum victore decertare potuiſſet. Tum verò Martinus frequenti admodùm Caroli calamitate permotus, cujus

Martinus Arragonium Regno privat & excommunicat.

ſtudioſiſſimus erat, Petrum Arragonium, tanquam bonorum Eccleſiaſticorum uſurpatorem, regiis titulis privatum anathemate notat, ejuſque Regnum in prædam cuivis occupare volenti exponit; ſubjectos fidei ſacramento laxat; Cruceſignatos in hominem concitat; eundemque publicum Eccleſiæ hoſtem edicto divulgat. Milites quoque Eccleſiaſticos Carolo in auxilium miſiſſet, niſi ei bellum in Flaminia gerere neceſsè fuiſſet contra Foroliviano, qui, auctore Guidone Montisfeltri Comite, ab Eccleſia defecerant, ac nonnulla Pontificiæ ditionis Caſtella oppugnaverant. Verùm cùm Guido haud multò pòſt pœnitentiâ ductus, pacem cum Pontifice iniiſſet, & mœnia Forolivianorum demolitus eſt in ultionem Guidonis Appii, & magnam Flaminiæ partem brevi recepit: Urbinum quoque, quod tum oppugnabat, haud dubiè cepiſſet, niſi Rubeus Anguillarius Hetruriæ Comes, Guidonis amicus in oppugnatione ipſa telo trajectus occubuiſſet.

Martinus animi dubius.

Interim verò cùm Martinus curis agitatus addubitaret à quo duorum populorum Piſanorum ſcilicet & Genuenſium, auxilium contra Petrum Arragonium poſtularet? tanta repentè inter hos de poſſeſſione Corſicæ contentio exorta eſt, ut ipſi, deluſo Pontifice, auxilia aliunde peterent. Legatum tamen Apoſtolicum Pontifex litteris hortatus eſt, ut tamdiù populos in fide contineret, quoad Carolus Rex cum ſupplemento copiarum allaberetur. Ingreſſus deinde Neapolim Carolus, confirmatiſque civium animis, Claſſem centum & decem triremium ad expugnationem Siculorum adornave-

Carolus Siciliæ Rex moritur.

rat. Cumque Neapoli Brunduſium majores copias, commeatum, & pecunias collecturus pergeret, nec res intenta votis reſponderet, mœrore animi potiùs curiſque, quàm ſenio confectus periit in Apulia 7. die Februarii anno ſalutis 1284. ætatis 56. Regni 19. Corpus Regia pompa Neapolim relatum, ibidem in principe Eccleſia conditum eſt. Mortuo Carolo totum gubernandæ Provinciæ pondus ad Legatum Apoſtolicum recidit.

Erat tum rumor, ac conſtans propè fama, Philippum Galliæ Regis filium Comitem Atrebatenſem ejus Regni causâ adventare,

qui

qui tamen Petrum Arragonium deterrere non potuit, quò minùs Regnum vexaret, cùm jam conſtaret eum exiguis cum copiis adventare. Nam pater Philippus Franciæ Rex in Arragoniam cum magno exercitu profecturus erat ad occupandum Petri Regnum, à Martino Pontifice, gravibus cenſuris priùs interpoſitis, in prædam occupanti datum. *Philippus Franciæ Rex Regno Arragoniæ inhiat.*

Pontifex autem tot curis circumventus Urbevetanis etiam tumultuantibus (nam Gibellini Guelphos expulerant) Peruſium proficiſcitur. Ubi non multò pòſt, lenta febri diù vexatus, anno Pontificatus ſui quarto ſupra menſem unum dieſque ſeptem, ſanctiſſimo fine exceſſit è vita IV. Kalend. Aprilis 1285. Sacrum ejus corpus ibidem in Cathedrali Eccleſia S. Laurentii, Minorum habitu veſtitum, honorificè ſepultum eſt. *Martinus ſanctè obit.*

Auctor vitæ Martini contemporaneus, uti etiam continuator Chronici Martini Poloni, Nangius, Platina, Ciaconius, Trithemius; Victorellus, Raynaldus, Oldoinus, aliique tum veteres, tum recentiores Hiſtorici, uno ore fatentur, Martinum IV. ob vitæ ſanctitatem miraculis poſt obitum clarviſſe. Unum audiviſſe Nangium ſuffecerit: *Diverſarum afflicti generibus paſſionum, ſpecialiter viſûs, auditûs, & loquelæ, juxta feretrum, in quo Martinus erat ſepultus, proſtrati, infra paucos dies, videntibus & aſſiſtentibus Clericis & Laicis quamplurimis, ſunt ſanati. Nec adhuc ceſſant ibidem miracula &c.* His conſentanea tradit Platina in hæc verba: *Ad Martini ſepulchrum multi valetudinarii delati, multi cæci perducti, muti, & claudi, priſtinam valetudinem ſanctiſſimi Pontificis meritis à Deo recepere.* Ex quibus cavere diſcat lector à Novatorum fraudibus, & impoſturis, qui odio ac furore in Sedem Apoſtolicam perciti, ſanctiſſimum Pontificem etiam miraculis à Deo illuſtratum, confictis criminibus onerarunt, ut meritas illius laudes obſcurarent: atque Epitaphium confictum impiè, imperiteque, ad memoriam ipſius in odium adducendam, putidis ſcripſit divulgarunt. *Claret miraculis.* *Impoſtura Novatorum.*

SCRIPTA.

Litteras quamplurimas ſcripſit Martinus, quarum Regiſtrum, teſte Oldoino, m. ſſ. aſſervatur in Bibliotheca Vaticana. *Martini Scripta.*

Scripſit etiam nonnullos Sermones ſacros, in eadem Vaticana Bibliotheca aſſervatos.

Et quia Eccleſiaſticæ Poteſtatis propugnator acerrimus extitit, duas inſignes Epiſtolas de hac materia ſcripſit, quas referunt Maſſonius, & Binius in vita.

ANNO CHRISTI MCCLXXXV.
Imperatore RODULPHO I. Auguſto.

DE
HONORIO IV. Pontifice Max.

CXCII.

Jacobus Cardinalis Sabellus Pontifex ſalutatur.

QUadriduo poſt Martini deceſſum, Cardinales Peruſii ad novi Pontificis Comitia congregati, Jacobum Sabellum Romæ illuſtri ſanguine ortum, Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Coſmedin, unanimi ſuffragio Pontificem maximum ſub Honorii IV. nomine deſignarunt: virum certè pietate, prudentia, eruditione, rerum peritia & uſu longè clariſſimum, multiſque legationibus in cauſa Eccleſiæ ad Principes Chriſtianos cum emolumento obitis inſignem. Hic Pontifex acclamatus, ſtatim Romam ad ſuſcipienda Coronationis inſignia ſe contulit: ubi in Presbyterum, & Epiſcopum conſecratus, ſummâ thiarâ in Baſilica Principis Apoſtolorum, per manus Gottifredi Cardinalis S. Georgii in Velabro, exornatus eſt.

Pandulphus Sabellus vir egregius.

Geſſerat tum in Urbe Senatoriam dignitatem Pandulphus Sabellus, Honorii Pontificis frater, vir ſummæ prudentiæ, & juſtitiæ, tantæque in nefarios homines ſeveritatis, ut quoties populus Romanus Urbem atque viciniam latronibus, ſicariis, furibus parricidis (quorum tum in agro Romano ob ſeditiones civium magna copia erat) purgare vellet, non alium Senatorem, quàm Pandulphum expoſceret. Qui etſi podagra & chyragra aſſiduò vexaretur, non tamen animi magnitudine & conſtantia à quopiam vel robuſtiſſimæ naturæ ſuperabatur; illud dictitans: *Non manus, & pedes, ſed caput imperare.* Eodem quoque morbo ita etiam interdum Honorius laborabat, ut ei ſacris operaturo inſtrumentis quibuſdam ad id aptè fabrefactis neceſſe eſſet. Conſilio tamen & prudentia tantum valuit, ut non multùm corporis vires in eo deſiderarentur: quippè cùm ſolus, ſenex, & infirmus plura propè ageret, & videret, quàm omnes ſimul, qui tum in Urbe aderant. Suorum amore non caruit, quorum pleroſque ex Eccleſiæ redditibus ditaſſe, & extuliſſe notatus eſt. Cardinales illicò ex legationibus Romam revocavit, ac cum iis de componendis Reipublicæ Chriſtianæ diſſidiis conſilia agitavit. Domicilium in monte Aventino apud S. Sabinam ſibi delegit, ubi egregias ædes (quarum veſtigia adhuc cernuntur) ædificans, eò ad incolendum multos Romanorum excivit, unde mons ipſe frequentibus ædificiis incoli cœptus eſt.

Honorius laborat podagra.

Suis indulget.

Arragonium iteratò damnat.

Cùm autem vir ipſe pacis & tranquillitatis amans, neminem lædere, omnibus prodeſſe in Pontificatu ſuo conſtituiſſet, ab eo ſtudio revocatus eſt injuriâ Petri Arragoniæ Regis, regnum Siciliæ, quo à Martino tamquam uſurpator ejectus fuerat, occupare conantis: unde provocatus Honorius Martini Prædeceſſoris interdicta in Petrum lata confirmavit: Eoque mortuo eaſdem cenſuras in Jacobum

bum filium paternæ tyrannidis hæredem diſtrinxit, ac matrem illius Conſtantiam Manfredi filiam, devinctam teneri pronunciavit. Explicanda quoque Honorio ſeveritas Eccleſiaſtica fuit adverſus Henricum Ducem Uratislavienſem, qui cùm ob invaſa Eccleſiæ Uratislavienſis jura, aliaque crimina anathemate bis jam ictus fuiſſet, in tantam nihilominus pertinaciam obriguerat, ut violatis etiam iis, quæ ſalubriter à Firmano Epiſcopo Sedis Apoſtolicæ in Polonia tum Legato ſtatuta fuerant, Epiſcopum unà cum Clero exulare cogeret: ob quod flagitium Honorius iterum ſolemni ritu Ducem fidelium cœtu depelli, ac ipſius ditionem interdicto percelli imperavit. Pari animi magnitudine Ladislaum Ungariæ Regem monuit, ut repudiatam malè uxorem, ejecto ſcorto, regio thoro reſtitueret, & ritus Paganorum, quos imbibiſſe fama erat, proſcriberet; ac ni obſequeretur, Strigonienſi Archiepiſcopo provinciam commiſit, ut populos ad ſacra arma in Regem corripienda excitaret, ipſumque Regem anahemate defixum exauctoraret. Sacris hiſce pœnis Honorius jurium Eccleſiaſticorum ſtudioſiſſimus multos principum in ordinem redegit. *In Principes cenſuris agit.*

Porrò Ordinem Eremitarum, qui Carmelitæ dicti ſunt, à Sede Apoſtolica nondum ſatis probatum, edito Diplomate confirmavit, & eorum chlamydes, quæ ex alba panno faſciis pullis intertextis variatæ erant, tanquam minùs convenientes, albas eſſe voluit. Horum Princeps, ſive Conditor Albertus Hieroſolymorum quondam Patriarcha, cùm Chriſtiani Syria potirentur, erat: qui diù Carmelum montem, à quo nomen traxêre, incoluerant, ſub Regula S. Baſilii viventes. Conſule Ciaconium *in Honorio IV.* E Syria poſtmodùm à Sarracenis pulſi, Deo incrementum dante, totum ferè Occidentem, conſtructis quaquaverſum Cœnobiis, repleverunt. Ferunt, Sultanum Ægyptium eos à Carmelo exegiſſe, cùm intellexiſſet, primum illos habitum, Papæ juſſu, immutâſſe: quòd illum tanquam ab Helia & Heliſæo manantem, venerationi habuiſſet. *Ordinem Carmelitarum confirmat.*

Moniales Prænestini Inſtituti idem Honorius ad Urbem tranſtulit, eiſque Monaſterium S. Silveſtri iu Campo Martio perpetuò incolendum tradidit: exactis verò inde Monachis Benedictinis Cœnobium S. Laurentii extra muros aſſignavit. Unicum Cardinalem toto ſuo Pontificatu creaſſe reperitur, nempe Joannem Buccamatium Epiſcopum Tuſculanum (de quo fuſiùs *lib. 2. Purp. docta n. 1.* egimus) virum doctrina & pietate præſtantem. Hinc Pandulpho fratri, à quo ſæpiùs rogatus, ut ad ſui memoriam ſempiternam ſacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium cœtui aliquos, præſertim ex conſanguineis, adſcriberet, reſpondiſſe fertur: *Monumenta, quæ ab aliorum factis penderent, eſſe fallaces atque inanes merces; ad Romanam purpuram viros tantùm bonos, ac doctos aſſumendos eſſe.* *Moniales Prænestinas in Urbem transfert.* *Honorii notabile dictum.*

Anno verò ſalutis 1287. III. Nonas Aprilis, ſenio gravatus & morbo, poſtquam Eccleſiæ magna cum laude biennium ac nonnullos dies præfuiſſet, Romæ apud S. Sabinam in Palatio ſuo rebus humanis exceſſit. Corpus ejus inſigni funeris pompa ad Baſilicam Vaticanam translatum, ibidem juxtà Nicolaum III. Papam, in marmoreo ſepulchro inſignibus familiæ & Inſcriptione exornato, ter- *Moritur.*

Laudatur. ræ mandatum eſt. Fuit Honorius IV. vir in omni vita probatiſſimus, pacis & Chriſtianæ religionis amantiſſimus, doctorum virorum cultor, & præmiator eximius.

SCRIPTA.

Ejus Scripta. Scripſit Epiſtolarum volumen egregium, in Vaticano, teſte Oldoino, m. ſſ. aſſervatum: harum aliquas reſcripſit in ſua Italia ſacra Ferdinandus Ughellius.

Ferunt, eundem etiam Tractatum edidiſſe pro gerenda benè Republica: qui extare in Bibliotheca Viennenſi m. ſ. dicitur.

Adeò verò literarum amans extitit, ut anno ſui Pontificatus ſecundo Pariſiis Collegium inſtituerit, in quo Arabicæ, & aliarum peregrinarum linguarum cognitio, quæ propagandæ fidei uſui eſſet traderetur. Hac de re Waddingum in Annalibus Minorum conſule.

Plura etiam ſcripſiſſe Honorium in Judæos, qui in Anglia Chriſtianos Sabbati obſervatione decipere tentabant, atque in hunc finem fidelium filias matrimonio ſibi copulabant, auctor eſt Palatius *in Honorio.*

ANNO CHRISTI MCCLXXXVIII.

Imperatoribus Rodulpho I. & Adolpho Auguſtis.

DE

NICOLAO IV. Pontifice Max.

CXCIII. *Nicolaus humili genere naſcitur.* DEcimo menſe ab obitu Honorii IV. jam elapſo, tandem concordibus Patrum ſuffragiis apud S. Sabinam (ubi tum comitia celebrabantur) in ſummum Pontificem electus eſt Hieronymus Aſculanus, humili genere è gente Maſcia in Picentibus ortus, ex ordine Minorum, inſignis Philoſophus, & ſacræ Theologiæ interpres ævo ſuo longè celeberrimus, S. Franciſci olim diſcipulus, eique intima familiaritate, dum vixit, conjunctus: Fratrum Minorum ob eruditionem, prudentiam, vitæque ſanctitatem Miniſter primò Generalis poſt S. Bonaventuram factus, deinde à Nicolao III. purpurâ, demùm à Martino IV. Infulâ Præneſtinâ ornatus. Pontifex renunciatus, dimiſſo Hieronymi nomine, Nicolaus IV. ad memoriam Nicolai III. à quo Cardinalis creatus fuerat, appellari voluit.

Per varios dignitatum gradus ad ſummi Pontificatus apicē provehitur.

Tertia poſt electionem die, nimirum VI. Kal. Martii anno ſalutis 1288. inſigni Principum Præſulumque comitatu ad ſacras D. Petri ædes perductus, conſuetæ Coronationis inſignia per manus Matthæi Cardinalis Urſini ſuſcepit. Peracta Coronatione, ſeditionibus quibuſdam Romæ ſubortis vexatus, Reate in Sabinos proficiſcitur, ubi nonnullos Cardinales ex omni ferè Religione, pietate & doctrina conſpicuos creavit. Omnes enim pariter amabat, nec plus

Cardinales bonos creat.

plus debere ſe affinibus & cognatis, quàm cuivis bono & præſtanti viro arbitrabatur. Virtutes verò & vitia faciebant, inquit Platina, ut in hunc magis, quàm in illum propenderet.

Exacto Reate anno Romam rediens. Urbanis ſeditionibus utcunque ſedatis, apud Baſilicam S. Mariæ Majoris ſedem fixit. Quam Baſilicam ipſe unà cum Jacobo Cardinale Columna vetuſtate quaſſatam reſtituit, ut in fornice majori apparet: ubi ipſius & Jacobi Imagines ad vivum expreſſæ, ex opere vermiculato, (quod Muſivum vocant) adhuc cernuntur. *Baſilicam B. M. majoris reſtaurat.*

Interim Reges Arragoniæ & Siciliæ, adhortante Nicolao tranquillitatis ſtudioſiſſimo, pacem his conditionibus ineunt: ut Rex Carolus libertate donatus operam daret, ut Carolus Comes Valeſii cunctis Arragoniæ juribus, quæ à Martino IV. habuiſſet, cederet; ſuaque impenſa Jacobum Arragonium Siciliæ Regem conſtitui, & coronari faceret. Id niſi triennio effeciſſet, ad carcerem ſe rediturum polliceretur, datis ob eam rem obſidibus tribus filiis, Ludovico, inquam, ſecundogenito (qui poſteà piè actâ in Ordine Minorum vitâ, inter Sanctos referri meruit) & Roberto quartogenito, Rege poſtmodum Neapolitano, & Joanne Peleponeſi Principe, in ipſo ætatis flore extincto, & quinquaginta ex aula ſua præſtantioribus viris, ſolutis etiam triginta millibus argenti marchis. His legibus Carolus cuſtodiâ dimiſſus, in Gallias primùm, ut Comitem Valeſium conveniret, conceſſit: à quo cùm nihil de remittendis Arragoniæ juribus obtinere potuiſſet, Romam conſulturus Pontificem ſe contulit. Pontifex ſuis juribus nil detrahi paſſus, honorificè ſuſceptum, beneficiario jure, Regem utriuſque Siciliæ dixit, inunxitque, collato ei III. Kalendas Junii anni 1289. utriuſque Regni Diademate. Qui deinde Neapolim profectus, audito Stephani Ungariæ Regis obitu, filium Carolum cognomento Martellum, ejuſdem Regni Regem inungi à Legato Apoſtolico curavit, quod Stephani unica filia Regni hæres, & Caroli mater eſſet. *Pax inter Arragoniæ & Siciliæ Reges certis conditionib. initur.* *Carolus Valeſius Rex Siciliæ coronatur.* *Carolus Martellus in Regē Hungariæ ungitur.*

Dum hæc in Europa aguntur, Soldanus Ægyptius Principum Chriſtianorum diſcordiis fretus, Antiochiam, Trypolim, Sydonem, & Berytum, inſignes Syriæ urbes, nemine ſubſidium ferente, interfectis Chriſtianorum præſidiis, vi cepit, diripuit, & incendit. Reſtabat Ptolemaida inducias à Soldano in annos duos conſecuta. Hanc ut tueretur Nicolaus Pontifex, mille quingentos milites ſuo ære ad vexillum Chriſti conductos in Syriam miſit. Hos multi poſteà ex omni natione ſecuti, quum prædæ avidi, nullo ordine, nullis auſpiciis, nulloque duce Ptolemaidam uſque penetrarent, non minùs Chriſtianis, quàm Sarracenis hoſtibus detrimento fuêre. Soldanus horum rapinis offenſus, cùm res ſuas, induciarum tempore ablatas, repetiiſſet; eaſque Chriſtiani reſtituere neglexiſſent, ultimum omnibus excidium comminatus eſt. Magna tum inter Chriſtianos Proceres de Ptolemaidæ poſſeſſione contentio orta erat: cùm eam Patriarcha Hieroſolymitanus, Templarii Theutonici, Rex Cypri, Carolus II. Siciliæ Rex, & Piſani, ſuo quiſque jure ſeu ficto ſeu verò repeterent. Ne quid verò deeſſet ad perturbandam Chriſtianorum Occidentalium quietem, & Orientalium excidium acceleran- *Sultanus aliquot Syriæ urbes occupat.* *Diſſidium Chriſtianorū Barbaris emolumento eſt.*

lerandum inter Jacobum Arragoniæ & Siciliæ, & Carolum II. Neapolis Reges (quod utriuſque Regni titulos Carolus contra fidem datam à Pontifice ſuſcepiſſet) & Philippum Francorum, & Odoardum Anglorum Reges graviſſima bella exorta ſunt. Quæ res & Chriſtianos in Aſia mirificè perturbavit, & hoſtibus delendi in Oriente Chriſtianum nomen ſpem & audaciam dedit. Soldanus enim, qui tum lethaliter ægrotabat, miſſis centum quinquaginta pugnatorum millibus, Ptolemaidam per filium acri obſidione cinxit. Obſidione in bimeſtre protractâ, Soldanus in caſtris Sarracenorum mortuus nunciatur, eique filius Procerum ſuffragiis, ac militum acclamationibus ſufficitur: qui novis titulis elatus, acrioribus urbem animis urgere & oppugnare cœpit. Completis igitur foſſis, prædâque militibus promiſsâ, ad mœnia uſque pugnando jam pervenerat: verùm Chriſtianis acriter ſe ſe defendentibus, atque etiam in hoſtes erumpentibus, magnâ ſuorum ſtrage in caſtra retruſus eſt.

Ptolemais obſidetur.

Acriter defenditur.

Nicolaus Gallum & Anglũ fruſtrà conciliare ſatagit.

Pontifex rei per nuncios certior factus, ut Reges Francorum & Anglorum gravi bello decertantes componeret, & contra Sarracenos Ptolemaidam oppugnantes excitaret, duos Legatos Cardinales, viros prudentes miſit, Benedictum Cajetanum, & Gerardum Album Parmenſem. Reges mutuò irritati, pacisque nomen abhorrentes, Pontifici benè monenti non obtemperant; & qui in præſidio Ptolemaidæ erant, inter ſe diſſentientes, occupandæ Urbis hoſtibus occaſionem præbent. Dilabentibus enim quotidie multis, ſoli tum ad quatuor millia remansêre, qui cùm hoſtium viribus impares eſſent, nec ulla ſpes auxilii ex Occidente affulgeret, projectis armis, noctu navigia ad id parata conſcendunt, atque unà cum Patriarcha Hieroſolymitano diffugientes, cùm Cyprum jam jam in conſpectu haberent, obortâ tempeſtate naufragio pereunt. Soldanus deſertam præſidio Urbem cum exercitu ingreſſus, nulli ſexui parcens, cæſis incolis, eam ferro ac igne vaſtat: ac ita Chriſtiani anno centeſimo nonageſimo ſexto, poſteaquam à Gothifredo capta fuerat, eâ expulſi ſunt: agebatur tum annus Chriſti 1291. In tantis calamitatibus ſola Inſula Cyprus, & Armenia minor, (Cilicia priùs appellata) in fide & poteſtate Chriſtianorum permansêre.

Diſſidium Chriſtianorũ

Ptolemais à Soldano vaſtatur.

Nicolaus ſubſidia ſolicitat

Inſtabat tum vel maximè Literis, Nunciis, Indulgentiis, alliſque remediis opportunis Nicolaus Pontifex, veritus ne hoſtes reliquum Aſiæ occuparent; egitque cum Principibus, Regibus, ac Rebuſpublicis Chriſtianis, præſertim cum Rudolpho Cæſare, ut nullâ morâ agonizanti Orienti, quibus poſſent copiis & auxiliis præſto eſſent. Verùm eo ipſo tempore, occupatis bello Principibus, Rodulphus Auguſtus decimo octavo Imperii anno, in Oppido Spirenſis agri *Gemersheim* nuncupato, fatis conceſſit: cui poſt trium menſium interregnum ſucceſſit Adolphus Naſſovius, ſexto pòſt anno ab Alberto Rudolphi filio propè Wormatiam prælio victus, & occiſus.

Rudolphus Im. moritur: ſuccedit Adolphus.

Nicolaus piè decedit.

Nicolaus autem, ob dejectas in Oriente res Chriſtianorum, paterni doloris ictu confoſſus, poſtquam integerrimè Romanam Eccleſiam ultra quadriennium gubernaſſet, non ſine ſanctitatis opinione, terrenas calamitates reliquit pridie Nonas Aprilis anno à Chri-

Chriſto nato 1292. ſepultus apud S. Mariam Majorem in monumento marmoreo Emblematibus & ſtatuis exornato, cum hac inſcriptione à Felice Peretti ejuſdem Ordinis Cardinali (poſtea Sixto V.) ſub annum 1574. appoſita.

NICOLAO IV. ASCULANO PICENO PONT. MAX.
Cùm in neglecto diù ſepulchro ferè latuiſſet,
Fr. Felix Perettus Card. de Monte Alto
in Ordinem & Patriam pietate
Poſuit Anno MDLXXIV. *Ejus Epitaphium.*

In baſi monumenti hæ inciſæ litteræ, quæ ſumma eloquentia & brevitate ſunt ingentium Nicolai virtutum teſtes ampliſſimæ.

NICOLAUS IV. Pont Max. Ordinem Minorum
Profeſſus, Philoſophus, & Theologus egregius, *Elogium.*
Conſtantinopolim à Gregorio X. miſſus. Græcos
ad Romana Eccleſiæ Communionem, Tartaros ad
Fidem reduxit. Poſt S. Bonaventuram Generalis
Sanctitate, & doctrina Ordinem propagavit.
Nicolai III. Nuncius inter Francorum & Caſtellæ
Reges pacem conciliavit. S. Pudentiana Cardinalis
Legatus Honorii IV. in Galliam, Senatoriam
Populi Romani dignitatem Sedi Apoſtolica reſtituit.
Factus Pontifex Rempubl. ſublatis diſcordiis compoſuit,
Chriſtianos Principes ſacro fœdere junxit:
Ptolemaidam copiis adjuvit: Flaminiam in
Pontificis iterum ditionem redegit: publicum
In Monte Peſſulano Gymnaſium inſtituit:
Probos & eruditos in cognatorum tantum loco
Habuit: Lateranenſem, & hanc Baſilicam
Structuris, & opibus auxit. Tandem Juſtitia
& Religione Orbem terra moderatus, magna
ſanctitatis opinione obiit
Pridie Nonas Aprilis, MCCXCII.
Pontificatus ſui Anno V.

Eum S. Antoninus, ut reliquos Scriptores mittam, hoc brevi, ſed nobili elogio exornat: *Reputatus eſt Nicolaus, homo pius, prudens, doctus, rectus, & ſancta converſationis.* Præditum fuiſſe ſingulari & religioſa animi demiſſione, faſtu vacuum, & renitentem, cùm ad honores invitus raperetur, idem Sanctus alibi tradit.

S C R I P T A.

Scripſit Nicolaus IV. antequam ad ſummos apices eveheretur, Waddingo, Marraccio, & Oldoino teſtibus, *Ejus Scripta.*

In multos Sacræ Scripturæ libros Poſtillas.
In 4. Libros Sententiarum Commentarios.
Sermones de Tempore.
Sermones de Feſtis Deiparæ.

Sermones de Sanctis.
Summas varias.

Renunciatus Romanus Pontifex ſcripſit Epiſtolas plures, quarum aliquas referunt Odericus Raynaldus *tom.14.* Annalium Eccleſiaſticorum: Ferdin. Ughellius *in Italia Sacra*, & Lucas Waddingus *in Annal. Min.*

Cæterùm Epiſtolarum Nicolai, ut auctor eſt Oldoinus, tria Volumina aſſervantur in Vaticano.

Edidit etiam Varias Conſtitutiones Eccleſiaſticas, præſertim contra Hæreticos: quæ in Collectionibus editis reperiuntur.

Trithemius in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis agens de Nicolao noſtro, vocat eum *Virum in divinis Scripturis eruditiſſimum, & in ſæcularibus litteris apprimè doctum: ingenio ſubtilem, & clarum eloquio, nec minùs vita & bonitate, quàm doctrina venerabilem.*

Palæologus moritur: ſuccedit Andronicus.

Mortuo Nicolao, vacavit Sedes Romana annos duos, menſes tres, dies duos: quo interregno Michaël Palæologus Imperator Conſtantinopolitanus moritur anno Imperii trigeſimo tertio: cujus corpus, ne loco ſacro ſepeliretur, prohibuêre Monachi & Caloieri, quòd Occidentali Eccleſiæ in Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. celebrato, acquieviſſet. Porrò Andronicus Michaëlis filius, Imperii hæres & Succeſſor, cum Latinis libenter ſenſiſſet, ſi quid auxilii ab iis ſperare potuiſſet. Verùm diuturna Sedis vacatione Latinorum ope deſtitutus, Monachis & Caloieris urgentibus, à fide Catholica ad Græcorum errores ſenſim deflexit, denique apertè defecit.

ANNO CHRISTI MCCXCIV.

Imperatore ADOLPHO Auguſto.

DE

S. COELESTINO V. Pontif. M.

CXCIV.

Cæleſtini primordia.

Coeleſtinus V. ante adeptum Pontificatum Frater Petrus *de Morono* appellatus, piis honeſtiſque parentibus Angelerio & Maria, Æſerniæ in Samnitibus natus, inſignes à puero in omni virtutum ac litterarum ſtudio progreſſus fecit. Adoleſcentiam ingreſſus, ut animum à mundi illecebris immunem cuſtodiret, in vaſtiſſimam Apuliæ ſolitudinem omni prorſus humano ſolatio & ope deſtitutus ſeceſſit. Ibi ex regula D. Benedicti, cujus & æmulus & alumnus erat, victitans, aſſiduis orationibus, vigiliis, jejuniis intentus, corpus cilicio, flagris, catenis, vepribus, milleque cruciatibus ſic affligebat, ut nullus vel rigidiſſimus ſuperiorum Anachoretarum Cœleſtinum auſteritate vitæ ſuperaſſe ſit viſus. Audi Aliacenſem, ingenuum vitæ ejus Scriptorem: *Non ſolùm fidelis Dei Servus in abſtinentia plurima, in jejuniis indeſinentibus, in vigiliis jugibus & orationibus dies noctesq; traducebat, ſed aſperis etiam indutus veſtimentis, ciliciis de pilis equorum reticulatis & nodoſis, ſicut Præcurſor*

PetrusCard. Aliacenſis lib. 2. c. 2. in vita.

curſor Domini Jo. Baptiſta de pilis camelorum veſtiebatur. Fuit ille magnus doctor & prædicator pœnitentiæ; iſte verò magnus ejus imitator & diſcipulus. Magna tamen de diſcipulo narramus, quæ de magiſtro non legimus. Hic namque ad nudam carnem quandoque ferreum circulum introrſus aculeatum ferebat: hic ſtrati mollitiem ſpernens, nudis ſuper terram tabulis, vel cancellatis cratibus, veſtitus cilicio, præcinctis catena lumbis, jacebat, nodoſum pro pulvinari lignum, vel aſperum ſaxum capiti ſupponens. Et, quod mirum dictu! etiam infirmus nunquam molliori uſus eſt lecto: imò quandoque ſolo cilicio uſus pro veſte; quandoque cilicio ſuperimpoſitâ loricâ, cujus pondere caro ejus per ſubintrantes cilicii nodos ſæpiùs vulnerata, ſanie & vermibus ſcaturiens putreſcebat. Sanè tam longum martyrii genus homo Dei ſupra hominem tolerare potuiſſe credendus eſt illius gratia, qui ait; Jugum meum ſuave eſt & onus meum leve.

Itaque cùm multis annis in ſumma vitæ auſteritate vir ſanctus in eremo latuiſſet, uſque adeò fama ſanctitatis ejus in omnes terræ plagas diffundi cœpit, ut quamplurimi virtutum ejus odore allecti, contemptis ſæculi vanitatibus, in diſcipulos ab eo ſuſcipi efflagitaverint: *Unde factum* (ſunt verba allegati Aliacenſis lib. 2. cap. 5.) *ut tanta ad eum multitudo fratrum, ſuo ſubdenda magiſterio, & exemplo docenda conflueret, ut ad eorum habitationem varia oportuerit loca conſtruere.* Quæ cùm in exordio pauperrima eſſent, non deſinebat vir ſanctus fratrum egeſtatem ſua viſitatione conſolari, Chriſtique exemplo firmare. Et ne puſillus grex recèns adunatus diſpergeretur, diſperſuſque periret, cùm audiſſet omnes ordines, niſi robur à Sede Apoſtolica accepiſſent, in proximo Lugdunenſi Concilio à Gregorio X. celebrando, abrogandos eſſe; ipſe ut pius & verus paſtor, animam ſuam ponens pro ovibus ſuis, licèt corpore debilis, viribuſque confractus eſſet, longùm illud & aſperum iter cum magno vitæ periculo Lugdunum versùs arripuit. Ubi expoſitâ adventus ſui causâ (fruſtrà obnitentibus æmulis) gratiam, quam Deo fiſus ſperabat, in oculis ſummi Pontificis invenit, & privilegium confirmationis ſui Ordinis ſub regula Divi Benedicti impetravit. *Quod Deus pia diſpenſatione fieri voluit* (ſubdit Aliacenſis) *ut benedicta, Benedicti Patris regula, à plurimis ſolo nomine monachis (prò dolor!) conculcata, per novam hujus ſancti Ordinis inſtitutionem relevata, in melius reformaretur.*

Cœleſtinorū ordinem inſtituit, atque propagat.

Eundem confirmandum curat.

Publicam Eccleſiæ confirmationem aſſecutus, plura mox loca, & monaſteria, quæ monachorum nigrorum erant, ſuo Ordini mancipavit, tam uberi ſucceſſu, ut intra perbreve tempus triginta ſex monaſteria ſuo nomine compellata, coloniamque ſexcentorum eoque amplius fratrum Deo dicaverit. Et quia innumeri ſæcularium, ſanctum religionis habitum aſſumere non valentes, participationem tamen ordinis habere geſtientes, convenerant: ut eorum deſiderio quoquo modo gratificaretur, Fraternitatem pluribus in locis, ac civitatibus inſtituit (cui ex utroque fidelium ſexu quotquot vellent inſcriberentur) qui certis legibus adſtricti, ad morem Cœleſtinorum viverent; ac præcipua charitatis opera ad ſubſidium pauperum, languentiumque ſolamen exercerent.

Fraternitatem pro ſæcularibus condit.

Cæterùm mortuo ſub annum 1292. Nicolao IV. Pont. Max. ac ſeptimo Idus Aprilis terræ mandato, cùm Eccleſia Romana ex diu-

Ex Eremita ſub Cœleſtini nomine Pontifex creatur

turno Patrum diſſidio biennium eoque ampliùs non ſine magno Reipublicæ Chriſtianæ detrimento vacaſſet, inſtante demum Carolo II. Siciliæ Rege, & Latino Malabranca Cardinale Petrus de Morono ignorans & abſens, unanimi Patrum ſuffragio, Romanus Pontifex ſub Cœleſtini V. nomine creatur: eò quidem majore omnium admiratione, quò ob vitæ ſanctitatem à tanto rerum faſtigio ſpontè remotior eſſe videbatur.

Aquilam proficiſcitur, ibique coronatur.

Poſt creationem ſuam, non ſine lacrymis relicta eremo, Aquilam profectus, eò ſtatim Cardinales Peruſio, ubi comitia celebrabant, ad ſe vocavit. Inſtabant quidem illi tum nunciis, tum litteris, ut digreſſus Aquilâ Peruſium proficiſci non gravaretur, utpotè civitatem Eccleſiaſticæ ditioni ſubjectam, & Pontificiæ dignitati magis convenientem & commodam. Sed vicit Cœleſtini ſententia, quòd ita velle Carolum Regem ſibi amiciſſimum intelligebat. Omnes igitur Patres, magno Principum, Præſulum, ac Procerum Romanorum ſtipati comitatu, Aquilam profecti, Cœleſtinum ipſum tanquam hominem cœlo datum, ut verum Pontificem conveniunt & adorant.

Ingens mortalium numerus eò confluit.

Ejus autem inaugurationi juxtà ac coronationi, præter duorum Regum Hungariæ & Siciliæ majeſtatem, immenſamque Principum, Præſulum, Magiſtratuum, Nobiliumque multitudinem, interfuiſſe ducenta hominum millia, ſcribit Ptolomæus Lucenſis teſtis oculatus *lib. 24. cap. 29.* Tot verò homines eò confluxiſſe rei novitate, & viri ſanctitate motos creditum eſt, quòd vir eremita, mundo mortuus, ad tantum dignitatis gradum, poſt tam longam eligentium contentionem, nonniſi divinitùs provectus videretur.

Cardinales creat.

Peracta ingenti cum pompa coronatione, ad preces Caroli Regis duodecim ſtatim Patres in ſacrum Senatum cooptavit, omnes doctrina & vitæ integritate præſtantes.

Regiminis expers habetur & quare?

Verùm cùm Cœleſtinus divinis tantùm aſſuetus, à priore vita ob Pontificatum nequaquam declinaret, adeò mitis, benignus, & facilis quibuscunque petentibus erat, ut eadem diverſis, nulla rerum aut perſonarum facta diſcuſſione, concederet: unde & contemptus dignitatis, & imminutio Pontificatus oriebatur. Erat ſiquidem ob privatam vitæ rationem, quam in eremo à primis adoleſcentiæ annis uſque in ſenium duxerat, publicis rebus peragendis haud ſatis idoneus, quare verſuti & vafri miniſtri, quibus tum aula Romana abundabat, ejus ſimplicitati facilè imponebant, iis præſertim in rebus, quarum ipſe ignarus & expers erat. Ita fuſiùs Ptolomæus Lucenſis *lib 24. cap. 31.* cujus genuina verba, ne lector ignoret, in medium profero: *Quamvis*, inquit, *Cœleſtinus faceret opera ſancti viri, quia per ſtatum pontificalem non receſſerat ab innocentia primi ſtatus, ſed eadem humilitas eademq́ puritas perſeveravit in ipſo, licèt modus vivendi eſſet immutatus propter dignitatem; decipiebatur tamen in ſuis officialibus quantum ad gratias, quæ fiebant: quorum ipſe notitiam habere non poterat, tum propter impotentiam ſenectutis, quia ætatis decrepitæ erat, tum propter inexperientiam regiminis circa fraudes & hominum verſutias, in quibus Curiæ multùm vigent: unde inveniebantur gratiæ aliquando facta tribus, vel quatuor, vel pluribus perſonis, membranâ etiam vacuâ, ſed bullatâ.*

Car-

Conquerentibus Cardinalibus de abdicando Pontificatu conſilia init.

Cardinalibus igitur ob hujuſmodi impoſturas non rarò conquerentibus, & de Eccleſiæ fluctuatione dolentibus (cùm ob nimiam bonitatem Eccleſiæ Dei inutilis, tantoque faſtigio ritè gubernando planè ineptus videretur) de abdicatione ejus primùm mentio ingeſta eſt: maximè verò mortuo Latino Cardinale Malabranca, viro integerrimo optimoque, cujus auctoritate, conſilio, & ope Cœleſtinus tantum pondus adhuc ſuſtinebat. Eo igitur ſolis orationibus, vigiliis, jejuniis, aliiſque id genus privatæ ac ſolitariæ vitæ actionibus intento, cùm interim curia in maligno poſita pro lubitu ſacroſancta Eccleſiæ negotia pertractaret, nonnulli Patrum rei indignitate commoti, auctore Benedicto Cardinali Cajetano, viro in jure civili & canonico peritiſſimo, vaſro & ſagaci, primumque apud Pontificem locum obtinente, Cœleſtinum adeunt, eumque, ut ſe Pontificatu, ceu onere humeris ſuis minimè commenſurato, abdicaret, obnixè inſtanterque rogant; *ne Eccleſia Dei ob imperitiam gubernantis* (ſunt ipſa eorum verba) *majori in dies periculo exponeretur, ipſeq́; ſibi cum diſpendio ſalutis exitium animæ conflaret.* Cœleſtinus ſuaptè natura ſummos honores exoſus, eorum ſententiæ, quantum in ſe erat, non difficulter acceſſit; unde petito ad deliberandum ſpatio, de abdicando Pontificatu ſeriò cogitare cœpit.

Carolus Rex eum à ſententia removere ſtudet.

Quam hominis ſimplicitatem animadvertens Rex Carolus, eum à Cardinalibus abſtractum (ne graviùs porrò tentaretur) ſecum Neapolim perduxit. Tum verò ad ſauctiſſimi viri pedes proſtratus, per ſacra eum omnia conteſtatus eſt; *Ne ulli perſuaſioni humanæ, ut Pontificatu cederet, locum daret: iniquos eſſe, Deiq́; & Eccleſiæ hoſtes, qui aliter ſentirent: Populum Chriſtianum non alium Pontificem, quàm Cæleſtinum à Deo datum deſiderare; nec Cæleſtino meliorem per ulla comitia conſequi poſſe: maneret igitur in ſtatione, quam non humano, ſed divino ſuffragio ſortitus eſſet: non defuturum auxilio Deum, qui eum, ut vices ſuas in terris gereret, vocaſſet: augeri, non minui periculum, ſi inconſulta ſua abdicatione reluctari pergeret divinæ ordinationi.* Gravibus hiſce verbis fluctuantem adhuc Cœleſtini animum à propoſito dimovere conatus eſt Carolus: Cui vir ſanctus brevi ut ſolebat oratione in hanc ſententiam reſpondit; *Nihil aliud ſe facturum, quàm quod Deus vellet; quodq́; ipſe è re ſua, & Eccleſiæ futurum agnoſceret.* Atque ita ſolicitum de ſe Regem ad tempus compeſcuit.

Patres ejus abdicationē urgent.

Interim Cardinales abdicationem hominis ſeriò quærentes, litteris ac nunciis vehementer inſtant, ut abrupta omni mora id quamprimum agat, propoſito Reipublicæ Chriſtianæ magno diſcrimine quod ſua ignoratione imminere omnium cervicibus oſtendebant; affirmantes, omnia mala, quæ ob ſuam interim renitentiam acciderent, ipſi tanquam auctori in extremo judicii die imputatum iri. Motus his verbis Cœleſtinus, futurum ſe in eorum poteſtate dixit, ſi modò quæ peterent, fieri jure poſſe in ſe ſuſciperent; ipſumque culpâ, ſi quæ eſſet, liberum pronunciarent. Annuère per omnia Patres: quare ſolemnis Conſtitutio omnium conſenſu facta eſt; *Licere omninò Pontifici rationibus fulto abdicare ſe magiſtratu.* Quam quidem Conſtitutionem Bonifacius VIII. ejus in Pontificatu ſucceſſor poſteà confirmavit, & Sexto Decretalium libro ad æternam rei me-

moriam inſeruit. Erat verò abdicatio Cœleſtini Idibus Decembris anni 1294. in Conſiſtorio facta, hujus tenoris.

Ceſſionis formula.

Ego Cœleſtinus Papa V. motus ex legitimis cauſis, id eſt cauſa humilitatis, & melioris vitæ, & conſcientiæ illæſæ, debilitate corporis, defectu ſcientiæ, & malignitate plebis, & infirmitate perſonæ, & ut præteritæ ſolitariæ vitæ poſſim reparare quietem, ſpontè ac liberè cedo Papatui, & expreſsè renuncio loco & dignitati, oneri & honori, dans plenam & liberam facultatem ex nunc ſacro cœtui Cardinalium eligendi, & providendi dumtaxat canonicè univerſali Eccleſiæ de paſtore bono & apto.

Poſt abdicationem à Bonifacio ſucceſſore cuſtodiæ traditur, & quare?

Atque ita Cœleſtinus mitra depoſita, annulo, pallio, ſtola, cæteriſque Pontificatus inſignibus rejectis, ad privatam ſe vitam redigens, alterius ſubrogandi Pontificis Cardinalibus poteſtatem fecit quinto Pontificatus ſui menſe ſupra dies ſeptem. At Benedictus Card. Cajetanus plurimorum conſenſu & voto ſub nomine Bonifacii VIII. Romanus Pontifex creatus, Cœleſtinum ad eremum abeuntem ſubmiſſis nunciis ad ſe retrahit, eundemque Præfecto arcis Fumonis, quæ in Hernicis eſt, honeſto carcere cuſtodiendum tradit: hac ratione motus (ut ipſe quidem vulgabat) ne auctores ſeditionum aliquam Eccleſiæ calamitatem, eo in libertate conſtituto, inferrent; ſchiſmaque conflarent: cùm plerique dubitarent, an cedere Pontificatu, cujus rei nullum extaret exemplum, legitimè

Bonifacius ob id maleaudit

potuiſſet? *Utcunque ſit* (inquit ex Platina Ciaconius) *illud conſtat, hominem ipſum, Benedictum inquam Cajetanum, à nonnullis Scriptoribus magnæ ingratitudinis, & calliditatis notatum fuiſſe: quippè qui immodica actus ambitione, & viro ſancto impoſuerit, dum eum ſummo ſe ſacerdotio abdicare perſuaſerit; & de ſe multis nominibus benemeritum, vitamq; eremiticam appetentem, in carcerem conjecerit.* Mitiùs alii de Bonifacio ſentiunt.

Cœleſtinus ſanctè moritur.

At Cœleſtinus (qui inſueto hoc facinore ſtupendum cunctis, imitabile paucis, humilitatis exemplum præbuit) cùm in arce Fumonis decem integros menſes vitam ſanctiſſimè traduxiſſet, demum die Dominica Pentecoſtes ex apoſtemate, quod illi dexterum latus maximè affligebat, ægrotare cœpit; & poſt ſeptimam morbi diem, Quarto ſcilicet Kalendas Junii anno ab orbe redempto 1296. vitæ ſuæ octogeſimo ſeptimo, hilari vultu amplexus crucem ex hac vita migravit. Pretioſam ejus mortem Crux præfulgens in aëre ante cubiculi oſtium reddidit ampliùs glorioſam. Quam ubi Bonifacius Papa per celeres nuncios accepit, ingemiſcens ſolemnes illi exequias tanquam Sancto in Eccleſia B. Antonii Ferentinatis celebrari juſſit, ibidemque ſacrum ejus corpus juxta altare majus tumulari. Claruit ſtupendis ſignis tam vivens, quàm poſt obitum (ut fuſiùs ex Veggio demonſtrat Auguſtinus Oldoinus in additionibus ad Ciaconium) quibus ritè examinatis, Clemens V. anno poſtquam deceſſit undecimo, eum Sanctorum numero adſcripſit. Martyrologium Romanum Quarto decimo Kal. Junii ejus mentionem hiſce verbis agit: *Natalis S. Petri de Morono, qui ex Anachoreta ſummus Pontifex creatus, dictus eſt Cœleſtinus Quintus: ſed Pontificatu ſe abdicans, & in ſolitudine religioſam vitam agens, virtutibus & miraculis clarus migravit ad Dominum.*

Et ſepelitur.

Claret miraculis.

Sanctis adſcribitur.

Petrus de Aliaco Cardinalis Cameracenſis, vir ſpectatæ fidei

magnæ

magnæque doctrinæ, vitam Cœleſtini Papæ, quam omnium uberrimè, omnium veriſſimè ſcripſit, memorandis hiſce digniſque relatu verbis concludit: *Caterùm ne hoc ignores lector, ego ſcribendo vitam Sanctiſſimi Patris Cœleſtini, quanta potui brevitate inſerui pauca de multis, qua penè fidem exuberant, niſi ea certi teſtes approbaſſent. Sed ut operi finis imponatur, ſingulos Sanctorum titulos, quos in ſe complexus eſt, brevi compendio colligam. Igitur doctrinam Chriſti* ut Apoſtolus *verbo & exemplo prædicavit*: ut Martyr, *corporis tormenta, carceriſq; ſupplicia pertulit*: ut Confeſſor, *die noctuq; orationibus & pœnitentia operibus vacavit*: ut Virgo, *concupiſcentiam carnis calcavit*: ut Pontifex & Paſtor bonus, *ovili Chriſti prodeſſe ſtuduit, ſed præeſſe contempſit*: ut electus Sacerdos, *dignum Deo ſacrificium obtulit*: ut Doctor egregius, *diſcipulorum mores ſalutaribus documentis inſtruxit*: ut Eremita, *ſolitudinem, paupertatem, humilitatem, atque pœnitentiam eo ſervore zelavit, ut Anachoretas omnes præcedere, non ſubſequi viſus ſit. Ex his, quos in ſolitudine ſpiritualiter genuit, durat hodie religioſa ſucceſſio, qua continuè non ſolùm numero, ſed & merito creſcens, fructuoſis virtutum operibus & exemplis nedum militantem Eccleſiam paſcit & recreat, ſed etiam triumphantem auget & lætificat.* Hactenus Aliacenſis. *Ejus elogium ex Petro Aliaco.*

SCRIPTA.

Ut ut verò Cœleſtinus V. nonnullis ſimplex & ignorans viſus ſit, doctrina tamen & literis apprimè imbutum fuiſſe conſtat ex eruditis ejus operibus, quæ poſteritati non contemnenda reliquit: ſcripſit enim, teſtibus Ludovico Jacobo à S. Carolo, Cœleſtino Telera in vita, Hippolyto Marracio in Bibliotheca Mariana, & Antonio Poſſevino in Apparatu ſacro, *Ejuſdem varia Scripta.*

Relationem vitæ ſuæ Hetruſco ſermone: quam Cœleſtinus Telera Sipontinus Monachus & Abbas Ord. Cœleſtini Latinè vertit.

Tractatum de Virtutibus, quinque partibus diſtinctum.
De Vitiis.
De Hominis vanitate.
De Exemplis, ac ſimilibus moralibus.
De Sententiis Patrum Eremitarum.
De miraculis B. Mariæ Virginis.
De Cenſuris.
De Sacramentis Eccleſiæ.
De decem Præceptis Decalogi.
De Præceptis Eccleſiæ.
De Legibus.
Epiſtolas ſeptem ad varios.
Orationes precatorias diverſas.
Formularium Litterarum dimiſſorialium ad ordines ſuſcipiendos.
Quaſdam Conſtitutiones Eccleſiaſticas: quarum unâ habetur;
Licere Pontifici Romano abdicare ſe magiſtratu ſupremo.

De Perfectione Religioſorum Librum unum: qui, teſte Petro Crepetio Monacho Cœleſtino, M. S. extat in Monaſterio Metundenſi.

ANNO

ANNO CHRISTI MCCXCIV.

Imperatoribus Adolpho, & Alberto Auguſtis.

DE

BONIFACIO VIII. Pontif. Max.

CXCV.
Bonifacii genus, patria, electio.

POſtquam ſupremæ dignitatis contemptu, & libera ſui renunciatione Cœleſtinus V. copiam feciſſet Cardinalibus eligendi Pontificem, omnium mox conſenſu, Benedictus Cajetanus Anagninus, filius Leutfredi Equitis & Æmiliæ de Comitibus, neptis Alexandri IV. Romani Pontificis, ac ſororis Andreæ de Comitibus ordinis S. Franciſci, ſanctitate illuſtris, annis jam gravis, animique maturus, *nobilis ſecundùm ſæculum vir, prudens, & literatus, zelator magnus, & conſervator jurium Eccleſiæ* (ut ſcribit S. Antoninus) *Pontifex maximus inauguratur, & Bonifacius hujus nominis Octavus appellatur.* Eximias illius dotes, ipſumque tanto dignum theatro, Jacobus Cardinalis Stephaneſius, celebris illius ævi Vates exponit his verbis:

Animi dotes.

Clara domus genuit, quem nutrit Anagnia colle
Cajetana, virum dives, ſeu carmina Vatum
Inſinuant, Urbs illa fuit, dictoq́; vetuſta,
Sed longè majore gradu prælata refertur
Florida, cui triplices noſtro producere plantas
Tempore conceſſum eſt, quæ Petri Sede Monarcha
Imperio cunctas ſubigunt de jure Cathedras,
Quas inter prælucet herus, cui ſcandere faſces
Jus erat. En legûm titulum ſortitus ab olim
Sæpè tulit cauſis leges, & perculit hoſtem:
Sæpè repercuſſus, contundens ſpicula victor;
Sæpè fuit mens alta viro, vacunda juventus,
Et docile ingenium, ſolers induſtria, promptum
Obſequium, ſecura palàm prudentia fari
Præſulibus fecêre viam, quà tractus in altum
Creſceret. Hinc ſcriba munus Papalis adeptus,
Omnia pertractans, claro dictamine, quondam
Cardineo fulſit rubeo, Levita, Sacerdos
Cardo maneus, Benedictus heros, nunc culmine ſummo
Imperat: ò pietas miſerantis in omnia Chriſti
Eccleſia! cujus lacrymis, & vulnere diro
Sanamur, gens cæca malo, cæcata parentum
Delicto, dum tantus apex, qui ſæcula, mores,
Pontifices, Clerum, Reges, Proceresq́;, Ducesq́;,
Et Gallos, Anglosq́; procul, frauāesq́; minasq́;,
Terrarumq́; plagas, mundumq́; reviderat omnem,
Romanaq́; ſtatum Sedis, Veteranus in illo
Eligitur, penſata quidem medicina coæquans

Languo

Languores tibi, Chriſte Deus, ſed proxima nobis
Tempora proſpicimus, ſucceſſit in ardua prudens
Fluctibus in mediis ortus: Campania talem
Edidit, ac tantam produxit Anagnia Prolem.

Acceptavit ille quidem ſupremas infulas, ſed oblatas doluit, adeò procul erat, ut per malas artes ambiret. quemadmodum nonnulli Scriptores contendunt. Audi laudatum Stephaneſium teſtem ocularem: *Invitus pontificale ſubit onus.*

- - - Lacrymans, & molis pondera librans,
Aſſenſit geſtare jugum, jam doctus ab antè
Quis labor, & meritum cruciat quem publica cura
Pontificem &c. - - - - - -

Prænunciaſſe S. Cœleſtinum Bonifacio Pontificatum ſcribit idem Jacobus Cardinalis Stephaneſius, idque ſe ex ipſius Bonifacii & aliorum ore accepiſſe refert; addiditque in Curia Apoſtolica paulò pòſt à ſua abdicatione remoratum, ut anteactæ vitæ errata, ſacra exomologeſii apud Bonifacium expiaret: Auctoris verba hæc ſunt:

At tua ſimplicitas, perfectio, puraq; mentis
Religio, devota fides, ſpes firma ſalutis,
Illi ſe referant, quo dulcis in omnia ferax,
Cuncta ævo commiſſa tuo peccamina pandis
Summo apici; qua cauſa ſenem remanere coëgit,
Poſt ceſſum Papale decus diſcedere promptum.

Suſceptis Eccleſiæ gubernaculis, Orbem univerſum complexus animo Bonifacius, pacare Italiam, Siciliam revocare ad officium, Hiſpanias fœdere cum Galliis conjungere, Philippum Galliarum & Odoardum Anglorum Reges ad pacem adducere, Adolphum Romanorum Regem ab invadendis Gallis deterrere, cæteros Chriſtianos, qui in mutua conjurarant funera, tanquam perdendis fidelibus Sarraceni non ſufficerent, firmiſſima connectere concordia, initaque armorum ſocietate Græcos ad obſequium Romanæ Eccleſiæ adigere, ac Terram ſanctam ob diſſenſiones Occidentalium amiſſam recuperare eſt meditatus. *Saluberrima Bonifacii conſilia.*

Quamvis precibus à Carolo II. Rege urgeretur, ut Neapoli conſiſteret; profunda nihilominus hyeme, Siciliæ & Hungariæ Regibus ſtipatus Neapoli diſceſſit; pontificii decoris eſſe arbitratus Romæ inſignia ſupremæ dignitatis accipere. Ad Urbem ſoſpes venit; magnoque plauſu & apparatu à Clero, & à Civibus Romanis ſuſceptus, ad Lateranenſe Palatium deductus eſt. Poſt Coronationem opiparo celebrato convivio, quo Siciliæ & Hungariæ Reges coronis ornavit, poſtquam prima Pontifici fercula intuliſſent, unà cum Cardinalibus diſcubuerunt: congiarium verò Pontifex de more Populo, & Cardinalibus munera diſtribuit. Fidei profeſſionem quam coronandus ex more emiſit, habes apud Bzovium in Annalibus, dignam lectu, tantoque Pontifice conſentaneam. *Romæ coronatur.*

Ad Præſules deinde Catholicos, Reges, & Principes, ac fideles alios datis literis, certiores eos fecit, qualiter Cœleſtino ſponte ob juſtas cauſas Pontificatu ſe abdicante, ceſſionemque admittente ſa- *Scribit ad Principes de ſua electione.*

cro Senatu, communibus ſuffragiis ad ſummum Sacerdotium evectus eſſet, adjecitque preces, ut divina illi præſidia ad gerendum arduum munus, ac moderanda probè Eccleſiæ gubernacula piis orationibus compararent.

At licèt Bonifacius Catholicæ rei adminiſtrationem à ſe ſuſceptam toto Orbe vulgaret, non tamen defuêre pertinaces viri, qui ambigerent, initum ab ipſo legibus Pontificatum, ac ſuadere tentaverint Petro de Morono, ut ſe tanquam Pontificem gereret: quorum impia conſilia, veluti ſeditioſa & Schiſma olentia, vir ſanctiſſimus conſtanter repulit. Bonifacius verò anxius ex illius fuga, perquiſitum ad ſe duci primò, deinde cuſtodiæ tradi juſſit, teſte

Cæleſtinum vitandi Schiſmatis cauſâ honeſtæ cuſtodiæ mandat.

Ptolomæo Lucenſi; *Inventum*, inquit, *ipſum reducunt, ac in cuſtodia ponitur, & tenetur, præcavendo ſcandalo Romanæ Eccleſiæ, quia apud aliquos muſſitabatur, an cedere potuiſſet Pontificatu, & ſic poterat Schiſma in Eccleſia generari.* His conſentanea mandat hiſtoriæ iiſdem propè verbis Jordanus: *Eum in Cuſtodia poſuit Bonifacius ad cautelam vitandi diſſidii: aliqui enim muſſitabant, quòd cedere Papatui non potuit* Addit Jacobus Cardinalis Stephaneſius, perhumanè habitum à Bonifacio, perſuaſumque ut in Fumonis arce in Campania ſita conſiſteret, atque illi conceſſos ex ſuo ordine aliquos religioſos viros, cum quibus, divinis rebus vacaret, omniaque ei liberaliter ſubminiſtrata: ſed virum ſanctum ſacri propoſiti tenacem, à deliciis alienum parcè admodùm cum ſuis uſum oblatis, tot ſe rerum cœleſtium contem-

Petri de Alliaco querimonia de Bonifacio.

plationi addixiſſe. At Petrus de Alliaco Cardinalis in Cœleſtini vita acerbè admodùm à Bonifacio Cœleſtinum habitum fuiſſe tradit, atque ab illo contra ſententiam Cardinalium, qui libertatem permittendam cenſebant, ut in ſolitudine ageret, in arctiſſimum carcerem compactum. Subdit etiam multa in Bonifacium convitia, & queritur virum innocentem paulò ante Chriſti Vicarium, ac Regum & Principum communem patrem tam tetro carcerè ab eo damnatum fuiſſe. Cùm autem decem plus minus menſes in ea arce manſiſſet Petrus, ſenio & laboribus confectus, ærumnas cœlo, mortem beatâ vitâ commutavit. Defuncto parentavit Bonifacius & lacrymis & re divina: ac Thomam S. Cæciliæ Presbyterum Cardinalem, unumque è Cubiculariis mulit, qui Epiſcopis ac viris Religioſis comitantibus è Campania ad Eccleſiam S. Antonini de Ferentino ab ipſo conſtructam funus illud ducerent, quemadmodùm ſuo loco diximus.

Res Siculas curat.

Poſt Cœleſtini obitum cùm creviſſet Bonifacius auctoritate apud illos, qui perperàm ipſius electionem in dubium revocaverant, ad ſedanda bella, quæ Orbem Chriſtianum affligebant, animum applicuit: atque à rebus Siculis, quæ maximè illius pectus urebant, exorſus, Landulphum Cardinalem Brancacium ampliſſima inſtructum facultate ad Siculos milit, ut illos ſeu redeuntes ad Eccleſiæ obedientiam benigno ſinu reciperet, ſeu contumaces percelleret diris. Conventu mox Anagniæ celebrato, cui affuerunt Carolus, & Principum, quorum intererat, Legati, malè diviſos Reges in ſanctiora tum pacis, tum affinitatis fœdera induxit his conditionibus: *Omni jure cedat Jacobus Arragoniæ Rex in Siciliam; Caro-*

lus

lus Valeſius in Arragoniam, Valentiam, & Comitatum Barcinonis, quas ob defenſos ab Arragonio Siculos Pontifex occupandas dederat. Jacobus dimittat è cuſtodia Caroli Regis natos denuò recipiat hæreditaria Regna, velut beneficium Pontificis, novo jure, & poſſeſſione à Legato Pontificio per annulum ornandus. Nubant Jacobo Blancha filia Caroli; hujus filio Roberto Violanta ſoror Jacobi: huic, laxatis cenſuris in eum & ejus Regna latis, ſolvantur centum argenti marcha ad compenſandam jacturam Siciliæ, & viginti quinque in dotem Blancha, remiſſis triginta Alphonſo Jacobi fratri; atque ipſi demum Jacobo Corſica & Sardiniæ Regna ex arcano promiſſa concedantur.

Fœdera tanto rei Chriſtianæ emolumento confecta, ut potirentur optato fine, ſuſtulit impedimentum propinqui ſanguinis, quò fauſto omine nuptiæ celebrarentur; ac mutuam dedit Carolo vim magnam pecuniarum ſolvendam Jacobo. Miſit in Galliam Guillelmum Cardinalem Legatum ad removenda obſtacula, quæ pacem remorari poſſent. Difficilis aleæ fuit Arragoniis reſtitutionem Regis Majoricarum, ab iis ob ſocietatem belli cum Gallo initam, Regno dejecti perſuadere; ſed Bonifacius ſcriptis ad Gallum literis, & refixo Catalanorum Decreto, quo juſſerant Baleares Inſulas Comitatus Barcinonenſis appendicem eſſe, obvia quæque amolitus, concupitam tot votis pacem, Regum ſuffragiis ratam vidit. *Legatum mittit in Galliā pro pace.*

His ita conſtitutis, & vibrato Eccleſiæ fulmine in eos, qui impedirent initam pacem, iis verò, qui promoverent, veniâ delictorum indultâ, quis non exiſtimaſſet providè conſultum Chriſtiano Orbi, & optimè res comparatas ad opitulandum Paleſtinæ, cui plus ſemper nocumenti à domeſticis filiorum diſſidiis, quàm exteris hoſtium armis evenit. Nam Jacobo in Pontificias partes eunte, Fridericus illius frater, detrectantibus Gallorum imperium Siculis ſe Regem conceſſit. Hi enim queſti Deum & homines à Jacobo ſe deſtitui, contra omnis ævi morem plurimâ apud ipſum egerunt prece, ne vile haberet Diadema Siculum, amore populi firmum, potens virtute militum, munitum arcibus, felix invidendâ rerum omnium ubertate; ſin velit, oppida arceſque reſtitueret, ipſos liberaret jurata fide, & copiam faceret Regis eligendi. Comitiis poſteà Panhormi celebratis, Jacobo ſive agente, ſive annuente, fratrem illius Fridericum Regem crearunt. *Siculi Friderici implorant opem.*

Præſenſerat illud Bonifacius, multuſque in eo adhortando fuit, ne patrocinio eſſet Siculis, qui illius orbati auxilio, Pontificis arbitrio ſe permiſſuri erant, & qua erat prudentia, beneficiis eum aggreſſus eſt, ut donis hoſtilem animum conciliaret, ac mentem inclinaret averſam. Ad colloquia invitato deſponſandam propoſuit Catharinam Philippi Imperatoris Conſtantinopolitani filiam, Balduini neptem, dotemque dixit Orientale Imperium communi & ære & marte recuperandum. Et cùm maximi in eo negotio momenti eſſet Philippus Galliarum Rex, ſollicitavit eum, ut qua poſſet prece, Catharinam ad tam proficuas rei Chriſtianæ nuptias adhortaretur: tùm datis ad eam literis, miſſoque Joanne Abbate S. Germani de Pratis, magno argumentorum pondere perſuadere eidem conatus eſt, ut quantocyùs ad Urbem veniret, ut cum *Bonifacius à Siculis Fridericum removere ſtudet.*

 ſuo

ſuo in Byzantinum Imperium jure animos Friderici transfunderet ad bellum, quod meditabatur, ſuſcipiendum. Nec omiſit ad Fridericum ipſum, ejuſque matrem Conſtantiam ſcribere, ut ſana conſilia hæc filio ſuggereret, ille amplexaretur. Cùm verò conſcientia exhauſti Gallorum ſanguinis Siculos terreret, nec ſperari poſſet, tam citò redituros ſub Caroli poteſtatem, aut facilè coire in immenſum patentia vulnera diſcordiarum, quo tractu temporis odium immane miteſceret, atque ipſi in Gallos induerent mentem benigniorem, prudenti conſilio eoſdem Siculos literis amore plenis edocuit, ſe tum ſuprema ſua in Siciliam auctoritate, tum poteſtate à Carolo facta, res Siculas adminiſtrare velle, ut repararet damna illata recenti bello, & futuræ proſpiceret quieti: paterni verò amoris fidem ut liberaret, pollicitus eſt ſe conceſſurum quemcunque vellent è Cardinalium Senatu, qui nomine Pontificio præeſſet Siciliæ. Miſit interim Urgellenſem Epiſcopum, & Fratrem Bonifacium de Calamandrana Generalem Præceptorem S. Joannis Hieroſolymitani, qui Siculis inter alia ampliſſima, etiam quæ poſſent aſſequi votis, offerrent: *Candidas membranas*, (inquit rerum Sicularum Scriptor,) *quas vulgò pergamena vocant, rudes, atque omni ſcriptura carentes, pontificali Bulla munitas, univerſis Siculis prætendebat, ut communicato conſilio in iis ſcriberent, abſolutiones, remiſſiones, immunitates, exemptiones, fora, conſuetudines, conventiones, libertates, atque alia quæcunque ſimilia, ſub aliis quibuscunque vocabulis elegiſſent.* Congregati Meſſanæ Siculi longè aliter piiſſimam Pontificis mentem interpretati ſunt, quare Legato, ut quamprimùm è Sicilia ſub pœna mortis diſcederet, denunciarunt, non enim membranis, ſed gladio pacem ſe velle profeſſi ſunt.

Scribit ad Siculos, eisq; omnia promittit.

Meſſanenſes Legatum urbe expellunt.

Bonifacius precibus minas addendas ratus, Fridericum & Siculos, quos nullæ amoris & beneficentiæ curationes emollire poterant, armis contundere progreſſus eſt; ac die Chriſto cœlos repetenti ſacro, in beati Petri Vaticana Baſilica ſolemni ritu geſta à Siculis reſcidit, irritam pronunciavit Friderici electionem, ipſum regio nomine, ſigillo, auctoritate abſtinere juſſit, Siciliæ adminiſtrandæ ingerere ſe vetuit, & cum eo cunctos, qui affuerant tam audaci facinori, ſub Eccleſiaſticarum dirarum minis Romam in jus vocavit: omnibus qui Chriſtiano in grege concludebantur, edicens, ne cum illis miſcerent conſilia, literaſve ad eos darent, vel ab iiſdem reciperent. Privilegia deinde à Sede Apoſtolica ipſis conceſſa, contrario edicto inania, & caſſa robore declaravit, & demum cum tonitru non extimuiſſent, fulmine obruit, è piorum illos communione ſecernens, bello mox perſequendos.

Geſta à Siculis Bonifacius reſcindit.

Bello igitur ut frangeret contumaces, multo ære ſuo, & decimis ab Epiſcopo Maſſilienſi collectis adjuvit Carolum ad militem inſtruendum; Jacobum Arragoniæ Regem variis beneficiis ad ſe attraxit; Genuenſes à belli ſocietate cum Siculis removit, & Carolo adjunxit. Carolum Valeſium Philippi Francorum Regis fratrem, & Robertum Comitem Atrebatenſem ad bellum contra Siculos pellexit. Cùm itaque diù alternis ſucceſſibus pugnatum eſſet contra Siculos, firmata demum inter eos pax eſt his conditionibus: Ut

Bellum in Siculos urget.

Ut Sicilia *poſt obitum Friderici ad Carolum & heredes revertatur. Poſtlimi- nii jure : Fridericus interim vita durante eandem obtineat , Trinacriæ, ſive Inſulæ Siciliæ Rex appelletur : Regnum agnoſcat in clientela Romanæ Sedis : iisdem cum ea , & amicis & inimicis utatur : Tria millia unciarum nomine fiduciario ſolvat Romano Pontifici : Centum milites tribus menſibus illius arbitrio ſub ſignis alat : ſua jura integra permittat Eccleſiis, aliàs luat commiſſi pœnam.* Atque ita bellum Siculum extinctum fuit Bonifacii Romani Pontificis ſtudio & auctoritate. *Pacem cum iisdem componit.*

Inſederat altè Bonifacii menti pace firmiſſima Chriſtianos omnes conſtrictos , ad Chriſti nomen defendendum convertere : quare cùm Genuenſes & Veneti mutuis odiis imbuti , & alternæ potentiæ æmuli Chriſtianam rem bellis continuis admodùm affligerent, utrique populo inducias Apoſtolica auctoritate indixit; utque Oratores ad ſe componendi fœderis gratiâ mitterent, ſollicitavit. Eugubinos inſuper Callienſibus ; Foro Sempronienſes Senogallienſibus conciliavit. Eugubinum factione Gibellinorum à Pontifice divulſum, ad obedientiam ſanctæ Sedi debitam reduxit. Pax etiam, eo jubente, inita inter Urſum Urſinum & Comitem ſanctæ Floræ; atque inter Urbevetanos & Tudertinos. Priores Urbevetanos ab Eccleſia abdicatos , & Urbe eorum ſacris interdicta ad obſequium revocavit ; binis ſtatuis propter ſingularia ſua in eos merita ab iis donatus. Electus arbiter honorarius inter Bononienſes ,Mutinenſes & Ateſtinos diù multumque diſceptantes de quibuſdam Caſtellis, partium momenta diſcuſſit ; & percepto Bononienſium jure, ſecundùm ipſos pronunciavit ea tamen lege , ut impe- randam ab ipſo pecuniam Mutinenſibus refunderent. Bononienſes autem beneficii accepti memores ſtatuam illi in fronte, palatii Civici poſuerunt cum hoc lemmate. *Pacem inter Genuenſes ac Venetos curat.* *Statua à Bononienſibus donatur.*

BONIFACIO VIII. PONTIFICI MAXIMO
OB EGREGIA ERGA SE MERITA
S. P. Q. BONONIENSIS.
ANNO MCCCI.

Urbs quoque vetus grato in Bonifacium animo binis memoriam illius ſtatuis æternavit. Florentia Pontificali indutum ornamento in veſtibulo majoris Eccleſiæ conſecravit è marmore : Anagnia, & primæ Orbis Baſilicæ Lateranenſis & Vaticana ſignis eum marmoreis, ob egregia illius geſta, repræſentandum duxerunt omnium ſæculorum poſteritati, ut incisis apud Victorellum & Oldoinum tabulis videre eſt. *Item ab aliis honoratur.*

Philippum Francorum Regem ob injuriam ſibi allatam, & Apoſtolica imperia ſpernentem , uti & gentem Columnenſem diris devovit. Albertos Germanicum, & Bohemum, Germanici Imperii, ac Hungarici Regni invaſores in judicium acceſſivit; & Moguntino, Colonienſi & Trevirenſi Archiepiſcopis provinciam tradidit Alberto Germanico denunciandi, ut Oratores ſuos ad Sedem Apoſtolicam mitteret, ad impoſitum ſibi læſæ majeſtatis crimen, quo cæſo Adolpho Romanorum Rege ſe devinxerat, purgandum ; ac ſi Pontificia imperia reſpueret , illius ſubditos ſacramenti religione liber- *Apoſtolica auctoritate in Reges ac Principes facinoroſos utitur.*

libertatem iri, ac Romanum Pontificem divinarum humanarumque legum pœnas ipſi incuſſurum: Literas deinde eodem argumento dedit ad cæteros Imperii Electores. Paruiſſe imperiis Apoſtolici Principis Electores Eccleſiaſticos ex Henrici Rebdorffii Annalibus colligitur. Imò ad perficiendum opus, Angelum Epiſcopum Nepeſinum Legati Apoſtolici auctoritate inſtructum in Germaniam miſit contra Albertum ejusque ſubditos, ut ex literis ad Conſtantienſem & Baſileenſem Epiſcopos miſſis conſtat, quibus ipſis demandata eſt cura, ut Joannem è Turego Protonotarium Alberti omnibus privilegiis, quibus à Sede Apoſtolica ornatus fuerat, exutum promulgarent, deque ea re publica inſtrumenta conficerent. Albertus in judicium vocatus, ſupplex Bonifacium ad clementiam flexit, adeò ut ipſius electionem poſt biennium confirmaverit, ipſeque Imperium à Bonifacio ſibi delatum agnoverit. Extant liquidem Alberti litteræ ad Bonifacium datæ, dignæ certè, quæ hìc commemorentur, cùm integras referri, propoſita brevitas non patiatur. Fatetur is cum Innocentio III. cap. *Venerabilem* Romanum Imperium à Græcis ad Germanos translatum in Carolo Magno per Sedem Apoſtolicam; & jus eligendi Regem Romanorum in Imperatorem promovendum, cæteris Principibus Eccleſiaſticis & ſæcularibus ab eadem Sede tributum, ab eademque Reges & Imperatores temporalis gladii poteſtatem accipere: & hæc verba ſubnectit; *Profiteor, quòd Romanorum Reges, in Imperatores poſtmodum promovendi, per Sedem Apoſtolicam ad hoc potiſſimè & ſpecialiter aſſumuntur, ut ſint S. R. E. Advocati, Catholicæ fidei, & ejuſdem Eccleſiæ præcipui defenſores.* Hæc Albertus.

Alberti litteræ ad Bonifacium.

Graviter quoque Bonifacio inſurgendum fuit in Carinthiæ Ducem, eundemque Tyroli Comitem, poſſeſſionum Eccleſiæ Tridentinæ invaſorem, quèm meritis cenſuris ſolemni ritu perculit. Lucanis Magiſtratibus, Lucanam Eccleſiam opprimentibus, intendit judicium; tum Epiſcopum, qui Eccleſiæ ſuæ injurias ignavo ſilentio diſſimularat, Sedi Apoſtolicæ ſiſtere ſe præcepit. Eodem, quo Lucani, crimine infecti erant Piſani, atque Urbevetani, in quos, donec reſipiſcerent, pœnas Eccleſiaſticas intorſit. Erat enim Bonifacius Pontifex jurium ac immunitatis Eccleſiaſticæ aſſertor & propugnator acerrimus juxtà ac integerrimus, ut paſſim Scriptores inſinuant.

Alios item cenſuris in ordinem redigit.

Ad continendam verò Regularem diſciplinam ſaluberrima edicta edidit:& quidem cùm temporum ſucceſſio aperuiſſet, ex nonnullis Nicolai IV. ſtatutis graviſſima mala pullulaſſe, quibus ille Luſitaniæ, & Algarbii S. Jacobi religioſos Equites à ſupremi Magiſtri auctoritate exemerat, Bonifacius hujuſmodi Decreta Nicolai, quamvis à Cœleſtino V. approbata eſſent, convulſit, ne exempli pernicies poſteà in Templarios, Prædicatores, ac Minoritas ſerperet, ac ſacros cœtus diſſolveret. Hoſpitalariis verò permiſit, ut cùm graviſſimos labores terrâ marique ſuſciperent, dum pro Chriſtiano nomine arma gererent, exceptis Quadrageſima majori, ac Feriâ ſextâ hebdomadæ, veſci carnibus, aliiſque cibis uti poſſent.

Regularium diſciplinam curat.

Novæ hæreſeos Fraticellorum ſcilicet, ac aliorum luem, quæ ſenſim

Hæreſes comprimit.

ſenſim in pluribus Provinciis, gravi Chriſtianæ religionis diſcrimine irrepſerat, compreſſit; conquiſitis, damnatis, ac combuſtis eorum Auctoribus. Hetruriam factionibus Alborum & Nigrorum laceratam pacavit: & Æmiliam ſeditionis æſtu fluctuantem per Legatum Apoſtolicum tranquillavit.

Seditiones ſedat.

Neque ſolùm externa cordi fuère Boniſacio, ſi externa habet omnium Pater, ſed Urbis propria ſummo ſtudio curavit. Barbarum illum morem, quo interdum Defunctorum corpora in longinquas terras transferenda, aquâ ſerventiſſimâ decoqui, concidi, vel exuri conſueverant, cùm id à Chriſtiana pietate abhorreret, edita Conſtitutione ſuſtulit. Sacras Indulgentias Stationum Urbis confirmavit; *imò* (ut ſcribit Baronius in Notis m. ſſ.) *addidit ſingulis diebus dies centum Indulgentia, ut habetur in libro Privilegiorum Romanæ Eccleſiæ.* Ipſe etiam anno 1300. Pontificatus ſui ſexto, magnum Jubilæum toto Orbe indicens, ac celebrans, Eccleſiæ theſauros indigenis, & alienigenis erogavit: Scribunt auctores, ad hanc celebritatem dietim ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt, ducenta hominum millia Romam confluxiſſe; nec tamen durante toto anno annonam cuipiam defeciſſe; idque miraculi loco habitum fuiſſe.

Superſtitionē tollit.

Stationum Indulgentias confirmat.

Jubilæum magnum indicit, & celebrat.

Porrò Virgines Deo devotas, pudori earum conſulens, intra Cœnobii ſepta concluſit. Controverſias, quæ inter religioſos cœtus & Clerum in Urbe vigebant, diremit, ac novas leges ad pacem ſervandam promulgavit: fuère autem ſequentis tenoris: *Religioſi viri à defunctorum hæredibus invitati, ad exequias ire poſſint. Morientibus Sacramenta non adminiſtrent. Ad ſepulturam ſuis in Eccleſiis admittere poſſint eos, quibus lege Canonica interdictum eſt. Ab audiendis confeſſionibus, habendis concionibus, ac eleemoſynis excipiendis ne arceantur. In aliorum Eccleſiis ſine facultate confeſſiones audire ne præſumant. Parochi extrema unctionis, & Euchariſtia ſacramenta iis non negent, qui apud religioſum ſacerdotem conſcientiam expiárunt. Si quid controverſia hac ſuper re oriatur, totum arbitrio pontificis in Urbe Vicarii decidendum relinquatur.* Præterea Academiam Romanam inſtauravit, ut quæ tot aliis ornamentis abundabat, litterarum quoque gloria floreret, ac plures prærogativas ad Academiæ decus augendum contulit. Nec modò Romæ, ſed in aliis etiam Urbibus, ut Firmi, Appameæ, Avenione, & Anagniæ Gymnaſia excitavit.

Controverſias inter Clerum & religioſos cœtus vigentes dirimit.

Academiam Romanam inſtaurat: & alibi Gymnaſia excitat.

Ordinis S. Dominici religioſos viros ad Tartaros, Sarracenos, Paganos, Græcos, Bulgaros, Cumanos, Æthiopes, Syros, Iberos, Alanos, Gazaros, Zichos, Ruthenos, Jacobitas, Nubianos, Neſtorianos, Georgianos, Armenos, Indos, Moſcetitos, alioſque Orientis, & Septentrionis incolas, ad veritatis, & fidei lumen propagandum deſtinavit. Juſſit Catechiſmum ad ſenſum in rebus divinis Romanæ Eccleſiæ iiſdem informandis conſcribi: utque majori cum fructu, & dignitate legatio perageretur, plurima ipſos inſtruxit auctoritate abſolvendi, ligandi, diſpenſandi, ac cœleſtes theſauros erogandi. Tam pia vota, & conatus fruſtrà non fuère: nam plurimi ad filiorum Dei cœtum aggregati, & Carelia (Bzovio teſte) ad fidem Chriſtianam traducta.

Religioſos ad promulgandum gentibus Evangelium mittit.

Deinde inter alia memoratu digna, Bonifacii Pontificatum

Laure-

Tranſlatio Lauretanæ domus.

Lauretana Domus, Angelorum miniſterio, ad locum, in quo nunc adſpicitur, delata, reddidit inſignem. Vide Turſeilinum *lib. 1 c. 15. Hiſt. Lauret.* Accidit tranſlatio hæc mirabilis anno ſalutis 1295. Pontificatus Bonifacii ſecundo.

Religioſa mor te decedit.

E vita exceſſit Bonifacius VIII. Quinto Idus Octobris anno à Chriſto nato 1303. deducentibus feretrum Carolo II. Rege, aliiſque Principibus viris. *Obiit autem* (ut habemus ex actis Vaticanis) *omnes Articulos fidei, more ſummorum aliorum Pontificum recognoſcent, & confeſſus, coràm octo Cardinalibus: aſſerens, ac profitens ſe firmiter tenuiſſe fidem Catholicam, quam tenet, ac docet, & prædicat Romana Eccleſia, & in eadem fide vixiſſe, ac velle mori, ſanctis etiam benè munitus Sacramentis.* Libro Vaticano adſtipulatur Mauclerus probatiſſimus auctor in hæc verba: *In Vaticano Palatio ſpiritum Deo reddidit Bonifacius VIII. non furenti ſimilis, ut quidam calumniatorum, ſchiſmaticorum, ac hæreticorum delivia ſecuti, falsò ſcripſerunt; ſed pleno judicio, integroq; rationis ſenſu, & verâ commiſſorum peccatorum tactus contritione cordis &c.* Idem fatetur ampliſſimus teſtis, qui morituro adfuit, Jacobus Cardinalis Stephaneſius, & Gentilis Cardinalis de Monteflóris, ut videre eſt in Purpura docta *lib. 2. n. 12.*

Quot annis ſederit?

Quod ad geſti ab eo Pontificatus tempus attinet, illud Cæſar Baronius in Notis m. ſſ. conſignat his verbis; *Sedit annis octo, menſibus novem, diebus decem & octo.* Renunciatus enim fuit Romanus Pontifex Nono Kal. Januarii anno 1294. obiit verò V. Idus Octobris anno 1303.

Corpus ejus illæſum ac incorruptum poſt 300. annos inventũ.

Sepultus fuit apud S. Petrum, ſecus Altare Sancti Andreæ, in ſepulchro, quod vivus ſibi extrui curaverat, in quo jacuit uſque ad annum 1605. quo anno poſt trecentorum volumina annorum, eodem die, quo vita exceſſerat, repertum eſt corpus ejus illæſum & integrum. Caput enim illius, quod debebat parieti illiſum fuiſſe, ſanum; manus, quas mentiebantur corroſas, integræ; nervi carne & pelle veſtiti; venæ protuberantes fuêre; totum denique corpus (ſi naſi extremitatem non deſideraſſes) incorruptum. Hoc teſtimonio tam admirando voluit Deus iniquas malevolorum linguas confundere, & innocentiam Vicarii ſui reddere Orbi manifeſtam; initumque ab eo certamen pro Juſtitiæ defenſione, Cœlo & ſuperis gratum demonſtrare.

Commendatur proborũ virorum teſtimoniis.

Clara laude non caruit Bonifacius; extitit enim, dum vixit (teſte Oldoino) virtutibus omnibus ornatiſſimus; magnanimus, prudens, juſtitiæ eximius cultor, diſciplinæ & jurium Eccleſiæ acerrimus defenſor, admirandus Juris & rerum omnium cognitione. Eccleſiæ autem ornandæ, & amplificandæ ſummè ſtudioſum extitiſſe, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Suffraganei, & Abbates Rhemenſis Metropolis, etiam poſt intentatam illi à Rege Philippo litem, his verbis teſtati ſunt. *Ad Chriſti Vicariatus apicem* (Bonifacium alloquebantur) *diebus noſtris, quod læti referimus, divina gratiâ proviſionis aſſumpti, qualem ad ſalubre regimen, ſtatum proſperum, & exaltationem felicem Eccleſiæ deſideriis ſummis aſpirantes, paternam curam, ſtudium efficax, & indefeſſa ſollicitudinis operam duxeritis impendendam, univerſa jam notio publicat, & ipſa res experientia manifeſtat.*

Caſtita-

Caſtitatem mirè coluit, inquit Juſtinianus in Chronicis: & Richardus Abbas S. Juſtinæ teſtis oculatus, *magna eum fuiſſe probitatis* affirmat. Miſſas, ut habent acta, celebrabat frequenter cum devotione, & lacrymarum effuſione: fidem Catholicam ad uſque ſupremum halitum vitæ indefeſſo ſtudio propagavit, & coluit. Non igitur mirum, ſi à doctis Scriptoribus, variis iiſque excelſis laudibus extollatur. Illum S. Antoninus Archiep. Florentinus nuncupat *ſcientiâ acquiſitâ valdè peritum, naturali ingenio præditum, zelatorem magnum, & conſervatorem jurium Eccleſiæ incomparabilem.* Dinus de Mugello Archidiaconus Bononienſis, Tiraquello referente, affirmat: *Neminem, unquam ingenio excellentiori in Piſcatoris cathedra ſediſſe.* Nauclerus, *Virum in Civili & Canonico jure peritiſſimum, qui viros doctiſſimos pariter & ſapientiſſimos ad purpuram aſcivit.* Joannes Villanus, *Doctum judicio, ingenioq; & memoria, magnanimum & liberalem in viros rerum benè gerendarum peritos.* Platina, Binius, aliique, *doctrina & rerum experientia inſignem.* Philippus, *Doctorem Eccleſiæ, & juris Illuminatorem.* Mugellanus, *Lucem mundi, regulam morum, Eccleſiæ decorem, patriæ honorem, Juris illuminatorem.* Demum Joannes Cardinalis Monachi aſſerit, *Ipſum triplex in Decretalium Sexto bonum ligâſſe:* honeſtum, *quoad morum reformationem:* utile, *quoad cauſarum deciſionem:* delectabile, *quoad illuminationem intellectus, & accenſionem affectus; jureq; habuiſſe nomen P. P. quia admirabilis fuit intelligentiâ, & efficaciſſimus eloquentiâ.*

Ejus imago.

Corpus ei procerum fuit, ſolidum, & robuſtum: frons lata & exporrecta, genæ pinguiores & ſubrupentes: oculi vividi & acuti: mares decentiſſimæ & eleganter aſſurgentes: os venuſtum & vigore plenum: vultus læta quadam tetricitate majeſtatem præſeferens; ſtatura corporis inſigni Principe digna. De ætate illius tametſi nihil certi habeamus, contendunt tamen Joannes Rubeus, & Felix Oſius (quibus etiam ſuffragatur Oldoinus) illum octogeſimo ætatis anno fatis ceſſiſſe. Ejus memoriam ſingulis annis v. Idus Octobris, poſt lectionem Martyrologii Romani, concelebrant Canonici & Clerus Baſilicæ Vaticanæ, teſte Joanne Rubeo, ob ingentia dona, & beneficia tum ipſis, tum Eccleſiæ Vaticanæ ab eo conceſſa. Nemo Romanorum Pontificum Prædeceſſorum tot ſignis, ſtatuis, ac memoriis publicis honoratus cultuſque legitur, quàm Bonifacius VIII. ob cultam ſemper juſtitiam, & propugnatam jurium Eccleſiarumque libertatem, quam Philippus Pulcher, eique in malo adhærentes Principes Columnii extremè peſſum ibant.

Statuis honoratur, & anniverſario.

Sedente Clemente V. in Petri Cathedra, in Concilio Viennenſi (cui Spiritum ſanctum præſediſſe nullum eſt dubium) Bonifacius omni crimine, quod illi adverſarii impegerant, innocens declaratus eſt. Mauclerum Gallum, Doctorem Sorbonicum, virum eruditiſſimum, optimeque de Eccleſia, & Regno Galliæ meritum audiamus: *Bonifacium in Domino mortuum* (verba illius ſunt) *poſt novem annos, ſcilicet anno 1312. Clemens V. annuentibus trecentis Patribus in Concilio Viennenſi, ubi præſens aderat Rex Franciæ Philippus Pulcher, verum Catholicum, nullaq; labe pollutum fuiſſe pronunciavit. Omnes malevolorum inimicorum calumnias, impoſturas, opprobria, mendaciaq; in illius Pontificis famam, honoremq; contorta, qui illum atrocibus calumniis inſimulaverant, ut*

Egregium Maucleri de Bonifacio VIII. teſtimonium.

Francorum Regi Philippo placerent, placendo illuderent, illuſum blanditiis fallacibus, fraudibusq́ deciperent; ipſe Pontifex cum toto Concilio deteſtatus, execrationi ſubjecit, omnes ſacrilegos conſpiratores, oppreſſores, detentores, captoresq́ hujus Boniſacii VIII. qui captum atrocibus opprobriis, injuriisq́ ſceleratiſſimè læſerant, ſimili execrationis, anathematisq́ fulmine conſtrinxit, niſi quos graviſſima pœnitentia ad agnitionem cum deteſtatione tantorum ſcelerum plena contritione, ſatisfactioneq́ convertiſſet. Ipſi verò Philippo Regi agnoſcenti diſſidiorum crimina contra Bonifacium VIII. perpetrata, eaq́ per ignorantiam ſe commiſiſſe proditoriè ſycophantarum illuſionibus, calumniatorumq́ falſimoniis perfidiis illuſum, deceptumq́ profitenti Clemens V. ignovit. Qui cùm valdè metueret, ne illa criminum falſorum accuſatio, qua malevolorum impoſtorum perſuaſione fraudulenta deceptus, Boniſacio innocenti turpiter affinxerat, ſibi ac poſteris ſuis dedecori verterentur, propterea Clemens Pontifex Regi Philippo gratificari deſiderans, cum univerſa Synodo ſancivit quidquid atrocitatis, injuriarum, calumniarum, ſimiliumq́ id genus indignationum injuſtarum à quoquam de Columniorum familia, & aliis Regis Philippi Miniſtris in opprobrium bonæ famæ, Boniſacii læſionem, vulnusq́ geſtum eſt, nunquam Philippo Regi tanquam innocenti, aut ſaltem neſcienti, proditorum decepto fraudibus, ac poſteritati ejus exprobratum iri, ut Joannes Villanus, Bernardus Guidò Dominicanus ſcriptorum monumentis prodiderunt. Propterea in eodem Concilio Clemens Papa, quæcunque Boniſacius VIII. ſuus in Apoſtolica Sede Præceſſor contra Regem Galliæ Philippum, ejusq́ Regnum velut in ultionem Pontificiæ læſæ majeſtatis, ſub forma anathematis, & Interdicti fulminaverat, omnia (cum Philippum Regem innocentem ſceleris hujus declaraviſſet) abrogavit, & ex tabulis Boniſacii mandato confectis, Eccleſiaq́ Regeſtis expungi, unaq́ liturâ circunduci præcepit; poſtquàm omnes famoſos libellos calumniarum, impoſturarumq́ Codices contra Boniſacii memoriam auſu ſacrilego conſcriptos, uſtulandos ardentibus mandari flammis imperaviſſet. Hactenus Mauclerus. Quibus etiam propudioſum illud dicterium, à malevolis inventum, ſacrilegeque in Bonifacium contortum: *Intravit ut Vulpes: regnavit ut Leo: obiit ut canis*, velut impoſtura orco digna exploditur & amandatur. Uti etiam illud non minùs falſum, quàm injurioſum: *Hic jacet ecce Nero, Laicis mors, vipera Clero.*

Clemens V. & fama Bonifocii & infomiæ Philippi conſulit, qualiter oſtende.

Calumnia.

SCRIPTA.

Bonifacii Scripta.

Scripſit Bonifacius VIII. Literatorum ſui ævi facilè princeps

De Chriſtianæ fidei, & Romanorum Pontificum Perſecutionibus.

De Regulis Juris.

De Indulgentiis, ſeu de Anno Jubilei.

De Privilegiis Doctorum, & ſtudentium Almæ Urbis Conſtitutionem.

Sermones duos, quos dixit in Canonizatione S. Ludovici IX. Francorum Regis, qui extant m. ſſ. in Bibliotheca Victoriana Pariſienſi.

Orationem *Ave Virgo glorioſa.*

Sextum item Decretalium Librum, doctorum aliquot virorum opitulatione confectum.

Epiſto-

Epiſtolas plures magna eruditione refertas.

Orationem de Paſſione Domini, quæ paſſim impreſſa habetur, & incipit: *Deus, qui pro redemptione mundi voluiſti naſci, circumcidi &c.*

Regeſti volumina quatuor, in Bibliotheca Vaticana aſſervata.

ANNO CHRISTI MCCCIII.

Imperatore ALBERTO Auguſto.

DE

BENEDICTO XI. Pontif. Max.

ORbâ Paſtore Eccleſiâ, Purpurati patres, ad quos creandi Pontificis munus ſpectabat, in Vaticano Palatio, ubi extremum diem obierat Bonifacius, ad ſacra Comitia celebranda convenêre; & poſt paucos dies communibus votis in eligendo Nicolao Bocaſino Epiſcopo Oſtienſi, ex Ordine S. Dominici, non ſine divini Numinis arcano conſilio, ob egregia virtutum ſigna, quæ in ipſo affatim emicabant, conſenſêre. Cui etſi parentum admodùm laudata nobilitas non acceſſerit, attamen nec illa, quamvis minimum in ſanctorum elogiis ſibi locum vendicet, omninò defuit: quandoquidem pater ejus Bocaſinus Tarviſii in Venetorum diſtrictu natus, cùm publicus eſſet Imperatoris auctoritate Notarius, etiam tunc temporis, quando non adeò profuſa erat titulorum luxuries, *Dominus* nuncupabatur, quem titulum non niſi viris illuſtribus ea ætas concedere ſolebat. Ex quo colligimus Nicolaum ad Romanas Inſulas aſſumptum, non tam obſcuris parentibus, ut perperàm nonnulli opinantur, fuiſſe procreatum. CXCIV. *Benedicti XI electio, genus, patria, mores*

Expavit Nicolaus ad oblatæ dignitatis majeſtatem, utpotè vir ſanctus, & Chriſtiana animi demiſſione inſignis: ne tamen Eccleſiam ſuâ renitentiâ in ſeditionum fluctus conjiceret, onus pontificium non ſine lacrymis admiſit, ac Benedicti XI. nomen (quod ſuis moribus apprimè conveniebat) ſibi adſcivit. *Invitus onus Apoſtolicum ſubit.*

Poſt ſuſcepta Coronationis inſignia, ut divis benè juvantibus, onus tam grave firmiùs ſuſtineret, Eccleſiæ S. Euſtorgio ſacræ Mediolani argenteum fulvoque auro coruſcum thuribulum graviſſimi ponderis, & ſericum apparatum magni pretii dono dedit; & ad S. Petri martyris aram trecentas argenti libras obtulit. Deinde literas encycliacas ad ChriſtianiOrbis Præſules, Reges, ac Principes ſcripſit. Tum publicæ tranquillitati conſulturus, inteſtina Urbis bella ſopivit., ut Jacobus Stephaneſius contemporaneus auctor hoc carmine cecinit. *Dona Eccleſiis confert.* *Urbis tumultum ſedat.*

Roma novis concuſſa fremit, ſævumq; minatur
Martis opus; cœptus timor eſt prorumpere flammas,
Et clarere palàm: ſtipulas ceu conditus ignis
Incendit facilè. At Chriſti clementia tantis

 Occur-

Occurrit, lymphaſq; jacit, Benedictus eodem
Tempore ſuſcipitur, vir clarus, pacis amator.

Fridericum Trinacriæ Regem Eccleſiæ communioni reſtituit.

Infregerat Fridericus Trinacriæ Rex ſacramenta Eccleſiæ data: de pendendo trium millium unciarum auri vectigali Romanæ Eccleſiæ promiſſam fidem non exolverat; quare anathematis pœnis non ſe irretierat modò, verùm ſacrorum juſtitium in Regnum, magnâ rei divinæ injuriâ, adduxerat. Veniam porrò facti flagitanti, atque expiandi criminis voluntatem præſeferenti Pontifex clementiam Apoſtolicam explicuit. Piorum enim Societati reſtituit Fridericum, ac ne divinus cultus obſoleſceret, Templa aperiri juſſit; & penſitandi vectigalis, cui tunc ſolvendo ob exhauſtum ærarium non erat, diem ad Kalendas Maij anni 1304. protraxit ea lege, ut ſi ſtata die officio deeſſet, priſtinas cenſuras contraheret.

Privilegiis afficit Carolum Siciliæ, & Albertum Romanorum Reges.

Cùm autem Carolus II. Rex Siciliæ poſt ejectos Luceriâ Sarracenos Eccleſiam principem, ut divinum cultum in inſtauraret, vectigalibus locupletaſſet, Benedictus ut gratiam pro amplificata re Eccleſiaſtica reponeret, plura illius Eccleſiæ Sacerdotia conferendi jure Carolum exornavit. Albertum inſuper Cæſarem & Eliſabetham conjugem ejus eâ donavit prærogativâ, ut divina in locis interdicto Eccleſiaſtico ſubjectis peragi coram ipſis poſſent.

Ericum Daniæ Regem anathemate abſolvit.

Ericum Danorum Regem lege de conjugiis poſtulatum, ac ſacrorum communione à Lundenſi Archiepiſcopo pulſum, cùm reſipuiſſet, piorum cœtui reddi juſſit. Roberto Duci Calabriæ, Regis Siciliæ primogenito, ut Sanciam Jacobi Majoricarum Regis filiam, propinquitatis gradu non obſtante, in matrimonium ſibi conjungeret, indulſit:

Beneficus in alios.

Idemque privilegium Rudolpho Duci Saxoniæ, & Judithæ Othonis Longi Marchionis Brandeburgenſis genitæ conceſſit. Nicolaum Pratenſem in Angliam, Scotiam & Hiberniam ad conciliandos Reges & Principes Legatum ire juſſit.

Orientem à Schiſmate liberare curat.

Dignam etiam Apoſtolico zelo ſolicitudinem porrexit in Orientem, atque alias Schiſmaticorum Provincias, in quibus ob diuturnum Schiſma vitiorum vepres excreverant. Adeò enim obſoleverat divinus cultus, adeò ſanctorum Patrum inſtituta impunè convellebantur, & lex Evangelica labefactabatur, ut, quemadmodùm deplorat Pontifex in ſuis literis, Eccleſiæ forma, ac pulchritudo in terris Andronici Imperatoris Græcorum, & Oroſii Serviæ Regis, ejuſque fratris, ac matris Helenæ ditione penitùs emarcuiſſe videretur. Ut igitur tot animarum ſtragi, atque ingentibus aliis malis, quæ ex Schiſmate, omnium ſcelerum fonte defluxerant, occurreret Chriſti Vicarius, Martinum Antibarenſem Archiepiſcopum, ut in Servia, aliiſque Græcorum circumjectis Provinciis ad ea emendanda incumberet, auctoritate Apoſtolica inſtruxit.

Scribit ad Oroſium Serviæ Regem.

Cumque accepiſſet Oroſii Regis animo pium abrumpendi Græci Schiſmatis deſiderium cœlitùs influxiſſe, ipſum ad ſacra vota operi mandanda, ac ſubditos ad Apoſtolicæ Sedis obſequium alliciendos propoſitis cœleſtibus præmiis, literis ad eum datis excitare ſtuduit. Accepit Helenam Serviæ Reginam, quæ præclaram fidei Orthodoxæ amplificandæ operam dabat, in Apoſtolicam clientelam.

Laboranti Italiæ, ac Germaniæ inteſtinis diſſenſionibus, quantum

Digitized by Google

tum potuit, ſuccurrit. Ad reconciliandos Venetos & Patavinos inter ſe colliſos Firmanum Epiſcopum legavit, ut literæ Apoſtolicæ tum ad Legatum, tum ad Venetos datæ teſtantur. Sopitam Benedicti Papæ ſtudio eam diſcordiam indicat rerum Venetarum Scriptor in Appendice ad Chronicon Andreæ Danduli. Diſcordias, quæ inter Gerardum Archiepiſcopum Moguntinum, & Albertum Cæſarem intercedebant, componere ſtuduit, Cæſarique paternis literis ob oculos propoſuit, quantum regium honorem læderet, dum Eccleſiæ jura violaret. Albertum autem Gerando Archiepiſcopo Moguntino conciliatum fuiſſe, ex Siffridi hiſtoria colligitur, in qua legimus Gerardum unà cum Othone Bavariæ Duce, Rudolpho filio Auſtriæ Duce, aliiſque Principibus & Epiſcopis Alberto in ancipiti ac difficili bello adverſus Venceslaum II. Bohemiæ Regem adhæſiſſe. *Diſſenſiones inter Chriſtianos Principes ſopire ſtudet.*

Inſibraimi Patriarchæ, ſeu Orientalium Chriſtianorum Epiſcopi litteras accepit, ejusque Nuncios in Urbe audivit: in iis literis Chaldæo idiomate conceptis Romanam Eccleſiam *Matrem, & Magiſtram omnium Eccleſiarum*, ſummum verò Pontificem *Chriſti Vicarium, Petri Succeſſorem, omnium Orthodoxorum Patrem, Paſtorem, Doctorem, & Judicem profitebatur, eamque fidem Catholicam & Apoſtolicam ſe credere aſſerebat, quam tenet, & credit, docetq; Romana Cathedra.* Quas literas Latino ſermone reſcripſit in ſuis Annalibus Odericus Raynaldus. *Oratores & literas orientalium recipit.*

Exarſerat jam diù gravis inter Clerum, & religioſa Sodalitia controverſia, an qui apud Monachos ſacrâ exomologeſi crimina ſua expiaſſent, ad illa iterum Parocho aperienda obſtricti eſſent? Pronunciavit Benedictus, neceſſe non eſſe repetitionem, hacque de re Conſtitutionem edidit; atque cenſuras, & ſententias in Religioſos viros, qui fidelium ſacras confeſſiones exceperant, latas ſuſtulit. Inſuper edixit, in plateis conciones habere ad populum Religioſis viris licere: eos tamen eâdem horâ, qua Diœceſanos è ſacro ſuggeſtu ageret, concionari vetuit, cùm æquitas poſceret, ut inferior ſuperiori cederet. Mandavit etiam Religioſarum familiarum Præfectis, ut viros tantùm pietate & doctrina conſpicuos habendis ſacris concionibus admoverent. Aliis pluribus beneficiis & privilegiis Religioſos viros affecit, atque inter cætera hæc in Notis m. ſl. Baronii recenſentur. *Munivit Benedictus multis privilegiis ordinem Cæleſtinorum & Servorum.* Et quidem extat illius Diploma, quo Servorum S. Mariæ familiam (quæ ſibi id nomen, pietatis ſenſu in Virginem delibuta, cui addixerat ſervitutem, impoſuerat) confirmavit; ſuamque in Deiparam Virginem obſervantiam planam fecit his verbis: *Nos autem erga ipſam Virginem Dominam noſtram, devotionem libenter, quam poſſumus, exhibemus &c.* *Controverſias inter Clerum & Religioſos ſedat.* *Sacris Ordinibus favet.*

Verùm, ut Benedicti virtutes leviter attingamus, nunquam nec Provincialis, nec ſui Ordinis Generalis equitavit, ſed baculo ſemper innixus, tam Provincias ſibi commiſſas, quàm totum ordinem pedibus viſitaſſe fertur. In ſupremo ſui Ordinis Magiſterii faſtigio conſtitutus, nunquam alio, quàm in communi triclinio cum fratribus ſuis, nec lautiori quàm cæteri cibo, ſed eodem prorſus *Benedicti virtutes.*

uſus fuerat; veſtibus itidem communibus, iisdemque rudioribus inſuper, & aliquando laceris contentus. Maxima prudentia & integritate commiſſum ſibi Ordinem rexit, ac Novitiorum educationem promovit, ut in eâ potiùs, quàm in quacunque alia re obſervantiæ regulari inſudârit, & invigilaverit, ratus cum Platone: *Nihil magis, vel ornamento Reipublicæ, vel excidio fore, quàm vel ſotam; vel neglectam puerorum diſciplinam.* Circa reliquos verò ita ſe gerebat, ut æquitate ſervata, nec nimis rigidus in noxios, nec nimis facilis eſſet in bonos. Ejus doctrinam & ſanctitatem Ægidius Viterbienſis nobili hoc elogio indicavit, & extulit: *Benedictus XI. Tarviſinus, qui in Prædicatorum familia, neſcio ſanctiùs, an eruditiùs inſtitutus, nihil antiquiùs duxit unquam, quàm cæli comparandi gratiâ cuncta agere, res humanas ut umbras contemnere, luci æternitatique adſpirare: uſurpabat illud Pindari frequenter; Homo umbræ ſomnium.*

Benedicti obitus. Tenuit Petri Sedem vir ſanctiſſimus non niſi menſes octo, & dies ſeptendecim juxta calculum Oldoini. Obiit, cùm ageret quartum ſuprà ſexageſimum ſuæ ætatis annum: nam annus agebatur 1240. cùm in hanc lucem ille natus eſt, è vita verò exceſſit Peruſii Nonis Julii anno à Chriſto nato 1304.

Veneno extinctus ſcribitur Scribit Palatius ex Ciaconio, Benedictum, quòd Columnenſes diris devotos honoribus reſtituiſſet, Cardinalium id ægrè ferentium fraude, veneno ſublatum eſſe: *Cùm enim Peruſii* (ſunt verba Palatii, vel potiùs Ciaconii ex S. Antonino cap. 9. tit. 20. parte 3. hiſt.) *non procul à lacu Traſimeno, ubi olim Romanos vicit Hannibal, vir pius menſa accumberet; & juvenis quidam mentitus ſe fœminam eſſe, ancillamq; Abbatiſſa Virginum B. Petronillæ, triclinium ingreſſus cum vaſe argenteo, ficus recentes, & varia florum genera illi obtuliſſet veneno oblita: Benedictus nil mali ſubeſſe ratus, ficus avidè comedit, hauſtoq; veneno ſublatus eſt.* Idem tradit Jo. Villanus in ſua Hiſtoria. Sepultus eſt autem Benedictus Peruſii apud Prædicatores in templo S. Herculani magna funeris pompa, conditus inſigni marmoreo tumulo, hac barbara inſcriptione ornato.

Ejus Epitaphium.

O quàm laudandus, quàm dulciter eſt venerandus
Inclytus ille Pater, priùs extitit ordine frater
Sancti Dominici, Chriſti vigilantis amici.
Lector honoratus, pius extitit ille vocatus.
Effectus talis frater, quoque Dux Generalis
Sic Ro. doctrina poſt hac fit Cardo Sabina,
Oſtia, Velletris titulis ſibi dant pia latis,
Perficit Hungaria Legatus juſſa Sophia.
Fit Pater ipſe Patris, Caput Orbis, gloria fratris,
Eſt meritò dictus re, nomine vir Benedictus.
Tarviſii datus hic, ſed primo Pontificatus
Anno deceſſit, ſibi rectè ſubdita rexit:
In nono menſe, is mortis proſternitur enſe.
Hunc hominem ſanctum reddunt miracula tantum,
Innumeris ſignis dant grata juvamina digna.
Lector habe menti: currebant mille trecenti
Quatuor, appenſis dum tranſiit hic homo mitis,
Menſe, die ſexta Julii ſunt talia geſta.

Fuit

Fuit mediocris ſtaturæ, calvus procedente tempore, veneranda faciei venuſtate, quamquàm non minorem ei gratiam addebant humilitas, pudor ingenuus, benignitas, manſuetudo, gravitas, ſimplicitas, quas virtutes vultu, geſtu, & moribus præferebat. *Ejus Imago.*

De illo hæc refert Bernardus Guido inChronico Romanorum Pontificum: *Hic Benedictus obiit in Perusio Nonis Julii Pontificatus ſui anno primo, ſepultusq; fuit in Eccleſia fratrum Prædicatorum Peruſii ante altare anno Domini 1304. ubi divina virtus, & bonitas ejusdem, Benedicti merita cœpit evidentibus miraculis declarare, maximè in dæmonibus expellendis de corporibus obſeſſorum, & in multis infirmitatibus, & languoribus propulſandis.* De editis miraculis alii plures conſentiunt, è quibus Joannes Bonifacius in hiſtoria Tarviſina ait, eo mortuo concurriſſe Peruſinos, ac plures morbis variis implicitos illuc ſe deferendos curâſſe ob conceptam de ipſius ſanctitate exiſtimationem, ac tum ad ejus feretrum patrata divinitùs plura miracula. S. Antonini verò de Benedicto teſtimonium inſigne eſt. *De hoc Benedicto legi in Chronicis ordinis*, inquit ille, *quindecim miracula fidei teſtimonio comprobata, meritis ejus facta de diverſis infirmitatibus, quorum infirmorum nomina & locorum deſcribuntur, & infirmitatum, quæ ob brevitatem omitto.* Leander Albertus hujuſce ſanctiſſimi Pontificis gloriam illuſtrat his verbis: *Ipſa die, qua ad cœlum migravit vir ſanctus, tantus fuit populi concurſus ad eum videndum, ut agminatim cives, & inurbana plebs totas vias complerent, ut vix è Palatio in Templum Prædicatorum deferri poſſet, potueritq; poſtero die ſepeliri. Porrò admitebantur omnes, ſancti viri exoſculari pedes, rati ſe oſculo veniam criminum ſuorum, ejus meritis à Domino faciliùs poſſe obtinere. Et cùm ſcriptum ſit, qui ſe humiliat exaltabitur, ſic huic ſanctiſſimo viro contigit quippè paſſim hinc inde miracula exire videbantur.* Narrat deinde Leander ſingillatim miracula ab eo patrata, etiam apud Oldoinum in additionibus ad Ciaconium, & apud Palatium in vita Benedicti legenda. *Poſt obitum claret miraculis.*

SCRIPTA.

Scripſit Benedictus erudita Commentaria *Benedicti Scripta.*

- In Pſalmos.
- In Job.
- In Evangelium Matthæi.
- In Apocalypſin
- De Ritibus Opuſculum.
- Sermones plures.
- Regeſti ejus volumen unicum in Bibliotheca Vaticana ſervatur.

Scribit Oldoinus, Commentariorum ejus partem ſecundam in Matthæi Evangelium (quæ nonniſi Caput Matthæi quintnm comprehendit) in lucem tum Tarviſii, tum Venetiis ſtudio, & Notis Georgii de Lazaris Tarviſini Dominicani, Epiſcopi Minorenſis prodiiſſe. Illorum verò partem tertiam, ac primam poſtmodùm inventam eſſe manu ſcriptam affirmat Bartholomœus Burchelatus, ſed illas nondum vidimus typis impreſſas.

Petrus

Petrus Louvetus Dominicanus in Cathalogo m. ſ. Scriptorum è ſacro Prædicatorum Ordine, refert Benedictum ſcripſiſſe Conciones in Matthæum, ſed Ludovicus Jacobus à S. Carolo in Bibliotheca Pontificia ſuſpicatur has conciones in præfato, Commentario *in Matthæum* comprehendi.

Extant etiam Benedicti tres inſignes Epiſtolæ ad ſui Ordinis fratres exaratæ, quando illos moderabatur, quæ m. ſſ. habentur.

ANNO CHRISTI MCCCV.

Imperatoribus Alberto, & Henrico VII. Auguſtis.

DE

CLEMENTE V. Pontifice Max.

CXCVII. CLemens hujus nominis V. Vaſco, nobili Agoutiorum ſanguine Burdegalæ natus, Archiepiſcopus Burdegalenſis, Bertrandus Agoutius ſeu *de Gouth* antea vocatus, vir divini humanique Juris peritiſſimus, poſt longam Patrum contentionem, denique aſtu & operâ Nicolai Pratenſis Epiſcopi Oſtienſis, Peruſii à Collegio Cardinalium abſens in demortui Benedicti XI. locum ſufficitur. Qualiter is Pontificatum adeptus ſit, diximus fuſiùs libro 2. Purpuræ doctæ n. 16. in vita Nicolai Cardinalis Pratenſis, qui locus conſuli poteſt.

Aſtu in Pontificem eligitur

Clemens electioni qualitercunque factæ conſentiens, mox Burdegalâ Lugdunum profectus, eò Cardinales omnes Peruſiô ad ſe per literas vocavit. Paruêre Clementi, licèt inviti Cardinales, duobus duntaxat exceptis, qui ſenio graves ac valetudinarii iter tam longum ſuſcipere non valuerunt. Indicta eſt Coronatio Lugduni Pridie Idus Novembris anni 1305. ad quam convenêre Philippus Francorum Rex, Carolus Valeſii Comes Philippi frater, Joannes Britanniæ Dux, aliique Proceres cum univerſa Franciæ nobilitate, ac innumerabili populi multitudine. Paratis igitur omnibus, quæ ad peragendam tantæ celebritatis pompam ſpectabant, *dum illi, quorum intereſt* (ſunt genuina Ægidii viterbienſis verba) *coronam porrigebant, Pontifex caput coronandum dabat: dum omnes pendent, nihilq; intercedere poſſe autumant, quò minùs induat Pontifex ſumma cum lætitia coronam; ecce! ut dicitur, inter os & offam multa cadunt, antiquus paries ſatiſcit: ingens fit ruina: cum Joanne Britanniæ Duce, & Gaillardo Papa fratre multi mortales oppreſſi ſunt: Philippus & Carolus Valeſius levi vulnere perſtricti: excuſſa manibus corona: turbati ordines, omnes trepidare, ſibi quiſque fugâ conſulere: Pontifex attonitus è ſolio proſilire; irato ſe Deo imperare clàm fateri.* Ferunt eo in tumultu ingentis pretii gemmam è Pontificis tiara excuſſam, & amiſſam eſſe. Atque ita malo omine Romana Curia in Gallias translata eſt, ubi ad ſolidos ſeptuaginta eoque ampliùs annos remanſit, magno Chriſtianorum incommodo, potiſſimùm verò Urbis Romæ, cujus Templa magna ex parte ob ſolitudinem & ſitum corruêre, abſentibus iis, quorum munus

Lugduni coronatur.

Malum omē.

Translatio Romanæ ſedis ad Gallos.

nus erat ea ſarta tecta tueri. De hoc exilio (quod nonnulli *Captivitatem Babilonicam* non ineptè, Genebrardo teſte, nuncuparunt) Itali frequenter litteris ac nunciis conqueſti inveniuntur. Vide Andream Victorellum in notis ad Ciaconium; & Chriſtophorum Ott. S.J. *in Roma Glorioſa ad annum 1300. n. 264. fol. 473.*

Peractâ itaque non ſine trepidatione, Lugduni in Eccleſia S. Juſti ſolemni coronatione, Pontifex quæ Regi Philippo ſecretò pollicitus fuerat, ſervavit: nam eum anathematis vinculo ſolutum Eccleſiæ reſtituit, eidemque Regni decimas in quinquennium conceſſit; tum verò ad ejuſdem preces proximo menſe Decembri duodecim Cardinales in ſacrum Senatum legit, Gallos omnes, Regiſque amicos: atque duos Columnios Cardinales à Bonifacio exauctoratos, priſtinis dignitatibus reſtituit. *Clemens poſtulatis Philippi ſatisfacit.*

His ità in gratiam Philippi Regis conſtitutis, Pontifex cum Cardinalibus & Curia Lugdunô diſcedens, per Bituriges, Lemovices, & Petragoricos Burdegalam profectus eſt. Ibi Cardinales Itali ab Aquitanis malè habiti ſunt; tota enim Curia in Gallorum poteſtate erat. Cùm verò Pontifex nihil minùs, quàm regredi in Italiam cogitaret, & res Italiæ quaquaverſum factionibus ſeditioſorum turbatæ eſſent, Neapoleonem Cardinalem Urſinum ad ſedandos tumultus Legatum Italiæ ſumma cum poteſtate creavit. Florentini & Lucenſes, invito Pontifice, Piſtorium ceperunt & diruerunt: Azo Marchio Eſtenſis Regio Lepidi, Mantuâque exactus bellum adornabat: Friſcus Azonis filius, enecto in carcere patre, Ferrariam occupabat: Guelphi Bononienſes Gibellinos repulerant. Qui motus non ſine magnis cladibus, urbiumque excidiis fiebant. Neapoleo Legatus pontificio nomine in Italiam veniens à Florentinis ſpretus, à Bononienſibus verò Urbe ſua ignominioſè ejectus, graves contra utramque Urbem cenſuras & anathemata pronunciavit: inde Aretium, muneri ſuo vacaturus ſeceſſit. Verùm à vicinis rebellibus iterum exagitatus, cùm haud ſecurus in loco conſiſteret, iterato in Florentinos fulmine, rebus infectis trans Alpes rediit ad Pontificem. *Neapleoni Card. Legatum ad ſedandos motus in Italiam mittit.* *Qui re infecta ad Pontificem redit.*

Per id tempus in montibus Novarienſium nova hæreſis à Dulcino quodam & Margarita inſanis hominibus ſuſcitata eſt, qua mares & fœminæ ſimul habitantes, in omnem libidinem prolabebantur: dicti ſunt autem *Fraticelli*. Hos opprimere Clemens conatus, eò ſtatim milites armatos cum Apoſtolico Legato miſit, qui in Alpibus poſitos, partim inediâ & frigore, partim ferro ac flamma oppreſſit. Dulcinus ejuſque ſcortum Margarita vivi capti, Legati juſſu, membratim diſcerpti ſunt, illorumque oſſa igne in cinerem redacta, in undas & aërem diſperſa. De his egimus in Purpura docta *libro 2. n. 12. & n. 13.* *Fraticellos hæreticos opprimit.*

Anno ſalutis 1307. Philippus Francorum Rex, magno Procerum comitatu ſtipatus. Pictavium, quò Pontifex ejus rogatu cum Curia acceſſerat, ſe contulit: Papamque iniquis precibus ſollicitavit, ut juxta ſponſionem ante adeptum Pontificium factam, Bonifacii VIII. memoriam execraretur; corpus comburi mandaret; omniaque ejus acta publico edicto reſcinderet: affirmans, ſe capita hære- *Philippus Bonifacii VIII. memoriam & acta aboleri petit.*

hæreſeos numero quadraginta tria, adverſus eum probare poſſe Pontifex iniquis Regis poſtulatis refragari non audens, neque Bonifacii Catholici Pontificis memoriam abolere volens, conſilio uſus eſt Nicolai Cardinalis Pratenſis: qui ſuaſit Pontifici, ut diceret:

Deluditur à Clemente.

eam rem utpotè arduam Concilio Generali opus habere, quod proximè Viennæ indicturus eſſet: videri enim ſibi, Regis poſtulatis maximè conſultum iri, ſi hæc ipſa publicè diſcuſſa Patrum decreto firmarentur. Atque ita Regem ſpei plenum dimiſit, eluſitque.

Albertus Cæſar occiditur

In ſequenti anno, qui fuit Chriſti 1308. ipſis Kalendis Maij Albertus Cæſar, nono Imperii anno, à Joanne fratris filio ejusque complicibus propè Vindoniſſam nefariè trucidatus eſt, Spiræque ſepultus. Quo tempore Romæ etiam fortuito incendio Ædes Lateranenſes cum Patriarchio, magno Eccleſiæ Romanæ detrimento,

Gallus Imperium affectat

exuſtæ ſunt: à Clemente poſtmodùm publico ære reſtitutæ. Philippus Francorum Rex Alberti morte, & Electorum diſcordiâ in novo Cæſare deligendo intellectâ, Pontificem cum magno exercitu eo fine adit, ut is Carolum Valeſium fratrem, Romanum Cæſarem deſignaret, Imperiumque à Germanis ad Gallos transferret. Id conſilium quamquàm occultiſſimum, vel ante Regis allapſum, Pontificem non latuit. Quare is arcano identidem Pratenſis Cardinalis conſilio uſus, Germaniæ Principes per literas clanculùm admonuit, ut abruptâ omni morâ Comitia cogerent, ſuffragiisque proficuum

Clemens Henrico Lucenburgenſi favet.

Imperio & Eccleſiæ Cæſarem deſignarent. Inſinuavit verò iiſdem Henricum Comitem Lucemburgenſem, virum corporis animique dotibus inſignem, conſilio, prudentia, armis, opibus, & fide nulli Principum ſecundùm: quod niſi facere maturarent, ſe effugere non poſſe, quò minùs armato Regi conſentiret, & Imperium Gallis extorquentibus redderet. Principes cognito ex literis Clementis periculo nihil cunctati, Henricum propoſitum commendatumque

Henricus deſignatur Cæſar.

communi ſuffragio Francofurti Cæſarem deſignant: quem ſequenti anno Romam profectum Clemens per Cardinales ad id delectos Auguſtali diademate coronavit, frendente licèt Gallo.

Poſthæc anno humanæ Redemptionis 1311. habetur à Clemente V. Viennæ Galliæ Concilium Oecumenicum, ordine XV. cui

Concilium Viennenſe, & quid in eo actum?

interfuêre Patriarchæ duo Orientales, Epiſcopi 300. præter Reges, Gallum, Anglum, & Arragonium. Actum in eo de *Eccleſiaſticorum reformatione*: de *Terra ſancta expeditione*: & *de reſtitutione famæ Bonifacii VIII. à Philippo Rege iniquè impugnatæ.* Damnatæ prætereà hæreſes noviter exortæ; & extinctus Ordo Templariorum, quos multorum criminum reos partim ignis abſumpſit, partim texit exilium: eorum bona vel Franciæ Regi conceſſa; vel Equitibus S. Joannis Hie-

Equites Rhodii unde ſic dicti?

roſolymitani adjudicata, quibus poſteà *Rhodus* Inſula Sarracenis erepta *Rhodiorum Equitum* indidit nomen. Cæterùm de origine, progreſſu, & excidio Templariorum egimus quantum ſatis eſt in Purpura docta lib. 2. num. 23.

Henricus Imp. moritur

Anno verò Chriſtiano 1313. Nono Kalend. Septembris Henricus Imperator, quum in Robertum Neapolitanum Regem (quem improbante Clemente, exauctoraverat) arma pararet, apud Boncoventum morbo laborans, non ſine veneni ſuſpicione ſublatus eſt.

Scri-

Scribunt Novatores, Henricum veneno à viro Dominicani ordinis in Euchariſtia porrecto extinctum eſſe. At commentum hoc exploſit jam olim Trithemius in Chronico Hirſaugienſi: & ſæculo ſuperiori Gretſerus cap. 57. Exam. Myſterii Plæſeani. Bzoviùs verò omnium uberrimè in Annalibus Eccleſiaſticis eandem fabulam refutavit, & Italici Scriptoris verbis, qui eo tempore vixit, Henricum veneno non periiſſe, ſolidè demonſtravit.

Porrò Clemens Pontifex Judæos ob immania & horrenda flagitia, quæ alii ſingillatim enarrant, ex Gallia & Germania ejiciendos curavit. Andronicum Græcorum Imperatorem, quòd hæreticis & ſchiſmaticis contra fideles faveret, anathemate perculit. Hungariæ Regnum Carolo adverſus Bavariæ Ducem adjudicavit. Francos & Anglos diù inter ſe colliſos fœdere conjunxit. Flandricam pacem confirmavit. Plures Epiſcopos ad Tartaros religione Chriſtiana excolendos tranſmiſit. Expeditionem in Græcos decretam promovit, & ut faciliùs Philippus Galliarum Rex bellicos ſumptus in illius apparatu profundendos toleraret, Eccleſiaſticorum vectigalium decimas in Galliis obventuras, ad certos annos ipſi attribuit, atque ad illam ſacri belli ſocietatem Venetos ac Genuenſes ſuis literis excitavit; imò ut Chriſtianus Orbis arma ſolùm in Græcos Schiſmaticos ſtringeret, Amedeum Sabaudiæ Comitem & Delphinum Viennenſem, mutuo implicitos bello, conciliare ſtuduit. Denique Hebraicæ, Chaldaicæ, Arabicæ, & Græcæ linguarum ſtudium in nobiliſſimis quatuor Europæ Academiis, fidei propagandæ causâ, inſtituit, uti colligitur ex Inſcriptione publicâ, appoſitâ in Bibliotheca Vaticana. *Alia Clementis geſta memoratudigna*

Cùm verò Avenione, Montilios colligendæ purioris auræ gratiâ (quippè graviore valetudine ex ſtomachi laterumque dolore enata afficiebatur) reverſus eſſet, Conſtitutiones in ſacra Viennenſi Synodo editas, ac nonnullas alias additas in Conſiſtorio publico promulgavit: quam rem XII. Kal. Aprilis anni 1314. geſtam conſignat Annalibus Bernardus. At cùm morbus nullis remediis compeſcendus ingraveſceret, Medicorum conſilio ad captandum nativum aërem, ac repetendam Burdegalam itineri ſe accinxit, ſed patriam videre ampliùs non licuit: nam apud *Rupem Mauram* vicum Provinciæ Narbonenſis XII. Kal. Maji anno ſalutis 1314. Pontificatus ſui anno nono nondum expleto, diem clauſit extremum. Corpus, dum noctu in Eccleſia ſervaretur, caſu ſemiuſtum, in Ædicula B. Mariæ *de Uzeſta* à ſe conſtructa, ſepultum eſt. Direptus tunc fuit Pontificius theſaurus à multis, qui velut in expoſitam prædam irruerunt: ſed hi poſteà tanquam ſacrilegi à Joanne Succeſſore in jus vocati atque convicti, debitis pœnis affecti ſunt. *Conſtitutiones promulgat.* *Moritur.*

Non audiendus Villanus, & alii, qui Clementem Simoniæ amantem venalia omnia habuiſſe; libidini quoque deditum, & unicè dilexiſſe miræ pulchritudinis fœminam Comitem Petragoriorum, nonnullaque id genus alia prorſus indigna & falſa ſcripsêre, ut de quæſito à quodam artis magicæ perito defuncti ejuſdem nepotis animæ ſtatu, ac loco inferni, in quem erat detruſus nepos, alioque palatio flammarum globis cincto, quod ipſi Clementi pa- *Calumniis injuſtè adſpergitur.*

 raretur,

raretur, oſtentato. Quæ omnia conficta ſunt à maledicis, & obtrectatoribus: quòd ob translatam in Galliam ſedem, & extinctos Templarios plurimorum odia incurriſſet. Nec audiendus Dantes Poëta Hetruſcus, cui mordere quoque inſignes viros inſtar triumphi fuit, & ut Poëtæ, in infernum illum ſuum fictitium quos libuit, tradere licuit. Quid enim magis abhorrens, atque alienum ab eo Pontifice eſt, quàm ſceleratam cum Mago, & dæmone pactionem impingere, cujus geſta ſi ſpectentur, religione, zelo, fideique augendæ ſtudio magnis æquandum Pontificibus comperies? Hujus ſanè rei teſtes, Viennenſis Synodus Oecumenica: impietas ab eo flammâ ferroque exagitata: excitati toties ab eo in Sarracenos & Schiſmaticos Principes: compoſita tot egregiis Conſtitutionibus Apoſtolicis res Eccleſiaſtica: Rhodus ejus ſtudio, Chriſtiano adjuncta Imperio; ac Reſpublica Chriſtiana in eum adducta per ipſum ſtatum, ut niſi eundem mors Orbi tam citò eripuiſſet, Religionem Catholicam in Oriente propagatum iri ſpes magna affulſiſſet. Sedis translatio poteſt jure objici; ſed expeditionis contra Sarracenos pro recuperanda Syria deſiderium, Viennenſis Concilii moræ, ac deinde Italici motus in cauſa fuêre. Certè indigna illa & impia in Clementem commenta videtur abundè refellere ipſius Succeſſor Joannes XXII. dum ſacram ejus memoriam fuiſſe apud ſe teſtatur his verbis: *Sanctæ recordationis Clemente V. Prædeceſſore Noſtro de præſentis vita mæroribus ad cæleſtem patriam evocato &c.* Neque enim ſanctæ recordationis Pontificem vocaſſet, ſi ita avaritia, libidine, ſimonia, aliiſque vitiis (quemadmodum hoſtes contendunt) contaminatus fuiſſet. Rectè ſanè Terentius ait: *Livori & odio nulla non virtus vitium eſt.*

Defenditur.

Ejus præclarè acta contrarium ſuadent

SCRIPTA.

Clementis Scripta.

Scripſit Clemens Sermones eruditos ad populum habitos.

Epiſtolarum librum unum.

Conſtitutionum, vulgò *Clementinarum*, vel librum Septimum Decretalium in Concilio Viennenſi ordinatum: quem poſteà Joannes XXII. ejus Succeſſor divulgavit, & Pariſiis anno 1517. cum Commentariis Guillelmi de Lauduno editus eſt.

Regiſtri ejus Volumina novem in Bibliotheca Vaticana aſſervantur m. ſſ.

Quædam ejus Epiſtolæ leguntur tomo 7. Conciliorum cum Notis Binii in concilio ſuo Generali Viennenſi: illarum aliquas reſcripſit in ſuis Annalibus Eccleſiaſticis Odericus Raynaldus.

Extant in Parnaſſo Mariano Duaci per Bellerum excuſo anno 1624. Hymni ſacri Officii *de Compaſſione B. Mariæ Virginis* ex hortulo animæ deprompti, auctore Clemente Romano Pontifice hujus nominis Quinto, teſte Hippolyto Marraccio in Pontificibus Marianis.

Scripſit etiam Rationem creandi Pontificis, ut auctor eſt Ciaconius in vita: & Diplomata varia apud Collectores Diplomatum requirenda.

ANNO

ANNO CHRISTI MCCCXVI.
Imperatore LUDOVICO BAVARO Auguſto.

DE

JOANNE XXII. Pontif. Maxim.

CXCVIII.

Jacobus de Oſſa Pontifex eligitur.

SUblato è vivis Clemente V. cùm diù jacuiſſet in luctu viduata Paſtore Romana Eccleſia, tandem ad armatas preces Philippi Comitis Pictavienſis (qui poſteà Rex Francorum fuit) VII. Idus Auguſti anno ſalutis 1315. omnium Cardinalium ſuffragiis electus eſt in Romanum Pontificem Jacobus *de Oſſa*, Gallus Caturcenſis, Epiſcopus Portuenſis, dictuſque eſt Joannes hujus nominis XXII. Quem Ptolomæus Lucenſis ejus ævi Scriptor hoc elogio exornat : *In Dominum Joannem conſenſerunt Suffragatores, virum ardentis ingenii, & in Jure Eccleſiaſtico ac divino valdè peritum:* Cæterùm patre Arnaldo Sutore, ut ajunt, humili genere in Aquitania ortum.

Falſum videtur, quòd ſe ipſum elegerit.

Scribit Ciaconius, aliique, dolo ad Petri Sedem irrepſiſſe, adeò ut, cùm ipſi à Cardinalibus deſignandi Pontificis optio juſque data eſſent, ſemetipſum conſiliò Neapoleonis Cardinalis Urſini Pontificem renunciaverit. Verùm uti Neapoleonem Joanni ad Pontificatum ſtuduiſſe non negamus , ita rem hanc ab invidis jactatam non leve argumentum eſt, cùm Ludovicus Bavarus, aliique Joannis hoſtes infenſiſſimi, in illis adverſus ipſum invectivis acerbiſſimis nunquam ea objecerint, quæ ſanè ſi nixa fuiſſent veritate, ut illum ambitionis nimiæ notarent, non prætermiſiſſent. Neque etiam, ſi res ita ſucceſſiſſet, Joannes tam libera & conſtanti voce denunciaſſet toti Orbi, ſe à Pontificatu omnium ſuffragiis oblato abhorruiſſe, atque adeò ancipitem hæſiſſe, an humeros oneri ſubderet, anne ſubduceret? ut encyclicæ ejus litteræ ad Chriſtianos Præſules ac Principes datæ, (quas reſcripſit in Annalibus Eccleſiaſticis Odericus Raynaldus) apertè demonſtrant : damus ipſa Joannis verba: inter cætera ſic ſcribit ad Archiepiſcopum Rhemenſem ; *Tandem die ſeptima menſis Auguſti in loco fratrum Prædicatorum Lugdunenſium, in quo reſidebamus, cùm ſimul pro præfato electionis negotio fuiſſemus congregati ; benignus ſapiens Spiritus noſcens tanta molimina, tam prolixa ipſius Eccleſiæ viduitati piè compatiens, cùm eam nollet ulterioris viduitatis incommodis ſubjacere, fratrum noſtrorum corda ſic adduxit ad Spiritus unitatem, quòd miro Dei, & Nobis nimirum ſtupendo conſilio ad imbecillitatem Noſtram oculos dirigentes, Nos tunc Portuenſem Epiſcopum ad ſuſcipiendum onus Nobis ex humano defectu importabile, curam videlicet univerſalis gregis Dominici, concorditer, nemine diſcrepante, elegerunt, atque Pontificem ſummum dixerunt. Nos autem difficultatem officii Paſtoralis, continui laboris anguſtias, & excellentiam dignitatis Apoſtolicæ infra noſtra præcordia recenſentes, noſtramque metientes virium parvitatem, timore ac tremore concuſſi vehementer haſitavimus, nec immeritò : quid enim tam timendum, tamque pavendum, quàm fragili la-*

Id ipſum colligitur.

bor, indigno ſublimitas, & dignitas non merenti? Verùm ne poſt ejuſdem vacationis tam diffuſa, & diſpendioſa tempora, obſtinata contradictionis reluctatio profuſioru diſpendii occaſionem induceret, Nos quoque de Noſtra, quam Noſter nobis animus atteſtatur, inſufficientia deſperantes, humiles noſtros ad montem illum convertimus oculos, unde Nobis ſpe multa promittitur auxilium opportunum; ſicq; de ſuperabundantia illius omnipotentiæ conceptâ fiduciâ, cui, cùm voluerit, ſubeſt poſſe, nec non de ipſorum fratrum Noſtrorum eminenti ſcientia, induſtria circumſpecta, & experientia multa in agendis comprobata confiſi, quorum ſano conſilio dirigi ſperamus in dubiis, & fulciri ſuffragiis in adverſis, in humilitatis ſpiritu conſenſum præbuimus electioni prædictæ, tantiq; oneris ſarcina imbecilles expoſuimus humeros debiles, miſimus manus ad fortia, & colla Noſtra hujusmodi jugo ſubmiſimus Apoſtolicæ ſervitutis, ſuppliciter implorantes, ut ipſe, qui per hujusmodi vacationem in maris mundi hujus altitudinem Nos deduxit, non patiatur Nos ab ipſius tempeſtate demergi &c.

Joanni Deipara Pontificatum prædicit.

Jam antè Joanni ſupremam in Eccleſia dignitatem prædixerat Deipara Virgo: Rem narrat Joannes Baptiſta Lezana in libro inſcripto *Maria Patrona*, his verbis: *Erat propè annum 1315. inter Purpura inſignitos Patres Cardinales unus, Jacobus Oſſa Gallus Caturcenſis in Aquitania natus, fortunâ humilis, corpore parvus, prudentiâ tamen, ingentique doctrinâ præſtans, corde magnus, acris & ſolertis ingenii. Hic cùm graviſſimis difficultatibus ſummi Pontificis electionem irretitam eſſe ille longo interregno, ſedeq; vacante videret, ad gratiæ thronum, & miſericordiæ aſylum beatiſſimam Virginem devotè orando recurrit. Aſtitit ergo Angelorum Regina, & Papatum promiſit.*

Commentū eluditur.

Commentum verò inane videtur, ipſum Neapoleoni Cardinali Urſino ſacramento antè ſe obſtrinxiſſe nunquam mula, vel equo vectum iri, niſi Romam ſe conferret, promiſſa verò cavillo eluſiſſe, nec impoſterum iter niſi pedibus aut flumine confeciſſe.

Scribit encyclicas litteras.

De ſuſcepto Pontificatu certiores illicò fecit totius Orbis Chriſtiani Præſules, & Principes encyclicis litteris: quibus primos ad inſtruendos & paſcendos probè populos, ac partienda Apoſtolatus onera adhortatur: ſecundos ad rem Chriſtianam tuendam, ac decretam in Concilio Viennenſi expeditionem in Sarracenos conficiendam incitat.

Clericos terrore juſtitiæ in officio retinet.

Ad ſummovendos verò juſtitiæ terrore à flagitiis Clericos, ne Eccleſiaſtica freti immunitate temeritati habenas relaxarent, Canonum ſacrorum religione Philippum exolvit, ſi ſæcularis fore ſatellitio facinoroſi Clerici certis in caſibus comprehenderentur. Privavit etiam Clericalibus privilegiis (Gregorii X. Pont. exemplo) Clericos conjugatos, ſive monogami, vel bigami eſſent; & alios, qui tonſura & habitu decori, gererent magiſtratus ſæculares atque etiam pœnâ ſanguinis ſontes afficerent; ut verò onera ſubterfugerent, prærogativam Clericalem prætendebant.

Perduellem Epiſcopum ſupplicio afficit.

Hugonem Gerardi Aquitanum, Gallum, Cartucenſem Epiſcopum, quòd in ipſius cædem conſpiraſſet, Sacerdotio & Epiſcopatu abdicare coëgit: tum omnibus Pontificalibus inſigniis exutum, degradatumque, ut more majorum in eum animadverteretur, Curiæ ſæculari tradidit, cujus judicio candentibus forcipibus laceratus, poſtremo igni adjudicatus, combuſtusque eſt anno 1316.

Cùm

Cùm Armeni ad Romanæ Eccleſiæ gremium eſſent revocati, ne inter eos fidei Catholicæ puritas exoleſceret, Pontifex aperienda in Armenia Gymnaſia cenſuit, in quibus Armeni Latinam linguam diſcerent. Utque major Interpretum copia foret, injuncta eſt ea Prædicatoribus provincia, ut ſimul ad erudiendos Armenos incumberent. Illi autem divina luce colluſtrati, litteras & Oratores ad Romanum Pontificem direxerunt, ut incorruptæ fidei formam à Sede Apoſtolica, veluti puriſſimo fonte peterent. Delibutus itaque Joannes magno lætitiæ ſenſu, Apoſtolicum ſtudium ad revocandos ad gremium Eccleſiæ Armenos, qui in Perſide verſabantur, contulit; legavitque in illas regiones Guillelmum magnæ religionis virum, quem Soltanienſem Archiepiſcopum creavit.

Gymnaſia in Armenia aperit.

Armeni Oratores ad Pontificem.

Aggregatus quoque Romanæ Eccleſiæ eſt Oroſius Serviæ Rex, ad quem Joannes, ut in cœptum opus perficeret, direxit Bertrandum Brundiſinum Archiepiſcopum, Bernardum è Parma Canonicum Averſanum, & Joannem Dominicani Ordinis Theologum. Conſuluit quoque Joannes Pontifex Septentrioni, in quo ampliſſimæ gentes infidelitatis gelu conſtrictæ hactenus, divini amoris ardore viſæ ſunt colliqueſcere. Ad quas fide orthodoxa imbuendas decreti ſunt Apoſtolici Nuncii Bartholomæus Epiſcopus Electenſis, & Bernardus Abbas Monaſterii S. Theofredi Ancienſis Diœceſis: quibus data provincia eſt, ut ex omnibus religioſis Ordinibus viros, pietate ac doctrina inſignes, in laboris & gloriæ promulgandi apud Lituanos & Ruthenos Evangelii ſocietatem aſciſcerent. Cùm infeſtata quoque eſſent Norvegiæ, Sueciæ & Gothiæ Regna variis Paganorum incurſionibus, qui graves earum partium Chriſtianis clades intulerant, ad quos propulſandos cùm Magnus Rex Apoſtolicæ Sedis auxilia imploraſſet, Joannes mediam illi è vectigalibus Eccleſiaſticis collectæ ſexennalis in Syriæ res convertendæ partem attribuit, ac Nunciis Apoſtolicis imperia dedit, ut eam illi erogarent. Propagandæ inſuper inter infideles religionis ex Apoſtolico munere ſolicitus Romanus Pontifex, plures religioſos viros ad excolendas fide barbaras nationes tranſmiſit, ac Prædicatoribus Comitia Ordinis Toloſæ celebraturis partes dedit, ut quinquaginta ex ſacra ipſorum familia virtutibus & ſcientia inſtructos, ac fortes ad ferendos labores, mitterent. Plures etiam è Minorum Ordine in Perſidem, Indias, aliaſque remotas plagas, ut gentibus Evangelium inferrent, miſſos refert Lucas Waddingus in Annalibus Minorum.

Serviæ Regi, ac Septentrioni conſuluit.

Converſioni gentium ſtudet.

Ad revocandos etiam ad ſinum Eccleſiæ à diuturno Schiſmate Aſiaticos Græcos, Joannes religioſos viros zelo ac ſapientia præditos tranſmiſit in Cappadociam & Galatiam, ut populos illos vera religione excolerent: Tùm Imperatorem Trapezuntinum, Raſſiorum, Tephelicenſium, & Choracicenſium Reges, & Principes ad redintegrandam Eccleſiarum illarum cum Romana conjunctionem ſuis literis excitavit. Æthyopum quoque Imperatorem ad veram religionem allicere ſtuduit. Penetrârant Evangelii præcones ad Montes *Albors*, atque in iis innumeram hominum multitudinem è ſuperſtitionis tenebris eductam ad ſacra baptiſmalia pellexêre. Aggregati itaque

Proficit in dilatanda fide.

que ii numerum filiorum Dei, à ſupremo in terris Chriſti Vicario veram fidei puritatem haurire cupidi, Sacerdotes peritos ab Apoſtolica Sede ad ſe mitti popoſcerunt. Annuit piis eorum votis Joannes, & Guillelmum de Gigiis Epiſcopum Tauritienſem, aliosque plures ex Prædicatorum Ordine viros, qui ipſos Evangelica Luce imbuerent, eisque orthodoxæ fidei formam, quam Romana profitetur Eccleſia, explicarent, tranſmiſit.

Monitis ac cenſuris Principes ad ſaniora reducit.

Summo quoque ſtudio gregem ſibi commiſſum Joannes ſervare curavit. Quare cùm Robertus ex Atrebatenſium Comitum ſtirpe genitus Atrebatenſem Comitatum invaſiſſet, ad extinquendum incendium illud, quod non in Galliæ modò, verùm in rei etiam Chriſtianæ exitium ſerpebat, cùm Philippus Longus illo bello detentus, inſtituendæ, quam voverat, expeditioni ſacræ in Syriam ſe comparare non poſſet, nervos omnes intendit, & Abbatem S. Tiberii Agathenſis Diœceſis, ac Berengarium è Landora religioſæ Prædicatorum familiæ Magiſtrum ad diſſentientes Principes miſit. Ad redigendos verò in ordinem Principes Galliæ diſcedentes ab officii religione in Philippum Regem, atque ad alios ſanguine conjunctiſſimos conciliandos, direxit Nuncios Raynaudum Archiep. Bituricenſem, & Berengarium è Landora, quos Pontifex incutiendarum conjuratis Proceribus, ſi ipſos ſalutaribus monitis ad officium adducere non poſſent, cenſurarum, ac eorum ſubditos omni fidei & obſequii religione liberos pronunciandi auctoritate inſtruxit.

Pacem procurare ſatagit.

Cùm autem Robertus Siciliæ Rex irâ ageretur in Fridericum Trinacriæ Regem, quia violata pace, & cum Henrico VII. Imperatore coitione conflatâ, factâ Calabriæ irruptione, nonnullas arces eripuerat, nec Trinacrii Regis nomine contentus, Siculum ſibi arrogaverat; ad propulſandas calamitates inde ob orituras Guillelmum Trecenſem Epiſcopum, & Petrum Textoris, plurima inſtructos auctoritate miſit, ac Fridericum Regem ad ereptas Roberto arces reſtituendas, cùm ſine ea re pax coire non poſſet, graviſſimis literis eſt adhortatus. Partes inſuper Nunciis dedit, ut Fridericum ſi rapta reſtituere Roberto abnueret, devincirent anathemate, atque illius terras interdicto percellerent.

Turbulentũ Italiæ ſtatum componere ſtudet.

Laniabatur Joannis quoque tempore bellis civilibus Inſubria, quæ non ſolùm diſcors duorum Principum Ludovici Bavari, ac Friderici Auſtriaci electio, ſed vetera etiam Guelphorum & Gibellinorum infeſta nomina pepererant. Auxêre malum Ugucio Fagiolanus, qui Gibellinorum potentiâ fretus cùm Piſas armis recuperare moliretur, haud impunè propulſatus eſt: Genuenſes, qui excitatis novis diſcordiarum incendiis, Rempublicam in magnum diſcrimen adduxerant: Gibellini Inſubres, qui prævia agrorum depopulatione, Cremonam obſidione cinxerant: Veronenſes, qui correptis armis in Patavinos hoſtes conſurrexerant. Ad quæ, & alia imminentia mala ſopienda Joannes Apoſtolico zelo impulſus, viros Religioſos virtute, rerumque peritia præſtantes tranſmiſit, nimirum Bertrandum è Turre Minoritam, & Bernardum Guidonem Dominicanum, ſacræ fidei in Galliis Cenſorem, quos auctoritate apoſtolica

Google

lica inſtruxit ad diſſolvendos omnes impietatis nexus, & coitiones ſacramento confirmatas reſcindendas. Tum etiam Principibus Italis Romano Imperio obnoxiis, Eccleſiaſticis, & Laicis impensè commendavit, ut ſaluberrimis eorum monitis faciles ſe præberent. Propoſuit enim ſub oculos, ingentia mala, quæ ex ipſorum diſcordiis emergerent; animarum diſcrimina, quæ in caducis opibus comparandis ſubirent; paternum denique amorem ſuaviſſimis verbis, è Prophetarum oraculis petitis explicuit. Matthæo Vicecomiti cenſurarum Eccleſiaſticarum contemptori judicium hæreſeos intendit: Raynaldum Paſſarinum Mantuani Vicariatus, Canem Scaligerum Veronenſis Præfecturæ invaſores in jus vocavit: Ferrarienſibus, qui à fide Clementi V. præſtita defecerant, & Raynaldo Opizoni rebelli anathema incuſſit. In Recinetenſes, Auximanos, Fanenſes, qui perduellionis ſigna erexerant, & Eccleſiaſticæ ditionis Urbes, oppida, & vicos aliquot occupaverant, & incenderant, egit legibus; intendit judicium; ac cenſuras, demum & arma expedivit. Exutum eſt ejus perduellionis occaſione Recinetum Epiſcopalis ſedis dignitate, quæ Maceratam ob egregia illius Urbis in Eccleſiam ſtudia traducta eſt XII. Kal. Decembris anno 1323. uti publica Maceratenſium monumenta, apud Oldoinum & alios videnda, teſtantur.

Refractorios cenſuris terret.

Plena pariter turbarum erat Caſtella ob Joannis & Petri Principum, impuberis Alphonſi Tutorum mortem, Proceribus fidei oblitis ad rerum faſtigium annitentibus. Cùm enim Reginæ imbecillitas, graviſſimis Regni curis impar, pleriſque contemptui eſſet, Joannes Emmanuel remotior ſtirpe, ſed florens opibus, ac regio ſanguine ſatus, Regiæ procurationis provinciam invaſit injuriâ, ac maximos motus peperit; eoque diſcordia progreſſa, ut non Provinciæ modò, ſed etiam Urbes factionibus ſciſſæ, magnos ſtudio partium tumultus ederent. Romanus Pontifex de calamitoſo rerum ſtatu certior factus, Joannem Emmanuelem Apoſtolico zelo admonuit, regio Tutoris nomine & abſtineret; Compoſtellanoque ac Toletano Archiepiſcopis, & Epiſcopo Burgenſi provinciam dedit, ut ad ſopiendas inter Principes diſſenſiones ſummum ſtudium conferrent, ac Joannem Emmanuelem quovis modo à ceptis abducerent. Perſtrictus tamen Joannes Emmanuel ambitione, aures monitis avertebat, atque ita diſſenſio illa majores in dies inferebat calamitates. Ut his mederetur Chriſti Vicarius (cui pupillorum ac viduarum cura incumbit) Guillelmum Sabinenſem Epiſcopum Cardinalem Apoſtolicæ Sedis Legatum, ſumma pro eo munere fungendo, ac rebus componendis auctoritate inſtructum miſit, ut tumultuantes pacificaret, ac cenſuris Eccleſiaſticis nobiles viros Caſtellam turbantes, & cum iis ſentientes populos percelleret.

Caſtellæ ſeditionibus vexatæ pacem procurat.

Conatus quoque eſt omni opera Pontifex diſcordiarum flammas in Angliæ & Scotiæ Regnis excitatas extinguere: quare Præſules nonnullos ob violatum Eccleſiaſticum interdictum; ac Robertum Bruſſium Scotiæ Regem, ob non ſervatas inducias, ac factas in Anglia populationes, Templa everſa direptaque, judicio poſtulavit. Et quoniam citati, die conſtituta ad dicendam coram Sede Apoſto-

Scotiæ & Angliæ diſcordias extinguere ſtudet.

poſtolica cauſam non comparuiſſent, illos tanquam contumaces anathemate defixit. Cùm verò ad Sedem Apoſtolicam proximo ab ea lata ſententia tempore Roberti Bruſſii Oratores ſe contuliſſent, ut Roberto Pontificis animum conciliarent, flexêre Joannem Pontificem, ut cenſuras ad anni ſubſequentis Kalendas Aprilis diſſolveret, ut illius temporis ſpatio Anglos inter & Scotos pax ſtabiliri poſſet, vel induciæ haberentur, prout revera Pontificis ſtudio biennales indictæ ſunt. Pari zelo etiam alios Principes Chriſtianos, ſublatis eorum diſcordiis, amicitia & fœdere conjunxit, ut fuſiùs enarrat Oldoinus in Joanne.

Epiſcopatus varios erigit. Ut verò animarum ſaluti conſuleret, plures quaquaverſum Epiſcopatus erexit; videlicet in Narbonenſi Diœceſi Electenſem. & Sancti Pontii; in Albienſi Caſtrenſem; in Agennenſi Condomienſem; in Lemovicenſi Tutellenſem; in Petragoricenſi Sarlatenſem; in Claromontenſi Sanflorenſem; in Ruthenenſi Vabrenſem; in Pictavienſi Malleacenſem; & Lucianenſem: quos omnes, adhibitis idoneis viris, ſuis limitibus circumſcripſit. Neque eos modò Epiſcopatus erexit Pontifex, ut animarum ſaluti conſuleret, verùm ad *Eccleſias Collegiales condit.* augendum divinum cultum plura Canonicorum Collegia in Eccleſiis, in quibus ſolemni ritu divina res peragèretur, ac Numinis laudes perſonarent, excitavit. Ultra hæc Soltanienſem Sedem Patri-*Soltanienſem Patriarchatum erigit.* archalem in Perſide erexit, eique Francum Peruſinum egregium Ordinis Prædicatorum virum præfecit, ac laboris, & gloriæ ſocios Suffraganeos ſex Epiſcopos ex eodem ordine adjunxit. Eidem Soltanienſi Patriarchæ provinciam impoſuit, ut ſi pluribus Epiſcopis ad Evangelii limites extendendos opus haberet, ipſos conduceret, atque excitis duobus Catholicis Antiſtitibus, auctoritate Apoſtolica ſacris Pontificalibus initiaret; quos cùm è vivis excedere contigiſſet, ut Prædicatorum Sodalitia earum Eccleſiarum curam gere-*Epiſcopatum Caffenſem inſtituit.* rent, conſtituit. Caffenſem quoque Epiſcopatum in Aquilonari Tartaria inſtituit, & Hieronymum, quem Clemens V. in Tartariam ad eos populos veteris ſuperſtitionis tenebris oblitos, Evangelii luce colluſtrandos direxerat, dignitate illa donavit.

Academiam Peruſinam amplificat. Porrò Peruſinam Academiam donis ac privilegiis ampliavit, ac juſſit, ut in ea, præter Jus Canonicum & Civile, etiam Medica ars, ac Philoſophia docerentur. Grandem pecuniam ad Leonem Armeniæ Regem pro erudienda juventute, ac ſuſtinendis belli Sar-*Pacem in Miſſa peti mandat.* racenici ſumptibus miſit. Irruentibus variis in Romanam Eccleſiam perſecutionibus, mandavit Joannes, ut in Miſſæ Sacrificio poſt *Agnus Dei* loco *Miſerere nobis* ultima vice diceretur *Dona nobis pacem*: quod tamen Gavantus, improbantibus aliis, Innocentio III. tribuit.

Ludos prohibet. Cùm Ludi parùm honeſti, & à Chriſtianorum more abhorrentes Neapoli ederentur, in quibus exercendarum virium ſpecie, plurimus ſanguis humanus fundebatur, Joannes ut abolerentur, edicto ſanxit: ac inſuper objecta anathematis religione edixit, ne quis Avenione, aut in illius ſuburbiis, dum Pontificia aula ea in Urbe verſaretur, haſtiludia exhiberet.

Ordinem S. Pauli primi Eremitæ diplomate confirmavit: Inſtituit

Digitized by Google

ſtituit & novum ordinem militum Chriſti in Luſitania, qui Sarracenis Bæticam & Africam incolentibus reſiſterent. Ordinem autem Grandimontenſem quorundam improborum diſſolutione labefactatum, ad primævum vigorem reduxit, impſumque Monaſterium Grandimontenſe, quod hactenus ſub Priore fuit, Abbatis titulo decoravit. Inter ſanctos Confeſſores duos Thomas retulit, ambos eruditione, miraculis, & vitæ ſanctitate claros: Thomam ſcilicet Epiſcopum Herfordienſem, Anglum; & Thomam Aquinatem, Ordinis Prædicatorum ſidus luciſſimum. Hæreſim Fraticellorum, edita deſuper Conſtitutione, quæ incipit *Glorioſam &c.* damnavit, eliminavitque.

Ordines confirmat: inſtaurat: & inſtituit.

Sanctorum numerum auget.

Fraticellos eliminat.

Singulari quoad vixit amore in Deiparam Virginem MARIAM ferebatur: Quare ad incendendam in ejus cultum fidelium pietatem (cùm pius mos in Sanctonenſi Eccleſia ſuſceptus eſſet, ut vergente in noctem die campana ad recitandam ſalutationem Angelicam pulſaretur) decem dierum indulgentiam iis, qui piè ter illam flexis genibus funderent, conceſſit. Singulis inſuper Canticum Salve Regina devotè recitantibus Quadragenam de theſauro Eccleſiæ indulſit. Prolationem verò ſanctiſſimi nominis MARIÆ, ut ejus eſſet frequentior invocatio, quinquaginta dierum indulgentiis ditavit. Quin & nonnulla Collegia, Cœnobia, Sacerdotia, Templa, Oratoria, Altaria, Xenodochia in ejuſdem glorioſæ Virginis honorem erexit, dotavitque.

Pietate in Deiparam fervet.

Huic Joanni Romano Pontifici eadem Virgo ſanctiſſima apparens juſſit, ut non ſolùm Carmelitarum ordinem, aliorum ſummorum Pontificum exemplo confirmaret, verùm etiam devotionem Scapularis adaugeret. Propterea in utriuſque favorem Diploma (*Sabbatinum* dictum) edidit, legendum apud Joannem Baptiſtam Lezanam *in Maria Patrona*, & apud Hippolytum Marraccium *in Pontificibus Marianis*.

Carmelitarū ordinem confirmat.

Cæterùm acerrimum diſſidium, quod Joannem inter & Ludovicum Bavarum, ejuſque Idolum Petrum de Corbario, multo tempore, nec ſine ſcandalo, cædibus, rapinis, cenſuriſque interceſſit, leges *libro 2. Purpura docta in vita Petri Aureoli Card. num. 39.* Non enim, quæ alibi ſat fusè tractavimus, repetere hoc loco vacat. Ne tamen neſcius ſit lector, quis fuerit iſte Bavarus? brevem hominis actorumque ejus deſcriptionem ex idoneis auctoribus ob oculos ponam.

Diſſidium cū Bavaro alibi legendum.

Vidit annus Chriſti 1322. Imperatorem Ludovicum Bavarum poſt interregnum octennii, quo diviſis Electorum ſuffragiis, hinc Ludovicus Bavarus, inde Fridericus Auſtriacus Germaniam ſeditionibus, apertoque bello diviſerant. Tandem poſt multa prælia ultimò captus Auſtriacus, vir fortiſſimus, cùm ſua manu quinquaginta hoſtium confodiſſet, fortunâ fortitudini infensâ, ſibi captivitatem, Imperium æmulo peperit: quo tamen abuſus ad ruinam Pontificum, poſtremò ruinâ quam apparabat obrutus eſt. Quippè in Italiam infeſto cum agmine profectus, Gibellinorum factionem inſtauratam pro viribus in Joannem XXII. inflammat: Romæ in ipſa veritatis Sede Corbarium Minoritam Pſeudopontificem ſub

Ludovici Bavari vita ſynopſis.

Nicolai V. nomine, à quo coronam acciperet, collocat : fraterculos quoſdam Corbarii aſſeclas, & ob ſcelera damnatos fovet ac tegit : ac demum poſt multa impietatis edita ſigna, ſacrilegiis plenus redit in Germaniam coronâ auctus, ſed infelici, & pontificiis exerationibus juſtè devotâ. Tandem Clemente VI. (ut ſuo loco dicturi ſumus) Joannis XXII. & Benedicti XII. diris rem addente, Electores ab ipſo ceu exauctorato exciti, Carolum Bohemiæ Regem, abdicato Ludovico, Cæſarem dixerunt. Ludovicus haud multò pòſt, veneno, ut ajunt, potatus, cùm illud in venatione motu excutere ſatageret, equo lapſus diem clauſit extremum : hoc uno felix, quòd priuſquàm expiraſſet, cœlum pœnitens inclamârit.

Joannes Papa piè moritur.

De Joannis obitu varii variè pro affectu loquuntur : Nos omiſſis Novatorum calumniis ac impoſturis, quæ vera ſunt referemus Piè admodùm in extremo vitæ actu ipſum ſe geſſiſſe, ac deceſſiſſe docet, præter Joannem Villanum, antiquus Codex Vaticanus in hæc verba : *Anno Domini 1334. Papa Joannes beato fine quievit Avenione, die IV. menſis Decembris, Pontificatus ſui anno decimo nono nondum completo : cujus corpus fuit in majori Avenionenſi Eccleſia cum honore debito traditum ſepulturæ.* His conſentanea refert Ptolemæus Lucenſis auctor coævus ac bonæ fidei, qui plura digna commemoratione conjungit. *Anno 1334.* (inquit) *cùm Papa Joannes duabus arduis cauſis valdè diligenter intenderet, ſcilicet creationi Imperatoris novi, in quo facto Rex Philippus Francorum, & Joannes Rex Bohemiæ filius Henrici Imperatoris ſibi multùm favebant ; & determinationi Quæſtionis Viſionis, an ſcilicet Sancti in patria ante Reſurrectionem haberent viſionem eſſentiæ divinæ ? Dum prædictis, inquam, & aliis cauſis ſollicitus intenderet, & IV. Nonas Decembris Conſiſtorium mandaſſet, ut aliquas proviſiones quibusdam faceret, in nocte præcedenti Nonis prædictis poſt cœnam, & primum Galli cantum invaſit eum morbus, & omiſſo ſic Conſiſtorio illa die IV. Nonas Decembris nihil fecit, ſed III. Nonas die ſequenti poſt Veſperas fecit vocari omnes Cardinales, qui erant Avenione. Tunc Papa coram illis diſpoſuit ritè & legitimè Teſtamentum ſuum, recommendans ſanctam Eccleſiam, & nepotes ſuos Cardinalibus, & ſic poſt auditam Miſſam in aurora diei, & communione percepta orando migravit ad Dominum, poſtquam ſediſſet annos octodecim, menſes quatuor, minùs duobus diebus.* Non deſunt, qui ſcribant Joannem divinitùs è vita præreptum, ne in decernenda *de Viſione beatifica* Controverſia aberraret. At quid miraculi mors in homine nonagenario habet? quidve periculi ſuberat in decernenda quæſtione Viſionis beatificæ, cùm à Spiritu ſancto regendus eſſet, in ferendo Decreto fidei, illius ut præcipui auctoris adminiſter tantùm futurus ? Cæterùm Joannem Papam tantam auri vim in theſauris reliquiſſe, quantam nullus ante ipſum Pontifex, ſcribunt Platina, Maſſonus, Genebrardus, & alii; nimirum decies & ſepties aureorum centena millia. Qua verò ratione tantam auri ſummam Joannes collegerit, explicat Ciaconius in vita, qui, ſi vacat, conſuli poteſt. Quàm porrò injuſtè impudicitiæ nota accuſatus ſit Joannes à nonnullis maledicis, diximus in Purpura docta *lib. 2. num. 27.* circa finem. Neque etiam Franciſcano ordini adverſatum eſſe, oſtendimus in eadem Purpura *num. 11. & 26.* Juverit etiam in favorem Joannis legiſſe Oldoinum & Victorellum

Præclarum Ptolomæi teſtimonium.

Ingentem pecuniæ vim Eccleſiæ reliquit.

in No-

in Notis ad Ciaconium ; & Gretſerum *cap.58. Examinis Myſterii Pleſſaani,* qui Mornæum putidum hæreticum multa inſulsè deblaterantem pro meritis caſtigat.

SCRIPTA.

Edidit Joannes vir eruditiſſimus *de Contemptu Mundi* libellum, lucubrationibus ſpiritualibus à Patricio Turritano illuſtratum. *Joannis Scripta.*

Scripſit quoque Latino ſermone *Artem Metallorum Tranſmutatoriam*; quod Opus incerto auctore ex Bibliotheca Antonii Verderii prodiit Lugduni anno ſalutis 1557.

Sermones *de B. Virgine*, quos m.ſſ. apud Gabrielem Naudæum aſſervari fatetur Ludovicus Jacobus à S. Carolo.

Sermones item alios *de Viſione Beatifica*, qui cuſtodiuntur m.ſſ. Catabrigiæ in Bibliotheca publica.

Conſtitutiones viginti Apoſtolicas, quas appellare decrevit *Extravagantes.*

Retractationem de Quæſtione ; *Num animæ Sanctorum non fruantur Dei viſione ante judicium extremum ?* Editam autem fuiſſe à Joanne *de Viſione animarum* fidei profeſſionem conſentiunt ipſi Adverſarii ; inter quos Nicolaus Pſeudominorita Schiſmaticus hæc refert : *Anno Domini 1334. die 3. Decembris Dominus Joannes XXII. gravi infirmitate detentus (de qua quarta die dicti menſis mortuus eſt) quandam Conſtitutionem, ſeu Ordinationem mortui propinquus fecit &c.* Ex quibus impoſtor Calvinus refellitur, qui odio in Romanam Eccleſiam objicere non erubuit, Joannem XXII. ſenſiſſe *animas eſſe mortales* uſque ad extremum Judicii diem. Alienus certè ab hac ſententia Joannes fuit, ſed ſolùm opinatus eſt aliquando, re nondum definita ſanctorum Patrum teſtimoniis, animas Sanctorum nonniſi poſt Judicium latâ decretoriâ ſententiâ *Venite Benedicti &c.* divinitatem intuituras. Mentitus eſt etiam Calvinus, cùm dixit, neminem Cardinalium ſententiæ Joannis reſtitiſſe : extant enim in Bibliotheca Vaticana, erudita Jacobi titulo S. Priſcæ Presbyteri Cardinalis, & Epiſcoporum ac Doctorum Commentaria in adverſam partem tunc edita, luculenti mendacii Calvinum ejuſque ſequaces convincentia. *Calvinus refellitur.*

Porrò Regeſti Joannis Volumina complura extant in Bibliothecis Vaticana, Fuxenſi, Barberina, Avenionenſi manu ſcripta, ut teſtatur Oldoinus.

Scripſit quamplurimas Epiſtolas ad Præſules, Reges, Principes, Magiſtratus in cauſa propagandæ fidei datas : harum nonnulla argumenta ſeu capita recenſet Oldoinus *in Additionibus ad Ciaconium* : Odericus verò Raynaldus plures *in Annalibus Eccleſiaſticis* integras exhibet, uti etiam Ferdinandus Ughellius *tomo primo. Italia ſacra.*

ordini nomen dediſſe ſuum. Hi tamen omnes facillimè erroris arguuntur ex ejusdem Benedicti literis ſuperiùs allegatis, ubi ſe ab adoleſcentia ſua jugum Ordinis Ciſtercienſis perſeveranter ſuſtuliſſe, ac in eo alumnum effectum per diuturna temporum curricula creviſſe disertè teſtatur. Sunt & aliæ ejusdem Pontificis literæ in ipſo ſui Pontificatus exordio, Quinto nimirum Idus Januarii, anno regiminis primo Avenione ad Abbates Ciſtercienſes datæ, quas integras in lucem edidit Ferdinandus Ughellius Abbas Ciſtercienſis tomo primo Italiæ ſacræ: harum initium eſt tale.

Benedictus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei,

Dilectis filiis Abbati Monaſterii Ciſtercii, cæteriſq; Coabbatibus, & eorum Conventibus Ciſtercienſis Ordinis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Benedicti litera ad Abbas Ciſtercienſes.

In his literis circa medium hæc ſcribit Benedictus: *Nos igitur, qui juventutis Noſtra tempora in ordine veſtro peregimus, ſub ſancta obedientia imperio, & obſervantia regulari, ac in eo effecti alumni, in dignitatis & adminiſtrationis ſtatu ſuimus operoſi; nec non de illo per Apoſtolica Sedis providentiam ad Pontificalis eminentia titulum, & deinde ad apicem Cardinalatus pervenimus, ac demum, ſicut ex præmiſſis colligitur, Nos quamquam immeritos in ſummi Pontificatus Cathedram ſuprema dignatio collocavit; eò affectuoſiùs & devotiùs charitati Veſtra precum Noſtrarum primitias deſtinamus, quo ſpiritualiùs, & firmiùs credimus, & tenemus, quòd ille apud Vos locum ſibi præcipuum vindicabunt.* In his, aliiſque literis nullum profert verbum de Ordine Carmelitarum, cujus procul dubio mentionem aliquam ingeſſiſſet, ſi illi aliquando obſtrictus fuiſſet. Quæ verò in Epitaphio Romano exponuntur, non ſpectant ad hunc noſtrum Benedictum, qui non jacet Romæ, ſed Avenione, ut dicemus infrà, nec illum Roma, ſed Avenio thiara Pontificia ornavit. Ab ineunte igitur ætate Benedictus, ante Pontificatum Jacobus Furnerius nuncupatus, ex monacho Balbonenſi Frigidifontis Abbas, ex Abbate verò Epiſcopus Appamienſis, & Mirapicenſis, deinde Cardinalis *Albus* dictus eſt, an à patris farina, an à veſte Ciſtercienſi? dubio eſt locus: crediderim ego ab animi candore, morumque munditia, qua maximè toto vitæ decurſu enituit, id genus vocabulum ſortitum. Sed jam ad inſtitutum.

Anno Dominicæ Nativitatis 1335. ipſis Kalendis Januarii redimitus Pontificia thiara Benedictus, illicò encyclicis literis Orbis Chriſtiani Præſules, Reges, ac Principes de ſua electione certiores reddidit, eoſque ad fundendas pro ipſo preces, ut pro dignitate Pontificatum gereret, atque ad conjungendas in paſcendo grege Dominico, ac re Chriſtiana provehenda curas excitavit. Explicuit deinde Apoſtolicum zelum in omnes, ut omnes ad ſanctiorem vitam revocaret.

Encyclicas literas de ſua electione ſcribit.

In Caſtella impuritas libidinum Eccleſiaſticos æquè ac laicos infecerat, ac plerique vitam inquinatiſſimam abjecto omni pudore ducebant. His malis, ut occurreret Pontifex, & Chriſtianam diſciplinam reſtitueret, literas ad Caſtellæ & Legionis Antiſtites dedit, monuitque ejusdem Caſtellæ Regem, ut ad exſcindenda laicorum vitia, qui contempto matrimonio in concubinatûs & adulterii

Publicæ honeſtati conſulit.

cœno

cœno volutabantur, ac innoxium fundebant cruorem, & rapinas exercebant, regiam auctoritatem admoveret. Ad abolendos quoque nefarios abuſus, qui Romæ irrepſerant, Joannem Epiſcopum Anagninum, ſuum in Urbe Vicarium conſtituit, ac Philippum è Camberlaco juſſit animadvertere in eos, qui cùm à peregrinis è remotioribus oris ad luſtranda limina Apoſtolorum accedentibus interpretes adhibiti eſſent ad ſacras exomologeſes, confitentium crimina evulgabant, vel ad extorquendas pecunias illa ſe in publicum edituros minitabantur. Conſuluit deinde huic rei Benedictus inſtituendo, vel potiùs antiquum Pœnitentiariorum munus in Urbe reſtaurando.

Abuſu tollit.

Pœnitentiarios reſtituit.

Non modò literis, ſed Apoſtolicis quoque Nunciis impulit Germanos Principes, ut Ludovicum Bavarum, omneſque alios Schiſmatis laqueis irretitos ad Eccleſiam pellicerent. Cùm verò Bavarus ſæpiùs admonitus ſua in pertinacia perſiſteret, optimique Pontificis monita contemptui haberet, Benedictus juſtâ irâ commotus, cenſuras à Prædeceſſore ſuo in eum latas confirmavit, illumque Imperio exauctoratum declaravit. Veritus autem, ne vacante Imperio Italia ab externo aliquo hoſte invaderetur, Luchinum Vicecomitem, & Joannem ejus fratrem Archiepiſcopum Mediolanenſem, Mediolani, aliarumque Urbium, quas poſſidebant, Vicarios conſtituit. Eandem quoque poteſtatem Maſtino Scalæ Veronæ & Vincentiæ; Philippo Gonzagæ Mantuæ & Rhegii, Albertino Carrario Patavii; Obicioni Eſtenſi Ferrariæ, Mutinæ, & Argentæ, ſuo jure (ut ipſe dicebat) tribuit, quòd vacante Imperio, omnis ejus poteſtas in Pontificem Romanum, ceu JESU Chriſti ſupremi Regis unicum in terris Vicarium recideret. Obicioni tamen Eſtenſi hoc vectigal impoſuit, ut quotannis decem millia aureûm numûm Romanæ Eccleſiæ perſolveret.

Ludovicum Bavarum damnat, & Imperio privat.

Vicarios Imperii in Italia conſtituit.

Et cùm emerſiſſent, vel potiùs recruduiſſent profligata jam annis ſuperioribus varia hæreſûm monſtra, videlicet in Hibernia Magi; Waldenſes in Gallia Lugdunenſi; in Italia Fraticelli, aliique impudicitiæ effrænatæ dediti; Schiſmatici in Germania; in Dalmatia & Bohemia alii, qui novos errores ſimplicibus afflabant: Adversùs hæc monſtra Apoſtolico zelo pugnavit Benedictus; ac Regum & Principum potentiam, opem Magiſtratuum, Epiſcoporum zelum, Cenſorum fidei diligentiam qua literis, quà nunciis ad ea exterminanda imploravit: quorum appoſito ſtudio tantam impietatem brevi magna ex parte jugulatam vidit. Sunt innumera alia ſanctiſſimi hujus Pontificis in Eccleſiam præclara opera, paſtoralem ejus zelum ac vigilantiam teſtantia, apud Bzovium, Ughellium, Raynaldum, Oldoinum, ſed præcipuè Chryſoſtomum Henriquez videnda.

Hæreſes extirpare ſatagit.

Semel autem toto ſui Pontificatus intervallo ſex Presbyteros Cardinales in ſacrum Senatum adlegit, omnes viros egregios, ſeu virtutem ſeu doctrinam ſpectes: non de ſua ſtirpe, ſed undequaque ad tantam dignitatem vocatos. In Beneficiis Eccleſiaſticis conferendis id potiſſimùm cavit, ne indignis hæc darentur, ſæpè dicens: *Nolle ſe lutum ornare*: indignos enim illis honoribus luto comparabat.

[illegible] bendis ſtudet

bat. Agnatos quoque & conſanguineos fingebat ſibi ignotos eſſe aſſerens; *Pontificem Romanum conſanguineos non habere* : vel, ut ſcribit Cardinalis Ægidius, *Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, ſi verus futurus ſit, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia eſſe oportere.* Cùm verò multi quotidiè inſtarent, urgerentque, ut ſaltem optimos ex ſuo genere promoveret, ſupplicum preces verſiculo illo Davidis eluſit: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*, victus tamen continuâ piorum inſtantiâ, Guillelmum Album monachum Ciſtercienſem, nepotem ex ſorore, virum doctrina, ſanctitate, & morum elegantia clarum, infulisque Albienſibus decorum, inter Cardinales poſt multam deliberationem admiſit, proteſtando, ſe in eo exornando non ſanguinem, ſed virtutem ſpectaſſe.

Suos deſpicit

Tantæ præterea conſtantiæ fuit, ut dimoveri à recto vel vi, vel precibus, vel pollicitationibus nunquam potuerit. Bonos autem unicè diligebat, provehebatque: è contra malos ac ſceleratos cane pejùs & angue odio habebat. Cumque reliquis omnibus vitiis infenſiſſimus eſſet, tum verò proditores, perjuros, ac perfidos quàm maximè perſequebatur. Ludovico Bavaro toties fidem fallenti, aliquando reſpondit; *Dominum perfidiam ejus non impunitam abire permiſſurum.* Hancque cauſam fuiſſe narrat Henriquez, cur illum, quanquàm propenſum haberet erga eum animum, anathemate non exolverit.

Æqui recti tenax.

Ludovico Bavaro ob perfidiam infenſus.

Quantus verò fuerit hic Pontifex, quàm ſanctus, quo genere, quibus moribus ornatus, unico Petri Boërii Juriſconſulti celeberrimi encomio aperitur, qui in principio Commentariorum ſuorum in *Benedictinam* his eum laudibus ornat: *Benedictus (huic namque & Bonifacii, & Benedicti nomina congruunt, quia in ipſo vim, quam gerunt, profectò ſortita ſunt) Benedictus igitur hic nomine, vim Bonifacii vocabuli, ſemper ſtuduit opere exercere: fuit enim vita caſtus, ſtatu humilis, ſcientia plenus, moribus non genere nobilis, voce blandus, aſpectu bonis amabilis, malis terribilis: Magnates non verens, pauperes refovens, doctos provehens, corrupta depellens, viros idoneos ſublimans, indignos reprimens. In judiciis inſuper, factiſq; ſuis mirabilis: quoniam non ſecundùm carnem & ſanguinem, ſed in æquitate & juſtitia ambulavit. Meruit itaque thronum duodecimum poſſidere verè Benedictus in terris, pariter & eſſe convictor in cælis: nam bonis laboribus fructus retribuitur glorioſus.* Simili præconio eundem extollit Cardinalis Ægidius Viterbienſis, *Nihil eo*, ſcribens; *in ſervanda juſtitia durius; nihil in communi conſuetudine manſuetius; nihil in miſeris juvandis incitatius. Senatoriam poteſtatem adminiſtrari juſſit Eccleſiæ auſpiciis. Evangelii lectione, & obſervatione delectabatur unicè: pacis & tranquillitatis, quoad vixit, ex Principis ſuperni juſſu, ſtudioſiſſimus fuit. Nemo Benedictum ex obliquis actibus in crimen vocare potuit, tam ſolers, vigilans, circumſpectus, pius, juſti rectiq; tenax omnibus apparuit.*

Moribus probatiſſimis ac ſanctitate fulget.

Duos celeberrimos Ordines Benedictinum & Ciſtercienſem, ſenſim à primævo ſanctitatis vigore declinantes, adhibito doctiſſimorum utriuſque familiæ Abbatum conſilio & aſſenſu, Apoſtolica auctoritate in meliùs reformavit. Academiam Veroneníem inſtituit, & omnibus inſignibus auctorandi conſultos Theologiæ ac Philoſophiæ Magiſtros, largo Pontificiæ benignitatis munere condonavit:

Alia ejuſdem præclarè geſta.

navit: ſimili privilegio publicum Heidelbergenſe Gymnaſium à Ruperto Palatino Rheni erectum affecit, & confirmavit. Ædes Pontificias Avenionenſes cum turribus, viridariis, & pomariis, magnis ſumptibus inchoavit: Tectum Baſilicæ Vaticanæ cum collabente Baſilica, miſſis quinquaginta aureorum millibus, refecit: pulcherrimumque Templum Bernardinorum Lutetiæ Pariſiorum exædificavit, ac Collegium Ciſtercienſe ibidem maximis impenſis ampliavit, exornavitque.

Sancto fine quieſcit.

Denique vir ſanctus, longiore vita digniſſimus, de Deo atque Republica Chriſtiana optimè meritus, magniſque operibus clarus, ſeptimo ſui Pontificatus anno, ex tibiæ dolore, quam imperiti medici, ne flueret, cohibere conati ſunt, ſanctiſſimo fine deceſſit Avenione die 25. Aprilis anni 1342. ſepultus ibidem in Eccleſia principe S. Mariæ de Donis. Funus magnificè, ut par erat, curatum. In morte autem optimi & doctiſſimi Pontificis omnes collacrymarunt, idque in pompa funeris, qui aderant, fletibus & gemitu præſetulêre. Ingentem auri vim, non cognatis & affinibus, licèt plurimos eoſque egentes haberet, ſed Eccleſiæ ceu ſponſæ reliquit. Sacris ejus cineribus ſequens impoſitum Epitaphium refert Oldoinus.

Ejus Epitaphium.

Hic ſubſunt Cineres & Oſſa
BENEDICTI XII. PONTIF. MAX.
Qui fuit oriundus ex Oppido Savarduno Diœceſis
Appamienſis in Comitatu Fuxenſi, & appellabatur
Fr. Jacobus Furnerius, Monachus Ciſtercienſis,
Theologiæ Doctor eximius &c. Vir fuit doctrina
& vita integritate præſtantiſſimus, virorum
bonorum, & doctorum valdè ſtudioſus: multa
præclara ſtatuit tum ad morum, & præcipuè
Cleri reformationem, & Eccleſiaſticam diſciplinam
inſtaurandam ſpectantia. Sedit in Pontificatu
annos VII. *menſes* IV. *dies* VI. *Deceſſit in*
Avenionenſi Palatio, quod ipſe fabricari juſſerat,
ex tibia dolore, VII. *Kal. Maij anno MCCCXLII.*
Funus in præſenti Eccleſia magnificè curatum
fuit: omnibus, qui aderant, ob tanti Pontificis
necem collacrymantibus.

Miraculis claret.

Haud deſunt Auctores idonei, qui teſtentur Benedictum XII. poſt obitum miraculis claruiſſe. Id leges apud Chryſoſtomum Henriquez *libro 2. diſt. 4. in Faſciculo Sanctorum Ord Ciſtercienſ.* ubi ait, expreſsè id haberi in hiſtoria Gallica Romanorum Pontificum, quæ in Bibliotheca Patrum Minimorum Bruxellenſium aſſervatur. Conſentit auctor antiquus Anonymus Bibliothecæ Vaticanæ, qui poſtquam Benedictum agglomeratis laudibus extuliſſet, Encomium ejus claudit his verbis: *Sanctæ memoriæ Papa, re & nomine Benedictus, qui, ſi fas ſit ſcribere, poſt Martyres & alios, quos Eccleſia veneratur & colit ut Sanctos, inter meliores ipſe unus fuit, plenus magnis meritis, poſt multa virtuoſa, ac laude digna ſpiritum reddidit Salvatori anno Domini 1342. die 25. menſis Aprilis, ſepultuſq; fuit Avenione in Eccleſia majore, in qua adhuc*

jacet

jacet in Capella pro ipſo ſpecialiter fabricata, etiam miraculis coruſcando. Juverit etiam legiſſe ea, quæ ſcripſit Andreas Sauſſay in Martyrologio Gallicano ad Sexto-Kalendas Majas; quamvis errore lapſus ſit, dum corpus Benedicti Toloſæ quieſcere affirmat.

SCRIPTA.

Scripſit autem Benedictus vir undequaque doctiſſimus non contemnenda opera: videlicet, *Ejus Scripta.*

De ſtatu Animarum ante Judicium extremum libros duos.
Quæſtiones undecim ejuſdem argumenti.
Vitam S. Joannis Gualberti: quam Surius operibus ſuis intexuit.
Sermones per omnes anni feſtivitates, aſſervatos in Bibliotheca Vaticana.
De ſtatu Canonicorum.
Decretalem Religioſorum: aliam Decretalem
De Reformatione Benedictinorum.
De ſtatu nigrorum Monachorum.
Carmina quædam Prophetica.
Regeſtum Epiſtolarum, & Conſtitutionum in decem Tomos diviſum: quod extat in Bibliotheca Vaticana.
Librum unum contra errores Fraticellorum.
Volumen complectens nonnullas Quæſtiones in Durandum.
Commentaria in Pſalmos Davidicos.
Commentaria erudita & prolixa in Evangelium Matthæi.
Expoſitionem in Regulam S. Benedicti.
Sententias varias ab Hermanno Schedelio in Chronico Norimbergæ cuſo relatas.

Scribit Oldoinus S. J. in additionibus ad Ciaconium extare Romæ in Bibliotheca Vaticana Librum m. ſ. in ſex Tractatus diſpoſitum, à Benedicto Papa XII. compoſitum, in quo agit *de Viſione Beatifica*, & aliis Controverſiis Theologicis.

Regnante Benedicto obiit Andronicus Junior Græcorum Imperator, vitiis quàm virtutibus longè clarior: cui anno 1341. in Imperio ſucceſſit Joannes Palæologus filius ſub tutela Joannis Cantacuzeni. Sed ambitio fide potior uti Tutori Regnum, ſic pupillo mortem parabat, donec jam adulto pupillo (cui hactenus conſuluerat ætatis infirmitas) à Græcis in Monaſterium truſus eſt Cantacuzenus, in quo Hiſtorias ſcriberet: redditumque hoc modo Palæologo paternum Imperium. *Andronicus Imp. Orientis moritur ſuccedit Jo. Palæologus.*

ANNO CHRISTI MCCCXLII.

Imperatoribus Ludovico Bavaro, & Carolo IV. Auguſtis.

DE

CLEMENTE VI. Pontif. Max.

CC.

Clementis primordia.

Defuncto Benedicto XII. concordibus Patrum ſuffragiis Avenione in Monaſterio Prædicatorum ſuffectus eſt Petrus Rogerius Monſtrius, Gallus Lemovicenſis, Guillelmi Monſtrii Domini in Rozez filius, Monachus quondam Ordinis S. P. Benedicti ad *Caſam Dei* percelebre apud Arvernos cœnobium. Qui gradatim ſummos tum ordinis, tum Eccleſiæ honores virtute emenſus, ex Priore primùm Caſæ Dei Abbas Fiſcanenſis, mox Epiſcopus Arelatenſis, deinde Senonenſis, tum Archiep. Rothomagenſis, demum Presbyter Cardinalis SS. Nerei & Achillei effectus eſt. Quem Petrarcha ob inſignem ſcientiarum omnium, quibus pollebat, cognitionem, non dubitavit *Virum ſui temporis litteratiſſimum, Theologum & Philoſophum præſtantiſſimum* appellare. Is, ut diximus, nona die Maij anno ſal. 1342. ad ſummum Romani Principatus & Eccleſiæ culmen evectus, Clementis ſibi Sexti nomen indidit. Habuit Clemens ſororem Joannam elegantis formæ, morumque probatiſſimorum virginem, Quæ primum nupta illuſtri viro Domino Cambonii in finibus Lemovicum, eo mortuo, connubio juncta eſt Guillelmo Comiti Belfortio, ex quo prodiit felici auſpicio Gregorius XI. Pont. max. qui divino afflatus numine, ſedem Pontificiam 70. annis in Gallia exulem, Romam demum anno 1376. feliciter revexit, ut ſuo loco dicturi ſumus.

Magnis dignitatibus ante Pontificatum fulget.

Ejus ſoror Gregorii XI. mater.

Scribit ad Reges, Principes ac Præſules.

Clemens redimitus Pontificia thiara circumductus eſt per vias Avenionenſes à Joanne Normandiæ Principe Sceptri Gallici hæredes ſtratorem agente; ac peractâ eâ pompâ, Encyclicas literas de Benedicti obitu, ſuſceptiſque à ſe Eccleſiæ gubernaculis dedit ad omnes Reipublicæ Chriſtianæ Reges, ac Reginas: quos ad Sceptra piè moderanda, & conjungenda pro religionis augmento regia ſtudia excitavit. Præſulibus quoque ſcripſit, & illos adfundendas divino Numini preces impulit, ut bella inteſtina pacaret. Tùm verò toto pectore ad pia revocandæ in univerſo Orbe Chriſtiano pacis conſilia incubuit, cùm cerneret ingentia mala, que ex Regum diſſidiis rei Chriſtianæ imminebant, eaque avertere exoptaret.

Gallum & Anglum pacificare ſatagit.

Atque in primis cùm ſæviſſima omnium diſſenſio Francos Angloſque allideret, ſedandæ illi primos conatus addixit, legatione ad Philippum & Odoardum Reges decretâ, cujus obeundæ munus Petro Prænestino, & Annibaldo Tuſculano Epiſcopis purpuratis injunxit. Optatior eò erat Francorum & Anglorum concordia, quò Babylonis, Syriæ, Ægyptique Soldanus ex funeſta eorum diſſenſione elatus ſuperbiâ Armeniam concutiebat: atque Africæ Reges ſuperſtitione Mahumetica impliciti vires omnes, & conatus ad Hiſpanias

ſpanias ſuæ tyrannidi ſubjiciendas effundebant, ut deplorat Clemens in literis ad utrumque Legatum Cardinalem datis; quibus præcepit, ut Reges propoſitis ob oculos impendentibus rei Chriſtianæ cladibus ad pacem adducere ſtuderent, & omnes, qui impedimento eſſent, quò minùs concordia coaleſceret, intentatis cenſurarum Eccleſiaſticarum pœnis reprimerent; præſtita fidei ſacramenta, ac fœdera de urgendo bello diſſolverent, irritaque pronunciarent. Imperavit prætereà iiſdem Legatis, ut ſi memorati Reges, atque alii eo bello impliciti, conſultas inducias inter ſe inire recuſarent, ipſi Apoſtolica auctoritate fulti eas indicerent, ac promulgarent. *Legatos ſapienter inſtruit.*

Ut verò Italiæ bella ſedaret, ac retunderet Ludovici Bavari conatus, qui ſubacturum ſe Italiam gloriabatur, Bertrandum primò, mox Guillelmum Cardinales Legatos eò direxit, quibus provinciam injunxit, ut in Inſubria, Liguria, Dalmatia & Creta Inſula, quæ ad tuendum religionis ſplendorem conducerent, ſancirent; hæreſeon ſemina præfocarent; Principes ac populos diſſentientes conciliarent, ac firmiſſimo fœdere ad repellendum Italiâ Bavarum conjungerent, atque unà cum Venetis, & aliis de conferendis contra Turcas auxiliis, ornandaque ſacra expeditione pro defendenda Europa agerent. Ad continendas autem in officio ditionis Eccleſiaſticæ Provincias, quæ crebris diſſenſionibus fluctuabant, Aymericum Cardinalem Legatum creavit, Romamque ad comprimendam Nicolai Rentii audaciam, tyrannidemque miſit. Aymerici Legationem, & Nicolai interitum fuſiùs deſcripſimus in Purpura docta *lib. 2. n. 44.* qui locus conſuli poteſt. *Sedandis Italiæ bellis, arcendoq; Ludovico Bavaro animum applicat.*

Juſſus quoque eſt Aymericus in Neapolitanum Regnum ire, ut Robertum Regem fidei ſacramento adigeret; & poſt Roberti obitum, eidem Neapolitano Regno conſuleret, ac Romanæ Eccleſiæ jura tueretur: edictoque pronunciavit Romanus Pontifex Regiæ Siculæ procurationem non ad Sanciam Reginam, aliosque à Roberto Rege deſignatos, ſed ad ſedem Apoſtolicam ſpectare: omniaque ab iis geſta reſcidit, & Aymericum Cardinalem Regno præfecit, donec Joanna Regina fortiorem ætatem attigiſſet. Quæ porrò reliqua Joannæ ſunt, quoſque motus ob necem Andreæ Regi maritò illatam in regno excitârit, leges in Purpura docta *lib. 2. n. 45.* quæ hîc repeti non debent. *Regno Neapolitano conſulit: jura Eccleſiæ tuetur.*

Neque ſolùm Italiam, ſed alias quoque Chriſtiani Orbis Provincias, ac præcipuè Orientales ſummo ſtudio curavit Clemens. Indixit ſiquidem ſacram expeditionem in Turcas, literiſque ad Mediolanenſem Archiepiſcopum, & Suffraganeos Epiſcopos datis præcepit, ut populos ipſorum paſtorali curæ creditos ad dandum Cruce ſignatæ militiæ nomen, & Chriſtianis in Orientalibus plagis laborantibus auxilia ferenda pro concione, omni ſtudio (propoſitis etiam Indulgentiarum præmiis) cohortarentur. Alias miſit ad Archiepiſcopos & Epiſcopos Italiæ, Sardiniæ, Germaniæ, Dalmatiæ, Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Livoniæ, Sueciæ, Norvegiæ, aliarumque Chriſtiani Orbis Provinciarum, ut pari ardore pios inflammarent, ac vocarent in laboris & gloriæ ſocieta- *Bellum in Turcas urget* *Eum in finem litteras ad Chriſtianos expedit.*

cietatem. Juſſit prætereà Helionum Villanovanum Magiſtrum Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani ſex triremes omnibus ad bellum neceſſariis contra Turcas inſtruere. Pontificiis triremibus Martinum Zachariam Genuenſem, Ducem præſtantiſſimum, geſtis pluribus in Turcas præliis clarum præfecit. Provocavit etiam Robertum Achaiæ Principem, ut fœderatorum Claſſi triremes aliquas adjungeret: excitavit quoque Jamuillium Ducem Ægæi maris, tum Genuenſes, Piſanos, Anconitanos, Florentinos, Senenſes, Peruſinos, aliosque quamplures, ut vel navibus, vel milite comparandam in Turcas claſſem pro Chriſtiano nomine defendendo, ac fidei propagandæ gloria augerent. Utque meliùs rebus Orientalibus fluctuantibus conſuleret, Henrico Patriarchæ Conſtantinopolitano Latino ampliſſimum Legationis munus in Cruceſignato exercitu, & Orientalibus Provinciis injunxit: navalis verò exercitus Ducibus data imperia, ut ei parêrent. Summis etiam Minoritarum, Prædicatorum, Auguſtinianorum & Carmelitarum Præpoſitis de inſtituendis per ſingulas Provincias, quatuor, vel pluribus Concionatoribus ſacrâ eloquentiâ florentiſſimis, qui populos ad ſuſcipiendum Crucis ſymbolum cohortarentur, mandata impertita.

Jubileam Magnum ad annum quinquageſimum contrahit.

Annum Jubilæi, à Bonifacio VIII. in annum centeſimum decreti, Romanorum rogatu in quinquageſimum contraxit, quòd pauci mortalium centeſimum annum ætate attingerent. Eo ſub annum 1350. per orbem Chriſtianum indicto, incredibilis omnium Europæ gentium concurſus Romam eſt factus, ſpe liberationis delictorum conſequendæ. Quo tempore multum negotii fuit Annibaldo Legato Apoſtolico cum Nicolao de Rentio Urbis tyranno, ut videre eſt in Purpura docta *lib.2. num 33.*

Ivonem & Elzearium Sanctis adſcribit.

Anno reparatæ ſalutis 1351. Elzearium *de Sabran* Ariani Comitem in Provincia in Sanctorum numerum ritu ſolemni retulit: quo honore, quadriennio antè, pariter affecerat S. Yvonem Presbyterum Gallum, pauperum Advocatum. Normanniæ Ducem, ac Philippum Francorum Regem, ejusque uxorem Reginam, & Bonam nurum Normanniæ Duciſſam ea ſingulari prærogativa ornavit, ut Dominicum Corpus ſub utraque ſpecie ſumere poſſent. Epiſcopalem Sedem Algezire precibus Alphonſi Regis Caſtellæ erexit, atque Hiſpalenſi Archiepiſcopatui obnoxiam eſſe voluit. Rem verò ingenti pompa geſtam deſcribit ipſemet Clemens in literis ad Alphonſum Mahumetanorum victorem datis: ſe nimirum acceptis laureatis literis regiis, ſolemnes ſupplicationes inſtructo agmine religioſo cum Cardinalibus, & Præſulibus ad peragendas divino Numini gratias celebraſſe, habitaque ſacra Concione Algeziram Epiſcopali Sede inſigniviſſe.

Galliæ Regibus Sacram. Altaris ſub utraque ſpecie indulget.

Pragenſem Eccleſiam privilegiis ornat.

Multis quoque prærogativis Pragenſem Eccleſiam in Bohemia decoravit, quæ cùm hactenus Moguntinæ obnoxia fuiſſet, ab illius auctoritate liberam pronunciavit, ac Sede Archiepiſcopali exornavit. Pragenſem inſuper Archiepiſcopum ſacrandi Bohemiæ Reges futuris temporibus privilegio auxit, cùm anteà is honos ad Moguntinum Archipræſulem ſpectaret. In Caroli IV. verò Cæſaris gratiam Pragenſem Academiam inſtituit, atque Archiepiſcopo conferen-

ferendæ Doctoratûs laureæ jus contulit. Simili beneficio Florentinos etiam proſecutus memoratur, quorum Academiam recens erectam privilegio docendi Theologiam, cæteraſque altiores facultates donavit.

Plurima quoque privilegia in Eccleſiam Rothomagenſem contuliſſe Clementem affirmat Ciaconius his verbis: *Memorem Eccleſiæ Rothomagenſis ſuiſſe, ex eo deprehenditur, quòd multis eam privilegiis ornare voluit, ac ſexdecim Presbyteros, qui divinas laudes cum cæteris illius Eccleſiæ miniſtris die noctéq; decantarent; multis prædiis, & proventibus dotavit, ampliſſimiſq; conſtructum ædificiis Collegium habitationi eorum deſtinavit. Id verò Collegium Papæ, vel Sacerdotum Clementinorum appellatur.* Porrò Pontificium Palatium Avenionenſe à Benedicto inchoatum abſolvendum curavit, ut ex ejus inſigniis, & inſcriptione frontiſpicii colligitur. *Similiter & Rothomagenſem.*

Scribunt Trithemius *in Chronico Hirſaugienſi*, & Genebrardus *lib.4. Chron.* Clementem VI. Hæreſim *Flagellantium* in Hungaria aboleviſſe: redeuntes ad bonam frugem paterno ſinu ad pœnitentiam excepiſſe: pertinaces verò ſæcularibus Judicibus puniendos tradidiſſe. Conſule Palatium *in Clemente VI.* *Flagellantium hæreſim abolet.*

Ludovicum Bavarum jam anteà à Prædeceſſore Benedicto exauctoratum, diriſque devotum, denuò anathematizavit: deditque operam rogatu Philippi Francorum Regis, ut Carolus IV. Joannis Bohemiæ Regis filius in Imperio ſufficeretur. Ludovicus haud multò pòſt, nempè anno 1347. quinto Idus Octobris equo in venatione lapſus, diem clauſit extremum: infenſiſſimus Imperatorum Romanæ Sedis hoſtis, ſed ultimus: quaſi orcus victus poſtremum virus effuderit, & inſtar morientium anguium vitam poſuerit in vulnere. Ità quidem Galli, Italique Scriptores: longè mitiùs, æquiuſque Germani, præſertim Collegium Monacenſe Soc. Jeſu in præclaro illo Volumine Principum Boicorum, *Fortitudo Leonina in utraque fortuna* inſcripto: quod indigitâſſe ſuffecerit, & legiſſe non pœnitebit. *Ludovicum Bavarum anathematizat.*

Anno Domini 1352. paulò ante Clementis obitum dirus Cometes fulſit, turriſque cimbularia S. Petri in Vaticano fulmine tacta, magnaque ex parte disjecta corruit, fuſis ex ardore ignis campanis. Qua ex re Populus Romanus haud vanus augur conjecit, Pontificem propediem obiturum: uti re vera contigit. Nam octavo Idus Decembris ejuſdem anni vix languens, cùm Apoſtolicum ſolium decennium ſupra menſes ſeptem tenuiſſet, præcipiti fato rebus humanis exemptus eſt; ut traditur in vetuſto m.ſ. Codice Vaticano his verbis: *Pauco tempore languens, inſperatò obiit die 6. Decembris anno Domini 1352. Pontificatus ſui anno undecimo nondum completo Avenione in palatio Apoſtolico. Poſt exequias corpus ejus deportatum fuit ad Eccleſiam B. Mariæ Virginis cathedralem, ubi ſtetit uſque ad æſtatem: deinde aſportatum eſt ad Monaſterium Caſæ Dei (ubi primum fuit monachus, deinde Abbas) quinque Cardinalibus propinquis comitantibus ipſum, & in Capella ab ipſo conſtructa depoſitum & tumulatum. Cujus anima requieſcat in pace.* Id verò Monaſterium ducentis quadraginta pòſt annis ab hæreticis Calviniſtis direptum, ac corpus Clementis flammis exuſtum tradit Ciaconius, *Præſagia obitus Clementis.* *Moritur.*

Ejus Sepulchrum anno 1562. ab hæreticis violatum.

conius, & ex illo Palatius his ferè verbis: *Anno ſal. 1562. Calviniani in odium religionis violato Clementis Sepulchro, confractaq; ejus ſtatua marmorea, effoſſum cadaver in flammas miſerunt. Et quia Clemens utpotè vir proceri corporis, pœnè formidabilis in tumulo jacebat (armati enim hominis ſpeciem exhibere videbatur, quòd ſingula corporis ejus partes plumbeis laminis tecta eſſent) joco militari ſucclamabant:* An te magne Pontifex, plumbeis armis cacodæmonem victurum exiſtimas? *Ejus tamen imago doctò formata penicillo Pariſiis adhuc cernitur in feneſtra vitrea, quæ prima omnium occurrit Templum Sorbonicum, ejus ope extructum, ingredientibus: ubi genu flexo ſacram Virginis imaginem adorat, cum hac ſequenti inſcriptione:*

CLEMENS PP. VI. PROVISOR HUJUS DOMUS.

Clementis ſingulare elogium.

Cæterùm laudatur Clemens conſtanti Scriptorum teſtimonio ab incredibili clementia etiam in hoſtes exercita: ut non immeritò de eo cecinerit Franciſcus Petrarcha in Poëmate ad Joannem Cardinalem Columnam.

> *Nulli major ineſt clementia: nomen ab ipſis*
> *Dignum rebus habet.*

Auctor verò, qui ad Bernardi Guidonis Chronicon appendicem adjecit, agglomeratis laudibus vocat eum: *Clementiæ ſpeculum, charitatis hoſpitem, miſericordiæ patrem, liberalitatis miniſtrum, Juſtitiæ pugilem, æquitatis athletam, concordiæ ſatorem, pacis angelum, medeſtiæ normam religionis exemplar, amicitiæ fomitem, ſpei ancoram, fidei baſim, complacentiæ morem, eloquentiæ florem, honorem generis, & patriæ decus.*

Quæ ei vitio dentur?

Vitio tamen Clementi à nonnullis datur, quòd ſumptuoſiſſimè vixiſſet; propinquos ditâſſet; atque in ſacrum Senatum quoſdam nulla ætatis habita ratione, pæne pueros retuliſſet. De lautitia victûs ejus, & liberalitate in propinquos ut non diſputaverim, falſum tamen aſſero, quod tertio loco objicitur, nempè pueros illum in ſacrum Senatum legiſſe. Numerantur viginti novem tribus diverſis creationibus ab ipſo purpurâ ornati, inter hos nullum non virtutibus & ſcientiis clarum reperies. Et licèt unus alterve floridæ ætatis fuerit, Senioribus tamen prudentia, doctrina & virtute non ceſſêre. Documento erit Purpura docta, complures à Clemente VI. creatos, inter viros eruditione, ſapientia ac prudentia eminentes recenſens. *Vidi ſæpè pueros, ſenibus virtute præſtantiores*, inquit alicubi Terentius: Fors aſſertum hoc in lectis à Clemente pueris (ſi vera livor loquitur) locum habuerit?

S C R I P T A.

Ejus Scripta.

Edidit Clemens inter doctos Pontifices haud poſtremus,

Sermones varios, eruditione ac ſententiis graves.

De die Cinerum Tractatum.

In Canonizationem S. Ivonis lib. unum, quem Surius refert ad diem 19. Maij.

In approbationem Caroli Regis Francorum lib. I.

Colla-

Collationum lib. unum.
Epiſtolarum plurima volumina.
Miſſam pro Mortalitate; quæ incipit *Recordare Domine Teſtam. tui.*
Conſtitutionem de victu Cardinalium, quoties ad eligendum Pontificem conveniunt.
Et quædam alia ex Trithemio, & Geſnero.
Correxit etiam *Aureum Numerum*, ut patet ex ejus *Epiſt. 305.*
Fuit verò Clemens tam ſtupendæ tenacisque memoriæ, ut quæ ſemel viſu, lectu, auditúque percepiſſet, oblivisci, etiamſi cuperet, non poſſet. Hanc tantam illi memoriam obtigiſſe ex magno capitis ictu (cujus indelebilem cicatricem, quoad vixit, in ſupremo vertice circumtulit) teſtatur Petrarcha *libro 2. Rerum famil.* aliique cum eo.

ANNO CHRISTI MCCCLII.

Imperatore CAROLO IV. Auguſto.

DE

INNOCENTIO VI. Pont. Max.

EXtincto Clemente VI. atque terræ mandato, dum Cardinales conclave ingreſſi, una de creando novo Pontifice vota conferrent, ac tanto muneri vir probitate & eruditione inſignis admovendus quæreretur, illata eſt mentio de Joanne Birellio Carthuſianorum tum Præſide, viro non minùs doctrinæ laude, quàm vitæ ſanctitate conſpicuo, ad ſummum magiſtratum aſſumendo, ut refert Carthuſianorum Hiſtoria. Et ſanè conſpirantibus jam plurimorum ſuffragiis Birellius procul dubio Pontifex ſalutatus fuiſſet, niſi Talairandus Cardinalis Gallus caducarum rerum amore devinctus, veritúſque, ne is luxum omnem in Cardinalibus pia aſperitate reſecaret, ſe ſe objeciſſet; ac ut Pontifex è Cœtu Cardinalium legeretur, Patribus perſuaſiſſet. Rejecto itaque ad inſtantiam Talairandi Birellio, concordibus ſuffragiis ad Apoſtolicum apicem evectus eſt Stephanus Albertus Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, Lemovicis in Galliæ Provincia Aquitana honeſto genere ortus, vir probatiſſimæ vitæ, magnæque eruditionis famâ inclytus, qui quòd nemini nocere, omnibus prodeſſe vellet, *Innocentius* nuncupari amavit.

CCI. Joannes Birellius Carthuſianus in Pontificem proponitur.

Stephanus Albertus ſub Innocentii VI. nomine Pontifex.

Hic ſuſceptis Eccleſiæ Catholicæ gubernaculis, poſtridie ejus diei, quo Avenione in Cathedrali Eccleſia pontificias Infulas demore accepit, Orbis univerſi Archiepiſcopos, & Epiſcopos de Clementis VI. obitu, ac Pontificatu ſibi per ſuffragia delato Apoſtolicis litteris (quarum tenorem Oldoinus & alii referunt) certiores fecit. Quo argumento ſimiliter ſcripſit ad Carolum IV. Cæſarem, alioſque Reges, ac Principes Catholicos, paternè eos adhortans, ut ſua cum ipſo ſtudia in tuenda atque amplificanda religione conjunge-

Principes ac Præſules de ſua electione certiores facit.

 rent.

rent. Deinde conſulturus rei Chriſtianæ in graviſſima pericula adductæ, Apoſtolica ſtudia ad Anglos cum Gallis conciliandos; Genuenſes ac Venetos ab exitiali bello abducendos; propulſandos Turcas; Græcos ad ejurandum ſchiſma excitandos; pacandos inteſtinos Caſtellæ motus; ac vindicandam è Tyrannorum manibus ditionem Eccleſiæ convertit. In hunc finem Ægidium Cardinalem Albernotium Hiſpanum, ampliſſimo legationis munere auctum in Italiam; Guidonem Cardinalem Epiſcopum Portuenſem ad Galliæ & Angliæ Reges; Petrum Epiſcopum Cameracenſem ad Ludovicum Flandriæ Comitem, & ad Margaritham Hannoniæ Comitiſſam inter ſe diſſentientes, plurima inſtructos auctoritate tranſmiſit. Ad componendos vero Caſtellæ varios motus, & ad reſtituendum Eccleſiaſticæ diſciplinæ in illo regno ſplendorem, Guillelmum cognomento *Judicis* Diaconum Cardinalem Legatum deſtinavit.

Omnes ad pacis ſtudia hortatur.

Reformat aulam Romanã.

Ab exteris ad domeſtica converſus, Romanæ aulæ vitia præprimis exſcindere, laxiorem Curialium vitam reſtringere atque corrigere, ac illicita quæque reformare, editis ſaluberrimis decretis, ſategit. Quod ut faciliùs aſſequeretur, à ſe ipſo exorſus propriam familiam, abactis ſuperfluis, ad certum numerum redegit; nec niſi probatiſſimos viros domi habere voluit: utque idem ſuo allecti exemplo Cardinales præſtarent, acri edicto præcepit; dicebat eni, *Suam & Eccleſiaſticorum omnium vitam cæteris exemplo eſſe debere; ad imitationem Salvatoris noſtri, cujus tota vita ad inſtitutionem humani generis reſpexiſſet.* Beneficia Eccleſiaſtica, ſacros honores, & dignitates non niſi doctrina & moribus conſpicuis viris contulit. *Statuit enim* (inquit Ægidius Cardinalis in ſua Hiſtoria) *ut non quàm dives, aut quàm nobilis, ſed quàm eruditus, pius, ac virtuoſus quis eſſet, ratio haberetur. Homines ad ſacra admittendos, non de ſtemmate, vel cenſu, aut opibus; ſed de virtute & probitate vitæ cenſeri debere: rerum humanarum contemptores recipi, cupidos expelli oportere. Quibus Chriſti, & Apoſtolorum vita cordi eſſet, iis Eccleſiarum curam credendam: contrà, quos luxus opeſq; delectarent, arcendos eſſe à divinis adminiſtrandis.* Multas reſervationes, quas Clemens prædeceſſor nimis clemens pleriſque etiam indignis conceſſerat, ipſe, qui Eccleſiæ, non hominibus conſultum ibat, ſuſpendit, & antiquavit: *Oves*, dictitans, *paſtoribus, non mercenariis committi debere.* Conſtituit etiam, ut omnes Prælati, omneſque qui beneficia habebant, ad Eccleſias ſuas ſub anathematis pœna proficiſcerentur: Maxima enim Prælatorum multitudo rubri pilei ſpe, Avenionem, dimiſſis gregibus, confluxerat; quos ipſe anathematis terrore perculſos, ad greges domum amandabat. Præterà ſacri Palatii Auditoribus congrua ſalaria in menſes ſingulos conſtituit, ne in jure dicundo, cauſas non judicare, ſed vendere potiùs cogerentur: aut ne (ut ait Platina) muneribus corrumpi in decernendis litibus ob inopiam poſſent: dicebat enim, *famelicos non facilè etiam ab alieno cibo abſtinere, ſi ſit oblata quovis modo edendi facultas.* Et quamquàm in victu domeſtico frugalis parcuſque appareret, in ſumptu tamen bellico largiſſimus eſt habitus, dum armis repetiit, quæ à Tyrannis ſuperiori tempore de Eccleſia occupata fuerant. Ægidium namque Albernotium Cardinalem, virum bellica laude inſig-

Ejus in hanc rem Decretũ.

Quos promovendos cenſuerit?

Reſervationes à Clemente factas antiquat.

Paſtores ad greges amandat.

Auditoribus Palatii Salaria conſtituit

Italia à Tyrannis oppreſſa ſuccurrit.

inſignem, cum exercitu in Italiam Legatum mitit, qui Tyrannos bello perſequeretur, ditionemque Eccleſiaſticam magna ex parte amiſſam recuperaret: eo maximè tempore, quo Imperator Conſtantinopolitanus; Arragonum Rex, & Veneti contra Genuenſes fœdera inter ſe iniêre. Hi autem comparata ingenti Claſſe, numero navium, & copia militum ſuperiores, Genuenſes hoſtes inter Conſtantinopolim & Chalcedonem aggrediuntur, loco ipſis Genuenſibus iniquo, ac vento adverſante. Pugnatum eſt ab aurora uſque ad veſperam: ac tandem Græcis in fugam verſis, Veneti ac Catalani magna ex parte cum Præfecto Claſſis cæduntur, victoriâ à Pagano Auria Genuenſium duce ſtante. *Genuenſes Victores.*

Veneti autem tantam cladem & ignominiam iniquo animo ferentes, redintegratâ cum Catalanis claſſe, Nicolao Piſano Venetæ claſſis Præfecto, ſequenti anno non longè à Corſica Genuenſes fundunt, eorumque triremes militibus ac commeatu onuſtas demergunt. Hac clade perterriti fractique Genuenſes, Joanni Vicecomiti Archiepiſcopo Mediolanenſi Civitatem ac ſua dedunt: qui Venetos bello aggreſſus, Patavinum Principem, Veronenſem, Ferrarienſem, Mantuanum, ac Florentinos in ſe concitat, veritos ne ſuperatis Venetis, ad ſe demum iretur. Pugnabatur terrâ marique: ſed Genuenſes Præfecto Pagano Auria, mira felicitate, navali pugna uſi, Venetos apud *Sapientiam* Peleponneſi promontorium ſuperant; eorumque Præfectum Nicolaum Piſanum captum cum quinque pugnatorum millibus Genuam perducunt anno 1354. Verùm ſequenti anno, morte ſubitania extincto Joanne Archiepiſcopo Mediolanenſi, Veneti ac Socii fœderis magnâ curâ liberati ſunt: cœpitque ſenſim totâ Italiâ alia rerum facies enaſci, hortante Albernotio Legato Genuenſes, ut excuſſo Vicecomitum jugo, pacem cum Venetis inirent: quod & factum. Ceterùm de bello Genuenſes inter & Venetos geſto; deque deditione Genuenſium Archiepiſcopo Mediolanenſium facta, ipſiusque Archiepiſcopi morte ſubſecuta pluribus egimus in Purpura docta *libro 2. n. 57.* *Poſteà devicti, Joanni Archiepiſcopo Vicecomiti ſe dedunt.* *Venetos ſuperant, ac pacem cum iis ineunt.*

Pacatâ itaque Longobardiâ, nova Romæ perturbatio à ſeditioſis occepta eſt. Populus enim Bertoldi Urſini, & Stephani Columnæ Senatorum arrogantiam ferre non valens, qui frumento extra Urbem extrahi permiſſo grandem pecuniam confecerant, ad arma concitatus Capitolium invadit, amboſque Senatores ad necem conquirit. Stephanus mutato habitu turbas fallens, per poſticum incolumis evaſit: Bertoldus diſtricto gladio in publicum prorumpens, ac ſeditionem compeſcere volens, lapidibus ab immani plebe obrutus eſt. Romani Proceres Bertoldi cæde perterriti, relicta Urbe, diffugiunt, populumque furentem ſine capite relinquunt. *Romæ ſeditio*

Interregni occaſionem captans Franciſcus quidam Baroncellus, civis Romanus. homo infimæ ſortis, cæterùm audax, ſtrenuus, conſilio manuque promptus, popularium favore ſubnixus, Tribunitiam poteſtatem occupat; pulſiſque Senatoria dignitate Joanne Urſino, & Petro Columna his titulis utitur: *Franciſcus Baroncellus Dei gratia alma Urbis Tribunus ſecundus, ac Romanus Conſul.* Is conciliato ſibi mira dexteritate civium favore, juſtitiæ plurimùm vacavit; *Baroncellus Tribunitiam poteſtatem occupat.*

Zzz 2 æra-

ærarium publicum per Quæſtores ſorte creatos adminiſtravit; populum in factiones diviſum ad Reipublicæ amorem accendit; magiſtratus populari ſuffragio creavit; ſeque *Principem & Dominum* Romanæ Urbis, ac ditionis jactitans, imperium Italicum Papæ abrogavit. Tum verò Innocentius Pontifex, re cognita, ad comprimendam hominis audaciam Nicolaum Rentium, qui eodem modo dominatum appetierat (ut alibi vidimus) è carcere Avenionenſi ductum, Romam miſit ad Tribunatum Apoſtolico nomine repetendum. Is itaque ſeptus militibus, Urbem triumphantis more ingreſſus, adjuvante Nobilitate, ac magna plebis parte, Baroncellum è Capitolio dejectum interfecit, ſolusque Tribunatu potitus eſt. Verùm cùm non ita diù priſtinæ conditionis memor nobilitatem perſequeretur, jura Urbis infringeret, ac omnia ſusque deque verteret, concurrente ad arma plebe, magno incomodo pulſus, in Capitolium ſe recepit: unde fugiens, inſtantibus hoſtibus, mutata licèt veſte cognitus, à civibus Romanis obtruncatus eſt. Hujus interitum fusè narravimus in Purpura docta *lib. 2. n. 44.* Uterque igitur Tribunus volentibus ſuperis miſerrimo fato ſublatus eſt, & Senatoria dignitas nobiliſſimis civibus, quibus per vim adempta fuerat, jubente Pontifice, reſtituta.

Pontifici imperium in Italia abrogat.

Baroncellus à Rentio, Rentius à populo interficitur.

Coronatio Caroli IV. Imperatoris.

Inter hæc Carolus IV. Imperator à Pontifice in Italiam vocatus, ut Eccleſiæ quaſſatæ opem ferret, pro Coronatione Romanum iter aggreſſus, Mediolani ſubſtitit. Acceptoque ibidem VIII. Idus Januarii, Italici regni diademate, Romam profectus auguſtalem coronam Nonis Aprilis anni 1355. in Baſilica Vaticana hac conditione accepit, ut neque Romæ, neque in Italia, niſi neceſſitas Eccleſiæ aliud ſuaderet, immoraretur.

Albernotius Eccleſiæ oppida recipit.

Tyrannos in ordinem redigit.

Quo quidem in Germaniam abeunte, Ægidius Albernotius Italiæ Legatus omnia ferè oppida ditionis Eccleſiaſticæ brevi recepit, quæ Tyranni, inſtigante Bavaro quondam Imperatore, in Flaminia (quam *Romandiolam* vocant) in Marchia Anconitana ſeu in Patrimonio ſancti Petri occupaverant. Eos tamen Vicarios in oppidis ſuis confirmavit, quos viderat Eccleſiæ Romanæ obſequentes ac fidos: utpotè Galiotum Malateſtam, & Guidonem Polentanum in Flaminia, Varranenſes in Piceno. Ordelaffos autem nequaquam Eccleſiæ obtemperantes, bello biennium perſecutus, eos tandem è Forolivii, Foroque Popilii, ac Ceſenâ deturbavit. Potuiſſent hi quidem aliquam partem dominatus retinere, adjuvante eos maximè Jacobo Cardinali Columna, viro huic familiæ amiciſſimo, ſed maluêre totum conſtanter amittere, quàm partem turpiter retinere.

Conſtitutiones condit.

Ægidius autem pacatâ Flaminiâ, adeò Forolivio delectatus eſt, ut & ærarium Eccleſiæ, & pecuniam Avenione miſſam, unde Arces Italiæ ædificarentur, eò loci repoſuerit, & Conſtitutiones quaſdam ibi compoſuerit, quibus adhuc Provincia ipſa utitur. Cùm autem Ægidius Italiam pacaſſet, Arceſque in ditione Eccleſiaſtica plures ac perneceſſarias ædificaſſet, omneſque Italos Principes ac populos in ordinem redegiſſet, ad annum quintum legationis ſuæ ſucceſſorem habuit Androinum Cardinalem de Rupe, Burgundum, Abbatem Cluniacenſem, hominem rebus agendis haud ſatis idoneum.

Hanc

Google

Hanc ob rem abeunte Ægidio, omnes Italiæ Principes, ac populi rurſus ad arma convolant, quibus comprimendis coactus eſt Pontifex Ægidium iteratò in Italiam ablegare, quòd unus Tyrannis toties à ſe devictis terrorem incutere, motusque ſedare tantos poſſe videretur.

Tumultuatum eodem etiam tempore Romæ (annus erat Chriſti 1358.) ob creationem Senatorum, quos Nobilitas & populus inter ſe diviſi, pro ſuo quiſque ſtudio, provehere contendebant. Quam diſcordiam Innocentius neutri partium deferens, optimè ſedavit, externo Senatore ad Urbem miſſo Ptolomæo cive Senenſi, qui annum integrum Magiſtratum ſumma prudentia geſſit. Non quievêre tamen hoc modo rebus compoſitis Romani. Nam pulſo Senatore, ſeptem Cives crearunt, quos *Reformatores Reipublicæ* nuncupârunt, penès quos ſumma totius Urbis poteſtas eſſet. Quare Innocentius Hugonem Luſignanum Cypri Regem, virum potentiâ & armis præditum, Senatorem creavit; mandavitque, ut Magiſtratum *Reformatorum* auctoritate pontificia omninò aboleret. Erat autem tum maximè intentus Pontifex extinguendo bello, quod Anglos inter & Gallos gerebatur, quò omnibus in Turcas tutiùs ire liceret. Verùm cùm Angli in Pitirienſi agro Gallos ingenti ſtrage ſuperâſſent, cepiſſentque Regem cum Philippo filio, rem difficiliorem factu feciſſe videbantur: cùm ecce Eduardus magnitudine animi motus ultrò captivos omnes hac conditione liberat, ne ampliùs contra ſe bella gerant. Hi verò non ita multò pòſt, beneficii immemores, quum pacis fœdera turpiter rupiſſent, Eduardum capere arma, & obſidere Pariſios ſuo damno compulerunt.

Innocentius Romam tumultuantem pacare ſatagit.

Bellum inter Gallos & Anglos; victoriâ ab Anglis ſtante.

Nec ſeditionibus inteſtinis Veneti tum carebant; nam Falerius Marinus, qui Andreæ Dandalo ſucceſſit, Dux Reipublicæ electus, conflata horribili conſpiratione, res Venetorum ad extremum diſcrimen adduxerat. Hinc affectatæ tyrannidis accuſatus, convictusque in area D. Marci ſupra ſcalam lapideam ſecuri percutitur: quemadmodùm fuſiùs enarravimus in Purpura docta *lib. 2. n. 57.* dum Fortanerii Cardinalis Sertorii acta recenſeremus.

Falerius Marinus ſeditionem Venetiis conflat: ſupplicio afficitur.

Tantis verò rerum perturbationibus afflictatus Innocentius, urgente ſenio Pridie Idus Septembris anno ſalutis 1362. Pontificatus ſui anno 9. menſe 8. die 23. moritur. Corpus ejus ſepultum eſt in Eccleſia Cathedrali Avenionenſi S. Mariæ *de Donis*: quod poſteà ad Monaſterium Carthuſianorum, à ſe apud Villamnovam magnis ſumptibus conditum, translatum eſt. Inſtante Pontificis morte, tanta Solis defectio facta eſt, quanta nunquam anteà. Viſum itaque omnibus eſt, tantæ mortis Planetas etiam ſigna aliqua dediſſe.

Mors Innocentii.

Magnis laudibus à cunctis, qui ex vero ſcripsêre, celebratur Innocentius, tum ob ſummam eruditionem, vitæque integritatem tum ob Pontificatum egregiè adminiſtratum. Audi Ægidium Viterbienſem: *Fuit Innocentius VI. utriusque Juris conſultiſſimus, vita incorrupta, integerrimaq́; neminem ornavit unquam, niſi qui omnium ſpectatiſſimus eſſet, & haberetur.* Audi & Platinam: *Vir fuit integerrima vita, magnaq́; conſtantia, ſeveritatis, & æquitatis.* Genebrardus vocat eum: *Pontificem optimum, Canoniſtam maximum. Religioſorum amatorem eximium.*

Ejus Encomium.

mium. Sic & paſſim alii. Non tamen Novatorum calumnias, prudentibus ridendas, effugit.

S C R I P T A.

Ejus Scripta. Scripſit Innocentius, teſte Ludovico Jacobo à S. Carolo in Bibliotheca Pontificia:

Sermones ſacros aliquot:
Et Decreta Eccleſiaſtica.
Summam Juris.
Orationem de Chriſto patiente.
Epiſtolarum Volumen.

Fertur etiam, teſte Poſſevino, compoſuiſſe Inſtitutiones aliquas pro Forolivienſibus, magna prudentia refertas.

ANNO CHRISTI MCCCLXII.

Imperatore CAROLO IV. Auguſto.

DE

CCII. URBANO V. Pontifice Maximo.

Urbani primordia, & laus. SUcceſſit Innocentio VI. Urbanus V. Lemovicenſis, Grimoaldus Griſatus anteà vocatus, ex nobili & priſca familia, patre Guillelmo Equite, & Amphiliſia Monferrana matre in avito oppido Griſaco ortus. Is à teneris Regulam Divi Benedicti in per celebri Chiriacenſi (non autem Cluniacenſi cœnobio, ut perperàm quidam ſcripſêre) profeſſus, poſt multa præclarè obita munia Abbas demum Maſſilienſis in Monaſterio S. Victoris, & ex Abbate Romanus Pontifex ſolo virtutis & eruditionis ſuffragio electus eſt.

Platina & aliorum de eo teſtimonia perhonorifica *Vir*, teſte Platina, *ſingularis virtutis, ingentis animi, innocentiſſimaq; vitæ.* De quo Ægidius Viterbienſis hæc habet: *Fuit profectò Urbanus V. ſupremo Magiſtratu non indignus, prioribus Pontificibus omnium virtutum genere par; ſed animi magnitudine longè major, creatus abſens, quòd vita innocentiſſima haberetur.*

Cumulat eundem præclaro elogio Franciſcus Petrarcha contemporaneus Scriptor, dum eum *libro 7. & 9 Senilium VIRUM* (vocat) *vita conſpicuum, literis excellentem, innocentiſſimum hominum; qui nulli malè fecerit, aut optaverit: qui humanitate rerum, & verborum humilitate, Chriſtum, quantum poterat, ſequebatur: victorem humanorum affectuum & contemptorem: Chriſti, cui in ſpiritu ſerviebat; Petri, cui in officio ſucceſſerat; Eccleſia, cui præſidebat; Sedis Apoſtolicæ, cui inſidebat; univerſiq; Chriſtiani populi amatorem: ſolumq; illius temporis Pontificum, qui contemptis magno animo affectibus bonum publicum cogitavit: virum ſine exemplo illius ætatis, vel qui raro exemplo virtutem amare, & voluptatem ſpernere docuerat: inter ſacram inediam nutritum, qui ciborum abſtinentiâ ad cœleſtem animi pinguedinem anhelabat.* Hæc omnia, ſed disjunctim Petrarcha.

Nunquam de ſummo Pontificatu Grimoaldus Abbas tum Maſſilen-

ſilen-

ſilienſis cogitaverat; Romano Cardine non fulgebat; Mediolani, commiſſæ legationi intentus, degens, quid Avenione Pontificii Electores agerent, neſciebat; Electores non exterum, ſed unum ex ſacro Collegio delecturi erant: ſic omninò decreverant. At ſolus Deus Abbatem Maſſilienſem, URBANUM nomine, voluit: ſuæque voluntatis clariſſimum edidit apertiſſimumque argumentum. Rei hujus graviſſimum illius temporis Scriptorem, allegatum Petrarcham, teſtem habeas, his verbis Urbanum alloquentem: *Nemo te fallat, Pater prudentiſſime, nemo tibi perſuadeat, eſſe aliquem tuorum Cardinalium, qui vel ſemel unquam cogitaverit te ad Papatum non dicam promovere, ſed poſcere: ſi quis fortè tibi aliud inſuſurrat, verba dat, te ſibi mendacio obligatum cupit: Deus te profectò, Deus, inquam, ſolus, & nemo mortalium elegit, linguis licèt illorum uſus, quas ad aliud diſpoſitas ad ſuum vertit obſequium; quodq; ipſe volebat (dictu mirabile) per nolentes fecit.* Cur ita? fortaſsè ut Gallus, qui in Italia erat, Pontificiam ſedem peregrinantem Italiæ, & Romanæ Urbi, cui debebatur, reſtitueret.

Divina diſpoſitione Pontifex extra cœtum Cardinaliū eligitur.

Id ipſum grato animo agnoviſſe Grimoaldum Griſatum, Deoque acceptum retuliſſe, patet ex hoc: quòd mox, ut Avenione VIII. Idus Novembris anni 1362. Pontifex maximus ſalutatus, Urbani nomen cum diademate ſuſcepit, illud Davidicum admirabundus protulerit: *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.*

Renunciatus Romanus Pontifex Urbanus illicò Carolum Imperatorem, reliquos Reges, & Principes; Prælatos, Clerum ac Populum aſſumptionis ſuæ admonuit. Ad eum ſalutandum ex omni Europa Regum ac Principum Legati advenêre; inter quos illi à Caſimiro Poloniæ Rege miſſi impetrarunt, ut in Ruſſia inſtitueretur Cathedra Metropolitica, & Cracoviæ nova Academia. Cùm graves intercederent inimicitiæ inter Carolum Imperatorem Bohemorum Regem, & Ludovicum Hungarorum Caroli generum, cui Caſimirus Poloniæ, & Valdemarus Danorum Reges adhærebant, de pace cum utriſque egit per Nuncium ſuum Joannem, Sodalem S. Franciſci, virum prudentem & eloquentem, qui non modò pacem inter diſſidentes Reges, verùm etiam affinitatem confecit. Ut autem diſcordias, quæ inter eundem Carolum Imp. & Joannem Marchionem Moraviæ fratrem ſuum; nec non quæ inter Ludovicum Pannonium, & Rudolphum Auſtriæ Ducem vigebant, extingueret, Petrum Epiſcopum Vulterranum legavit. Comitem quoque Sabaudiæ cum Marchione Montisferrati armis certantes ſtuduit Urbanus ad pacem revocare, miſſo ad utrumque Marco Viterbienſi Ordinis Minorum generali Miniſtro. Et ut arma è manibus Regum Caſtellæ, & Arragoniæ extorqueret, Abbatem Fiſcanum primò, deinde Guillelmum Epiſcopum Ciceſtrenſem ad Reges miſit, pollicitus eorum ſe controverſiam æquitate dirempturum.

Cæſarem cū Rege Hungariæ pacificat.

Alios item Principes.

Juſſit deinde Ægidium Cardinalem Albernotium Siciliam adire, ut Joannem Reginam fidei ſacramento in Pontificis verba adigeret, ac Sceptrum Siculum Apoſtolicæ Sedis liberalitati acceptum referenti aſſereret. De qua legatione extant in Vaticano commendatitiæ ad Joannam Reginam, Jacobum Balearem Regem maritum, aliosque Principes viros literæ, ut Ægidium pro Neapolitani

Siciliæ Reginam obedientiam præſtare jubet.

regni

regni componendo ſtatu miſſum honoribus & obſequiis debitis proſequerentur. Cùm autem metueret Urbanus, ne ex diſſenſione Genuenſes inter & Piſanos, ac Petrum Cypri Regem coortâ, nova pericula Reipublicæ Chriſtianæ conflarentur, ut eos in concordiam revocaret, beatum Petrum Thomam Patriarcham Conſtantinopolitanum Genuam proficiſci, atque ad redintegrandam concordiam incumbere juſſit.

Hæreſes extinguendæ ſtudet. Pari ſtudio Urbanus ad evellendos errores illos, quibus pietas omnis extinguitur, incubuit. Cùm enim Beguini ſive Beguardi, jam in Concilio Lugdun. Oecumenico damnati, in Galliis præcipuè falſarum opinionum virus ſpargere conarentur, Pariſienſem Epiſcopum ad eos delendos auctoritate inſtruxit, atque alios Archiepiſcopos & Epiſcopos pari ardore accendit. Uſus quoque eſt religioſis viris S. Dominici ad ſubnaſcentes hæreſis venenatas ſtirpes excidendas, ac Simeonem ejusdem familiæ Dominicanæ alumnum ea de cauſa in Sicilia citeriori Cenſorem fidei nominavit. Adhibiti etiam ſunt ad id muneris in Peruſino agro Minoritæ, maximè verò Guillelmus Narnienſis Epiſcopus plurima auctoritate ad Fraticellos, qui ſimplicitate pravorum dogmatum virus imperitæ plebi afflabant, reprimendos inſtructus.

Evangelium propagat. Proferendæ autem apud exteras gentes, Chriſtianæ fidei expertes, religionis ſtudio Pontifex plures Minoritas ad Evangelium iis inferendum miſit: data etiam Barchinonenſi & Dertuſenſi Epiſcopis imperia, ut viginti religioſis viris ex Ordinibus Mendicantium, tum presbyteris ſæcularibus permitterent, ut in Canariam, & alias Fortunatas Inſulas ſe conferrent ad colluſtrandos Evangelii luce eos populos, quos aſtrorum ſuperſtitione involutos acceperat. Multos pariter ex Ordine Minorum religioſos viros in Boſniam, Raſciam, & Bulgariam ad propagandum divini Numinis cultum impulit, quorum laboribus innumera animarum millia à dæmonum cultu revocata.

Plures ad fidem orthodoxam reducit. Urbani ſtudio in Albania Strazimirus, Georgius, & Balſa Principes damnarunt Schiſma, atque ad Romanæ Eccleſiæ obſequium ſe contulerunt. In Valachia Alexandri olim Principis vidua ad Eccleſiæ gremium rediit, ac filiam ſuam Bulgariæ Reginam ad orthodoxum ritum pellexit. Ladislaum Valachiæ Principem ſuis literis excitavit, ut abjectis erroribus fidem orthodoxam coleret. Hortatus etiam eſt Tartarorum Imperatores, Reges, ac Principes, ut Evangelicæ luci mentis oculos aperirent. Cùm autem Banus ſenior Schiſmaticus fratrem Stephanum Catholicum in Boſnia infeſtaretur, illius clientelam ſuſcepturus Pontifex, Ludovico Hungariæ Regi literas pro illo dedit, adjecitque preces, ut à fratris hæretici injuriis Stephanum vindicaret. Aliis literis Stephanum ipſum ad conſtantiam excitavis, ut fratris odia pro religione ſuſcepta magno animo toleraret; pati enim pro Chriſto non calamitati, ſed felicitati, ac triumpho adſcribendum.

Religioſarum familiarum corruptelas emendat. Aggregatis Cœtui fidelium tot populis, ſtudium ſuum ad gliſcentes in religioſis familiis corruptelas evellendas convertit; & ne à ſacrarum familiarum ingreſſu quis abſterreretur, Conſtitutionem

Digitized by Google

nem edidit, qua cœnas ſumptuoſas, aliasque expenſas in muneribus, ab iis, qui ad ſacra Sodalitia admittebantur, abradendis abolebat. Juſſit Curiales omnes tam Eccleſiaſticos, quàm Laicos Adventus Domini tempore à carnium uſu abſtinere. Antiſtites ab Eccleſiis ſuis culpabiliter abſentes ad ſedes proprias reverti juſſit; *Navim, dicens, ſine rectore, naufragio propiorem eſſe, quàm ſaluti.*

Habituum honeſtatem in Clero ſummâ diligentiâ curavit; ac ambitioni frænum injecit, edicto mandans, ut vir Eccleſiaſticus unum, vel pauca, pro virtutis, doctrinæ, aut officii qualitate beneficia haberet. Peſſimam conſuetudinem, qua ſceleſti homines, graviſſimis facinoribus perpetratis, ad Cardinalium domos ceu aſyla confugiebant, ut legum nodis ac ſupplicio eximerentur, ſuſtulit; *indecorum*, aſſerens, *juſtitia res ſuffragari domos eorum, qui juſtitia primam rationem habere deberent.* *Alia preclarè operatur.*

Bononienſe Gymnaſium longis bellorum turbinibus quaſſatum, ſtratumque, reſtituit, multisque privilegiis amplificavit. Caſſinenſem Abbatiam in ſedem Epiſcopalem à Joanne XXII. erectam, in priſtinum Abbatiæ ſtatum reduxit, dicens; *Monachos meliùs Abbate, quàm Epiſcopo regi.* Ædes Pontificias tum Urbeveteri, tum in Monte Faliſcorum conſtruxit, ut ſibi ac cæteris Pontificibus, vitandi urbani æſtus causâ, eò diverti quandoque liceret. Monaſterium S. Victoris Maſſiliæ, cujus olim Abbas fuerat, ad inſtar Arcis reparavit; magnamque Turrim cimbulariam, in qua viginti tres campanas appendit, conſtruxit; eique Sanctorum Victoris & Caſſiani capita, multo auro redempta, ac thecis gemmatis incluſa, dono contulit. Simili pietate S. Blaſii Epiſcopi & Martyris venerandum Caput in Eccleſia S. Benedicti, quam in Montepeſſulano fundaverat, collocavit. Mimatenſi quoque Gabalorum Eccleſiæ, cujus Alumnus fuerat, alias ejuſdem ſancti Athletæ reliquias donavit. Sacroſacta Principum Apoſtolorum Capita, diu quæſita, ac tandem in Sacello *Sancta ſanctorum* reperta, argenteis thecis recondita, publicæ venerationi in Baſilica Lateranenſi expoſuit. *Bononienſe Gymnaſium & Abbatiam Caſſin. reſtituit.* *Alia pietatis ejus monumenta varia.* Joannæ Neapolitanæ Reginæ, & Waldemaro Daniæ Regi *Roſam auream* ſolemni ritu benedictam; atque enſem auratum die Paſchatis conſecratum Petro Cypri Regi in munus fecit. Tres item particulas Ceræ ſanctæ (Agnos Dei communiter vocant) Joanni Palæologo Imperatori tranſmiſit, additis verſibus, quibus efficacia ejus Ceræ explicatur. Vide, quæ de ſacris amuletis, eorumque uſu, & antiquitate diximus in Purpura docta *lib. 2. num. 61.* ſors legiſſe delectabit. *Principes ſacris muneribus donat.*

Venerat circa annum 1364. ad Urbanum Avenione degentem, obſequii & reverentiæ causâ Joannes Francorum Rex, carcere Britannico liberatus: coràm quo Pontifex ſacrum bellum, & expeditionem tranſmarinam, eleganti oratione habita, pro recuperandis Hieroſolymis publicè indixit; & *Cruciatam* in Turcas, magnis propoſitis indulgentiis, per ſacros præcones publicari juſſit: Legatum ejus belli Talairandum Cardinalem Albanum creavit, & Reges Galliarum ac Cypri ſolemni cæremonia Cruce ſignavit. Et quum eſſet libertatis Eccleſiaſtice aſſertor acerrimus, ad eam *Bellum ſacrũ indicit, & urget.*

tuendam nervum omnem intendit, eorum præcipuè operâ uſus, qui ad eamrem ſponte ſua propenſi eſſent. Hinc Ægidio Cardinali Albernotio, munere ſuo hactenus egregiè functo, legationem confirmavit, qui ſtudio amplificandæ ditionis Eccleſiaſticæ incenſus,

Bernabovem Vicecomitem Eccleſiæ hoſtē armis ſuperat.

Ludovicum Gonzagam, Nicolaum Eſtenſem, & Franciſcum Carrarium initis fœderibus in Eccleſiæ hoſtem Bernabovem Vicecomitem ita concitavit, ut inito prælio ſuperatus & ſaucius vix aufugerit, amiſſo filio, captiſque egregiis copiarum ejus Ducibus. Vicecomitum calamitate commoti Francorum, Angliæ, & Cypri Reges, Legatos ad Ægidium miſêre, oratum, ut honeſtis conditionibus pacem iis daret. Reddita quidem, orantibus Legatis, pax eſt Vicecomitibus, quæ tamen haud diuturna fuit. Nam Joannes Haucut Anglus, vir militari gloria clarus, qui tum Vicecomitibus militabat, cùm Florentinos Pontifici addictos bello premeret, eorum copias apud Miniate oppidum profligavit. Eam ob rem Ægidius Legatus Thomam Obicinnem Lucenſem, inſignem Copiarum Eccleſiæ ducem cum tribus millibus equitum, ac optimo peditatu Florentinis auxilio miſit. Pugnatum eſt inter Aretium & Cortonam dubio marte quatuor horis: atque demum Thomas, adnitente maximè peditatu, hoſtes ità ſuperat, ut ex ſeptem millibus equitum, qui cum Anglo militabant, pauci evaſerint, ipſeque Dux hoſtili manu circumventus, in deditionem venerit. Hujus autem tantæ victoriæ famâ permoti, qui ab Eccleſia defecerant, illicò mandata fecêre, & Civitatum claves Legato Bononiæ agenti miſêre.

Jo. Haucut Anglus Belli Dux Pontificios vincit, & vincitur.

Urbanus Romam repetit.

Per id tempus cùm Oratores Romanorum Avenionem profecti, Pontificem, ut Romanam Urbem ac ſedem repeteret, ſupplices rogaſſent, eorum precibus permotus, quarto ſui regiminis anno (qui fuit Chriſti 1365.) in Italiam deſcendit; tùm ut Romanis id enixè poſtulantibus ſatisfaceret, tùm ut res Eccleſiæ Romanæ longâ Pontificum abſentia labefactatas componeret. Pontifici Ægidius Albernotius Card. Legatus Corneti obviàm factus, exactam adminiſtratæ provinciæ rationem reddidit, ſimulque legationis munere, non gravatim annuente Pontifice ceſſit. Tanto onere liberatus, dum Corneto Romam uſque Pontificem honoris ergò proſequeretur, Româ Viterbium, quieturus ob ſenium, conceſſit; ubi rebus ſuis compoſitis, tertio pòſt menſe vitam religiosè concluſit. Vir certè ſingularis virtutis, præſtantiſque animi ac roboris, qui dignitatem Eccleſiaſticam in Italia pænè exoleſcentem, mirificè, dum vixit, reſtituit, firmavit, auxitque: cujus immortalia facta, ne poſteros laterent, longa narratione deſcripſimus in Purpura docta *lib. 2. n. 49.*

Albernotii Card. Legati mors.

Pontifex Romam appulſus, incredibili omnium honore, plauſu, atque lætitia exceptus eſt. Tùm longa Procerum, Cardinalium Præſulumque ſerie in Vaticanum perductus, ſedem ibi fixit. Carolus IV. Imp. Urbanum Romæ allapſum intelligens, ſtatim eò cum uxore & liberis, ejus ſalutandi gratia, advolavit. In itinere Lucam Piſanis, ac oppidum Miniate Florentinis ademit. Romæ verò ſtratoris officio Pontifici exhibito, Vaticanum templum ingreſſus, in Pontificiis ſacris Evangelium decantavit. Tum ſacro benedictionis

Urbanus Romam ingreſſus ſalutatur à Cæſare.

nis munere cum Auguſta ac natis donatus, tertio poſt menſe Germaniam petiturus, Pontifici valedixit: in reditu multam à Florentinis, ne eos bello vexaret, pecuniam emunxit.

Studet Eccleſiam Orientalem conjungere Latinæ.

Elongato Cæſare, Urbanus primas curas conjunctioni Orientalis Eccleſiæ ad obſequium Romanæ rediturae conſecravit. Literas hac de re plures ſcripſit Elenæ Imperatrici, Andronico, Manueli, & Michaëli Joannis Palæologi Imperatoris filiis; Joanni Cantacuzeno Imperatricis patri, qui multa pollebat auctoritate in Græcorum Clero; Philotheo Conſtantinopolitano, Niphoni Alexandrino, & Lazaro Hieroſolymitano Patriarchis. Provocavit etiam aliis literis Cives Conſtantinopolitanos, & Imperii totius Proceres; commonuitque Latinos omnes tum Principes, tum Præſules, qui in Oriente commorabantur, ne iis auxilio & ope ad tam pium opus conficiendum deeſſent. Quare Urbani adhortationibus, ac divini Spiritus afflatu contulit ſe ad Sedis Apoſtolicæ obſequium; ac profeſſurus ſolemni ritu fidem orthodoxam Græcorum Imperator Joannes Palæologus Romam acceſſit anno noſtræ ſalutis 1369. Quem Urbanus pro foribus Baſilicæ Vaticanæ more Imperatorum, exceptum honorificè, ad pacis oſculum admiſit. Ipſe verò Imperator ante aram maximam Principis Apoſtolorum proſtratus, auditâ publicè Pontificis Latinâ Miſſâ, Catholicam fidem, quam Romana tenet ac docet Eccleſia, & Spiritus ſancti à Patre Filioque proceſſionem, ac ſummam Romani Pontificis in gregem Chriſtianum auctoritatem & præcellentiam profeſſus eſt. Cumque ſæpiùs in Vaticano Triclinio unà comediſſent, Imperator Pontificis humanitatem dilaudans dixit, ſe corpore & animo potiſſimùm recreari, quòd aliquando ſummo Chriſti Vicario, verè Urbano, conviva aſſediſſet.

Jo. Palæologus Imp. fidem Rom. amplectitur.

Urbanus fœdus init adverſus Vicecomites.

Tuendæ verò in Italia pacis ſtudio idem Urbanus, ut faciliùs tyrannicam Bernabovis ac Galeacii ambitionem; ac fœderationem Veronenſium reprimeret, fœdus ad ſeptennium cum Carolo Imperatore, Ludovico Hungariæ Rege, Franciſco Carrario Patavino, Ateſtinis Marchionibus Ferrarienſibus, ac Gonzagis Mantuanis iniit.

Relicta Roma Gallias repetit.

Dolentes eapropter Romanos ſolatur.

Urebant & aliæ graves Chriſti Vicarium curæ, redintegrandæ ſcilicet pacis Anglos inter & Gallos, quæ ipſum ex Italia in Gallias traxêre, ita tamen, ut redire Romam prorſus decreviſſet. Indoluêre omnes Italiæ principes, ac Populi Sedis Apoſtolicæ ſtudioſi ad Urbani diſceſſum, ac præ cæteris Romani, quos angebat ingens metus, ne alii Succeſſores ad Anteceſſorum exemplum à reſtituenda Urbi Sede Apoſtolica abhorrerent. Ut verò conſuleret eorum famæ Pontifex, ne videlicet ſuſpicio ſiniſtra rei inſcios pervaderet ex aliqua à Romanis accepta injuria abalienatum diſceſſiſſe, publicis literis promulgavit, ſe toto triennio, quo Romæ eſſet verſatus, omnibus officiis cultum, & habitum honorificentiſſimè fuiſſe.

Cæterùm ſubornatum ad repetendas Gallias fuiſſe Urbanum nonnullorum Cardinalium importunis ſuſurris, qui ſolo Gallico aſſueti, non ad Eccleſiæ dignitatem, ſed ad ſuas commoditates ac delicias omnia referebant, narrat Petrarcha in literis ad Franciſcum Brunum. Monitum quoque Urbanum fuiſſe à Petro Arragoniæ Re-

Aaaa 2 ge,

ge, ne Avenionem rediret, ne conflandi Schiſmatis, quo innumera innocentium Chriſtianorum millia peritura forent, occaſionem daret, teſtatur Alphonſus Epiſcopus Gennenſis in m. ſ. Codice, qui extat in Bibliotheca Vaticana. Idem Alphonſus exomologeſi S. Brigittæ excipiendæ adhibitus affirmat, illam cœlitùs accepiſſe, Urbanum, ſi Avenionem rediret, illicò moriturum : remque Rogerio Cardinali Belfortio (qui poſteà Gregorius XI. in Pontificatu appellatus eſt) patefeciſſe : ſed cùm Rogerius Pontifici ſecretum pandere non auderet, ipſam denique B. Brigittam Urbano id apud Montem faliſcum aperuiſſe : quamvis ipſe ejuſdem ſanctæ verba, veluti muliebri fundamento nixa, rejecerit.

Urbano mors ſi Gallias repetat, prædicitur.

Feliciter Avenionem navigat.

De itinere Urbani ex Italia Avenionem verſùs, hæc habet Auctor ejus vitæ apud Boſquetum : *Urbanus iter ſuum arripiens, mare intravit Corneti die 5. Septembris, ubi parata ad excellentiam navigia invenit, de quibus illi providerant Reges Franciæ, Arragonum, & Siciliæ Regina; Civitas item Avenionenſis & Provinciales : Sicq; divino ſibi aſſiſtente præſidio, iter ſuum continuando, Maſſiliæ feliciter applicuit, ac demum 24. ejuſdem menſis Avenione; ubi cum gaudio, & exultatione maxima ab omnibus Ordinibus receptus eſt.* Sed brevi in morbum incidit, quo victus, ſexageſimo primo ætatis ſuæ anno, Eccleſiaſticis myſteriis ritè proviſus, ſancto fine quievit IV. Kalend. Januarii anno ſalutis 1370. cùm ſediſſet annos 8. menſem 1. dies 13. Pœnituiſſe illum non perfecti divini imperii, quod S. Brigitta ipſi ſignificaverat, refert laudatus Alphonſus Epiſcopus Gennenſis, votumque de reſtituenda Romæ Sede Apoſtolica concepiſſe. *Fuit verò ſepultus in Eccleſia majori Avenionenſi* (ut inquit Scriptor vitæ illius) *demum transferendus ad Monaſterium S. Victoris Maſſilienſis, ubi vivens ſuam perpetuam elegerat ſepulturam, magnis & ſtupendis miraculis coruſcando.* Juſſu Gregorii XI. altero ab obitu anno translatus Maſſiliam hoc meruit Epitaphio exornari.

Decedit Avenione, claretq; miraculis.

Ejus Epitaphium.

Hic requieſcit Urbanus *Pontifex in ordine Quintus,*
Summus divinitùs Romanorum Præſul electus :
Auctor bonorum, lux, cenſor, normaq; morum,
Speculum cunctorum, dogma, dux Monachorum,
Bonorum doctor, malorum quoque corrector;
Juſtitiæ tutor, ſtudiorumq; reparator,
Nullius acceptor direxit juſtitiæ libram,
Virtutibus fulgens cunctis, vera reddidit idem,
Atque Simoniam ſui ſplendore fugavit.
Eccleſias nempè reparavit : in Urbe reperta
Capita ſanctorum Petri Pauliq; recondit.
Pauperes alendo, Chriſti mandata complevit,
Hicq; bonus Paſtor ad fidem Chriſti reduxit
Græcorum Cæſarem errorum caligine tectum.
Poſt labores tandem multos, deſuperq; vocatus,
Inter fratrum manus illa ſancta membra reſolvens
Chriſti Vicarius tranſivit ad aſtra beatus:
Quem Deus multum ex alto per ſigna monſtravit,
Qualis enim fuerit ſigna tanta clarè demonſtrant
Ad tumulum cujus languentum membra ſanantur.

Refert

Google

Refert incultum rudeque hoc Epitaphium Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium, quod propter Urbani ſanctitatem hîc libuit adjungere. De Urbani V. ſanctitate agit paucis Petrarcha *lib. 13 Senilium Epiſtola 13.* & inquit: *Ut apud nos in Italia auditum eſt, ſanctitatis ejus fama nunc maximè celebratur, & miraculis claret, quod nulli ex prædeceſſoribus ſuis, his noviſſimis, accidit.* Porrò actum eſſe apud Sedem Apoſtolicam aliquoties, de eo inter Sanctos referendo, teſtantur viri graviſſimi Ciaconius, Victorellus, Oldoinus, & ex his noviſſimè Jo. Palatius. *Petrarcha de eo teſtimonia.*

SCRIPTA.

Scripſit Urbanus, teſte Ludovico Jacobo à S. Carolo in Bibliotheca Pontificia. *Scripta.*

- Orationem elegantem de Expeditione Terræ ſanctæ coràm Joannem Galliæ Rege habita.
- De Oratione Commentaria egregia.
- Verſus pios de Agno Dei.
- Volumen Epiſtolarum ad diverſos, quod extat m. ſ. in Bibliotheca Vaticana.

Ei verò ob inſignem eruditionem inſcripſit Epiſtolarum Senilium partem Franciſcus Petrarcha.

ANNO CHRITI MCCCLXX.

Imperatore CAROLO IV. Auguſto.

DE

GREGORIO XI. Pontif. Max.

FUnebribus Urbano V. ex majeſtate Pontificia perſolutis, S. R. E. Cardinales 14. Kalendas Januarii Conclave ingreſſi in Palatio Avenionenſi penultima die Decembris anno 1370 Petrum Rogerii Belfortium, patria Lemovicenſem, nobili genere ortum, Clementis VI. ex ſorore Joanna Rogeria Monſtria nepotem, Diaconum Cardinalem S. Mariæ Novæ, quadrageſimum ætatis annum attingentem, conſentientibus ſuffragiis ſumum Pontificem deſignarunt; atque VIII. Idus Januarii anno 1371. in Eccleſia Cathedrali S. Mariæ *de Donis* in Epiſcopum conſecratum Apoſtolica thiara ex more coronârunt, qui relicto Petri Rogerii nomine, Gregorii XI. nomenclaturam deinceps uſurpavit. CCIII. *Petrus Rogerius Pontifex ſalutatur.*

Hujus primordia vitæ, morum elegantiam, ac literarum peritiam Anonymus Scriptor ejus vitæ ſubjectis verbis enarrat. *Hic quanquam eſſet ſatis juvenis, quando factus fuit Cardinalis, cùm nondum attingeret decimum octavum ætatis ſuæ annum, tamen erat totus ingenioſus & aptus, ac ſtudio literarum valdè intentus, volenſque amplius in eis proficere poſt promotionem ſuam ad ſtatum hujuſmodi, accerſitis notabilibus Eccleſiaſticis, quos ſecum continuò habuit, audiendo, & legendo circa Legalem ſcientiam* *Ejus vitæ primordia ex Anonymo.*

diutiùs

diutiùs inſudavit, & adeò in ipſa profecit, ut unus de profundioribus, & ſufficientibus totius Orbis in ea fuerit effectus.

Scientiis apprimè inſtructus deprædicatur.

Demum ſe contulit ad Canones, Theologiamq́, ac Philoſophiam naturalem, in quibus ſe adeò notabiliter profundavit, ut in collationibus, & Conciliis, ac aliis actibus ſuo ſtatui congruentibus, in quibus de pertinentibus ad hujuſmodi facultates actum fuit, ſufficientiſſimè peroraverit. Tum circa deciſionem etiam diligenter inſtitit, habuitq́ in iſto tam juris quàm facti experientiam tantam, quantam quivis alius ſtatus ſui. In expeditione verò negotiorum ſibi commiſſorum, aut aliorum, quæ ſecum, aut per eum tractanda occurrerunt, adeò peritum, gratum, benignum, & manſuetum ſe exhibuit, ut omnibus adamuſſim ſatisfecerit.

Variis virtutibus ornatus

Et cùm eſſet humilis, modeſtus, circumſpectus, & liberalis, ac aliis virtutibus cumulati dotatus, omnes tam ſæculares Principes, quàm Prælati, ac plebes ad ipſum recurſum habentes, eum maximoperè dilexerunt, æſtimarunt, & extulerunt.

Omnibus gratus.

Habuit etiam magnam gratiam in Collegio Cardinalium, adeò ut demum ſuis ſuffragantibus meritis per debitam concordiam fuerit ab ipſis in Papam electus die penultima Decembris anno Domini 1370.

Invitus & renitens Papa eligitur.

Fuit tamen ipſe in conſentiendo multùm renitens, & contradicens, imò difficillimè per eos ad hoc potuit inclinari, ſed tandem cum omni humilitate, divinæ & ipſorum ſe ſubjecit voluntati. Hactenus, qui tum vixit, & ſcripſit, vitæ ejus auctor. Conſentit Spondanus quoad ejus creationem his verbis: *Tantam ſibi omnium conciliavit gratiam, ut abſque ulla mora, aut diſcordia renunciatus fuerit uno omnium Cardinalium conſenſu Pontifex, ſolo ipſo diù renitente, & onus averſante, cui demum, ne videretur divinæ voluntati reſiſtere, humeros ſuppoſuit vixdum quadragenarius.*

Electionem ſuam Principibus aperit.

Certiorem fecit eadem die, qua ad ſummi Pontificatus apicem eſt evectus, Carolum Francorum Regem de acceptis à ſe Eccleſiæ Catholicæ gubernaculis, hortatusque eum eſt, ut Progenitorum ſuorum more Eccleſiam Dei debitis obſequiis proſequeretur, ac viciſſim ſtudia Apoſtolica, ac benevolentiam in ipſum ſe expliciturum ſpopondit. Poſtridie ejus diei ad Joannam Siciliæ Reginam ſcripſit, & ſequenti ineunte anno ad Petrum Aragonium, Amadeum Comitem Sabaudiæ; nec non ad Archiepiſcopos & Epiſcopos datæ ſunt aliæ literæ, quibus ipſos ad curas in populo Chriſtiano in viam ſalutis adducendo defigendas hortatur.

Pacem inter Gallos & Anglos procurat

Deinde ut Orienti ab infidelibus ad extremæ ſervitutis periculum adducto ſuccurreret, animum cogitationemque intendit ad Occidentis res componendas: & inhærens Urbani Prædeceſſoris veſtigiis, qui pacis Francorum inter & Anglorum Reges conciliandæ ſtudio Simonem & Joannem Cardinales, renunciarat Apoſtolicæ Sedis Legatos, eoſdem, ut impoſitum munus faciliùs proſequerentur, nova auctoritate inſtruxit, ac Regibus mala ingentia è bello emerſura exponere juſſit. Pacandæ etiam Hiſpaniæ ſtudio, Henricum Caſtellæ, Petrum Arragonium, & Carolum Navarræ Reges ſumma precum contentione per Legatos ſuos fœdere ſociavit.

Sacram Expeditionem urget.

Sciplit quoque ad Buſiorum Principem bello peritiſſimum, qui apud Eduardum Angliæ Regem plurimùm gratia pollebat, ut ipſum ad ſacram expeditionem incitaret. Sollicitati pariter ad eandem expeditionem Andreas Contarenus Dux Venetorum, & Ludovicus Flandriæ Comes, ac Genuenſes, Carolus item Francorum Rex, Ludovicus

dovicus Dux Borbonius, Ludovicus Hungariæ Rex, Carolus Dyrrachius Dalmatiæ & Croatiæ Dux, aliique Chriſtiani Principes. Cumque Petrus Raccanellus nobilis Genuenſis, qui Smyrnæ præerat, à Præfectura illa diſcedere moliretur, ſollicitus ne Smyrna, Chriſtianæ fidei in Aſia munitiſſimum propugnaculum, in Turcarum poteſtatem caderet, Raymundo Berengario Rhodiorum Equitum Magiſtro provinciam dedit, ut ſtrenuum Ducem; ac bello exercitatum illi imponeret; & eundem Magiſtrum Cypri Regni cuſtodiæ præfecit, eaque de cauſa ipſum Sedis Apoſtolicæ Internuncii in illa Inſula munere, ac dignitate ornavit, quod Petrus Rex Cypri gerendis rebus impar eſſet.

Ut autem Joannes Palæologus Græcorum Imperator, qui in ipſa Urbe, & Baſilica S. Petri publicè abjurarat ſchiſma Orientalis Eccleſiæ, & promiſerat ſe adhæſurum fidei, & doctrinæ Romanæ, & procuraturum, ut ſibi ſubditi ad eandem reducerentur unionem, promiſſis ſatisfaceret, anno à partu Virginis 1373. ad illum legavit Thomam de Bozolaſco Priorem Provincialem Ordinis Prædicatorum in Longobardia, & Fratrem Bartholomæum Characii Ordinis Minorum Sacræ Theologiæ Magiſtrum. Per hos Apoſtolicæ Sedis Nuncios ſcripſit Simoni Archiepiſcopo Thebano, ut cum illis Conſtantinopolim pergeret, ac negotiis commiſſis incumberet. Ejuſdem argumenti literas dedit etiam ad alios Præſules Orientales, ac Principes, ipſumque populum Conſtantinopolitanum. *Legationem mittit ad Jo. Palæologum.*

Religioſas familias utriuſque ſexus ad priſtinum ſplendorem reducere ſtuduit: imò ut Eccleſiaſticorum omnium ſanctimoniam curaret, totius Orbis Chriſtiani Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis in mandatis dedit, ut pro reformatione ſtatus Eccleſiaſtici, & perſonarum Deo dicaturum, Concilia Provincialia, & Diœceſana, quamprimùm fieri commodè poſſent, celebrarent, & depravatos aliquorum mores corrigerent, caſtigarentque, ac deinde pro Eccleſiaſtica libertate, & juribus Eccleſiarum ſe ſe ſtrenuè adverſus violatores opponerent. *Eccleſiaſticorum mores corrigit.*

Opprimentibus in Catalonia, ac Tarraconenſi Provincia regiis adminiſtris libertatem Eccleſiaſticam, Petrum Arragoniæ Regem præmonuit, ut malè tentata revocaret: Ferdinandum pariter Luſitaniæ Regem admonuit, ut Braccarenſi Archiepiſcopo liberum Urbis imperium reſtitueret: Amedeum quoque Sabaudiæ Comitem corripuit, qui Genevenſem Epiſcopum Genevenſi Principatu exuere eſt aggreſſus. *Pro Eccleſiaſtica libertate laborat.*

Ad liberandam verò Vicecomitum Mediolanenſium tyrannide Italiam Caroli Romanorum Imperatoris opem imploravit, ac rogavit Ludovicum Hungariæ Regem, ut vires ſuas cum Eccleſiaſticis, & Marchione Ateſtino conjungeret: Bernabovem & Galeacium Vicecomites Terras Eccleſiæ invadentes excommunicatione feriit, & matrimonia eiſdem interdixit, nam agebatur de Galeacia filia Joanni Regis Arragoniæ filio collocanda, quod vetuit Pontifex literis ſuis datis ſecundo Idus Januarii 1373. Et quamvis Gregorius ad tutandæ Hetruriæ libertatem ſincerè incumberet, adverſa tamen opinio, ac ſuſpicio Florentinorum animis ſe infudit, ipſum de *Vicecomitibus ſacra, & nuptias interdicit.*

de affectando Hetruriæ Principatu conſilia verſare, quam uti falſiſſimam repellere ſtuduit, datis tum ad Senenſes, tum ad Lucenſes literis, quibus eam opinionem ex illorum animis evellere conatus eſt. Ipſos verò Florentinos Pontifici ac Eccleſiæ perduelles, ob violatum jus Eccleſiaſticum, & affectatam tyrannidem, judicio Apoſtolico poſtulatos, nec comparentes, Anno ſalut. 1376. tertio Idus Februar. anathemate percuſſit, enarrato priùs eorum criminum indice : *Quòd ſupra ſexaginta Urbes bienni ſpatio ab obſequio Pontificio retraxerint : quòd ignitis forcipibus Nuncio Apoſtolico carnes avulſerint, avulſas canibus devorandas projecerint, ipſumq́; Nuncium, vivum adhuc & ſpirantem, ante Eccleſiam cathedralem, ſub furcis erectis ſepeliverint: quòd Domum Inquiſitoris Apoſtolici exuſſerint : quòd in favorem hæreticorum contrarias Eccleſiæ leges edixerint : quòd Sacerdotem quendam Ordinis Humiliatorum ad divulgandam ſacram exomologeſim tormentis adegerint : quòd Lucam Narmenſem Epiſc. ac Sedis Apoſtolicæ Nuncium in vincula conjectum, pedore & inedia enecaverint : quòd Eccleſiarum redditus & facultates publico fiſco addixerint : quòd plebiſcita adversùs ſacram Romanam Eccleſiam ediderint : quòd octo viros* (quos *Sanctos* dixêre) *ut in Eccleſiaſticos munus excubitoris agerent, deſignaverint.* Illos tamen poſteà Gregorius pœnitentes, ad preces ſanctæ Catharinæ Senenſis, quæ adipſum eorum nomine Avenionem profecta eſt, interdicto & anathemate abſolvit. Vide S. Antonin. *3. p. tit. 23. c. 14. §. 16.* hæc omnia fuſiùs referentem.

Florentinos ob immania crimina, & ſacrilegia excommunicat.

Ut verò pacem redderet Italiæ jam diù armorum ſtrepitu divexatæ, ſuadentibus Catharina Senenſi Virgine, Birgitta Sueciæ Vidua, ac Baldo Juriſconſulto Pontificiam Sedem Romam reducere ſtatuit. Dicebant enim Pontifici : *Romanam Urbem Divi Petri laboribus & ſanguine conſecratam, peculiarem Pontificatus maximi ſedem eſſe, eoq́; Pontificem, ſi quidem Petrum imitari vellet, migrare debere.* Hac ratione motum Gregorium, relicta Avenione, Romam eſſe profectum. Platina aliam Gregorio repetendæ Urbis rationem fuiſſe affirmat : *Exiſtimans autem Gregorius*, inquit, *mala, quæ in Italia committebantur, ſua abſentia fieri, naufragiumq́; tam diuturnum abſente gubernatore committi, de profectione ſua vir bonus diù multumq́; cogitare cœpit : ſed hominem permaximè movêre cujuſdam Epiſcopi Germani verba, qui interrogatus à Pontifice, dum ſimul inambularent, cur non rediret ad Eccleſiam ſuam, quam haud par eſſet, tam diu Paſtore nudam relinqui? Cui Epiſcopus magna libertate : Et tu, ſumme Pontifex, qui cæteris exemplo eſſe debes, cur non repetis Epiſcopatum tuum, Eccleſiamq́; Romanam tot annis deſertam?* motum his verbis Pontificem, Urbem ac Sedem repetere ſtatuiſſe.

Romanam Urbem ac Sedem repetit, & quare?

Solvit igitur Gregorius hilari vultu, dolentibus licèt Gallis, Maſſiliæ portu die 18. Septembris anno reparatæ ſalutis 1375. vectus triremi, quam illi paraverant Cives Anconitani, pulcherrimam viſu, & benè unctam itineri, tectam aliis triginta ſimilibus, partim à Genuenſibus, partim ab aliis Romano Pontifici benè affectis Principibus, inſtructis. Genuam appulit ſecundis velis : & cùm die Sanctis omnibus ſacro (Kalendis ſcilicet Novembris) in Cœnobio S. Benedicti propè Portumfinum hoſpitatus eſſet, grati animi ergo Eccleſiæ illi largiſſimam delictorum Indulgentiam elargitus eſt. Genuâ maritimo itinere Cornetum, terreſtri verò Romam Corneto ſecon-

ſe contulit, Urbem ingreſſus die 13. Januarii anni 1376. ut referunt omnes illius ævi Scriptores. Hujus Pontificis more ovantis in Urbem ingreſſum in Aula regia Vaticani Palatii Raphaël Urbinas magni nominis pictor vivis coloribus expreſſit cum hac Inſcriptione.

Romam ovantis inſtar ingreditur.

GREGORIUS XI. PATRIA LEMOVICENSIS
ADMIRABILI DOCTRINA, HUMANITATE, ET INNOCENTIA,
UT ITALIÆ SEDITIONIBUS LABORANTI MEDERETUR,
ET POPULOS AB ECCLESIA CREBRO DISCEDENTES
AD OBEDIENTIAM REVOCARET,
SEDEM PONTIFICIAM DIVINO NUMINE PERMOTUS
AVENIONE ROMAM POST ANNOS LXX. REDUCIT
SUI PONTIEICATUS ANNO VII.
SALUTIS MCCCLXXVI.

Summa adventus ejus neceſſitas.

Indigebant ſanè omnia adventu Pontificis, inquit hoc loco Platina: Nam & mœnia Urbis & Baſilicæ, & publica ac privata ædificia communem ubique ruinam minabantur, quæ certè magna ex parte incredibili expenſa reſtituit: ut Turris campanaria ſuo juſſu ædificata ad ſanctam Mariam Majorem, opere & ſtructura longè nobiliſſima, indicat. Labefactati etiam ita Civitatis mores erant, ut nihil urbanitatis habere viderentur; utque illi mores aliundè petendi eſſent, quæ totum Orbem terrarum quondam ad urbanitatem redegerat.

Collocata itaque in Urbe ſede ſua Pontifex, omnia (ut bonum Paſtorem decebat) circumſpicere vigilanti oculo cœpit, deque medela vulneribus adhibenda ſeriò cogitare. Pax igitur, qua unâ ſanari nondum obducta vulnera poterant, ſibi diùm multumque cogitanti antè omnia viſa eſt procuranda. Cui dum unicè intendit, lethali morbo, ex intolerabili veſicæ dolore enato, implicitus eſt; quo omnia remediorum genera reſpuente, verſis ad ſalutem animæ curis, nondum planè ſenex (quippè quinquagenario minor) die 27. Martij anno ſalut. 1378. Pontificatus ſui anno 7. menſe 2. die 29. Romæ in Palatio Vaticano religioſa morte deceſſit, ſimulque Avenionenſi Pontificum exilio (quod boni omnes optabant) finem impoſuit. Luxerunt eum Romani tanto cum gemitu, quanto neminem ſuperiorum Pontificum, quòd Urbem ingentibus beneficiis, ac præcipuè reſtituta Sede exornâſſet. Poſt exequias præſente populo à ſexdecim Cardinalibus celebratas, corpus ejus ſepulchro marmoreo conditum eſt in Eccleſia S. Mariæ Novæ, cujus quondam Titulum Cardinalis geſſerat.

Ejus obitus.

Nugæ Gallorum de præpropero Gregorii obitu.

Cæterùm, ne hoc ignores lector, ſcribit Gerſon Gallus, Gregorium in extremis conſtitutum, circumſtantes lectulo Cardinales Gallos cum lacrymis monuiſſe: *Ne deinceps revelationibus mulierum fidem haberent, quandoquidem ipſe à Brigitta & Catharina Senenſi deceptus, in Italiam tam infauſto omine remeâſſet.* Sed Gallo ignoſcamus Scriptori, ſi patriæ amore concitatus in Sanctas, *fallaces eas* nominet *& deceptrices.* Infauſtum fortaſsè omen Sacerdotibus mors? quæ Gregorio Romam remeanti obtigit: An ſi Avenione manſiſſet, hanc effugiſſet?

ſet? Sanè ubique morimur, ſive Romæ ſimus, ſive Avenione, cùm *ſtatutum ſit omnibus hominibus ſemel mori*. Nugæ igitur ſunt, Gregorium ob translatam è Gallia Romam Sedem præcoci fato ſublatum. Imò contrarium ſenſêre viri cumprimis pii atque prudentes; arbitrantes Gregorii mortem non alia de cauſa divinitùs fuiſſe acceleratam, niſi, ne ſedem Romanam (quod jam jam à Gallis inſtigatus meditabatur) iteratò Avenionem transferret. Et certè cœlum ipſum horum ſententiæ luculento prodigio ſuffragari eſt viſum: quandoquidem ipſa obitûs Gregorii die Palatium Pontificium Avenione fortuito incendio eſt deformatum: ut *una & ſola Roma* domus deinceps ac Sedes foret Pontificia.

SCRIPTA.

Gregorii Scripta.

Scripſit Gregorius Epiſtolas & Conſtitutiones nonnullas, quarum quinque refert Thomas Walſingamus in ſuis Annalib. Quædam ejus Epiſtolæ extant M.S. in Bibliotheca Vaticana, teſte Oldoino. Ob egregium, quo erat delibutus, pietatis ſenſum in recolenda Domini paſſione, & obſervantiam in Deiparam Virginem, præclaro duo edidit Opuſcula, nempè

De Paſſione Domini, &

De cultu B. Virginis.

Plures ad illum dedit Epiſtolas S. Catharina Senenſis, quarum decem & quatuor legimus impreſſas cum aliis ejuſdem Virginis.

Eodem tempore moritur & Carolus IV Imperator.

Altera ad obitu Gregorii die, videlicet 28. Martii anni 1378. rebus humanis exceſſit in Germania Carolus IV. Romanorum Imperator: Is coronatus Romæ, bis Italiam cum exercitu adiit: civitates Pontifici rebelles expugnatas Eccleſiæ reſtituit: Pragam, quam lateritiam accepit, marmoream reddidit: Templa, & Monaſteria ad divinum provehendum cultum plurima erexit: Moltavam ponte ſumptuoſiſſimo ſtravit: Arcem ſplendidam, & Academiam Pragæ condidit: quinque linguarum peritia clarus, doctis exemplum ſtudendi, & ſtimulus fuit: Hiſtoriam rerum à ſe geſtarum ipſe ſcripſit, ubi inter alia in exordio, *Quid valet*, inquit, *nobilitas generis, aut rerum affluentia, niſi adſint littera, pura conſcientia, & fides recta cum ſpe ſancta reſurrectionis.* Reipublicæ amans, Bullam auream condidit ad comprimendum Procerum ambitum, & ad deſignandos Ordinum gradus: religioſiſſimus vel majeſtatis diſpendio, ſtratoris officium Urbano V. Romæ præſtitit; equitemque Pontificem ſecutus eſt pedes, gnarus nullum faſtigium Deo non ſubjici, nihilque auguſtius quàm ob eum ſe ſe demittere: magna denique cum laude Imperium moderatus, ſexagenario major, trigeſimo ſecundo poteſtatis anno obiit. Succeſſorem nactus Wenceſlaum filium, ſibi per omnia diſſimilem, tantoque faſtigio prorſus indignum, ut ſuo loco dicemus.

ANNO

ANNO CHRISTI MCCCLXXVIII.

Imperatore WENCESLAO Auguſto.

DE

URBANO VI. Pontifice Maxim.

CCIV.

Fervente Urbani electione fulmen decidit in Conclave.

POſt Gregorii XI. obitum, cùm eſſent in Romana Eccleſia viginti tres Cardinales, quorum ſex Avenione remanſerant, quando Gregorius Italiam petiit, ſeptimus è legatione Serazaniana nondum redierat, reliqui ſexdecim (quorum quatuor Itali, unus Hiſpanus, & undecim Galli) urgente Clero Populoque Romano, Conclave ingreſſi ſunt Romæ die ſeptima Aprilis anno ſalutis 1378. Quo tempore horrificum fulmen in illud cecidiſſe, & duo illorum cubicula disjeciſſe narrat, qui tunc vivebat Continuator Gallicus Chronici Nangii. Ait enim horâ electionis Urbani apparuiſſe quandam nigram nubeculam ſereno aëre ſuper Conclave, & ſubitò ſpargi cœpiſſe, & tonitruum ac fulmen inde prodiens percuſſiſſe cubicula Roberti Gebennenſis, & Petri de Luna Cardinalium (qui fuerunt poſteà creati in Schiſmate Pſeudopontifices) nec non arma, ſeu claves armorum Eccleſiæ in junctura earum, & inſignia Gregorii tunc defuncti, in præſagium futuri ſchiſmatis, abſumpſiſſe.

Præſagium Schiſmatis.

Die verò ſequenti, quæ fuit 8. Aprilis, concordi diſcordia, ſub armati clamore populi, *aut Romanum, aut Italum Pontificem* poſtulantis, renunciatus eſt Romanus Pontifex Bartholomæus Prignanus, Neapolitanus, Epiſcopus Barenſis, egregius Juris Doctor, vir laudabilis vitæ, & Pontificatu, ſi non eſſet adeptus, digniſſimus, qui dictus eſt Urbanus hujus nominis Sextus. Illum enim Cardinales, alioquin inter ſe diſſidentes (ſive quòd Pontificio faſtigio, utpotè optimæ famæ, & ſacræ Aulæ peritum dignum judicârint, ſive quòd timuerint perſtrepentia arma populi Romani circumſonantis *aut Romanum, aut Italum*: ne ſcilicet, ſi Gallum elegiſſent, Avenionem iterum ſancta Sedes Româ transferretur) præteritis omnibus Cardinalibus, extra Collegium conſtitutum, abſentemque elegerunt. Neque mirum videri debet, utriuſque gentis Cardinales in hunc potiùs, quàm alium quempiam conveniſſe: erat enim vir magnæ apud Pontifices gratiæ, ingentiſque apud Cardinales exiſtimationis, quem Galli æquè ſuum ac Itali nominare poſſent: nam & natione Italus exiſtit, & vitam inter Gallos multorum annorum ſpatio Avenione in contubernio Petri Cardinalis Pampelonenſis duxerat: de quo hæc legimus apud Anonymum illius ævi ſcriptorem: *Hic ante Papatum, per multos annos me exiſtente cum ipſo, ſingulis noctibus poſtquam ad cubile ſuum cauſa quieſcendi accederet, coram ſe in Biblia quouſque dormiret, legi fecerat, & raro vel nunquam tempus aliquod vigilando otiosè conſumpſit; ſed aut ſtudebat, ſeu commiſſa ſibi officia exercebat, vel orabat. Et niſi coactus quodammodò per plateas nullatenus incedebat, & incedendo*

Urbanus non ſine turbis Pontifex eligitur, & quare?

Ejus ante Pontificatum virtutes.

dendo duabus beſtiis contentus erat, una mula ſcilicet, ſuper qua ipſe, & uno equo, ſuper quo ejus familiaris ipſum aſſocians equitabant. Etiam induebatur cilicio, diuturno tempore & nocturno, in quo dormiens indutus fuit deſuper tunica talari alba de mediocri panno laneo, & multùm erat patiens tunc temporis in adverſis, compatiens etiam valdè calamitatibus aliorum. Omnia etiam jejunia per Eccleſiam indicta ſanctiſſimè obſervabat; nec non per Adventum Domini, & per Sexageſimam annis ſingulis jejunabat, & jejunantes ſimiliter, nec non bonos Religioſos ſatis amabat: erat autem mente & corpore mirè caſtus & continens.

Fluctuant Cardinales & tamen Urbanum coronant.

Inter Romani populi plauſus, Cardinalium aliqui relicto Urbano molem Hadriani tenuerunt, alii extra Urbem dilapſi ſunt, plerique ad ædes proprias præſidio munitas, vim illatam accuſantes, execrantes factum, fugerunt. Qua de re videndus Platina & Palatius. Omnes tamen, ſive mutata repentè voluntate, ſive ſerviendum tempori judicantes, in Vaticanum reverſi, Urbanum Pontificiis inſignibus, ac thiara unanimiter magno apparatu exornârunt, & quidquid Romano Antiſtiti debetur obſequii, publicè privatimque exhibuerunt, atque has literas, factæ electionis legitimæ teſtes, ad abſentes Cardinales ſcripſerunt.

Reverendiſſimi Patres & Domini.

Eorum litera ad abſentes.

Quia plerumque, imò ut plurimum, præſertim in rebus arduis, fama loquacitas veritatem quibuſdam coloribus adulterinis obnubilat, ideò quid iis diebus in Romana Eccleſia, cujus honorabiliora membra, & ſublimes columnæ pariter Nobiſcum exiſtitis, geſtum ſit, Vobis præſenti ſcriptione veridica curavimus intimari, ut & his, qui Vobis rem aliter narraverint, vel ſcripſerint, non credatis, ac mentes veſtræ hac Noſtra inſinuatione clarificatæ, in tranquillo & ſereno veritatis littore conquieſcant. Veſtris igitur Paternitatibus innoteſcat, quòd ſanctæ felicisque recordationis Domino & Patre Noſtro D. Gregorio Papa XI. die 27. menſis Martii nuper elapſi viam univerſæ carnis ingreſſo, & ſicut de largiſſima Dei pietate confidimus, per labores ad præmia evocato, ſicut aliàs Vobis ſcripſimus, tantique Patris, prout erat juris & moris, cum debito honore & reverentia exequiis celebratis, die 6. præſentis menſis Aprilis Conclave Palatii Apoſtolici, in quo prædictus Dominus Noſter obierat, juxta ſanctiones Canonicas decrevimus introire, ſed certis ex cauſis ad id Noſtrum inducentibus animum, hujuſmodi Noſtrum introitum ad diem immediatè ſequentem duximus differendum. Quapropter die videlicet ſeptima hujus menſis, primitùs gratiâ ſancti Spiritus invocatâ, Conclave præfatum intravimus, de electione, & ſubſtitutione Romani Pontificis tractaturi, ſequentique die Luciferi neſcientis occaſum, ut piè credimus, radiis illuſtrati circa illam diei horam qua Spiritus ille Paraclitus in ſanctorum Diſcipulorum corda deſcendit, ad perſonam Reverendi in Chriſto Patris Domini Bartholomæi Archiepiſcopi Barenſis, viri utique magnorum meritorum claritate conſpicui, & multiplicium virtutum lampade refulgentis, liberè, & unanimiter direximus vota noſtra, eum ad celſitudinis Apoſtolicæ ſpeculam concorditer evocantes, & hanc Noſtram evocationem, ſeu electionem in conſpectu maximæ variæ plebis multitudinis nunciantes. Caterùm die 9. hujus menſis idem Dominus electus coram turba fidelium copioſa ſuper thronum dignitatis Apoſtolicæ ſublimatus ſibi Urbani VI. nomen aſſumpſit, ac die externa, qua Chriſtus Jeſus ſummus Pontifex vitam noſtram reſur-

reſurgendo reparavit (ſicut in Romana Eccleſia conſuetudinis eſt) in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe cum ingenti tripudio & lætitia innumerabilis populi Chriſtiani Pontificali Regno magnificè & ſolemniter extitit coronatus. Qua quidem Vobis ideò nunciamus, ut ſicut obitus memorati Domini Gregorii Vobis amaritudinem & triſtitia calicem propinavit, ſic de præſentis Patris conceſſione cœlitùs Vobis & Nobis ſacta, gaudii & exultationis ſpiritum aſſumatis. In illo enim, cujus vices idem Dominus Noſter gerit in terris, firmam ſpem fiduciamq́, tenemus, quòd ſub ejus felici regimine ſtatus Romana & univerſalis Eccleſia reflorebit, & Orthodoxa fides felix optatumq́, ſuſcipiet incrementum. Salvator Noſter Jeſus Chriſtus diù & feliciter in ſuo ſervitio vos perſeverare faciat juxta vota. Datum Romæ 19 dicti menſis Aprilis ſub ſigillis noſtris Petri Portuenſis Epiſcopi, Guillelmi S Stephani in Cœlio Monte Presbyteri, & Jacobi S. Gregorii ad Velum aureum Diaconi Cardinalium hic prioritatis locum obtinentium in ordinibus antedictis. His ſimiles dederunt etiam ad Cæſarem, Reges, & Principes.

Cùm verò Urbanus vixdum in throno Pontificio ſtabilitus eſſet, ex ambitione quadam à ſe ipſo mutatus, viſus eſt omnem ſtatim humanitatem atque prudentiam, qua priùs enituerat, exuiſſe. Illicò enim ſeverè cœpit in ſuæ dignitatis auctores animadvertere; incenſo ſtudio ſed intempeſtivo eorum mores increpare; à donis ac muneribus accipiendis, à Simoniæ ambitu & labe, ut abſtinerent, jubere; vitia corruptiſſimorum temporum tollere, ac mores depravatos auſtero rigore emendare, aliaque id genus adjicere, quæ animos mitioribus Pontificibus aſſuefactos, atque Italorum moribus adverſos in pœnitentiam à ſe creati Pontificis adduxêre. Faciliùs fortaſsè perditorum etiam hominum impetum prudentiâ fregiſſet, ſi temporum memor præſentibus obſecundâſſet; & meliora voto expetere, turbulentam & infirmam ſuam electionem diuturniori Cardinalium obſequio ſtabilire, & dulci præludio ad graviora excipienda, mentes Potentum allicere curâſſet. Non tulit hoc elati animi, & infauſti temporis conditio. Principes aliquot, eoſque potentes, & ad arma paratos, in ipſis Pontificatus auſpiciis offendit: nam Othonem Brunſvicenſem Joannæ Siciliæ Reginæ virum contempſit: Honoratum Cajetanum Fundorum Comitem, Campaniæ Præfecturâ ſpoliavit; pluresque alios principes viros, immoderato dominatu irritatos, in ſe concitavit. Ita aliorum iræ Cardinalibus malè cogitantibus opportunitatem præbuêre publicæ pacis perturbandæ. Româ æſtûs, cœlique gravitatis ergò Anagniam primo digreſſi (at diſſimulanter) mox Fundos Cajetani Comitis in ditione Joannæ Reginæ urbem palàm conſpirantes Galli omnes Cardinales conceſſerunt: callidè advocati Itali ſub ſpe promiſſæ unicuique ſeorſim ſupremæ dignitatis; ſed plenis Comitiis, & concordibus ſuffragiis Itali & Galli Cardinales Robertum Gebennenſem Cardinalem, virum ſummo loco natum, ciendiſque turbis apprimè idoneum, ejurato Urbano, Romanum Pontificem ſalutârunt XIII. Kalendas Octobris ejuſdem anni 1378. quatuor duntaxat menſibus, & undecim diebus elapſis ab electione Urbani, cui *Clementis VII.* nomen impoſuêre. Clemens Pſeudo-Solium ſtabiliturus, extemplò literas cum Oratoribus ad Francorum Regem miſit, monens

Urbanus dum Eccleſiaſticorum mores corrigere ſtudet, auſterus habetur.

Principes aliquos offendit

Clemens VII. Pſeudopontifex eligitur.

ne ullam fidem literis aut Nunciis Urbani ſe Pontificem maximum prædicantis haberet, utpotè vi, ac vitio creati, eaque de cauſa à ſacro Senatu exauctorati.

Sanior Orbis Chriſtiani pars ab Urbano ſtat.

At pro Urbano ferè ſemper contra Clementem ſtetêre Italiæ populi, Germaniæ, Angliæ, Hiberniæ, Hungariæ; Belgæ quoque Britanni, & Luſitani; eique mutatâ ſententiâ tandem Arragones, & Catalani adhæſerunt, Clementis partes ſequentibus duntaxat Gallis, qui ſtatim confœderatos Scotos, mox Navarræos, deinde Hiſpanos legationibus multis in ſuam ſententiam pertraxerunt. Porrò bella, jurgia, lites, ac proceſſus, quæ Urbanum inter & æmulum Clementem longo tempore interceſsêre, deſcripſimus in Purpura docta *lib. 2. n. 68.* ubi acta Roberti Gebennenſis Cardinalis Pſeudopontificis ex profeſſo proſecuti ſumus. Eò lectorem curioſum, ne hic crambem recoquere compellamur, remittimus.

Pro Urbano VI. ſtetit S. Catharina Senenſis.

Item S. Catharina Suecica.

B. Petrus Aragonius.

Baldus Juriſconſultus.

Et Joannes Lignanus.

Cæterùm triginta duo volumina hujuſce Schiſmatis ſervantur in Archivio Vaticano, in quibus omnia congeſta reperiuntur, quæ pro utraque parte acta, vel ſcripta ſunt. Habentur ibi Doctorum virorum Tractatus varii, Urbanum verum Pontificem probantes: Extant & Catharinæ Senenſis ſanctiſſimæ Virginis Epiſtolæ ad Imperatorem, ut illum legitimè electum crederet, ac veneraretur: aliæ ejuſdem argumenti ad Italicos Cardinales, qui ab Urbano deſciverant, ut relicto Antipapa Clemente, ad ſanam mentem & obſequium Urbano debitum redirent: nonnullæ ad ipſum Urbanum, quibus illum hortabatur ad Eccleſiam Romanam novis, iiſque optimis Cardinalibus muniendam, qui eſſent veluti Columnæ firmiſſimæ, & ad omnem Satanæ impetum inconcuſſæ. Octo ejuſmodi literas ad Urbanum datas enumerat Andreas Victorellus in Additionibus Ciaconianis, ex quarum lectione pius lector non mediocrem ſacræ voluptatis fructum hauriet. Catharina altera, Sueca natione, ſanctitatis & ipſa gloriâ celebris, Virgo & vidua, ſanctæ Brigittæ filia, Romanæ Eccleſiæ Præſidem, univerſique Catholici gregis legitimum Paſtorem profeſſa & venerata eſt. Fr. Petrus Aragonius Infans, ordinis Minorum alumnus, regia nobilitate non minùs, quàm ſanctitate, ac revelationum dono illuſtris Urbanum verum Pontificem nunciabat. Baldus peritiſſimus Juris Civilis & Pontificii Interpres, ſuper hac ipſa re conſultus reſpondit; Urbanum ſibi videri verum legitimumque Pontificem, proque tali tenendum. Joannes quoque Lignanus, celeberrimus & ipſe Juris utriuſque Doctor Urbani cauſam ſolidiſſimis argumentis adverſus Clementis aſſeclas propugnavit. Horum omnium ſuffragio accedit & ipſius Univerſalis Eccleſiæ conſenſus, cui contraniti, aut obloqui impium ſit, & temerarium: ut nihil memorem de literis Eligentium Cardinalium ad abſentes Patres Avenionem datis, ſuperiùs allegatis, quibus Canonica Urbani electio luculenter admodùm adſtruitur, & demonſtratur. Reliqua Urbani acta fuſiùs pertractata colligi poterunt ex Purpura docta loco paulò antè citato. Juverit etiam legere Palatium *in Urbano VI.*

Urbanus Deiparæ Virgini addictus.

Fuit verò Urbanus cultu Deiparæ Virginis addictiſſimus: hinc Lauretanum Domum, teſte Hippolyto Marraccio, ipſo die Natalis

lis Virginis piè viſentibus, cumulatiſſimam delictorum omnium Indulgentiam impertivit: Omnibus etiam pœnitentibus & confeſſis, qui matutino officio feſti Viſitationis B. Mariæ Virginis intereſſent, centum; qui verò Miſſæ totidem; qui autem primis ſeu ſecundis veſperis, ſimiliter centum; illis verò qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, ac Completorii officiis pro qualibet horarum ipſarum quadraginta dies: illis autem, qui per Octavam feſti prædicti Matutinis, Veſperarum, Miſſæ, ac prædictarum horarum officiis intereſſent, centum dies, ſingulis Octavarum ipſius diebus de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxavit. Sperabat enim fore, ut auxilio Dei Matris, quæ hæreſeon monſtra jugulavit, funeſtum hoc Schiſma funditùs deleretur.

Romæ Templum S. Mariæ Montis Serrati nationis Arragonicæ à fundamentis extruxit, ac Purificationi Deiparæ dicavit. Piè invocantibus *nomen Mariæ* trium annorum Indulgentiam, ac tot quadragenarum, perpetuis temporibus duraturam conceſſit. Juſſit quoque Annum ſacrum ſeu *Jubilæum*, per Clementem VI. de centeſimo ad quinquageſimum deductum, in futurum de trigeſimo tertio in trigeſimum tertium celebrari, ea motus ratione; quòd vita D. N. Jeſu Chriſti, per cujus mortem theſaurus Eccleſiæ cumulatur, triginta trium annorum curriculo compleatur. In Urbevetana civitate (quam peculiarem filiam ſuam, & Romanæ Eccleſiæ, obſervatam fidem, nominat) generale ſtudium, adinſtar Pariſienſis, ac Bononienſis erexit, & multis gratiis ac privilegiis exornavit.

Annum Jubilæi ad trigeſimum tertium contraxit.

Urbemveterem privilegiis ornat.

Migravit è vita anno à partu Virginis 1389. decimo quarto Kalendas Octobris, veneno, ut creditum eſt, ſublatus: Sedit, ſi ſediſſe dicatur, qui nullibi quietè commoratus, ſedes multas commutare coactus eſt, annos undecim, menſes ſex, dies ſeptem. Mortuus traditur ab Onuphrio, nullo recepto Eccleſiæ Sacramento, veneno utique ex inſperato ſuffocatus, quod ex tumore corporis poſt obitum apparente collectum eſt. Sepulchrum habuit in Vaticano perquam honorificum ex marmore, columnis, ſtatuis, ac ſymbolis affabrè factum, quod æri inciſum exhibet in *additionibus ad Ciaconium* Oldoinus: obiit autem nullo bonis relicto ſui deſiderio, nulliſque, præter conſanguineos, mortis impreſſo dolore: dictus ob auſteritatem & aſperum regimen *Turbanus* loco *Urbani*. De quo hæc poſteritati Scripta reliquit Ægidius Cardinalis Viterbienſis: *Urbano ex humanis erepto, nemo, qui potuerit lacrymas dare, inventus eſt.* Adjicit deinde, Urbani mortem Principibus admonitioni eſſe debere, ut ſciant, ſe ſummo loco à Deo poſitos, ut generis humani commodis proſpiciant, non ut ſuis cupiditatibus cum gregis diſpendio deſerviant: & eum, qui Urbanus vixerit, ſe quoque Urbanum moriturum ſperare poſſe.

Decedit non ſine porrecti veneni ſuſpitione.

Ob aſperum regimen nemini charus.

S C R I P T A.

Scripſit Urbanus Hiſtoriam Epiſcoporum Barenſium ad ſua uſque tempora eleganti ſtylo.

Ejus Scripta.

For-

Formulas item ſacrarum Precum.
Hymnos de quibuſdam Sanctis.
Epiſtolas plures, quæ extant tomo 7. Conciliorum.
Conſtitutiones Eccleſiaſticas, quæ leguntur in Collectione Romæ edita anno 1579.
Litteras Apoſtolicas, ſeu Bullas, quæ habentur in magno Bullario Laërtii Cherubini, & apud Ughellium *in Italia Sacra.*

Salvatoris Imago ab impio ſauciata ſanguinem fundit.

Hoc Pontifice ſedente, anno 1383. cùm vir impius, amiſsâ ludo pecuniâ, Crucifixi Salvatoris Imaginem blaſphemiis impetitam districto gladio diſſecuiſſet; & Deiparæ Virginis, aliorumque Sanctorum ſimulacris pari impietate vulnera inflixiſſet in Sacello Moguntinæ Urbi vicino, repentè ſanguis terrificus & admirabilis ad quemlibet ictum effluxit, qui adhuc viſitur, coliturque. Rem perbellè narrat Theodoricus Greſemundus ſoluta oratione, & eleganti carmine: illam, & hujus partem refert Serarius *libro 5. Rerum Mogunt. in Adolpho I. Archiepiſcopo.* Imagines vulneribus affectæ, & ſanguine conſperſæ ex ædicula ad S. Crucis Templum à Sacerdotibus translatæ fuerunt, ac publico fidelium cultui expoſitæ, ſtupendis etiamnum ſignis coruſcantes.

ANNO CHRISTI MCCCLXXXIX.
Imperatoribus Wenceſlao & Roberto Auguſtis.

DE

CCV. BONIFACIO IX. Pontif. Max.

Petrus Tomacellus Pontifex creatur.

URbanum VI. ritè funeratum excepit Bonifacius IX. Neapolitanus, Romæ Cardinalium omnium conſenſu Pontifex maximus creatus, Petrus anteà vocatus, nobili Tomacellorum proſapia oriundus, mente ſenex, ætate juvenis, virtute angelus: præclaro elogio, (quod audire præſtat) ab Ægidio Cardinali Viterbienſi poſteritati commendatus: *Bonifacius*, inquit,

Ejus elogium ex Ægidio & Platina.

Nonus, omnium, qui unquam fuerunt Pontificum, ut maximè juvenis, ità & maximè integer, maturus, & gravis: etſi florenti ætate juvenis, præter morem, extitit tamen inſigni virtute ſenex: ac velut id faſtigium nemo junior, ità nemo attigit modeſtior, prudentior, gravior: agebat is ætatis annum circiter trigeſimum; quem homines in ætatis flore tantâ ſapientiâ, virtute, moderatione præditum, non ut hominem ſuſpiciebant, ſed ut Numinis effigiem prædicabant, colebant, admirabantur. Nihil in illo juvenile, nihil leve, nihil prætereà, quod vel ad luxus, vel ad voluptatis mollitiem inclinaret; facilis aliis, uni ſibi durus; ad bonos excipiendos mitiſſimus leniſſimusq́; ad malos coërcendos ſeveriſſimus, atque conſtantiſſimus: utrumque in Pontifice damnabat, in probos improbosq́; æquam vel manſuetudinem, vel ſeveritatem: eum alterâ in alteros, alterâ uti in alteros oportere. Nemo hoc Pontifice in conſiliis capiendis prudentior, nemo in rebus diſponendis accuratior, nemo in peragendis celerior, expeditior. Primus in Hadriani Mole arcem firmavit; primus

mus Tiberis aditus, ponteſq́. communiit, primus vim populi Romani in Pontificem retulit. Ægidio paribus propè verbis adſtipulatur Platina: *Hic etſi annorum circiter triginta, dum Pontificatum iniit, ita tamen deinceps vixit in tam florida ætate, & tanta peccandi licentia, ut nulla ei libido, nulla voluptas impingi vel objici poſſet: ſic ut juventutem cum ipſa ſenectute commutaſſe videretur. Fuit præterea tanti animi conſiliiq́., ut primus populi Romani vim omnem in Pontificem tranſtulerit, creatis ſuo nutu Magiſtratibus, munitaq́. S. Angeli arce in Mole Hadriani ſita ad Tiberis pontem, quo ab Urbe in Vaticanum itur; munitiq́. item pontibus, quibus in Transtyberim Romani commeant.*

Bonifacius poſt ſuam electionem Principes omnes Reipublicæ Chriſtianæ, ac Prælatos literis encyclicis de ea admonuit, tum iſtos, qui Urbano adhæſerant, confirmando; tum cæteros ad unionem Eccleſiæ hortando. Porrò multa egregia optimi Pontificis ſigna ac documenta dedit: antiqua ſiquidem Minorum privilegia novis Diplomatibus Apoſtolicis firmiora reddidit, Minorumque multos ad Tartaros, ut illorum converſioni incumberent, direxit. Cavenſem Abbatiam, in qua monaſtica diſciplina obſoleverat, pulſis Monachis, in Cathedralem Eccleſiam, & Cavum oppidum in Civitatem erexit. Liparenſem in Sicilia à Pactenſi Eccleſia ſejunxit; & Savonenſi Cathedrali duraturam perpetuò Indulgentiam conceſſit, ut fidelium eleemoſynis imminutus in ea divinus cultus augeretur. Olyſipponenſem Præſulem in Archiepiſcopum evexit, Conimbricenſi Epiſcopo eidem ſubjecto. Sacram Deiparæ Virginis imaginem à S. Luca depictam, quæ in Eccleſia principe Urbis Spoleti ſumma veneratione aſſervabatur, viſitationibus, cunctorum erratorum veniam indulſit. Celebritatem Viſitationis ſanctiſſimæ Virginis Genitricis Dei Mariæ, ab Urbano VI. inſtitutam, ut alibi diximus, confirmavit, ac ea propter Conſtitutionem edidit. Conſtitutiones Impp. Friderici II. & Caroli IV pro Eccleſiæ immunitate factas, nova pariter Conſtitutione roboravit: ac B. Birgittam viduam miraculis claram inter Cœlites retulit.

Literas Encyclicas ſcribit.

Multa egregiè operatur.

Anno 1394. orta Romæ ſeditione, Benedictus Pontifex à *Banderiſiis*, ſeu Regionum Urbis Præfectis non modò deſpectui habitus, ſed ab illis varias ac multas perſecutiones eſt paſſus. Menſe enim Majo dicti anni, Banderiſii unà cum populo Romano inſurgentes, adeò contra Bonifacium ſuccenſuêre, ut tantùm non occiderint. His verò malis ſe ſe Bonifacio oppoſuiſſe Ladislaum Apuliæ Regem ſcribit S. Antoninus; quippè qui tunc Romæ exiſtens ad quasdam à Pontifice gratias impetrandas, armis correptis eum ab injuriis Romanorum defenderit. Româ diſceſſit Bonifacius: & Peruſium primò, deinde Aſſiſium, ac paulò pòſt Spoletum, rurſumque Aſſiſium ſe contulit.

Orta Romæ ſeditione indignè habetur.

Appropinquante verò ſacro Jubilæi anno, Legati Romanorum Pontificem adeunt, rogantes, ut Aſſiſio Romam proficiſci non gravaretur: Pontifex etſi id magnoperè cuperet, tamen diſſimulato prudenter deſiderio, facturum ſe, quod petebant, negavit: quòd diceret, eos noluiſſe recipere Senatores ex nobilitate externa ſecundùm conſuetudinem, & inſtituta priorum Pontificum; quod-

Revocatur Romam, & Romanos obſequentes nanciſcitur.

 que

que Romanæ Cameræ Conſervatores ſuopte ingenio delegiſſent, homines rerum ignaros, parumque idoneos, quorum ignavia Banderiſiis omnia licerent. Tum verò Romani, ut rem gratam Pontifici facerent, quippe inteſtinis diſcordiis feſſi, Banderiſios ante omnia tollunt, & Malateſtam Pandulphi filium Piſaurienſem regulum, virum ſpectatæ virtutis & fidei, Pontificis nomine in Senatorem recipiunt, pecuniasque inſuper Boniſacio ſufficiunt, quò ei ad Urbem proficiſci cum honore liceret. Qui Urbem ingreſſus, tantum conſilii, prudentiæ, & auctoritatis habuit in recuperanda ditione Eccleſiaſtica, ut, quod nulli anteà Pontificum contigit, ſummum Urbis imperium, abſolutumque dominatum, dedentibus ultrò civibus, obtinuerit. Eleganter id indicat Ægidius Cardinalis Viterbienſis in ſua M.S. Hiſtoria ſubjectis verbis: *Nulla vis*, inquit, *nulla arma, nulli Imperatores, nullum barbarum robur, Romanos hactenus domare, aut obtemperantes reddere potuêre: tot bella, tot exercitus, tot incendia, tot direptiones, tot cenſura, tot anathemata, tot anni, tot ſacula in vanum adhibita fuiſſe ſunt viſa. Solus id Boniſacius fecit: ſolus poſt tot ſacula præſtitit: & quod alii jubendo, bellando non potuêre aſſequi, hic fugiendo, diſſimulando, cunctando eſt aſſecutus: rurſusq; à Sacerdotibus illud Ennii cantitatum:* Unus homo cunctando reſtituit rem. *Fecit itaque Pontificis ſapientia, ut obſervato tempore, paréret jam Eccleſia Urbs Roma; fecit continentia & ſanctitatis opinio, ut Romani contraire non auderent; fecit magna virtutis auctoritas, ut poſt tot ſacula, omnia tandem Roma nutu Pontificis adminiſtrarentur. Tanti intereſt, ſobrium, pium, prudentem, ſanctum eſſe, qui aliis præeſt. Virtuti nulla obſtat machina.*

Jubilæum celebrat.

Celebrato deinde Romæ (anno ſalutis 1400.) Jubilæo, quo innumera ferè hominum multitudo ad Urbem religionis causâ venerat, ritu ſolemni apertam per anni ſpatium Portam ſanctam clauſit, & quæ ſeminaverat, lætus meſſuit, infinitam animarum multitudinem indulgentiis lucratus. Hoc tamen conſtat, ex tanta mortalium colluvie, maximam partem peſtilentiâ tum ſæviente abſumptam eſſe.

Robertus Bavariæ Dux adverſus Vicecomites in Italiam evocatur.

Eo tempore Florentini ac Veneti Galeatium hoſtem à cervicibus ſuis avertere cupientes, Robertum Bavariæ Ducem & Comitem Palatinum Rheni (quem Imperii Electores, abrogato ob ignaviam Wenceslao Bohemo, Auguſtum Cæſarem dixerant) hac conditione in Italiam advocant, ut non priùs promiſſam mercedem accipiat, quam Vicecomitis Ducatum attigiſſet: qui Brixianum agrum ad Benacum cum exercitu ingreſſus, parte pecuniarum accepta, cum Galeatii copiis congrediens ſuperatur, ac Tridentum fugâ non rediturus dilabitur. Retinere Cæſarem Veneti & Florentini, multa licèt polliciti, quò minùs in Germaniam, diſcordiis ob exauctoratum Wenceslaum plenam, rediret, nequaquam potuêre.

Boniſacium ærarium curat.

Tum verò Boniſacius Vicecomitum potentiam veritus, animum ad augendum ditionis Eccleſiaſticæ ærarium adjecit: hinc ſtatuit, nullum deinceps ad Epiſcopatum, vel Abbatiam, vel Sacerdotium aliquod promovendum fore, niſi dimidiâ parte primi anni reddituum Cameræ Apoſtolicæ perſolutâ, neceſſitatis Eccleſiæ ſublevandæ titulum prætexens. Sunt tamen, qui hoc inventum Joanni XXII adſcri-

ſcribant. Hanc autem Conſtitutionem omnes ejus obedientiæ Clerici, præter Anglos, admisêre: qui id in ſolis Epiſcopatibus conceſsêre, in cæteris verò Sacerdotiis negarunt.

Auctâ hoc modo pecuniis ditione Eccleſiaſticâ, ac confirmato in omnem eventum ærario Apoſtolico, delectiſque ſuo nutu in Urbe Magiſtratibus, ac munitâ operibus ac præſidio Hadriani mole, Pontifex Ladislaum adoleſcentem Caroli Neapolitani Regis filium, hactenus exulem, in Regnum paternum, à tyrannis & populis, qui partes Ludovici Andegavenſis ſecuti fuerant, occupatum reſtituit. Quò autem faciliùs, & honeſtiùs id fieret, privationem Caroli ab Urbano VI. Nuceriæ factam abrogavit, Cardinalemque Florentinum Angelum Acciaiolum Legatum Cajetam miſit, quæ ſola in fide remanſerat, ut eò loci adoleſcentem coronaret, ubi ſumma cum fide ſervatus fuerat. Acceptâ Coronâ Ladislaus regnandi cupidus priuſquam fundamenta Regni Neapolitani confirmaſſet, accitus ab Hungaris, ad illud quoque regnum jure hæreditario ſuſcipiendum, cùm copias trajeciſſet, Jaderamque obſideret, certior ab amicis factus eſt, Neapolitanos, & aliquot Regni Proceres ad defectionem ſpectare: Jaderâ mox expugnatâ, Venetiſque divenditâ, cum exercitu Neapolim regreſſus, omnes Regni Proceres dominatu privavit: recuſantes parére è patria expulit; ac in Severnatum familiam, ceu rebellionis fontem, crudeliter animadvertit, primoribus ejus ultimo ſupplicio affectis. Quemadmodùm fuſiùs in Purpura docta *lib. 2. n. 88.* oſtendimus.

Ladislaum Regem reſtituit, ac coronat.

Interim verò mortuo Clemente VII. adulterino Pontifice, atque in ejus locum à Pſeudocardinalibus ſuffecto Petro de Luna, dicto Benedicto XIII. miſſi ſunt ab eodem ad Bonifacium Romanum Pontificem Legati Romam, rogantes, ut ambo ſimul Pontifices in aliquo loco commodo convenirent de unione Eccleſiæ, ac Schiſmatis extinctione tractaturi, ad quod Benedictus paratiſſimum ſe exhiberet. Pro reſponſo remiſſi Nuncii Benedicti in alium diem, eò quòd Bonifacius ægrotaret vehementi calculi dolore, ad feſtum S. Michaëlis iterum redierunt priora repetentes. Verùm haud ſatis grato accepto reſponſo, quo aſſerebat Bonifacius *ſe verum eſſe Pontificem, ac Benedictum ſpurium à Schiſmaticis intruſum, nullaq́ue lege tolerandum*, graviter offenſi, ingratiora & ipſi verba reddiderunt: quibus commotior factus Bonifacius, febre ad dolorem calculi accedente, ſupremum diem obiit ipſis Kalendis Octobris anni 1404. poſtquam Romanæ Eccleſiæ (quam ex media annata ditiſſimam reliquit) præfuiſſet annis quindecim, menſe minùs. Sepulturam habuit in Baſilica Vaticana nobiliſſimam, opere vermiculato, columnis, ac ſtatuis diſtinctam, cum ſequenti Inſcriptione:

Clemens Pſeudopapa moritur, eiq́ue ſufficitur Petrus de Luna dictus Benedictus XIII.

Bonifacius moritur.

Flete ſuper pugilem, claves, crux, alma thiara,
Eccleſia viduata viro, ſimul inclyta Roma.
En petra parva Patrem ſub cælica ſidera primum
Claudit, Apoſtolicis ſolium qui rexit habenis,
Catholicamq́ue fidem: ſervans à turbine ſanctum
Remigium Chriſti, victu virtute Tyrannis.

Ejus Epitaphium.

Orthodoxus erat ſuper omnes, arca ſuperni
Conſilii ſua jura tuens, & grandia tractans
Cæſaris ex animo, fidei clypeatus honore,
Corpore conſpicuus. roſeus flos, fæmine conſtans,
Auditorq́; placens, miſeris miſerator opimus.
Oſſa jacent, mens alta Polum felicibus alis
Aſcendens micat ante Deum nova lucis origo.

Caſtitatem vitæ refert.

Ejuſdem Bonifacii honori, ac vitæ puritati valde facit, quod refert S. Antoninus; videlicet cùm eidem lethaliter decumbenti aſſeretur poſſe ipſum convaleſcere, ſi fœminæ commiſceretur auditu horruiſſe, ac mortem vitæ prætuliſſe: Qua ſanè una re multas potuit alias vitæ maculas, ſi quas habuit, eluere. Divi Antonini verba hæc ſunt: *Pontifex verò infirmatus graviter ex febre, & calculo, intra triduum ſpiritum reddidit. Et multis vulgatum eſt, quòd cùm ſecundùm medicinam carnalem diceretur ipſi, quòd per coitum cum muliere liberaretur à calculo, ex quo deceſſit: minimè acquieſcere voluit tanto ſacrilegio contra divinam legem: eligens potiùs pudicè mori, quàm impudicè vivere: & ideò valdè, ut par erat, commendatus fuit.* Qui quidem morum integritate, ac virtutum cultu, conſtantibus & utilibus Reipublicæ Pontificibus annumerandus, plurimorum judicio, cenſetur. Quamquam non deſint (ut virtus ſemper invidiam habet) qui ipſum nimiæ avaritiei ob introductas annatas; nimiæque profuſionis in propinquos, quos opibus Eccleſiaſticis ditârit, mireque extulerit, graviter inſimulent.

S. Antonini de eo teſtimonium.

Memorabile prælium.

Eo regnante, admirandum illud maximeque memorabile prælium conſertum eſt inter duos maximos Duces Bajazethem IV. & Tamurlanum Tartarorum Regem, victoriâ, devicto Bajazethe, à Tamurlano ſtante. Quod deſcriptum lector inveniet in Purpura docta *lib. 2. n. 102.*

SCRIPTA.

Bonifacii Scripta.

Scripſit Bonifacius Epiſtolas multas, quæ, teſte Ludovico Jacobo à S. Carolo, manuſcriptæ aſſervantur in Bibliotheca Vaticana: Edidit etiam Conſtitutiones aliquas Eccleſiaſticas, quarum meminit Victorellus, & Oldoinus.

Bonifacio verò inſcripſit Epiſtolarum librum Gualterus Diſſæus, non Burdegalenſis, ſed Anglus Carmelita, & Bonifacii Legatus in Anglia, ut teſtatur Joannes Pitſæus de Scriptoribus Anglicanis.

ANNO CHRITI MCCCCIV.

Imperatoribus Wenceslao, & Roberto Auguſtis.

DE

INNOCENTIO VII. Pont. Max.

Poſt

CCVI.

POſt obitum Bonifacii IX. cùm non niſi duodecim Cardinales viventes in obedientia Romani Pontificis ſupereſſent, quorum quatuor Româ aberant, octo reliqui duodecima Octobris anni 1404. Conclave apud S. Petrum in Vaticano ingreſſi, hoc ſe ſe juramento adſtrinxiſſe feruntur; *ut quiſquis ipſorum Pontifex renunciaretur, liberè Pontificatu ſe abdicaret, quoties alterius obedientiæ Papa idem faceret, ſchiſmatis tollendi causâ.* Ac licèt Rex Francorum Carolus VI. confeſtim, ut audiviſſet Bonifacii obitum, curſorem ad Cardinales miſiſſet cum literis, quibus rogabat differre ſucceſſoris electionem, donec honorabilem à ſe mittendam ad eos pro rerum accommodatione legationem accepiſſent, nihilominus fuit priùs omnium votis electus CoſmatusÉlioratus, patria Sulmonenſis, honeſtis ortus parentibus, tum Presbyter Cardinalis titulo S. Crucis in Hieruſalem, & S.R.E. Camerarius: qui dictus Innocentius hujus nuncupationis Septimus, cunctis maximi & optimi Pontificis dotibus ornatus reſplenduit, vitæ nimirum integritate, morum elegantia, humanitate, doctrina, pietate, continentia, & liberalitate: fuitque inſuper Eccleſiaſticæ liberatatis vindex acerrimus, Apoſtolicæque ditionis ac jurium aſſertor unicus. Quem ut laudemus, ſatis fuerit dicere, laudari ipſum à Theodorico Niemo ejus ævi Romanorum Pontificum obtrectatore maximo, hoſteque juratiſſimo, *uti mitem, probum, benignum, caſtum, non ſuperbum, non avarum, non cupidum, Simoniæ oſorem, & experta in rebus agendis induſtria.* Quamvis nonnihil eum carpat, quòd ſuos properè divitiis augere ſategerit, nempè ut familiam *Melioratam* melioraret.

Coſmatus Melioratus Pontifex eligitur dictus Innocentius VII.

Cùm autem audito Bonifacii deceſſu, Ladislaus Siciliæ Rex quàm citiſſimè cum magnis copiis acceſſiſſet ad Urbem, intendens operam dare, ut ad Sedem Petri eligeretur ſibi benevolus, & amicus; & appellens reperiſſet Innocentium jam electum, honeſtiſſimam ſalutandi & gratulandi cauſam ſui acceſsûs prætexuit, ac ſe copias in favorem Eccleſiæ duxiſſe, quò ad electionem faciendam liberiores forent Cardinales. Erat tamen revera augendi regni cupiditas, cùm jam Apuliæ Regno ſub manu ejus redacto in id potentiæ excreviſſet, ut planè formidabilis haberetur. Callide autem in his progrediens, primò clam Romanos adversùs Pontificem commovit, exiſtimans, Innocentium illorum petulantiam non ferentem ex Urbe migraturum, & Romanos inde ad ſe converſum iri. Deinde ſimulans favere Pontifici, conſtituit ſe quaſi mediatorem ad concordiam inter eos perficiendam; hac facta conventione, ut gubernatio Urbis in temporalibus penes populum reſideret, in manu videlicet decem Virorum per eos vocandorum, illa autem pars quæ dicebatur Leonina, ſcilicet circa S. Petrum Pontifici remaneret cum arce S. Angeli, ac Senator Urbis de voluntate Pontificis, & conſenſu populi aſſumeretur. Quæ tamen pacta diù non durârunt, ac Rex, obtentâ ad triennium à Pontifice Campaniâ, reverſus eſt Neapolim, motus in dies novos Pontificem inter & populum Româ expectans.

Ladislaus Siciliæ Rex dolosè agit cum Pontifice.

Intereà conſiderans Innocentius, quanta mala, & damna tam

Anathemate percutitur. Sedi Apoſtolicæ, quàm aliis Eccleſiis, ac locis, nec non Regno Siciliæ Ladiſlaus intuliſſet, ac inferre quotidiè pergeret, bonis, & perſonis Eccleſiaſticis, regularibus, ac ſæcularibus, continuis graſſationibus, exactionibus; nec item Proceribus Regni parcens etiam illis, quorum auxilio & opibus Regnum obtinuerat, quin eos carceribus, exiliis, ſpoliationibus, ac ſuppliciis tyrannicè afficeret, omni ſpe depoſita illius emendationis, menſe Junio in publico Cardilium, Magiſtratuum, Prælatorum, Senatus, Populique Romani, & aliorum Conſiſtorio, propoſitis in eum diverſorum criminum articulis ſexdecim, atque in primis perjurii, proditionis, & conſpirationis in ipſum Pontificem, anathemate illum percuſſit, & Regno, ac terris, quas à Romana Eccleſia tenebat, privatum, pœniſque ac cenſuris ab Urbano VI. olim contrà Carolum ejus patrem, ac poſteros latis irretitum declaravit, ac rem geſtam publicis ad Imperatorem, Reges, ac Principes Chriſtianos ſcriptis literis promulgavit.

Inducias impetrat. Quibus rebus percuſſus Ladiſlaus miſſo è veſtigio ad Pontificem Oratore, & obtentis aliquot dierum induciis, mitti ad ſe Paulum Urſinum nobilem Romanum, qui fidelem Pontifici ſemper operam præſtiterat, unà cum Ludovico Meliorato nepote Pontificis ad res componendas expetiit, & impetravit. Iis ab ipſo ſuprà modum honoratis, & muneribus oneratis, ſimulatam aliquam concordiam confecit, juſſo etiam Caſtro S. Angeli, quod per fraudem occupaverat, Pontifici reſtitui. Narrant hæc Niemus, & Aretinus, quorum tamen nihil leges apud Collenutium, & Summontium rerum Neapolitanarum Scriptores.

Anno ſalutis 1405. Quum Romani, urgente eos ad ſeditionem Ladiſlao, reſtitui in libertatem, reddique ſibi Capitolium, pontem Milvium, & arcem Hadriani ab Innocentio peterent: inſtarentque item, ut Schiſma, rem pernicioſi exempli, de Eccleſia tolleret; bella & ſeditiones extingueret, atque adeò publicam tranquillitatem, juxta promiſſionem in Conclavi factam, procuraret; Rege Gallorum ad eam rem operam ſuam pollicente, ac Petro de Luna Antipapa nequaquam tantam concordiam abnuente, Pontifex, ne precibus eorum reluctari videretur, ipſos ad Ludovicum Melioratum nepotem, Eccleſiaſticarum copiarum Ducem, apud hoſpitale ſancti Spiritus via ſaxea tum habitantem, ut cum eo de ſtabilienda concordia conſilia agitarent, remiſit. Obſequuntur Romani: Ludovicum adeunt: commiſſa detegunt: remedia conquirunt, & pacem poſtulant. Ludovicus ſupremam ea re Pontificis auctoritatem convelli ratus, nobiliſſimos cives, quorum undecim erant, intromiſſis clàm lictoribus ceu rebelles necari, eorumque corpora per feneſtras in publicum jactari præcepit, altùm vociferando: *hoc modo, & non alio ſeditiones, & Schiſmata tolluntur.* Hac autem ſævitia motus populus Romanus, accito per Oratores Ladiſlao Siciliæ Rege, ad arma convolat, ſupplicium de Ludovico ſumpturus. Verùm Pontifex declinaturus populi furorem, Nonis Auguſti cum Curia & Ludovico Viterbium citato greſſu proficiſcitur. Tum verò populus, cùm ſævire in auctorem tanti facinoris non poſſet, in aulicos iram omnem exonerat, quorum ædes everſæ, ac bona magnâ ex parte

Ludovicus Melioratus Pontificis Nepos, auctoritate ſua abutens, aliquot è Primoribus interficit.

Furor populi Romani.

direpta

direpta ſunt. Servati tamen quidam dicuntur in ædibus Cardinalium Romanorum, qui adjuvantibus clientibus, ægrè tamen ad ſe confugientes tutati ſunt. Capto deinde Capitolio, occupatoque ponte Milvio, arcem Hadriani oppugnare fruſtrà conati ſunt, adjuvantibus etiam Romanos Joanne Columna Trojæ Comite, Gentile Monterano Carrariæ Comite, egregiis copiarum ducibus, & Ladiſlai Regis auſpiciis militantibus. Verùm ſuperveniens Paulus Urſinus mandato Pontificis, cum Moſtarda, & Cecholino turmarum Præfectis, in pratis Neronianis Joannem Columnam, & reliquam Ladiſlai militiam fundunt, fugantque.

Romani ſe dedant Pontifici.

Cognitâ autem Pontificis in occiſione Civium innocentiâ, Romani tot malis circumventi, cùm & homines & eorum pecora abigerentur, reſidente etiam ira jam anteà concepta, ſupplices Legatos ad Innocentium mittunt, ſe ſuaque omnia ejus imperio ſubmittentes, ac claves Urbis cum omni dominatu, datis in fidem obſidibus, offerentes. Erat enim naturâ comis, & blandus, ab omni vindicta & cæde abhorrens, adeoque Pontificii juxtà ac Civilis juris peritus, ut facilè homines tum rationibus, tum ſuavitate dicendi in ſui ipſius ſententiam alliceret.

Ladiſlaus iteratò excommunicatur, regnoq; privatur.

Pontifex Cardd. creat.

Rebus hoc modo compoſitis, acceptoque in fidem Capitolio, & Magiſtratu, die 13. Martii anni 1406. Urbem ſub fauſtis acclamationibus ingreſſus, Ladiſlaum ante omnia tot malorum auctorem iterato anathemate percuſſit, regnoque privavit: tùm rebus in Urbe ſuo arbitratu conſtitutis, firmatiſque, plures Cardinales in ſacrum Senatum delegit; quorum de numero fuit Angelus Corarius, patria Venetus, titulo ſancti Marci Presbyter Cardinalis, in Pontificatu Gregorius XII. appellatus: fuit & Petrus Philargi ordinis Minorum, natione Cretenſis, Presbyter Cardinalis Baſilicæ SS. duodecim Apoſtolorum, Alexander V. deinde vocatus: tertius habitus eſt Otho Columna, natus è Principibus Romanis, Diaconus Cardinalis S. Georgii in Velabro, qui poſteà ſub nomine Martini V. Eccleſiæ præfedit.

Innocentii obitus.

Confirmato autem hoc pacto Pontificatu ſuo, Ludovicum nepotem agri Piceni Marchionem creat, eundemque Firmanum Principem conſtituit. Ipſe verò non diù pòſt apoplexiâ tactus, ſenex, & grandævus Romæ moritur, Pontificatus ſui anno ſecundo, VIII. Idus Novembris anno ſalutis 1406. ſepeliturque in Baſilica S. Petri in Sacello, quod olim Pontificibus ſepeliendis dicatum erat, Sancti Thomæ titulo inſignitum, Pœnitentiariorum uſibus hodie præcipuè ſerviens, quod quidem vetuſtate & ſitu corruens, Nicolaus poſteà V. reſtituit, notato etiam hoc Epitaphio Innocentii ſepulchro.

INNOCENTIO VII. PONT. MAX.
QUUM NEGLECTI EJUS SEPULCHRI MEMORIA PENE INTERIISSET,
NICOLAUS V. PONT. MAX.
INSTAURANDAM HIC CURAVIT.

Auguſtinus Oldoinus *in Additionibus ad Ciaconium* lepidam ex Bernardino Scardeonio hiſtoriam de Innocentio VII. narrat, quam hìc

Hiſtoria lepida de Innocentio ex Scardeonio & Oldoino. hic paucis referre placet. Andreas Mantineus celebris illius ævi Apelles, Innocentii juſſu Sacellum Pontificium in Vaticano picturis ornare, opulentæ remunerationis ſpe illectus, aggreſſus fuerat. Opus, quod in dies creſcebat, ſingulis ferè diebus Pontifex ſummis laudibus celebrabat. Pictor auri æquè ac laudum cupidus, nihili Pontificis laudes ſine auro faciens, ira ſuccenſus, & moræ impatiens, miro artificio injuriam illam tali modo proſequi meditatus eſt. Juſſerat Pontifex, ut ſeptem capitalia peccata, in certa Sacelli parte coloribus exprimeret; ille ſpatium circumſcriptum cùm menſus fuiſſet, loco ſeptem octo ſpatia ſtabilierat. Miratus Innocentius, illicò quale monſtrum ſeptem aliis ſimile in octavo ſpatio pingere decreviſſet, petiit. Cui Pictor, in octavo hoc intervallo efferum ingrati animi monſtrum, omnium vitiorum turpiſſimum, collocare conſtitui. Pontifex Pictoris mentem aſſecutus, ſubridens reſpondit; placet novitium inventum: placet ut exprimas ingrati animi vitium, ſed proximam illi collocabis patientiam, virtutum omnium reginam: deinde larga manu perfectum opus multo auro rependit.

SCRIPTA.

Innocentii Scripta. Scripſit Innocentius Epiſtolas quaſdam ad diverſos ex Andrea Ducheſnio in Vita, & ex Luca Waddingo *tomo 5. Annalium Minorum*: Quarum unâ tempus officii Miniſtrorum Provincialium in Seraphica familia, & Abbatiſſarum S. Claræ ordinis præſcripſit. Reperitur etiam ſingulares litteras ſcripſiſſe ad Capitulum Eccleſiæ Sulmonenſis, cui mitram Pontificalem pretioſis lapidibus intextam, ad uſum dictæ Eccleſiæ perpetuum, dono miſerat anno Pontificatus ſui primo: Has exhibet integras Oldoinus *in addit. ad Ciac.*

Refert Gavantus *in Theſauro ſacrorum Rituum* edicto juſſiſſe Innocentium, ut Symbolum recitetur in Miſſæ Sacrificio diebus ſancto Joanni Baptiſtæ, & ſancto Laurentio Martyri ſacris, quando die Dominico eorum feſtivitates fideles celebrant.

Edidit quoque Vindicias pro immaculata B. Virginis Mariæ Conceptione adverſus Doctorem Theologum Joannem Manteſonem qui in ſuis concionibus affirmarat Deiparam in peccato fuiſſe conceptam, eundemque ad palinodiam recantandam compulit, uti referunt Robertus Ganguinus *in hiſtoria Francorum*, Joannes Baptiſta Lezana *in Apologetico pro Conceptione immaculata* conſcripto, Mauritius Hilaretus *in Homiliis*, & Hippolytus Maraccius *in Pontificibus Marianis.*

ANNO CHRISTI MCCCCVI.

Imperatoribus Wenceslao, Roberto & Sigiſmundo Auguſtis.

DE

GREGORIO XII. Pontif. Max.

Com-

CCVII.

COmpletis exequiis Innocentii VII. Cardinales numero decem & quatuor, die 23. menſis Novembris anni 1406. Conclave pro electione novi Pontificis Romæ ingreſſi & ad extinguendum Schiſma ſolliciti, hoc ſe ſacramento adſtrinxerunt : *ut quiſquis eorum ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumptus fuiſſet, is pro integritate unitatis Chriſtianorum renunciaret effectualiter juri ſuo, & Papatui liberè ac ſimpliciter : ſi & quando Antipapa, qui eſt, & qui pro tempore fuerit, conſimiliter renunciaverit, & ceſſerit prætenſis juri ſuo, & Papatui &c.* Continentur hæc verba in Inſtrumento, à Cardinalibus pro tranquillanda Republica Chriſtiana in Conclavi ante electionem confecto, approbato, & jurato: quod integrum exhibent Oldoinus *in addit. ad Ciac.* & Jo. Palatius *in Greg. XII.* aliique.

Sacramentū ante electionem à Cardinalibus editum.

Edito ab omnibus hocce juramento, atque à ſingulis eorum ſubſcriptionibus firmato, Angelus Corarius, Venetus, Patriarcha tum Conſtantinopolitanus Latinus, & Presbyter Cardinalis tituli S. Marci, eximius ſacræ Theologiæ Magiſter, vitæ morumque integritate, ac ſanctitatis opinione præſtans, Pridie Kalend. Decembris anno 1406. communibus ſuffragiis ſub nomine Gregorii XII. electus, atque Nonis Decembris ejusdem anni in Baſilica Vaticana, præſentibus Cardinalibus, Epiſcopis, Clero, & populo Romano coronatus eſt. Qui ſtatim quod ante Pontificatum ſe facturum ſcripto promiſerat, Pontifex factus adhibitis etiam Notariis, & teſtibus confirmavit, ſuaque manu ſcripta tabellionum iteratò munivit. Habuit deinde concionem elegantiſſimam coram Cardinalibus, Curialibus, & frequentiſſimo populo, cujus thema erat; *Parate viam Domino*, ad unionem in Eccleſia faciendam non minùs præſentes, quàm abſentes dictis provocare, & excitare contendens : magnoperè eapropter à plerisque de doctrina, religione, pietate, ac zelo redintegrandæ Eccleſiæ laudatus.

Angelus Corarius ſub nomine Gregorii XII. Pontifex creatur

Magnam igitur ſpem omnibus Gregorius in exordio ſui Pontificatus reſtituendæ pacis, tollendique Schiſmatis fecit, conteſtans etiam cum lachrymis : *Se, ſi cætera deeſſent, vel cymbula navigaturum, vel certè pedibus, & baculo ad unionem Eccleſiæ faciendam iturum.* Interim, ſicuti juraverat, ſcripſit feſtinanter ad Benedictum de Luna Antipapam, hoc titulo : *GREGORIUS &c. Petro de Luna, quem nonnullæ gentes in hoc miſerabili Schiſmate Benedictum XIII. appellant, pacis, & unionis affectum &c.* Illum exhortatur ad unionem, illique offert ceſſionem, dummodo & ipſe prætenſo ſuo juri cedere, & Cardinales ſuos cum Cardinalibus Romanis ad electionem alicujus tertii concordare vellet : ac promittit abſtinere, pendente tractatu, à creatione novorum Cardinalium, modò & Benedictus abſtineret; ac miſſurum ſe brevi Oratores, qui cum eo de loco ad hæc inter ipſos tractanda idoneo agerent. Scripſit quoque eodem ſenſu ad Univerſitatem Pariſienſem & ad ipſos Benedicti Anticardinales hoc titulo: *GREGORIUS &c. Univerſis, qui in hoc miſerabili Schiſmate Petro de Luna, qui ſe Benedictum nominat, tanquam Cardinales adhærent, pacis & unionis conſolationem &c.* Nec non ad omnes Reges, Principes, ac Reſpublicas, & præcipuè Prælatos, ac Proceres, & Univerſitates,

Gregorius unionis ſtudioſum ſe exhibet.

Hortatur Benedictum ad ceſſionem.

Scribit de cauſa ad omnes Principes, Præſules ac Magiſtratus.

narrans ea quæ facta eſſent, eademque promittens, & in certam eos ſpem unionis ac pacis erigens, atque ad eam peragendam concurrere cohortans, commendatus propterea in immenſum. Scripſere inſuper eâdem ſententiâ Cardinales Gregoriani tam ad Benedictum, quàm ad ejus Cardinales. Nuncios deinde, uti promiſerat, ad eundem Benedictum miſit, Antonium ſcilicet Corarium, ſuum ex fratre nepotem, quem ex Methonenſi Præſule Epiſcopum creavit Bononienſem, Guillinum Epiſcopum Tudertinum, Theſaurarium ſuum, & Antonium de Butrio Bononienſem, inſignem Juris utriuſque Doctorem, pro determinando loco, tempore, & conditionibus congreſsûs inter partes faciendi. Iis perhonorificè à Benedicto Maſſiliæ ſuſceptis, poſt longas diſceptationes demum concordatum eſt, ambos cum ſuis Collegiis conventuros Savonæ in ora Liguriæ ad feſtum S. Michaëlis, menſe Septembris; vel, ſi tunc non eſſet Gregorio copia navium illuc navigandi, res differretur ad proximum feſtum omnium Sanctorum.

Mittit Legationem ad Benedictum, & quare?

Inter hæc Rex Francorum Carolus, urgente maximè Univerſitate Pariſienſi, unionis Eccleſiæ & ipſe percupidus, nonnullos inſignes Antiſtites, & Doctores ad Gregorium, & Benedictum Legatos direxit. Ejus legationis princeps erat Simon de Cramaudo Patriarcha Alexandrinus. Hi, ſicut fuerat conſtitutum, priùs Benedictum Maſſiliæ commorantem adierunt, & omni ſuaſione tentarunt ab eo ſcriptum ceſſionis, quam ſæpè promiſerat, obtinere, ſed in caſſum. Nam variis prætextibus reſponſum differendo, clàm Conſtitutionem edidit, qua ſub magnis pœnis ſubtractionem fieri ipſis Nunciis, & Cardinalibus prohibebat. Simon Patriarcha ſolus Romam ad Gregorium pergens, cùm ad principium menſis Julii anno 1407. appuliſſet, honorificè ſuſceptus, Gregorium tamen à conventu Savonenſi totum alienum reperit: quòd diceret adeò ſe pauperem eſſe, ut non haberet, quò itineri, & expenſis in illo congreſſu faciendis conſuleret: nec adeò fidere poſſe loco Savonæ alieni imperii, & obedientiæ: quare in mutatione loci fixus perſiſtebat. Acciderunt hæc optatiſſimè Benedicto, qui quò magis intellexit Gregorium loci mutationem urgere, eò pertinaciùs ille priori ſtandum aſſerere cœpit: ut fuerit plurimorum ſuſpicio clàm ita hæc pacta inter eos fuiſſe, ut hujuſmodi ludificationibus tempus protraheretur, atque ipſi interim Pontificatum retinerent, cùm alter in alterum culpam derivaret.

Rex Galliæ ad Benedictū & Gregoriū Legatos mittit.

Illis obnitentibus nihil proficiunt Legati.

Fuit tamen aliud, quod diutiùs Gregorium in Urbe detinuit, nempè metus à Ladislao Rege Siciliæ injectus, qui ardore vehementi cupiens Urbem ipſam occupare, menſe Junio anni 1407. cum exercitu appropinquans, Romanos exules Columnenſes, & alios ſuæ factionis Proceres immiſit, qui Urbem intempeſta nocte ingreſſi capere Gregorium poterant, niſi ſe protinùs in Caſtrum S. Angeli recepiſſet; & Cardinales metu perterriti, diffugia quæſiiſſent, uno tantùm, aut altero Gregorium in Caſtrum ſecuto. Hæc Gregorii ipſius conniventiâ, vel etiam tacita ſuggeſtione tentata fuiſſe à Ladiſlao multi crediderunt, eo fine, ut ſi Ladiſlaus Urbem obtineret, mentio omnis unitatis obrueretur. Alii tamen id minimè de Gregorio

Ladislaus Rex Urbem occupat.

gorio ipſo ſuſpicati ſunt, at non dubitarunt de propinquis ejus, qui nihil non egereunt, quò cœptos tractatus, ſibi pernicioſos, interrumperent, & Gregorii ceſſionem impedirent.

Gregorius Urbe egreſſus Viterbium, mox Senas petit.

Egreſſus nihilominus eſt Gregorius tandem Urbe die 9. Auguſti anno 1407. primò Viterbium cum tota Curia profectus; cujus Civitatis, & ipſius Provinciæ Rectorem Marcum corarium nepotem deſignavit: Clerum, & Rempublicam Viterbienſem compoſuit, editis nonnullis opportunis in ſuam rem Conſtitutionibus. Inde poſt aliquot dierum intervalla Senas perrexit, ibique domicilium figens permanſit uſque ad diem 23. Januarii anni ſequentis, ut marmorea Inſcriptio in Metropolitana Eccleſia Senenſi parieti affixa, etiamnum indicat.

Benedictus Savonam pervenit.

Ex altera verò parte Benedictus Antipapa die 24. ejuſdem menſis Septembris anni 1407. Savonam, uti ſpoponderat, pervenit unà cum Cardinalibus ſuæ obedientiæ, fruſtrà Gregorium operiens. Obtulit interim Gregorius ſuis Cardinalibus Senis Papatui cedere, dummodò ſibi remanerent ad vitam Patriarchatus Conſtantinopolitanus, quem priùs geſſerat, aliaque nonnulla beneficia Eccleſiaſtica in ditione Veneta, nec non Eccleſia Eboracenſis, vel Oxonienſis in Anglia, quæ tunc vacare dicebantur: ac darentur tribus ſuis Nepotibus Marco, Franciſco, & Paulo, eorumque hæredibus, & ſucceſſoribus aliquæ Terræ Eccleſiæ Romanæ. Quibus cùm annuiſſent Cardinales, nihilominus aliis adinventis excuſationibus res effectu caruit. Sicuti & cùm propoſitum fuiſſet pluribus Juris Doctoribus, num teneretur Gregorius vi ſuorum juramentorum, & pactorum Maſſilienſium Savonam accedere? & ipſo ſive vera, ſive falſa excuſatione detrectante, Cardinales ejus ad idem obligarentur, atque adeò unionem procurare tenerentur? Quamvis celeberrimi Doctores, nominatim Paulus à Caſtro, Antonius de Butrio, & Matthæus de Martaſſelanis (quorum extant ea de re conſilia) aliique plurimi aulæ Romanæ, inter quos & ipſe Niemus, omnes aſſertivè reſpondiſſent: quin imò & Cardinales teneri, ſi aliter fieri unio non poſſet, Concilium ad id celebrare, & alium Pontificem eligere. Permanſit tamen Gregorius, inſtigatione ſuorum propinquorum, & familiarium, in ſua deliberatione non eundi Savonam; confirmatus etiam in ea quorundam Principum ſuaſionibus, cùm nihilominus pro bono Eccleſiæ contrarium ei ſuaderetur à Cardinalibus, aliiſque Principus, ac Civitatibus. Quare & ipſo die poſterioris termini conventus Savonæ faciendi, nempè feſto omnium Sanctorum, per verbi Dei præcones publicè ibidem Senis ad populum ſe excuſari curavit, cur non iret, quamplurimis rationibus propoſitis (quas recitat Niemus) quæ omnes ad violationem conditionum, defectum ſecuritatis, & inſidias ſibi undequaque tenſas referuntur. Adeò quidem ut non poſſet eo ſtatu Papatui cedere, ut inde ſequeretur unio, quin mortaliter peccaret, & animam ſuam infernalibus pœnis cruciandam perpetuò condemnaret, propter animarum pericula, atque etiam grandia corporum diſpendia, quæ inde veriſimiliter conſequi poſſent. Ne tamen penitùs exiſtimaretur unionem deſeruiſſe, propiùs accedens, principio ſequentis anni Lucam Hetru-

Gregorii conditiones pro cedendo Pontificatu.

Conſuluntur viri docti.

Tergiverſatur.

Lucam ſe transfert.

Hetruriæ Urbem, quam tunc temporis regebat Paulus Guiniſius, ſe tranſtulit; ſicut & Benedictus ad Portum Veneris.

Lucæ Gregorius Roſâ ſacratâ Paulum Guiniſium loci Dominum donavit: & die 9. menſis Maij anni 1408. cùm quatuor novos Cardinales creaſſet (videlicet duos ex ſuis nepotibus Antonium Corarium, & Gabrielem Condelmerium, Jacobum Uticenſem, & Fr. Joannem Dominici ordinis Prædicatorum) graviſſima orta eſt inter Gregorium, & Cardinales ſuæ obedientiæ ſimultas: & cùm nulla amplius ſpes de unione facienda ſupereſſet, Cardinales Gregorium deſerentes, Piſas Concilii celebrandi causâ ſe ſe receperunt, licèt Gregorius ſub graviſſimis pœnis, etiam privationis Cardinalatûs prohibuiſſet, ne abſque ejus licentia vel Lucâ abirent, vel inter ſe conſilia agitarent, aut cum alterius partis, vel Regis Francorum, & Univerſitatis Pariſienſis Oratoribus tractatus haberent.

Cardinales à Gregorio deficiunt.

Cardinales Piſis jam metu liberi, circulares ad Principes & Antiſtites litteras ſcripſerunt de rebus hactenùs geſtis, deque cauſis ſuæ ſeceſſionis: tum hortantes eos ad cauſam Eccleſiæ adjuvandam, appellarunt à Gregorio, & Concilium convocarunt, tractatu priùs clàm habito cum Cardinalibus obedientiæ Benedicti, qui pariter eum, ceu pacis ac unionis contemptorem deſerentes, paulò pòſt Piſas, novum electuri Pontificem, confugerunt. Inita deinde creandi novi Pontificis ratione, qui benè ac ſanctè ſine ulla ſeditione Eccleſiam Dei gubernaret, unanimes venêre in hanc ſententiam, ut depoſitis duobus æmulis Alexandrum V. deligerent: quemadmodùm ſuo loco dicturi ſumus.

Cardinaliũ literæ ad diverſos.

Inter hæc Gregorius Lucâ Senas repetens, multa incommoda in itinere paſſus, ac prodigiis in Cruce, quæ ante ipſum deferebatur, ac mulâ, qua divinum Sacramentum de more geſtabatur, factis, atque apparitione Cometæ territus eſt. Senis, ut tutiorem partem ſuam faceret, menſe Septembri novos Cardinales, numero novem, creavit: deinde ad avertendos Chriſti fideles à Concilio Piſano, Synodum indixit celebrandam ad feſtum Pentecoſtes anni 1409. in Provincia Aquileienſi in Civitate Auſtriæ.

Senas repetens Gregorius incommodatur multiš.

Poſt creationem Alexandri V. actam in Concilio Piſano, & ſub Pontificatu Joannis XXIII. Arimini deſertus à ſuis aliquamdiù vixit: demum reſipiſcens, Carolum Malateſtam Arimini Dominum pro ceſſione Pontificatus ſuo nomine faciendâ Legatum Conſtantiam ad Concilium miſit. Huic multi nobiles obviàm occurrerunt unà cum primis Gregorii Nunciis, qui ad Concilium Conſtantienſe acceſſerant initio anni 1415. Ingreſſus eſt autem Carolus Malateſta Conſtantiam ſumma cum magnificentia, & ſplendore. Exhibito poſtridie Sigiſmundo Regi ſalutatoriæ venerationis officio, ſignificavit miſſum ſe à Gregorio ad dandam pacem Eccleſiæ, directùmque ea de cauſa ad ipſum Regem, non ad Concilium, quod illud Gregorius, utpotè ſe invito congregatum, non approbaret. Quarta igitur die menſis Julii ejuſdem anni 1415. Carolus Malateſta Gregorii Procurator in manibus Sigiſmundi Romanorum Regis, præclara priùs habita oratione, purè, liberè, ac ſincerè Juri, titulo, & poſſeſſioni eidem Gregorio iu Pontificatu Eccleſiæ Romanæ

Carolum Malateſtam Legatum Conſtantiam pro ceſſione mandat.

manæ competenti ceſſit, ac renunciavit: quam renunciationem Concilium admiſit, collaudavit, & approbavit, cantato Hymno *Te Deum laudamus*. Carolum autem ita ceſſiſſe, ait Platina, ut in ſede non aliter ſtructa, quàm ſi ipſe Gregorius affuiſſet, collocatus, perlectâ renunciandi facultate, ab ea ſede abierit. Habent etiam alii, ſediſſe eum Pontificio habitu, veluti perſonam Gregorii gerentem, ac depoſitis ſacris inſigniis Pontificatum pariter exuiſſe.

Concilium ceſſionem approbat.

Gregorius, ut Niemus ait, atque alii poſt eum meminerunt, ubi intellexit ceſſionem per Carolum factam, convocatis ſuis Curialibus, nec non Prælatis, & Clero, qui ſibi tunc temporis uti Papæ adhærebant, in publico Conſiſtorio eandem approbavit, & laudavit: denique confirmavit omnia Conſtantiæ pro ipſo per dictum Carolum geſta: eoque facto, illicò depoſuit mitram, & inſignia Pontificalia cum ſolemni proteſtatione nunquam eadem reſumendi; imò quantum poſſet, unionem Eccleſiæ, quam unicè deſideraret, procurandi. Quæ ſatis ſunt contra ipſum Niemum, qui eum continuè tanquam hoſtem infenſiſſimum unitatis inſectatus eſt; cujus nihilominus zelum ſemper S. Antoninus, multique alii prædicaverunt: &, ſi quid colluſionis, ut plerisque viſum fuit, cum Petro de Luna ad Pontificatum retinendum exercuit, totum illud hac voluntaria ceſſione eluiſſe exiſtimandus eſt. Quamvis non deſit Platina Pontificibus nec ipſe parcere ſciens, qui ſcribat, eum non multò poſt renunciationem mortuum eſſe dolore animi, ut ferebatur, propter ſubitam abrogationem ante conſtitutum tempus à Carolo factam, quam ipſe in longum protrahi volebat, in mora ſpem aliquam reponens.

Ipſe etiam libere cedit.

Niemi fides vacillat.

Synodus autem Conſtantienſis poſt hæc decrevit, fore eum ſemper Epiſcopum Cardinalem ſub titulo per eandem Synodum, vel futurum Romanum Pontificem declarando: quem fuiſſe *Portuenſem* Niemus; *Tuſculanum* Onuphrius ait, ita ut ſecundus poſt Romanum Pontificem dignitate, & ordine haberetur. Inſuper perpetuum creavit Legatum Piceni, ſive Marchiæ Anconitanæ, aliasque illi largita eſt gratias, & conceſſiones, quas videre eſt in Conſtitutione ea de re edita. Mortuus eſt octogenarius, ſeu nonagenarius, ut aliis placet, poſt biennium, paulò ante Martini V. creationem, anno ſcilicet 1417. Corpus ejus in Eccleſia principe Urbis Recineti magnifico tumulo conditum eſt. De quo hæc ſcribit Oldoinus in additionibus ad Ciaconium: *Hujus Pontificis ſepulchrum anno noſtra ſalutis 1623. ob conſtructionem pulpiti muſici ab Eminentiſſimo Cardinali cognomine Roma, illius Urbis* (Recineti) *Epiſcopo cùm deſtrueretur, cadaver habitu Pontificio adhuc ſarto ornatum, maxima omnium admiratione integrum fuiſſe, ex illis, qui propriis oculis illud aſpexerunt, habemus.*

Declaratur Epiſcopus Cardinalis, & Legatus Piceni.

Moritur, ac ſexennio poſt integer reperitur.

In agnum mitiſſimum, & in columbam felle carentem (hoc elogio commendat Gregorium S. Antoninus) atroci ſtylo deſævit Theodoricus Niemus, & eum ſecutus maledicus Pleſſæus, uti etiam in Urbanum VI. & Bonifacium IX. veros Chriſti Vicarios: parcit autem Antipapæ Benedicto XIII. cui Eccleſiæ pacem cordi non fuiſſe, ſatis ipſe oſtendit, cùm Chriſtiani Orbis judicio, à quo Martinus V. verus Chriſti Vicarius, & ſupremus Eccleſiæ Paſtor delectus & agni-

Calumniis à nonnullis impetitur.

agnitus eſt, judicium ſuum (talpæ ſcilicet cæcitatem, aquilarum in videndo acumini) nefariâ audaciâ prætulit. Veros Pontifices odio habuiſſe, falſos amâſſe Niemum, & Pleſſæum, tibi facilè perſuadebis, ubi Gretſerum *Cap. 62. in Examine Myſterii Pleſſ.* & Coquæum *in Antimornao* legeris.

SCRIPTA.

Ejus Scripta. Scripſit Gregorius Epiſtolas multas, quæ extant M.SS. in Vaticano, quarum aliquot habent Theodoricus Niemus, & Binius *tomo 8. Conciliorum.*

Diplomata varia diverſis Eccleſiis, ac Monaſteriis durante ſuo Pontificatu conceſſa.

Orationem item elegantiſſimam, poſt ſuam electionem, publicæ dictam, de unione Eccleſiæ procuranda, & Schiſmate tollendo. Aliaque nnnnulla, quæ me latent.

Tanta fuit Gregorii religioſiſſimi viri pietas, inquit, Oldninus ut S. Antoninus, dum eorum vitas proſequitur, qui ſanctitatis opinionem reliquerunt, ipſum, haud dubiè prnpter ſummam in adverſis conſtantiam, Diro Stephano Martyri comparet. Id ipſum etiam antè Oldoinum teſtatus eſt Andreas Victorellus, ut videre eſt *in ſuis Notis Ciaconianis.*

ANNO CHRITI MCCCCIX.

Imperatoribus Wenceslao, Roberto, & Sigiſmundo Auguſtis.

DE

ALEXANDRO V. Pont. Max.

CCVIII. ABrogatis in Concilio Piſano duobus de Pontificatu cnntendentibus Gregorio XII. & Benedicto XIII. Cardinales in Archiepiſcopali Palatio Piſano congregati, imploratâ prævio ſacro Spiritus ſancti gratiâ, unanimes, nemine diſcrepante, die 26. menſis Junii anno à partu Virginis 1409. in ſummum Pontificem elegerunt Petrum Philargum, Cretenſem, *de Candia* dictum, inſignem Ordinis Minorum Theologum, ac Presbyterum Cardin. SS. duodecim Apoſtolorum, virum doctrina, prudentia, rerum peritia, liberalitate, animi magnitudine, ac vitæ ſanctitate cum quovis optimo Pontificum facilè comparandum, præclaro Alexandri V. nomine inſignitum, Cujus vitæ primordia Platina, & ex eo alii his ferè verbis deſcribunt: Petrus adhuc puer, neque parentes, neque affines ullos cognoſcens, oſtiatim victum quærere compulſus, à quodam Religioſo Ordinis Minorum in Monaſterium Cretenſe ſuſceptus, ibidemque primis litterarum elementis, ac virtutibus apprimè imbutus, altæ indolis, vividique ingenii adoleſcens evaſit. Ordinem profeſſus, omnia Minorum Gymnaſia, ſed præcipuè

Petrus Philargus ſub Alexandri V. nomine Pontifex eligitur.

Ejus vita primordia.

puè Oxonienſe in Anglia, & Pariſienſe in Gallia circumiens, adeò in omni ſcientiarum genere, docilitate ingenii profecit, ut Magiſterii gradum adeptus, cathedræque admotus, arcana Theologiæ publicè magno juventutis affluxu docuerit, atque inſuper eruditos Commentarios in quatuor Sententiarum libros ediderit. Quin & Græcè, Latineque exactè peritus, miraque dicendi facundiâ præditus, abſolutus Orator ubivis gentium audiit. In Longobardiam ſuperiorum imperio delatus, concionando, lucubrando, ac ſacras litteras interpretando, uſque adeò inclaruit, ut motus hominis famâ Inſubrum Princeps Joannes Galeatius, accito ad ſe primos ei honores in arcano ſuo Senatu contulerit: cujus poſteà favore, ac poſtulatione (quum nemo eo doctior, ac probior haberetur) Epiſcopus primò Vicentinus, deinde Novarienſis, demum Præſul Mediolanenſis eſt creatus. Auctus infulis, opibus, & auctoritate, maximas pro Vicecomite Galeacio legationes obivit: inter quas præcipua omnium Germanica extitit, qua Principi ſuo Ducis Inſubrum titulos ac inſignia à Wenceslao Cæſare impetravit. Mortuo Duce, ab Innocentio VII. purpurâ, & legatione Longobardica inſignitus, diſcordes Inſubriæ populos ac Civitates, plaudente Italia, ad concordiam reduxit. Aliaque id genus præclara facinora Reipublicæ, durante Schiſmate, maximè utilia præſtitit: quorum intuitu, privatis Pontificatu duobus æmulis, ipſe, ut diximus, à Patribus Piſanis ceu digniſſimus omnium ſuffectus eſt. Quo quidem gradu, atteſtante Platina, adeò munificus in pauperes, ac viros ſua benignitate dignos eminuit, ut erogatis omnibus, nihil propè ſibi reliqui fecerit: Unde per jocum dicere interdum ſolebat: *Se divitem Epiſcopum fuiſſe, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem.* In eo enim defuit illa habendi cupiditas, quæ unà cum re, & ætate accreſcit ſimul. Quod quidem vitium cadere in viros bonos, ac rerum humanarum contemptores non poteſt: qui quò magis conſeneſcunt, eò minus viatici indigere ſe cognoſcunt, & ob hanc rem cupiditates ſedant, refrænant avaritiam, ac cæteras animi labes, intenti virtutibus, expellunt.

Vir omni ſcientiarum genere excultus.

Magnis ſenſim dignitatibus ornatur.

Honorificis legationibus perfungitur.

Mirè liberalis in omnes.

Cæterum Alexander in ſolio Pontificio conſtitutus, pro ut erat ingentis animi, magna quæque molitur, ut Eccleſiæ unitatem conſolidaret; & corruptos hominum mores, abuſuſque ex nimia temporis licentia exortos extirparet. Ut autem ab ordinum primoribus inciperet, longiſſimam ſcripſit encyclicam epiſtolam ad omnes Reges, & Proceres; ad Prælatos, & Clerum, ac populum univerſum; in qua ortum Schiſmatis diuturni, ab ipſo, ut ajunt, ovo, ab electione ſcilicet Urbani VI. & intruſione Roberti Gebennenſis, ac progreſſus narrat: deinde colluſionem Petri de Luna, & Angeli Corarii; diſceſſionem utriuſque à tractatu unionis: Concilii Piſani neceſſitatem, & actiones: ſententiam in colluſores latam, ac eorum juſtam abrogationem: acta eorum reſciſſa: electionis ſuæ modum: Collegii utriuſque conjunctionem: Schiſma ſublatum: unionem Eccleſiæ ſub uno indubitato Paſtore explicat; & ad extremum hortatur omnes, ne colluſoribus in Eccleſiæ perniciem faverent; ne gratias, aut beneficia ab eis poſtularent; ne ſancitis eorum

Ejus res geſtæ in Pontificatu.

rum

rum parêrent; ne minas aut cenſuras eorum metuerent; demùm ne eos Pontificum loco haberent; quin potiùs illorum fidem ejurarent, & ex concepta formula dirum Schiſma deteſtarentur, & ad ſchiſmatis tollendas reliquias totis conatibus collaborarent.

Reges ac Principes ad ſacram militiam excitat. Deinde ut Sigiſmundo Hungarorum Regi à Turcis ad Columbacium Servianorum oppidum propè Samendriam victo, atque opem imploranti, & Rhodianis militibus ad Terræ ſanctæ recuperationem aſpirantibus ſuppetias mitteret, miſſis Nunciis & litteris, omnes Reges & Principes Europæos ad ſacram militiam excitavit. Et ne piæ ejus intentioni Ladislaus Rex tum potentiſſimus, qui ditionem Eccleſiæ, Pontificibus abſentibus, diù multumque vexaverat, oppidaque aliquot, vi occupaverat, obſtaculo eſſet; eundem priùs paternè commonitum, ut ablata reſtituat, pacemque concedat, cùm ad tam ſalutaria monita obſurdeſceret, juſtâ incenſus irâ, approbante Concilio Piſano, Regno Siciliæ privavit; jusque illud Ludovico Andegaviæ Duci competere declaravit. Unde feſtivè de illo cecinit Janus Vitalis ad hæc ipſa alludens:

Quintus Alexander, ne degeneraret ab illo,
Qui Macedûm forti præfuit imperio:
Ejecit Reges ſolio: ditavit egenos,
In quo certarunt officia, & pietas.

Conſtitutionem edit pro mendicantibus. Cùm autem adhuc Piſis eſſet, Quarto Idus Octobris anni 1409. Conſtitutionem edidit in favorem Ordinum Mendicantium, quam refert Monachus Dionyſianus in ſuis Annalibus, & extat pariter in alio Codice m. ſ. Victoriano: Quâ, poſt narrata, quæ Bonifacius VIII. in Conſtitutione *ſuper Cathedram &c.* & Clemens V. de eadem in Concilio Viennenſi ſtatuiſſet ſuper Prædicationibus, Confeſſionibus, & Sepulturis; quæque poſteà Joannes XXII. de Condemnatione Articulorum Joannis de Poliaco promulgaſſet: Cùm, ut ait, nuper fratrum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, & B. Mariæ de Carmelo Ordinum querelæ ad ſe delatæ eſſent, quòd nonnullæ perſonæ Eccleſiaſticæ, atque utriuſque Sexus homines, nedum prædictos damnatos per eundem Joannem Papam, ſed etiam quoſdam alios prorſus erroneos Articulos non vererentur aſtruere; puta Confeſſionem fratribus factam multis eſſe dubitabilem, & incertam, ac propterea homines teneri dimittere incertum, & ſolis ſuis Sacerdotibus curam animarum habentibus, de quibus nullum eſſet dubium, confiteri. Item quamvis fratres habeant auctoritatem audiendi confeſſiones, & abſolvendi, tamen populum ſubjectum non habere poteſtatem accedendi ad eos ſine licentia proprii Sacerdotis. Item Sacerdotem curatum dantem licentiam Mendicantibus audiendi confeſſiones, magis diſpenſare cum Statuto *Omnes utriuſq; ſexus &c.* quàm Papam fratribus dantem licentiam juxtà formam Decretalis *Dudum &c.* Hos omnes Articulos, & alios tanquam erroneos, & ſacris Canonibus contrarios Alexander prædicta ſua Conſtitutione damnavit; & quicunque eos defendere, aut aſſerere præſumerent, Hæreticos eſſe cenſendos, & excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrere decrevit.

Inte-

Interim Piſas invadente ſub finem anni 1409. Lue contagioſa, receſſit Alexander (ſoluto jam Concilio) Pratum, dehinc Piſtorium, demum Bononiam, inde tranſiturus in Urbem. Octavo Idus Januarii Bononiam ingreſſus, & ab occurrente univerſa Civitate, ingenti omnium plauſu ac gratulatione ſuſceptus, IV. Nonas Febr. prima ſacra in Baſilica S. Petronii fecit, & luſtratam precibus Roſam auream Nicolao Ferrariæ Marchioni dedit. Præerat tum Legatus Bononiæ Balthaſſar Coſſa Diaconus Cardinalis S. Euſtachii, ab Alexandro ea de cauſa in legatione confirmatus, quòd ejus induſtriâ potiſſimùm ac præſidiis Concilium Piſanum habitum fuiſſet, quodque etiam ipſe vir talis eſſet, qui percommodè Tyrannis, rem Eccleſiaſticam occupare conantibus, objici quovis tempore poſſet. In eo tamen plus ferociæ, plusque audaciæ & ſæcularitatis (ſunt verba Platinæ) extitit, quàm ſacra ejus profeſſio requirebat. Militaris propè habebatur ejus vita, militares mores, adeò ut multa etiam, quæ loqui fas non eſt, ſibi licere arbitraretur. Sed de hoc ſuo loco, ubi Alexandrum expediverimus, plura dicemus.

Recedit Piſis, & Bononiam migrat.

Balthaſari Coſſa favet.

Coſſa malè audit.

Alexander Bononiæ exiſtens, Oratores Româ ad ſe miſſos benignè excepit; votisq; eorum ſatisfacturus, Bononiâ ad Urbem propediem ſe venturum promiſit. Verùm ingruentibus variis curis diſtentus, & Ladiſlai exauctorati armis impeditus, invitus hærere Bononiæ, dum mitiora tempora illuceſcerent, compulſus eſt. Ubi dum intentus rei Eccleſiaſticæ, ſalubria conſilia verſat, qualiter Græcos Eccleſiæ Latinæ adjungeret; beneficia Eccleſiaſtica dignis conferret; Simoniam procul faceret; Canonum obſervantiæ invigilaret; Schiſmatis fibras evelleret; pacem Terris reſtitueret; vitia tolleret, ac virtutes reduceret, è vita exceſſit, atque hæc generoſa conſilia brevi temporis momento inopinata mors diſſipavit.

Religioſam ejus mortem auctores contemporanei hiſce ferè verbis poſteritati commendant. Cùm verò Bononiæ Alexander graviter ægrotaret, noſſetque mortem ſibi quàm proximè abeſſe, Cardinales ad ſe accitos, ad concordiam, ad pacem, ad tuendam Eccleſiæ dignitatem adhortatus eſt. Teſtatus prætereà, eam ſe mortem, quam ante oculos mentis continuò habuiſſet, nec reformidare, nec recuſare; motum ad id conſcientiâ vitæ benè actæ. Cæterùm ſe exiſtimare, & credere, quæ in Concilio Piſano decreta fuiſſent, rectè atque integrè facta eſſe, ſine dolo malo, fraudéve. Hæc cùm alacri voce dixiſſet, lachrymantibus cunctis, qui lectulum ejus circumſtabant, ſacrum benedictionis munus erecta manu impertiit, adjectis his verbis: *Ex me fratres, quàm fallax ſit hæc vita, cognoſcite: quare, ſi ſapitis, nunc dum vivitis, Deo vacate, & quæ agenda ſunt, agite: ne fors imparatos vos mors cum ſalutis diſpendio occupet.* Tum ſublatis in cœlum oculis, erectaque in Deum mente, illud Salvatoris verbum ægrè proferens; *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*, exſpiravit V. Nonas Maij anno ſalutis 1410. Pontificatus ſui menſe decimo, ætatis anno 71. Bononiæ apud Franciſcanos Conventuales marmoreo tumulo conditus cum hac Inſcriptione.

Ejus obitus religioſus.

Ultima morientis verba.

Ejus Epitaphium.

Summus Paſtorum ALEXANDER QUINTUS, & omnis
Scriptura lumen, ſanctiſſimus Ordo Minorum
Quem dedit, & proprio Cretenſis nomine Petrus,
Migravit Superum ad lumen, ſedeſq́ beatas.
ANNO MCCCCX.

PETRO PHILARGO CRETENSI VIRO INSIGNI,

Oratori ac Gentium Concionatori facundiſſimo, Conſiliario Ducum, Diſputatori acerrimo, Pariſiis publicè Theologiam profitenti, in quatuor Sententiarum libros Scriptori luculentiſſimo:

Qui ex Ordine Minorum ad Epiſcopatum Vincentia, Novaria, Archiepiſcopatum Mediolanenſem, Cardinalatum, & tandem ad ſummi Pontificatus apicem evectus, & Alexander Quintus appellatus Bononia moritur anno ſalutis 1410. Pontificatus ſui menſe 10. Joannes Baptiſta Paganus de Zanctinis, bono pietatis impulſus, dum plura iu hoc Templo divino cultui pararet, eidem Divo cultori hoc Mauſolaum reparavit anno 1588. die 20. Septembris.

Calumnia in Alexandrū diluuntur. Non defuerunt tamen, qui huic tanto viro omni laude digniſſimo obloquerentur; Theodorum Niemum, auctorem proſcriptum, ac omnium illius temporis Romanorum Pontificum convitiatorem peſſimum ſecuti: tot mendaciis, quot verbis Alexandrum accuſantes; quòd *omnia ex ſententia Balthaſſaris Coſſa Cardinalis geſſiſſet, quia ad Pontificatum ejus opera evectus*: quòd *nimia morum facilitate nemini quicquam petenti denegarit*: quòd *inter competitores nequicquam diſcerneret, neque merita alicujus expendere noverit*: quòd *Miniſtros omnia pro libita diſtribuere permiſerit*: quòd *ſui Inſtituti fratribus Cathedrales Eccleſias citrà merita contulerit; ejuſq́ creatione adeò illos lætatos, ut catervatim ubique curſitaverint, tanquam amentes per vias, & vicos Civitatis*: quòd demum *quatuor Ordinibus Mendicantium decimas conceſſerit Eccleſiarum Parochialium, propterea quòd illi docendis populis ſeriò incumberent.* Et addunt, *magnas turbas rem hanc Pariſiis excitâſſe, opponente ſe Pariſienſi Scholâ conceſſioni dolo, & fraude impetratæ.* Miræ impoſturæ, & graves hæ ſunt calumniæ, quibus hominem omnium votis, & unanimi conſenſu Cardinalium Pontificatu digniſſimum, tanquam immerentem, & omninò incapacem depingunt. Sed amabò, qui ſui regiminis, & prudentiæ adeò diuturnam, ante adeptum Pontificatum, fecerat experientiam; qui virtutis, & juſtitiæ decantatæ ſpecimen exhibuerat in tot regendis Eccleſiis, & diſtribuendis beneficiis, iſné credi debet, Pontificatum adeptus, adeò repentè in virum alterum mutatus, ut omninò deſipuerit? Hicnè ille ſit, quem adverſarum factionum Cardinales, relictis veteranis Patribus, unum delegerint Orbi pacificando, Clero reformando, Eccleſiæ gubernandæ? Hic ille ſit, quem prudentiſſimus Inſubrum Dux primum voluit, & optimum probavit ſuo in Senatu Conſiliarium? quem filii infantuli ſcripſit Curatorem, & Principatûs primum Dictatorem? ſtultus id credat: Quòd verò Conſodales ob ejus creationem exultaverint, nihil id mirum,

Google

mirum, nec vituperabile: hoc enim omnibus Sodalitatibus commune & licitum eſt, gaudii ſigna exhibere, dum ex illorum conſortio quiſquam evehitur ad excelſiores dignitates: quòd autem publicè curſitaverint tanquam mente capti per vicos, & plateas, hoc equidem commentum eſt, & livoris additio. Contrà Theodorum Niemum, ejuſque ſequaces, aliorum auctorum aciem producit Lucas Waddingus *tomo 5. Annalium Minorum*, quos legiſſe juvabit. Illud tamen, quòd Alexander conceſſerit quatuor Ordinibus Mendicantium decimas Eccleſiarum Parochialium, inſigne fuit inventum: nunquam enim quid tale Mendicantium ordinibus ille indulſit, ut omnes, qui ex vero ſcripſerunt, teſtantur.

S C R I P T A.

Scripſit Alexander Commentaria *in quatuor libros Sententiarum*, quæ extare m.ſſ. Oxoniæ in Bibliotheca Ballionenſi; Cremonæ apud Auguſtinianos; Piſauri in illa Ducis; Aſſiſii & Patavii in illa S. Antonii apud Franciſcanos Conventuales, affirmant Ludovicus Jacobus à S. Carolo, & Fr. Lucas Waddingus. *Alexandri Scripta.*

Extant etiam Toloſæ in Bibliotheca Collegii Fuxenſis, manu propria Fr. Petri Fuxenſis Cardinalis, qui Collegium extruxit, conſcripta.

Edidit etiam Quodlibeta quædam.

Concluſiones in Collegio habitas, quæ ſervantur manu ſcriptæ Cantabrigiæ in Collegio Emmanuelis.

Sermones varios, profanos & ſacros.

Epiſtolas ad diverſos: quarum multæ ſunt in Vaticano: & quarum una legitur data ad Hugonem Etherianum, quæ habetur tomo 6. Bibliothecæ Patrum.

Aſſervantur etiam in Bibliotheca Vaticana *Regulæ Cancellariæ* ab eo editæ: Item aliud Opus inſcriptum *Obligationes.*

Elucubravit pariter inſignem Tractatum *de immaculata Deipara Virginis Conceptione.* Et jam renunciatus Romanus Pontifex evulgavit Conſtitutionem in favorem ejuſdem immaculatæ Conceptionis: non tamen, ut refert Salazar, exiſtimandus eſt illam definiviſſe, aut determinaſſe, ſed tantummodò illam approbâſſe, ac ſine injuria fidei defendi poſſe pontificia auctoritate ſanxiſſe.

ANNO CHRITI MCCCCX.

Imperatoribus Wenceslao, Roberto, & Sigiſmundo Auguſtis.

DE

JOANNE XXIII. Pontif. Max.

JOannes XXIII. patria Neapolitanus, Balthaſſar Coſſa anteà vocatus, nobili ac opulenta familia, patre Equite natus, adoleſcens alti ingenii non ſpernendam Juri Civili Pontificioque operam Bononiæ dedit. Doctoratus lauream ibidem adeptus Romam *CCIX. Ejus egregia vitæ primordia; & in Eccleſiam merita.*

Romam non ſine ſpe obtinendi quandoque ſummi Sacerdotii venit: Ab amicis ſiquidem interrogatus quò proficiſceretur, audacter reſpondit, *Romam ad Pontificatum.* Urbem ut attigit, mox à Bonifacio IX. ejus dotibus capto, in patriæ gratiam Cubicularius primùm, deinde Diaconus Cardinalis S. Euſtachii, demum Flaminiæ Legatus creatur. In Provinciam accedens, Joanne Galeacio Inſubrum primo Duce vita functo, Bononiam, quæ ejus præſidio tenebatur, Vicecomitibus ademptam, Eccleſiæ reſtituit; eique pontificio nomine Legatus annis novem cum rerum emolumento præfuit: nam pulſis antiquis Tyrannis, vel certè ſublatis, occupata ab iis Eccleſiæ oppida recepit, & ad obſequium redegit. Schiſma execratus, quo tum Eccleſia affligtabatur, præcipuus Concilii Piſani promotor, provehendique Alexandri V. ad ſummam rerum auctor extitit: à quo in vicem gratitudinis in legatione Bononienſi confirmatus, conflatis magnis opibus, & clientelis, facilè ſibi viam ad Pontificatum aperuit.

Fit Pontifex aſſumpto Joannis nomine

Alexandro, brevi temporis intervallo, viam univerſæ carnis ingreſſo, Balthaſſar Coſſa, armis, clientelis, opibus potens, comparatis ſexdecim Cardinalium votis, Pontifex maximus Bononiæ eligitur, inungitur, coronatur, ac Joannes hujus nominis XXIII. appellatur.

Joannes paſſim malè audit, & quare?

Tradunt paſſim auctores, virum fuiſſe illum armis tractandis, quàm religioni provehendæ aptiorem; in temporalibus magnum, in Spiritualibus modicum, ſeu (ut Leonardus Aretinus, & S. Antoninus habent) nullum. Quare obſervat Gobellinus Perſona, qui cum eo ſæpè diuque converſatus eſt, multos ex ejus electione ſcandalum paſſos eſſe. Et Auctor Burdegalenſis, fuiſſe quidem eum à Cardinalibus Neapolitanis, & Gallicis facilè electum; at verò Franciſcum Cardinalem Burdegalenſem nunquam voluiſſe ejus promotioni conſentire, dicendo; *ſe potiùs eum in Regem, vel Imperatorem, quàm Papam electurum*, quòd Regno, quàm Eccleſiæ gubernandæ aptior eſſet. Sunt etiam, qui ſcribant, eum violenter creatum eſſe, quòd, utpotè Legatus Bononienſis, armatos milites tum in Urbe, tum in agris pro ſtatione haberet: vel etiam largitione, quòd Alexandro extincto, munera diſtribuiſſet pauperibus Cardinalibus Gregorianis: aut denique ambitu; quòd Ludovicus Andegavenſis, audito Alexandri obitu, cùm non longè abeſſet cum navium claſſe, quendam Oratorem ſuum ad Cardinales, antequam Conclave ingrederentur, miſerit pro commendatione ejuſdem, quem ſuum ſingularem amicum eſſe dicebat. Denique Joannem ſemet ipſum Pontificem declaràſſe, cæteris præ metu contradicere non auſis, narrat Bergomenſis. Horum tamen pleraque vana eſſe dicteria nihil dubitamus: cùm nec Niemus, hoſtis licèt acerrimus, aliud ei objiciat, quàm prædictam commendationem Ludovici Andegavenſis: nec in criminationibus in eum in Concilio Conſtantienſi acerbiſſimè congeſtis aliud dicatur, quàm generatim *quòd practicaverit, ut Pontifex eligeretur.* Manſit autem toto eo anno Bononiæ, tractans interim cum Ludovico, & Florentinis de bello contra Ladiſlaum Siciliæ Regem, cui erat infenſiſſimus, pro defenſione Eccleſiæ gerendo.

Dubium an omnia vera?

Nar-

Decimas Galliæ procurat.

Narrat Monſtreletus, miſiſſe Joannem initio ſui Pontificatus in Gallias Archiepiſcopum Piſanum pro Decimis, & vacantiis Beneficiorum Eccleſiaſticorum, & ſpoliis Sacerdotum defunctorum, quæ jure divino, Naturali, Canonico, & Civili deberi ſummo Pontifici, & Cameræ Apoſtolicæ contendebat: Univerſitatem verò Pariſienſem ei acriter initio reſtitiſſe, ſed tandem importunitate victam indulſiſſe, ut ſubſidium charitativum mediæ Decimæ pro Eccleſiæ neceſſitatibus concederetur.

Bononiâ Romam ſe confert.

Anno à partu Virginis 1411. Bononiâ Romam adiit, eamque intravit unà cum Ludovico Andegavenſi declarato Siciliæ Rege, & Cardinalium cœtu Sabbato ſancto: exceptus ſummo honore, & apparatu à Civibus ac Megiſtratu, Miſſam die Paſchatis celebravit in Baſilica Vaticana. Deinde die feſto S. Georgii 23. Aprilis poſt Miſſarum ſolemnia ibidem peracta, quinque Vexilla militaria, Pontificis, Romanæ Eccleſiæ, Ludovici Regis, Senatus, Populique Romani, nec non Pauli Urſini pontificiarum copiarum Ducis ex ſolemni formula ſacravit; & die S. Vitalis 28. ejuſdem menſis ipſis Ludovico, & Paulo ſummam rei bellicæ commiſit contra Ladislaum Eccleſiæ hoſtem, & Angeli Corarii depoſiti Pontificis fautorem: Legatum Apoſtolicum eis adjungens Petrum Stephaneſcum Hannibaldum Romanum, Diaconum Cardinalem S. Angeli: quibus datus eſt auxiliator Jacobus Sfortia Dux illius ævi celeberrimus.

Bellum parat adverſus Ladiſlaum.

Excepit Romæ Oratores, ab Uladiſlao Polonorum Rege cum peramplis muneribus ad ſe miſſos. Crucem adverſus Ladislaum tanquam impium, ſchiſmaticum, injuſtum Regni Siciliæ uſurpatorem, & acerbiſſimum Eccleſiæ hoſtem publicavit, & ubique promulgari juſſit cum iiſdem indulgentiis, & conditionibus, quæ concedi, & apponi conſueverunt pro tranſmittentibus in Terram ſanctam. Hinc autem ſibi timens Ladislaus, ad fraudes ſemper, & ubique intentus, cum Pontifice tractare cœpit de obedientia ei præſtanda; miſſoque per Pontificem Nicolao Brancaccio Epiſcopo Cardinali Albanenſi, pacem cum eo compoſuit, ſed in ſpeciem magis, quàm ex animo, cùm nihil Ladislaus ex fide ageret, qui nullam habebat. Sed revera Joannes paulò pòſt, ejuſdem Ladiſlai morte (quem veneno puella quædam adamata ſuſtulerat) relevatus, Bononiâ, ad quam Urbem Româ confugerat, ut Ladiſlai arma, ac manus evitaret, recedens, per Veronenſem, ac Tridentinum agrum tranſmiſſis Alpibus Conſtantiam Sueviæ Metropolim ad Lacum Acronianum ſitam, Concilio ibidem indicto affuturus, acceſſit die 28. Octob. anno 1414. (cujus magnificum ingreſſum Nauclerus diligenti calamo proſecutus eſt) Ibi conſtitutus, ne coactus Pontificatum, uti promiſerat, dimitteret; nocte vigeſimo Martii, re priùs cum Friderico Auſtriæ Duce compoſita, diſſimulato habitu, Schaffhuſiam, oppidum Friderici quatuor milliaribus Conſtantiâ diſtans, aufugit. Qua re cum Concilii Patres vehementer turbarentur, Sigiſmundus Romanorum Rex, qui ad ipſam Synodum jam antè acceſſerat, congregatis nationibus, metum deponere juſſit, conteſtans, ſe omni conatu Concilium protecturum, ac unionem ad mortem uſque procuraturum. Continuò verò Joannes, miſſo Con-

Crucem in Ladiſlaum promulgat.

Joannes Bononiâ Conſtantiam tendit.

Schaffhuſiā fugit, ſeq; excuſat.

ſtantiam Archiepiſcopo Rhemenſi Schaffhuſiæ reperto, ſignificavit ſe minimè receſſiſſe eo animo, ut aut conditionem pactam non adimpleret, aut Concilium ſuâ fugâ diſſiparet; ſed ut liberè, ac ſecurè poſſet, quæ ſpoponderat, perficere. Concilium illicò Cardinales tres ad Joannem miſit, ut ejus voluntatem ſeriò ſcrutarentur & num obſequi Concilio pro pace Eccleſiæ vellet, referrent.

Cauſa ejus fugæ.

Quæ autem fuerit Joannis receſsûs cauſa, ex actis Victorinis intelligitur; nimirum ſimultas inter illum, & Sigiſmundum Regem orta: & confirmatur diſertiùs à S. Antonino, cùm ait diſcordias inter eos oriri cœpiſſe, quæ alterum alteri ſuſpectum planè, & inimicum reddidiſſent. Joannes autem ad Ducem Burgundiæ poſt receſſum ab Urbe Conſtantia Oratores cum litteris direxerat, quibus ſignificabat, ſe Conſtantiâ ad hoc tantum receſſiſſe, ut iret Niciam ad renunciandum liberè in propria perſona. Literas quoque ad Uladiſlaum Poloniæ, & ad alios Reges Chriſtianæ Reipublicæ dedit, quibus narrabat, quommodo ſtudio procurandæ pacis in Eccleſia, indicto Conſtantienſi Concilio, viam ceſſionis ibi obtuliſſet, ac juràſſet; licèt nullatenùs ad eam adſtrictus eſſet, eò quòd Petrus de Luna, & Angelus Corarius fuiſſent à Concilio Piſano ejecti, & damnati. Contra has Joannis literas Concilium alias ſcripſit ad omnes Chriſti fideles, quibus narrabat, cùm per Concilium Piſanum ſchiſma non potuiſſet tolli, ex ipſius ordinatione fuiſſe aliud ab ipſo Joanne indictum: in quo tametſi idem Joannes ſolùm confirmationem Concilii Piſani, quòd Petrum de Luna, & Angelum Corarium ejecerat, procuraret, ut ſic ſtatum ſuum unitati Eccleſiæ anteponeret, ipſum nihilominùs Concilium magis ad unitatem intendens, quæ per tres contendentes impediebatur, nec uſquam ab ordinationibus Piſani recedens, viam ceſſionis omnium trium uti faciliorem, & ſecuriorem tractaſſe, atque ad illam acceptandam Joannem induxiſſe. Et cùm nihilominùs haud plenè ſatisfacere videretur, tandem poſt multa hinc inde habita colloquia, alio meliori modo per Concilium recepto, eum die 2. Martii cedere promiſiſſe, ac juraſſe. Poſt quæ, & alia narrata damnabant Joannis fugam, eumque ad reditum humillimis obſecrationibus inducere conabantur, ut tot annis, ac tot laboribus, & impenſis quæſita pax, & unio Eccleſiæ, unanimi ipſius, & Synodi affectu faciliùs, ac feliciùs concluderetur.

Literas ſcribit ad Principes Chriſtianos.

Ipſum Concilium alias ſcribit ad eoſdem Principes, & fideles

Nonnulli Cardinales à Concilio recedunt: ſed mox redeunt.

Die 24. Martii ſummo mane duo Cardinales Piſanus & Florentinus ſecretò Conſtantiâ recedentes, eâdemque die poſt prandium Brancaccius, Barenſis, ac ſucceſſivè alii tum Cardinales, tum Officiales, tum Curiales pariter aufugientes, fugitivum ſecuti ſunt Joannem. Quarta verò feria videlicet 27. Martii quatuor Cardinales Conſtantiam redierunt; & ea die facta eſt congregatio Concilii, cui Rex Romanorum interfuit. Ad eam accedentes ſex Cardinales, qui à Joanne ſtabant, affirmarunt Concilium eſſe diſſolutum propter abſentiam, & receſſum Pontificis, quem ipſi, ſublatis duobus æmulis, unicum & legitimum crederent: acriter tamen eis in faciem reſtiterunt plures ex Patribus magnæ auctoritatis, & doctrinæ viri.

Eâdem die ad valvas majoris Eccleſiæ Conſtantienſis affixa eſt quædam

quædam ſchedula, qua nomine Joannis Pontificis citabantur omnes Officiales Papæ ſub pœna excommunicationis, & privationis ad ipſum accedere. Eâ ad prædictam Congregationem perlatâ conclamatum eſt in Cardinales illos, qui ſpecie pacis & concordiæ venientes Conſtantiam, illam ſchedulam ad res turbandas attuliſſent: cujus tamen ipſi ſe conſcios eſſe negarunt. *Joannes Miniſtros ſuos ad ſe vocat.*

Referunt acta Victorina, nec non Diaria Cerretana, Cardinales illos, qui è Schaffhuſia redierant die 27. Martii, literas, & mandatum à Joanne retuliſſe; conſtituturum ipſum Procuratores ad cedendum ipſo abſente, vel nolente. Futuros autem Procuratores omnes & ſingulos Cardinales; ita ut tres eorum poſſent ceſſionem facere: ac præterea electurum octo Prælatos, quorum ſimiliter tres madatum ceſſionis exequi poſſent, qui hoc modo eligerentur ab ipſo, ut Concilium nominaret triginta ex omnibus nationibus, & ex iis Papa eligeret octo: conſtituturum quoque ipſum Vicarios ad negotium Concilii omnes, & ſingulos Cardinales exiſtentes Conſtantiæ, qui ex ſe unum conſtituerent Præſidentem. Petere autem, ut ageretur de proviſione ejus poſt ceſſionem; & ut Rex Romanorum, & Concilium redderent eum ſecurum tam antè, quàm poſt ceſſionem ab omni moleſtia, ac par ſecuritas concederetur Duci Auſtriæ, ſaltem ad certum tempus. *Conditiones pro Ceſſione Pontificatus.*

Tranſiit deinde Joannes ad Caſtrum *Lauffenburg*, ſitum ad Rheni ripam: & paulò pòſt (ut Niemus in ejus vita tradit) die 10. Aprilis ante auroram mutato habitu Lauffenburgô recedens, tribus duntaxat comitatus ſociis Friburgum Briſgoiæ Metropolim petiit, munitiſſimam Diœceſis Conſtantienſis Urbem: ubi poſtquàm aliquot dies perſtitiſſet, mentito iterum habitu tranſtulit ſe Briſacum Oppidum fortiſſimum ejuſdem Diœceſis ad Rhenum pariter ſitum, ſpe tractandi cum Duce Burgundiæ (cujus Terræ aliquæ non longè aberant) de ſui ipſius abductione ex Germania ad Civitatem Avenionenſem, quæ erat Sedis Apoſtolicæ, conductâ jam adhoc validâ armatorum manu, quæ tempus opportunum opperiebatur. Verùm re inter moras detectâ Regi Sigiſmundo, Joannes iterum mutato habitu Neoburgum ad Rhenum confugit. Sed illicò ex falſo rumore advenientis exercitus Sigiſmundi ad eum obſidendum, perterritus, magna cum feſtinatione rediit Friburgum: ubi eum convenerunt Legati Synodi, duo ſcilicet S. R. E. Cardinales, aliquot Epiſcopi, Abbates, & Doctores, miſſi ad ſuadendum ei reditum Conſtantiam, vel acceſſum ad unum aliquem ex tribus aliis locis vicinis ei deſignatis cum omni ſecuritate, & ſalvo conductu Regis Romanorum, ut faciliùs res terminarentur, atque interim, dum ejus expectaretur reſponſum, ſuperſederetur à proceſſu contra eum faciendo. *Novis Itineribus ſe committit.* *Legati Concilii tractant cum Joanne.*

Die 24. Aprilis auditi à Joanne Concilii Nuncii, remiſſi ſunt ad ſequentem diem pro accipiendo reſponſo. Interim ſummo mane, nemine fugæ conſcio, receſſit ad oppidum Neoburgum, mandans intereà Legatis ſe receſſiſſe, eò quòd illa nocte recepiſſet nuncium de periculo, quod ei imminebat Briſaco. At verò reſumentes iter Legati Conſtantiam verſus, inter eundum offenderunt Ludovicum Bava-

Bavarum, à quo acceperunt Joannem ea die certo certius futurum Friburgi, quare unde venerant regreſſi, appulſo Pontifice, triduo cum eo egerunt, ac tandem poſt multas preces obtinuerunt Procuratorium datum 27. Aprilis: quo promiſit ac juravit, purè & ſimpliciter renunciare Papatui per ſe, vel per Procuratores, quàm primùm per Concilium de ipſius honeſto ſtatu pro vita & libertate foret proviſum ſecundùm formam à ſe traditam Cardinalibus S. Marci, SS. Coſmæ & Damiani, ac Epiſcopo Caracoſſenſi. Quod tamen Procuratorium, etſi, ut facilè apparet, imperfectum (quod & propterea à Concilio repudiatum eſt) noluit Concilio extradi, donec ſibi de ſtatu honeſtè proviſum eſſet, ſed interim cuſtodiri à Comite Bertholdo de Urſinis Romano, Concilii Cuſtode. Quæ verò eſſent Joannis petitiones, recenſet Niemus his verbis: *quòd toto ſua vitæ tempore eſſet Legatus à Latere irrevocabiliter per totam Italiam: haberet ſub ſe Bononiam, & ejus Comitatum in temporalibus, nec non Comitatum Avenionenſem: emerentur ipſi annus redditus ad vitam triginta millium aureorum; videlicet decem Venetiis, totidem Florentiæ, ac totidem Genuæ: liber eſſet ab omni cujuſcunque juriſdictione, ac nihilominùs remaneret Cardinalis, & particeps eſſet emolumentorum ſacri Collegii, & immunis à reddenda ratione omnium hactenus geſtorum, ac in futurum gerendorum.* Quæ tanta & alia hujuſmodi nonnulla Joannem petiiſſe Niemus ait, quòd ſciret ea ſibi non fore concedenda, utpotè in multis abſurda & irrationabilia, quærens dumtaxat tempus hujuſmodi ludificationibus trahere, ſpem ſemper habens eductionis à Burgundiæ Duce.

Promittit Pōtificatum deponere.

Ejus petitiones.

Intereà Concilii Patres auditâ Legatorum ad Joannem miſſorum relatione, cùm jam tædio affecti eſſent ex tam varia ejus locorum mutatione, ſeu potiùs ſuffugio, nec ulla ampliùs ſpes eſſe videretur aliquid eum ejuſmodi circuitionibus pro ſano acturum, adverſus eum de jure procedere deliberantes, citationem in eum auctoritate Synodali publicarunt ad nonum ſe diem Conſtantiæ ſiſtendum, ac reſpondendum de fuga, & aliis ei objiciendis, dato ad hoc pleno, ut vocant, ſalvo conductu ad veniendum, & commorandum ibi liberè & ſecurè. Cùm verò interim Fridericus Auſtriæ Dux receptus eſſet in gratiam à Rege Romanorum, promiſit Joannem Papam reducere, dummodò tam ei, quàm ſuis cautum eſſet de vita, & bonis, quæ haberent.

Concilium citat Joannem.

Sed his omiſſis, Concilium ex auctoritate procedendum decernens, miſit ad Joannem, qui Friburgi erat, Archiepiſcopos Biſuntinum, & Rigenſem, ut quæ geſta erat, ei ſignificarent. Hos ille vultu in ſpeciem læto ſuſcipiens, auditâ legationis causâ, paratum ſe eſſe dixit ire Conſtantiam, atque dolere plurimùm, quòd inconſultâ ſuâ fugâ, malaque aliorum ſuggeſtione Concilium hoc modo deſeruiſſet. Paulò pòſt à trecentis armatis militibus ad ſecuriorem ejus cuſtodiam à Sigiſmundo Rege miſſis ductus eſt ad oppidum Cellæ, duabus circiter leucis Conſtantiâ diſtans; ibique diligenter cuſtoditus, mutatis omnibus ejus famulis, præter coquum, ac datis in conſortium & ſolatium Vitale Epiſcopo Tolonenſi, unà cum aliis octo viris honoratis, ex qualibet ſcilicet natione duobus: ipſo interim ingentes ad hæc gemitus edente, ac grandem de præteritis contritionem

Joannes in Concilii poteſtate.

tionem præſeferente. Præter quæ idem Vitalis Epiſcopus recepit ab eo Sigillum, & annulum Piſcatoris dictum, ac miſit Conſtantiam. Deinde Concilii Promotores reproducta citatione in Joannem editâ, accuſataque ejus contumaciâ, petierunt ex ſtylo juris dari Commiſſarios in hac cauſa: Cardinalis verò Florentinus Diploma ejuſdem propoſuit, quo nonnullos Cardinales Procuratores conſtituerat ad defendendam cauſam ſuam. Sed replicantibus Promotoribus, citationem eſſe perſonalem, & cauſam Curialem, in qua nullus admitteretur per Procuratorem, ſed obſervandas recti judicii formas, rogati ſunt duo Cardinales Diaconi, & quidam Prælati nationum ire ad valvas Eccleſiæ, inquiſitum an Joannes adveniſſet? Recuſantibus Cardinalibus, Prælati id executi ſunt in valvis, & extra valvas Eccleſiæ; ac demum delegati ſunt à Synodo ad ejuſdem Joannis cauſam cognoſcendam duo Cardinales, & Prælati aliquot ſingularum quatuor nationum. Quo ritè facto, totius Concilii ſententiâ declaratus eſt Joannes contumax cum ſuis ſequacibus, & fautoribus, qui æquè citati fuerant, nec comparuerant.

Contumax declaratur.

Verùm antequam ad promulgationem hujus ſententiæ perveniret patres, miſſi ſunt ad Joannem quinque Cardinales, qui ei referrent, quæ acta fuiſſent. Obſervant monumenta Bibliothecæ Regiæ Gallicanæ hos Cardinales minimè fuiſſe permiſſos à Cuſtodibus deoſculari pedes ejus, ſed tantùm manus, & os. Reſpondit ille ſcripto Cardinalibus, velle ſe in omnibus ſtare deliberationibus, & determinationibus Synodi: ac ſe paratum eſſe, ſi ita Synodo pro bono Eccleſiæ videretur, Papatui renunciare & cedere ſive in ipſa civitate Conſtantiæ, ſive in alio quovis loco à Synodo nominando, neque reclamaturum unquam contra Synodi ſententiam; quin imò ratam habiturum, ac approbaturum, & quantum in ſe erit, confirmaturum omni meliori via, modo, & forma, quibus expedire videbitur Synodo: Rogans tamen per viſcera miſericordiæ Dei, ut dignaretur Synodus commendatum habere honorem ſuum, ſtatum, & perſonam. Scripſit etiam ad Sigiſmundum Regem eodem argumento, eique pluribus in memoriam revocavit, quanto ſtudio & affectu procuraſſet apud Electores ejus promotionem in Regem Romanorum: quanta promptitudine deſideratam ab eo ſuam præſentiam magnis ſumptibus, & periculis exhibuiſſet: quàm facilè conſenſiſſet electioni ejus de loco Conſtantiæ ad Synodum celebrandam: quàm ſincere de eo confidens ad Conſtantiam ejus adventum præveniſſet. Cùm hæc tantæ in eum dilectionis teſtimonia non poſſint niſi pari dilectione compenſari; ad eum, tanquam unicum poſt Deum ſpei ſuæ refugium, recurrere ſe, ſuppliciterque rogare per ſacra omnia, deponeret iram, clementiam reſumeret, ſuique in tam afflicto ſtatu miſereri non gravaretur, agendo apud Concilium, ut perſonam ſuam clementer haberet commendatam.

Paratum ſe dicit ad cedendum Pontificatu.

Scribit ad Sigiſmundũ Regem.

Die Sabbati 25. Maii in Seſſione 11. Præſide Cardinali Vivarienſi, & præſentibus cæteris omnibus Cardinalibus (uno S. Marci excepto, qui infirmus erat) in publico Concilio lecti ſunt 54. articuli formati contra Joannem *ſuper notoria dilapidatione bonorum Eccleſiæ: Simonia in adeptione Cardinalatus: collatione, ac diſtractione bonorum, ac be-*

Articuli contra Joannem.

ac beneficiorum Eccleſiaſticorum, gratiarum, Indulgentiarum, ac diſpenſationum Apoſtolicarum, & ſacrarum Reliquiarum; oppreſſione pauperum, ac virorum Eccleſiaſticorum; frequenti fuga in habitu indecenti ac transformato, contra juramenta præſtita; favore Schiſmatis; vitâ impiâ, impudicâ, ſcandaloſâ, & incorrigibili, &c. Qui Articuli juridicè deducti, Patrum juſſu delati ſunt ad Joannem, ut intra tempus indultum pro libito eis reſponderet. Ille ſcripto declaravit, nolle ſe aliquid dictis Articulis contra ſe propoſitis objicere, ſed potiùs tam proceſſum, quam ſe ipſum judicio Synodi ſubjicere. Quare die 29. menſis Maij in Synodo ad inſtantiam Promotorum lata eſt in Joannem Sententia definitiva ejus depoſitionis, & abſolutionis omnium Chriſtianorum ab ejus obedientia, cum prohibitione, ne quis ampliùs eum Papam nominaret, aut illi tanquam Papæ ſub quocunque prætextu adhæreret; eumque ſub cuſtodia Regis Sigiſmundi, quamdiù Concilio pro bono unionis Eccleſiæ videretur, honeſtè detinendum ſtatuit, reſervatis ſibi aliis pœnis, quibus pro criminum ſuorum exigentia plectendus foret, ſuo tempore declarandis. Inſuper ſtatuit, ne ſi contingeret Sedem Apoſtolicam quovis modo vacare, in prima vacatione ad electionem futuri ſummi Pontificis ullo modo procederetur ſine deliberatione, & conſenſu Synodi, ac ne ullo unquam tempore deligerentur in Pontifices *Balthaſſar Coſſa* nuper Joannes XXIII. nec *Angelus de Corario* Gregorius XII. nec *Petrus de Luna* Benedictus XIII. in ſuis obedientiis nominati: & ſi prædictis contrarium quid fieret, eſſet id ipſo facto irritum & inane. Hanc ſententiam uno omnium Concilii Patrum conſenſu approbatam, ultimo Maij 1415. inſtrumento publico ratam habuit Joannes, ac juravit ſe nunquam contra eam quicquam acturum: & ſic Papatui ceſſit, ac depoſitis omnibus ornamentis Papalibus, renunciavit.

Sententia Concilii in Joannem.

Ratam habet ſententiam.

Poſt hæc, addit Niemus, principio menſis Junii Balthaſſarem exauctoratum ductum fuiſſe ad Caſtrum *Gottlieben* propè Conſtantiam, ac traditum cuſtodiæ Ludovici Ducis Bavariæ Comitis Palatini Rheni, conſtituti ad id à Rege Sigiſmundo, loco Comitis Bertholdi de Urſinis Concilii Cuſtodis tum abſentis. A quo benignè habitus eſt datis ei duobus Sacerdotibus ad divinum Officium, & quibuſdam Nobilibus ad miniſterium menſæ. At Nauclerus, Platina, & alii peſſimè ipſum, vel in eo habitum volunt, quòd privato omni famulitio Italico tributi ſunt ei comites, & cuſtodes Teuthonici quibuſcum non linguâ, ſed nutibus agendum eſſet: ut qui nec Pontificem intelligerent, nec à Pontifice intelligerentur. Locus autem carceris, quo ferè quadriennio detentus fuit, à Nauclero *Manheim*, à Platina *Heidelberg* nominatur; fortaſsè utrumque ille ſortitus eſt locum diverſis temporibus.

Traditur Cuſtodiæ.

Anno tamen 1419. tacitâ Martini V. operâ, ut quidam habent, ne fortè diutiùs in Germania detentus, novas aliquando turbas cieret, pretio triginta millium aureorum carcere exemptus eſt, eo animo, ut eundem rurſus Martinus ſecuriori cuſtodiâ Mantuæ detineret (ſive, ut alii volunt, liber abire permitteretur) ne cùm vir magni animi eſſet, & qui privatam vitam nequaquam pati poſſe videretur, novos tumultus in Italia excitaret. Nihilominùs ſive con-

Carcere eximitur.

ſcien-

ſcientiâ ductus, ſive deſperans aliquid proficere, vel potiùs Deo omnipotente Eccleſiæ ſuæ miſerto, eum impellente, idem ipſe ſponte ſua, nullis pactionibus interpoſitis, nulla requiſita cautione, Florentiam ad Martinum V. Romanum Pontificem profectus eſt, ac in Vigilia Corporis Chriſti (quæ in 14. diem Junii inciderat) publicè ad pedes ejus procumbens, eum Pontificem verum, unicum, ac Canonicè electum profeſſus, & veneraturus eſt, cunctis præ gaudio, & commiſeratione hominis lacrymantibus, maximè verò iis Cardinalibus, qui vel ab eo creati, vel eum uti Pontificem ſecuti olim fuerant. Creatus à Martino Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, & ſacri Collegii Decanus, ac deinceps ab ipſo in honore habitus, non multò pòſt Florentiæ dolore animi, vel veneno (ut aliqui referunt) adjutus diem ſupremum obiit 22. Decembris anno ſalutis 1419. ibidem honorificentiſſimè ſepultus, procurante funus, ac funeris pompam Coſmo Mediceo cive Florentino, chariſſimo ipſius amico, quem homines exiſtimârunt peccuniâ Balthaſſaris opes ſuas in tantum auxiſſe, ut & primarius apud Florentinos cives, & ditiſſimus omnium cùm apud Italos, tum apud exteras gentes deinceps ſit habitus. Sepulchri marmorei Balthaſſaris Coſſæ exemplar æri inciſum exhibet omnium oculis Auguſtinus Oldoinus *in Additionibus* ad Ciaconium cum hac brevi Epigraphæ.

Confugit ad Martinum V. & creatur Epiſcopus Tuſculanus.

Ejus obitus.

BALTHASSARIS COSSÆ IOANNIS XXIII.
QUONDAM PAPÆ CORPUS HOC TUMULO CONDITUM: OBIIT FLORENTIÆ
ANNO DOMINI MCDXIX. KAL. JANUAR.

Epitaphium.

De quo Janus Vitalis celebris Poëta non minùs eleganter, quàm falsè ſic luſit.

Coſſa nothus palmes conſertus in arbore furtim
Pontificum, à ſancta Sede revulſus obit.

Initio Pontificatus Joannis Kalendis Junii anno 1410. fatis ceſſit Robertus Cæſar, ante decennium Wenceſlao exauctorato ſuffectus, Princeps pius, fortis, ac religioſus, qui Germaniam ſuam, totâ propemodùm Europâ bellis conflagrante, decennio illæſam rexit. Cui poſt Jodocum Marchionem Brandeburgenſem Caroli IV. Imp. ex fratre Nepotem, qui Imperio ſex menſes præfuit, Electorum ſuffragio ſucceſſit Sigiſmundus Hungariæ Rex, Caroli item IV. filius, Wenceſlao fratre Rege Bohemorum adhuc vivente. De quo loco plura.

Robertus Cæſar moritur: Sigiſmundus ſufficitur.

S C R I P T A.

Scripſit Joannes quondam XXIII. eleganti carmine *de Varietate Fortunæ* librum unum.

Joannis depoſiti Scripta

Epigrammata nonnulla.

Quædam ad Jurisprudentiam ſpectantia.

Epiſtolas multas: quarum quædam leguntur in Concilio Conſtantienſi tomo 7. Conciliorum cum Notis Binii, & ſunt m.ſſ. in Bibliotheca Vaticana.

Edidit etiam varia Diplomata: inter quæ illud celebre habetur, quod Stephano Generali Præfecto Fratrum Servorum indulſit, ut Ordo, quem cum ſuis profitebatur, propagaretur: hoc verò Diploma, quod incipit *Sacer Ordo &c.* habetur Centuria 2. Annalium Servorum *lib. 4. c. 17.* Exemit etiam eundem Ordinem alio Diplomate à ſubſidiis, quæ nuncupant charitativa: ut videre eſt in Diplomate *Super gregem &c.* loco citato.

S. Birgittæ Canonizatio ſeu confirmatio.

Ad inſtantiam autem Oratorum Regnorum Sueciæ, Daniæ, & Norvegiæ (ut teſtantur Nauclerus, & Trithemius) cœleſtes honores decrevit Birgittæ Viduæ regio Suecorum ſanguine ſatæ, ſeu potiùs confirmavit Canonizationem jam *olim factam per Bonifacium IX. ut in Bonifacio diximus.*

ANNO CHRISTI MCCCCXVII.

Imperatore SIGISMUNDO Auguſto.

DE

MARTINO III. dicto V. Pont. M.

CCX. Sublatis anno ſalutis 1417. per Concilium Conſtantienſe tribus deterrimi Schiſmatis capitibus, Angelo Corario, Petro de Luna, & Balthaſſare Coſſa, reductoque Orbe Chriſtiano ad Eccleſiæ Catholicæ unitatem, Apoſtolica Sede jam ultrà triennium vacante, 111. Idus Novembris ejuſdem anni Conſtantiæ, in domo Communitatis ſuper lacu poſita, ac pro Conclavi parata, viginti trium Cardinalium ſuffragiis, ac nationum omnium tum præſentium votis conſenſuque electus eſt in Romanum Pontificem

Ottho de Columna ſub Martini V. nomine Pontifex deſignatur.

Otho de Columna, Romanus, Agapeto Columnio, viro genere, opibus, ac meritis clariſſimo, parente natus, Diaconus tum Cardinalis S. Georgii in Velabro. Qui dies ſacer erat D. Martino Epiſcopo Turonenſi, ob cujus reverentiam & affectum Martinus III. nuncupari voluit, Quintus tamen vocatus ob confuſionem duorum Marinorum. Quo ſanè nemo unquam majori, imò nec pari univerſæ Eccleſiæ conſenſu electus dici poteſt: utpotè cujus creationi non ſolùm Cardinales ordinarii Electores, verùm etiam cunctarum Orbis Chriſtiani nationum ex tribus obedientiis, in quas Eccleſia fuerat antè diſtracta, ſpeciales delegati ſuffragia ſua ſingillatim contulerunt. Erat tunc Martinus quinquaginta annorum; cujus multiplices virtutes deſcribens Platina ait tantam fuiſſe omnium de ejus aſſumptione lætitiam, ut præ gaudio incredibili homines loqui vix poſſent. Effuſum nimio gaudio Sigiſmundum Cæſarem, nullo habito ſuæ dignitatis diſcrimine, Conclave ingreſſum gratias omnibus egiſſe, qui tantum virum, ac Reipublicæ Chriſtianæ propè extinctæ tam neceſſarium delegiſſent; & ante eum proſtratum ſumma cum veneratione pedes ejus exoſculatum eſſe. Quem contrà Pontifex amplexus, non ſecùs ac fratrem in pretio habuerit, ei-

Lætitia ob Martini electionem.

que

que gratias egerit, quòd ſuâ potiſſimùm operâ ac induſtriâ pax tandem Eccleſiæ reddita eſſet.

Seditio Romæ oritur.

Dum autem hæc Conſtantiæ aguntur, Romæ mortuo præſertim Ladiſlao Rege (quem diximus veneno à concubina ſublatum) graviter tumultuatum eſt, & ad arma & libertatem conclamatum. Cogitur à populo Petrus Mattheucius, vir conſilio manuq; promptus, etiam nolens Reipublicæ gubernacula ſuſcipere, qui poſteà magiſtratu ſe abdicavit, quum intellexiſſet Legatum, à Joanne Pontifice jam anteà deſignatum, paulò pòſt cum Senatore Cive Bononienſi affuturum: qui Urbem ingreſſi, Paulum Palonium, & Joannem Cincium ſeditioſos Cives, ad terrorem aliorum capitali ſupplicio affecêre. Sequenti verò anno Braccius de Montone Romam cum exercitu veniens, Urbe potitus, oppugnare Arcem S. Angeli adortus eſt, quæ firmo Joannæ Reginæ Ladiſlai ſororis præſidio defendebatur. Verùm ſuperveniente Sfortia, qui Joannæ tum militaverat, non ſolùm Braccium ab oppugnanda Arce dimovit, ſed etiam hominem pugnantem continuò ab Urbe expulit, Romanis in neutram partem inclinantibus. In ea pugna occiditur Joannes de Columna à quodam milite, qui olim ſub Paulo Urſino militaverat, quem Ludovicus de Columna cum Braccio militans in Agro Fulginate interfecerat. Erat verò militi in animo, ulciſcendæ Pauli necis causâ, obtruncare Ludovicum; ſed Joannes Ludovicum defenſurus innocens moritur. Dum autem Roma hoc modo fluctuaret, in varias partes declinans, audita Martini concivis ſui creatione, ſpem aliquam exoptatæ tandem quietis concepit.

Palonius & Cincius capite plectuntur

Jo. de Columna per errorem occiditur

Martini vitæ primordia & laus.

Cæterùm, ne hoc neſciat lector, erat Martinus à teneris annis curâ parentum optimis moribus & litteris imbutus: qui, ubi adoleviſſet, datâ Juriſprudentiæ Peruſii operâ, ad Urbem rediens, ob integritatem vitæ, atque doctrinam Urbani VI. Referendarius factus eſt: quod munus tanta cum humanitate, juſtitia, & manſuetudine geſſit, ut Diaconus Cardinalis S. Georgii in velabro ab Urbani ſucceſſore Innocentio VII. creatus ſit. Nec ob eam quidem rem à natura ſua diſceſſit: humanior enim quàm anteà factus, patrocinium ſuum bonis omnibus præſtabat, ita tamen, ut mirè cautus rebus publicis non facilè ſe immiſceret. Nam cùm in Concilio Conſtantienſi multæ in utramque partem altercationes, propter diverſa factionum ſtudia, haberentur, ipſe medium quoddam tenens, quo in alterutram partem propendere nequaquam videbatur, communi utilitati ſemper conſuluit. Hanc ob rem & Imperatori, & Cardinalibus, ac omnibus denique nationibus gratus, nullo negotio Pontifex evaſit. In ipſius namque Synodi actis luculenter continetur, unam potiſſimùm ob cauſam, tantam dignitatem eum adeptum, quòd nulli unquam factioni vel conſentire omninò, vel connivere ſit viſus.

Qua de cauſa Pontifex electus ſit?

Egregiis animi dotibus præditus emicat.

Quo in Magiſtratu conſtitutus, non ſomno & otio, ſed negotio, & ſolicitudini totus deditus, audire, refellere, approbare, ſuadere, diſſuadere, hortari, deterrere, pro rerum qualitate & exigentia, accedentes ad Sedem Apoſtolicam conſueverat. Mira enim utebatur facilitate, & honeſta à ſe petentes, voti compotes ut pluri-

mùm dimittebat. In conſultationibus autem magnæ prudentiæ & æquitatis vir eſt habitus: nam & quid agendum, & quid vitandam prudenter eſſet, ſtatim re propoſita accutiſſimè diſcernebat. Brevis in dicendo, cautior in augendo, adeò ut priùs rem factam cernerent homines, quàm ab eo excogitatam putarent. Ejus ſermo, mirum dictu! plenus ſententiis, vel è Patrum monumentis, vel è legibus, vel è ſacro Codice petitis, erat. Ex ore ejus nullum verbum tam crebrò, quàm Juſtitiæ nomen prodibat. Ad eos enim, quos Provinciis, jurique dicundo præfeciſſet, ſæpiùs converſus his verbis utebatur: *Diligite juſtitiam, qui judicatis terram* Indigebat tùm profectò Eccleſia Dei tali Pontifice, qui Naviculam Petri Schiſmatis procellis, ac ſeditionum fluctibus jactatam redigere in portum ſalutis, gubernaculo admotus, ſciret, vellet, & poſſet.

Legatos mittit ad Petrũ de Luna pro deponendo malè uſurpato Pontificatu.

Adeptus itaque tantum Magiſtratum Martinus, cùm reſtare adhuc caput renaſcentis Hydræ cerneret, *Petrum* ſcilicet *de Luna* cum aliquot Cardinalibus, & Prælatis, Peniſcholæ tanquam in arce Schiſmatis ſe continentem, quibuſdam Arragoniæ populis, quamnam in partem inclinarent, adhuc incertis, approbante Concilio, Alamannum Adimarium Cardinalem virum doctiſſimum (cujus vita habetur *Libro 3.* Purpuræ doctæ *n. 1.* Legatum è latere in Arragoniam miſit, qui ſub pœnis & cenſura Eccleſiaſtica Petrum, ut ſe Pontificatu uſurpato abdicaret, admoneret. Cardinales autem, qui cum Petro ſentiebant, intelligentes ultimam Concilii, & Pontificis ſententiam, Petrum ipſum adeunt, rogantque ſeriò, ut de Eccleſia Dei tandem omne Schiſma tollat, quo jam multis annis Chriſtiana Reſpublica magnis calamitatibus afflictata erat. Id enim ob ſalutem labentis Eccleſiæ à Gregorio, & Joanne non ſine laude rerumque emolumento factum eſſe. Reſpondit Petrus cavillationibus ſolitis: *Id ſibi nequaquam integrum eſſe, ut è ſtatione, quam legitimis ſuffragiis accepiſſet, cederet: ſe autem opportuno tempore cum Martino conventurum, ſi vera eſſent, quæ de hominis fama, integritate, & humanitate dicerentur: ſinerent ſibi id negotii, nec ampliùs ea de re, quæ ipſum concerneret, ſolliciti eſſent.*

Nonnulli Cardinales à Petro de Luna deficiunt.

Ex ſex verò Cardinalibus, quatuor pertinaciam hominis inflexibilis conſpicientes, eo relicto, ad Martinum ceu legitimum Pontificem defecerunt. Qui autem in fide manſerunt, Anticardinales ſunt habiti: quorum alter Carthuſienſis fuit, alter verò Julianus de Dobla appellatus eſt. Martini quoque auctoritatem omnis Hiſpania ſecuta eſt: idem fecerunt non multò pòſt & Scoti, & Armeniaci. Atque ita omnis Reſpublica Chriſtiana, unà dumtaxat Peniſcholâ exceptâ, Martini partes amplexa eſt.

Quid porrò actum ſit, recenſetur.

Compoſita autem ex ſententia tanta re, Principum omnium Eccleſiaſticorum, & ſæcularium, maximè verò Sigiſmundi Imperatoris labore & induſtria, de reformandis, nimiâ licentiâ jam labefactatis, tam Laicorum, quàm Clericorum moribus mentio haberi cœpta eſt. Verùm quia quadriennio propemodum Concilium Conſtantienſe, non ſine magno Prælatorum & Eccleſiarum incommodo duraverat, placuit Martino, approbante Synodo, rem tantam in aliud tempus magis idoneum transferre: dicebat enim rem ipſam maturitate & conſilio indigere, quia ex Hieronymi ſententia, unaquæ-

unaquæque Provincia ſuos habet mores, ſuos ſenſus, qui tolli ſine perturbatione rerum ſubitò non poſſunt. Et quoniam Schiſma ex parva re anteà ortum fuerat, diutiuſque cum magna Reipublicæ Chriſtianæ calamitate duraverat, de celebrandis in poſterum Conciliis talem pronunciavit ſententiam; ut à fine Concilii Conſtantienſis ad quinquennium uſque Concilium denuò celebraretur: utque à quinquennali in ſeptennium aliud transferretur; ab hoc verò in decennium res protracta legis haberet locum, ut ſingulis quibusque decenniis Generale Concilium idoneo cogeretur in loco, ubi de rebus omnibus ad fidem, & Rempublicam Chriſtianam pertinentibus, mentio fieret, & diſquiſitio. Hanc autem inſtitutionem patentibus literis (quas *Bullas* vocant) Martinus approbavit, Concilio univerſo in ejus ſententiam veniente. Omnia autem Decreta ante Pontificatum ſuum in Schiſmate facta, niſi ad fidem, & bonos mores pertinerent, omninò ſuſtulit, & antiquavit. *Poſt quinquennium aliud Concilià celebrari mandat.*

Ut verò omnes intelligerent ſibi in animo eſſe Concilium celebrare, locum ad id aptum publico in Concilio diſquiſivit: ac tandem approbantibus omnibus, Papiam perquàm commodam habendo Concilio decrevit, literaſque Apoſtolicas in hanc ferè ſententiam ea de re edidit: *Martinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad futuram rei memoriam. Cupientes, ac etiam volentes hujuſce Generalis Concilii Decreto ſatisfacere, Concilio approbante, & conſentiente, cùm de loco ambigeretur, Papiam Urbem auctoritate litterarum noſtrarum deſignamus. Nulli ergo hominum liceat hujus noſtri Decreti paginam infringere: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, Omnipotentis Dei iram, beatorumq; Petri & Pauli Apoſtolorum ejus indignationem ſe noverit incurſurum. Datum & actum Conſtantiæ in loco publicæ ſeſſionis tanti Concilii XIII. Kalendas Maji, Pontificatus Noſtri anno primo.* Porrò diſſolvendi Concilii Generalis Conſtantienſis cupidus, anno Domini 1418. XII. Kal. Maij Conventum ultimum indixit, quo celebrato, de conſenſu omnium, maximè verò Imperatoris, hæc verba, mandante Pontifice, à Raynaldo Diacono Cardinale SS. Viti & Modeſti in Macello Martyrum, audientibus omnibus, enunciata ſunt DOMINI ITE IN PACE: cunctis reſpondentibus AMEN, omnibus abeundi poteſtas facta eſt. *Ejus de hac re Littera.* *Concilium Coſtantienſe diſſolvitur.*

Cùm autem Pontifex hinc ab Imperatore & Germanis rogaretur, ut in Germania aliquamdiù remaneret; inde à Gallis, ut in Galliam proficiſceretur, oſtendit ſibi id nequaquam integrum eſſe, quòd diceret; *Patrimonium Eccleſiæ, abſente Pontifice, à Tyrannis quibuſdam in Italia occupatum diſtrahi, & lacerari: Urbemq; Romam, Religionis Chriſtianæ caput, cùm Rectore ſuo careret, penè ad interitum redactam eſſe, peſte, fame, ferro, igne, ſeditionibus: De Baſilicis verò, ac Sanctorum Martyrum Sacellis nolle dicere, quæ abſente Pontifice, aut jam corruerint, aut paulò pòſt collapſura viderentur, ac proinde ſibi abeundum eſſe. Ferrent igitur æquo animo, quod ſuaderet ratio, & neceſſitas: paterenturq; eum ſedere in ſolio Petri, quem Pontificem omnium conſenſu decreviſſent. Eccleſiam Romanam Caput eſſe, & matrem omnium Eccleſiarum, proinde in ea immorandum Pontifici eſſe, ne verus Gubernator à puppi transferatur ad proram, cum magno navigantium (hoc eſt in Chriſtiana Republica viventium) periculo, & detrimento.* Hæc elocutus, impertitoque omnibus ſacræ benedictionis mune- *Martinus Romam feſtinat & cur?*

munere, Conſtantiâ egrediens, per Sabaudiam Mediolanum pervenit. Ubi à Philippo Duce, populoque Mediolanenſi, nullo non genere honoris exhibito, perbenignè ſuſceptus eſt. Menſe deinde Octobri Mantuam profectus, cùm plurima negotia expedienda occurrerent, ibidem per aliquot menſes ſubſtitit. Peractis negotiis Florentiam petiit, inde petiturus Romam. Verùm eo ipſo tempore, quo Florentiam profectus eſt, offendit Braccium de Montonio, virum in re militari præſtantem, qui Peruſium, Ducatum Spoletanum, & magnam Patrimonii partem, conductis mercede vicinis Tyrannis, ita occupaverat, ut ipſi tutò proficiſci Romam non liceret.

Mantua moras trahit.

Admonitus per Pontificem Braccius, è locis Eccleſiæ diſcederet, armaque infeſta deponeret, cum obſequi renueret, cenſuris perterritus eſt. Interdictum ſiquidem à ſacris his omnibus eſt, qui Braccio parérent; vetitique Sacerdotes Decreto Pontificis eiſdem in locis myſteria celebrare. Hanc ob rem Florentini, amici Braccii incommodo moti de pace cum Martino hac lege egerunt, ut Braccius ad pedes Pontificis provolutus veniam erratorum peteret (quod etiam fecit) oppidaque hactenus occupata, Eccleſiæ, cujus eſſent, redderet: utque ſtipendiis Pontificis militans, Bononiam rebellem in Martini poteſtatem redigeret. Cui quidem bello Gabriel Condelmerius Cardinalis S. Clementis (poſteà Eugenius IV.) Pontificius Legatus præfuit: cujus induſtria, & Braccii virtute, Bononia in poteſtatem Eccleſiæ brevi redacta eſt.

Braccius cenſuris terretur, ejuſq; ſequaces.

Interim verò, dum hæc Bononiæ agerentur, Oratores Imperatoris Conſtantinopolitani ad Pontificem venêre, pollicentes Græcos, quoad fidem pertineret, velle in ſententiam Latinorum venire, ſi æquæ conditiones iis proponerentur. Hos Martinus ſplendidè ſuſceptos aliquamdiu perbenigne habuit; & Legatum à latere creavit Petrum Fonſecam S. Angeli Cardinalem, hominem Hiſpanum, magnæ virtutis ac eruditionis virum, qui Conſtantinopolim ad componendas res proficiſceretur. Verùm priuſquàm virum integerrimum à ſe dimitteret, eò præmiſit Antonium Maſſanum Ordinis Minorum Generalem, qui Imperatoris, ac Græcorum exploratâ ſententiâ, quid ea in re ſperandum eſſet, Pontificem admoneret. Inſtantibus autem Romanis, ut demum Pontifex Romam proficiſceretur, Martinus cum bona Florentinorum gratia diſceſſurus, Civitatem eorum honore Metropolitico exornavit. Nam cùm anteà ab ipſa penè urbis origine Epiſcopatum tantummodò habuiſſet, in Archiepiſcopatum eorum Eccleſiam Cathedralem tranſtulit, eique ut matri ſubjecit Volaterranam, Piſtorienſem, ac Feſulanam Eccleſias. Dedicavit prætereà ipſemet Altare majus S. Mariæ Novellæ Ordinis Prædicatorum, apud quam Baſilicam tamdiù divertit, quamdiù Florentiæ manſit. Eſt enim Conventus ille ad recipiendos Pontifices ob amplum diverſorium maximè commodus.

Oratores Orientis ad Martinum veniunt.

Martinus Eccleſiam Florentinam in Archiepiſcopalem erigit.

Abiens itaque Florentiâ, Romam tandem cum magno Præſulum, ac Procerum comitatu pervenit, effuſâ obviàm omni urbanâ multitudine: effuſis Principibus tantæ Urbis, qui hominem non ſecùs ac quoddam ſalutare ſidus, vel unicum patriæ parentem expectabant: clamantibus omnibus feſtiva voce *Martino Papa*, *Concivi* *noſtro*

Romam veniens ſummis honoribus excipitur.

noſtro & Principi ſalus & vita! Quem Senatus ſub umbella auro ditiſſima exceptum per publicas vias aulæis ſplendidas ad Palatium Vaticanum deduxerunt. Diem illum in faſtis annotavêre Romani, decimo Kalendas Octobris, anno Domini 1421. Cæterùm Urbem Romam adeò diruptam, & vaſtatam invenit, ut nulla civitatis facies in illa videretur. *Collabentes*, inquit hoc loco Platina, *vidiſſes domos, collapſa Templa, deſertos vicos, cœnoſam & oblitam Urbem, laborantemq; rerum omnium caritate, atque inopia. Quid plura? nulla Urbis facies, nullum urbanitatis indicium in ea videbatur: dixiſſes omnes cives aut inquilinos eſſe, aut extremam omnium hominum fæcem eò commigraſſe.* Civium itaque ſuorum calamitate permotus optimus Pontifex, animum ad reparandam exornandamque civitatem, componendosque eorum mores tanta ſollicitudine adjecit, ut brevi convaleſcens meliorem faciem præſetulerit. Hanc ob rem Civitas ipſa, eum non modò ſummum Pontificem, verùm etiam *Patriæ parentem* appellavit. *Fœda Romæ facies.*

Sed ne publica hæc lætitia diuturna eſſet ſine aliqua moleſtia, ſequenti anno 1422. die vigeſima nona Novembris in pervigilio S. Andreæ Apoſtoli, adeò in immenſum Tiberis excrevit, ut per portam Flaminiam ingreſſus, totam Urbem in plano ſitam inundaverit, Templumque *Pantheon* uſque ad Altare majus repleverit. Decreſcens autem biduo pòſt, multa animalia paſſim ſecum traxit, ingentiaque civibus damna intulit, qui non ſecùs per vicos & plateas navigabant, ac per ipſum Tiberis alveum facere conſueverant. Hujus inundationis memoria Romæ in muro Eccleſiæ ad Minervam exteriori, propè gradus Templi, Tabulâ marmoreâ annotata eſt. *Ingens Tybris inundatio.*

Aloyſius autem Rex, Ludovici Andegavenſis Siciliæ Regis filius, eodem tempore Romam ad Pontificem veniens, Regni Neapolitani titulum à Martino, Cardinalium omnium conſenſu, conſecutus eſt: in regnum namque per adoptionem à Regina Joanna Ladislai ſorore vocatus, hoc modo conſecuturum ſe regnum putabat: verùm ſtudio partium ab Urbe Neapoli ſubmotus, in Calabriam ſeceſſit. *Aloyſius Rex Siciliæ dicitur.*

Cùm autem Concilii tempus inſtaret (ut ex Decreto Conſtantienſi inſtitutum erat) Martino placuit, ſentientibus etiam ita Cardinalibus, præmittere quoſdam, qui Papiæ illud inchoarent: is enim locus ad rem maximè opportunus videbatur. Miſſi itaque eò ſtatim Petrus Donatus Archiepiſcopus Cretenſis, Jacobus Camplo Epiſcopus Spoletanus, Petrus Roſacius Aquileienſis diœceſis Abbas, Leonardus Florentinus Ordinis Prædicatorum Generalis, Concilium inchoärunt, ad quod nemo quidem adhuc venerat, præter duos Abbates Burgundos. Differre itaque rem in aliquot dies placuit, donec ex omni natione unus aliquis ſuperveniret. Ex Gallica enim, & Germanica natione nondum quiſquam comparuerat: parvi namque momenti fore putabant, quod ſine iſtorum auctoritate, & ſuffragiis confectum eſſet. Sed ecce dum hos expectant, tanta repentè peſtis Papiam invaſit, ut Præſidentes Concilii mutare locum, & tempus ſint coacti. Placuit itaque omnibus, ex ſententia Pontificis, Senas migrare, quo major ex omni natione Patrum numerus, quàm Papiam perveniret. *Martinus Papia Concilium inchoat.* *Transfertur Papiâ Senas.*

Id ut intellexit Alphonſus Arragonum Rex, Martino infenſus, à quo titulum Regni Siciliæ & Neapolis habere nequiverat, datum, ut diximus, Aloyſio Regis Ludovici filio, Oratorem ad Concilium miſit, qui & Concilium in longum duceret, & cauſam Petri de Luna in Peniſchola adhuc ſuperſtitis reſtitueret, largitionibus, pollicitationibus, ambiendo unumquemque ex iis, qui in Concilio auctoritatem haberet. Unde Martinus non ignarus quantam calamitatem ea res Eccleſiæ Romanæ allatura eſſet, quantumque periculi in mora haberetur, mandavit Concilium ſtatim diſſolvi, approbatis Decretis in eo habitis, quæ ad fidem pertinerent. Et ne ſubterfugere Conventum Chriſtianorum videretur, in ſequens ſeptennium Concilium in Urbe Baſilea celebrandum indixit. Atque hoc modo Schiſmatis, & diſcordiarum ſemina, à quibuſdam in Concilio Senenſi jacta & ſparſa, Martini prudentia & aſtu ſublata ſunt.

Indicit Concilium Baſileenſe.

Alphonſus Arragoniæ Rex queritur, ſed refellitur.

Tum verò Alphonſus hac arte deluſus, de Martino palàm conqueri cœpit, quòd diceret, *Ejus operâ & ſe à Regina Joanna abrogatum Regno eſſe, quem priùs hæredem inſtituerat, & Aloyſium Regis Siciliæ filium novum hæredem ſubſtitutum.* Refellebat quidem hæc crimina perfacilè Martinus, aſſerendo: *Aloyſium hæredem Joannæ ab Alexandro V. & Joanne XXIII. in Regno priùs confirmatum fuiſſe; rejiceret eam omnem culpam, ſi qua eſſet, in Reginam, non autem in ſe, ad quem pertineret feudatarios Eccleſiæ confirmare, non autem tollere, niſi aliquod grande facinus in Sedem Romanam commiſiſſent: cæterùm ſe non videre, cur Aloyſius Joanna, ſuo juſſu coronata, legitimus hæres eſſe non poſſet. Æquiùs proinde de ſe ſentiret, culpamq; alienam non in culpa expertem, planeq; innoxium derivaret.*

Braccius Eccleſiæ hoſtis inſurgit, ſuperatur, interficitur.

Interim Braccius ad omnia vigil, cùm videret Pontificem multiplici cura implicitum ob ſimultatem cum Alphonſo contractam, correptis properè armis, multa Eccleſiæ oppida per vim occupat, atque Aquilam Regni Neapolitani Urbem gravi obſidione premit. Pontifex eâ perfidiâ motus, comparato inſigni exercitu, liberare Aquilam annixus, adjuvantibus his, qui cum Regina & Aloyſio militabant, non longè ab Aquila patenti campo Braccium ſuperat, & interficit. Cujus cadaver multis confoſſum vulneribus, Romam delatum, extra portam S. Laurentii in loco prophano non ſine populi ludibrio ſepelitur. Hâc autem partâ victoriâ, tanta mox rerum tranquillitas exorta eſt, redactis ad ditionem Eccleſiæ Peruſio, Tuderto, Aſſiſio, aliiſque oppidis, quæ Braccius hoſtis occupaverat, ut Auguſti Octavii felicitas, & pax rediiſſe ſua ætate videretur. Licebat tum frui otio, & liberè per ſilvas noctu etiam tutò commeare. Nulli latrones tum extabant, nulli ſicarii & fures, adeò hoc hominum genus perſequebatur, ſublatis è medio Tartalia, Lavello, aliiſque Tyrannis, qui latrociniis potiùs, quàm militiâ vitam traducebant.

Catholici concitantur in Bohemos hæreticos.

Huic verò felicitati obſtare Bohemi hæretici videbantur, qui hæreſi & armis Germanos Catholicos continuò vexabant: ut igitur hi quoque rationi, & Eccleſiæ obtemperarent, cùm benè monenti parére noluiſſent, Legatos in Germaniam miſit, qui Catholicos ad arma concitarent: ac primò quidem, ſeorſum tamen, Henricum S. Euſebii Cardinalem, deinde Bartholomæum Placentinum,

poſtre-

poſtremò verò, his revocatis, Julianum Cæſarinum S. Angeli Cardinalem, virum vitæ integritate, & ſapientia præclarum, magnitudine conſilii conſpicuum, ac in maximis Eccleſiæ negotiis diuturna experientia comprobatum: qui certè non ſuâ culpâ, ſed ignaviâ militum, pugnare detrectantium, magnum incommodum ab hoſtibus accepit: pro ut fuſiùs oſtendimus *lib. 3. Purpura doctæ, n. 15.* in vita ipſius Juliani. Egimus verò de ortu ac progreſſu hæreſis Bohemicæ, quantum ſatis eſt, *loco citato, n. 7.* in vita Simonis de Cremaudo Cardinalis, qui locus videri poteſt.

Vide Purpur. doct. loco hic citato.

Martinus autem ab externo hoſte quietus, celebrato Romæ ſub annum ſalutis 1425. (maximo mortalium undequaque accurrentium affluxu) ſacro Jubilæo, ad exornandam patriam, Baſilicaſque Romanas inſtaurandas converſus, Porticum S. Petri jam collabentem reſtituit, & pavimentum Lateranenſis Baſilicæ opere vermiculato perfecit, ac teſtudinem ligneam eidem Templo ſuperinduxit, picturamque Gentilis, opus celeberrimi pictoris, inchoavit: Ædes prætereà ſacras diverſis in locis aut refecit, aut recèns excitavit, exornavitque, multis aureorum millibus in ea ædificia impenſis, ut ſingillatim videre eſt apud Oldoinum, id genus pietatis monumenta longo numero recenſentem. Martini ſtudia poſteà ſequuti Cardinales, Titulos ſuos ita certatim reſtituêre, ut nova facies Romanæ Urbi inducta videretur.

Martinus Jubilæum celebrat: Eccleſias collapſas reficit, & exornat.

Porrò Romanæ Curiæ Officialibus tam Cancellariæ Apoſtolicæ, quam in foro verſantibus certas leges edixit, ut minori populos diſpendio fatigarent. Eccleſiaſticum Ordinem in ditione Regis Alphonſi à moleſtiis vindicavit: pronos ad malum pœnarum fræno cohibuit; rectâ ambulantes virtutum ſemitâ confirmavit, præmiiſque affecit. Erudiendæ juventuti plura paſſim Gymnaſia tam in Italia, quàm in Hiſpania, & Germania excitavit. Sacro Cardinalium Cœtui, ut aliis exemplo eſſent, ſaluberrimas leges præſcripſit, inter quas hæ primæ leguntur: *Cardinales munditiâ vitæ alios præcellant, ac ſobriè, juſtè, ac piè vivant, non ſolùm à malo, ſed à ſpecie mali ſe abſtineant: pœnam in aliorum exemplum ſubituri, ſi vitam ſuo ſtatui minimè congruentem ducere comperti fuerint. Humilitatem continuò exerceant, memores verbi Salvatoris, Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Domi ſua ſe benè praeſſe oſtendant, familiamq; tam Clericorum, quam laicorum honeſtam, honeſtiſq; veſtibus incedentem alant; Sacerdoteſq;, ac Levitas in teſtimonium bonum ſecum habeant, &c. Procurent reparationem Eccleſiarum ſuorum Titulorum juxtà poſſe ſuum, in iiſq; divinum cultum per religioſos, devotos, ac honeſtos Clericos perfici, ac augeri faciant, ne Sanctorum loca, in quibus ipſi commodè reſidere nequeunt, per negligentiam deſerta remaneant &c.* Vide Oldoinum *in add. ad Ciac.*

Curiæ Romanæ leges ſcribit, uti & Cardinalibus.

Intereà verò mortuo ſub annum 1424. die 11. Junii Petro de Luna, Benedicto XIII. nuncupato, ne quid deeſſet, quod Eccleſiam Dei affligeret, duo illi Pſeudocardinales, quorum ſuprà mentionem fecimus, Alphonſo Rege Martini hoſte adhortante, Ægidium de Munione, Canonicum Barchinonenſem, genere nobilem, Antipapam deligunt, Clementemque VIII. appellant: qui ſtatim Pſeudoſolium conſcendens, creatis nonnullis obedientiæ ſuæ Cardinalibus, conſue-

Mortuo Petro de Luna, & in ordinem redacto ejus Pſeudoſucceſſore Schiſma penitùs extinguitur.

conſueta Pontificibus munia peregit. Verùm cum Martinus triennio poſt cum Alphonſo Rege in gratiam rediiſſet, eò ſtatim Petrum de Fuxo Cardinalem Legatum Apoſtolicæ Sedis miſit, in cujus manus (ita jubente Alphonſo Rege, Peniſcholæ Domino) Ægidius malè uſurpata Pontificatus jura depoſuit: erga quem hac benignitate Martinus poſteà uſus eſt, ut eum Majoricenſem Epiſcopum dato Diplomate declaraverit. Cardinales autem ab Ægidio creati, ut eum Pontificatu ceſſiſſe intellexerunt, ſponte ſe Pſeudopurpurâ abdicârunt. Illi verò duo, quos à Petro de Luna creatos diximus, cùm nulla arte, ut Schiſmaticam dignitatem dimitterent, perſuaderi poſſent, neque legitimo Pontifici Martino obedientiam præſtare vellent, ceu pertinaces à Legato in carcerem conjecti ſunt: ubi non multò pòſt vel necati, vel animi mœrore confecti memorantur. Atque ita Martini Pontificis ſapientiâ & induſtriâ omne Schiſma ſublatum eſt. Acta Petri de Luna, ejuſque interitum deſcripſimus in Purpura docta *lib. 2. n. 70.*

Pſeudopapa deponitur.

Pacata hoc modo undique Eccleſia Dei, in dandis beneficiis, ac conferendis muneribus Eccleſiaſticis mirâ prudentiâ uſus eſt: *Non enim unicuique petenti* (inquit ex Platina Ciaconius) *ea conferebat; ſed priùs mente agitabat, quis potiſſimùm eſſet idoneus, cui talis cura demandaretur. Quod ſi homines Provinciarum non niſſet, in quibus vacare beneficia contigiſſet, ſtatim peritos Regionum conſulebat, quis aut in Curia, aut in Gymnaſiis publicis eſſet doctrina, pietate, nobilitate, moribus, tanta provincia dignus.* Qua quidem ratione, & Eccleſiis, & hominibus honore dignis pariter conſulebat, cum maxima nominis ſui celebritate, & commendatione. Optimè quoque Reipublicæ Chriſtianæ conſultum arbitrabatur, ſi Juvenes in primo ætatis flore optimis moribus, ac liberalibus artibus imbuerentur. Ideò Univerſitatem Salmanticenſem Conſtitutionibus, ac privilegiis ampliſſimis confirmavit: Scholas publicas in Villa de Majorica à Didaco Carthaginenſi Præſule; & in oppido Stockholmienſi Ypſalenſis Diœceſis à Conſulibus inſtitutas; Collegium pro pauperibus ſtudioſis à Branda S. Clementis Cardinale erectum, approbavit. Gymnaſium Heidelbergæ à Ruperto Bavariæ Duce fundatum; Avenionenſe à Joanne Epiſcopo Oſtienſi S.R.E. Vicecancellario inſtitutum; Senenſe item, ac Pampelonenſe redditibus ac privilegiis auxit. Patavinum, Bononienſe, Lipſienſe, Merſeburgenſe & Elienſe Diplomatibus, & gratiis multis decoravit. In civitate Nannetenſi generale omnium artium Gymnaſium, Joanne Britanniæ Rege ſupplicante, & aliud in villa Valliſoleti, aliud in urbe Lovanii, ac Dolæ ad preces Philippi Burgundiæ Ducis erexit: Taurinenſe ad oppidum Cherii tranſtulit; ac Romanum denique fovit, & excoluit.

Sublato Schiſmate multa præclarè operatur.

Samaytarnam gentem ſacro baptiſmatis fonte renatam ſtudio Ladislai Poloniæ Regis, ſub Eccleſiæ patrocinio recepit. Contra *Fraticellos* impurum ſectæ genus, qui in pluribus Italiæ partibus pravarum opinionum virus evomebant, diligenter inquiri; deprehenſos, ni reſipiſcerent, exilio, fune, ferro, & igne affici mandavit. Huſſitas monuit, ut ejurato errore ad Chriſti gregem redirent. Extat apud Cochlæum inſignis ejus Epiſtola, è Concilio Conſtantienſi

Agit in hæreticos Fraticellos: & Bohemos reducere ſatagit.

tienſi ad Barones & Milites Huſſitas exarata; qua dolet, quòd Imagines Chriſti Salvatoris è cruce pendentis, Deiparæ Virginis, & Divorum frangerentur, & comburerentur; Eccleſiæ claves & monita contemnerentur; ſacri ritus, & Canones abjicerentur; Imagines Huſſi, & Hieronymi Pragenſis Hæreſiarcharum colerentur, eorum feſta celebrarentur, aliaque nefandiſſima in exitium animarum perpetrarentur: tum eos inſtanter exhortatur, ut ejuſmodi errorum, & impiorum facinorum defenſione rejectâ, fidei Catholicæ veritati firmiter inhærerent, ſcituri alioqui, ſe ad extirpandos eos errores, & proterviam ejuſmodi comprimendam, omnibus viis, ac remediis, etiam cum brachii ſæcularis auxilio, inſurrecturum.

Eccleſiæ libertatem vindicat.

Ut autem leges aliquas à Regibus Alphonſo Arragoniæ, Henrico Angliæ, Carolo Franciæ, & Joanne Luſitaniæ contra Eccleſias editas extirparet, & Eccleſiæ libertatem vendicaret, precibus & monitis apud illos egit; ut quia ſublatum jam Schiſma eſſet, cujus occaſione leges illæ emanaverant, cæteras diſſenſiones tollerent, & libertatem Romanæ Eccleſiæ reſtituerent. Verùm, ubi monitis, nunciis, ac literis nihil ſe proficere cognovit, auctoritate ſibi à Deo data in pertinaces eſt uſus.

Julianum Cæſarinum ad Baſileenſe Concilium inchoandum dirigit.

Inſtante verò tempore celebrationis Concilii Generalis ex Decreto primùm Concilii Conſtantienſis, deinde Senenſis, quo Civitatem Baſileæ ad id deſignatam legimus, Julianum Cæſarinum S.R.E. Cardinalem, virum doctrina & pietate rerumque experientia clariſſimum, tanquam pacis Angelum Baſileam deſtinavit Legatum à latere cum plena & abſoluta poteſtate, ipſius Pontificis nomine præſidendi Concilio ibidem celebrando, atque in illo proponendi, & cum Patribus Concilii deliberandi, ac ſtatuendi, quæ ad laudem Dei, conſervationem & augmentum fidei, ſtatum Eccleſiæ, reformationem Cleri, reductionem Orientalis Eccleſiæ, & quorumlibet aliorum aberrantium, ac præcipuè Bohemorum, & extirpationem hæreſum ubique graſſantium, conſervationem Eccleſiaſticæ libertatis, pacem & quietem Regnorum, Regum, Principum, ac populorum pertinerent, ut pluribus continetur in Conſtitutione ea de re edita ad eundem Julianum miſsâ Kalendis Februarii anno 1431. ipſius Martini Pontificatus decimo quarto, vigeſimo ante obitum die.

Martini obitus.

Dum enim iſthæc paſtorali ſtudio proſequeretur pius Pontifex, contigit eum, jam ab aliquo tempore infirmum, apoplexia opprimi, hancque vitam deſerere Decimo Kalendas Martii Romæ anno ſalutis 1431. ætatis 63. Sedis 13. menſe tertio, die duodecimo, ut habetur in ejus partim æneo, partim lapideo ſepulchro, quod ei poſitum eſt in Baſilica Lateranenſi ante Capita Apoſtolorum Petri & Pauli, quod æri inciſum exhibet Oldoinus *in additionibus ad Ciaconium*. Elatus eſt funere magnificentiſſimo, comitantibus Clero, Senatu, ac populo Romano, non aliter flentibus, quàm ſi Eccleſia Dei, urbſque Roma unico atque optimo parente orbata fuiſſet.

Laudatur paſſim ſi hæreticos excipias.

Laudatur paſſim à Scriptoribus multarum virtutum, ſed præcipuè humanitatis, prudentiæ, juſtitiæ, eruditionis, caſtimoniæ, &

& pietatis elogio : cui Eccleſia unionem, Italia quietem, Roma reſtaurationem debuit : cæteræ nationes eximiam ejus de omnibus benemerendi voluntatem grato animo agnoſcunt. Unis diſplicuit hæreticis, quibus, quia Chriſti ſervus & Vicarius erat, placere nequivit. Habent enim hoc Paſtores ſummi, ut quò magis boni ſunt, hoc minùs lupis arrideant. Janus Vitalis celebris Vates non minùs verè, quàm venuſtè de eo ſic luſit:

Maximus ut fieres Mundi, MARTINE, Sacerdos,
Non hominum potuit cura, ſed eſſe Dei.

Qui Concilio Conſtantienſi interfuerint. Concilio Conſtantienſi, quod Martinum ad ſummam rerum evexit, interfuiſſe 29. Cardinales, 4. Patriarchas, 47. Archiepiſcopos, 160. Epiſcopos, ſcripſère Jo. Cochlæus *in Hiſt. Huſſit.* & Binius *in Notis ad idem Concilium.* Baptiſta Fulgoſius numerum Cardinalium, qui in eo fuerunt Concilio, duos & triginta ſuperâſſe affirmavit: quidam numerum Epiſcoporum majorem fuiſſe, teſtati ſunt : ut Cardinalis Bellarminus, qui dixit Concilium illud ferè mille Patrum fuiſſe, ex iiſque Epiſcopos trecentos & ampliùs. Idem Cardinalis memoratum Concilium Conſtantienſe inter Concilia partim confirmata, partim reprobata recenſuit: confirmatum, quoad ultimas Seſſiones, & ea omnia, quæ à Martino V. probata fuère: reprobatum à Conciliis Florentino, & Lateranenſi ultimo in iis Seſſionibus, in quibus tradiderat, *Concilium eſſe ſuprà Papam.* Conſule Bellarminum *lib. 2. cap. 7. de Conciliis.* Cæterùm Concilii Conſtantienſis

Acta Concilii Conſt. noviſſimè collegit Hermannus von der Hardt. Acta & actitata ex Germaniæ, & Angliæ Manuſcriptis ſex Tomis comprehenſa in lucem edidit Anno 1697. Hermannus *Van der Hardt*, Brunſvicenſium Duci Rudolpho Auguſto à literis, & Linguarum Orientalium in Academia Julia Profeſſor. Hic tamen Auctor, utpotè reformatæ Religionis, in multis cautè legendus, in plurimis explodendus.

S C R I P T A.

Martini Scripta. Scripſit Martinus elegantem Sermonem *De translatione corporis B. Monicæ matris S. Auguſtini Oſtiâ Romam :* qui extat in Hiſt. Auguſtiniana Toloſæ edita anno 1641.

Epiſtolas multas & varias, quæ m.ſſ. aſſervantur in Vaticano : harum 243. reſcripſit in ſuo tom. 5. Annal. Min. Lucas Waddingus.

In Urbevetano Archivio habentur pariter nonnullæ Epiſtolæ à Martino ad Romanum de Abiamonte nobilem Urbevetanum, Præfectum Corneti, & aliarum Arcium in Patrimonio S. Petri datæ.

Scripſit quoque multas *Conſtitutiones*, quæ extant in Collectione Romana & Bullario.

Approbationem item Monachorum quæ invenitur inter Opera D. Hieronymi.

Teſtamentum, & *Cæremoniale Curiæ Romanæ*, quæ extant in Bibl. Barberina.

Rege-

Regeſta Bullarum & *Brevium*, quæ collectæ habentur in Vaticano.

Leges pro Cardinalibus, quas exhibet Contelorius.

Lovanienſem Academiam (quam Lipſius *ſuas & Belgicas Athenas* nuncupavit) robore Apoſtolicæ auctoritatis munivit. *Præerat tunc*, inquit Lipſius, *Eccleſiæ univerſali Martinus V. gente Columna, id eſt, primaria Latii familia, & qua bello & pace inſignia lumina rei Chriſtianæ dedit. Sed hic Pontifex bonarum artium ſciens & cupiens erat: hinc eò faciliùs Academiæ Diploma indulſit.* *Ludatur Lipſio.*

Extant etiam Oratio inſignis Martini, in Concilio Conſtantienſi habita ad Cæſarem, Cardinales, Patriarchas, Epiſcopos, Abbates &c. quando eis gratias dixit pro ſua in Pontificem aſſumptione.

ANNO CHRITI MCCCCXXXI.

Imperatoribus Sigiſmundo, Alberto II. & Friderico III. Auguſtis.

DE EUGENIO IV. Pontifice Max.

CCXI.

EUgenius IV. patria Venetus, Gabriel Condolmerius anteà vocatus, honeſtiſſimis natalibus patre Angelo natus, Presbyter Cardinalis titulo S. Clementis, decimo ab obitu Martini die, Nonis ſcilicet Martii, Patrum ſuffragio Romanus Pontifex renunciatus eſt. Is adoleſcens literis egregiè imbutus parentibus mortuis, Evangelii non ſurdus auditor patrimonium, quod ab illis non tenue acceperat, in Chriſti pauperes diſtribuit, ac unà cum ſocio Antonio Corario paris fervoris adoleſcente, ordinem Canonicorum Regularium in Collegio S Georgii in Alga (cui ipſimet initium Venetiis dederant) profeſſus, tamdiù in eo ſanctiſſimè vixit, donec Angelus Corarius ſub nomine Gregorii XII. in Petri ſolium evectus eſt. Antonius Gregorii nepos, ſtudio ſalutandi Pontificis recens electi incenſus, aſſumpto ſecum Gabriele Romam contendit. Suſcepti ſunt ambo à concive Pontifice perhumaniter, ac præter ſpem ampliſſimis dignitatibus & honoribus aucti: quippè Pontifex eorum ingenio, ſolertia, ac vitæ integritate delectatus, Antonium Bononienſi, Gabrielem verò Senenſi Eccleſiis commodè tum vacantibus præfecit. Recuſarunt aliquamdiù Senenſes Gabrielem ſuſcipere Epiſcopum, quòd dicerent, hominem alibi natum, nequaquam in tanto Magiſtratu civibus Senenſibus præficiendum: deberi eam dignitatem & curam alicui ex civibus, qui mores hominum, & ritus civitatis noſſet. Verùm pervicit Pontificis auctoritas, Senenſes cenſuris ad aſſenſum compellentis: qui haud longè pòſt, geminatis honoribus, Antonium Camerarium ſuum, & Gabrielem Theſaurarium dixit: nec diù moratus, utrumque, invito licèt Patrum Senatu, in numerum Cardinalium aſſumpſit, adjectis titu-

Eugenii IV. vita primordia.

Cardinalis creatur & multa præclare operatur.

titulis Antonio S. Chryſogoni, Gabrieli S. Clementis. Quo in ordine ambo diù nec ſine laude floruerunt. Gabrielis operâ Martinus Pontifex, in Gregorii depoſiti locum ſuffectus, arduis in rebus uſus eſt, maximè verò in legatione Picentina, qua & Picentes in fide Eccleſiæ ſumpto de ſeditioſis ac conjuratis ſupplicio, confirmavit; & Templum S. Agnetis Anconæ dirutum, portumque ejusdem civitatis fluctibus quaſſatum, ac vetuſtate conſumptum, ad imitationem Trajani, magnis impenſis reſtituit. At verò cùm Martinus intellexiſſet, Bononienſes rebus novis ſtudere, eò è Piceno Gabrielem Legatum cum ſumma poteſtate miſit, qui ſuo adventu perterritis ſeditioſis diſcordiam mox omnem ſuſtulit. Cùm autem inde Romam, mortuo haud ita pridem Martino, veniſſet; Solus è Cardinalibus, qui tum in Conclavi apud Minervam comitia agebant, Pontifex maximus ſalutatur, ac perductus in Vaticanum, ante fores Baſilicæ Principis Apoſtolorum, inſpectante populo Romano ſolemni more coronatur.

Pontifex eligitur.

Hanc dignitatem Eugenio dudum antè prædixiſſe virum quendam Anachoretam teſtatur Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium ex Ænea Sylvio in hæc verba: *Nam quum pater ejus Antonius Condolmerius cum Franciſco Foſcaro in Ægypto ageret, caſu obviàm factum Anocheretam profetia dono illuſtrem, de ſuo ac Foſcari filio ſciſcitatus eſt: reſpondit vir fatidicus; Foſcari filium fore Venetorum Ducem, Condulmerii ad ſummum Sacerdotii faſtigium ſublatum iri.* Utrumque nonnullis interjectis annis eventus probavit. Quam etiam ante aliquot menſes ipſimet Gabrieli prædixerat Joannes Capiſtranus Ordinis S. Franciſci, quem ſummoperè dilexerat. Profecturus enim in regionem longinquam Capiſtranus, vale dicto Gabrieli ſummâ reverentiâ pedes ejus exoſculatus eſt: rei novitate excitus Cardinalis interrogavit, cur ita præter morem fecerit, ſolitus anteà manum duntaxat oſculo petere? repoſuit Capiſtranus: *Venerari ſe ſacram illam in eo dignitatem, quam Martinus decedens ei propediem relicturus eſſet.*

Eugenio Pontificatus prædictus.

Eugenius ſuſceptis de more Coronationis ſuæ inſigniis, magno Procerum ac Præſulum comitatu, Baſilicam ſancti Joannis Lateranenſis inviſit: inde rediens in Vaticanum, Conſiſtorium generale ea ipſa die indixit, qua certè tanta mortalium multitudo affuit, ut cùm trabes deficerent ejus loci, ubi nunc Conſiſtorium publicum fit, trepidatum adeò tumultuosè ſit, ut in ipſa fuga Senogaliæ Epiſcopus civis Romanus è gente Millina cum multis aliis obtritus perierit. Nondum enim ædes Pontificiæ hanc formam, qua hodie conſtant, acceperant. Dimiſſo Conſiſtorio Eugenius, tumultus deinceps ex induſtria vitavit. Inſtantibus deinde quibuſdam delatoribus, qui dicerent, Martinum congregandi auri cupidum, maximos theſauros reliquiſſe, idque ſciturum Eugenium ex Martini familiaribus, nepotibusque, eò cupidinis hominem perpulêre, ut Oddum Poccium Martini Vicecancellarium comprehendi juſſerit, idque negotium Stephano Columnæ, quem copiis ſuis præfecerat, perficiendum dederit: ab aliis enim Columnenſibus is ſolus diſſentiebat, Cardinale Urſino, & Cardinale Comitum eum adjuvantibus, quorum artibus, ob inveterata factionum odia, hæc omnia contra Colum-

Oddo Poccius ab Eugenio comprehendi jubetur, & quare?

Columnenſes geſta putantur. Mandaverat quidem Eugenius, ut Oddo Vicecancellarius nullo intercurrente tumultu, aut ignominia, ad ſe perduceretur; quod contrà à Stephano factum eſt: nam & ejus bona à militibus intromiſſis direpta ſunt, & ipſe vi tanquam latro per ora hominum ad Pontificem tractus eſt. Hac indignitate commotus Eugenius, Stephano admodùm ſuccenſuit, ut ei talionis pœnam ſit interminatus, quòd & Oddonem, & Epiſcopum Tiburtinum olim Martini Cubicularium contra mandatum tam indecenter, & ignominioſè ad ſe pertraxiſſet. *Eugenii & Principum Columnienſ. diſſidium.*

Veritus itaque Stephanus Eugenii iram, Præneſtè ad Principem Columnam confugit; eumque pluribus adhortatus eſt, ſuas opes etiam pollicitus, ut Eugenium ab Urbe pelleret, quòd diceret, ei in animo eſſe, nomen Columnenſium extinguere: id ſe optimè ſcire, ejuſque conſiliorum participem fuiſſe; & ob eam rem ceu deteſtabilem aufugiſſe, quòd exploratum haberet, partem illius calamitatis ad ſe quoque (niſi properè tantum mali ſimul declinarent omnes) perventuram. Motus his verbis Princeps, & eorum calamitatibus, qui Martini Pontificis familiares erant, irritatus, ſumptis properè armis Pontificem aggredi inſtituit. Subſtitit tamen aliquandiù, donec Proſper frater, Diaconus Cardinalis, quem quidem præmonuerat, ab Urbe diſcederet. Viſo autem fratre, è Præneſte Marinum, atque deinceps Romam tanquam ex arce belli in Eugenium movens, occupatâ per Joannem Baptiſtam portâ Appiâ, Urbem armato milite, ſine ullo maleficio, aut illata injuria primò ingreditur. Jam pervenerant ad S. Marcum, & in vicum Columnam, cùm ſubitò eis ex adverſo occurrerunt Pontificis milites, magna populi parte adjuvante. Pugnatum eſt in Urbe aliquamdiù, atque acriter: qua in pugna multi utrinque cecidère, & capti ſunt. Quare Columnenſes, cùm viderent populum Romanum longè aliter ſentire, quàm arbitrarentur, cedere ex Urbe inſtituentes, omnia paſſim rapiunt, pecora abigunt, homines abducunt. Talionem tamen his reddidère Pontificis milites, Romano populo mixti: nam & Proſperi Cardinalis, & Columnenſium omnium, ac eorum, qui cum Martino familiariter vixerant, domos hoſtilem in modum diripiunt & vaſtant. Irritatis hoc modo utrobique animis, non ſolùm aperto marte, verùm etiam pro ditionibus res agi cœpta eſt: capitur namque Archiepiſcopus Beneventanus Antonii Columnæ filius, & quidam Maſius frater monachus, qui ſaſſus eſt, quæſtione adhibita, ſibi in animo fuiſſe, arcem S. Angeli dolo capere, interfecto ipſius arcis Præfecto, eamque Columnenſibus tradere; qua occupata, & Pontificem, & Urſinos ab Urbe pellerent. De Maſio, Sacerdotio exauctorato (quod degradare appellant) ſumptum ſupplicium eſt in Campo Floræ, ejuſque cadaver quadrifariam ſub furca diviſum, ad quatuor Urbis celeberrimas vias ſuſpenſum eſt, de Archiepiſcopo Beneventano nulla mentione habita. *Pugna inter Columnios & Romanos.* *Maſius Columna capitur, & ſub furca quadrifariâ dividitur.*

At verò cùm Eugenius in ægritudinem quandam incidiſſet, vel dolore animi, quo in tantis perturbationibus affligebatur; vel veneno, quo appetitum à familiari ſuo quidam dicebant, agere de pace cum Columnenſibus cœpit: curante eam rem Angelo Fuſco Ci- *Eugenius de pace cum Columniis agit.*

ve Romano, quem non ita multò pòſt cum Franciſco Condolmerio nepote ſuo Cardinalem creavit. Divulgata itaque pace, quanta maxima potuit celeritate, (quòd jam ingreſſum Italiam Sigiſmundum Cæſarem intellexerat, Romam venturum) nepotem Franciſcum Camerarium inſtituit, huicque viros quoſdam præſtantes addidit, quorum conſiliis uteretur in gubernanda Eccleſiaſtica ditione.

Sigiſmundus Imp. Romæ coronatur. Inter hæc allabitur Romæ Sigiſmundus Imperator die 21. Maij anni tum currentis 1433. ingenti pompa & apparatu à Romanis exceptus, atque in Vaticanum ad Pontificem ad ſcalas S. Petri occurrentem perductus. Solutis mutuæ conſalutationis officiis, Templum ingreſſi, rei divinæ ſolemni ritu celebratæ adſtiterunt. Quâ peractâ, Sigiſmundus Romanorum Rex, edito de more fidelitatis Sacramento, ſub fauſta populi acclamatione, ab Eugenio Pontifice Auguſtali diademate redimitus eſt. Tum procedens è Vaticano in Lateranum, ubi pontem S. Angeli attigit, ſubſiſtens, multos tum Germanos, tum Italos (more Imperatorum recepto) in equeſtrem ordinem aſcivit, atque iter ſuum in Lateranum, ubi divertebat, innumera mortalium turba ſubſequente, proſecutus eſt. Sunt qui ſcribant, Eugenium Cæſarem uſque ad pontem honoris gratia comitatum, eidem valedixiſſe, ac impertito ſacræ benedictionis munere, ad S. Petrum rediiſſe.

Sigiſmundus Imp. Gonzagas Marchiones creat. Abiens deinde Cæſar Româ, facto per Picentes, & Flaminiam itinere, Ferrariam atque Mantuam pervenit, ubi aliquot dies immoratus, Joannem Franciſcum Mantuæ Dominum Marchionali dignitate, additis Imperii ſignis, ornavit; & Barbaram Joannis Marchionis Brandeburgenſis filiam Ludovico Gonzagæ Joannis Franciſci filio in uxorem ſpopondit: quæ nuptiæ honeſtare familiam Gonzagarum ſunt viſæ, tùm quòd Sigiſmundo Imperatori puella affinitate conjuncta erat, tum quòd pater Joannes, tanquam Elector Imperii, poteſtatem ineundi ſuffragia ad creandum Imperatorem habebat.

Philippus Mediolanenſium Dux doloſè pacem cum Venetis facit, ut Eugenium invadat. Elongato autem ab Italia Sigiſmundo, cùm jam omnia bello ferverent, Nicolaus Eſtenſis Ferrariæ Marchio, hortante Philippo Mediolanenſium Duce, Venetias profectus, Venetos ad pacem multis rationibus adhortatus eſt, qui & hominis auctoritate permoti, & quòd etiam nimia belli impenſa publicè ac privatim exhauſti eſſent, Legatos Ferrariam cum Nicolao mittunt: ubi Calendis Aprilis anno 1434. veniente in eandem ſententiam Eugenio, pax his conditionibus compoſita eſt; ut Philippus Glareâ Abduæ (id ei loco nomen eſt) decederet: utque Marchioni Montisferrati, & Orlando Pallavicino dominatum redderet; utrumque enim ditione paterna ſpoliaverat: Florentinorum, Lucenſium, Senenſiumvè, oppida, quæ bello capta eſſent, ad priſtinos Dominos reciderent. Pace hoc modo ubique parta, quietura aliquandiù omnia videbantur, cùm ſubitò omnis belli vis in Eugenium converſa eſt. Nam Philippus novarum rerum cupidus, Franciſcum Sfortiam cum magnis copiis in Flaminiam miſit, hominem iturum in Apuliam ſimulans, quam Alphonſus Neapolitanus bello vexabat, defenſurus ea oppi-

oppida, quæ pater Sfortia eò loci adeptus erat. Qui quidem paratiſſimis copiis per Picentes & Umbros iter faciens, oppida illa ex improviſo adortus, brevi in poteſtatem ſuam redegit. Neque hoc contentus Philippus, Nicolaum Fortibrachium virum ingenio manuque promptum, cum delecto equitatu adeò celeriter in Eugenium miſit, ut priùs propè & pontem Milvium, & portam Flaminiam occupaverit, quàm adventare hoſtem ſit cognitum.

Nicolaus Fortibrachius in Eugenium mittitur.

Militaverat prius ſub Eugenio Nicolaus, & ejus nomine Præfectum Vici Vetrallâ & Civitate veteri ſpoliaverat, adjuvantibus Venetorum triremibus, quæ mari arcem continuò oppugnabant. Verùm cùm poſteà Nicolaus ab Eugenio exauctoratus ſtipendia ſua exigeret, reſpondit Pontifex, tantum prædæ ex caſtellis Præfecti Vici eum avexiſſe, maximè ex direpto Vico, ut ei pro ſtipendio ſat eſſe poſſent. Quam ob rem indignatus Nicolaus, agrum Romanum ingreſſus, tantum tumultûs concitavit, ingenti præda tum hominum, tum pecorum abactâ, ut Eugenius aliquandiù incertus, quorſum iret, remanſerit. Concurrebant Romani cives ad Eugenium, queſtum de illatis injuriis, quos Pontifex eo potiſſimùm tempore conſilii expers & bonæ valetudinis, ad nepotem Franciſcum Camerarium remittebat, qui otio, & voluptatibus deditus, nihil aliud reſpondebat (cùm crebræ de ablatis pecoribus querelæ fierent) niſi eos nimiam ſpem in pecoribus collocaſſe: Venetos quidem ſine gregibus, & jumentis longè urbaniorem vitam ducere.

Indignati hujuſmodi reſponſo Romani (cùm jam Nicolaus Tibur, ac Sublacum oppida cepiſſet, traxiſſetque in partes ſuas Columnenſes omnes) ad arma & libertatem conclamarunt; factoque impetu Franciſcum Camerarium in vincula conjecerunt, ac pulſis Eugenii Magiſtratibus, novos ipſi crearunt. Septem fuêre è Civibus Romanis, quos ipſi Gubernatores appellabant, penes quos vitæ ac necis hominum ſumma poteſtas erat. Eugenius in tanta rerum perturbatione, quid potiſſimum ageret, incertus, ſuadentibus amicis de fuga cogitare cœpit. Mutato itaque habitu, ſumptoque monaſtico cucullo, unà cum Arſenio Monacho S. Pauli, naviculam ingreſſus, Tiberi Oſtiam vehebatur: cùm ſubitò Romani quidam, cognitâ hominis fugâ, eum lapidibus, ſagittis, milleque convitiis inceſſunt. Diſtinere enim illum tamdiù cupiebant, quoad arce S. Angeli potirentur. Elapſo autem Eugenio Nonis Julii anni 1434. atque Piſas primùm, deinde Florentiam, triremibus ad id paratis, delato, Romani ad oppugnandam arcem ſe ſe accingunt, vallo & aggeribus omnia loca munientes, quæ dare acceſſum hoſtibus poſſent. E contrariò, qui in arce erant, fortiter ſe defendere, ac nonnunquam prodire in certamen conſueverant.

Ingens ſeditio Romæ, & cur?

Eugenius fugit.

Moles Hadriani obſidetur.

At verò Profectus artibus agendum cum Romanis ratus, adjuvante Balthaſſare Aufida, viro ſagaciſſimo, qui inferiorem arcis partem tuebatur, uni ex militibus ſuis in certamen prodeuntibus negotium dat, ut captus de induſtria ab hoſte, Caſtellani Præfecti ſævitiam & avaritiam criminetur; polliceaturque eis, ſi velint pactam mercedem præſtare, & mortem Præfecti, & arcis proditionem. Fecit ille mandata diligenter: captus, nullo non genere maleficii in

Nobili ſtratagemate liberatur.

Hhhh 2 Anto-

Antonium Ridium arcis Præfectum conjecto, fidem dat ſe cum ſociis omnia tranſacturum. Dimiſſus itaque arcem ingreditur, veſtes Antonii ac caligas, additâ etiam capitis formâ, ſuſpendit, ita ut à longè ipſiſſimus eſſe videretur. Clamabat Balthaſſar de ſcelerato ſumptum eſſe ſupplicium; ingrederentur aliquot ex Optimatibus, & enumeratâ pecuniâ pactâ arcem reciperent. Credidêre miſeri nullam ſubeſſe fraudem, ingreſſi aliquot ſtatim capiuntur: fit clamor exultantium in arce: conjiciuntur in populum Romanum miſſilia, bombardæque. Deriſi hoc modo Romani, de redimendis captivis cogitant: Camerarium Eugenii nepotem, quem in vinculis habebant, dimittunt; ſuos, qui in arce erant, recipiunt; ac demum inita pace in Eugenii poteſtatem veniunt, quinto poſt libertatem adeptam menſe. Creati itaque Magiſtratus Eccleſiæ nomine, ſtatim Capitolium firmo præſidio, & commeatibus muniunt. Superveniente deinde cum copiis Eccleſiæ Joanne Vitelleſco Cornetano, Patriarcha Alexandrino, Eugenii belli Duce, tantus repentè terror Romanis incuſſus eſt, ut hiſcere præ metu non auderent. Erat enim Vitelleſcus homo imperioſus & ſævus, ac tyrannicam magis, quàm religioſam præſeferens vitam: maximè poſt adeptam purpuram, quam ei contulit Eugenius ſeptimo Auguſti die anni 1437.

Eugenio Romanis ſe dedunt.

Vitelleſcus Belli Dux terror Romanorum.

Agebantur hæc Romæ cùm Alphonſus interim Neapolim, & Cajetam oppugnat, à mercatoribus Genuenſibus acriter defenſam. Succurrendum itaque ſuis Genuenſes rati, claſſem quanta maximè celeritate inſtruunt, Philippo Vicecomite eorum Duce annuente, ac pedites aliquot præbente: Facti haud procul à Cajeta hoſti Alphonſo obviàm, cum eo confligunt. Poſt longam, eamque acrem pugnam ſuperatur Alphonſus Rex, & capitur unà cum ſuis omnibus, quorum de numero aliquot Principes fuêre. Perducitur Mediolanum Alphonſus ad Philippum, ſuſcipiturque non ut captivus aut Genuenſium hoſtis, ſed ut Rex & amicus: habitus autem regiè per aliquot dies, multiſque & magnis muneribus à Philippo donatus, liber dimittitur: qui in Regnum abiens, Cajetâ ſtatim potitur. Tum verò Genuenſes indignabundi, quòd Alphonſum hoſtem, tanto cum periculo captum, tam leviter dimiſiſſet, Thoma Fregoſo auctore, à Philippo deſcivêre, eundemque Thomam loco Philippi Ducem crearunt.

Alphonſus Rex Neapolim oppugnat capitur, dimittitur.

Genuenſium defectio.

Philippus intellecta Genuenſium defectione, miſſo properè in eos Picennino, Sarzanam capit: inde in Piſanos movens, ſimulatâ in Regnum profectione juvandi Alphonſi gratiâ, multa ex Piſanis caſtella diripuit. Hominis tamen impetus retardarunt Florentini, accerſito Eugenii nutu Franciſco Sfortia, qui jam Picenum occupaverat, quærebatque adjuvantibus Florentinis & Venetis, ut Marchiæ Dominus decerneretur. Facturum ſe id Eugenius recuſabat, quòd diceret, Pontificis eſſe, redimere etiam bello, ſi oporteret, res Eccleſiaſticas, non alienare. Dilata tum res eſt in aliud tempus: atque hac ſpe ductus Franciſcus, & Picenninum ab obſidione Bargæ repulit, capto Ludovico Gonzaga, qui cum Picennino militabat; & Lucam Florentinorum nomine acri obſidione cinxit. Sed Picenninus Lucenſibus auxilio futurus, à tranſitu Apennini prohibitus,

Picenninus & Sfortia Belli duces.

bitus, liberaturum ſe alia ratione Lucenſes prædicans, per Bononienſem agrum, nullâ illatâ injuriâ, iter faciens, ubi Oriolum Florentinorum oppidum expugnaſſet, Lucenſium memor cum exercitu victore eò progreſſus, ſuperatis Florentinis abſente Franciſco Sfortia, Lucam obſidione liberat.

Tum verò Pontifex ancipiti cura diſtractus, & quòd bellis undique premeretur, & quòd Baſileenſe Concilium, jam antè inchoatum Martini decreto, augeri in dies cerneret, concurrentibus eò Hiſpaniæ, Galliæ, Germaniæ, Pannoniæque Principibus, qui communem Reipublicæ Chriſtianæ cauſam in arbitrio Concilii reponebant; ad Concilium tollendum converſus, illud primò quidem Bononiam, cum Cardinalium omnium, qui ſecum aderant, conſenſu, tranſtulit. Sed Imperator, aliique Principes, & Prælati, qui tum Baſileæ erant, non modò Pontifici non obtemperarunt, verùm etiam bis terque eum monuerunt, ut Baſileam, idoneum à Martino celebrandi Concilii locum delectum, unà cum Cardinalibus proficiſceretur, aliter ſe in eum acturos, ut in prævaricatorem, & contumacem. *Eugenius Concilium Baſileenſe aliò transferre ſatagit.*

His verbis motus Eugenius, nullâ morâ Legatos Baſileam ad Concilium miſit Andream de Conſtantinopoli Archiepiſcopum Colloſſenſem, Joannem Tarentinum, Bernardum Epiſcopum Magalonenſem, & Antonium de S. Vito ſacri Palatii Cauſarum Auditorem, qui in publico Conventu auditi luculentiſſimas orationes habuerunt de malo Schiſmatis, & diviſionis, deque pacis & unionis bono, cum exhortatione ad illam fugiendam, hanc amplectendam, & cum Capite ac Principe Eccleſiæ tenendam, quò faciliùs & Græci reduci, & Huſſitæ converti, & morum reformatio inſtitui poſſet. Concilii tamen Patres in ſententia perſiſtentes, Eugenii contumaciam accuſârunt, quòd nec Concilii diſſolutionem revocâſſet, nec ipſe perſonaliter indicta ſibi die comparuiſſet, toties licèt monitus. *Legatos ad Concilium mittit. Eorū Orationes.* *Accuſatur contumax.*

Ne tamen res in apertum Schiſma prolaberetur, ſatiùs duxit Eugenius ad importunas Baſileenſium Patrum contentiones deſcendere, & Concilium illud confirmare: quare Legatos elegit, qui ſuo nomine Concilio à ſe confirmato præſiderent. Cùm verò miſſioni legitima quædam impedimenta obſtarent, interim alios Nuncios miſit, quos Concilii Patres admittere noluerunt, eò quòd pro novo Concilio celebrando, non pro illo, quod hactenus celebratum fuerat, confirmando, miſſos ſe eſſe dicerent. Commotus Eugenius hâc repulsâ Nunciis ſuis à Baſileenſibus datâ; ac ſentiens rem ad Schiſma, & hæreſim tendere, edita publica declaratione, omnes citationes, proceſſus, decreta contra ipſum, aut Sedem Apoſtolicam, vel Cardinales, & alios quoſcunque ſibi adhærentes, ac cætera quæcunque Baſileenſes attentare præſumpſiſſent, aut in poſterum præſumerent, irrita ac inania pronunciavit. Nihilominus Baſileenſes in ſuis auſis perſeverantes, acriùs in Eugenium invecti ſunt, intuitu tamen Sigiſmundi Imperatoris per ſuas literas inſtantis, adhuc illi ſexaginta dies conceſſerunt, intra quos niſi omninò revocaret decreta contra Concilium publicata, ſuſpenſus ipſo facto eſſet ab o- *Acta Baſileenſia irrita declarat.* *Repugnant Patres.*

mni adminiſtratione Papatus in Spiritualibus & Temporalibus.

Oratores Principum negotium concordare ſtudent.

Interim pro pace univerſalis Eccleſiæ Romam ſe contulerunt Sigiſmundi Imperatoris, Caroli Francorum Regis, & Philippi Burgundiæ Ducis Oratores, qui Eugenium præcibus in hanc ſententiam convenire impulerunt, ut Baſileenſes contra ipſum, ac ſuos acta revocarent, ejusque Legatos tanquam Concilii Præſidentes admitterent: Eugenius verò profiteretur Concilium Baſileæ eſſe, & hactenus legitimè fuiſſe, atque omnia contra illud, ejusque ſectatores emanata à ſe decreta revocaret, ac planè Concilio adhæreret. Præſidentes poſt hæc electi fuerunt quatuor præſtantiſſimi Cardinales, Joannes ſcilicet Urſinus Sabinenſis, Petrus de Fuxo Albanenſis Epiſcopi; Nicolaus Albergatus S. Crucis, & Angelus Fuſcus S. Marci Presbyteri. Et quoniam hi gravibus aliis negotiis adhuc detenti, nec dum poterant Baſileam ſe conferre; ne propterea Concilii proſecutio interrumperetur, eis interim ſurrogavit cum pari poteſtate Joannem Archiepiſcopum Tarentinum, Petrum Epiſcopum Patavinum, & Ludovicum Abbatem S. Juſtinæ. Ac ne Julianus Cæſarinus Cardinalis, qui hactenus Concilio præfuerat, contemptum ſe ob præterita quereretur, etiam illum ſpecialibus literis Præſidentem cum iisdem aliis Legatis, & eorum Subſtitutis de novo conſtituit.

Patres in propoſito perſeverant: Eugenium deponunt: Antipapam creant.

At nihilominus Baſileenſes perſeverantes in ſuo propoſito, elapſo termino ſexaginta dierum, habita Seſſione 28. Kalendis Octobris anni 1437. Præſidente Epiſcopo Vicenſi Hiſpano ditionis Arragonicæ, Promotoribus Concilii Eugenium contumacem declarari petentibus, quòd in termino peremptoriè præfixo non comparuiſſet, nec per ſe, nec per Procuratores, Eugenium contumacem declararunt, eoque per ſententiam abrogato, Amedeum Sabaudiæ Ducem, qui ſolitariam vitam ad Ripaliam cum quibuſdam Nobilibus ducebat, Pſeudopontificem ſub nomine Felicis V. crearunt. (Vide, quæ de hoc diſſidio diximus in Purpura docta *lib 3. num 10. & n. 15.*) hinc magnæ ſeditiones ac turbæ in Eccleſia Dei exortæ ſunt; cùm Chriſtiana Reſpublica trifariàm diviſa, aut Felicem, aut Eugenium ſequeretur, eſſentque qui *Neutrales* vocarentur, quòd neutri obtemperarent, quales fuêre Germani: de quibus Victorellus ſic ſcribit: *Germani mediâ viâ incedentes, Idolum Baſilea* (Amedeum intellige) *reſpuebant; nec Eugenio, nec Baſileenſibus omninò parebant: neutralitas illis placuit, ut diſcordantibus aliis, concordiam ipſi faciliùs reperirent.*

Germani Neutrales.

Eugenius tamen meritis cauſæ ſuæ fidens, haud quaquam animo concidit. Nam indicto Ferrariæ Concilio anno 1438. in illud potiſſimùm incubuit, ut diſſidentem Græcorum Eccleſiam quovis modo cum Latina conjungeret. Igitur cum Imperatore Græcorum, ac Patriarcha Conſtantinopolitano, aliisque tum Latinis, tum Græcis Patribus Concilium ingreſſus, quæſivit ante omnia, *vellentnè Patres ex duabus diſſidentibus Eccleſiis unam fieri?* ad quam vocem omnes unaminiter ſucclamârunt; *placere, & velle, modò rationibus illa priùs confutarentur, quæ tanta diſcordia cauſa fuerant.* Diſputabatur tum quotidie magno partium fervore ea de re ab his, qui tum à Græcis, tum à Latinis ad tantam provinciam delecti erant. Verùm cùm peſtis

Concilium Ferrarienſe.

Ferra-

Ferrariæ inoleviſſet; eodemque in loco non ſine maxima incommoditate ſtaretur, Florentiam transferre Concilium placuit. Ergo Eugenius eò cum Patribus profectus, Concilio noviter indicto initium dedit: in quo crebris ſeſſionibus habitis, diſcuſſâ Græcorum & Latinorum contentione, tandem eò ventum eſt, ut Græci rationibus victi faterentur, *Spiritum ſanctum à Patre Filioq; procedere, & non à Patre tantùm, ut ipſi credebant, provenire: utq; in azimo pane Corpus Chriſti conſecraretur: ac Purgatorii locus, in quo anima juſtorum, purgatione indigentes, expiarentur, crederetur: poſtremò verò, ut faterentur Romanum Pontificem, Verum Chriſti Vicarium, Petriq; legitimum ſucceſſorem, primum in Orbe Chriſtiano locum tenere, cui & Orientalis, & Occidentalis Eccleſia meritò pareret.* *Florentinâ.* *Græcorum Latinorumq; concordia.*

Abeuntibus autem Græcis, re hoc modo compoſita, Armenii etiam cum fide noſtra convenêre, ſublatis crebra diſputatione eorum erroribus, promulgatisque Eugenii litteris ſuper ea re, quæ rationem Concordiæ oſtenderent, cum ſubſcriptione: *Datum in ſeſſione ſacroſancti Oecumenici Concilii Florentini, quod in Cathedrali Eccleſia habitum eſt anno Domini 1439. die 22. Novembris.* Præterea verò, ut partes ſuas augendo Baſileenſe Concilium infirmaret Eugenius, eodem tempore, publico in Conſiſtorio decem & octo Cardinales creavit: quorum de numero fuêre duo inſignes Græci, Iſidorus Ruthenus, & Beſſarion Nicænus, ut eorum auctoritate Græcorum natio in fide contineretur. De his duobus præſtantiſſimis viris, quos jure Græciæ lumina appellabis, egimus in Purpura docta *lib. 3. num. 18. & 19.* Exitus tamen iſtius concordiæ biennii morâ conciliatæ paulò pòſt vitiatus eſt: Græcis, auctore Marco Epheſino Metropolita renuente Concordatis ſubſcribere, ad vomitum relapſis: hinc fedatæ ad tempus contentiones, Conſtantinopoli iterum renovatæ, majori impetu recruduerunt. *Concordantur & Armenii.* *Græci relabuntur.*

Rebus hoc modo conſtitutis, Eugenius (Florentinis quovis modo fruſtrà eum retinere annixis) primò Senas, inde Romam ſe contulit. Urbem ut attigit, effuſa, obviàm urbana multitudine, nullo non genere honoris adhibito exceptus, ad portam Flamminiam noctu divertit. Sequenti verò die ad ſanctum Petrum iturus, paratis de more ſupplicationibus, pontificio habitu per Urbem incedens, tumultuantem populum intelligit ob duplicatum tributum, vectigalque novum vino impoſitum. Hanc ob rem indicto ſilentio, audientibus omnibus, exactionem illam, ut minùs liberalem, ſuſtulit: quo facto, ſtatim ſucclamatum ab omnibus eſt: *Vivat Eugenius*, cùm anteà clamaſſent; *pereant nova vectigalia, eorumq; inventores.* Poſt dies verò decem & novem ad Lateranum profectus, Concilium Generale eò loci ſe habiturum promiſit, miſſis ad Principes litteris & nunciis, quibus ea de re certiores fierent: hac enim ratione infirmari, ac tolli omninò Concilium Baſileenſe volebat. Comparuêre præter alios in eo Concilio ex Græcis Abdola Epiſcopus Edeſſæ Ignatii Patriarchæ Syrorum, ac totius nationis nomine, & Timotheus Archiepiſcopus Tarſenſis, Metropolitæ Chaldæorum Cypri, & Eliæ Epiſcopi Maronitarum Nuncius: quos Eugenius in fide Catholica inſtruxit, ac rectam ejuſdem fidei formulam illis tradidit. *Eugenius Romam tendit; honorificè ſuſcipitur.* *Concilium Lateranenſe.*

Edi-

Diploma Concordiæ pro Germanis.

Edidit quoque Diploma ſeptimo Idus Februarii anni 1447. pacis gratia pro Germanis: cujus vigore multa illis circa beneficia Eccleſiaſtica, juriſdictionem Principatuum, vel Diœceſûm, eorumque ſubditorum, annatas, & ſervitia indulſit, admiſit, approbavit, & confirmavit; quæ tempore Schiſmatis citrà & contrà Sedis Apoſtolicæ auctoritatem facta per ſe invalida erant. Inſuper omnes illos, qui Congregationi Baſileenſi poſt Concilii ibi incœpti diſſolutionem adhæſerant, tam qui jam ad obedientiam redierant, quàm qui intra ſex menſes reverſuri eſſent, ab omnibus cenſuris, & pœnis abſolvit, & in priſtinas dignitates, officia, & beneficia pleniſſimè reſtituit. Fuit hoc Concordiæ Diploma ultimum Eugenii opus publicum. *Frigidus enim erat annus* (inquit Æneas Sylvius in Coment.) *& ſupra modum omnibus gravis, qui & peſtifer ſeni valetudinario, ac morbo articulari laboranti fuit: duplex illum ad hæc urebat febris, vexabant diſtillationes, & ſæpè commovebatur alvo.*

Eugenius ægrotat.

Quare cùm deſperata jam Eugenii Pontificis vita videretur S. Antoninus (quem Eugenius ipſe infulis Archiepiſcopalibus Florentinis anteà donârat) extremam unctionem parabat: cui Pontifex; *Quid feſtinas*, inquit, *vir ſancte? adhuc ſum fortis, & vegetus; cùm aderit hora, communitum te faciam: ſiſte modò.* Pugnabat adverſus mortem intrepidus Pater, & anceps diù prælium tenuit, nec medicorum ſatis erat judicium certum. Hoc cùm accepiſſet Alphonſus Rex Arragonum, *Quid mirum*, inquit, *ſi Comitem Franciſcum, ſi Columnenſes, ſi me, ſi totam Italiam bello impetiit Eugenius, qui auſus eſt etiam cum morte pugnare, nec facilè ſuccubuit.* At cùm certa mortis ſigna ſuperveniſſent, accerſitos ad ſe Cardinales hunc in modum allocutus eſt: *Meum tempus, meusq; dies advenit, venerabiles fratres, moriendum eſt mihi; nec naturæ legibus queror: diù vixi, & honoratus; utinam officio meo feciſſem ſatis! ſed voluntatem magis, quàm opera reſpicit Deus. Mihi Pontificatus, etſi ſperanti, non tamen ambienti obvenit: multa acciderunt adverſa, dum ſedi præſuimus Apoſtolicæ; non tamen minùs Nos Deo acceptos fuiſſe credimus, quia quos diligit, corripit, atque caſtigat. Sit benedicta manus ejus, ſive percutiat, ſive vivificet. Mortis ſignum dedit, ut nos evocet è miſeria ad vitam beatam: ſpes hæc alacrem reddit ad luctam. qua perfuncti, coronam illam, quæ ſanctè obeuntibus repoſita eſt, non deſperamus. Cæterùm quia jam horæ Noſtræ ſubripiuntur, modicumq; vobiſcum ero: quia vocor ad Judicem, Regem, & Patrem, teſtari primùm volumus, teſtamentumq; Domini noſtri Jeſu Chriſti vobis relinquere, qui tranſiturus ex mundo ad Patrem*; Pacem meam, *dixit*, relinquo vobis, pacem meam do vobis: *Ego vos omnes, præter unum, Cardinales creavi, & illum unum quaſi filium tractavi, amaviq;: Omnes mei eſtis fratres: obſecro dilectiſſimi, ſervate vinculum pacis; diligite invicem; non ſint inter vos Schiſmata; adimplete legem Chriſti, & alter alterius onera portate. Mox vacatura eſt Apoſtolica Sedes: ſcitis quem virum cupiat hoc ſolium: eligite Succeſſorem, qui me doctrinâ, & moribus ſuperet: nulla vos affectio ſeducat; non privata rei, ſed publicæ conſulite. Cæterùm ſi me audieritis, conſultiùs mediocrem virum unanimiter, quàm præſtantiſſimum diſcorditer eligetis: ubi pax, ibi & Spiritus Dei eſt. Nuper unionem effecimus, ſed radices Schiſmatis nondum evulſimus: Ne igitur vos ipſi fomentum ſciſſioni præbeatis: ſalva Eccleſia eſt, ſi vos concordes. Sed iſthæc*

Alphonſi dictum.

Eugenii morientis ad Cardd. oratio

hæc circumſpectioni veſtra magis paternè, quàm neceſſariò dicimus, qui pro veſtra prudentia non ignoratis, quid Eccleſia, quid huic ſolio conveniat, dignitatiq; veſtra. Verùm ne me mortuo, de funere diſputetis; quod in cæremoniis Pontificum ſcriptum eſt, id ſolùm facite: nemo ampliùs agat, nec funus adornet meum: abſint pompa, & inanis gloria ſepultura: apud Eugenium Tertium humili loco ſepeliri libet, ſi quis impedimento fuerit, anathema ſit.

Cùm autem inſtarent multi revocari ab exilio Cardinalem Capuanum, nequaquam obtinuêre: quod plerique ſiniſtrè interpretati ſunt, & abſurdum dicebant, Romanum Pontificem etiam in extremis laborantem odii cuſtodem eſſe: ſed re vera non odio hæc peragebat, ſed neceſſitate: *Neſcitis*, inquit, *quòd vobis deſiderium ejus, & illi exilium magis convenit.* Poſthæc Florentinus Archiepiſcopus volentem inunxit Eugenium, qui vitalibus exinanitis viribus, invictum altumque ſpiritum placidè exhalavit die 23. Februarii anno noſtræ ſalutis 1447. cùm vixiſſet ex aliquibus ſexaginta quatuor, ex aliis ſexaginta ſex annis, quorum ſexdecim (minùs nonnullis diebus) in Pontificatu tranſegerat. Corpus balſamo & aromatibus conditum per integrum diem populo patuit, atque inde ſepultum eſt apud S. Petrum in Vaticano propè Eugenium III. in ſepulchro his verſibus exornato: *Ejus obitus.*

Epitaphium.

EUGENIUS jacet hic QUARTUS, cor nobile cujus
Teſtantur vita ſplendida facta ſua.
Iſtius ante ſacros ſe præbuit alter ab ortu,
Alter ab occaſu Cæſar uterque pedes.
Alter ut acciperet fidei documenta Latina,
Alter ut aurato cingat honore caput.
Quo duce & Armenii Græcorum exempla ſecuti,
Romanam agnorunt, Æthiopesq; fidem.
Inde Syri, ac Arabes, Mundiq; è finibus Indi,
Magna, ſed hæc animo cuncta minora ſuo.
Nam validâ rurſum Turcos jam claſſe petebat,
Dum petit, aſt illum ſuſtulit atra dies.
*Qui ſemper vanos Mundi * contempſit honores,* *alibi Tumuli.
Atque hâc impreſſâ condite, dixit, humo.
Sed non, quem rubro decoraverat ille Galero,
Non hoc Franciſcus ſtirps ſua clara tulit:
Suſceptiq; memor meriti, tam nobile, quod nunc
Cernis, tam præſtans ſurgere juſſit Opus.

In reædificatione autem novæ Baſilicæ Vaticanæ, quum dirueretur ſepulchrum Eugenii Papæ IV. Canonici S. Salvatoris in Lauro *de Alga* dicti, dolentes tanti Pontificis memoriam labefactari, marmora, quibus conſtructum erat, coëmerunt, novumque ex iis monumentum in ſuo clauſtro excitârunt, cum hujuſmodi elogio adhuc extante.

Aliud Ejuſdem Epitaphium.

Urbs Venetum dedit ortum: quid Roma? Urbis & Orbis
Jura dedit: poſthac cœlica Regna Deus.

MEMORIÆ
EUGENII IV. SUMMI ATQUE OPTIMI PONTIFICIS,
Hic in pace gravis: in bellis pro Chriſti Eccleſia impiger:
in injuriis patiens: Religioſorum amator, ac ineruditos viros munificus:
CONCILII BASILEENSES INSOLENTIAM
Adverſus Pontificiam Romanam Poteſtatem
Concilio Florentiæ celebrato refrenavit, ac fregit:
In quo Joannes Palæologus Græciæ Imperator Romanum
Caput agnoſcens, ejus pedibus ſe, multasq; externas, &
remotas nationes humilis proſtravit.

CONGREGATIO CANONICORUM S. GEORGII IN ALGA VENETA FUNDATORI RELIGIOSISSIMO PIETATIS CAUSA P.C.

Ejus Elogiũ. Fuit Eugenius vir magnæ prudentiæ, alti ſpiritus, gravis & eloquens, rerum civilium æquè ac Eccleſiaſticarum peritus, ingenio acer, judicii emunĉti, multæ cognitionis, hiſtoriæ præſertim, liberalis in omnes, maximè litteratos, quorum familiarite mirè delectatus eſt: aſpectu inſignis, & veneratione dignus: injuriarum patiens, conſtans in pactis ſervandis, niſi quid pollicitus fuiſſet, quod revocare, quàm perficere ſatiùs eſſet: ſplendidus in victu familiæ, parcus in ſuo, & à vino ita alienus, ut abſtemius meritò vocaretur. Familiares habuit paucos, ſed ſelectos, doctos, religioſos, quorum opera in rebus arduis cum emolumento Reipublicæ uti poſſet, quosque tanquam ſuæ modeſtiæ ac ſobrietatis teſtes in cubiculum cœnaturus admittebat; ac ſciſcitabatur, quid in Urbe fieret? quid de Pontificatu ſuo ſentirent homines, ut errata ſua, vel ſuorum, ſi quid perperàm utrobique factum eſſet, emendaret. In conſtruendis ſacris ædificiis, moribus corrigendis, cultu divino provehendo, pauperibus refocillandis, pupillis tutandis, periclitantibus puellis honeſtè elocandis, mirè liberalis, pius, ſolicitus, vigil, circumſpectus, munificus: ut meritò de illo cecinerit Janus Vitalis:

Si mentem EUGENII aſpicias, ò maxima Roma,
Illa tuo Imperio major, & Orbe fuit.

Quæ Eugenio à lividis obtrectatoribus, ac Novatoribus objiciuntur, virili calamo eluunt Jacobus Gretſerus, & Coqueus cum eruditiſſimo Cardinali Bellarmino.

S C R I P T A.

Scripta. Scripſit inſignes Epiſtolas, & Libellum adverſus Concilium Baſileenſe, qui extat apud Binium *tomo 7. Conciliorum.*

Decretum de Unione Græcorum cum Latinis: ſupra quod ſcripſit apparatum Joannes de Turrecremata Cardinalis.

Librum contra Bohemos, & Huſſitas hæreticos.

Conſtitutiones Eccleſiaſticas.

Volumen item Epiſtolarum variarum, quæ leguntur *tomo 8. Conciliorum* cum Notis Binianis.

Sunt

Sunt aliæ apud Ferdinandum Ughellium *in Italia ſacra*; illæ ſcilicet ad Franciſcum Foſcarum Venetiarum Ducem datæ, ut Jura Parochialia Aquileienſi Patriarchæ redderet, ne divinas in ſe iras concitaret.

Et apud Lucam Waddingum *tomo 5. Annalium Minorum* inveniuntur ducentæ nonaginta quinque ab eodem Eugenio exaratæ.

Concilium ejus Florentinum Oecumenicum extat *Tomo octavo Conciliorum*: Nonnullas in hoc Notas habes apud Binium *tomo 4. Conciliorum*, & apud Antonium Poſſevinum *in Appatatu ſacro*.

Sunt & alia minutiora quædam, quæ item ſcripſiſſe perhibetur, me tamen ea latent.

Mors Sigiſmundi Imperatoris.

Sedente Eugenio obiit Sigiſmundus Imperator quinto Idus Decembris anno 1437. Princeps pius, liberalis, magnanimus, religioſus, eximius Romanæ Eccleſiæ promotor, ac hæreſum oſor, Literatorum Mœcenas, plurium linguarum peritus, pace inclytus, ſed bello infelix: cujus laudes retulimus in Purpura docta *lib. 3. n. 15.* paſſim. Sigiſmundo poſt interregnum dierum 22. ſucceſſit Albertus II. Auſtriacus, ejus gener, qui imperavit annum unum, menſes 9. dies 27. ac obiit VI. Kalend. Novembris anno 1439. De quo pariter egimus in Purpura docta *loco citato*. Albertum excepit Fridericus III. (aliis IV.) Auſtriacus, Erneſti filius, Alberti II. conſobrinus, Auguſtus creatus Kalendis Januarii anno ſalutis 1440. dictus cognomento *Pacificus*. De quo ſuo loco plura.

Albertus II. Imp.

Fridericus III. Imp.

ANNO CHRISTI MCCCCXLVII.

Imperatore FRIDERICO III. Auguſto.

DE

NICOLAO V. Pontifice Maxim.

CCXII.

Thomas Sarzanus ſub nomine Nicolai V. Pontifex eligitur.

Nicolaus V. Thomas Sarzanus anteà dictus, ex honeſta familia *Parentucella* in Urbe Sarzanenſi Lucenſis agri, patre Bartholomæo profeſſione Medico, matre Andreola Calderina natus, poſt Eugenii IV. obitum Pontifex maximus omnium conſenſu creatur, ac in gradibus Baſilicæ S. Petri, adſtantibus Cardinalibus, Clero, & populo Romano, ſolemni ritu coronatur. Vir doctrina, virtute, comitate, gratia, liberalitate, magnificentia, tanto Pontificatu dignus, licèt ipſe ex innata humilitate tantæ modeſtiæ fuerit, ut decretum in ſe honorem, poſt inutilem deprecationem, nonniſi coactus admiſerit.

Æneas Silvius *in Commentario de rebus Baſilea* diſſoluto Concilio geſtis, Nicolai ad ſummum Sacerdotium evecti mentionem faciens, poſt enarratam ejus creationem, hæc ad hominis laudem ſubdit: *Tota Civitas ex hujus aſſumptione lætata eſt: fuerunt, qui alium Cardinalem, à quo majora ſperabant, Pontificem factum magis optaſſent: at hunc Papam nemo invitus vidit. Nemo ex Cardinalibus fuit, præter hunc noſtrum, quem non aliquod excluſerat odium. alii Urſinenſem, alii Columnenſem, alium Gal-*

Ejus elogium ex Ænea Sylvio.

li, alium Catalani formidabant : ſed conſcius omnium rerum Paraclitus hunc accepit, hunc præfecit, quem amaturos ſciebat omnes. Vidit ſcrutator cordium Deus in hoc patre ſummam humilitatem, hanc exaltavit; vidit ſingularem juſtitiam, hanc præmiavit; vidit præcipuam humanitatem, hanc amavit; vidit prudentiam grandem, hanc delegit; vidit ſcientiam profundiſſimam hanc Eccleſiæ ſuæ Sponſæ præfecit; vidit exuberantem eloquentiam, hanc neceſſariam in Pontifice maximo judicavit. Neque enim unâ, vel alterâ doctrinâ pollet, ut quidam ex noſtris, qui unâ, & hac minùs notâ ſcientiâ ſuperbientes contemnunt exteras. Artibus ſeptem, quas liberales vocant, ſic à pueritia imbutus eſt, ut omnia præſentia ſint : Philoſophos omnes novit; Hiſtoricos, Poëtas, Coſmographos, Oratores, Theologos item; nam & ſacris artibus initiatus eſt : Juris Civilis & Pontificii notitiam habet, nec Medicinam ignorat. Provincias plurimas peragravit; Principes Chriſtianæ Reipublicæ majores adivit; in rebus maximis verſatus eſt, & domûs, & Civitatum regimina eſt expertus. Quòd ſi unquam ſperare beatam Eccleſiam licuit, ſub hoc Pontifice ſpes iſta florebit : nunc vulgò dicitur, excluſis vitiis, virtutes & doctrinas imperium habituras, &c. Hactenus Æneas teſtis oculatus.

Nicolao Pontificatus prædicitur.

Summum Pontificatum Thomæ prædixerat B. Nicolaus Cardinalis Albergatus, in cujus tum contubernio erat Thomas : die enim ipſo, quo ad cœleſtem patriam migraverat ille, Thomæ orbitatem ſuam deploranti, & ex mœrore in ſomnum ſoluto Nicolaus apparuit, & Petri ſucceſſorem fore prænunciavit. Scribit laudatus Æneas, tam Nicolaum Papam, quàm Fridericum Imperatorem ex ſomniis conjectâſſe Pontificatum : alter alteri ſomnium narravit : noverat domeſticè Imperator in Germania Thomam pro Eugenio legationem obeuntem : coronâ Imperii ab eo, jam Pontifice, donatus Romæ, dixit; *Cùm Viennâ à me receſſiſti, vidi per quietem, me Romam acceſſiſſe, à te autem coronâ inſigniri; mirabar : ſomno correptus non benè me coronatum opinabar, cùm id non Romanus, ſed Bononienſis Antiſtes feciſſet* (erat Thomas Antiſtes Bononienſis, quando legatione Viennenſi fungebatur) *experrectus ſomnium ſprevi : at cùm te Cardinalem, & Pontificem creatum intellexi, futurum credidi, quod ſomniaveram.*

Somnium Cæſaris de Nicolao.

Cui Nicolaus Pontifex : *Qui populis præſunt, ſæpè vera ſomniant : ego quoque nocte poſtquam Eugenii mors accidit, dormiens vidi Eugenium Pallio, & tunica, qua ſeipſum exuerat, me veſtire, & Mitrâ Pontificiâ, quam ſibi ademerat, meum verticem ornare, manuq; apprehenſum ad hanc ſedem ducere, dicentem etiam mihi audire videbar, Sede hic; ego ad S. Petrum ibo. Ille ſequenti die obiit, corpus ad S. Petrum delatum eſt : anima glorioſi prædeceſſoris forſitan ſempiterno fruitur ævo : ego poſt 12. dies ad ſummi Apoſtolatûs decus evehor.* Deum aliquando, miniſtris Angelis, hominibus per quietem aliquid patefacere docuit veriſſimè Angelicus Doctor *a. 2. q. 95. ar. 6.* Videri etiam poteſt Pererius *de Obſervat. ſomn. lib. 13. Epiſtolarum* : ubi mira leges.

Somnium Nicolai de ſe ipſo.

Nicolao propria virtus ſuffragatur.

Ad celſiſſimam igitur hanc honoris & dignitatis ſedem conſcendit Nicolaus nullo majorum ſplendore commendatus, nullisque fortunæ opibus ſubnixus, ſed ſuis tantùm meritis ac virtutibus unde rectè de eo ceciniſſe reperitur Janus Vitalis:

Nil Tu fortunæ, virtuti aſt omnia debes,
Hæc hominem excepit, fecit & illa Deum.

Sarza-

Sarzanam hæc patriam dedit, exileſq; parentes,
Romanum illa Tibi tradidit imperium.

In nova hac dignitate conſtitutus, octennio, quo Eccleſiæ præfuit, plurima edidit nec vulgaria pietatis, religionis, continentiæ; manſuetudinis, juſtitiæ, comitatis documenta; in primis verò multiplicis liberalitatis in egenorum inopia ſublevanda, in magnificis ſacrarum ædium, & aliis memorandi nominis ſubſtructionibus; in ampliſſimis Templorum donariis, in literarum ſtudiis fovendis, in præſtantium virorum ingeniis amplectendis, ac præmiis & honoribus excolendis; diligentiæ verò, conſilii, ac prudentiæ in ſchiſmate extinguendo, & intermiſſis pacis ſtudiis repetendis, & ad exitum perducendis: ut fuſiùs apud Auctores paſſim, qui de Nicolao ſcripsêre, videre eſt. *Præeſt cum emolumento.*

Cæterùm recurrente anno 1450. Jubilæum more majorum per Orbem divulgavit, ac Romæ celebravit: quam ob rem tanta hominum multitudo Romam confluxit, quanta nunquam anteà. Unde cùm ſemel è Vaticano, viſâ Salvatoris imagine (ſeu vultu Dominico in ſudario expreſſo) ad Urbem redirent, factâ obviàm mulâ quadam Petri Barbi Cardinalis S. Marci, cùm neque venientes, neque redeuntes ob inſequentem multitudinem cedere poſſent, cadente uno atque altero ſuper mulam illam jam à multitudine oppreſſam, ad ducenta hominum corpora, & equos plurimos obtrita & ſuffocata in Ponte Hadriani conſtat. Multi etiam à lateribus pontis in flumen cadentes, in undis periêre. Quare Nicolaus Pontifex vices eorum, qui obtriti fuerant, dolens, caſulas quaſdam anguſtiorem viam ad pontem facientes omninò ſuſtulit; totumque ferè annum illum in celebritatibus conſumpſit, ſtationes ipſemet quotidiè inviſens cum numeroſo Principum, Præſulum, ac Cardinalium cœtu. Cavit etiam quàm diligentiſſimè, ne abundante tanta multitudine, commeatus, & omnia ad victum neceſſaria, in Urbe deeſſent. Curavit item divulgatis cenſuris ac pœnis, conſtitutiſque ſatellitibus in rem attentis, ne graſſatores in peregrinos ad Urbem devotionis causâ accedentes ſævirent. *Jubilæum celebrat.* *Triſtis caſus.* *Nicolai providentia.*

Sequenti verò anno 1451. quòd venturum Fridericum Imperatorem ad Urbem intellexerat, tùm ut coronam Imperii acciperet, tum ut Eleonoram Regis Luſitaniæ filiam, Alphonſi Regis Neapolitani neptem, in uxorem duceret, portas Urbis ac turres, Capitolium, & Arcem S. Angeli, muris firmiſſimis munire cœpit, veritus, ne adventante Cæſare novi aliquid, & ab eo, & à populo ad ſeditionem prono oriretur. Erat enim ut pacis amans, ſic & naturâ formidoloſus: Eapopter milites ſuos omnes collectitiis copiis Romam accivit, ac tredecim Urbis Regionibus pro præſidio præfecit. Intereà Imperator, prodeuntibus obviàm tredecem Cardinalibus, omniqúe urbis Magiſtratu, ac honorato quoque, per portam Caſtelli ingreſſus, & ad ſcalam S. Petri perveniens, obvium habuit Pontificem; à quo unà cum Eleonora deſponſa uxore, quam Senis offenderat jam ex Hiſpania advectam, in Templum Divi Petri introducitur die 9. Martii anno 1451. Unde factâ oratione digreſſi, in ædibus illis, quæ ad ipſos Sancti Petri gradus adhuc viſuntur, di- *Fridericus Cæſar cum ſponſa Româ venit.* *A Nicolao coronatur.*

vertêre. Pontifex autem ſequenti die ſacris operatus, Auguſtis Sponſis, ſolemni ritu matrimonio junctis benedixit; eosque deinceps, inſpectante populo, Imperatoria corona donavit. Dum verò Imperator, ex more, ad ſanctum Joannem in Lateranum coronatus proficiſcitur, trecentos auratos equites in ponte Tyberino ante Caſtellum S. Angeli creavit. Abiens deinde Neapolim cum nova Sponſa viſendi Alphonſi Regis gratia, à quo ſumptuoſa juxtà ac magnifica impenſa cum tanto comitatu eſt habitus, rurſum ad Urbem mari rediens, iter in patriam ſtatim arripuit, quòd intellexerat, quoſdam Principes res novas in Germania, & Ungaria moliri ob Regem Ladislaum adoleſcentem, quem ſecum Imperator ducebat. Iſthæc omnia fuſiùs pro rei dignitate enarravimus in Purpura docta *lib.3.num.20.* dum acta Petri Cardinalis Schoumbergi deſcriberemus.

Auratos Equites creat.

In Germaniam redit.

Elongato Cæſare, Veneti comparato ingenti exercitu Veronenſem agrum ingreſſi, ac omnia longè lateque depopulati, Soncium cum plurimis vicinis oppidis in poteſtatem redegerunt. Ferdinandus Neapolitanus Alphonſi patris juſſu cum equitum octo, peditum quatuor millibus contra Florentinos movens, Cortonam, atque Fojanum Aretini agri oppidum, quadraginta dierum obſidione cepit. Florentini, pollentes Alphonſi terra marique vires & copias formidantes, miſſo in Galliam Oratore, Regem in ſuas partes pellexêre: unde militibus Gallicis aucti, Renato duce, Regnum Neapolitanum ingreſſi, acerbum Alphonſo Regi negotium, ſurreptis hinc inde oppidis, fecêre.

Bellum Italicum.

Nicolaus Italiam bellis flagrantem ægerrimè ferens, miſſo ad exercitus pacis Legato Joanne Carvagial Cardinale, diſſidentes omni modo pacificare conatus eſt. Verùm Legatus apud obſtinatos in malo animos nihil proficiens, cum indignatione ad Pontificem regreſſus eſt: abiens autem, Deum homineſque teſtatus eſt, per Nicolaum Pontificem non ſtare, quò minus pace inter Italos compoſita, bellum communi Chriſtianorum conſenſu decernetur in Turcas, quos jam parare arma contra Conſtantinopolitanos ſenſerat; & ob eam rem Cardinalem Ruthenum patria Conſtantinopolitanum eò miſerat, qui Imperatori ac civibus auxilium polliceretur, ſi ad Catholicam fidem, quam in Concilio Florentino promiſerant, redire voluiſſent. Interim Itali mutuis ſe cladibus conficientes, ſpretis iteratò Pontificis monitis, Italiam in extremum diſcrimen adduxêre.

Nicolaus in caſſum Italiā pacificari ſatagit.

Verùm frigeſcentibus unà cum hyeme jam omnium animis, exhauſtiſque item, aſſiduâ bellorum impensâ, populorum ac Principum ærariis, de pace jam anteà à Nicolao Pontifice tentata, mentio fieri cœpta eſt, ad quam Veneti & Florentini militarem licentiam peroſi, ſummo ferebantur ſtudio. Sed Nicolaus Pontifex, conjuratione Stephani Porcarii Equitis Romani tum deprehenſa, rem inchoatam omittens, ad ſedandum bellum inteſtinum, animum adjecit. Stephanus enim majoris animi quàm potentiæ vir, in dicendo quidem eloquentiſſimus, multa liberandæ patriæ indicia præſeferens, Bononiam à Pontifice relegatur, hac conditione, ut ſingulis quibuſ-

Conjuratio Stephani Porcarii.

quibuſque diebus Nicœno Cardinali urbis Gubernatori ſe ſe offerret: quem ſimulata ægritudine decipiens, Romam admonentibus conjuratis properè petiit, hac mente, ut cùm Urbem attigiſſet, ſumptis armis, populum ad libertatem convocando, Pontificem & Cardinales caperet. Verùm dum feſſus longitudine itineris, ex diutina vigilia aliquantulum quieſceret (aliquot enim noctes inſomnes duxerat) detegendæ rei tempus, & occaſionem præbuit. Cognitâ enim per exploratores hominis audaciâ, Pontifex Senatorem J. Lavagnolum civem Veronenſem, & Vicecamerarium cum armato milite è veſtigio ad ædes ejus mittit, ut captum quovis modo in carcerem Hadrianum perducerent. Is autem adventare armatos intelligens, mutato habitu ad ſororem confugit, relicto domi cum aliquot ſociis Baptiſta Sarra, homine impigerrimo & audaciſſimo: qui domo cum ſociis (gladio viâ factâ) erumpens, incolumis evaſit. Cognita deinde Stephani per indices fugâ, conquiſitum diù, tandem apud ſororem in capſa deliteſcentem capiunt: nec mora, quæſtioni admotum, ac ſeriem conjurationis faſſum, ad muros Arcis ſancti Angeli capiſtro ſuſpendunt. Eodem quoque ſupplicio affecti in Capitolio Angelus Maſſa cum filio, ac ſocio Savo, complicibus, lectâ priùs audientibus Romanis conjurationis ſerie anno 1453. quinto Idus Januarii. Perſecutus deinde reliquos conjuratos, omnes oppreſſit, maximè verò Franciſcum Gabadeum, Petrum Monterotundum, & Baptiſtam Saram, à Venetis ad ſupplicium ultrò tranſmiſſum; eò enim confugerat poſt patefactam conjurationem.

Porcarius capitur, & cum complicibus ad funem damnatur.

Nicolaus autem, qui hactenus Romanos omni genere officii, & liberalitatis juverat, quique liberior, quàm ullus anteà Pontificum, incedere per Urbem conſueverat, ſibi ipſi deinceps cavens, moroſior in omnes, tum vel maximè in Romanus factus eſt. Accedentes enim alloquendi causâ, non ita facilè admittebat: acceſſit & podagra, qua tum maximè laborabat. Sed nihil fuit, quod æquè hominem cruciaverit, quàm ubi audivit Conſtantinopolim, & Peram eodem tempore à Turcis captam; obtruncatumque cum multis Chriſtianorum millibus Imperatorem. Captum quoque arbitrabatur, & necatum Iſidorum Cardinalem Ruthenum, quem eò (ut dixi) miſerat Legatum: ſed is mutata veſte, turbæ commixtus, poſt longas demum ambages incolumis evaſit, ut in ejus vita *lib.3. Purpuræ doctæ n.18.* indicavimus. Ipſi quidem Pontifici in animo fuit, claſſe & milite Conſtantinopolitanos juvare, quemadmodùm ejus literæ ad Imperatorem Conſtantinum ſcriptæ indicant; quibus & eorum à Catholica fide defectionem, & ſimulatum in gratiam cum Latinis reditum, in calamitatibus increpat. Verùm adeò repentè Urbs nobiliſſima capta eſt, ut vix de mittendo auxilio cogitare Pontifici licuerit. Cujus expugnationem fuſiùs edidimus in Purpura docta *lib.3. num.18.* Poſt hanc calamitatem nullus vidit ampliùs Nicolaum Pontificem vel ridentem, vel proſpera valetudine utentem; tam altas in ejus pectore radices fixerat conceptus amiſſæ Urbis regiæ dolor.

Nicolaus cautus redditur.

Eo regnante Conſtantinopolis capitur.

Prætereà, ne quid deeſſet, quod optimum Pontificem magis cruciaret, Comes Averſus injuſſu ſuo Nurſinos bello aggreditur, à

Spo-

Spoletanis mercede conductus: hi enim populi de finibus inter ſe certabant. Hanc ob rem Angelum cognomento Ronconem cum militibus Eccleſiaſticis mittit, qui Comiti iter, quò minus ad oppida ſua reverti poſſet, intercluderet. At verò, cùm exploratum habuiſſet Pontifex, per Angelum ſtetiſſe, quò minus redeuntem Comitem milites cepiſſent, hominem ad ſe vocatum, ac infidelitatis convictum, in Arce Hadriani capitali ſupplicio ſub noctem affici juſſit. Sunt qui ſcribant, Nicolaum naturâ benignum, ejus rei mirificè pœnituiſſe, quòd, quæ irâ percitus mandâſſet, Præfectus Arcis admodùm accuratè compleſſet.

Angelum Ronconem ſupplicio afficit.

Interim Veneti fruſtrà de pace mentionem fieri cernentes, cùm eam rem ſæpiùs tentaſſent, veriti ne tanta res, perſuaſu Ludovici Gonzagæ, à Franciſco Sfortia intermitteretur, Jacobum Picenium copiarum ſuarum ducem, cum magna equitatus parte ad Voltam celerrimè mittunt: qua capta, retruſoque in Godium Angelo Comitis, non ſine magno Ludovici Gonzagæ incommodo, qui tum ibi ægrotabat, hominem in hyberna revocant, exiſtimantes jam ſatis motum ad petendam pacem Ludovicum eſſe. Inter hæc Simonetus Ordinis Eremitarum ultrò citroque commeans, cùm nunc Venetos, nunc Franciſcum ad concordiam pluribus adhortatus eſſet, eos tandem perpulit, ut pacem initis fœderibus firmarent, quæ omnium conſenſu quinto Idus Aprilis anni 1454. publicè per præcones enunciata eſt his conditionibus: *Ut quæ cujusque ante id bellum fuiſſent, redderentur, præter Gerram Abduæ, quam Franciſcus de Venetis; & Caſtilione Piſcaria, quod Alphonſus Rex de Florentinis ceperant.* Hoc verò, quò firmiùs haberetur; utque Alphonſus dignitatis regiæ habitam fuiſſe rationem dignoſceret, ad eum mittendos Legatos, Principes, ac Civitates cenſuêre: ad quem cùm undique conveniſſent, atque inſuper Dominicus Cardinalis Capranica, vir magni nominis, prudentiæ, & auctoritatis, à Pontifice Legatus miſſus, hortando, monendo, pacis & concordiæ ſequeſtrum ſe fore oſtenderet, ita ad fœdus poſt longas diſceptationes tandem ventum eſt: *Ut quam Veneti & Franciſcus pacem compoſuiſſent, eadem firma & ſtabilis ab omnibus haberetur; utq́, ſi deinceps aliqua diſſenſio, diſcordiavè inter eos orta eſſet, ejus tollenda jus ac poteſtas penès Pontificem remaneret; atq́, is qui alteri injuriam aut arma intuliſſet, cognitâ à Pontifice causâ, communis omnium hoſtis haberetur.* Datâ itaque publica per omnes fide, jurejurandoque adhibito, fœdus denique Neapoli firmatur, anno ferè poſt ſuperiorem pacem primo; qua nulla major, aut firmior à patrum memoria eſt habita. Hæc 2. die Martii anno ſalutis 1455. inter Papam, Regem Alphonſum, Florentinos, Venetos, Ducem Mediolanenſem, tubarum clangore in viginti quinque annos publicata, Turcis terrorem, Italis ingentem lætitiam attulit.

Bellum Italicum inſtauratur.

Pax concluditur: Pacis conditiones.

Nicolaus autem Pontifex ſive tædio animi, quo maximè cruciabatur poſt captam Conſtantinopolim, ſive febri & podagrâ, qua potiſſimùm laborabat, Pontificatûs ſui anno octavo, IX. Kalend. Aprilis anno ſalutis 1455. beato fine quievit: magno bonorum omnium mœrore defletus, ac honorificentiſſimè ſepultus in Baſilica Vaticana, cujus memoriæ Æneas Sylvius tale ipſcripſit Epitaphium.

Obitus Nicolai.

Hic

Hic ſita ſunt Quinti Nicolai *Antiſtitis oſſa,*
Aurea qui dederat ſæcula, Roma, tibi.
Conſilio illuſtris, virtute illuſtrior omni,
Excoluit doctos doctior ipſe viros.
Abſtulit errorem, quo Schiſma infecerat Orbem,
Reſtituit mores, mœnia, Templa, domos.
Tum Bernardino ſtatuit ſua ſacra Senenſi,
Sancta Jubilei tempora dum celebrat.
Cinxit honore caput Friderici, ac Conjugis aureo,
Res Italas arcto fœdere compoſuit.
Attica Romana complura Volumina lingua
Prodidit: heu! tumulo fundite thura ſacro. *Epitaphium.*

Laudatur ſummoperè Nicolai liberalitas, qua in omnes, maximè litteratos, dum vixit, uſus eſt; quos & pecunia, & officiis curialibus, & beneficiis mirificè juvit: eos enim præmiis, nunc ad lectiones publicas, nunc ad componendum de integro aliquid, excitavit. At ad vertendos Græcos Auctores ita perpulit, ut Græcæ litteræ, & Latinæ, quæ ſexcentis jam anteà annis in ſitu & tenebris jacuerant, tum demum ſplendorem aliquem adeptæ ſint. Miſit & litteratos viros per omnem Europam, ut libri conquirerentur, qui majorum negligentia, & barbarorum rapinis jam perierant. Nam & Poggius Quintilianum invenit; & Enoch Aſculanus Marcum Cœlium Apicium, & Pomponium Porphyrionem in Horatii opera ſcriptorem egregium. Laurentius Valla Latinè vertit è Græco duos inſignes Hiſtoriographos Herodotum, & Thucididem; Nicolaus Perottus Polybium hiſtoricum Latinum reddidit; Publius Candidus hiſtoriam Appiani Alexandrini; Poggius Florentinus Diodorum Siculum; Theodorus Gaza Libros Ariſtotelis *de Anima*, & Theophraſtum *de Plantis*; & Guarinus Veronenſis *Geographiam* Strabonis Cappadocis. Ejus denique ſtudio, diligentia, ac opere, multi alii inſignes libri diligenter exſcripti prodierunt, cùm adhuc ars impreſſoria incognita eſſet, ut ſupereſſent exemplaria, ne penitùs interirent. *Litteris ac litteratis mirificè addictus.*

Unde meritò de eo ſcripſit eruditus Cardinalis Ægidius Veronenſis: *Hic doctiſſimus Pontifex jure litterarum reſtitutor, & aſſertor eſt habitus: nam viros doctos ſui temporis, quotquot invenit, toto Pontificatus ſui tempore in libris conquirendis, exſcribendis, interpretandis exercuit, nemin̄emq́, qui aliquid librorum aut inveniſſet ſolertiâ, aut ingenio proprio elaboratum edidiſſet, indonatum abire paſſus eſt. Quamobrem tantum bonorum ingeniorum numerum excitavit, & in litterarum certamen adduxit, ut primus auctor fuerit, his temporibus, eloquii & eruditionis.* S. Antoninus Nicolaum ad apicem Philoſophiæ, & Theologiæ perveniſſe; facundiſſimum & eloquentiſſimum extitiſſe, ac multa librorum millia multis millibus coëmiſſe, teſtatus eſt. Præclara ejus elogia doctrinæ, liberalitatis, munificentiæ, prudentiæ, juſtitiæ, clementiæ, religionis, zeli, ac vitæ ſanctitatis, legi poſſunt apud Ægidium Cardinalem Veronenſem, Franciſcum Philelphum, Platinam, Ciaconium, Victorellum, Oldoinum, Palatium & alios. Nobis, quæ ſcripſerit, edicendum. *Ejus Elogium*

SCRIPTA.

Scripta. Scripſit *de Conceptione B. Virginis Mariæ* Diploma, quod extare apud Auguſtinum Suarez Ordinis Carmelitarum in libro ſtatutorum ejuſdem Ordinis aſſerit Petrus de Ojeda in ſua Informatione Eccleſiaſtica de eadem Conceptione.

Aliud edidit Diploma *pro B. Virgine Hallenſi*, quo Sodalitatis illius Inſtitutum approbavit, & Indulgentiis illuſtravit, ut teſtatur Juſtus Lipſius in Hiſtoria Virginis Hallenſis.

Reguals Cancellariæ à Prædeceſſoribus ſuis editas collegit, & certo ordine, quibuſdam etiam additis, digeſſit.

Literas ſcripſit ad Conſtantinum Imperatorem, qui vocabatur *Dragaſes*; quibus excidium, & internecionem extremam Græcorum prædixit: aſſervantur hæ m.ſſ. Græcè & Latinè in Bibliotheca Monacenſi Bavariæ Ducis, & Viennæ Auſtriæ in Cæſarea cum verſione Theodori Gazæ.

Alias item plures Epiſtolas ſcripſit, quarum Regiſtrum aſſervatur m. ſ. in Vaticano. In Annalibus Minorum à Luca Waddingo conſcriptis, centum & quadraginta novem Nicolai Epiſtolas invenies, pro ſolis Franciſcanis, & Monialibus S. Claræ datas.

Scripſit etiam elegantem Orationem habitam ad Cardinales poſt Eugenii IV. funus: in ea qualem Pontificem eligendum exoptavit, talem ſe poſteà electus præbuit. Item aliam longè graviſſimam ad eosdem Cardinales, quam morti proximus dixit, teſte Janozio Manetto *lib. 3. vitæ Nicolai.*

Conſtitutiones item Eccleſiaſticas, & literas Apoſtolicas.

Edidit & alia quædam, uti ſunt Sermones Sacri, Hymni, Inſcriptiones &c.

ANNO CHRITI MCCCCLV.

Imperatore FRIDERICO III. Auguſto.

DE

CALLISTO III. Pontifice Max.

CCXIII.

Alphonſus Borgia ſub Calliſti III. nomine Ponti fex eligitur.

CAlliſtus III. Hiſpanus, Valentinus, Alphonſus Borgias antè Pontificatum vocatus, ex antiquo oppido Setabenſi, *Xativa* vulgò dicto, in agro Valentinæ Diœceſis ſito, patre Joanne, ac matre Franciſca, illuſtribus & generoſis parentibus natus, mortuo Nicolao, ob inſignes animi dotes, præclara virtutum merita, excellentemque Scientiarum omnium cognitionem, ſeptuageſimo ſeptimo ætatis, ſuæ anno, in Petri ſolium evehitur, & coronatur.

Ejus primordia. Calliſtus hic ingenium ſublime, erectumque, ac majoribus rebus aptum, in minori ætate litteris conſecraverat, & conſequentibus annis per omnes honorum gradus inoffenſo pede decurrerat.

Exi-

Eximius Juris utriuſque Doctor inauguratus, in celeberrima Ilerdenſi Academia pluribus annis acutè & doctè prælegit; qua in Urbe eruditi famâ ingenii commendatus, Canonicatum à Benedicto XIII. obtinuit; ac non multò pòſt Alphonſo Arragoniæ Regi à conſiliis & à ſecretis cum plauſu fuit. A Martino V. renunciatus Epiſcopus Valentinus, Concilio Baſileenſi, quod Eugenio legitimo Paſtori adverſari intelligebat, intereſſe noluit etiam Alphonſi Regis nomine. Romam ex Hiſpania ſe conferens ad procurandam pacem inter Pontificem Eugenium IV. & Alphonſum Regem Neapolitanum, purpuram ab Eugenio ſponte oblatam, ante ſtabilitam pacem, reſpuit; non enim rationi conſonum affirmabat, ut purpurâ ornatus Romanæ Urbis vias pedibus calcaret, antequam Regi pacem, ad quam miſſus fuerat, firmâſſet. Poſt pacem, purpuram, deinde Romanum Pontificatum, actâ fermè ætate adeptus eſt; nihil in eo tamen humile, nihil ſordidum apparuit. Vitâ integerrimus, liberalis, magnanimus, conſtans, fortis, æqui rectique tenax.

Purpuram, niſi confecta pace, non admittit.

Venetæ Reipublicæ Oratores quatuor, viros præſtantiſſimos, ad edendam Romanæ Eccleſiæ obedientiam miſſos, benignè excepit, eoſque cumulatè contentos ad propria remiſit. Nam quamprimùm Turcis ſæviſſimis Chriſtianorum hoſtibus bellum inferre, ac Legatos in Galliam, Germaniam, & Hungariam ad congregandos milites dirigere promiſit. Claſſem benè unctam in Rhodiorum auxilium miſit, quæ diù apud eos morata, plures Turcarum naves prælio ſuperatas demerſit. Staliminum Inſulam (*Lemnum* olim appellatam) Taxum & Hembrum, ac alias quaſdam minoris nominis Inſulas, Turcarum imperio ademit: nec Ægyptios quieſcere permiſit, neque Syros, aut Cilices: quos tùm literis tùm pollicitationibus in fœdus allectos, Turcis terribiles ac pernicioſos reddidit.

Sacram militiam urget: Turcis nonnullas Inſulas adimit.

Apparente ſub annum 1456. nonnullis diebus horribili Cometa crinito & rubeo, cùm Mathematici ingentem peſtem, caritatem annonæ, magnamque aliquam cladem futuram prædicerent, ad avertendam iram Dei Callixtus aliquot dierum ſupplicationes decrevit, ut ſi quid hominibus ſiniſtri immineret, malum in Turcas Chriſtiani nominis hoſtes converteret. Mandavit prætereà (ut aſſiduo rogatu Deus flecteretur) in meridie campanis ſignum darii fidelibus, ut orationibus eos juvarent, qui contra Turcas dimicabant. Creditum tum, precibus fidelium, Chriſtianos ad Albam Græcam contra Turcas dimicantes, Duce Joanne Hunniade viro clariſſimo adſtante etiam Joanne Capiſtrano ordinis Minorum, Crucemque pro vexillo hoſtibus inferente, ingenti ſtrage hoſtium edita, victoriam reportaſſe. Ad viginti hoſtium millia (Ciaconius triginta aſſerit) parva noſtrorum manu tum interfecta eſſe, commeatus omnes interceptos, centum & ſexaginta bombardas captas, ſcripſit, qui pugnæ interfuit, ad Pontificem, & Dominicum Capranicam, Cardinalis Joannes Carvagial Legatus in Hungaria. Ea clade perterritus Turca quanta potuit celeritate Conſtantinopolim ſe recepit. *Actum de crudeliſſimo hoſte tunc certè fuiſſet* (inquit hoc loco Platina) *ſi Chriſtiani Principes, omiſſis inteſtinis bellis & odiis, terra ac mari tantam victoriam proſequuti fuiſſent: quemadmodum Callixtus prædicabat, & monebat,*

Pulſus meridianus ab eo inſtitutus.

Ingens de Turcis victoria.

monebat. Verùm Turca reſumptis viribus, & Trapezontum, priùs Imperatore interempto, & Boſſinam deinceps, Rege capto atque interfecto, poſteà cepit: admonentibus Chriſtianos omnes iis, qui rerum experientia, & locorum cognitione, tantam cladem à longè tanquam è ſpecula quadam prævidebant. Non ceſſabat tamen Calliſtus litteris & Nunciis Principes Chriſtianos adhortari, ut in tanto malo oculos aliquando aperirent, fruſtrà deinceps remedia quæſituros, ubi jam hoſtis invaluiſſet. At in caſſum optimi Pontificis preces & monita fuêre. Qui ad tranſigenda negotia pontificia animum adjiciens, Sanctorum concilio ac cœtui Vincentium Ferrerium Hiſpanum ex ordine Prædicatorum, Eadmundum Angliæ Regem, Roſam Virginem Viterbienſem, & Ladiſlaum Hungariæ Regem adſcripſit. Porrò Eccleſiam ſancto Calliſto ſacram Tranſtyberim in Presbyteri Cardinalis titulum erexit. Lauretanam domum muris & propugnaculis nudam, aggeribus cinxit. Sacrum Beatæ Virginis velum, & ejus cingulum, in Eccleſia Cathedrali Atrebatenſi, ubi ea habentur, piè venerantibus indulgentias impertiit. Bibliothecam Vaticanam libris Bibliothecæ Conſtantinopolitanæ, quos à Turcis, poſt Imperii Græcorum excidium, pretio quadraginta millium aureorum coëmerat, auxit: & æs campanum Horologii Vaticani magnâ impensâ, teſte Oldoino, fudit.

Calliſtus auget numerũ Sanctorum.

Siciliæ Regnũ devolutum, Eccleſiæ recuperare intendit.

Mortuo deinde ſub annum 1458. Alphonſo utriuſque Siciliæ Rege, Ferdinando filio obſcuris natalibus extra matrimonium nato Neapolitanum Regnum, Romanæ Eccleſiæ vectigal, deferendum apertiſſimè negabat, ejusque integrum jus ad ſe revolutum contendebat. Nimirum ut Petro Aloyſio Borgiæ nepoti, quem Spoletanum Ducem paulò antè creaverat, nova imperia pararet, ut nonnulli Scriptores illius ævi, Calliſto minùs affecti, ſunt interpretati. Apparebat Italiam tum bello arſuram haud dubia priſtinorum malorum ſpecie renaſcente: lenire ægrum Pontificis animum Ferdinando curæ erat: quare plenas officii & humanitatis litteras ad eum hoc exemplo dedit. *His diebus in media doloris acerbitate, Beatiſſime Pater, paternum obitum renunciavi: brevis epiſtola fuit, quippè inter lacrymas data. Nunc collecto animo, luctuq; tantiſper mitigato, ſignificandum duxi, Patrem pridie obitûs obteſtatum, nihil ut in terris veſtrâ gratiâ, & auctoritate praſtantius duceret; cum ſancta Eccleſia non contenderem, ne provocatus quidem: impios auſus rarò feliciter cadere. His ego præceptis inſtitutus, (quod facturus alioqui eram) impenſiùs ut faciam, accepta beneficia hortantur. Neque enim oblivisci poſſum, à primis annis me in tuam diſciplinam traditum ſolviſſe unà ex Hiſpania, provectosq; eadem navi ad Italia litus, non abſq; Dei nutu tibi jam Pontificatum ſummum, mihi novum Regnum deſtinantis præclaro omine felicitatis, mutuaq; concordia. Itaque à puero tibi traditus, tuus ad mortem eſſe cupio: me in filium accipito, aut acceptò potiùs paternam gratiam & humanitatem exhibe, daturo operam, ac praſtituro, ne aut grati animi obſequium, aut pietas debita in noſtris actionibus requiratur. Vale, Pater Beatiſſime, diù & feliciter. Neapoli Calendis Julii anno ſalutis 1458.* Nihil tamen his litteris, & pollicitationibus Calliſti Pontificis animus delinitus eſt: imò cœptis inſiſtens, & Principes & Civitates ad arma

Ferdinandi litteræ ad Calliſtum.

ſolli-

ſollicitavit. Sed magnæ molitiones Pontificis obitu mox diſſipatæ: & Ferdinandus tanto metu liberatus eſt.

Obitus Calliſti. Moritur autem Calliſtus, extremo ſenio confectus, Romæ octavo Idus Auguſti anno ſalutis 1458. ætatis ſuæ anno octogeſimo, Pontificatus ſui tertio, menſe quarto, ſepultus in Vaticano intra ſacellum, quod ipſemet in honorem SS. Apoſtolorum Andreæ & Jacobi erexerat. Ejus ſepulchri marmorei delineationem legentium oculis exponit Oldoinus *in Additionibus ad Ciaconium*, qui conſuli poteſt.

Ejus Elogium Fuit Calliſtus, Scriptorum omnium teſtimonio, vitâ integerrimus: ſed hæc præcipua laus ejus eſt, quòd dum in minoribus eſſet, nullum aliud beneficium Eccleſiaſticum, præter Epiſcopatum Valentinum admiſerit, dicens ſe unâ ſponſâ, & quidem Virgine contentum eſſe, hoc eſt Eccleſiâ Valentinâ, ut jus Pontificium mandat. Eleemoſynas prætereà pauperibus Chriſti, & ſervis Dei frequenter ac liberaliter dabat. Virgines inopes, quò pudori earum conſuleret, collata dote, vel maritis collocabat, vel monaſteriis. Nobiles ad inopiam redactos ſuâ impensâ liberaliter ſuſtentabat. Utebatur & munificentiâ erga Principes, quando opus erat, maximè erga eos, quos nomen Chriſtianum auctoritate, & opibus juvare poſſe, noverat. In ædificiis condendis parvos ſumptus fecit, tum quòd ei parùm vivere licuit, tum quòd pecunias ad majores uſus contra Turcas reſervandas aſſereret. Reſtituit ſolùm S. Priſcæ in Aventino Templum, & mœnia Urbis diruta, ac ferè ſolo æquata. Aulæa tamen quædam, auro luculenter intertexta, ab eo empta cernuntur. In victu ſuo parcus eſt habitus, in ſermone modeſtiſſimus, facilis aditu, quantum ei per ætatem licebat; jam enim octogeſimum attigerat annum, nec tamen de ſtudiis ſuis quicquam remiſerat. Legebat ipſe, aut legentes, negotiis vacuus, audiebat. Oratores ad ſe venientes mirâ benevolentiâ complectebatur, quorum precibus & poſtulatis, ſi honeſta forent, nunquam adverſabatur. Moriens ducenta millia aureorum, in uſum belli contra Turcas deſtinata, reliquit. Dicam ego cum Victorello: *Multa paucis quibus vixit, annis, fecit Calliſtus: majora vidiſſent homines, ſe diutiùs vixiſſet:* quod etiam indicare viſus eſt Janus Vitalis Poëta egregius, his verſibus. *Vir Reipublicæ utilis & longiori vita dignus.*

O ſi vita tibi longinqua, Calliſte, fuiſſet;
Orbis erat verè Roma futura Caput.

Quid ei vitio datum? Id tantùm in ejus moribus à Scriptoribus illius ævi accuſatur, quòd propinquis augendis vehementiùs incubuerit, quàm ea ætas, ac ſacroſanctæ perſonæ, quam gerebat, dignitas pateretur. Sed quid ipſi Scriptores fortè feciſſent, ſi ad id culminis, ut Calliſtus, pertigiſſent? cùm nemo facilè carnem ſuam odio habeat.

SCRIPTA.

Scripta Ejus. Scripſit Calliſtus, excellenti doctrina & ingenio præditus, Epiſtolas plures eruditione ſingulari refertas; quarum novem inter

Æneæ Sylvii litteras leguntur. Multas pariter in Annalibus Minorum refert Lucas Waddingus, quarum aliquæ ſcriptæ ſunt Joanni Capiſtrano, in Hungaria Romani Pontificis nomine degenti, ad parandum in Turcas bellum ſacrum. Plures quoque apud eundem Waddingum offendes Joannis ipſius ad Calliſtum datas.

Officium etiam *Transfigurationis* compoſuit ex Binio & aliis: recitantibus illud eaſdem Indulgentias conceſſit, quas Officio Corporis Chriſti indultas ſcimus.

De Angelica Domo S. Mariæ de Columna Cæſarauguſtanæ Civitatis litteras ſcripſit, quibus ejuſdem Angelicæ domûs Hiſtoriam, licèt breviter, complexus eſt.

Multa quoque edidit ad Jus utrumque pertinentia: Leges enim & Canones (teſte Oldoino) tam ei in promptu erant, quàm ſi heri, aut nudius tertius ſcholam juris exiviſſet.

Bibliothecam Vaticanam multis millibus variorum librorum Auctoribus auxit: horum cuſtodes præfecit viros doctiſſimos cùm diceret; Libros ſine viris eruditis nulli uſui eſſe.

Addam paucas ejuſdem Calliſti ſententias, lectu non indignas, ex Ægydio Viterbienſi excerptas.

Ejus ſententiæ notabiles.

Ajebat primo; *Ignavorum eſſe pericula formidare ea enim ſunt ager, ex quo meſſis & fructus gloria colliguntur.*

Secundo; *Se naturâ liberum eſſe, adulandi ſtudio ſervum non futurum.*

Tertio; *Falſa effingentes hominibus ſervire, vera referentes imperare.*

Quarto; *Principes quidem ſuas laudes amare, at falſos laudatores irridere.*

Quinto; *Artificioſam orationem aurium pabulum eſſe, ſtultos non ſapientes movere.*

Sexto; *Aularum peſtem indeclinabilem eſſe invidiam, & adulationem.*

Plures id genus ſententias leget curioſus lector in Hiſtoria laudati Cardinalis Viterbienſis ſæculo vigeſimo: qui liber extat Romæ m. ſ. in Angelica Bibliotheca Patrum Auguſtinianorum.

ANNO CHRISTI MCCCCLVIII.

Imperatore FRIDERICO III. Auguſto.

DE

PIO II. Pontifice Maximo.

CCXIV. Æneas Sylvius ſub nomine Pii II. Pontifex creatur.

PIus II. ante adeptum ſummum Sacerdotium Æneas Sylvius Picolomineus appellatus, Civis, & Epiſcopus Senenſis, magno rei litterariæ, majori Reipublicæ Chriſtianæ bono prodiit in lucem anno noſtræ ſalutis 1405. decimo quarto Kalend. Novembris Corſiniani, Vallis Urticæ oppido (de ſuo poſteà nomine *Pientia* dicto, ac Sede Epiſcopali ornato) nobilibus parentibus

tibus Sylvio Picolomineo, & Victoria Fortiguerra. De ejus matre tradunt, cùm per quietem viſa ſibi eſſet infantem cum mitra párere, veritam, ne ſomnium illud puero & familiæ ignominiam portenderet, quòd ſolerent mitræ chartaceæ ſupplicio afficiendis imponi, nunquam potuiſſe hujuſmodi ſuſpicionem deponere, quouſque intellexit, filium poſt multos annos Tergeſtinum Epiſcopum fuiſſe deſignatum Hic in pueritia trium annorum, dum ludit inter æquales, muro collapſus alto, & in ſaxum alliſus, ingens capitis vulnus accepit, quod præter ſpem, & opinionem parentum Nicolaus Monticulanus, qui eum de ſacro fonte levaverat, ſine litteris medicus, ut dicunt, empiricus brevi curavit. *Ejus vitæ primordia.*

Exinde apud patrem cùm civili exercitatione quævis officia ruris, animi levandi causâ, prout à nobilibus fieri ſolet, obiiſſet, annos jam duodeviginti natus in Senarum Urbem migravit. Ibi honorificè exceptus apud neceſſarios, qui bonæ frugis adoleſcentem minimè negligendum exiſtimabant, audire Grammaticos cœpit: deinde Poëtas, & Oratores avidè ſectatus miros utrobique progreſſus fecit: poſtremò ad Jus Civile ſe conferens, inſignes aliquot ejus facultatis Profeſſores pari cum profectu audivit. Exorto verò non multò pòſt Senenſes inter & Florentinos gravi bello, litterarum ſtudia non abſque incommodo interrumpere, ac patriæ dulce ſolum urgente Marte, vertere coactus eſt.

Tum à Dominico Capranica Præſule Firmano Baſileam mox profecturo in Secretarium receptus, cùm Genuam tenderet, unà cum eodem hero aliiſque, ingentibus jactatus procellis, in conſpectum Lybiæ delatus eſt, timentibus admodùm nautis, ne barbaris portubus redderentur. Verùm mutatis illicò ventis ad ſupplicum preces, in Italiam propitio Deo reverſi, Portum Veneris incolumes appulerunt. Ubi recepta trireme, felici navigatione Genuam, atque inde Mediolanum terreſtri itinere pervenerunt. Nec diù ibi morati, per Alpes S. Gothardi nive, glacieque rigentes; ac præruptos cœloque vicinos montes in planum delati, recto tramite Baſileam attigére. Ibi Dominicus apud Synodum cauſam ſui Cardinalatus contra Eugenium movens, procurante Æneâ ac pervincente, ſententiâ Patrum, ſuæ reſtitutus eſt dignitati. *Dominico Cardin. Capranico à ſecretis Baſileâ petit.*

At cùm Dominicum paupertas premeret, quia prohibente Eugenio nihil ei propinqui miniſtrabant, Æneas ad Nicodemum Scaligerum Epiſcopum Friſingenſem (cujus pater Veronam tum occupabat) & illo Baſileâ recedente, ad Bartholomæum Vicecomitem Epiſcopum Novarienſem ſe ſe recepit, ab utroque dictandis, ac ſignandis epiſtolis præpoſitus. Cum Nicodemo ad Principes Electores, qui Francofordiæ convenerant, profectus, eo relicto, cum Bartholomæo in Italiam rediit, diuque apud Philippum Ducem Mediolani, cui Bartholomæus ſerviebat, verſatus eſt. In ejus Senatu cùm duo de Rectoratu Scholæ Papienſis contenderent, alter Mediolanenſis genere clarus, alter Novarienſis humili proſapia natus, ac Mediolanenſi pars major Univerſitatis faveret, qui jam Magiſtratus inſignia aſſumpſerat, ac duos patruos in conſilio Principis admodùm potentes haberet, Æneas deploratas Novarienſis partes *Variis Epiſcopis operam ſuam locat.* *Humili contra potentem ſuffragatur.*

aſſu-

aſſumens, tantum facunda ſua oratione effecit, ut erepta Mediolanenſi dignitas, Novarienſi omnium ſuffragio ſit tradita.

Interjecto deinde nonnullo tempore, ad Eugenium Florentiæ commorantem, cum Bartholomæo Epiſcopo profectus, obtentâ ab Epiſcopo licentiâ ad Nicolaum Piciniņum, clarum illius ætatis & præcipuum belli ducem apud Balneas Senenſes lavantem divertit, & dies quinque apud amicos & neceſſarios ſuos in Urbe Senenſi permanſit. At cùm rediiſſet Florentiam, comperit, Bartholomæum Epiſcopum Novarienſem apud Eugenium magnis de rebus accuſatum, capitali judicio laborantem: ob quam cauſam Æneas ad Nicolaum Albergatum Cardinalem S. Crucis, probatiſſimum & laudatiſſimum Patrem confugit, qui & ipſum in Secretarium ſuſcepit. Cum hoc Cardinali, deſignato ab Eugenio in Galliam Legato, Æneas Mediolanum tertiò vidit, atque inde primò ad Amedeum Sabaudiæ Ducem, qui tunc ſpreto ſæculo ſolitariam in Eremo vitam degebat, ſe contulit: deinde per Rhenum Coloniam Agrippinam navigavit, ubi rurſus conſcenſis equis per Aquisgranum, Leodium, ac Lovanium, Duacum ac Tornacum in Atrebates deſcendit. Hic Æneas ad Philippum Burgundiæ Ducem contra Regem Galliarum armatum, & Anglis conjunctum de bono pacis epiſtolam verſu conſcripſit. Extat hæc etiamnum inter opera ejus, viris doctis multùm probata. Deinde juſſu Cardinalis Legati, Scotiam versùs inito itinere, Caleſium venit, quod eſt oppidum continentis in Oceani ripa objectum: ibi ab Anglis ceu ſuſpectus aliquandiù retentus, cùm nec progredi, nec regredi permitteretur, auxilio tandem Cardinalis Wintonienſis ex Atrebato redeuntis dimiſſus eſt.

Fit Secretarius Nicolai Cardinalis Albergati.

In Scotiam tendens, detinetur.

At cùm veniſſet Æneas ad Regem Angliæ, ac litteras peteret, quibus longam & difficilem viam Scotiam versùs tutò conficere poſſet, retrò cedere coactus eſt, timentibus Anglis, ne apud Regem Scotiæ hoſtem ſuum contra ſe aliquid moliretur, cùm conſtaret Cardinalis ſanctæ Crucis Secretarium eſſe, quem Angli ſingularibus inimicitiis inſectabantur, quia ab eis Philippum Burgundiæ Ducem abalienaverat. Gravis Æneæ, ſed neceſſarius hic reditus fuit. Remenſo igitur mari Brugas ſe contulit, atque inde Cluſas petiit; ibi navem ingreſſus, dum Scotiam petit, in Norvegiam propellitur, duabus maximis jactatus tempeſtatibus, quarum altera quatuordecim horas mortis metum incuſſit; altera duabus noctibus, & die una perdurans, navim ſic in errores per Oceanum & Septentrionem impulit, ut nulla jam cœli ſigna nautæ cognoſcentes, ſpem omnem ſalutis amitterent. Sed affuit denique divina pietas, quæ ſuſcitatis Aquilonibus navim ad continentem repulit, ac duodecimo tandem die terram Scoticam patefecit, ubi apprehenſo portu Æneas ex voto decem millia paſſuum ad beatam Virginem, quam *de Alba Eccleſia* vocitant, nudis pedibus profectus, cùm illic horis duabus quieſceret, aſſurgens loco moveri non poterat, debilitatis atque obſtupefactis hyemali frigore pedibus. Saluti fuit nihil edendum illic inveniſſe, atque aliorſum tranſmigrandum fuiſſe, quò dum famulorum ope magis portatur, quàm ducitur, pedetentim terram quatiens, calefactis pedibus ex inſperatò ſanitate recepta ambulare cœpit.

Duplex naufragium ſuſtinet.

Votum ſolvit ægrotat: convaleſcit.

cœpit. Ad Regis denique præſentiam intromiſſus nihil non impetravit ex his, quæ petitum venerat: ſumptus ei viarum reſtituti ſunt, & in reditum pecuniæ, ac duo equi dono dati. Peractis rebus cùm redeundum eſſet, è veſtigio magiſter navis, qui eum vexerat, ad Æneam accedens, locum redeunti in navi obtulit, quem priùs habuerat; cui Æneas non tam futuri præſcius, quàm præteriti periculi memor; *Si fruſtrà*, inquit, *Neptunum accuſat, qui bis periculum incidit, quid in eum dicere oportet, qui tertiò naufragium patitur? hominum ego, quàm maris experiri miſericordiam malo*: ac ſic dimiſſo nauta iter ſibi terreſtre per Angliam delegit. Nec mora, ſolvens à portu navis, in conſpectu omnium tempeſtate vexata, colliſa, & ſubmerſa eſt. Tunc ſe divino nutu, ac beneficio ſervatum Æneas intelligens, diſſimulato habitu ſub ſpecie mercatoris per Scotiam tranſivit in Angliam: ubi interdictum Regis eſſe comperit, ne quis peregrinus abſque litteris Regis Inſulâ exiret: neque illas petere tutum videbatur: Quid igitur? corrupit Æneas pecuniâ cuſtodes portûs, quod apud id genus hominum minimè arduum eſt, quibus nihil eſt auro dulcius. Ex Dubla igitur Caleſium navigavit, atque inde Baſileam petiit, & itinere continuato Mediolanum, ubi certior factus Cardinalem ſanctæ Crucis Florentiâ Baſileenſe Concilium adire, ad eum ſuperatis Alpibus profectus eſt.

Benignè à Scotiæ Rege habitur.

Naufragium prævidet, atque declinat.

E Scotia Baſileam redit.

Referam nunc paucis, quæ in Baſileenſi Conventu Æneæ obtigerunt, & quæ illic ab eo cum laude geſta ſunt. Agebatur eo tempore de translatione Concilii in alium locum, ad quem Græci venturi putarentur: & quatuor in electionem loca dabantur, Florentia ſcilicet, Utinum, Papia, & Avenio. Cumque in laudem cujuſque loci in auditorio maximè copioſo peroratum eſſet, ac ſolius Papiæ commendationes defuiſſent, quod Iſidorus Roſatenſis, quem Philippus Maria Dux Mediolani ad eam rem miſerat, ineptè atque inſulsè verba faciens, quieſcere juſſus erat, motus Æneas & Urbis egregiæ, & Principis ejus contemptu, conſcriptâ per noctem oratione, ſequenti die ad Conventum veniens, obtentâ ex auctoritate Juliani Cardinalis Legati dicendi copiâ, orationem duabus horis, cum omnium ſingulari attentione & admiratione, protraxit. Quæ quidem uſque adeò omnibus placuit, ut nemo non exemplar ejus ſibi depoſceret. Æneæ deinde & Concilium propenſius, & Dux Mediolanenſium propitius fuit. Eapropter inter duodecim viros illicò numeratus, omnibus probatus eſt: quod munus quamvis trimeſtre, magni tamen ponderis, & auctoritatis erat: nihil enim deputationes deliberare poterant, niſi materiam à duodecim viris accepiſſent; neque ad Concilium quiſquam admittebatur, niſi horum inſtructus decreto. Claves plumbi, quo Synodales litteræ ſignabantur, frequenter in ejus cuſtodia fuêre: inter Abbreviatores Parci majoris locum habuit: quoties è nationibus aliqui ad res ſingulares delecti ſunt, rarò is unus non fuit. Legationes Synodales ei Argentinam tres, Conſtantiam duæ, Francofordiam una, ad Ducem Sabaudum una demandatæ ſunt, quas omnes feliciter, ut erat expeditus, cum rerum emolumento obivit.

Ducis Mediolanenſis cauſam in Concilio defendit.

Munera diverſa exercet in Concilio.

Cùm Præpoſitus S. Laurentii Mediolanenſis Baſileæ diem clau-

Fit Præpoſito Eccleſiæ S. Laurentii. ſiſſet extremum, Franciſcus Mediolanenſium Antiſtes doctrina & ſanctimonia commendatiſſimus, approbante Concilio, Æneam illi ſuffecit, quamvis eſſent complures, & Doctores, & magni viri natione Mediolanenſes, qui ſe promotos optabant. At cùm in Concilio generali res ageretur, Iſidorus Roſatenſis, Æneæ æmulus, quòd in laudandâ Papiâ ſe inaudito fuiſſet auditus; *Quid agitis Patres*, inquit, *electivam Præpoſituram Æneæ homini extero committitis? ubi decretum veſtrum, quod tantopere ſervari præcipitis? Beneficia in terra Mediolanenſi abſque voluntate Principis de vobis optimè meriti confertis? Cives, & Doctores ſpernitis? alienos eligitis?* Tum Æneas; *Vehementer*, inquit, *admiror, Patres optimi, Iſidorum adverſùm me verba facere, qui nuper ex Mediolano reverſus, litteras Philippi Ducis ad me detulit, quibus ille Princeps gratias mihi agit, quòd ejus cauſam hoc in loco peroraverim; atque ob eam rem gratum ſibi eſſe affirmat in ejus ditione quodcunque ſacerdotium me acceptare, cujus libenti animo poſſeſſionem ſit mihi daturus. Non igitur ille me extraneum habet, neque nova res eſt unius regionis homines in altera dignitates habere; ſi modo linguam nôrint: nam & Archiepiſcopus ex Bononia Mediolanum venit. Neque movere quemquam debet, quod de Decreto electionis objicitur; inferiores enim ſuperiorem obligare haud valent: Vos Patres agetis ut libebit, nihil peto, quod veſtro honori ſit adverſum: quodſi mihi providendum duxeritis, voluntatem veſtram ſine poſſeſſione electioni Capitulari prætulerim.* Ad quæ cùm Iſidorus reſponſurus aſſurgeret, univerſorum adſtantium clamore correctus obticuit. At Æneas Mediolanum profectus, nobilem quendam ex Landrianorum familia, Ducis juſſu, per Capitulum ad eam Præpoſituram vocatum, & in poſſeſſionem adductum invenit, quem ſibi mox cedere compulit, tantum Æneæ & Princeps & Curia favit. Sed obtentâ Præpoſiturâ illâ, ingenti febri correptus in lectum decidit, ad illum Philippus Dux Medicum ſuum, doctum virum Philippum Bononienſem ſingulis diebus mittebat. Quinque ſupra ſeptuaginta diebus continuis febris ardore concuſſus, nunquam adduci potuit, ut incantatores auſcultaret, quamvis homo ad ſe adduceretur, qui noviſſimè in caſtris Nicolai Picenini duo millia virorum ex febribus liberaſſe diceretur. Sed Deo fidens, cujus ope ſervatus in vita fuerat, adhuc febricitans, iter arripiens, inter equitandum febri liberatus, Baſileam profectus eſt. Ubi cùm ſolemnitas Divi Ambroſii Mediolanenſis ageretur, jubente Archiepiſcopo, ſermonem de laudibus ſancti Patris ad Synodum habuit, quamvis ejuſdem Synodi Theologi reſtitiſſent, qui ſibi id muneris expetebant: ſed prælatus cunctis Æneas, incredibili attentione & voluptate auditus eſt.

Iſidoro Roſatenſi adverſario, viriliter reſpondet.

In morbum incidit.

Orationem de laudibus S. Ambroſii habet.

Intereà mortuo Sigiſmundo Cæſare, atque Alberto Auſtriaco in ejus locum ſuffecto, miſſus ad eum eſt Bartholomæus Epiſcopus Novarienſis à Philippo Duce Mediolanenſi, qui cùm Baſileam veniſſet, Æneam ſibi comitem in itinere, & legatione non ſine precibus à Synodo impetravit. Nondum Imperium Albertus acceptaverat, adverſantibus Hungaris, qui ea conditione ſuſceptum Hungariæ Regnum dicebant, ne vel oblatum Imperium aſſumeret: Incertus autem Albertus quid ageret, Legatos Principum, qui aderant, conſulendos cenſuit, ac tempus deliberantibus indulſit. Interim

Albertum ad acceptandū Imperium movet.

rim Bartholomæus Epiſcopus rationes ab Ænea conſcriptas accepit, quibus & Imperium acceptandum, & Hungaros ad conſentiendum induci poſſe videbatur : quas cùm in Concilio recitâſſet, gratiæ ei publicè actæ ſunt, & Albertus non conſentientibus modò, ſed ultrò ſuadentibus Hungaris, Imperatorem ſe dixit. At Æneas Auſtriæ moribus offenſus, quos nondum planè nôrat, dimiſſo Viennæ Bartholomæo Epiſcopo, cum Ludovico Patriarcha Aquileienſi homine nobili Baſileam rediit Hac in Urbe peſtilentiæ morbo, quæ non modò Urbem, ſed Provinciam illam invaſerat, tactus, fama vulgata eſt, Æneam mortuum eſſe : quare Mediolanenſem Præpoſituram amiſit; nam alius illam obtinuit, qui propter Eccleſiæ unionem repelli non potuit : ſed miſerante divina gratia, poſt ſex dies Æneas convaluit. Petrus Julianus Romanus, Æneæ amiciſſimus, habito cum familiaribus de medicis eligendis in Æneæ curatione conſilio, ubi duos eſſe in civitate medicos celebres intellexiſſet, alterum Pariſienſem, ſed irreligioſum; alterum Theutonicum indoctum ſed pium Æneas pietàtem ſcientiæ prætulit, quòd incertam peſtiferi morbi ſciret eſſe curationem. Convaluit, ut diximus, poſt ſextum diem Æneas, & cùm ſex aureos Medico in mercedem offerret (mira fides, bonitaſque viri in Medico forſitan inaudita!) illeque ſe indignum tanto præmio exiſtimaret; *Si hoc*, inquit, *auri me vis accipere, ſex pauperes ſine pretio ægrotos curabo, quò me dignum tua liberalitate efficiam :* idque facturum ſe jurejurando adſtrinxit. Exin vacantibus Canonicatu, & præbendâ Eccleſiæ Tridentinæ, Concilium illos Æneæ ſummo favore contulit, quamvis competitores eſſent non pauci, neque contemnendi homines.

Peſtilentiæ morbo corripitur.

Convaleſcit.

Poſthæc Amedeo Duci Sabaudiæ (dicto Felici V.) primò, deinde Friderico III. Romanorum Regi, qui Alberto defuncto ſucceſſerat, à ſecretis & conſiliis fuit : hujus nomine Legationis munere functus eſt apud Tergeſtinos, ut ab illis fidelitatis jusjurandum reciperet. Paulò pòſt cùm apud Norimbergam Imperator ac Principes Electores ad extinguendum Schiſma, quod inter Eugenium IV. & Felicem V. vigebat, intenderent, quatuor Cæſar viros elegit, qui auditis Eugenii ac Felicis Oratoribus providerent, ne quid Reſpublica Chriſtiana detrimenti pateretur : horum quatuor Æneas unus fuit. Interim Sarantanæ vallis Parochialem Eccleſiam ſitam in Alpibus, quæ Germaniam ab Italia dividunt, ſatis opulentam favore Cæſaris Æneas aſſecutus eſt, verùm hanc Eccleſiam brevi ille dimiſit, meliorem aſſecutus in Bojaria S. Mariæ Aſpacenſis non longè ab Oeno flumine, quam illi Leonardus Paſſavienſis Epiſcopus ultrò contulit.

Felici Antipapæ, & Friderico Cæſari à ſecretis inſervit.

Interjecto nonnullo tempore Æneas ad Eugenium Papam à Cæſare miſſus, cùm Senas veniſſet, unanimi amicorum, ac propinquorum voce prohibebatur Romam adire, quia Baſileæ Eugenio infenſus fuerat. Contrà Æneas Oratorem Cæſaris non arbitrari ſe ajebat Romæ non tutum; legationis onus à ſe receptum, aut abſolvendum, aut ſibi moriendum : & ſic omnibus invitis, ac flentibus hilaris ipſe ſolus Romam perrexit. Gerardus Landrianus Cardinalis Cumanus, cum quo arctiſſimo neceſſitudinis vinculo Æneas

Ad Eugenium IV. Legatus mittitur.

conjunctus fuerat, intrepidum ad Eugenium introduxit. Ad oſculum pedis primò, mox manus, & oris receptus Æneas; *Priùs*, inquit, *Sanctiſſime Pater, quàm Cæſaris mandata referam, de me ipſo pauca dicam.*

Ejus ad Eugenium oratio.

Scio multa de me Tuis auribus inculcata eſſe, neque bona, neque digna relatu, ſed neque mentiti ſunt, qui me Tibi detulerunt: plurima ego dum Baſileæ fui, dixi, ſcripſi, & feci, quæ infra dignitatem Tuam videri poterant, non inficior: at non tam Tibi nocere, quàm Dei Eccleſiæ prodeſſe mens mea fuit. Erravi, quis neget? ſed neque cum paucis, neque cum parvis hominibus: Julianum ſancti Angeli Cardinalem, Nicolaum Archiepiſcopum Panhormitanum, Ludovicum Pontanum Tuæ Sedis Notarium ſum ſecutus, qui Juris oculi, & veritatis magiſtri credebantur. Quid Univerſitates, & alia Orbis Gymnaſia referam, quorum pleraque adverſum Te ſentiebant? quis cum tantu hominibus non erraſſet? Verùm ego ubi errorem deprehendi Baſileenſium, fateor non ſtatim ad Te convolavi, quod plerique fecerunt, ſed veritus ne ab errore in errorem prolaberer, & ſæpè in Scyllam incidunt cupientes vitare Carybdim, ad eos me contuli, qui neutrales habebantur, ut altero duorum extremorum ad alterum non ſine conſultatione ac mora tranſirem. Manſi ergo apud Cæſarem tribus annis, ubi dum magis ac magis contentiones audio, quæ inter Baſileenſes & Tuos Legatos fiunt, nihil mihi dubii relictum eſt, quin Te penes ſit veritas, atque hinc factum eſt, ut cupienti Cæſari ad Tuam me clementiam viam facere non invitus paraverim; ſic enim me in Tuam gratiam redire poſſe ſum ratus: Nunc apud Te ſum; & quia ignorans peccavi pro tua clementia mihi ut ignoſcas oro. Cui Eugenius: *Scimus te*, inquit, *cum multis deliquiſſe, ſed errorem fatenti non poſſumus non ignoſcere: Eccleſia namque pia mater neganti debitum, nunquam remittit; fatenti nunquam retinet. Tu jam veritatem tenes, cave ne relinquas eam, atque bonis operibus divinam gratiam quærito: eo in loco jam degis, ubi & veritatem tueri poſſis, & Eccleſiæ prodeſſe: Nos injuriarum poſthac præteritarum obliti, te benè ambulantem & amabimus, & paterno ſinu fovebimus.* His dictis ad res Eccleſiæ ventum eſt, ſuper quibus Eugenius deliberandi tempus accepit. Interjectis deinde paucis diebus, gravi dolore oppreſſus Æneas, duodecim dierum ſpatio decubuit.

Redit in Germaniam.

Sanitati reſtitutus, reſponſo ab Eugenio accepto, Senas repetiit; & conſolatus patrem, quem poſteà nunquam amplius vidit, ac ſalutatis propinquis omnibus, in Germaniam remeavit.

Interim Electores Imperii apud Francofordiam convenientes, ob depoſitionem Colonienſis, ac Trevirenſis Archiepiſcoporum ab Eugenio factam commoti, occultum inter ſe fœdus percuſſerunt, vigore cujus, niſi Eugenius irritam depoſitionem hanc decerneret, ipſi ab eo deficerent. Electorum mentem ut percepit Imperator, Æneam iterum ad Eugenium ablegavit, ut ſuaderet ei, ne Principes Electores, viros utique potentes, contemneret; maximè verò, ut depoſitis Archiepiſcopis priſtinam redderet dignitatem.

Iterum Romam legatur.

Eugenius, audito Æneâ, facturum ſe omnia, quæ Cæſar ſuaſerat, adpromiſit: quare illicò Æneam novis inſtructum mandatis ad Cæſarem remiſit. Tertiò Æneam Cæſar ad Romanam Curiam Legatum inſtituit, ut ejus, ac Germanicæ nationis nomine, relicta neutralitate, obedientiam Eugenio præſtaret.

Dum Romæ Æneas Cæſaris Legatus moraretur, ſecutâ Euge-

nii

nii morte, unà cum cæteris Regum Legatis Conclave cuſtodivit. Poſt aſſumptionem Nicolai V. relictâ Româ rediit in Germaniam. Nonnullis pòſt diebus certum nuncium de morte Epiſcopi Tergeſtini Nicolaus Romanus Pontifex accepit, qui nullum Cardinalem in Conſiſtorio conſulens, Æneam Epiſcopum Tergeſtinum pronunciavit, ac litteras abſque pecunia expeditas ad eum miſit. Fridericus quoque Cæſar, ut ejus vacationem Eccleſiæ cognovit; *Hanc*, inquit, *Ænea noſtro impetrabimus:* ac litteras Pontifici in ea re, jam ſe ignaro peracta, conſcripſit; & ſic neſcius Æneas, cùm rediiſſet ad Cæſarem, ad Epiſcopatum, & Romani Pontificis, & Cæſaris voto ſe ſe vocatum invenit. *Epiſcopus Tergeſtinus abſens renunciatur.*

Inter hæc Imperator Conventum Prælatorum, & Principum apud Aſchaffenburgum, quod eſt oppidum Moguntinenſis Eccleſiæ, indixerat, eoque Æneam miſit, ut Moguntinum Præſulem, & alios Principes in obedientia Nicolai confirmaret: neque in caſſum labor ceſſit: nam in Conventu illo, quæ Cæſar optaverat, Æneæ ſtudio decreta ſunt. His peractis Mediolanum primò, mox in Iſtriam, ac iterum Mediolanum, demum ad Alphonſum Regem Siciliæ ire juſſus eſt: tum ad componendam inter Cæſarem & Venetos de finibus litem; tum ad firmandos in Cæſaris obedientia Mediolanenſes; tum ad contrahendum matrimonium inter ipſum Cæſarem, & Eleonoram Regis Luſitaniæ filiam. His functus legationibus, dum adhuc Neapoli moraretur, à Nicolao Romano Pontifice Epiſcopus Senenſis dictus eſt: non tamen hic finis legationum. Vix in Germaniam ex Neapolitana legatione redierat Æneas, cùm à Cæſare miſſus eſt ad Bohemos, qui Conventum Regni Pragæ indixerant, quo abſoluto, juſſu ejuſdem Cæſaris in Italiam venit ad recipiendam Eleonoram ſponſam ex Hiſpania advectam, quam ad Cæſarem Senis commorantem perduxit: cum illis poſteà Romam profectus, in itinere Cæſar accerſito ad ſe Ænea, *Ecce*, inquit, *Romam petimus, videre videor te Cardinalem futurum: neque hìc tua fortuna conquieſcet: altius evehêris; beati Petri ſolium te manet: Cave, ne me contemſeris, ubi id honoris aſſecutus fueris.* Cui Æneas: *Clementer mecum jocaris, Cæſar, ſed ſcito, me neque purpuram, neque thiaram ambire pontificiam: Tuis auſpiciis, Cæſar, quamdiu indulſeris, contentus vivam. At ego*, ſubinfert Cæſar, *hoc ita futurum non vanus augur prævideo: Tu in his locis, ne diffidas, regnabis: & qui tibi nunc imperamus, paulò mox parebimus: Prophetæ Cæſaris quandoque memento.* Romæ Imperatoris nomine ante fores Sancti Petri in petitione Mediolanenſis Coronæ, in benedictione ſponſalium, & in ipſa coronatione Cæſaris, orationem habuit Æneas. Poſtremò cum ipſo Cæſare Româ receſſit renunciatus Apoſtolicæ Sedis Legatus de latere per Bohemiam, Sileſiam, Auſtriam, Moraviam, Styriam, Carinthiam, Carniolam: quam legationem paulò pòſt Nicolaus idem etiam ad Hungariæ Regnum extendit. *Alias legationes obit.* *Epiſcopus Senenſis creatur.* *Cæſar ei purpuram in Papatum prædicit.* *Sedis Apoſt. Legatus creatur.*

Interfuit Conventui Ratiſponenſi, & vice Imperatoris verba ad conceſſum fecit, quibus in expugnatione Conſtantinopolitana quantum detrimenti Reſpublica Chriſtiana accepiſſet, & quantum inſtaret periculum, niſi Turcarum conatibus occurreretur, planè dilucideque demonſtravit, ac publicè ad capeſſenda arma pro communi *Intereſt Conventui Ratiſponenſi.*

Pontificem videre viderentur : quod verentes aliqui è loco abiêre, ut ejus diei creationem eluderent : hi fuerunt Iſidorus Ruthenus,& Latinus Urſinus Cardinales; ſed cùm alii eos non ſequerentur,mox rediêre. Tum Jacobus Theobaldus Cardinalis S. Anaſtaſiæ, *Et ego*, inquit, *Senenſi accedo* : una nam Æneæ tantùm vox deerat, duodecim quippè Pontificem efficiebant : quod animadvertens Proſper Cardinalis Columna , eam ſibi gloriam acquirendam putavit, ut Pontificem ipſe pronunciaret : cumque eſſet Æneæ veteri benevolentia conjunctus, converſus ad reliquos Cardinales, *Et ego*,inquit, *Senenſi accedo*, *eumq; Papam facio.* Quo audito, Cardinales univerſi nihil morati , ad pedes Æneæ ſeſe projecerunt,& eum Pontificem ſalutaverunt, ac rurſus ſuis in locis reſidentes, electionem factam approbaverunt, nullo prorsùs adverſante. Tum Beſſarion Cardinalis Nicænus ſuo, & eorum nomine, qui Rothomagenſi faverant; *Laudamus*, inquit, *Pontifex maxime, tuam aſſumptionem, quam ex Deo eſſe non dubitamus : & ſanè dignum Te hoc munere & cenſuimus anteà, & nunc cenſemus. Quod autem Te non elegimus, id fecit ægritudo tua, nam cùm pedibus ægrotares, hoc tantùm ſufficientia tua deeſſe putavimis. Eſt enim Eccleſia egens viro activo, qui poſſit itineribus corpus exercere, & imminentibus periculis, quæ à Turcis formidamus, occurrere : Tu contrà quiete eges. Hoc nos ad Rothomagenſem traxit, quòd ſi fuiſſes corpore validus, nullus erat, quem Tibi præferendum exiſtimaremus. At cùm Deo aſſumptio Tua placuerit, & nobis placet : nos Te Pontificem veneramur, & denuò, quantum in nobis eſt, elegimus, Tibiq; fideliter ſerviemus.*

Beſſarion Cardinalis laudat aſſumptionem Æneæ.

Ad hæc Æneas : *Exiſtimaſti, ô Nicæne, quantum animadvertimus, de Nobis longè meliùs, quam Nos ipſi, qui Nobis pedum defectum tantummodò attribuiſti : Nos imperfectum noſtrum latiùs vagari non ignoramus, ac defectus noſtros penè innumerabiles eſſe cognoſcimus, quibus potuimus à ſummo Pontificio rejici. Merita verò, quæ huc nos eveherent, nulla ſcimus, diceremusq; Nos prorſus indignos, neque delatum amplecteremur honorem, niſi vocantis judicium Dei timeremus : nam quod duæ ſacri Collegii partes efficiunt, id profectò à Spiritu ſancto eſt, cui non licet adverſari. Obediemus igitur vocationi divinæ, ac te, Nicæne, & reliquos, cum quibus ſenſiſti, laudamus, ſi conſcientiæ judicium ſecuti, Nos tanquam inſufficientes non cenſuiſtis eligendos : eritis omnes Nobis accepti, qui vocationem noſtram non iſti, aut illi attribuimus, ſed toti Collegio, & ipſo Deo, à quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum.*

Quid Æneas reſponderit?

Nec plura locutus, priora exuit indumenta, & albam Chriſti tunicam accepit, ac interrogatus quo nomine vocari vellet, *Pii* reſpondit. Suſcepto igitur *Pii ſecundi* nomine, & Symbolo ; *Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui*, ac juratis quibusdam capitulis, nudiùs tertiùs in Collegio editis, in Altari poſitus, rurſus à Cardinalibus adoratus eſt, pedes ejus, manus, & os exoſculantibus, atque eo facto publicata eſt populo Pontificia electio ex alta feneſtra, & acclamatum, *Pium ſecundum Pontficem haberi, qui fuerat Cardinalis Senenſis.* Atque ita vaticinium Friderici Cæſaris in evecto Ænea completum eſt.

Pii II. nomen aſſumit.

Poſt Coronationem ſuam, quæ tertio Nonas Septembris ejusdem anni ante fores Baſilicæ Vaticanæ, inſpectante Roma, maximo apparatu peracta eſt, ſcribens de ſua aſſumptione litteras, ora-

tiones

Litteras ſcribit ad Principes Chriſtianos, eosq; in Turcas excitat.

tiones omnium Chriſtianorum humiliter flagitavit, ut videre eſt ex iis, quæ datæ reperiuntur Pridie Nonas Septembris ad Univerſitatem Pariſienſem. Cæterùm inter curas, quæ animum Pii invaſere, nulla major fuit, quàm in Turcas excitare Chriſtianos, atque illis bellum inferre: Non tamen ſe ſolo, & Apoſtolicæ Sedis juribus illos ſuperare confidebat: nam vincere Turcas non hujus, aut illius Regni opus, ſed totius Chriſtianæ Reipublicæ videbatur. Neceſſaria igitur eorum conſilia exiſtimavit, quorum auxilia requireret: in hunc finem Concilium Principum Mantuæ convocare decrevit. Verſus illam Urbem ipſe Pontifex iter direxit ſuum, relicto in Urbe Legato Nicolao de Cuſa Cardinale S. Petri ad Vincula, & Urbis Præfecto Principe Columnenſi. In itinere Senarum urbem inviſit, quam ad Metropolitici juris honorem evexit, Groſſetana, Maſſana, Suanenſi, & Cluſina Eccleſiis ei ſubjectis. Primus Archiepiſcopus Antonius fuit ex familia Picolominea, quem ſibi Pius, ut primùm Petri Cathedram aſcendit, ſucceſſorem in eâdem Eccleſiâ deſignaverat. Senis exiſtens, Imperatoris Friderici, Henrici Caſtellæ, Matthiæ Hungariæ, Alphonſi Luſitaniæ, & Georgii Bohemiæ Regis; Philippi Burgundiæ, Alberti Auſtriæ Ducis, nec non Friderici, atque Alberti Marchionum Bandeburgenſium Legatos ſuſcepit.

Senenſium Urbem in Metropolitanam erigit.

Principum Legatos ſuſcipit.

Convocat Concilium Mantuanū.

Demum Mantuam ad Concilium de bello Turcico ſuſcipiendo indictum progreſſus, Urbem illam ſexto Kal. Junii anno 1459. ingreſſus eſt. Ibi Legatos Thomæ Deſpoti Moreæ, aliosque ex Cypro, Rhodo, Lesbo, Hungaria miſſos; tum Caſimiri Poloniæ Regis, & aliorum Principum Chriſtianorum Oratores benigniſſimè recepit. Cumque irrepſiſſet in Eccleſia Dei exitialis conſuetudo adverſus Romani Pontificis cenſuras appellandi (victi enim, damnatique Apoſtolicâ ſententiâ, ad futurum Concilium appellabant) ut malam hanc conſuetudinem omninò Pius extirparet, Patres, qui in Conventu aderant, conſuluit, quid ea in re agendum cenſerent? illi concordi voce reſponderunt, Appellationes hujuſmodi cum ſuis auctoribus damnandas eſſe: atque ita publicum Decretum editum eſt, quo ſtatuitur; *Omnes à Romano Pontifice ad futurum Concilium appellantes, tanquam hæreſis fautores, & læſæ majeſtatis reos, plectendos eſſe.* Hoc Decretum Pius ipſe Diplomatæ Mantuæ ſcripto xv. Kal. Februarii anno 1459. auctoritate Apoſtolica confirmavit. Adverſùs quod Decretum Gregorius Heimburgus Juris Conſultus, Sigiſmundi Auſtriæ Ducis in eodem Conventu Mantuano Orator, audaciſſimè inſurgens, pro Sigiſmundo appellationem ad futurum Concilium dictavit, confectoque ea de re publico inſtrumento, atque Florentiæ ad valvas Eccleſiæ affixo, ſe ejus auctorem, & teſtem inſcripſit. Pius rei indignitate commotus, publicato ad Germanos Edicto, temerarium hominem ceu Pontificiæ majeſtatis reum, Eccleſiæ contemptorem, latæque legis violatorem (approbante Concilio) anathemate defixit, ejuſdemque bona omnia ac facultates, poſtquam fidelibus vitandum declaraſſet, publico fiſco addixit. Gregorius cenſuris notatus, quòd omnibus odio haberetur, verſo ſolo, in Bohemiam ad Huſſitas conceſſit, ſed inde à Diethero Moguntiaco pariter excommunicato evocatus, ſimilis ſimili adhæſit, & vi-

Edidit Decretum de non appellando à Pontifice ad futurum Concilium.

Greg. Haimburgus reclamat, & anathemate percutitur.

& virulentiſſimum ſcriptum adverſus Pii ſententiam & litteras edidit, plauſibile quidem hæreticis, ſed bonis omnibus execrabile.

Quid prætereà in Conventu Mantuano geſtum ſit, ex ipſius Pii Pontificis oratione, quam ad Patres & Principum Legatos in fine Concilii habuit, facilè percipere poſſumus. Ille enim in Templo Beati Petri, re divina peracta, ſolium conſcendens, indicto ſilentio, ſic peroravit: *Octavum hic agimus menſem, Fratres, ac filii, expectantes eos, qui ad Conventum vocati fuerunt: noſtis qui venêre: deinceps ſperare alicujus adventum, qui conferre aliquid ad rem noſtram poſſit, vanum eſt: licet jam hinc abire. Peregimus, quæ hoc in loco facienda fuerunt: utinam Dei benè acta ſit cauſa! quamvis meliora concepimus, quàm invenimus; non tamen nihil omnino peractum eſt, neque ſpes omnis cecidit. Dicendum eſt, quò res deducta ſint, ut ſciant omnes, quid adſit ſpei, & qui Reges, quique populi ad tuendam fidem vel prompti fuerint, vel negligentes. Hungari, ſi adjuventur, ſummo conatu, & univerſis viribus ſuis Turcas invadent: Germani exercitum pollicentur duorum & quadraginta millium bellatorum: Burgundus ſex millium: Itali (exceptis Venetis, ac Genuenſibus) Cleri decimas, populi trigeſimas annuorum reddituum, ac vigeſimas Judaica ſubſtantia, ex quibus navales copia ſuſtentari queant. Idem fecit Joannes Rex Arragonum: Raguſæi inſtructas duas triremes offerunt: Rhodii quatuor: hæc tanquam certa ſolemni ſtipulatione per Principes, atque legatos promiſſa ſunt. Veneti quamvis publicè nihil promiſerint, cùm tamen expeditionem paratam viderint, haud quaquam deerunt, nec patientur, ut ſuis majoribus deteriores videri poſſint. Idem de Francis, de Caſtellanis, de Portugallenſibus dicimus. Anglia civilibus agitata motibus ſpem nullam pollicetur; neque Scotia in intimo abſcondita Oceano: Dacia quoque, Suecia, ac Norvegia remotiores Provinciæ ſunt, quàm ut milites poſſint mittere, nec, ſolis contenta piſcibus, pecuniam miniſtrare poſſunt: Poloni Turcis per Moldaviam contermini ſuam cauſam deſerere non audebunt: Bohemos mercede licebit conducere, ſuo ære extra Regnum non militabunt. Sic res Chriſtianæ ſe habent. Claſſem pecunia Italica parabit, ſi non Venetiis, at ſaltem Genua, aut in Arragonia; nec minor erit, quam res ipſa depoſcat. Hungari viginti millia equitum armabunt, peditum haud minorem numerum; qui Germanis juncti, atque Burgundis, nonaginta propemodùm millia militum conficient, quos in caſtris pugnantes habebimus. Et quis non his copiis ſuperatum iri Turcas arbitretur? His accedet Georgius Scanderbechius, & Albanorum fortiſſima manus; & multi per Græciam ab hoſte deficient, & in Aſia Charamannus, & Armenorum populi Turcas à tergo ferient. Non eſt, Fratres, ac filii, cur deſperemus; tantùm Deus ipſe cœpta ſecundet. Ite, & narrate domi, quæ hic geſta ſunt: & ut promiſſa in tempore faciant, Dominos veſtros admonitos reddite: utq; propitia Nobis ſit divina pietas, orationibus & operibus piis operam date.*

Pii Oratio in Concilio Mantuano.

His dictis, juſſit Pontifex Cardinales, Epiſcopos, Abbates, & Sacerdotes cunctos, qui aderant, ſacras induere veſtes; & ipſe è ſolio ſuo deſcendens, ad gradus majoris Aræ ſe convertit; ibique flexis genibus ſuſpirans atque illacrymans, ſupplici voce delectos è Pſalmis verſiculos, qui ad rem accommodati erant, (reſpondentibus Prælatis & Clero) longo ſpatio decantavit, & oratione præmiſſa, fauſta precatus populo benedixit, atque in hunc modum dimiſſis omnibus Mantuano Conventui finem impoſuit. Ante verò

Concilium ſolvit.

Academiam Baſileenſem inſtituit. diſceſſum ſuum, Baſileenſem omnium ſcientiarum Academiam inſtituit, ut ex ejus Diplomate Pridie Kalendas Januarii anno 1459. dato conſtat, quam & iiſdem privilegiis, juribus, ac gratiis, quibus Bononienſis, Colonienſis, ac cæteræ antiquiores Germaniæ Univerſitates exornatæ olim fuerant, inſignivit.

Senis Cardinales creat, & urbem exornat. Itineri deinde Romam verſus cùm ſe commiſiſſet, Senas quaſi triumphans, die ultima Januarii anno 1460. ingreſſus, Cardinales plures doctrina & vitæ integritate conſpicuos in Conſiſtorio renunciavit, multoſque per diverſa loca Epiſcopos ex omni natione ſelectos, Eccleſiis præfecit. Quos omnes, & ſingulos Oldoinus in additionibus ad Ciaconium longo ordine enummerat. Tum Senarum Urbem, patriam ſuam, disjectis caſis, exornari amplis viis & ædificiis, ac muris cingi juſſit. His apud Senenſes peractis, Pius quarto Idus Septembris anni ejuſdem 1460. ab eis receſſit,& ſecunda itineris die Corſinianum pervenit: quo in loco graviter ægrotavit, humoribus ex capite deſcendentibus, ac pectus, brachia, pedes, totumque corpus adeò debilitantibus, ut nullam in partem, *Graviter ægrotat: reſtitutus Romam migrat, ubi Thomam Palæologum excipit.* niſi miniſtris adjutus, moveri poſſet, & morti proximus videretur: languit hoc modo diebus duodecim. Exinde ſanitati divina ope reſtitutus, Romam verſus diſceſſit, quam Urbem Nonis Octobris ingenti omnium lætitia ingreſſus, Thomam Palæologum Conſtantini ultimi Græcorum Imperatoris fratrem, à Turcis Imperio dejectum, & ad ſe confugientem benignè excepit, ac miſertus nobiliſſimi ſanguinis, manſionem ei in ædibus S.Spiritus non procul à Vaticano conſtituit, aſſignatis ei in ſumptus menſtruos trecentis aureis ex ærario Apoſtolico, quam ſummam Cardinales poſtmodum 200. aureis in ſingulos menſes auxêre. Quamplures tyrannos, Eccleſiæ Romanæ, ac ſummi Pontificis imperio inhiantes, cenſuris ac armis repreſſit: terras, Caſtella, & oppida hoſtibus ſurrepta ditioni Pontificiæ recuperavit. *Sacra interdicit duobus Sigiſmundis.* Sacris publicè interdixit duobus Sigiſmundis, Auſtriaco ſcilicet propter vim Cardinali Cuſano illatam (ut pluribus oſtendimus in Purpura docta *lib. 3. n. 26.* & Malateſtæ, qui cenſus Romanæ Eccleſiæ debitos diſſolvere negavit.

Ad evitandos verò Solis calores (ardere enim jam cœperat fervente menſe Julio) Tibure reliquum æſtatis agere ſtatuit Pius: ut *Tibure Turres ædificat.* autem cives Tiburtinos, qui Picinino favebant, in officio & fide contineret, in ſublimiori illius Urbis loco duas inſignes Turres, Caſtelli ſpeciem habentes, erexit, quas foſſa lata atque profunda circumdedit, atque in illis ciſternas duas effodit, quarum portas marmoribus adornavit, iiſque hos verſus inſcribi juſſit.

Grata bonis, invisa malis, inimica ſuperbis
Sum Tibi; Tibur enim ſic PIUS inſtituit.

Opus hoc quamvis multi laboris & magni ſumptûs eſſet, uno tamen anno ſua ſedulitate abſolvit: eaque in Urbe, audita Caroli *Carolo Regi exequias celebrat.* Francorum Regis morte, exequias ei non ſine lacrymis celebravit. Deinde exacta jam æſtate invitatus à Joanne S. Sixti Cardinale ad Monaſterium Sublacenſe proficiſcitur; & Pridie Nonas Octobris Romam ingreſſus, ſalutatis in Baſilica S. Petri beatorum Apoſtolorum

rum cineribus, in Vaticanum palatium ſe recepit, cùm non tres menſes integros ab Urbe abfuiſſet. Ibi Carlottam Cypri Reginam Ludovici Sabaudiæ Ducis uxorem benigniſſimè excepit. Erat Regina hæc quatuor & viginti annos nata, ſtatura mediocri, lætis oculis, vultu venuſto, facie inter fuſcam & pallidam, ſermone blando, & Græcorum more, torrenti ſimile, veſtitu eleganti, moribus, qui regio ſanguini convenirent. In primo congreſſu, exoſculatis Pii pedibus, pauca admodùm locuta eſt; verùm poſtridie iterum in conſpectum admiſſa, conceptum dolorem his verbis aperuit.

Carlottam Cypri Reginã profugam recipit.

Infelices Regiæ domûs meæ caſus, non te arbitror, Maxime Pontifex, ignorare: nam quæ regio in terris noſtris non plena laboris eſt? quis neſciat Cypriorum ærumnas, & miſeram Regni ſortem? Bis ego infelix nupſi: virum quem duxi ex Portugallia, repentina & immatura mors abſtulit; quem accerſivi ex Sabaudia Ludovicum, obſeſſum ab hoſte reliqui, liber an captus ſit? ignoro: unicam ex matrimonio filiam in ſpem Regni me parentes educaverunt. Succeſſi patri, & Reginæ nomen paterno jure adepta, cum viro cœpi regnare. Frater extra matrimonium natus (ſi frater eſt, qui ſanguinem ſuum perſequitur) auxiliis ab Ægypto quæſitis hæreditatem meam invadit, Regnum occupat, me atque virum meum ad necem quærit. Unicum nobis refugium apud Cerines ſervatum eſt; illic cruentas evaſimus infeſti fratris manus. Inſulam reliquam, præter Auguſti fanum, & Coloſſum, hoſtes tenent; at qui hoſtes? Chriſtianos fortaſſè, aut aliquos religionis amicos adverſari nobis exiſtimas? pone hanc opinionem, cum inimicis Crucis Chriſti bellum gerimus. Ægyptii Cyprum tenent noſtræ religionis hoſtes infenſiſſimi, Mahumetanæ infamiæ ſectatores; his data libertas eſt, quos velint ex Regno pueros aſportare; Templa Dei noſtri deſtruere, Mahumetanos ritus inſerere: frater meus pſeudo-Chriſtianus fœdiſſimo juramento Soldano ſe adſtrinxit, ut Regno mihi extorto potiretur: verùm longè deceptus eſt, penes eum nomen Regis, penes admiralium Soldani poteſtas erit. Conata ſum quoad potui, mihi & Chriſto Regnum ſervare; vicit Mahumetes: expulſi ambo ſumus: ſpes modica apud Cerines viro reſtat, ſi manet adhuc: ego, dum ad te navigo auxilium petitura, Venetorum naves incurro, quarum Gubernatores cunctis me bonis excuſſerunt, vix unica retenta veſte, & commeatu modico adſum navigare permiſſa: Regno dejecta, inops, & nuda prorſus, ad te confugi: ſubveni oro bis viduæ, miſerere regii ſanguinis, miſerere infelicis Regni, ne prorſus ab orthodoxa fide recedat, ne pro Chriſtianis ſubeant hoſtes Ægyptii. Tu Pater religionis es, ac Magiſter fidei; Te decet in primis curare, ne Chriſtianus cultus imminuatur: ſi perit Cyprus, peribit & Rhodus, nec Creta ſalvabitur; ad Siciliam uſque, & ipſa Italiæ litora Barbarorum claſſes enavigabunt: ab Ægypto, ab Africa, à Syria, Aſia, & Græcia timendum erit Italiæ, niſi occurris in tempore, niſi priùs ſubvenis, quàm Orientis Inſulæ hoſtium fiant: Mihi, ſi opem tuleris, non deeſt animus paternum recuperare Regnum, brevi parva manus Occidentalium militum victoriam dabit: non ſunt Ægyptii, qui vires Occidentalium ferant, nec ego ex te omne auxilium flagito: ad ſocerum pergere inſtitui, & amitam, ſocrum, & propinquos Galliæ Reges; inde, ut ſpero, quantum ſat fuerit exercitus cogam. Tu mihi triticum dato, & vinum, quod obſeſſis afferam; ſed neque, niſi adjuves, in Sabaudiam ire poſſum; tempeſtatibus agitata nequeo ferre ampliùs mare, neque in navibus eſt quod edam, terrâ quoque mihi iter clauſum, nec equos habenti nec argentum: in tua ſum manu, Pontifex, pereo, ni porrigis manum. Atque his dictis illacrymata ſubticuit,

Reginæ ad Pium Oratio.

Tum

Pii Papa Reſponſio. Tum Pius Pontifex; *Pone*, inquit, *lacrymas, filia, atque confide: non te deſeremus: nota tua nobilitas, & tua calamitas Nobis eſt: indigna patru, fatemur, at non inſolita: inſtabile Regni ſolium eſt; nulla potentia longa: hos erigi, illos deprimi Deus permittit, & nunc in tuo genere thronum tuum fratri dedit, te in exilium miſit: tui ſoceri, ut arbitramur, & tui viri peccata luis. Socer rogatus in Conventu Mantuano ea pro defenſione fidei adverſus Turcas promittere, qua reliqui Italia Principes pollicerentur, nullo pacto perſuaderi potuit, ut vel minimi auxilii ſpem faceret. Vir tuus Ludovicus, cùm ad te navigavit, haud quaquam dignatus eſt ad Nos uſque Mantuam proficiſci, quod ſibi erat facillimum per Padum ad oſtia Mincii evecto: contempſere Nos ambo pater & filius, propter quam rem diximus inter Cardinales, contemnit Eccleſiam Sabaudia domus, nec religioni dignatur polliceri opem: hic adoleſcens, qui modo in Cyprum navigat, pœnas dabit: dotale Regnum poſſeſſurum ſe exiſtimat, fallitur, ejicietur, utinam manus hoſtiles evadat: pater ejus, qui Nobis auxilia adverſus Turcas negavit, ad Nos ſupplex veniet filio rogaturus opem: faxit Deus, ut Nos opitulari poſſimus: evenêre prædicta, utinam falſum fuiſſet, quod tunc expreſſimus: placuit Deo contumaciam plectere, & Sabaudienſis, & tua domûs: quoties mater tua, nôſti, Apoſtolica Sedis mandata contempſit? portant filii peccata parentum; nemo ſine cauſa miſer eſt. Deus his caſibus te probat, filia, in eo ſpera, & ipſe te liberabit: horridam tempeſtatem placita ſerenitas ſequitur, in quiete finitur labor: quacunque poſtulaſti ex Nobis feres; equos dabimus, quibus ad ſocerum pergas, & ſumptus itineris, frumentumq; & vinum in Ancona rediens paratum invenies, quod navibus ad obſeſſos vehas; exercitum ipſa in Sabaudia, & in Gallia coges; quo Regnum vendices.*

Regina tendit in Sabaudiam. Regina dictis pro benigno reſponſo Pontifici gratiis, manſit Romæ diebus circiter decem, donec Baſilicas Martyrum præcipuas viſit; & adlocuta Pontificem quater aut quinquies, impetratis, quas voluit pro ſe, ſuiſque comitibus, gratiis, itineri ſe commiſit. Pontifex ſingulos Cardinales, ſingulos ei elargiri equos juſſit, & ad numerum uſque neceſſarium ipſe ſupplevit, diſpenſatoremque addidit, qui ſumptus itineris miniſtraret, etiam extra Terras Eccleſiæ, ſi neceſſitas ingrueret: comitatus ejus equitum circiter quinquaginta fuit, quem Senenſes, Pontificis exemplum ſecuti, per ſuos fines abundè pararunt: idem fecêre Florentini, Bononienſes, & deinde reliqui, per quorum Provincias uſque in Sabaudiam ventum eſt.

S. Andreæ caput in Vaticano collocat. Porrò S. Andreæ Apoſtoli Caput à Thoma Deſpoto ex Urbe Conſtantinopolitana Anconam, deinde à Pii miniſtris Romam delatum, ſummo honore, ac pompa apud pontem Milvium excepit, & in Vaticano ſuis manibus collocavit. Extat inſignis oratio apud Oldoinum, & alios, qua Pius venerandum Apoſtoli caput in Vaticano, præſente populo, allocutus ſalutavit. *S. Catharinã Senenſem inter ſanctas Virgines refert.* Catharinam Senenſem, miræ ſanctitatis & eloquentiæ Virginem, immortali gloria & elogio dignam, inter Sanctas retulit Romæ III. Kal. Maij anno 1461. Corſinianum (ubi ortus Pius tenellæ ætatis rudimenta peregit) muris cinxit, atque ædificiis auxit; in eoque Deiparæ Virgini in cœlum aſſumptæ Templum conſecratum conſtruxit, quod novæ Urbi (*Pientia* ab ipſo auctore dicta) pro Cathedrali ſeu Epiſcopali eſſet. *Pientiam condit & ornat.* Magnificum ſepulchrum è candido marmore, paternis maternisque

oſſibus

oſſibus recipiendis, Senis in Templo S. Franciſci condidit, hocque diſticho à ſe compoſito exornavit: *Oſſa parentum colit.*

Sylvius *hic jaceo, conjux* Victoria *mecum eſt:*
Filius hoc clauſit marmore Papa Pius.

Georgium Poggebracium Bohemiæ Regem, in Huſſitarum hæreſi natum & altum, in eaque ab hæreſiarcha Rockizana confirmatum, poſt hæreſis abjurationem, ad inſanam mentem reverſum, ſolio dejecit; ad Imperatorem, & ad illum datis litteris, omnem movit lapidem, ut reſipiſceret: ſed in caſſum: quare Vratislavienſes ab illius obedientia exemit; eumque Regem eſſe non poſſe, neque illi ut Regi obediendum, qui ſe ab Eccleſia ſponte ſua præſciderat, declaravit. Vide litteras *Cogit Nos &c.* apud Cochlæum *lib. 12.* Hiſtoriæ Huſſitarum. Ilcinum, quod eſt oppidum ſupra celſiſſimam collem in Hetruria poſitum, Epiſcopali dignitate, & Civitatis nomine donavit. Sunt innumera alia pietatis, & auctoritatis monumenta, è Pio, dum Eccleſiæ præfuit, edita, quæ quia à Campano, Platina, Ciaconio, Victorello, Oldoino, & aliis ſingillatim referuntur, hic repetenda non judicamus. At piiſſimum Pii Pontificis vitæ exitum fuſiùs deſcribere ad lectoris oblectamentum, & eruditionem non detrectamus. *Georgium Poggebraciū relapſum regno privatū declarat.* *Ilcinum oppidum Epiſcopali dignitate exornat.*

Annus agebatur 1463. quando Matthiæ Regis Hungariæ Legati Pontificem pro obtinendo adverſus Turcas auxilio oratum venerant: vires enim Regnum Hungariæ non habere affirmabant ad repellenda Turcorum arma ſine exterorum ſubſidio: orare igitur Pontificem, ut opem rebus afflictis afferat, ac ſimul reliquos Chriſtianos hortetur, ne Chriſtianæ religionis murum expugnari ſinant. Murum eſſe Chriſtiani nominis Hungariam aſſerebant, quo ſemel perfracto, facilè pateret in omnes Chriſtianorum Provincias iter: occurrendum priùs, quàm porta hoſtibus pateret. Pius collaudatâ Hungarorum conſtantiâ, qui annos jam octoginta cum Turcis pro religione certaverant, ſtipendia pro decem pugnatorum millibus miſſurum ſe Regi in annum præſentem pollicetur, in ſequentem verò, præter aurum & decimas, Principum inſuper proximorum fœdus & aſſiſtentiam. *Hungaris auxilium adverſus Turcas pollicetur.*

Interim Veneti apertum Turcis bellum indixerant; atque in hunc finem fœdus cum Pontifice, & Duce Burgundiæ inierant. Bellum totis viribus omnes contra Turcas in unum, duos, treſvè annos, ſi ſic res poſceret, geſturos ſe promiſerant ea conditione, ut ſine Sociis nulli liceret à bello ſemel decreto diſcedere: & addiderat Pontifex ſe veniente Philippo Duce Burgundiæ ad Italicas oras, cum eo in Græciam profecturum. Simile fœdus & Matthias Rex Hungariæ cum Venetis pepigit. Quare Pius Cruce in Turcas propoſita, ad XIV. Kalendas Julii anno 1464. in Baſilicam Principis Apoſtolorum deſcendit, ibique ſacris ſolemnibus pro ſecundo rerum ſucceſſu operatus, Româ egreſſus eſt, Patribus & populo lecticam ejus ſequentibus: ad pontem Milvium ſubſiſtens dimiſit à ſe omnes, iis tantùm retentis, qui ſecum erant ituri. Cymbam inde conſcendens ad levandam terreſtris itineris incommoditatem, per adverſum Ty- *Fœdus init contra Turcas.* *Româ diſcedit.*

berim ad Caſtellum Jubilæum decimo ab Urbe milliario pervenit: pranſus eo die in cymba eſt, cœnavit, & quievit nocte illa. Poſtridie ante ſolis ortum inde abeuntes Phianum acceſſit, cœnatum quoque ea die, & pernoctatum in flumine: Die, quæ ſecuta eſt, pervenit ad Cœnobium Divi Benedicti poſitum ad radices montis Soractis. A Cœnobio ad portum Ocriculi, inde Narniam, deinde Interamnam terreſtri itinere contendit; mox continuato itinere, ad medium ferè Julium non ſine incommodo Anconam denique attigit. Qua in Urbe jam ſenex itinere fatigatus in morbum incidit lethalem, & cùm horam ſuam ille intelligeret, qua reddendus Domino ſpiritus erat, convocari fratres in cubiculum jubet, atque his ingreſſis, etſi ad loquendum jam invalidus eſſet, tamen interruptis vocibus, *Fratres*, inquit, *dilectiſſimi, videtis quò adductus ſum: hora nempè mea jam venit: Deus hinc Nos evocat: morimur in fide Catholica, in qua & viximus, nil habentes à Romana Sede diverſum. Pro ovibus creditis egimus in hanc diem, quod potuimus; non pepercimus laboribus ullis, atque periculis: his caput noſtrum obtulimus ad communem ſalutem; perficere, quod ultimum cœpi, poteſtas ultra non eſt; reliqua veſtra ſunt: curate vos opus Dei, nec ſinite per negligentiam labi Chriſtiana fidei cauſam: ideo vocati in Eccleſiam eſtis, ut ſuis temporibus illi opem feratis: mementote officii veſtri, & Deum attendite, qui contemplator eſt omnium, retributq; ſecundùm opera noſtra. Fideli miniſterio & crevit, & progreſſa eſt dignitas veſtra, utique per fidele miniſterium eſt & retinenda; quærentes quæ veſtra ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, illam retinere diù haud quaquam poteſtis. Sumite quoque ex hac hora communis Patrimonii curam, & videte, ne detrimentum accipiat: ſtudium hoc omne, Patre decedente, filiorum eſſe oportet, Noſtrum, dum licuit, fuit. Porrò autem, Fratres, in Cardinalatu Noſtro antè, pòſt in Præſulatu, ad quem Nos elegiſtis, converſati vobiſcum annos plures ſumus, converſatio noſtra ſine peccato eſſe non potuit: ex carne enim ſumus. Offenſus nimirum aliquando Deus eſt, offenſa & charitas veſtra: pro iis, quæ in Deum peccavimus, ipſe qui pius, qui omnipotens eſt, noſtri miſericordiam habeat: pro iis verò, quæ in vos, rogamus, Dilectiſſimi noſtri, ut placatis animis, morienti ſit venia. Eos autem, qui vel famulati ſunt Nobis, vel noſtri ſunt generis, ſi ſe dignos præſtiterint, commendatos habete. Valete jam: pax Dei, & cæleſtis gratia vobiſcum ſit.*

Ancona ægrotat.

Morituri ad Patres Oratio.

His ægrè, & cum lacrymis enunciatis, tantus ſubitò Patrum, qui lectulum circumſtabant, coortus eſt fletus, ut diù præ gemitu loqui verbum non poſſent, atque ora ſingulorum lacrymantia cernerentur. Tandem Baſſarion Cardinalium primus, collecto pauliſper animo, pro omnibus verba fecit: Indoluit caſum, in quem erat adductus, non ſui tantùm causâ, quem lacrymabile erat deficere, ſed magis Chriſtiani populi, qui tantum ſalutis auctorem amitteret. Laudavit Pontificem, & præclara ejus in Præſulatu opera, agens identidem gratias, quòd etiam ſuprema hora ſalutaribus monitis communem rem adjuvaret. Orare ſe Deum Patrem miſericordiam, dixit, ut ſic affecto, & jacenti ſalutem tribueret: verùm ſi propter peccata populi eſſet migrandum, manſura nihilominus in animis omnium ſancta ejus præcepta, ac daturos operam filios, ut nec publicæ Chriſtianorum res, nec privatæ Romanæ Eccleſiæ detrimentum acciperent. Quam autem veniam popoſciſſet, humili-

Baſſarion Patrum nomine reſpondet.

militate ſuæ, non erratorum eſſe confeſſionem. Benignè omnes,atque indulgenter habitos ſemper, nec querelam adverſus eum extare ullam: ſuorum quoque, quos commendâſſet, gratam apud omnes futuram memoriam dixit, docens quàm charus eſſe deberet vel ſanguis, vel contubernium ejus, qui tam benè de Chriſtianis, de Eccleſia, & de ſanctâ Sede meritus eſſet. Poſtulare autem ſingulos fratrum, ut poſtremum acpium benedictionis ſuæ munus manſuris relinqueret. Tum Pontifex manu è paleis, in quibus jacebat, paululùm elevatâ, oſculandam eam omnibus præbuit, flens ipſe, & flentes alios intuens. Cardinales manu apprehenſa, atque ante lectum procumbentes, ſingillatim veniam precabantur, ac ſupremum piiſſimi Patris oſculum triſti vultu excipiebant: quibus ille; *Miſericors vobis ignoſcat Deus, & ſpiritum rectum confirmet in vobis*, ac ſimul benedicens fratribus, eos à ſe dimiſit.

Biduo antè admonitus à Medicis, in omnem vitæ vel obitûs caſum, habendam ſupremam rationem animæ eſſe, ſacram Synaxim, quam ſolemnioribus ſemper diebus valens ſumebat, etiam tunc magna mentis religione accepit, tundens pectus ad ſingula verba, & flens, & ſe peccatorem confitens indignum communicatione tanti myſterii. Repetere illud Sacramentum mane ſequentis diei optabat in ampliorem animæ ſalutem, & in honorem beatiſſimæ Virginis, cujus Aſſumptionem ſciebat inſtare: hanc enim ab adoleſcentia ſua in ſenium uſque peculiari quadam pietate coluerat, atque ducem omnium ſuarum actionum, vitæ, mortiſque delegerat. Cum Cardinali Papienſi aliquando familiariùs loquens, eidemque anteactæ ætatis curſum recenſens: *Scito* (inquiebat) *me ex quò ſemel huic ſanctiſſimæ Matri seriò me devovi, ab epidemia ſemel, à lethalibus languoribus ſæpè, ex manifeſtis vitæ periculis ſæpiſſimè ereptum fuiſſe; ut meritò omnem Vitæ, dignitatis, & rerum ſucceſſum huic uni poſt Deum debeam.* Atque hæc ipſa cauſa fuit, quòd Templum mirifici operis à fundamentis extructum Pientiæ, ac ſuis manibus conſecratum Virgini Matri gratus dicaverit. Solamen ergo hoc animi præcipuum expectabat, ut intra cubiculum ſolemne ſacrum cantari audiret, ac tanquam ſupremum Vale, in religionis miniſterio cum fratribus ageret. Optabat autem, ſicuti mos erat, per Cardinalem id fieri, & Cardinalem Papienſem delegerat, qui his divinis operatus, confectum Domini ſacramentum rurſus porrigeret: inſtituerat etiam ut Patres adeſſent reliqui, veterique inſtituto ſervarentur cætera. Comparatis igitur omnibus ad hæc peragenda, ecce inclinante jam ſole, inclinare & ipſe admodùm cœpit, ut proximè abeſſe à morte judicaretur. Confeſtim itaque ſacramenta reliqua perſolvuntur morientibus debita: nox ad primam uſque horam proceſſerat: Cardinales, qui eò convenerant, ædes quiſque ſuas repetierant: ſolus remanſerat Cardinalis Papienſis, volens quam Patri debebat pietatem etiam extremâ horâ perſolvere: ſecum erant tres Præſules ex Pontificis familia, & ex ſorore filius Andreas, ac Lollius conſobrinus frater, cæterique ad interius miniſterium deputati famuli. Circumſtabant omnes deficientem ſenem lacrymantes & mœſti: ille in Papienſem oculos vertens, innuit ut propiùs accederet: acceſſit

Ejus amor in beatam Virginem.

Templum Pientiæ magnificum B. Virgini conſtruit & dedicat.

Piiſſimus Pii morientis exitus.

ſtatim

tim. Tum voce jam conſumpta, quæ auribus admotis vix percipi poterat: *Ora*, inquit, *pro me fili, peccator enim ſum*; ſimulque ad Crucem converſus, quæ collocata ante oculos erat, non ſine ſuſpiriis iterabat; *Miſerere mei Deus, miſerere mei! & tu Mater Virgo ſanctiſſima ſervum deficientem ne deſeras; & per miſericordiam Filii tui ſuſcipe animam excedentem.* Paulò pòſt rurſus in Cardinalem Papienſem dirigens oculos; *Continuationem*, inquit, *ſancta expeditionis memora fratribus, & tu adjuva quoad potes: appropinquant ſupplicia, ſi Dei opus deſeritis.* Cùm reſpondere præ gemitu Cardinalis non poſſet, dextram manum, quæ elevata in cubitum erat, dimittens ſuper collum ejus, *Benefac*, inquit, *fili, & orationem offer pro me Deo, ut propitius ſit atque pius migranti ad ſe Pio.* Hæc ultima morientis verba fuère: loqui enim ob flegma profluens, quo pectus & fauces obruebantur, ampliùs non valuit: legebantur interim ſine intermiſſione precationes Eccleſiæ, quibus expiari decedentium animæ ſolent, ipſe verò, donec excederet, ad audiendum attentiſſimus erat. Ut hora noctis tertia inſonuit, tanta quiete, inter preces & gemitus adſtantium, expiatam Deo animam reddidit, ut connivere, non mori eum putares, atque adeò ſine ullo mortis ſenſu excedere. Expiravit placidè in Domino XIX. Kalend. Septembris anno ſalutis 1464. ipſa nocte vigiliæ Aſſumptionis beatiſſimæ Virginis, anno Pontificatus ſui ſexto, ætatis quinquageſimo octavo: viſceribus ibidem Anconæ in Eccleſia S. Cyriaci humatis: corpus Romam relatum conditum eſt ſepulchro marmoreo in Baſilicæ S Petri ſacello, ubi ipſe Caput ſancti Andreæ Apoſtoli depoſuerat. Eadem die, atque hora, qua Pius Pontifex Maximus Anconæ deceſſerat, Amonæ in Hetruria Camaldi, quod eſt in Appennini jugo, B. Petrus Zelandrinus Teutonicus, victu aſpero, ſex & quadraginta annos intra ſacelli clauſtra emaceratus, atque inter Cœnobitas miraculis clarus, egreſſus ad limen primum veſtibuli, videre ſe exclamavit magnum Sacerdotem corona triplici, ac candido amictu conſpicuum deferri in cœlum, comitantium Virginum cœtu, & nubecula ſeptum. Attonitis, qui aderant, & quid eſſet conjicientibus, quarto pòſt die, quantum itineris Anconâ diſtat Amona, nuncius de morte Pii affertur, tempore, & habitu convenientibus. Tractu temporis Pii corpus è Vaticana Eccleſia translatum eſt ad Baſilicam Divi Andreæ Patrum Theatinorum *de Valle* nuncupatum, ubi in nobili monumento ſequens Epitaphium marmori inſcriptum legitur.

Exſpirat placidiſſimè.

Eremita videt Pii animam cœlum petentem.

PIUS II. PONT. MAX. NATIONE TUSCUS

Ejus Epitaphium.

Patria Senenſis, Gente Picolominea, ſedit annos ſex, Auguſta in anguſto Pontificatu gloria: Conventum Chriſtianorum Mantuæ pro fide habuit: oppugnatoribus Romana Sedis intra atque extra Italiam viriliter reſtitit: Catharinam Senenſem inter Sanctas Chriſti retulit: in Gallia Pragmaticam abrogavit: Ferdinandum Aragonenſem in Regnum Siciliæ cis fretum reſtituit: Rem Eccleſiæ auxit: Fodinas inventi tum primum aluminis apud Tolfam inſtituit: cultor juſtitiæ & Religionis, elo-

quio

quio admirabilis, parata Claſſe, ac Venetorum Duce cum ſuo Senatu Commilitonibus Chriſti habitis, in bello Turcis indicto Ancona deceſſit: ex Patrum Decreto in Urbem relatus in Baſilica S. Petri Anno 1464. conditur: tum relicto ibidem Capite S. Andreæ Apoſtoli, ubi ad ſe ex Peloponneſo advectum collocarat, Alexandri Peretti Card. Montalti pietate huc cum Pio III. nepotis oſſibus ſummo translatus honore, hic honorificè tumulatur Kalend. Febr. Anno 1623.

Aliud Pio II. Epitaphium inſcripſit Joannes Antonius Campanus Epiſcopus Aretinus, ejus coætaneus, lectu digniſſimum, & eſt tale. *Epitaphium à Campano eidem ſcriptum.*

Eſſe hoc in tumulo PIUM ſecundum
Ne tu crede: PIUS petivit aſtra:
Terris gloria Nominis vagatur,
Præterquam oſſa nihil reliquit urna.

Hic tanto Præſuli exitus fuit: atque hic labores omnes athleta fortis abſolvit: incertum morte ne, an vita felicior? qui ad ſummum Pontificatum virtutis ſuffragio perveniens, religionis & ingenii æternam gloriam conſecutus, mortem ſic nactus eſt; qua ſi humana attendimus, nulla amplioris meriti contingere poterat. Mortuus pro veritate eſt, & pro redemptione plebis oppreſſæ, offerens ſe ipſum hoſtiam Deo, ac relinquens Sacerdotibus exemplum, quales eſſe pro ſuis ovibus debeant. Martyrium autem penè quotidianum paſſus eſt à die quo Burgurdorum Dux Philippus miſſis Oratoribus venturum ſe ad bellum, ac ſancti operis ſocium ſe futrum promiſit. Subitò enim in omnem partem curam impertiens, plurimum laboris tulit; non remittens ad contrahenda neceſſaria ne tempus quidem nocturnum quietis. Dividebat per ſingulas horas cuique opus ſuum rerum providendarum, perire huic cauſæ exiſtimans quidquid eſſet momenti aliis impertitum. Cognoſcebat quoque operoſam molem impoſitam humeris ſuis, ſub qua eſſet cadendum, niſi omni ſtudio difficultates undique ingruentes ſuperaret. Aſſidua hæc animi ſollicitudo labefactavit ægram alioquin valetudinem ſenis, dum nec de alio cogitare, nec quietem capere, nec cibum ſine cura ſumere poſſet. Comparatis denique omnibus jucunda ſpes advenientis Ducis, quæ ſola ſpiritum ſuſtentabat, ubi defecit, mirum dictu eſt quantum non animo ſolùm, ſed totis viribus eſt conſternatus. Judicabat, quod re vera ſapientes videbant, illo non veniente maximam incœpti partem abrumpi, & promiſſos Orbi Chriſtiano fructus detrimentis maximis retardari. Acceſſerant prætereà duæ dolorum faces, quæ animum incendebant ad complenda incœpta ſedulò properantem: altera, quòd ab eis lentè ac frigidè adminiſtrari omnia ſentiebat, qui vel pecuniam pendere, vel armatum militem mittere, vel triremes ad bellum inſtruere ſtipendiis ſuis promiſerant: altera, quòd Anconam proficiſcens catervas regredientium Crueeſignatorum quotidie habebat obvias, inermes, ac vacuas pecuniis, qui lege Decreti non obſer-

Auctor actiones Pii recenſet.

Ingentibus curis afficitur, & quare

obſervata, temerè iter erant ingreſſi; ii verò ad ſuos redeuntes, ut inconſulti ſui motûs culpam tegerent, accuſaturi Romanum Pontificem videbantur: tot ſingulis ferè horis infigebantur cordi vulnera, quot catervas hujuſmodi obvias habebat.

Elogium Pii ex aliis requirendum.

Publicè igitur Chriſtianorum cauſæ nunquam defuit, & ſperans in Domino, ſupra vires animum geſſit. Fuit vir ferè magnus, cujus meritiſſimas laudes cuncti celebrant, & ſi quis plura de eo, quàm quæ hic nos retulimus, quæſierit, Antonium Campanum, Platinam, Gobellinum, Cardinalem Papienſem, Ciaconium, Oldoinum, Victorellum, aliosque adeat, qui omnes conſcriptis ejus actibus jucundam præclari viri memoriam ubertim ingerunt. Satis Pium laudaſſe putamus Cardinalem Papienſem, cùm brevem ad Collegas de digno ei ſucceſſore eligendo ſermonem habens, ſcriptum reliquit: *Præclaræ virtutis Antiſtitem fuiſſe; enituiſſe in eo ſummam religionem, ſummam vitæ integritatem, ſingulare ingenium, doctrinam ingentem, humanitatem eximiam, exitum vitæ ſanctum.*

Imago Pii Pontificis.

Fuit Pius ſtatura brevi, capite ante ætatem cano, facie ſubcandida, & annis ſeniore; oculis lætis quidem, ſed tamen iram, ac ſeveritatem aliquam, quamvis humanitate conditam, oſtendentibus: &, ut quæ de eo uberiùs dici poſſent, in pauciora contraham, laboris, & inediæ ſupra modum patiens eſt habitus: robuſto quidem corpore, at quod longæ & laborioſæ peregrinationes, frequentesque vigiliæ, quæ carnes tabefaciunt, attriverant: contracti liquidem inde morbi ei familiariſſimi, tuſſis, calculus, & podagra, quibus perſæpè ita cruciabatur, ut præter unicam vocem, nihil ei, quare vivus dici poſſet, relictum videretur: ideò Aſtrologas ſe manus, aut pedes habere jocabatur, quòd nubilum tempus inſtante tumore prædicerent.

Jocatur inter Corporis dolores.

Circa cultum corporis, neque negligens, neque moroſus fuit: perfacilis aditu, etiam dum ægrotaret: verborum parcus: invitus petita negavit: mendaces, & delatores odio habuit: iram facilè collegit, collectam facillimè repreſſit: laceſſentibus eum convitiis, & dictis petulantioribus conſtanter ignovit, niſi Sedi Apoſtolicæ facta eſſet injuria, cujus dignitatem adeò fortiter tutatus eſt, ut ejus causâ magnorum Regum, ac Principum graves inimicitias ſubierit.

Apoſtolicæ Dignitatis vindex acerrimus.

Erga domeſticos mira comitate & facilitate utebatur, nam quem vel inſcitia, vel ignavia deliquiſſe deprehendiſſet, paterna charitate admonebat: malè de ſe opinantes, vel loquentes coërcuit nunquam, liberè enim in libera civitate loqui omnes volebat: conquerenti neſcio cui apud eum, quòd innocenter malè audiret, reſpondit; *De me quoque, qui malè ſentiant, ſi in Campum floræ proficiſcaris, multos audies.*

Obtrectatores ſpernit.

Frugalis in victu.

Mediocri cibo utebatur, non exquiſito, nec lauto, ſed fortuito; neque edulia niſi perraro expetiit: quod ultrò apponebatur, hoc edebat; cùm animum aliò avocatum ſemper haberet ad litteras, aut ad res gerendas, vixque de eſca niſi probè famelicus cogitaret: quamobrem coquos, & ſalſamenta exoſus, & omnia gulæ irritamenta, quæ tanto ſtudio conſectari plurimi hominum, & præcipuè Magnates ſolent.

Fontium nemorumque amator.

Ad fontes plerumque, & ad nemora, quorum ſeceſſu mirè capiebatur, (haud dubie quia Muſis amica, & Nympharum domicilium) non apparatu Pon-

tificio, ſed humili, ac propè ruſticano eſt uſus, raroque niſi per hyemem prandebat, aut ſpaciabatur ſub alio quàm cœli tecto. Vini item parciſſimus: hilaris tamen atque feſtivus in quotidiano ſermone & colloquio. Nequaquam ſolus comedere ſolebat, ſed vel Spoletanum, vel Theanenſem, vel Papienſem, Cardinales à ſe creatos, ſibique cum primis charos, & alios viros probos ac eruditos menſæ ſuæ honore dignatus, in convivas adhibebat: multus illi inter elitandum ſermo de Chriſtiana republica fovenda, de amplificando Dei cultu, de corruptis hominum moribus emendandis, de ſtudiis bonarum artium provehendis, de iis etiam, quæ quilibet eorum, vel legendo, vel audiendo didiciſſet, vel noviter elucubrando edidiſſet; hoc repetebat, recitabatque: inde arrepta dicendi occaſione, ſuos ad virtutem hortabatur, aut à vitiis deterrebat, cùm eorum memoriam refricaret, qui ob res benè, vel malè geſtas laudem, aut vituperium; gloriam aut infamiam æternam eſſent conſecuti: ſales etiam, & jocos honeſtos eo tempore, quo negotiis vacuus eſſet, opportunè adhibebat, & in communi convictu extemporanea urbanitate permiſcebat, quorum nonnullos retulêre in ejus vita Campanus, & Platina, atque ex utroque Bzovius in Annalibus.

Doctorum virorum conſortio delectatur.

Ejus ſermones honeſti & utiles.

Verùm præcipuum ejus ſtudium fuit publicis incumbere muniis, quare aut cum Patribus conſulebat, aut dabat ſubſcriptionibus operam. Quæ duo munera, alternis diebus obiri ſolita, niſi cùm feriæ, aut ſolemnium dierum religio prohibuiſſent, nunquam intermiſit: ſubſcriptiones etiam extra ordinem, ut quaquà poſtulator occurreret, & in menſa, & in cubili ipſo faciebat: quin & in itinere ipſo, ubicunque ſubſediſſet, acciri poſtulatores jubebat, nec unquam ad umbram, aut fontem acceſſit ſine pugillaribus: ſecundùm conſultationes Patrum, aut ſubſcriptiones, primùm Oratores Principum, aut rerum publicarum curatores, deinde privati admittebantur; cumque aliquando unus è Cubiculariis hominem verboſiorem facere dicendi finem clàm ſubmonuiſſet, advertens id Pontifex repeti omnia juſſit, converſuſque ad Cubicularium irato ſimilis, *An neſcis*, inquit, *ex quo Pontificatum inivi, aliis me vivere oportere, non mihi?*

Reipublicæ ſemper ſtuduit.

Fortis & invictus animo fuit: nil Regibus, aut Principibus, metu vel avaritia umquam conceſſit: imò temerariæ cupiditati eorum, qui iniqua poſtularent, conſtanter reſtitit: nam & Borſio Mutinæ Duci, quamvis affinitate ſibi conjunctiſſimo, petita contra jus, & honorem Eccleſiæ negavit: idem fecit erga Geofridum Cardinalem Atrebatenſem, cui duas inſignes Eccleſias, alteram Metropoliticam Veſuntionum apud Burgundos, unde illi origo erat, alteram Albienſem apud Occitanos, ambienti, ſibique commendari poſtulanti, interpoſita etiam Regis interceſſione, & minis ni faveret, reſpondit: *Se nulli quocunque reſpectu duas Pontificales Eccleſias, niſi altera eſſet ex titulis Cardinalium, commiſſurum; quare unam ex illis, quam mallet eligeret, alteram ne ſperaret:* quo audito Geofredus vehementer indoluit, & quaſi contumeliâ tactus, ſua in Sedem Apoſtolicam beneficia ac merita commemorare cœpit: manſit tamen in ſententia Pontifex:

Animo invictus fuit.

Iniqua poſtulantibus reſiſtit.

tifex: Vide ſis vitam Geofredi in Purpura docta *lib. 3. n. 30.* Sigiſmundo pariter Auſtriæ Duci, (ut ſuprà diximus) quamquam inter illum & Pontificem magna interceſſiſſet amicitia, diem dixit, quòd Cardinalem Cuſanum, eundemque Brixienſem Antiſtitem cuſtodiri juſſiſſet; amicum falſus Ducem, ſed amiciorem profeſſus ipſam Eccleſiam, cujus fuerat immunitas violata. Similiter Sigiſmundum Malateſtam, cenſum Eccleſiæ negantem, & obloquentem religioni, atque ideò in jus vocatum, nec comparentem damnavit. Martialem præpotentem virum, ditionis Eccleſiaſticæ Præfectum, quod Virgini ſtuprum intuliſſe ferretur, Præfecturâ amovit, quamvis non conſtaret de crimine, ſubdens, *In ejuſmodi hominum genere, non tantùm crimen, ſed etiam ſuſpicionem criminis, abeſſe debere.* Inſtituit quatuor viros è Collegio Patrum, qui de luxuriæ coërcendæ modis conſulerent. Provocationem ad futurum Concilium temerè à nonnullis, uti diximus, introductam, ſevero Edicto ſuſtulit, dicens; *Sceleratorum eſſe perfugium eum Judicem petere, qui nuſquam eſſet.* Beneventanum Archiepiſcopum res novas molientem, ac Beneventum Gallis prodere conantem, officio & ſede removit. Franciſcum Copinum Præſulem Interamnenſem, plus auctoritatis, quàm ei à Sede ſancta conceſſum fuerat, in legatione Britannica uſurpantem, Epiſcopatu privavit. Non Reges, non Duces, non populos, non Tyrannos in ſe, aut in Eccleſiam delinquentes, bello, cenſuris, interdictis, execrationibus perſequi deſtitit, quouſque ad ſanitatem rediiſſe cognoviſſet. Tantum terroris quibuſdam Principibus, Italicis præſertim, incuſſit, ut officio & fide nihil antiquius ducerent. Ut verò hoſtes publicos conſtanter perſecutus eſt, ſic & amicos humaniſſimè juxtà ac officioſiſſimè fovit. Fridericum Rom. Imperatorem unicè dilexit, ſimiliter & Matthiam Hungarorum Regem, Ferdinandum Alphonſi filium, Philippum Burgundum, Franciſcum Sfortiam, & Ludovicum Gonzagam.

Principes viros in ordinem redegit.

Provocationē ad futurum Concilium edicto tollit.

Iniquos terret, amicos fovet.

SCRIPTA.

Ejus varia Scripta.

Eruditiſſimi hujus Pontificis Opera, quæ uſpiam haberi potuerunt, in lucem prodierunt Baſileæ Anno ſalutis 1551. Quorum Catalogus ſequens eſt:

De Geſtis Concilii Baſileenſis Commentariorum libri duo.
De Coronatione Felicis V. Antipapæ, lib. 1.
De Ortu, ex Hiſtoria Bohemorum lib. 1.
Abbreviationum Flavii Blondi Forolivienſis, ab inclinatione Imperii uſque ad tempora Joannis Papæ XXIII. lib. 20.
Coſmographiæ, vel de Mundo univerſo Hiſtoriarum lib. 1.
Europa, in qua ſui temporis Hiſtorias varias complectitur, libro 1.
Commentaria in libros 4. Antonii Panhormitæ de dictis ac factis Alphonſi Arragonum Regis.
In Triumphum Alphonſi Oratio.
In Alphonſum Arragoniæ Regem Oratio.

Epiſto-

Epiſtolarum Opus, in quo comprehenduntur, quæ à Trithemio annotantur, utpotè:

Quæſtionum variarum ſolutio. lib 1.

De Fortuna. lib. 1.

De Poëticæ laudibus. lib. 1.

De duobus Amantibus. lib. 1.

Contra Bohemos & Thaboritas de ſacra Communione ſub utraque ſpecie. lib. 1.

De Clade Conſtantinopolitana. lib. 1.

De Bello contra Turcas ſuſcipiendo. lib. 1.

De Clade univerſalis Eccleſiæ. lib. 1.

Deſcriptio Urbis Viennenſis. lib. 1.

De Miſeria Curialium. lib. 1.

De Rebus à ſe geſtis. lib. 1.

De Papæ Officio, & ejus Officialibus. lib. 1.

De Gravamine Germanicæ Nationis.

De Fide Chriſtianorum ad Turcam. lib. 1.

Oratio in Conventu Mantuano.

De Profectione in Turcas. lib. 1.

Ad Calliſtum III. Papam Oratio.

De amore Guiſcardi & Sigiſmundi Tancredi Salernitanorum Principis filiæ Tractatus, ab Ænea Sylvio ex vulgari in linguam Latinam converſus.

Speculum pudicitiæ, ſeu de Vindicta illatæ, violentiæ, quam de ſe extorſit Lucretia Romana. lib. 1.

In Salvatoris Noſtri laudem Carmen Saphicum.

De Liberorum educatione ad Ladislaum Bohemiæ & Ungariæ Regem. lib. 1.

De Grammatica ad eundem. lib. 1.

De Arte Rhetorica, & Epiſtolarum partibus ad Principem Badenſem, Archiepiſcopum Trevirenſem. lib. 2. Hactenus Catalogus Baſileenſis.

Platina verò, & ex eo Ciaconius, de ingenio & Operibus Pii hæc ſcribunt. Pius literarum ſtudia, etiam in ſummo rerum faſtigio poſitus, intermiſit nunquam. Adoleſcens & nondum ſacris initiatus Poëmata edidit laſciva magis & feſtiva, quàm preſſa & gravia: ſurgit tamen nonnunquam, & dum jocatur, mordacitate non caret. Extant ejus Epigrammata referta ſalibus. Ad tria millia variorum Verſuum panxiſſe dicitur, quorum pars magna Baſileæ periit. Orationi ſolutæ per reliquam vitam ſe totum dedit, magnitudine rerum invitatus. Delectatus eſt etiam mixto ſcribendi genere, & ad Philoſophandum aptiore. Libros in Dialogo edidit *De Poteſtate Concilii Baſileenſis: de Ortu Nili: de ſtudio venandi: de Fato: de Præſcientia Dei: de Hæreſi Bohemorum.* Reliquit etiam Dialogum imperfectum contra Turcas inchoatum, pro defenſione fidei Catholicæ. Epiſtolas digeſſit in tempora: & quas profanus, quas ſacris initiatus, quas Antiſtes, quas Pontifex maximus ſcripſerit, voluminibus ſeparat. His Reges, Nationes, Civitates, Principes, atque omne genus hominum ad arma incendit. Extat ejus Epiſtola *ad* *Platina de Pio judicium*

Turcum, qua hominem adhortatur, ut poſthabita Mahometana perfidia veram Chriſti religionem ſequatur. Libellum edidit *de miſeria Aulicorum.* Scripſit etiam de Inſtitutione artis Grammaticæ ad Ladislaum adoleſcentem Ungarorum Regem. Orationes circiter duas triginta habuit, ad pacem Regum, ad concordiam Principum, ad tranquillitatem nationum, ad defenſionem Religionis, ad quietem totius Orbis Chriſtiani ſpectantes. Bohemicam perfecit: Auſtralem imperfectam reliquit. Aggreſſus eſt etiam Hiſtoriam rerum ubique locorum ſua ætate geſtarum, quam tamen negotiorum mole oppreſſus imperfectam reliquit. Commentariorum de rebus à ſe geſtis libros duodecim ſcripſit, tertium decimum inchoavit. Scribendi genus lene eſt & temperatum. Conciones habet ſplendidas & rei accommodatas. Movet affectus, ac eos denique ſedat. Candorem & ornatum orationis nunquam intermittit: deſcribit appoſitè ſitus & flumina: varios pro tempore ſumit eloquentiæ vultus: cognitionem rerum antiquarum non ommittit: nullius oppidi occurrit mentio, cujus originem non repetat, ſitum non notet. Qui Duces, qua ætate floruerint, diligentiſſimè perſcribit. Sententias in Proverbii modum reliquit multas, quarum partem aliquam, quia ad inſtitutionem humanæ vitæ pertinent, ſubjungam: Dicebat igitur.

Ejus præclara Sententia.

Divinam Naturam credendo meliùs, quàm diſputando intelligi & apprehendi poſſe.

Chriſtianam fidem, etiam ſi miraculis non eſſet approbata, honeſtate ſua recipi debuiſſe.

Unius Divinitatis tres eſſe Perſonas, non qua ratione probetur, ſed à quo dicatur, animadvertendum.

Syderum inveſtigare curſus, pulcherius eſſe quàm utile.

Amicos Dei, & hac & futura perfrui vita.

Sine virtute nulli ſolidum eſſe gaudium.

Neque avarum pecunia, neque doctum cognitione rerum unquam repleri.

Cui plura noſſe datum eſt, eum majora ſequi dubia.

Bonos Medicos non pecuniam, ſed bonam ægroti valetudinem quærere.

Artificioſam Orationem ſtultos, non ſapientes flectere.

Sanctas eſſe leges, quæ vaganti fræna licentiæ imponunt.

In plebem vim habere leges, in potentes mutas eſſe.

Res graviores armis, non legibus definiri.

Lubricum eſſe primum apud Reges locum.

Ut in mare flumina omnia, ſic vitia in magnas aulas fluere.

Aſſentatores maximè, quo volunt Reges ducere.

Nulli magis Principes, quàm delatoribus aures præſtare.

Peſſimam Regibus peſtem, adulatoris linguam eſſe.

Regem, qui nulli fidit inutilem eſſe, nec meliorem qui omnibus credit.

Qui multos regit, à multis regatur oportet.

Non eſſe regio nomine dignum, qui ſuis commodis publica metitur; neque qui ſacra negligit, Eccleſiæ proventum dignè petere.

Litigatores aves, forum aream, Judicem rete; patronos aucupes dicebat.

Dignitatibus viros dandos, non dignitates hominibus.

Magiſtratus alios mereri, & non habere; alios habere, & non mereri.

Grave

Grave Pontificis onus eſſe, ſed beatum eum, qui bene fert.
Indoctum Epiſcopum aſino comparandum.
Corpora malos medicos, animas imperitos Sacerdotes occidere.
Vagum Monachum Diaboli mancipium eſſe.
Virtutes Clerum ditâſſe, vitia pauperem facere.
Fideli amico nullum theſaurum anteferendum.
Hoſtem in ſe nutrire, qui nimiùs filio ignoſcit.
Nulla in re avarum hominibus placere, niſi in morte.
Vitia hominum liberalitate obtegi, avaritiâ nudari.
Vini abuſum, & labores & morbos hominibus auxiſſe.
Vinum quod mentem excitet, non quod obruat, ſumendum.
Libidines ætatem omnem fœdare, ſenectutem extinguere.
Dulce bonis, durum iniquis mori.

JoannesAntoniusCampanus EpiſcopusAretinus vir doctiſſimus, ipſique Pio Pontifici coætaneus, qui & ejus vitam omnium uberrimè conſcripſit, circa finem hæc de illo notanter ſubdit: *Ingenia ſui temporis mirificè fovit, ſed duntaxat probatiſſima, invertens nonnunquam aliorum Epigrammata: viſuſq; contempſiſſe mediocritatem, contraxit invidiam; dicere ſolitus, Oratores, & Poëtas, aut ſupremo, aut nullo in loco eſſe oportere. Laudabat in dicendo candorem & vim orationis: apparatum verborum nimium, dicentis otium appellabat. Juvenis delectatus eſt Poëtica: Nitaphilenticum ſcripſit verſu magis facili & expedito, quàm accurato: Poëmata quoq; in Epiſtolarum modum complura: flexu ætatis Oratoria incubuit, invitatus rerum & legationum magnitudine.* Enumerat deinde elucubrationes à Pio editas, quarum magnam partem jam retulimus. Tum ſubdit ſequentia: *Hiſtoriam temporum recentiorum nemo putatus eſt & quæſiſſe diligentius, & verius tenuiſſe. Reliquit Epiſtolarum quatuor Volumina, diſtincta temporibus: Orationes nemo temporum noſtrorum, & nec veterum quidem tot habuit, omnes verè de rebus ampliſſimis; caterùm ſententiis quàm verbis illuſtriores, copiâ mirâ, & ad magnitudinem rerum excreſcente. Pronunciabat voce Sonora, & gravi; verùm eodem ſpiritu ſemper, & crebris intervallis, ut dicere ex tempore, & ſine cura videretur. Perſuadendi longè potentiſſimus, neminem ad ſe dicendo non traxit.* Hæc Campanus. *Campanus de Pio.*

Ultra memorata Pii Opera, Senis m.ſſ. conſervari dicuntur etiam ſequentia, teſte Auguſtino Oldoino in additionibus ad Ciaconium.

De Profectione in Turcas liber unus.
Ad Epiſcopum Cracovienſem lib. 1.
De Laudibus Homeri Præfatio.
Hiſtoria Aſiatica. lib. 1.
De Aſia minori. liber.
Hiſtoria Europæ ad Antonium CardinalemPodagrantem.
Hiſtoria Germanica.
De Auctoritate, & ortu Romani Imperii. lib. 1.
De Origine & progreſſu Romani Imperii.
Hiſtoria de geſtis ſub Friderico III.
De Hungaria, & geſtis in ea.
Faſciculus rerum expetendarum.
De Bono pacis ad Alphonſum Regem.

De

De pravis Mulieribus libellus ad Carolum Cyprianum.
Epitaphiorum Libellus.
De Adventu Capitis S. Andreæ Apoſtoli Oratio.
Nicolai V. obitus, & Calliſti III. creationis Narratio.
Reſponſio ad Martinum Meyerum pro Eccleſia Romana.
Remedium amoris.
Conſtitutiones Eccleſiaſticæ variæ, quæ leguntur in Collectione Romæ anno 1579. edita.
Dialogus, in quo diſputat, quis magis Adam, an Eva peccaverit?
Sententiæ quædam, & Acroamata inſigniora.

Obſervationes Bellarmini in Pii Opera.

Inſeram & hoc loco Obſervationes binas, à doctiſſimo Cardinale Bellarmino in Pii Opera factas: prima ſic habet. *Quæ ſcripſit Æneas pro Concilio Baſileenſi, cùm juvenis eſſet, retractavit Senex & Pontifex maximus: & quamvis libri illi de Concilio Baſileenſi meritò prohibiti ſint ab Eccleſia Catholica, tamen hæretici Baſileenſes, qui nuper eoſdem libros recuderunt, non tam Eccleſiæ Catholicæ, quàm cauſæ ſuæ detrimentum attulerunt: ſiquidem ex hiſtoria illa Æneæ Sylvii de Concilio Baſileenſi, apparet illud Concilium initio fuiſſe legitimum; ſed ubi verum Pontificem Eugenium IV. deponere aggreſſi ſunt Patres illi, jam non habuiſſe formam veri Concilii, non ſolùm quod acephalum eſſet, ſed etiam quòd contra formam omnium veterum Conciliorum plures eſſent in eo Conventu Presbyteri cum voce deciſiva, quàm Epiſcopi: notiſſimum enim eſt, Concilia generalia, uti etiam Provincialia, Epiſcoporum eſſe, non minorum Sacerdotum: ſic enim legimus in Concilio Chalcedonenſi actione prima;* Mitte foras ſuperfluos, Concilium Epiſcoporum eſt. *Vide, ſi placet, quæ ſcripſimus libro tertio de Eccleſia cap. 16.*

Obſervatio ſecunda hæc eſt: *Extant Commentaria de rebus geſtis Pii II. ſub nomine Joannis Gobellini, ſed dubium eſt, an illud opus ſit ipſius Pii Pontificis, an verò ejus, ſub cujus nomine prodiit: extant enim manuſcripta Commentaria eodem ſub nomine Pii II. & ſtylus videtur eſſe idem in hoc opere, & in aliis ejuſdem Auctoris: ſed res non eſt magni momenti.* Hæc Bellarminus.

Incuſatur, & excuſatur

Porrò quamvis Pius literatiſſimus eſſet, ac ſtudiis continuè etiam inter tot occupationes vacaret, accuſatus tamen à nonnullis reperitur, quòd per avaritiam fovere ingenia ſuorum temporum non ſit viſus. Tribuit hoc Platina non avaritiæ, ſed quòd tria graviſſima bella ab eo ſuſcepta, ærarium Pontificium ita aſſiduò exhaurirent, ut ære alieno, ac magno quidem ſæpè præmeretur: multos tamen muneribus aulicis, & beneficiis Eccleſiaſticis juviſſe, cum Campano fatetur.

Philelphum & Volaterranum adverſarios habet.

Philelphum autem præcipuè in eum mortuum inde invectum eſſe ex epiſtolis Cardinalis Papienſis intelligitur, quibus ea calumnia diluitur. Sicut ad illam aliam pariter diluendam, qua æquè accuſatus eſt, quòd præter dignitatem huc atque illuc vagaretur frequentiùs, ab eodem Papienſi itinera ejus ſingula enarranda fuêre, ac neceſſitas eorum demonſtranda. Denique quòd multiplices ejus laudes unum tantùm ambitionis vitium commaculaſſe Volaterranus ſcribit, apud eundem Papienſem diverſis locis dilutum invenies. Quæ verò prætereà à nonnullis poſterioribus hæreticis in ejus famam evomita fuêre, ab aliis Catholicis

(Gret-

(Gretſero præſertim) examinata ſimul, & exanimata reperies. Interim ad perennem hominis famam PIO Pontifici jure meritò Virgilianum illud (ſtridente licèt invidia) applicabimus.

SUM PIUS ÆNEAS FAMA SUPER ÆTERA NOTUS.

ANNO CHRISTI MCCCCLXIV.

Imperatore FRIDERICO III. Auguſto.

DE

PAULO II. Pontifice Maximo.

Paulus II. Petrus Barbo anteà vocatus, ex nobili ac vetuſta *Barborum* familia (quæ ab Ænobardis gente olim Romæ illuſtri, teſte Juſtiniano *lib. 8. Hiſtoriæ Venetæ*, originem traxit) patre Nicolao Barbo, & Polixena Condulmeria Eugenii IV. ſorore naſcitur Venetiis v. Kalend Martij anno ſalutis 1418. Is in tenera ætate egregiis moribus ac diſciplinis parentum cura imbutus, ac mercaturæ faciendæ, Venetorum more, deſtinatus, audita Eugenii IV. avunculi electione, ſubſtitit, miſſoque mercimonii negotio nuncio, ſpe plenus, ſacris initiari voluit: quo facto magnas ſenſim in Eccleſia Dei, favente ultrò Pontifice, dignitates eſt conſecutus. Nam ex Canonico Patavino, & Archidiacono Bononienſi Protonotarius Apoſtolicus de numero *Participantium* effectus, paulò pòſt ad infulas primò Cervienſes, tùm Vicentinas, mox Patavinas aſſumitur: demùm, ne quid ampliori fortunæ deeſſet, ipſeque ſibi viam ad ſummum Sacerdotium ſterneret, purpurâ ſacrâ ab Eugenio IV. condecoratur.

CCXV.

Genus & patria Pauli II.

Variis dignitatibus ornatur.

Poſtmodùm à Nicolao V. Eugenii ſucceſſore Presbyter Cardinalis titulo S. Marci, & Archipresbyter S. Petri renunciatus, ſub Calliſto III. variis muneribus, ſed præcipuè legatione in Italia ſuburbana cum laude functus eſt. Mortuo Calliſto, Pium II. recens electum, tum Mantuam ad concilium celebrandum, tum Anconam ad promovendum in Turcas bellum, euntem, cum aliis Cardinalibus proſecutus, ortâ Anconæ, ex varia hominum colluvie, dirâ peſtilentiâ (cùm hæc primùm per vulgaria capita vagari cœpiſſet, indeque creſcens nobilitatem quoque, primoresque utriusque ſtatus corripuiſſet) ipſe pariter ætate tum florens, atque prudentia rerumque uſu inter cæteros eminens infectus eſt. Tactus eo malo lectoque affixus, cùm fœda impendentis mortis effigies antè oculos obverſaretur, æſtuare primùm animo, tum pertimeſcere, denique Deum, Virginemque Deiparam ſeriò inclamare cœpit. Concepto igitur voto, confeſtim ad Lauretanam ædem, Anconæ proximam, ceu infirmorum aſylum deferri voluit. Quò ut ventum eſt, remotis arbitris, venerabundus humi procumbere, omnem in beatam Virginem ſecundùm Deum ſuæ curationis ſpem ponere, urgentis mali, mortiſque impendentis remedium expoſcere ſategit. Nec

Peſte corripitur.

Voto facto ſanitatem recipit, & Papatus prædictionem.

 ſruſtrà:

fruſtrà : precibus liquidem inſiſtenti levis quidam ac dulcis ſomnus deſuper immiſſus obrepſit. Fama eſt, Deiparam Virginem ſoporato ſpectabilem ſe ſe obtuliſſe : exauditas ejus à filio preces nunciâſſe; ac mox morbum diſcuſſum iri, ipſumque propediem Dei nutu Pontificem maximum futurum prædixiſſe. Haud vanum fuiſſe viſum ſubſequens probavit eventus : extemplò enim cum ſomno morbus abiit ; ipſeque voti compos , recepto corporis animique vigore, omnium ſpe maturiùs convaluit. Tùm promiſſi divinitùs ſummi Sacerdotii, ſimulque accepti beneficii memor , Lauretanæ ædis Præſidi ad ſe accerſito ſignificavit, decretum ſibi eſſe, magnificentiſſimum Lauretanæ Virgini in vicem gratitudinis templum condere : proinde primo quoque tempore Architectos, ligna, ſaxa, cœmenta, ſtruendæ moli neceſſaria ſuo nomine ac ſumptu conduceret; opusque omni ſtudio ad perfectionem urgeret; pecuniam domi ſepoſitam, laborantibus mox affuturam ſperaret. His ita conſtitutis, Romam ipſe ad nova Comitia profectus, poſtquam Leges à Patribus recenter formatas (infrà memorandas) obſervaturum ſe, more aliorum, interpoſito juramento ſpopondiſſet, die 30. Auguſti anni tum currentis 1464. unanimi Patrum conſenſu Pontifex maximus ſub nomine Pauli II. electus eſt, ac die 19. Septembris ejuſdem anni ſolemni ritu coronatus, ut patet ex libris Diviſionum ſacri Collegii in Vaticano aſſervatis, & ab Oldoino in additionib. ad Ciaconium relatis.

Beneficii memor Templũ condit.

Pontifex renunciatur.

Peracta coronatione, initoque felicibus auſpiciis Pontificatu, mox ad publicam rerum cauſam animum adjiciens, tres præcipuos Cardinales, doctrina, religione, ac rerum peritia præſtantes ſelegit, quorum hæc cura eſſet aſſidua, teſte Cardinale Papienſi : *Convenire invicem ; meditari ; conferre conſilia ; diſcutere : utilia, quæ cenſuiſſent, ad ipſum deferre, decreto munienda Apoſtolico.* Legi poteſt Epiſtola nonageſima quinta Papienſis, ubi hæc fuſiùs pertractantur. Quin etiam in eadem Epiſtola narratur; Romam accitos ex univerſa Italia Principum Oratores à Paulo, ut cum iiq; de Bello Turcis inferendo conſilia agitaret. Quo tempore inſignem ſcripſiſſe epiſtolam ad Ducem Burgundiæ pro petendo adverſus Turcas ſubſidio reperitur, in cujus calce memoranda hæc verba leguntur : *Quod negabis Vicario Chriſti, negabitur Chriſto, cujus cauſa agitur : Subita ſint auxilia tua : dilationibus noſtris creſcit continuè hoſtis : morientium gemitus , & ejectorum lacryma, & ſanguis qui effunditur, & Dominus Deus tuus tibi ante oculos ſit.*

Reipublicæ invigilat: bellum in Turcas urget.

Tum ad alia converſus, Cardinalibus, qui ſacris induti veſtibus à Prælatis inferiorum ordinum præterquam loco non noſcebantur, uſum mitræ ſericæ Damaſceni operis, ac rubrum biretum indulſit; eorumque ſubſellia tam ad Senatus, quàm ad ſacrificiorum conſeſſum altiùs elevavit. Sibi verò thiaram triplicis coronamenti, inæſtimabilis pretii, *Regnum mundi* appellatam , confecit; qua ornatus tanquam alter Aaron in publicum forma humana auguſtiore prodibat. Audi Cardinalem Ægidium Viterbienſem eleganter de hac re diſſerentem : *Incredibili pretio emit, ſacravitq; Mitram maximam, quam inſolito pretioſiſſimarum gemmarum pondere opplevit. Hac ornatus cùm prodiret, oculos omnium, luce radiiſq; feriebat. Vocari cœpta eſt*

Cardinaliũ dignitati conſulit.

Triregnum ingentis pretii ſibi confici curat.

maxima

maxima illa mitra Regnum Mundi; quam Paulus ſublimi faſtigio ſurgentem, ac Regna pretio ſuperantem primus reddidit, primus lectiſſimarum gemmarum, toto Orbe quæſitarum, luce exornavit ambitum trium coronarum, quarum uſus ex arcanis agnoſci ſolùm poteſt. Eadem ferè ante Cardinalem Viterbienſem ſcripſit Papienſis. *Porrò autem gemmis lapilliſq; admodùm delectatus Paulus, conquiſitis undique pretioſiſſimis, Mitram, quæ tribus educta coronis Regnum appellatur, atque à Pontificibus, multis antè ſæculis deſita erat geſtari, novam confecit, atque adhibuit: cujus hodie licitantium opinionibus amplius centum & viginti millium aureorum eſt æſtimatio.* Sed redeamus ad geſta.

Patribus paupertate preſſis ſubvenit.

Annuos prætereà redditus ex Cameræ Apoſtolicæ pecuniis, ſingulis Patribus, quibus annua quatuor millia ex Sacerdotiis non provenirent, inſtituit. Epiſcopis quoque multis, vel ejectis ſedibus, vel inopes Eccleſias poſſidentibus, pro conditione & rerum exigentia liberaliter erogavit. Humanum autem perhorrens ſanguinem, in reos etiam graviſſimorum criminum, ſolis carceribus vindicare ſat habuit. Idem verò congregandæ pecuniæ aviditate incenſus, brevi tempore magnum ejus numerum comparavit, tanta in ea re adhibita cura, ut etiam illius accipiendæ, ac perſolvendæ officia, quæ lucellum aliquod habere intelligerentur, à mercatoribus, apud quos erant, ad ſe advocata, miniſtris domeſticis attribueret; ipſe verò nonnunquam in ſeligendis, & colligendis nummorum ſortibus longa ſpatia occuparet. Eugenii verò avunculi ſui veſtigiis inſiſtens Regulares Canonicos in Laterano reſtituendos initio ſui Pontificatus judicavit, minimè tamen amotis ſæcularibus, quòd ita Eccleſiæ obſequiis meliùs proſpectum iri cenſeret. Hi ſeorſim rem ſacram habebant: Pontifex autem dabat operam, ut qui præmorientibus ſubinde ſuperarent ſæculares Canonici, quò ſenſim eorum nomen aboleretur, ſponte ſe ſtipendiis ac redditibus abdicarent, neque alios ſubrogabat. Quin etiam ut id faciliùs præſtarent, largis & liberalibus proventibus relictos Canonicatus compenſabat: quod ſi abnuerent aliqui, & mallent Canonicatum aliis reſignare, conſenſum eis Pontifex denegabat. Nempè hoc pacto fieri poſſe arbitrabatur, ut tandem omnia beneficia in unum corpus redacta poſſent eſſe ſatis vitæ Monachorum Regularium ſuſtentandæ, ne alere illos neceſſe eſſet ſuo, vel Cameræ Apoſtolicæ ſtipendio. Ita demum eventurum, ut ſublatis penitùs ſæcularibus Canonicis, Regulares abſque injuria cujuſquam, Lateranenſis Baſilicæ proventibus liberè potirentur.

Pecuniæ coacervandæ ſtudet.

Canonicos Regulares in Lateranum reducere ſatagit.

Ad hæc, quod in Cardinalatu ei etiam familiare erat, vigilare noctes totas uſque in primam lucem perrexit, ita ut diebus tantùm Senatûs exceptis, in quibus tanti officii cauſa diurnum remittebat ſomnum, pranderet ad veſperam, & paulò ante albeſcentem diem cœnaret: audiri autem nemo ante noctem facilè poſſet, & perpetim vigilare, quibus negotium eſſet, neceſſariò cogerentur: unde hæc admirationem, & ſermonem in plebe multum induxerant.

Dies vertit in noctes, magno negotia habentium incommodo.

Sed de abolendis legibus, in ipſis Comitiis firmatis ac juratis tanto conatu egit, ut non modò Patres, ſed plebs tota non eſſe in homine eam facilitatem pernoſcerent, quàm in privato erant intuiti.

Juratis ante Pontificatũ legibus ſtare detrectat.

tuiti. Apparebat autem eò injuſtior in hac re omnis ejus contentio, quia inter ſubſcribendum circumſtantibus palàm edixerat, *Etiamſi ea leges nunquam fuiſſent conſtituta, nihilominus ſua ſponte ſervaturum eas fuiſſe.* Quæ autem eæ fuerint, breviter ex Ciaconio, & Palatio

Legum ſynopſis.

indicabo: *Jurabat quique Patrum Deo, SS. Apoſtolis Petro & Paulo, quisquis eorum ad Pontificatum eſſet aſſumptus inchoatam expeditionem in Turcas quantum Eccleſia opes paterentur, continuare: proventum aluminis ad eam rem integrum adhibere: lapſos Curialium mores ad diſciplinam reducere: Curiam de provincia in provinciam ſine plurium ex Patribus in Italiam, extra Italiam ſine omnium aſſenſu, qui ſubſcriptionibus pateret, non transferre: Concilium generale intra triennium cogere: Cardinales ad XXIV. reſtringere: neminem in ſacrum Senatum cooptare, qui annum non excederet trigeſimum, & vel Theologus, vel Canoniſta eſſet; nec niſi unum hujus generis hominem de cognatione ſua eligere: in eligendis ſententias Patrum non in aures tacitè, ſed ex ſubſellius ad declinandos errores palàm accipere. de ſacerdotiis majoribus committendis, non niſi in Conſiſtorio, ſententiis auditis, decernere; jus ad illa nominandi nulli omninò permittere: non privare quemquam Epiſcopum, vel Abbatem ad Principum poſtulata: Cardinalem non damnare, niſi ex Patrum ſententia: non diminuere patrimonium Eccleſia: nulli non ſubdito bellum inferre inſciis Patribus: teſtamenta Curialium libera ſinere: nulla noviter indicere portoria: Principi tributum de Clericis non concedere: Arces majores cuſtodiendas cognatis non tradere; nec Ducem eccleſiaſtici exercitus conſtituere: Demum primo quoque menſium omnium Conſiſtorio imperare has leges ad innovandam memoriam ex ſcripto ſe praſente recitari. Quotannis ad Kal. Decembris, & Majas ſeorſim à Pontifice convenientes cognoſcerent, an ſervata illa judicarentur: id ſi minùs factum intelligerent, charitate, qua filius in parentes eſt debita, uſque ad tertia rememorationis officia, tranſgreſſionis & perjurii illum monerent, & ad obſervantiam precarentur.*

Has leges abolere ſatagit, & quare?

Has igitur leges cùm ante Cardinalis, & mox Pontifex renunciatus, duabus ſubſcriptionibus, jurejurando, votoque firmaſſet, delere nihilominùs paulò pòſt aggreſſus eſt, aliena magis inſtigatione, quàm ſuo propoſito. Erant inter Miniſtros ejus domeſticos Præſules duo, purpuram magnopere ambientes, Stephanus videlicet Mediolanenſis Antiſtes, ac Theodorus Tarviſinus Epiſcopus qui videntes deſideria ſua novis legibus impediri, quòd nimirum numerus Cardinalium juſto major nonniſi longa expectatione rediturus ad legitimum videretur, ſimulato in Pontificem affectu, agere cum eo de illis abrogandis cœperunt: indignum, & infra pontificiam auctoritatem affirmantes, Vicariam Chriſti poteſtatem humanis conditionibus ſubdi, ipſumque non tam ſui arbitrii, quàm alienæ moderationis miniſtrum videri: quærendam libertatem eſſe, idque agendum, ut auctoritatem Eccleſiæ apud ſe, non Cardinales eſſe omnes cognoſcerent: ipſi claves ligandi atque ſolvendi, non

Tarviſinus alias concipit, & ut vulgentur, Paulo ſuadet.

Cardinalibus commiſſas eſſe. Tarviſinus ſummi ingenii vir, ac ſummæ doctrinæ, qui multos jam annos ad tribunal Rotæ exercuerat judicia, facillimè Paulo perſuaſit, ut novæ aliæ leges primis contrariæ, quaſi ex perſona Patrum ſcriberentur. Scripſit ergo libellum, in quo erant novæ leges digeſtæ, & ſigillatim Cardinalibus ad ſecundam ſubſcriptionem obtulit: inventi ſunt inter illos nonnulli,

li, qui gratiæ magis, quàm conſcientiæ ſervientes, manus ſtatim requirentibus dederint. Qui verò magnitudinem jurisjurandi, & voti rectiùs expendebant, eam inconſtantiam à Pontifice deprecabantur; pudendam rem ajentes, earum legum damnatores eos videri, quarum nuper ſummo conſenſu conſtitutarum vixdum eſſent atramenta ſiccata. Quare ille commotiore jam animo factus, atque ad pervincendum firmato, agere in dies cum Patribus ſeveriùs cœpit; nunc pollicens multa, nunc vexans, nunc lacerans maledictis, nunc etiam liberiùs minitans; nec ullum erat tentandæ mentis tormentum, quod ad oppugnandum horis omnibus non adhiberet. Nicœnum Cardinalem Beſſarionem primæ ſententiæ Patrem fatigatum, diù intra cubiculum, & mox inſuperatum egredientem, manu intus retraxit, ac foribus occluſis eò anguſtiarum adduxit, ut anathema illum pronunciaret, ſi non ſtatim ſubſcriberet. Quin & poſcentibus quibuſdam, ut perlegendi ſemel libelli ante acciperent poteſtatem, gravatè admodùm indulgebat, manu nonnunquam inter ſubſcribendum, ſcripturam contegens totam, ne ſcriptorum vanitas appareret, quæ callidi artificis formata ingenio plena erat verborum effugiis. His atque hujuſmodi aſſiduis moleſtiarum machinis debilitati Patres tandem ceſſerunt, atque ad unum omnes non ſine gemitu & indignatione ſubſcripsêre, uno tantùm Joanne Carvagial Hiſpano excepto. Qui Portuenſis Eccleſiæ Antiſtes, & annos ſeptuaginta jam natus, quod juvenem ſe non feciſſe meminerat, ut nulla de cauſa mutaret ſententiam, id jam ætatis non commiſſurum reſpondit. Alii verò licèt ſubſcripſerint, non tamen benè de Paulo ſentiebant, certè Cardinalis Papienſis, vir eloquentiſſimus atque graviſſimus, ſepoſito omni metu, Paulum accedens, his eum rationibus à propoſito abſterrere, & ad ſaniora reducere conatus eſt. Dabo ipſiſſima excellentis viri verba, memoratu uti digniſſima, ſic & hactenùs dictis undique conformia: Sic igitur peroravit omnium nomine.

Corripitur eapropter à nonnullis Patribus, ſed in caſſum.

Cogit Patres ad ſubſcribendum.

Unus Jo. Cardinalis Carvagial obſequi renuit.

Quid hoc eſt, Pater Beatiſſime? tenebræ enim mihi ſunt: quid agis, aut quo hæc temperas conſilio? mutata repentè ſunt omnia: nihil priſtinum video. Pro charitate in nos tua ſucceſſit duritas; pro blandimentis auſteritas, pro læto initio triſtis ſucceſſus. Voviſti Cardinalis & Pontifex ſervaturum te leges, quæ in Conclavi ſunt editæ, ad ſalutem publicam utiles: voti tui duobus in libellis chirographum extat: dixiſti cùm ſcriberes, etiam ſine voto ſervaturum te eas fuiſſe: ſic quoque ſcripſiſti cupidè, ut vindex non ſervantium videreris futurus. Sperabamus reſpiraturam Eccleſiam, futurum Pontificatum, qualem à Petro non vidimus. Quid nunc dicam? aut quid potiùs non dicam? commutaſti tu eas in leges inanes, mille effugiis plenas, quibus in hanc ſententiam præfari nos cogis, quia priores bonæ non erant, improbamus quod egimus, præſentes autem probamus. Vocas nunc intra cubiculum ſingillatim omnes, rogas unumquemque, ut membrana tua ſubſcribat: renitentes urges, perſeverantes dimittis vexatos contumeliis; ſi qui ſubſcribunt, non tamen earum priùs legendarum poteſtatem accipiunt: cognoſci illas vetas, quin & inter ſcribendum, ne legi poſſint, ſcripturam totam manibus contegis. Me, quia tibi in re ignota non annui, torques jam multos dies: idem facis de reliquis, quos ducere in ſententiam nequis. Lamentatus eſt mecum Cardinalis Tuſculanus, vir gravis & in-

Gravi oratione corripitur à Card. Papienſi.

& innocens, ſe nuper egredientem cubiculum tuum, ut colluctationes tuas effugeret, manu reprehenſum eſſe, & oſtio clauſo exire prohibitum; juſſum porrò ſub gravi anathemate rebus non inſpectis ſubſcribere. Deus bone! quæ præcipitatio hæc eſt? quæ intemperies mentis? talem de te præbes ſpem Pater beatiſſime? atque hoc initium Præſulatus tui inſtituis? Quæ expectatio erit fidelibus bonorum operum, quando excutere te jugum ſalutis intelligent? quod exemplum modeſtiæ, quando ita vehementer actum cum fratribus noſcent? Nobis verò, quem eſſe animum credis, videntibus noſtræ dignitati illudi, & ſimul vim inferri? Hoccine erat, quod repromittebas de te, cùm Pontificatum quærebas; cùm te inſinuabas nobis; cùm dolebas Nicolaum, Calliſtum, & Pium parvi pendiſſe Collegium noſtrum? Ecce quod damnabas in aliis, primus tu facis: quod illi agebant modeſtiùs, tu moleſtiùs intemperantiùs agis. Nemo eorum ſubſcribendum Cardinali dedit, quòd non antè vidiſſet: nemo in cubiculum clauſit, ut cogeret; nemo anathêma impoſuit, ut extorqueret.

Non diſputabo nunc tecum, votonè illo tenearis, an non? alterius loci, & temporis ſit inquiſitio hæc: tantùm dico, paucis exceptis, qui ſublatis legibus faciliorem ſibi ad Cardinalatum viam intelligunt, reliquos omnes tam Pontificii, quàm divini Juris Interpretes, totum quoque Collegium teneri te exiſtimare. Hoc verò lamentor, hoc doleo, quòd filios tuos de te optimè meritos indignè fatigas, inſignemq; levitatis notam ſine cauſa eis imponis: etenim tenearis, vel non tenearis, quid nos noſtris ſubſcriptionibus poſſumus? quid annuendo operamur? ſi non teneris, rem ſupervacuam facimus: ſi teneris, utique inutilem: utrumque malis, nullus eſt fructus. Poteſtatem non habemus nos tollendorum votorum, nec redimendi quod oblatum eſt Deo: cum iis tibi res eſt, quos appellas in voto, cum Petro & Paulo, & cum Chriſto Deo tuo: cogens nos comminationibus tuis, illos non cogis: factus à nobis liber, non utique libertatem ab illis conſequeris. Audi Prophetam dicentem: Vovete, & reddite Domino Deo veſtro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera, terribili, & ei qui aufert ſpiritum Principum, terribili apud omnes Reges terræ: *Reddi videlicet admonet vota: non reddentibus autem pœnam denunciat.*

Verùm iſta omitto, convertor ad preces, Beatiſſime Pater, atque advolutus pedibus tuis, pro omnibus veniam deprecor: ſint libera conſilia noſtra: ad opus, quod malum credimus, non cogamur inviti: filiorum apud te, non mancipiorum inveniamus locum: liceat præſtari Deo, quod ſentiunt ſpiritus noſtri. Si erramus, doceamur à te: ſi docti non emendamur, pro meritis tunc corrigamur. Adhuc, quòd non tenearis voto, non docuiſti: quòd tenearis, nos ſcimus, qui tecum juravimus. Pátere ex ratione, non ex tua voluntate ſententias dici. Attende quoque ignominiam fratrum, & illorum conſule nomini: habuiſti eos honoris tui non minùs ſtudioſos, quàm voluntarios: nota ſunt ubique terrarum hæ leges, cogitata per nos, diſcuſſa inter nos, jurata ac vota à nobis. Opus noſtrum illud eſſe nemo ignorat, conſentiens, unanime, ex veteri exemplo ad ſalutem publicam innovatum. Vixdum, ut eſt in proverbio, ſiccata ſunt atramenta, cùm cogimur delere, quod ſcripſimus: quid aliud hoc eſt, quàm non ſanæ mentis Senatum eum arguere, quem tu quotidie anteferendum Regibus prædicas. Non omnes coactionem tuam intelligent, factum noſtrum intuebuntur, & exitum voluntatis putabunt, quod eſt neceſſitatis: non eris tu quidem ab his querelis immunis; pariter nobiſcum damnábere, atque eò damnábere graviùs, quòd ad mutationem propoſiti conteaptum etiam voti, & cupidita-

piditatem non ſanioris, ſed liberioris vita adjunctam videbunt. Porrò qua imprudentia leges conditas dicent, eiſdem te electum contendent: nihil in hac abrogatione vel tibi, vel nobis eſt honorificum: vertuntur omnia in commune opprobrium.

Quare omitte, quaſo, importunum conſilium: iracundè ne agas nobiſcum: valere has leges ſinito: ſervavit eas Pius, ſerva & tu, non propterea minuitur poteſtas. Ad bonum opus ſunt tradita claves: ſi bona ſunt leges, cognatam rem habes clavibus tuis: ſi aliquando ex tempore, ex loco, ex te, ex quapiam cauſa fiunt inutiles, eſt ſemper diſpenſatio tua: non idem omni tempore dictat, ſed idem ſpectat prima ſedis poteſtas. Hoc autem amplius operatur hoc votum, ut quod aliquando voluntate eſſes facturus, promiſſo etiam perſeverantiùs agas. Puto autem implere me officium filii, & ſuadere, qua ſunt ſalutaria, honeſta, tibi, nobiſq; honorifica. Si erro, non recuſo corrigi emendatus. Hactenus Papienſis.

Perſiſtit in propoſito Paulus.

Permanſit tamen in eadem ſententia Paulus, ut ipſemet Cardinalis Papienſis ad Cardinalem Theanenſem his litteris docet. *Non precibus, non ratione, non obſecrationibus ullis adduci potuit Paulus, ut ſervandas ſibi putaret leges votas, atque juratas: tanquam leo plagas, ſic iſte ſancta vincula abrupit. Scripſit novas prioribus longè diſſimiles, quarum virginei ſunt vultus, fœdiſſima ventris proluvies: praverunt ſpeciem boni, intuenti interiùs patent poſtica innumera, ex quibus, cùm vult, effugere poteſt ad libertatem quaſitam. Subſcripſimus omnes partim cupiditate aſſequendorum, qua volumus; partim metu, ne quotidiana indagationis ſua ſuſtineamus flagella: fateor, molles fuimus, delicati, ac noſtrimet nimium cupidi: reſpeximus non qua Dei, ſed qua carnis, & ſaculi ſunt, nemo tamen probavit. Solus Joannes Carvagial, genere Hiſpanus, atate grandævus, meritis magnus, conſtantia laudem meruit; turpitudinem hanc eſt deprecatus, nec ullis temperamentis ingenioſi poſtulantis à propoſito dimoveri potuit. Ad ſingulas colluctationes ſic ſe excuſavit;* Quod juvenis non commiſi, non committam ſenex, ut me recti pœniteat: tibi propter has leges moleſtus non ero; tantùm ſinito dignitatis, & conſcientiæ meæ rationem habere. *Vir profectò dignus, non qui nobiſcum ſedeat, ſed qui praſideat ad conſilium Sedis Romana. Dolendum aliud audi, quanquam in his ipſis inanibus legibus dicat ſe voturum ſuo chirographo, aut juraturum, nihil tamen vel juravit, vel vovit; tantùm ſubſcriptionibus noſtris extortis, membranam in ſuas arculas condidit: nec, ut conſuetum eſt, exemplum nobis reliquit ſervandum, inſpiciendumq;, ſi quandoque ex illis ſumenda eſſent conſilia: abiit, elapſus eſt, factum eſt totum, quod voluit, ſuo tamen, non noſtro judicio: vincula ſe dirupiſſe credit; nos eum teneri putamus.*

Jo. Carvagial vir invincibilis animi.

Eluctata canis *(inquit Perſius)* nodum arripit, attamen illi
Cùm fugit à collo trahitur pars magna catenæ.

Judicis noſtri ſupremum tribunal admonebit illum erroris: ſi falli potuimus, & cogi, non falletur ille, neque cogetur; rectum eſt enim judicium ejus, & potentia ſua non eſt, qui reſiſtat. Doleo tamen tanti, ac tam expetiti boni occaſionem ſublatam; nos deriſos; notatum levitatis Collegium: quodq; non ſine ingenti gemitu refero, vexanda, laceranda, & ſcindenda Eccleſia materiam prabitam. Qui viderit legum ſententiam, magnitudinem juriſjurandi, ac voti, vim Decreti in extrema pagina poſiti, hac mecum ſuſpirabit & gemet.

Simus ergo poſthac, Pater, ad eligendum cautiores: acriùs expendamus

naturam

naturam cujuſq; : non credamus fronti, non verbis : fallunt ſæpiſſimè vani filii hominum juxta Prophetam : Mendaces filii hominum, ut decipiant ipſi de vanitate ſua in id ipſum. *Recurramus animo ad diſciplinam domeſticam; introſpiciamus ſecreta cubiculi; ex inſtitutione vitæ privatæ judicium faciamus de publica.* Si quis, *inquit Apoſtolus*, domi ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit? *Odoremus, temperemus, excutiamus omnia : anſa hinc erant ſemper ad probandos, improbandosq; homines : ſolertia nulla in tanta re eſſe nimia poteſt. Si in perquirenda vita Pauli fuiſſemus hac cura occupati, non decepiſſet nos exterior ſpecies : multa ad meliùs conſulendum ſe obtuliſſent : ſed & nos parùm acres ad videndum, ipſe ad celandum ſemper intentiſſimus fuit : artificium quærendi Pontificatum ex Cardinalatu eſt ſumptum : nec Pontifex mutavit mores, ſed tectos detexit. Cardinalis Avenionenſis, feſtivus Pater ingenii, ridens jocansq; cum illo;* Rectè, *ait*, Paule, annos viginti quatuor adhibuiſti ſtudium, ut ſemel nos falleres : *qua vox etſi ridente, approbante tamen Collegio eſt intellecta. Iterum dico, ſi erratum eſt ſemel, ut Theanenſis, non erretur ſecundò : majoribus detrimentis nec peccari, nec errari ullibi poteſt. Vale.*

Auctores abolitionis legũ puniuntur. Contra illos verò (ut hoc quoque memoremus) qui Paulo legum abrogationem ſuaſerunt, manifeſta ultionis divinæ argumenta apparuerunt : nam Mediolanenſis Antiſtes ſpe Cardinalatus fruſtratus, abſtinere etiam à Curia neceſſariò coactus eſt. Et Theodorus Tarviſinus, Cardinalis ſecretò renunciatus, in languorem miſerrimum incidens, horâ ſupremâ vitæ, ad levandam vim morbi, indicante Pontifice, quod factum eſt, agnovit; eoque acceſſit acerbiùs, quòd dignitatem tanto peccato, ac tanta anxietate quæſitam, auditam tantùm, nec viſam ſe intellexit dimittere. Illum ægrotum inviſit Paulus, & mortuum flevit : uti *lib. 3.* Purpuræ doctæ *num. 39.* inſinuavimus.

Paulus benignè agit cum Cardd. poſt legum abrogationem. Cæterùm benignè quoque cum Cardinalibus in reliquiis egit Paulus rubris ſericisque inſignibus eos à cæteris (ut dictum eſt ſupra) ſegregavit : tres ex illis delegit, quorum cura eſſet continua cum Principum Italorum Oratoribus agere conſilia de ratione belli in Turcas promovendi. Illorum plures honorificentiſſimis legationibus ad Cæſarem, Reges, Principes cohoneſtavit; alios, quibus facultates deeſſent, fortunis & annuis redditibus copioſè ditavit: moltorum operâ ipſe in rebus arduis uſus, illorum diligentiam, ſtudiumque præclaris laudibus, & præmiis commendavit.

Multa præclarè operatur. Poſt hæc Anguillariæ Dominos, Franciſcum & Deiphebum demortui Everſi filios, Eccleſiæ & Eccleſiaſticorum acerrimos hoſtes ad obedientiam Romanæ Sedis ſumma felicitate reduxit. Ariminum & Bretenorum, defuncto Malateſta, recepit : Urbes multas, Oppida, & Caſtella in Umbria, quæ ab Eccleſia defecerant, ſtudio & opera Vanneſii Albergati Romanæ Urbis Prætoris occupavit. Fridericum Imperatorem, voti causâ, ſacra limina viſitantem anno 1469. ſplendidiſſimè excepit; ſimiliter & Borſium Marchionem Ferrarienſem. Georgium Poggebrachium Boemiæ Regem Huſſitarum hæreſi infectum, exemplo Pii II. damnavit. Scotiæ Epiſcopos ab Eboracenſis Archiepiſcopi dominio liberavit; ac Patricium Graamum Præſulem Santandreanum, non modò Scotiæ Primatem,

matem, verùm etiam Sedis Apoſtolicæ Legatum in triennium nominavit. Legatos etiam duos Joannem Atrebatenſem, & Joannem Baluam Cardinales, ad procurandum Senatus Pariſienſis de abolitione Pragmaticæ ſanctionis conſultum in Galliam miſit. Alia pariter legatione rebelles Proceres Hiſpanos ad ſanitatem invitavit: hi enim Alphonſo regium titulum contra Henricum fratrem natu majorem adſcribebant. At cùm non paruiſſent Pontificis mandatis, gravi Decreto piorum numero ſunt exempti, nec tamen his territi, Oratores Romam amandarunt, quibus non priùs facta eſt ad Urbem poteſtas, quàm juraſſent haud ſe Alphonſo regium titulum adſcripturos. Admiſſis tandem in Pontificis præſentiam, & graviſſimè increpitis mandatum eſt à Paulo, ut ipſius nomine diras omnes conjuratis denunciarent, niſi intra præſcriptum terminum propoſitum mutarent: Vindicatura Numina impios illorum auſus, ſi ab incœptis non deſiſterent, ad juvenem Principem alienæ culpæ reum, immatura morte daturum pœnas. Quod oraculum inane non fuit. Siquidem, cùm receptâ ab Henrico urbe Toletana deditione Præfecti, conjurati ad eam obſidendam feſtinarent, idem Alphonſus in ipſo itinere repentinâ vi morbi oppreſſus, in execratione periit tertio Nonas Julii anno 1469. ſeu peſte, ſeu veneno, ut varia fuit opinio, ætatis annum ſextum decimum nondum eggreſſus.

Henrico Hiſpano adverſus fratrem Alphonſum aſſiſtit.

Alphonſus perit.

Porrò *Abbreviatores*, viros tunc temporis in Romana Curia ſcientiis quidem claros, ſed ſimoniæ & extorſionis labe non carentes, officio depoſuit, & dignitate ſpoliavit: *In principio Pontificatus ſui* (inquit Rodericus Sancius Hiſt. Hiſp.p.4.c.40.) *Romanam curiam omni Simonia & extorſionis labe ſeveriſſimè purgavit, cunctosq́ Officiales ac Curiales reformavit, domumq́ habuit mundiſſimis atque honeſtiſſimis viris refertam.* Sancio adſtipulatur Ægidius Viterbienſis in vita Pauli II. manu ſcripta, quæ Romæ aſſervatur in Bibliotheca Auguſtiniana. *Paulus*, inquit, *Pontifex declaratus, nihil duxit antiquius, quàm ut Sacerdotium ſummum ſuo ſplendore ornaret, atque ab alienis rapiendis abſtineret. Suſtulit igitur eorum ordinem*; qui Abbreviatores *appellantur, alios omnes pecunia exactores etiam ſublaturus: rem eſſe indigniſſimam ſummo Sacerdote arbitratus, ſi nihil ſine pretio traderet, & quod ipſe gratis accepiſſet, non gratis cæteris mortalibus condonaret: aſſerens, Tota via aberrare eos, qui in re ſacra exercerent mercaturam, & qui aris ſacrisq́ abuterentur ad quæſtum: decere Principes omnes tueri populorum ſuorum res, non rapere aliena, ſed largiri ſua. Quare omnes illius Ordinis homines ſibi infenſiſſimos fecit, ut omne in eum maledicentia genus loquendo, clamitando, ſcribendo conjicerent.*

Ordinem Abbreviatorum ob ſimoniam abolet.

Refert Platina eo in ordine plures fuiſſe inſignes Oratores, Poëtas, ac Juris utriuſque Conſultos. Sed parùm intererat Paulo, quàm ornatè dicerent, vel ſcriberent, aut grata carmina funderent, ſi munera haud caſtè exercerent. Hoc in ordine cùm ipſus quoque Platina eſſet, vir inſignis & acer ingenio, mirum quàm acerbas in Paulum, ob jacturam muneris & lucri, ingeminârit querelas! quin etiam urgente ira eò inſaniæ prolapſus eſt, ut ſcriptâ Pontifici epiſtolâ, eidem interminatus ſit, ſe ſocioſque collegas ad Reges ac Principes dilapſuros, eoſque adhortaturos, ut Concilium Pontifici indicerent, in quo rationem reddere cogeretur ſpoliationis ipſorum. Facinus

Platinæ temeritas in Paulum Pontif. ſugillatur

cinus profectò temerarium, & jam anteà à Prædeceſſoribus Pauli jure damnatum. Hinc carceri traditus, variiſque tormentis excruciatus, quadrimeſtres temeritatis pœnas dedit. Demum, cùm nec ſic à convitiis in Paulum abſtineret, læſæque majeſtatis, & conſpirationis in eundem ſuſpectus haberetur, ac Deum ipſum, utpotè Philoſophiæ Platonicæ ſectator acerrimus, in diſcrimen vocaret, iteratò vinculis & carceri, quouſque ſaperet, mancipatus eſt. Liberatus ad preces Franciſci Cardinalis Gonzagæ, vindictam ſpirans, Paulum jam jam vita functum, ſatyrico planeque ſtylo ferreo inſectatus eſt. Hinc eſt, quòd Platinæ *hiſtoriam de vitis Pontificum* Auctores primæ claſſis clauſerunt in Pio II. advertentes vitam Pauli II. non hiſtorico calamo, ſed amaro exulceratoque animo ab eo exaratam eſſe. Unde Papyrius Maſſonius Platinam alloquens ſic ſcripſit: *Te, mi Platina, in Vita Pauli non ſequemur: iratus enim & inimico animo ſcribere videris, remq; hiſtorico indignam facere, quem ira & odio rapi indecorum eſt.* Platinam pro meritis depectit Jo. Palatius *in vita Pauli II.n.3.& 14.* qui conſuli poteſt.

Quæ fides ei habenda?

Pauli nonnulla Decreta.

Gubernatores locorum ditionis Eccleſiæ munera accipere Decreto vetuit, eſculentis & potulentis exceptis, quæ triduo conſumuntur. Prohibuit item alio Decreto Bona Eccleſiaſtica vendi, aut ultrà triennium elocari. Celebritatem Jubilæi ad annum vigeſimum quintum revocavit, ut patet ex Conſtitutione *Ineffabilis Providentia &c.* anno 1470. 13.Kal.Maij edita. Hanc Sixtus IV. poſt Pauli obitum peregit.

Ejus pietatis monumenta.

Ædes ad S.Marcum Romæ magnificas conſtruxit, & proximam Baſilicam vetuſtate collapſam ſuis ſumptibus reſtauravit. In Vaticana Baſilica, dum Archipresbyteri munere fungeretur, Altare in honorem SS.Apoſtolorum Petri & Pauli erexit, ornavit, annuiſque redditibus locupletavit, ut ex fragmento veteris lapidis marmorei, in quo etiamnum inſcriptio extat, colligitur. Eidem Baſilicæ plura alia dona & beneficia contulit, teſte Grimaldo in libro m.ſ. Vaticano.

Pauli repentinus obitus.

Cùm verò totus eſſet Paulus in pace inter Chriſtianos Principes procuranda, & ſollicitus de promovendo in Turcas bello, quos audiebat magnis progreſſibus ubique locorum de Chriſtianis triumphare, anno 1471. octavo Kalendas Auguſti apoplexiâ tactus, nemine adſtante, circa noctis medium expiravit, anno Pontificatus ſui ſexto, menſe decimo, ætatis anno quinquageſimo quarto nondum expleto. Ita namque Platina, ac cæteri fermè omnes: undè dicendum, à veritate prorſus aberrare illos, qui Paulum octogenario majorem Petri Cathedram aſcendiſſe, ac anno pòſt ſeptimo mortem oppetiiſſe fabulantur. Uti etiam diabolicum planè eſſe, quòd à quibuſdam hæreticis aſſertum reperimus, fuiſſe eum in ipſo actu venereo à Diabolo ſtrangulatum: pudendum hoc mendacium, uti & alia falsò de Paulo ſparſa, viri pii ac docti dudum abhinc, cum inſigni calumniatorum dedecore, diluerunt. Vide Gretſerum *cap. 64. Examinis Myſterii Pleſſaani.* Cæterùm ſi Scriptores, qui de Paulo ex vero egerunt, conſulamus (nec Platina quidem excepto) talem fuiſſe eum reperiemus, ut nec valdè laudandus, nec vituperandus dici

Calumnia hæreticorum in Paulum putida.

dici poſſit. *Virum decorum ſpecie, natura blandum, mitem, humanum, liberalem in pauperes, & amicorum ſtudioſum* dixit, qui novit Platina, etſi eum ob alia auſterum & hoſtem expertus ſit. Poſt obitum ſepultus eſt in Baſilica Vaticana in Sacello à ſe in honorem S.Marci erecto, in marmoreo Mauſolæo, columnis ac ſtatuis miro artificio exornato, cujus delineationem æri inciſam exhibet Oldoinus *in additionibus ad Ciaconium.* Marcus Barbo Cardinalis S.Marci, Pauli conſanguineus, ſequens ei Epitaphium inſcribi curavit.

Ejus Epitaphium.

D. O. M.
PAULUS II. VENETUS PONT. MAX.

E vetuſta Barborum familia, præclaris naturæ dotibus Avunculo Eugenio IV. non inferior; Juſtitiæ, pietatis, Divinarumq; Cæremoniarum cultor religioſiſſimus; Eccleſiaſticæ libertatis, Majeſtatisq; defenſor conſtantiſſimus; præcipuo pacis ſervandæ ſtudio, & ſingulari omnis generis munerum abſtinentia, formidanda etiam lege Magiſtratibus indicta clariſſimus; in Principes munificentia, in pauperes miſericordia inſignis, patrioq; more annonæ copiam Urbi dedit; Patrimonium B.Petri, erratis populorum indulgentiſſimi parentis affectu emendatis, & conſervavit, & auxit: furentes armis hæreticos repreſſit, & quod per difficilem rerum temporumq; conditionem effici cum dignitate non poterat, matura cunctatione feliciter ſaluberrimeq; diſpoſuit. Vixit annos 53 menſ. 10. dies 26.

Marcus Barbo Cardinalis S.Marci, Patriarcha Aquileienſis Conſanguineo B.M. poſuit.

Jam quæ ſcripſerit Paulus, auctore Auguſtino Oldoino, & Ludovico Jacobo à S.Carolo audiamus, ex quo colligi poterit, mendacium ſcripſiſſe Mornæum, qui Paulum *Pontificum illiteratiſſimum* criminatus eſt.

SCRIPTA.

Pauli Scripta

Scripſit Paulus *Conſtitutiones Eccleſiaſticas*, quæ inveniuntur in Collectione Conſtitutionum edita Romæ anno 1638. Item literas Apoſtolicas plures, ut in Bullariis, & apud Lucam Waddingum, qui undecim earum in Annalibus Minorum ex Vaticanis M.SS. reſcripſit, videre eſt.

In Cæremoniali Romano reperitur lib.1.cap.1.ſect.7. *Ordo ſervandus in creatione novi Ducis à Paulo II. inſtitutus.*

Scripſit quoque Regulas Cancellariæ concinno ordine digeſtas uti teſtatur Geſnerus in *Bibliotheca abbreviata.*

Epiſtolas item plures, ac nonnullas Orationes.

Paulo Pontifici Rodericus Zamorenſis Epiſcopus *Speculum Humanæ Vitæ* dedicavit: alii alia opera. Janus Vitalis pacem publicam eidem hoc diſticho gratulatus eſt.

Aurea pax, felix concordia, copia rerum,
Tempora ſacrârunt, PAULE SECUNDE, tua.

cinus profectò temerarium, & jam anteà à Prædeceſſoribus Pauli jure damnatum. Hinc carceri traditus, variiſque tormentis excruciatus, quadrimeſtres temeritatis pœnas dedit. Demum, cùm nec ſic à convitiis in Paulum abſtineret, læſæque majeſtatis, & conſpirationis in eundem ſuſpectus haberetur, ac Deum ipſum, utpotè Philoſophiæ Platonicæ ſectator acerrimus, in diſcrimen vocaret, iteratò vinculis & carceri, quouſque ſaperet, mancipatus eſt. Liberatus ad preces Franciſci Cardinalis Gonzagæ, vindictam ſpirans, Paulum jam jam vita functum, ſatyrico planeque ſtylo ferreo inſectatus eſt. Hinc eſt, quòd Platinæ *hiſtoriam de vitis Pontificum* Auctores primæ claſſis clauſerunt in Pio II. advertentes vitam Pauli II. non hiſtorico calamo, ſed amaro exulceratoque animo ab eo exaratam eſſe. Unde Papyrius Maſſonius Platinam alloquens ſic ſcripſit: *Te, mi Platina, in Vita Pauli non ſequemur: iratus enim & inimico animo ſcribere videris, remq́, hiſtorico indignam facere, quem ira & odio rapi indecorum eſt.* Platinam pro meritis depectit Jo. Palatius *in vita Pauli II.n.3.& 14.* qui conſuli poteſt.

Quæ fides ei habenda?

Pauli nonnulla Decreta.

Gubernatores locorum ditionis Eccleſiæ munera accipere Decreto vetuit, eſculentis & potulentis exceptis, quæ triduo conſumuntur. Prohibuit item alio Decreto Bona Eccleſiaſtica vendi, aut ultrà triennium elocari. Celebritatem Jubilæi ad annum vigeſimum quintum revocavit, ut patet ex Conſtitutione *Ineffabilis Providentia &c.* anno 1470. 13.Kal.Maij edita. Hanc Sixtus IV. poſt Pauli obitum peregit.

Ejus pietatis monumenta.

Ædes ad S.Marcum Romæ magnificas conſtruxit, & proximam Baſilicam vetuſtate collapſam ſuis ſumptibus reſtauravit. In Vaticana Baſilica, dum Archipresbyteri munere fungeretur, Altare in honorem SS.Apoſtolorum Petri & Pauli erexit, ornavit, annuiſque redditibus locupletavit, ut ex fragmento veteris lapidis marmorei, in quo etiamnum inſcriptio extat, colligitur. Eidem Baſilicæ plura alia dona & beneficia contulit, teſte Grimaldo in libro m.ſ. Vaticano.

Pauli repentinus obitus.

Cùm verò totus eſſet Paulus in pace inter Chriſtianos Principes procuranda, & ſollicitus de promovendo in Turcas bello, quos audiebat magnis progreſſibus ubique locorum de Chriſtianis triumphare, anno 1471. octavo Kalendas Auguſti apoplexiâ tactus, nemine adſtante, circa noctis medium expiravit, anno Pontificatus ſui ſexto, menſe decimo, ætatis anno quinquageſimo quarto nondum expleto. Ita namque Platina, ac cæteri fermè omnes: undè dicendum, à veritate prorſus aberrare illos, qui Paulum octogenario majorem Petri Cathedram aſcendiſſe, ac anno pòſt ſeptimo mortem oppetiiſſe fabulantur. Uti etiam diabolicum planè eſſe, quòd à quibuſdam hæreticis aſſertum reperimus, fuiſſe eum in ipſo actu venereo à Diabolo ſtrangulatum: pudendum hoc mendacium, uti & alia falsò de Paulo ſparſa, viri pii ac docti dudum abhinc, cum inſigni calumniatorum dedecore, diluerunt. Vide Gretſerum *cap. 64. Examinis Myſterii Pleſſæani.* Cæterùm ſi Scriptores, qui de Paulo ex vero egerunt, conſulamus (nec Platina quidem excepto) talem fuiſſe eum reperiemus, ut nec valdè laudandus, nec vituperandus dici

Calumnia hæreticorum in Paulum putida.

dici poſſit. *Virum decorum ſpecie, natura blandum, mitem, humanum, liberalem in pauperes, & amicorum ſtudioſum* dixit, qui novit Platina, etſi eum ob alia auſterum & hoſtem expertus ſit. Poſt obitum ſepultus eſt in Baſilica Vaticana in Sacello à ſe in honorem S.Marci erecto, in marmoreo Mauſolæo, columnis ac ſtatuis miro artificio exornato, cujus delineationem æri inciſam exhibet Oldoinus *in additionibus ad Ciaconium*. Marcus Barbo Cardinalis S.Marci, Pauli conſanguineus, ſequens ei Epitaphium inſcribi curavit.

D. O. M.
PAULUS II. VENETUS PONT. MAX.

Ejus Epitaphium.

E vetuſta Barborum familia, præclaris naturæ dotibus Avunculo Eugenio IV. non inferior; Juſtitiæ, pietatis, Divinarumq. Cæremoniarum cultor religioſiſſimus; Eccleſiaſticæ libertatis, Majeſtatisq. defenſor conſtantiſſimus; præcipuo pacis ſervandæ ſtudio, & ſingulari omnis generis munerum abſtinentia, formidanda etiam lege Magiſtratibus indicta clariſſimus; in Principes munificentia, in pauperes miſericordia inſignis, patrioq. more annonæ copiam Urbi dedit; Patrimonium B.Petri, erratis populorum indulgentiſſimi parentis affectu emendatis, & conſervavit, & auxit: furentes armis hæreticos repreſſit, & quod per difficilem rerum temporumq. conditionem effici cum dignitate non poterat, matura cunctatione feliciter ſaluberrimeq. diſpoſuit. Vixit annos 53. menſ. 10. dies 26.

Marcus Barbo Cardinalis S.Marci, Patriarcha Aquileienſis Conſanguineo B. M. poſuit.

Jam quæ ſcripſerit Paulus, auctore Auguſtino Oldoino, & Ludovico Jacobo à S.Carolo audiamus, ex quo colligi poterit, mendacium ſcripſiſſe Mornæum, qui Paulum *Pontificum illiteratiſſimum* criminatus eſt.

SCRIPTA.

Scripſit Paulus *Conſtitutiones Eccleſiaſticas*, quæ inveniuntur in Collectione Conſtitutionum edita Romæ anno 1638. Item literas Apoſtolicas plures, ut in Bullariis, & apud Lucam Waddingum, qui undecim earum in Annalibus Minorum ex Vaticanis M.SS. reſcripſit, videre eſt. *Pauli Scripta*

In Cæremoniali Romano reperitur lib.1.cap.1.ſect.7. *Ordo ſervandus in creatione novi Ducis à Paulo II. inſtitutus.*

Scripſit quoque Regulas Cancellariæ concinno ordine digeſtas uti teſtatur Geſnerus in *Bibliotheca abbreviata.*

Epiſtolas item plures, ac nonnullas Orationes.

Paulo Pontifici Rodericus Zamorenſis Epiſcopus *Speculum Humanæ Vitæ* dedicavit: alii alia opera. Janus Vitalis pacem publicam eidem hoc diſticho gratulatus eſt.

Aurea pax, felix concordia, copia rerum,
Tempora ſacrârunt, PAULE SECUNDE, tua.

Pppp 2 *ANNO*

ANNO CHRISTI MCCCCLXXI.

Imperatore FRIDERICO III. Auguſto.

DE

SIXTO IV. Pontifice Maximo.

CCXVI. *Franciſcus Ruvereus ſub Sixti IV. nomine Pontifex renunciatur.*

SIxtus IV. Franciſcus à Ruvere anteà dictus, genere Ligur, urbe Savona oriundus, in parentes habuit Leonardum à Ruvere, virum inter urbis ſuæ cives honoratiſſimum, ac præcipuis in patria magiſtratibus functum: matrem verò Luchinam Menleonam è familia *de Honeſtis* originem trahentem, quæ primariis in Urbe Savona familiis innexa, apud Ligures perilluſtris celebratur. Auguſtinus Oldoinus *in additionibus ad Ciaconium* multus eſt in oſtendenda familiæ Ruvereæ priſca nobilitate contra eos, qui temerè obſcurare eam, & ad ultimam piſcationis ignobilitatem deprimere conati ſunt.

Sixti vitæ primordia.

Franciſcus à teneris Minorum ordinem ſpontè ingreſſus, ſub cura Fr. Joannis Pinaroli non modò ordinis mores, ſed & litteras politiores ingenii bonitate tanto ſtudio perdidicit, ut brevi Ciceronis volumina partim ab aliis audierit, partim verò ingenii acumine nullâ alterius operâ per ſe ipſe intellexerit. Cherium, ubi adoleviſſet, profectus, Dialecticæ doctores ejus loci ita diligenter accurateque audivit, ut poſteà facultatem eandem incredibili plauſu & accurſu ipſe aliis publicè prælegeret. Papiæ deinde & Bononiæ celeberrimis Palladiis pari laude Philoſophiam juxta ac Theologiam excepit. Ætatis ſuæ anno vigeſimo in Capitulo generali Genuæ celebrato adeò copioſè, diſertè, & eleganter diſputavit, ut unus omnium doctiſſimus ſit habitus. Patavii demum Magiſterii gradu ſuſcepto, Philoſophiam ac Theologiam interpretatus, Bononiæ deinceps, Papiæ, Florentiæ, & Peruſij ſtipendio publico conductus per plures annos juventutem admirabili profectu docuit. Non multò pòſt Liguriæ Provincialis, deinde ordinis Procurator in Romana Curia, ac totius Italiæ Vicarius generalis, Peruſij demum Magiſter Generalis totius ordinis electus eſt. At Patavij dum eſſet, Venetias iturus, Cardinalis, & poſt Pauli II. obitum, decem & ſeptem Cardinalium ſuffragiis, ſummus Pontifex renunciatus, dictus eſt Sixtus IV.

Diverſa de Sixti electione ſententiæ.

Porrò ut ſunt varia hominum judicia, ita circa hujus viri ad Pontificatum aſſumptionem diverſæ fuerunt ſententiæ. Affectus quò vult hominem rapit. Qui ultorem ſcelerum, aut parùm ſibi propitium ſenſerunt (ut fuit Joannes Michaël Brutus Florentinus, & ſi quis alius) prorſus dignitate illa ſuprema in Eccleſia indignum Sixtum deblaterarunt. Alii tamen, qui beneficum & liberalem experti ſunt, digniſſimum omnium deprædicarunt. Onuphrius Panvinius, Philippus Bergomenſis, & alii eum à virtute, à litteris, à manſuetudine, à liberalitate, à grato animo, à zelo propagandæ fidei,

fidei, tuendæque dignitatis Eccleſiaſticæ agglomeratis laudibus concelebrant. Ubertus Folietta diffuſo pariter elogio eum cohoneſtat: Fulgoſius non ineptè eundem cum Nicolao V. etiam Ligure ſtudet comparare: Papyrius Maſſonius præaltum ingenium à natura accepiſſe graviſſimarum artium capax, eumque animi magnitudine maximis Europæ Regibus non imparem fuiſſe affirmat. Jacobus Meyerus voirum doctum, probum, ac virtuoſum appellavit, de quo hi extant verſus:

Laudatur à multis.

Non aurum, non nobilitas, ſed maxima virtus
SIXTE tibi imperium Pontificale dedit.
Diſcite ab exemplo, quantum valet ardua virtus?
Hac meruit SIXTUS Pontificale decus.

Et Janus Vitalis, referente Garimberto, paucis verbis de eodem maxima cecinit:

Si merita, & laudes ſunt munera Principis: unus
SIXTUS erat Princeps laudibus, & meritis.

Extulit eundem Platinæ Continuator his verbis: *Vir certè non minùs arte, quàm ingenio clarus fuit: politioribus litteris à teneris annis apprimè imbutus, labore incredibili ad divinarum humanarumq; artium apicem conſcendit, ut omnes facilè Italos litteris laceſſere & vincere potuerit: quod clarè produnt ex ejus chartaceo ſcrinio nonnulla ejus opera, concinnè aquè, ac eleganter ſcripta, qua jam in lucem prodierunt.*

Sixti virtutes.

Cæterùm ut ante Pontificatum adeptum Sixtus clemens, pius, & in omnes manſuetus extitit; ita magiſtratu ſummo inſignitus, omni virtute cœpit cœteros antecellere, ad vitia teſtudineus, ad virtutes & bonarum artium ſtudia equis veliſque ocyùs anhelabat. In pauperes pius, in Religioſos munificus, in litteratos liberalis, & ad jus cuique reddendum vigilantiſſimus erat. Principes clade militare patriâ extorres, & proprio regno pulſos, præſertim Palæologorum filios, Cypri, Boſſinæque Reginas Carlottam & Catharinam, alioſque complures à Turca infeſtatos, qua potuit arte & ope paternè juvit. Urbem Romam cœnoſam, & ſtrati penè expertem, carioſa vetuſtate deſolatam, nec non debilioribus fulcris nutantem, omni ope inſtaurare, exornare, ſtratis, ac compitis cultiſſimè ampliare ſategit Pontem Janiculenſem injuriâ temporum disjectum ruptumque publicæ commoditati decorique maximâ impensâ ex lapide Tiburtino reſtituit, deque ſuo nomine *Pontem Sixti* appellavit. Quin & aliis innumeris id genus monumentis paſſim excitatis Romam ſibi adeò adſtrinxit, ut non injuriâ ipſius alter Romulus vocari poſſit. Placeat unum hoc loco audire Oldoinum: *Ædificia, qua Roma Sixtus excitavit, tot ſunt, ut ex ſolis lapidibus, quibus ejus nomen & inſignia ad ſingula ædificia inſculpta viſuntur, ingens palatium confici poſſe putemus.* Apud S. Petrum cultiſſimum Templum extrui juſſit, in eo complures Sacerdotes inſtituens, quos annuis proventibus liberaliter dotavit. Hoſpitale ſancti Spiritus Vaticano vicinum vetuſtate collabens, magnificè ad pauperum ſolatium, & languentium profugium inſtauravit, ibique ſuæ vitæ ſeriem manu Apellea cœlari voluit. Et quum ſumma religione Deiparam Virgi-

Romam inſtaurat, atq; exornat.

Ædificia ſacra inſtaurat

nem acri uredine pro ſuo more excoleret, ejus Templum (quod *ſanctam Mariam* dicunt) excidio & carie fermè obrutum, magnis ſumptibus reſtituit, annuoque proventu munificentiſſimè locupletavit.

Jubilæum celebrat. Idem quarto ſui Pontificatus anno (qui fuit Chriſti 1475.) ſacrum Jubilæum per totum Chriſtianum orbem honorificè celebravit, ut quæ diù vitia delituerant recondita, ſtatim corde contrito confeſſa, Chriſti fidelibus abluerentur: porrò eundem ſacrum annum, ad annum quemque vigeſimum quintum edicto reduxit.

D. Bonaventuram ac Joannem Boni Sanctis adſcribit. Anno verò 1482. licèt bellorum tumultibus diſtractus, Beatum Bonaventuram, magnum illud Ordinis Seraphici, Senatus Cardinalium, ac totius Eccleſiæ Catholicæ lumen, doctrina & miraculis clariſſimum, ducentis & octo jam antè annis in Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio Papa X. ex hac luce ſubtractum, in ſanctorum Confeſſorum catalogum ſolemni ritu retulit: cujus extat ea de re Conſtitutio *Tom. 1 Bull.* Cœleſtes quoque honores decrevit Joanni Bono, viro Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, ſanctitate & prodigioſis ſignis claro.

Regem Hiſpaniæ contra Mauros juvat. Cùm autem Ferdinandus Hiſpaniæ Rex bellum, *Granatenſe* dictum, contra Mauros inſtituiſſet, à Sixto Romano Pontifice impetravit, ut centum aureorum millia Sacerdotiis Hiſpaniæ imponerentur, datâ inſuper per ipſum Romanum Pontificem peccatorum veniâ *Cruciata* nomine iis, qui aut voluntarii arma ſumerent, aut certam ſtipem ad bellum illud conferrent, idque tertio anno repetitum, neque intermiſſum conſequenti tempore, durante adhuc eodem bello.

Quæ ei vitio dentur? Ut ut Sixtus plurima immortali laude digna facinora ediderit, hoc tamen eidem dant vitio, quod ſuos ſupra modum amaverit, humana divinaque præter juſtitiam eis contribuens. Multorum judicio pariter injuſtè tumultu bellico totam Italiam vexaſſe viſus eſt. Laurentium enim Mediceum, qui tum Florentinis præerat, ſacrâ cenſurâ in primis proſcribens, bellum Florentinis indixit, quòd Raphaëlem Cardinalem ex ſorore Violante nepotem carcere; Franciſcum verò Salviatum Archipræſulem Piſanum cum complicibus ſuſpendio affecerint, quoniam Julianum Mediceum Laurentii fratrem, egregium adoleſcentem in templo S. Reparatæ à ſuis ſicariis obtruncari fecerant. Hac enim tempeſtate inſigni injuria, utcredebat Sixtus, provocatus, ſuaſu Hieronymi Riarii comitis agnati ſui, atque Ferdinandi Apuliæ Regis, in Hetruria caſtra metatus, Florentinos magnis damnis oppreſſit, donec re diligentiori examine diſcuſſa, Franciſcum Salviatum reum eſſe cognovit, ejusque non improbato ſuſpendio, Laurentium Mediceum à cenſuris abſolvit. Conjurationem in Mediceos conceptam, Juliani necem, & conjuratorum ſupplicia fuſiùs deſcripſimus in Purpura docta *libro. 3. n. 51.* dum acta Raphaëlis Riarii Cardinalis recenſeremus.

Cum Venetis bellum gerit, eosque anathemate afficit. Cæterùm nec Venetus Senatus Italicæ calamitati defuit, qui Herculem Eſtenſem Ferrariæ Ducem armis circumvallans, in Ferrariæ agros ſævillimè debacchatus eſt. Hinc Sixtus Ferdinando bellum indixit, quòd nollet Herculi Eſtenſi contra Venetos, longa

eum

eum obſidione prementes, auxiliari. Poſteà verò rebus cum Ferdinando compoſitis, ejus auxilio & armis fretus, Venetos acerrimè fatigavit, ſacriſque interdictos ac dignitatibus ſpoliatos excommunicavit concitatis in eoſdem, quos potuit, Italiæ Principibus. Nec ipſo ſuperſtite, abſolutionis munus eis impenſum eſt.

Immaculatæ B. Virginis Conceptioni favet.

Datur verò hoc præcipuæ laudi Sixto, quòd ad avertendam peſtilentiæ, calamitatem quæ Romam poſt Tyberis inundationem graviter affligebat; & ad cultum beatiſſimæ Virginis ſolidiùs ſtabiliendum propagandumque, tertio Kalendas Martii *Conſtitutionem* ediderit, qua omnibus, qui immaculatæ Virginis Conceptionem devotè celebrarent, & Miſſæ atque officio ejus, à ſe diſpoſito & inſtituto intereſſent, aut officium privatim recitarent eaſdem impertierit Indulgentias, quæ ab Urbano IV. & aliis Pontificibus conceſſæ fuerant in Corporis Chriſti ſolemnitate.

Edit de hac re Conſtitutionem.

Poſt quæ cùm diverſorum Ordinum Evangelii præcones in ſacris colloquiis, ac libris editis aſſerere non erubeſcerent, eos, qui crederent *B. Virginem abſque originalis peccati macula fuiſſe conceptam*, mortaliter peccare, vel eſſet hæreticos: & qui *Officium Conceptionis Virginis immaculatæ* celebrarent, peccare graviter, ſeptimo pòſt anno videlicet Chriſti 1483. aliam Conſtitutionem promulgavit, qua ejuſmodi omnes Oratores, Scriptores, & aſſertores damnavit, & in eiſdem ſuis aſſertionibus perſeverantes excommunicationi ſubjecit; ſicut & illos, qui contrariam ſententiam, quouſque à Romana Eccleſia deciſa res eſſet, ſimiliter peccati mortalis, aut hæreſis accuſarent. Juſſit inſuper, ut *Conceptionis feſtum*, quod Eccleſia Romana celebrat, in tota Eccleſia ad laudem beata Virginis cum octava celebraretur: Romæ verò in templo Vaticano proprium extruxit ſacellum in Virginis immaculatæ honorem. Alio Savonæ in S. Franciſci Clauſtro erecto magnificentiſſimo Sacello ſuam in Virginem religionem peculiari affectu teſtatam voluit, bis millibus aureorum in ejus ornamentum tranſmiſſis per Raphaëlem Ferrerum è Romana legatione Savonam tum redeuntem.

Diſſidium inter Franciſcanos & Dominicanos, ob ſtigmata S. Catharinæ Senenſis ortum componere ſtudet.

Alteram quoque de ſacris Stigmatibus B. Catharinæ Senenſis controverſiam inter Dominicanos & Franciſcanos exortam ſopire conatus ex Sixtus: Hæc Franciſcani negabant; id privilegii ſoli Franciſco Seraphico datum fuiſſe aſſerentes: contra Dominicani etiam Catharinæ conceſſum defendebant. Prævaluêre Franciſcani apud Pontificem Franciſcanum in tantum, ut is cenſuris vetuerit Imagines ſanctæ Virginis cum ſtigmatibus pingi, unde non levis in Dominicanos obloquentes perſecutio cœpta eſt: quæ non ſine ſcandalo eò uſque perduravit, donec Pontifex quieti ſtudens, ſublatis cenſuris indiſcretum Franciſcanorum zelum cohibuit. Sub Clemente VIII. eadem Controverſia iteratò revixit: verùm, donec ſacra Rituum Congregatio, cui examinanda commiſſa eſt, quid tenendum ſtatuiſſet, juſſi ſunt contendentes ab omni jurgio abſtinere. Ventilato negotio, ſtetit à Dominicanis ſacra Congregatio, ut videre eſt in Breviario Romano die 30. Aprilis, qua feſtum S. Catharinæ ſtigmatibus claræ ſub ritu duplici celebratur. Plura de Sixto qui volet, adeat Ciaconium, ejuſque augmentatores Victorel-

lum

lum & Oldoinum, ac Palatium, multa memoratu digna de eo referentes: unum hoc ego ex Waddingo addam, fors minùs notum:

S. Franciſcus corpus Aſſiſii veneratur. Sixtus in minoribus conſtitutus ſemper concupivit ſanctiſſimum Seraphici Patris corpus intueri: ſed obicem aliis ponentibus tum non licuit. Romanus verò creatus Pontifex, ſua fretus auctoritate ſtatuit anno noſtræ ſalutis 1476. Aſſiſium pergere, pleneque votis potiri. Abiit itaque ſub menſem Junii, ac protractâ aliquâ morâ Spoleti & Fulginei, interfuit numeroſiſſimo cœtui ex univerſa Europa ad Indulgentiam *Portiunculæ* diebus primo & ſecundo Auguſti confluenti. Habito ea occaſione ſecreto colloquio cum Miniſtro generali ſub altum noctis ſilentium deſcendit per occultos receſſus ad ſubterraneam Eccleſiam, in qua virum ſanctiſſimum ſtantem in pedes erectum, reverenter, & cum lacrymis veneratus eſt. Duos tantùm adhibuit comites, Joannem Arcimboldum Cardinalem Archipræſulem Mediolanenſem, & Andream de Nurſia Præfectum excubiarum, tum facem Pontifici præferentem. Hi omnes ſacra vulnera viderunt, palpârunt, & oſculati ſunt. Pontifex propriis manibus ex capitis cincinno capillos abſcidit, quos dum vixit ſummo in honore ac veneratione habuit.

Sixti obitus. Anno ſalutis 1484. Pridie Idus Auguſti, bello tota Italia flagrante, Sixtus Pontifex ſeptuagenarius, febrili calore correptus & podagra, Pontificatus ſui ſupra diem quartam anno decimo tertio, Eccleſiæ myſteriis ritè proviſus, in Vaticano palatio expiravit, mortem ejus terrifico cometa præſignante. Corpus ſubter veſtes pontificias, S.Franciſci habitu indutum, atque ad Baſilicam S.Petri modicâ pompâ deductum, curante Juliano Cardinale Ruvereo nepote, Æneo admirandi operis monumento conditum eſt, cum ſequenti Epitaphio.

Epitaphium.

SIXTO IV. PONT. MAX.

Ex Ordine Minorum, doctrina & animi magnitudine omnis memoria Principi: Turcis Italia ſubmotis, Auctoritate Sedis aucta, Urbe inſtaurata Templis, Ponte, foro, viis; Bibliotheca in Vaticano locupletata, Jubilæo celebrato, Liguria ſervitute liberata, cùm modicè, & plano ſolo condi ſe mandaviſſet,

JULIANUS CARDINALIS PATRUO B.M. MAJORE PIETATE QUAM IMPENSA FIERI CURAVIT.

Obiit Idib. Sextil. hora ab occaſu quinta anno Chriſti 1484. vixit annos 70. dies 22. horas 12.

Sunt & alia complura monumenta auro, argento, æri, ac marmori inciſa, Sixti famam, munificentiam, pietatem, liberalitatem, zelum, & religionem in Deum, ſuperos, & Eccleſiam teſtantia, quæ legi poſſunt apud Auctores paulò antè laudatos.

S C R I P T A.

Ejus Scripta. Scripſit Sixtus *de Potentia Dei* Commentaria, quæ extabant m.ſſ. Piſauri in Bibliotheca Sereniſſ. Ducis Mediolanenſis: hoc tamen Opus idem eſſe cum illo, quod edidit contra errores cujuſdam Bononienſis, nonnulli affirmant. De

De Conceptione immaculatæ Virginis lib. unum.

Epiſtolarum Volumen, quarum tres ſupra quadraginta reſcripſit in Annalibus Minorum Lucas Waddingus.

De futuris contingentibus lib. 1.

De Sanguine Chriſti, lib. unum.

Tractatum de Jure congruo.

De Ædificiis ad decorem Urbis conſtruendis.

Exhortationem contra Turcas.

Orationem in laudem beatiſſimæ Virginis: hanc devotè recitantibus undecim millium annorum Indulgentiam conceſſit. Eam ex antiquis horis Pariſienſibus reſcripſêre Jo:Baptiſta Grimaldus *in Manuali Mariano*, & Hippolytus Marraccius *in Pontificibus Marianis.*

Edidit etiam *Formam Confeſſionalem*, teſte Oldoino.

Item Ordinem ſervandum in Benedictione, & Inveſtitura novi almæ Urbis Præfecti.

Ad Sixtum IV. extat inſignis epiſtola Cardinalis Papienſis, in qua fatetur Pium II. ante Pontificatum Sixti ingenio multum tribuiſſe, & de ſumma ejus doctrina candidè ſenſiſſe. Franciſcus Philelphus Orator & Poëta ejus ævi præcipuus, plures ad Sixtum orationes habuit. Trithemius ejus eruditionem & pietatem ſummis pariter laudibus extollit ad morem aliorum.

Theodorus Gaza olim Sixti Encomiaſtes, poſteà detractor, & quare?

Senſit etiam perhonorificè de doctrina & moribus Sixti Theodorus Gaza Theſſalonicenſis, vir in utraque lingua doctiſſimus, in præfatione ad Libros Ariſtotelis *de Animalibus*, quos ei cum uberi encomio obtulit. Sed ut non ſolent ferè ejuſmodi dedicationes Operum niſi ad proprium commodum fieri, nec laudes, quæ eisdem inſeruntur, adeò ſolidæ exiſtimentur, niſi in ipſa hominum vita & converſatione fundamentum nanciſcantur, periiſſet ſanè per Theodorum Sixti fama, niſi firma ac certa aliundè teſtimonia liberalitatis & litterarum amoris habuiſſet. Dicitur enim Theodorus, cùm præclaras ſuas lucubrationes in membranis accuratè perſcriptas Sixto detuliſſet, nec pecunia vel ipſius librarii præmio digna redderetur, (ducentos tantùm aureos datos volunt) nummos omnes præ indignatione projeciſſe in Tyberim, ſubdito; *Effugere hinc lubet, poſtquàm optimæ ſegetes in olfactu præpinguibus aſinis ſordeſcunt.* Si ubertim ſatisfeciſſet Sixtus, generoſiſſimus fuiſſet equus Theodoro, vel potiùs aquila ſupervolans in cœlis: quia verò non ſatisfecit ad libitum, inter aſinos rudere juſſus eſt. Sed quid hoc aliud amabò eſt, quàm aurum, dum laudas, aucupari? &, ni pendatur, hominem cætera laudabilem, illaudabilem criminari. *Aurum, non hominem laudas, qui ut aurum avehas, hominem evehis*: inquit alicubi Terentius.

ANNO CHRISTI MCCCCLXXXIV.

Imperatoribus Friderico III. & Maximiliano I. Auguſtis.

DE INNOCENTIO VIII. Pont. M.

CCXVII. *Innocentius VIII. nobili Cyborum familia ortus.*

INnocentius VIII. ante adeptum Pontificatum Joannes Baptiſta vocatus natus proditur anno 1432. Genuæ, Metropoli Ligurum terra marique potentiſſima, familia Cyborum vetuſta nobilitate, apud Neapolitanos etiam ſub *Tomacellorum* cognomine inſigni: ex qua & Romanus Pontifex Bonifacius hujus nominis Nonus, & complures alii purpura, infulis, ac magiſtratibus ſpectabiles viri prodière: ut longa ſerie in vita Innocentii, de quo agimus, recenſet Panvinius. Patrem nactus eſt Aaronem Cybo, virum equeſtris ordinis clariſſimum, qui & in regenda Neapoli, & Prætura Romana adminiſtranda (ut paucis dicam) mirificè pluribus annis excelluit: matrem habuit Mariam de Mari, matronam inter Genuenſes facilè nobiliſſimam, morum venuſtate, virtutibus, ac pietate inclytam. *Ejus primordia.* Liberalibus, cùm primùm per ætatem licuit, à parentibus traditus diſciplinis, ad eruditionem magis, quàm oſtentationem profecit. *Uxorem ducit, qua mortua, Epiſcopus evadit.* Ductâ poſtmodùm uxore, eâque non improli mortuâ, ſacris initiatus Eccleſiaſticis, Romam veniens in clientelam Philippi Cardinalis Calandrini Bononienſis, Nicolai V. quondam Pontificis germani, ſe contulit, qui ejus virtuti tantùm tribuit, ut ipſius fidei ac diligentiæ proprii corporis ac rerum ſuarum curam crediderit, & per omnes eum gradus ad Epiſcopatum uſque provexerit. Quo in ſtatu tantam omnium ſuaviſſimis moribus benevolentiam ſibi conciliavit, ut aſſumptus ad ſupremam cathedram Sixtus ejus nominis Quartus, quem priùs ob ejus ingenii amœnitatem, eruditionem atque modeſtiam, majorem in modum dilexerat, in Prælatum domeſticum, & Datarium (quod eſt excellens primæque exiſtimationis in Curia Romana officium) aſciverit. In quo ita ſe induſtrium, fidum, vigilantem, & integrum geſſit, ut creſcente in dies magis magiſque ipſius apud Sixtum auctoritate & gratia, non ſolùm ex Savonenſi Eccleſia à Paulo olim II. obtenta, ad Melphitenſem translatus, verùm etiam in ampliſſimum Purpuratorum Senatum ſummo omnium conſenſu, voto, & gratulatione fuerit cooptatus. *Cardinalis creatur.* Auctus hac dignitate, Senatorias partes uſque adeò integrè ſanctèque obibat, ut nemo eo in frequentando Senatu diligentior, nemo in dicendis de rebus maximis ſenſentiis gravior, liberior, opportunior ſit viſus. Aderat aſſiduus etiam publicis rei divinæ ſolemnitatibus; & præter ſuam, quàm promptiſſimè obibat, aliorum quoque abſentium vicem hilari mente, animoque devoto ſupplebat. Alebat prætereà vir ditiſſimæ paupertatis multam honeſtamque familiam tanta moderatione, ut in recta privatæ domus gubernatione, juxta ſcitam Apoſtoli traditionem, optimum ſe univerſalis Eccleſiæ Rectorem futurum demonſtrârit. *Variis legationibus egregiè fungitur.* Præbuit tamen priùs majus de ſe ſpecimen probitatis: demandatam ſiquidem turbulentiſſima peſtilentiæ tempeſtate legationem Romanam (Sixto IV. cum tota curia Urbem deſerente) ſanctè, integrè, ac etiam pacatiſſimè adminiſtravit. Senenſem quoque legationem difficillimis ſanè temporibus tanta prudentia & magnitudine animi geſſit, ut ex ea ſplendidiſſimam laudem reportaverit. Deſignatus eſt deinde in Germaniam Legatus, tum ut Cæſarem Fridericum III. & Matthiam Corvinum

vinum Hungariæ Regem multis jam annis exitiali bello decertantes conciliaret; tum ut Conventui Norimbergenſi proxima Quadrageſima indicto, Pontificis nomine, intereſſet: ei enim muneri ob integritatem, rerumque peritiam maximè idoneus eſt viſus: ab omnibusque ejus operâ duos præſtantiſſimos Principes in concordiam reduci poſſe exiſtimatum. Verùm aliis poſtmodùm ſupervenientibus negotiis legitimè impeditus, eò profectus non eſt, Sixto vices ejus per alium inferiorem Epiſcopum minore incommodo ſuppleri mandante.

Noviſſimè anno ſalutis 1484. mortuo Sixto, viginti quinque Patrum ſuffragiis (Juliano Ruvereo Epiſcopo Oſtienſi, & Roderico Borgia Vicecancellario maximè annitentibus) ex Presbytero Cardinali tit. S. Laurentii in Lucina, IV. Kalendas Septembris Pontifex maximus renunciatus eſt, qui in recordationem Innocentii IV. pariter Genuenſis, cujus memoriam ſanctè colebat, Innocentius VIII. appellari voluit, aſſumpto Symbolo: *Ego in innocentia mea ingreſſus ſum.* Coronatione verò ad Pridie Idus Septembris peracta, Pontificatum ingreſſus, eâdem, qua privatus vivere conſueverat, humanitate & manſuetudine vixit: ut idem ſemper, ſervato tamen decore, videretur; nec immutati in eo mores, ſed aucta tantùm dignitas, cognoſceretur. Quanta verò ſermonis dulcedine & elegantia, quanta perſpicacia atque memoria, quàm aptis rationibus & poſtulata colligeret, & petentibus reſponderet, nemo unquam ſine admiratione potuit audire. Obſervabat illud, quod eſt Principis proprium, ut ſive concedendo, ſive negando neminem à ſe triſtem dimitteret. Omnem curam ac diligentiam ad ſubditorum commoda, ad tuendam Eccleſiæ dignitatem, ad extinguendas rebelliones, ad religionem propagandam converterat. Præterea ad majores dignitates viros extulit eruditos & probos: erat enim ipſi inſita vera bonitas, quæ illum ad quaſcunque optimas actiones propenſiſſimum ſuper omnia reddebat. Fuit & in pauperes, viduas ac pupillos mirè miſericors, afflictorum non minùs conſolator, quàm Principum exulum ſuſceptor liberalis, & Dei ac Sanctorum ejus pientiſſimus venerator.

Pontifex renunciatur.

Summa cum laude præſt.

Porrò pacis atque tranquillitatis ſtudioſiſſimus, Chriſtianos Principes omnes frequentibus Nunciis hortabatur, ut poſitis mutuis diſſenſionibus ac bellis, fœderibus juncti, Turcarum vires toto jam Orbe terrarum formidabiles retunderent. Venetos ob bellum cum Ferrariæ Duce geſtum ſacris à Sixto IV. interdictos abſolvit. Cùm ſingulis Principum Chriſtianorum & Rerumpublicarum Oratoribus, qui ad eum honoris aut negotiorum cauſa venerant, de pace communique concordia ſollicitè agebat, altè eorum menti imprimens; bellorum incommodis violari Templa, ſummi Dei cultum intermitti, Urbes diripi, virgines incæſtari, fruges & bonorum quodcunque genus populari. Hæc & id genus alia ſæpè repetebat, quibus Principes ad pacem pronos redderet.

Pacis ſtudioſus bellum in Turcas optat.

Tum ad componendas res Eccleſiaſticas converſus, quum Romanis ſua privilegia renovâſſet, Urbem caſtigandis nefariis hominibus, boniſque publicis honoribus evehendis, purgavit. Publicè ſe ad-

Bonos evehit, malos caſtigat.

ſe adeuntes patientiſſimè audivit, iisque, quod æquitas & ratio ſuadebat, clementer indulſit. Jus ſeveriſſimè à ſuis Magiſtratibus dici mandavit: corruptorum exceſſus legibus coërcuit, ac *Mamaluchorum* officium à Sixto introductum antiquavit.

Leopoldum Auſtriæ Marchionem Sanctis adſcribit.

Anno ſalutis 1485. ipſo Epiphaniæ feſto B. Leopoldum Auſtriæ Marchionem, cognomento *Pium*, ob vitæ ſanctiſſimè actæ claritatem, & miraculorum gloriam, inſtantibus Friderico III. & Maximiliano I. Impp. Sanctorum Albo inſeruit. Eodem Anno Ambroſium Coranum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Vicarium Generalem in Arcem S. Angeli conjecit, quòd dixiſſe culparetur: *Innocentium VIII. in tenebris fuiſſe genitum, in tenebris vivere, ac in tenebris moriturum.* Ita Ciaconius: Panvinius verò ob veteres ſimultates in arcem compactum ſcribit. Fulminavit etiam terribiles pœnas & anathemata, in fœminas veneficas, incantatrices, & quoſcunque Diaboli obſequio mancipatos. Statuit quoque, ut Judices Sæculares Inquiſitorum hæreticæ pravitatis ſententias contra hæreticos latas, non inſpectis proceſſibus, exequantur. Hæc & alia decreta habentur *Tomo I. Bullarij.*

Malorum oſor acerrimus.

Seditio Columnnos inter & Urſinos.

Cum gravi morbo Innocentius decubuiſſet, Proceres Urſini, Virgilio & Paulo auctoribus, veteri factione ſuſcitata, infeſta Columnenſibus arma, quorum Principes erant Proſper & Fabricius, intulerunt: Pontificisque, qui convaluerat, hortationibus neglectis, inteſtinis bellis & ſeditionibus ſe invicem, non ſine maximo Urbis & finitimarum regionum damno ac clade, lacerabant. Hi adeò in mutuam perniciem exarſerant, ut omnia non niſi cædibus, rapinis, incendiis tranſigerent, bonis Romanorum civium ubique direptis, Pontifice fruſtra reclamante, cui Virginius Urſinus tunc infenſiſſimus erat, quòd ipſum palatii Apoſtolici præfecturâ Juliani Card. S. Petri ad vincula hortatu, privâſſet. Eo bello nonnulla Vrſinorum caſtra ac oppida à Columnenſibus direpta.

Bellum inter Ferdinandum Regem & Innocentium.

Inteſtinum Procerum Romanorum bellum, majus externum ſuſcitatum ſedavit. Ferdinandus namque Rex Neapolitanus, Comite Montorii ob quaſdam ſuſpiciones ſecuri percuſſo, Aquilanos Comiti fœdere junctos, & omnes Regni ſui Proceres contra ſe concitavit: qui ad cauſam dicendam Neapolim à Rege evocati, quum ipſius iram veriti comparere recuſarent, Aquilanis, qui regio Prætore interfecto defecerant, conjuncti, Pontificem maximum & Venetos in auxilium ſollicitârunt. Hos Pontifex imperitorum hominum conſiliis impulſus, ut opulentam Urbem Eccleſiaſtico imperio adjiceret, fovendos tuendosque ſuſcepit, occaſionem eò cupidiùs amplexus, quòd in Regem anteà non optimè animatus erat, ob annua tributa, quibus ex fœdere adſtrictus erat, Eccleſiæ non perſoluta. Copiis igitur non contemnendis comparatis, Proſperoque & Fabritio Columnenſibus cum Joanne Sabello ſibi fœdere conjunctis, Urſinos quoque in ſuam amicitiam invitavit. Sed hi Neapolitano obſtricti, arma in eum ſuſcipere recuſarunt. Venetis inſuper in belli ſocietatem accitis, totius Eccleſiaſtici exercitus Robertus Sanſeverinas lectus eſt imperator, vir militari diſciplina clarus, Legatus verò Joannes Michaëlius Card. Veronenſis creatus, qui Roberto militanti conſiliis aſſiſteret.

Interim

Ferdinando accedunt Florentini.

Interim Ferdinandus graviſſimis periculis implicitus à Florentinis,& Inſubrum Duce auxilia poſtulavit,quæ non modò facilè impetrata, ſed celeriter etiam tranſmiſſa, Pontificis rerum bellicarum imperiti conſilia perturbarunt. Oderant eum valdè Florentini, quòd Lunenſi bello Liguribus contra ipſos faviſſet. Urſini, qui aperta vi à Pontifice defecerant, à Rege ſtipendio conducti, in ejus caſtris adverſus Pontificem militabant. Nam regiarum copiarum Præfectus eo bello fuit Virginius Urſinus,qui Columnenſium Pontifici militantium acerrimus & perpetuus hoſtis erat.

Innocentio ſe contrà Aquilani.

Belli initio Aquilani, regiis præſidiis omninò pulſis, Pontifici ſe ultrò dedunt. Urſini regiis copiis aucti, Columnenſium, & viciſſim Columnenſes à Pontifice adjuti, Urſinorum agros & oppida flamma ferroque vaſtârunt. Pugnabatur ad Anienis pontes, omniaque ſuburbana oppida, quæ in Hetruria Urſinæ ditionis erant, Arragoniis favebant. Belli dux Robertus Sanſeverinas ad Urbis præſidium accitus, eorum impetum ſuſtinens, non ſatis pro vetere cùm fidei, tum virtutis opinione rem gerebat. In Urbe enim moram ac diem trahens, aliam atque aliam atque aliam rem cauſatùs, tertio poſtquam venerat menſe, Nomentanum tantùm pontem, qui ab Urſinis militibus tenebatur, expugnavit. Ibi ejus filii Fracaſſi pila tormento emiſſa faciem defœdavit. Nomento deinde in deditionem accepto, pecuniis multoque commeatu fruſtrà conſumptis, Romam inglorius revertitur.

Pacem coactus init: pacis conditiones.

Vigente hoc bello in Hetruria omni Eccleſiaſticæ ditionis, & præſertim Viterbii tumultuatum eſt. Pontifex à ſuis ſe deceptum ſentiens (maximè quum Alphonſus Calabriæ Dux copioſo cum exercitu Latium, & Hetruriam, multis oppidis captis & direptis, vexaret) belli temerè ſuſcepti, eas poſtremò pœnas dedit, ut neceſſariam potiùs, quàm decoram pacem, nonnullorum Cardinalium interventu, perferre ſit coactus, Joanne Balues Gallo Cardinale maximè contradicente, qui Pontifici Regem Francorum propediem auxilio affuturum dicebat. Pacis conditiones præcipuæ fuêre: *Ut Rex Ferdinandus Romanæ Sedi annuum vectigal* (quod erat viginti millium ducatorum) *penderet: Regni Proceres rebelles, nullâ inflictâ pœnâ, ſervaret incolumes. Ut Pontifex pro arbitrio omnia Regni ſacerdotia diſtribueret: ut Aquilanis ſua libertas ſalva conſiſteret: ne Pontifex impedimento eſſet, ſi Galli in Regnum impetum aliquando facturi eſſent: ut Urſini, & in his Virginius, Pontificis arbitrio ſe totos dederent, & ſupplices veniam peterent.* Rex Hiſpaniæ, Ludovicus Sfortia, & Laurentius Medices pro Rege Ferdiando pacis vades fuêre.

Ferdinandus ob non ſervatum fœdus anathemate percutitur.

Cùm verò Ferdinandus, quæ in pacis fœderibus ſpoponderat, minimè præſtaret, quòd diceret, Pontificem belli geſti originem fuiſſe, in quo tantum ipſe expendere coactus fuiſſet, ut cenſus integer abſorptus eſſet; Pontifex rei indignitate commotus, Regem tertiò monitum, ſed minimè obſequentem, publico anathemate ob non ſolutum vectigal notavit; Gallorum Regis in primis ad id litteris concitatus. Quin & Regno poſteà Nepolitano eundem privavit, privatumque edicto publicavit in gratiam Galliæ Regis, affirmantis id regnum ad ſe ex legitima ſucceſſione, & hæreditate pertine-

Territus redit ad obedientiam.

tinere: ad quod recuperandum, annuente ultrò Pontifice, jam jam arma parare conſtituerat. Ferdinandus non tam cenſuris Pontificis, quàm Gallica expeditione territus, ſuadentibus Italiæ Principibus, qui vades pro eo erant, vectigal Eccleſiæ debitum, juxta ac obedientiam Pontifici præſtitit. Unde inter neptem Fontificis Baptiſtinam, & Regis Ferdinandi fratruelem Ludovicum de Arragonia ſolemnes nuptiæ ſecutæ, pacem inter utrumque pactam, ſublatis ſimultatibus, firmavêre.

Innocentius Romanorum diſſidia componit.

Bello Neapolitano confecto, Innocentius ad pacis ſtudia converſus, Cives aliquot Romanos, quorum capita erant Marganii & Sanctacrucii, armis feralibus diſſidentes, item Urſinos & Columnenſes adhuc diſcordes, ſumma diligentia conciliavit: quum nihil antiquius duceret, quàm Urbis quieti, copiæque ſtudere. Unde toto ejus Pontificatu, & annonæ maxima ubertas, & Urbs à graſſatoribus latrociniiſque, quibus bello durante maximè obnoxia fuerat, tuta fuit, cùm eſſet in vindicandis criminibus inexorabilis. Nam

Renovat Edicta contra facinoroſos.

& Pii II. Pauli II. & Sixti IV. edicta contra homicidas & ſicarios renovavit, & omnes inquietos Urbe & ditione Eccleſiaſtica ejecit. Duos fratres Franciſci Bubali filios, Petrum & Hieronymum, qui ſeditioſis omnibus receptaculum erant, ob potentiam diu impunitos, una die ſimul capi, & ſecuri percuti mandavit, quanquam cum parente ipſorum longo anteà tempore amicitiam contraxiſſet. Dominicum etiam Viterbienſem, & Franciſcum Maldentem, nobiles viros, & Scriptores Apoſtolicos, ſed falſarios, omnibus ſuis reclamantibus, ſuſpendio enectos in medio foro comburi juſſit. In Bucalinum Auximi Tyrannum in cives ſuos ſævientem, qui urbe ex privato occupata, ab Eccleſia defecerat, copias movit, & non ſine magna ſtrage expugnatum, captivum, ſupplicioque afficiendum ad Ludovicum Sfortiam Inſubrum Ducem tranſmiſit, cujus præcipuè ope id bellum, duce Joanne Jacobo Trivultio, confecerat. Cum Venetis, quos ſemper amicos habuit, fœdus renovavit.

Suis extollendis ſtudet.

Cùm ante Pontificatum, ut diximus, aliquot filios ex nobili puella Neapolitana ſibi connubio juncta ſuſcepiſſet, duos ex his Pontificatui ſuo ſuperſtites magnis honoribus & opibus evexit. Nam Franciſco oppida nonnulla Romæ vicina, ſacro Senatu conſentiente, dedit; eidemque Laurentii Medicei filiam Magdalenam formoſiſſimam puellam matrimonio junxit. Alteram filiam Theodorinam, Gerardo Uſumari nobili Genuenſi nuptam, magnis divitiis cumulavit: in reliquum ſanguinem parcus & illiberalis habitus eſt.

Cardinales creat.

Una creatione octo Cardinales prioribus adjunxit, inter hos Laurentium Cybo fratris ſui filium Archiepiſcopum Beneventanum virum literis & virtutibus conſpicuum; & Joannem Mediceum Laurentii filium, nurûs ſuæ fratrem, annum ætatis duodecimum vixdum egreſſum, qui poſtmodum Papa creatus, & Leo X. vocatus, decus extitit ſereniſſimæ illius domus: item magnum Hoſpitalis Rhodi Magiſtrum fratrem Petrum *D'aubuſſon*, qui ideo inter Patres purpuratos lectus fuit, quòd ejus operâ Zizimus Mahometis filius, prælio à fratre Bajazete apud Pruſſiam Bythiniæ victus, in

ſuam

Digitized by Google

ſuam poteſtatem veniſſet. Is Rhodum cùm fugiſſet, ab Inſulæ Magiſtro ad Francorum Regem, à Rege ad Pontificem miſſus eſt, qui Chriſtianis ad concordiam reductis bellum ejus opera Turcis inferre meditabatur. Vixit Zizimus toto deinceps Innocentii Pontificatu Romæ in Vaticano honeſtâ cuſtodiâ tentus, ad cujus ſuſtentationem frater Bajazetes Conſtantinopolitanus Imperator quadraginta aureorum millia annuatim, dum vixit, miſit. De Zizimo fuſè egimus in Purpura docta *lib. 3. n. 57.* dum Petri Aubuſſonii Card. geſta proſequeremur: qui locus lectori curioſo non fruſtrà indigitatur.

Zizimus Mahometi filius.

Pontifex interim Ducem Ferrariæ Herculem Eſtenſem voti reum Romam venientem ſplendidè in ædibus Vaticanis ſuſcepit. Factum eſt autem ejuſdem Pontificis humanitate, ne dicam nimia indulgentia, ut aliquot Urbium Eccleſiaſticarum Proceres ſuperbè ſe ſe efferentes, Urbibus, quibus præerant, occupatis, tyrannidem in ſua quiſque patria conſtituerit. In his præcipuus fuit Joannes Bentivolus Bononienſis regulus. Idem factum Peruſii, Tuderti, Fulginei, Hortiſque. Quos poſteà tamen vel ipſe, vel qui ſecuti ſunt Pontifices, penitùs extinxêre. Innocentius autem ædificandi ſtudioſus, inſignes in Palatio Vaticano porticus, item villam Pontificum uſui (quam *Belvedere* vocant) extruxit. Fontes media S. Petri platea fecit: Baſilicæ Lateranenſis abſidem ante aram maximam, duabus ingentibus columnis ſuppoſitam, ædificavit: Diaconiam S. Mariæ in via lata à fundamentis conſtrui juſſit. Cujus exemplo excitati Patres multas per Urbem magnificas ſubſtructiones & ipſi aggreſſi ſunt. In his Petrus Gundiſalvus de Mendoza, dum tectum & abſidem tituli S. Crucis in Hieruſalem repararet, in medio Templi pariete partem Tituli Crucis Chriſti triplici lingua exarati invenit, ibidem à Placidio Valentiniano Imperatore ante mille annos recluſi. De hoc Titulo eleganter ſcribit Andreas Victorellus in vita Innocentij VIII. quem legiſſe non pigebit. Contigit etiam, ut eodem anno, quo Titulus Chriſti inventus eſt, Bajazetes Turcarum Imperator, ut Pontificem fratris captivi cauſâ ſibi gratiorem redderet, pro magno munere *Ferrum haſtæ*, quod latus Domini perfoderat, ad eum mitteret. Id verò olim apud ædem S. Andreæ Apoſtoli Antiochiæ repertum, capta jam urbe Boëmundus Princeps corripiens, quum Arcem nulla arte expugnare poſſet, arundini ſuffixum præſetulit: eoque facto terribilis apparens, & arcem illicò cepit, & hoſtium multa millia prodigioſè delevit. Hoc *Ferrum* poſteà Conſtantinopolim translatum, donoque Imperatori Græcorum datum, poſtremò à Turca hoc anno (qui fuit Chriſti 1492.) Innocentio Pontifici tranſmiſſum eſt. Quod Pontifex ceu donum divinitus oblatum reverenter accipiens, cubiculo primùm ſuo ad privatum cultum intulit; deinde moriturus, ut in Baſilica Vaticana publicæ venerationi exponeretur, mandavit. Qua verò celebritate *Ferrum* hoc ſacrum ab Innocentio receptum cultumque ſit, oſtendimus in Purpura docta *lib. 3. n. 45.* in vita Georgij Cardinalis Coſtæ.

Bentivolus & alii deficiunt

Innocentius ædificandi ſtudioſus.

Titulus Crucis inventus.

Sacrum haſtæ ferrum Innocentio à Bajazete donò mittitur.

Cæterùm regnante Innocentio VIII. ſuperſtitio Maurica in Hiſpa-

Innocentius favet Ferdinando Arragonio. Hiſpania penitùs ſublata eſt, magno Reipublicæ Chriſtianæ incremento. Id qualiter acciderit, breviter indicabo. Caſtellæ regnum adminiſtrabat *Henricus* Joannis defuncti Regis filius, qui ob plurima, quibus ſcatebat, vitia à ſubditis exauctoratus, ea rurſus lege receptus eſt, ut Iſabellam ſororem Regni hæredem ſcriberet. Duxit eam Ferdinandus Arragonius, Princeps religioni Catholicæ addictiſſimus, in cujus gratiam Innocentius Pontifex Joannam Henrici filiam notham, quæ vitam profeſſa erat monaſticam, è monaſterio erumpere conantem, ut Ferdinando & Iſabellæ regnum eriperet, prohibuit; intentatoque anathemate Ordinibus regni præcepit, ne quis Joannæ regno illegitimè inhianti ſtuderet. Mortuo itaque Henrico, Ferdinandus Apoſtolico beneficio regnum tenuit: in eumque non ſolùm Innocentius decimas Eccleſiaſticas profudit, ſed Ordinibus atiquatis (quorum ſplendor in Hiſpania deceſſerat) eorum dignitates & opes in Regem tranſtulit, quibus ſuffultus Ferdinandus Mahometem *Boäbdelinum* regno Granatæ exuit, ac Mauros toti Hiſpaniæ incubantes, armis repreſſos, in Africam expulit: ubi à ſuis lumine oculorum privatus Boäbdelinus, cùm plorans & ejulans è regno diſcederet, fertur Regina *Zoroyta* ad eum, ejuſque milites dixiſſe: *Plorate ut fœminæ, qui ut viri pugnare neſciſtis: ego ſi cum fœminis exiſſem, vobis rem fortiorem feciſſem.* Obſeſſa eſt Granata Anno ſalutis 1491. Nono Kal. Maij per Ferdinandum cum quinquaginta millibus armatorum (quæ mille ac trecentis turribus præcincta, magnoque inſuper præſidio ac commeatu firmata neminem hoſtium formidabat) & poſt quadrimeſtrem obſidionem expugnata, ad Chriſtianos rediit: eam cum triumpho ingredientibus Ferdinando & Iſabella, quibus ob fidei zelum, tantamque victoriam nomen *Catholici* (Reccaredo olim impoſitum) reſtitutum eſt. Egère illicò iidem Principes cum Innocentio de reſtituendis Epiſcopatibus, ac de Judæis è ſua ditione exterminandis, quorum ducenta circiter millia in alias terras migraverunt, ultrà octingenta millia capitum Maurorum: multis tamen remanentibus ſimulata Chriſti lege, teſte Mariana. Enituit etiam ejuſdem Ferdinandi verè *Catholici* religio in eo, quòd cùm abſoluto bello Maurico (teſte Vialardo Scriptore Hiſpano) ſexaginta aureorum millia ſupereſſent ex eis, quæ ex indulto Apoſtolico ab Eccleſiaſticis collegerat, miſſo Romam Nuntio Pontificem conſuluerit, *quid de iis agendum ſtatueret?* Innocentio pari liberalitate reſpondente; *In pium uſum, quem ipſe vellet, convertenda:* nulla mora magnificentiſſimam Toleti Eccleſiam erexit: inſigni documento Principibus dato, qualiter ſacratæ Deo opes expendi debeant.

Ferdinandus Regem Granatæ regno pellit.

Granatam expugnat.

Catholici titulum obtinet.

Bona ſacra ſanctè tractat.

Novi Orbis inventio. Eodem Innocentio ſacris Chriſtianis præſidente, Chriſtophorus Columbus, Genuenſis, Aſtronomus & Geographus peritiſſimus, de novi Orbis inveſtigatione diſſerens, *à ſuis Genuenſibus pro vano* (teſte Paulo Jovio in ejus vita) *ab Henrico Anglo pro ridiculo, ab Alphonſo Luſitano pro futili & deliro habitus*, aliquid fidei apud Ferdinandum Catholicum nactus, ejuſdem auſpiciis ac ſumptibus arduâ navigatione anno ſalutis 1492. ſuſceptâ, Duce Deo ac comite fortuna, inter ſumma vitæ diſcrimina, novas Inſulas invenit, quarum Guadalupeam

peam *Hiſpaniolam* nominavit; mirantibus Barbaris, *unde aut quibus è terris gens iſta barbata veniſſet?* cùm tamen ex oraculo majoribus dato didiciſſent: *Non multis abhinc annis* (teſte Benzo lib. 1. c. 5.) *venturam in eas oras gentem barbatam, quæ ſimulachra Deorum terra alliſura eſſet, ac filiorum ſanguinem effuſura.* Quod & ſequentibus annis factum. Addit Petrus Maffæus, quòd tribus carebant litteris F. L. R. quia ſine *fide*, ſine *lege*, ſine *Rege* erant. De his plura alii ex profeſſo: nos ad Innocentii reliqua revertamur.

Fuit Innocentius corpore procero, candido, & decoro, ingenio perſpicaci & litteris apprimè exculto. Inter officia publica morbo ſoporifero laborans, quandoque torpere ac dormitare videbatur. Nam biennio, antequam decederet, in extaſim quandam ſoporiferam ex aſſerto morbo incidens, horis fermè viginti ſine ullo arteriarum motu jacuit immobilis. Famaque jam mortis ejus quaquaversùm perlatâ, Patres pro ordinandis circa funus, & ſucceſſorem rebus convenerant, quum ſubitò ſtupentibus omnibus, qui mortuus credebatur, revixit. Exceſſit tamen biennio pòſt ex eodem lethali torpore, ſacramentis ritè proviſus, Romæ in Vaticano palatio die 25. Julij anno ſal. 1492. ætatis ſexageſimo, Pontificatus ſui octavo nondum expleto. Corpus in Baſilica Vaticana æneo monumento, à Laurentio Card. Cybo ejus nepote extructo, conditum: quod poſteà anno 1621. Albericus Cybo aliorſum tranſtulit, atque ſubjecto funerali elogio exornavit.

Imago Innocentii. *Ejus obitus.*

Epitaphium.

INNOCENTII VIII. PONT. MAX. ÆTERNUM MONUMENTUM: QUI NOVI ORBIS SUO ÆVO INVENTI GLORIAM ACCEPIT: REGI HISPANIARUM CATHOLICI NOMEN IMPOSUIT: CRUCIS SACROSANCTÆ TITULUM INVENIT: LANCEAM, QUÆ CHRISTI LATUS HAUSIT, A BAIAZETE TURCARUM IMP. DONO OBTINUIT.

ALBERICUS CYBO MALASPINA PRINCEPS MASSÆ, FERENTILLI DUX, MARCHIO CARRARIÆ &c. PRONEPOS ORNATIUS, AUGUSTIUSQUE POSUIT ANNO SAL. MDCXXI.

Elogium.

Auctor, qui Commentario Platinæ appendicem adjecit, Innocentium VIII. hoc brevi ſed inſigni commendat elogio: *Fuit hic Pontifex morum probitate, vitæ ſanctimonia, atque omni diſciplinarum genere ornatus: qui Proceribus, plebeiiſq; dilectiſſimus, cum ingenti omnium mærore vitam exhalavit cœleſti præmio dignam.* Extat etiam perelegans carmen Saphicum Angeli Politiani de laudibus Innocentii, quod in additionibus Ciaconii Auguſtinus Oldoinus ad æternam utriuſque memoriam reſcripſit. Unus Marullus probroſo ac petulanti carmine famam Innocentii conſpurcare eſt auſus, mentiendo ſexdecim ei natos fuiſſe ex vetito concubitu.

Quid quæris teſtes, ſit mas an fœmina Cybo?
Reſpice natorum pignora certa gregem.
Octo nocens pueros genuit, totidemque puellas:
Hunc meritò poterit dicere Roma Patrem.

Nemo tamen ſaniorum Scriptorum calumniantis hominis impudentiam non eſt execratus: quos enim Innocentius genuit, ex legitima uxore, nullis adhuc ſacris initiatus, ſuſtulit.

SCRIPTA.

Ejus Scripta. Scripſit *Regulas quaſdam*, quas ſe vidiſſe manu ſcriptas in Bibliotheca PP. Cœleſtinorum Avenionenſium fatetur Lud. Jac. à S. Carolo.

Item inſigne *Volumen Epiſtolarum*, quod, Poſſevino teſte, aſſervatur Viennæ Auſtriæ in Bibliotheca Cæſarea: Illarum quædam leguntur inter Epiſtolas Angeli Politiani: & quædam apud Lucam Waddingum *in Annal. Min.*

Conſtitutiones item *Eccleſiaſticas*, & *literas Apoſtolicas*; quas collectas habes in magno Bullario Romano, & in Collectionibus aliorum.

Sermones etiam *ſacros*, in præcipuis anni feſtivitatibus dictos.

Librum denique *de Miraculis B. Jacobi de Marchia*: quem tamen librum alii rectiùs Jo. Baptiſtæ Petruccio Archiepiſcopo Tarentino, cujus re vera eſt, adſcribunt.

ANNO CHRISTI MCCCCXCII.

Imperatoribus Friderico III. & Maximiliano I. Auguſtis.

DE

ALEXANDRO VI. Pont. Max.

CCCXVIII. *Rodericus Borgias ſub Alexandri VI nomine fit Pontifex.* Alexander Papa VI. natione Hiſpanus, Rodericus Borgias anteà dictus, naſcitur ex illuſtri ac pervetuſta proſapia *Lenzolia* Valentiæ in Hiſpania ipſis Calendis Januarij anno humanæ ſalutis 1431. Patrem habuit Gothifredum Lenzolium equitem opulentum, matrem verò Iſabellam Borgiam paris nobilitatis fœminam, Calliſti Papæ III. Pont. Max. ſororem. Rodericus, quamquam gente Lenzolia ortum duxiſſet, Borgiæ tamen nomen, quo cum gentilitiis inſignibus ab avunculo Calliſto donatus fuerat, avito relicto, uſque ad obitum retinuit. *Infulis & purpura ornatur.* Ipſe adhuc adoleſcens, litteris quàm moribus clarior, audita Calliſti avunculi electione, ad non dubiam purpuræ ſpem Romam profectus, Archiepiſcopus primùm Valentinus, deinde Cardinalis Diaconus S. Nicolai in Carcere, & S. R. E. Cancellarius creatur. A Sixto verò IV. Epiſcopus Cardinalis Albanus, & paulò pòſt Portuenſis deſignatus, legatione Hiſpana, ut auxilia in Turcas colligeret, infeliciter functus eſt, teſte Papienſi *lib. 11. Epiſt. 441.* Cujus verba relatu non indigna hæc ſunt: *Vicecancellarius Borgias concupitam diù in patriam profe-* *Legatione Hiſpanica infeliciter fungitur.* *ctionem facilè à Sixto, ſuis artibus ad Pontificatum evecto, impetravit; ut honoratius iret, ut populis ſe viſendum praberet, ut ex tribus Hiſpania regnis omnifariam meſſem commeteret, nullo ipſorum regnorum uſu, nulla neceſſitate*

Sedis

Sedis Apoſtolicæ Legatum pari ſe poteſtate deſignari procuravit. Valentiam navigavit, aditum legationis pecunia redimens, in ulteriorem Hiſpaniam tranſiit, utrobique multa vanitatis, & luxus, & ambitionis, & avaritiæ documenta relinquens, nullo eorum perfecto, quod ſibi ad nomen legationis prætenderat, odio Principum & populorum renavigat Romam. Ante oſtium Auſerici fluminis die 10. Octobris ingenti orta tempeſtate, conflictatis diù quatriremibus duabus, in quibus ipſe & familia cum omni præda Hiſpanica vehebatur; altera lacrymabili damno ante oculos ſuos depreſſa eſt, altera, quæ ſua erat, diſfracta jam puppi, cùm haud procul exitio eſſet, remiſſis paululùm ventis ægrè in portum Liburnum lacera, ac vexata protruditur. Præter cæteram turbam quinque & ſexaginta ex familia periêre: in his Epiſcopi tres, Juriſconſulti duodecim, equeſtris ordinis ſex: jactura autem rerum amplius triginta millium aureorum eſt æſtimata. Enarratis his, ſubdit Papienſis: *Eamus nunc, inania appetamus, concedamus omnia gratiæ, negemusq́; de erratis noſtris curam Deo non eſſe?* Hæc Alexandri fuêre primordia, quibus finis non diſſimilis, ut paulò mox viſuri ſumus. *Naufragium patitur.*

Mortuo Innocentio VIII. in ejus locum Romæ in Vaticano, duorum & viginti Cardinalium ſuffragiis Pontifex maximus anno ſalutis 1492. tertio Idus Auguſti ſuffectus, aſſumpto *Alexandri* nomine, ſeptimo Kal. Septembris ſolemni pompa ad gradus S. Petri coronatus eſt. Nonnullorum autem Cardinalium cæca ambitione & avaritia corruptorum operâ, tantam dignitatem aſſecutus dicitur, qui poſteà ultore Deo ingrati Pontificis perfidiam maximam experti, debitas corrupti ſtudii, venaliſque ſuffragii pœnas dedêre. Horum princeps fuit Aſcanius Sfortia, emptus procul dubio profuſiſſima largitione, ut hic omnium ejus ordinis deterrimus pro optimo Pontifex eligeretur, qui Cancellariæ munus ea ſuffragatione conſecutus, aliquot poſt annos exitiabilis amentiæ digniſſimas pœnas luit, ut in ejus vita *lib. 3. Purpura docta n. 54.* oſtendimus. *Corrupto ſuffragio Pontifex creatur.*

Fuêre tum aliqui in Comitio Patres, qui Hiſpanum occultæ iniquitatis ſummæque ſimulationis hominem, inconſultè Pontificem creatum, exitio tandem cunctis futurum non falſi vates denunciarunt. Ex reliquis porrò, qui ejus Pontificatus auctores fuêre aliqui non longè poſt variis calamitatibus ſunt affecti, partim deterrimo carcere, partim violenta morte damnati. In his fuerunt Julianus Oſtienſis Epiſcopus, & Raphaël Riarius Cardinalis S. Georgii S.R.E. Camerarius perpetuo decennali exilio, ſpontaneo tamen multati, quod ipſi ſuſpecti eſſent, alter ob veterem privatam ſimultatem, alter ob Riarios pueros ſanguinis neceſſitudine ſibi conjunctos, Catharina matre capta, Forolivii & Forocornelii urbibus vi pulſos. Proceres quoque Romani, quorum Cardinales eum extulerant, alii alia de cauſâ ſublati: Baptiſta Urſinus, qui magnificas ejus ædes, & Joannes Michaëlius, qui Epiſcopatum Portuenſem cum omni ejus pretioſiſſima ſuppellectili conſecuti fuerant, infelicem ab eo vitæ exitum tulerunt, quum alter in Mole Hadriani aperta vi, alter occulto veneno extincti ſint. Sed hæc non ſubitò, at tractu temporis accidêre, fictis nimirum ad cauſam criminibus ne inſontes ſublati viderentur. *Ejus ſuffragatores varias pœnas ſubeunt.*

Porrò autem ſui Pontificatus initio, rebus urbanis intentus,

Viſitatores carcerum inſtituit. carcerum viſitatores inſtituit, & quatuor Judices creavit, qui de quacunque cauſa capitali cognoſcerent, & die Martis cujuslibet Septimanæ omnibus ſe adire & alloqui volentibus, ſe ipſum exhibuit. Unde jus in Urbe ſeveriſſimè dici cœptum.

Mors Friderici Imperatoris. Quo tempore (annus erat poſt Chriſtum natum 1493.) Fridericus III. Imperator, cognomento *Pacificus*, Princeps pius, religioſus, æqui rectique tenax, 14. Kal. Septembris diem clauſit extremum. Vinum nunquam bibiſſe, nunquam vel leviter juràſſe fertur. Palàm profitebatur; illos ſibi amiciſſimos fore, quibus Dei major, quàm Imperatoris ineſſet timor: tumentes thraſones, Morionesque ex aula & comitatu dimovit: Principes & Senatores voluit non fucatam, ſed cum candore ſententiam dicere. Imperavit annos 53. menſes 7. dies 19. de quo verè dicitur:

Nullus ab Auguſto tenuit tot ſceptra per annos.

Succeſſorem Imperii reliquit Maximilianum I. filium, ex Eleonora Luſitana conjuge natum, quem paulò ante obitum Cæſarem dixit: de quo ſuo loco plura.

Joannem Borgiam Cardinalem creat. Alexander Pontifex in primo Conſiſtorio Joannem Borgiam Valentinum ſororis filium, Archiepiſcopum tum Montisregalis, Cardinalem tituli S. Suſannæ creavit; quem mortuo Ferdinando Rege Siciliæ Neapolim Apoſtolicæ Sedis Legatum miſit, ut filium ejus Alphonſum novum Regem, quo cum affinitatem contraxerat, confirmaret; & ſacramento Eccleſiæ nomine ſuſcepto, diademate regio condecoraret.

Carolus VIII. Romam venit. Quo anno Carolus VIII. Francorum Rex, bellicæ laudis avidiſſimus adoleſcens, exitiabili diſſidio, ſingularique dementia Italicorum Principum in Italiam evocatus, præter terribiles copias, quas ſecum adduxit, inuſitato etiam bombardarum apparatu cuncta proſternebat. Petebat ipſe Neapolitanum Regnum, quod jure hæreditario ad ſe pertinere affirmabat, impellente eum ad id Ludovico Moro Inſubrum Duce, ut Alphonſi Neo-Regis audacia magna ſemper appetentis, tanto immiſſo hoſte, frangeretur. Cujus vires veritus Pontifex, qui tum cum Arragoniis affinitate fœdereque conjunctus erat, ne quid Italiæ detrimenti formidandus ejus adventus afferret, multas militum cohortes Apoſtolico ære conſcripſit, quibus & ſe, & Urbem à Gallorum armis tueretur: Cum Arragonio & Pontifice fœdus Florentini percuſſerant: quorum viribus diffiſus Papa, Venetos etiam & Regem Hiſpaniæ Ferdinandum (ſed in caſſum) in ſuam ſocietatem evocàrat; qui medii, & ſpectatores tanti belli eſſe maluerunt, quàm complices.

Omnia depopulatur. Carolus per Inſubres & Hetruſcos cuncta proſternens itinere habito, Florentinorum copiis ad Maceram amnem fuſis, eos imperata facere coëgit. Romam deinde Calendis Januariis initio anni 1494. validiſſimis cum copiis, viginti millium peditum, & quinque millium equitum ingreſſus, magnam commeatus copiam, qua exercitus longi itineris incommodis defatigatus ſublevaretur, invenit. Edixerat enim, Romanos nil detrimenti paſſuros, ſi facilis ei Romam tendenti pateret aditus tranſitusque, & commeatus abundè ſuppeditaretur, quæ ſi negarentur, ſe armis omnia paraturum.

Eo

Eo igitur Romæ juſſu Pontificis perhumaniter ſuſcepto, milites à tumultu & rapina abſtinere edicto mandavit, iis, qui non obtemperaverant, publico in foro ſupplicio affectis. Pontifex omni conſilio ac ſpe deſtitutus cum fidiſſima manu in Arcem ſancti Angeli fugit: qui nullo tumultu militari audito, cuncta pacata videns, ſecuriorque jam factus, fœdus cum Carolo, quamquam invitus, percuſſit. Rex ab Urbe diſcedens, cùm Pontificis fidem, ceu metu conciliatam, ſuſpectam haberet, Cæſarem Borgiam Cardinalem Valentinum Papæ filium ſecum obſidem, legationis ſpecie, & Zizimum Turcarum Imperatoris fratrem eduxit, ut potitus Regno Neapolitano, Zizimi operâ contra Turcas uteretur: Verùm Zizimus haud longè pòſt, veneno, ut creditum eſt, potatus, Capuæ magnâ Chriſtianorum jacturâ deceſſit. Lege, ſi placet, quæ de Zizimo ſcripſimus *lib 3.* Purpuræ doctæ *n. 57.* *Alexander fœdus cum eo percutit.*

Interim Alphonſus Rex Neapolitanus, deſperatis rebus, quum ſe omnibus inviſum eſſe cognoſceret, regno Ferdinando filio traditô, qui in omnium amore erat, trepidus in Siciliam cum regia ſuppellectili navigio ſe recepit. Ferdinandus tanto Gallorum apparatui impar, continente relictô, navibus ad Ænariam Inſulam ſalutem tuebatur. Carolus perpetuo victoriæ curſu, incredibilique celeritate, Regno, oppidis, arcibusque potitus, omnes Europæ Principes tantâ victoriâ attonitos, ſibique ab ipſo metuentes, contra ſe concitavit. Hi fuêre Pontifex, Cæſar, Rex Hiſpaniæ Ferdinandus, Dux Ludovicus Sfortia, & Veneti, qui fœdere juncti pro Italiæ ſalute contra Gallos conſpirârunt, & quadraginta millium virorum exercitum communi impenſâ inſtruxerunt, ut Regi in Galliam reverſuro tranſitum impedirent. Quorum copiæ apud Forum novum, juxta Farrum torrentem non longè à Parma, quum Gallos magnis à Neapoli itineribus expedito delectoque exercitu adventantes expectâſſent, ancipiti dubiaque victoria, & cruento maximè prælio dimicârunt. *Carolus Regno Neapolitano potitur.* *Fœdus contra Carolum.*

Poſt pugnam Carolus, nobiliſſimo quoque ſuorum amiſſo, inglorius Aſtam tandem ſe recepit. Pugnâ ad Farrum auditâ, qua vires Gallicæ fractæ erant, Ferdinandus Rex Neapolitanus quæ facilè amiſerat, fortunæ arridentis favore faciliùs recepit, & Gallorum præſidia omnia, Hiſpaniæ Regis propinqui ſui auxilio, ſub duce Ferdinando Gonſalvo in deditionem accepit, hoſtili parte univerſa extra Regni fines ejecta. Cui paulò pòſt ſine liberis vita functo ſucceſſit patruus Fridericus: nam & Alphonſus pater paulò ante deceſſerat. Inter hæc Carolus ægrè domum eluctatus, amiſſo filio unico trienni, Amboſiæ in loco ſordido repentina morte extinctus eſt anno 1498. ætatis 27. Regni ſui 14. è duobus regnis vix ſepulchrum nactus, in quo ſine nota & dicteriis quietè putreſceret. Cui, uti & ſuis, immodicam ejus ambitionem ſequutis, ex tanta felicitate nihil ſuperfuit, præter turpem morbum (quem altera natio alteri imputat) pœnæ fœditate, fœditatem culpæ inſinuantem. *Carolus debellatur.* *Moritur.*

Caroli Regnum excepit Ludovicus Aurelianenſium Dux. Hic cum regno Neapolitano, Inſubrum quoque imperium hæreditario jure ad ſe pertinere contendens (quippe cujus avia Valentia Vice- *Carolo ſuccedit Ludovicus Aurelianenſis Dux.*

comes fuerat primi Inſubrum Ducis Joannis Galeacii filia) contra Ludovicum Sfortiam, & Regem Fridericum, cum Pontifice, quem variis officiis ſibi devinxerat, Florentinis, Venetis & Ferdinando Hiſpaniæ Rege, execrabile ac Italiæ funeſtum fœdus his conditionibus percuſſit: *Ut principatu Mediolanenſi acquiſito, Cremona Venetis dederetur; & Cæſar Borgias Papæ filius* (qui ſacram purpuram, ducta uxore Carlotta de Alibreto Regis Navarræ filia, & Francorum Regis propinqua, depoſuerat) *ſociorum auxilio Æmiliam, Flaminiam, Picenum & Umbriam, veteribus Dominis ejectis, obtineret: Reges verò Hiſpaniæ & Galliæ Regnum Neapolitanum ſibi dividerent.*

Execrabile fœdus percutit.

Ingentibus igitur & potentiſſimis copiis comparatis, Ludovicus Sfortia parvo labore à Ludovico Rege principatu Mediolanenſi exutus, & non longè pòſt cum fratre Aſcanio Cardinale captus, in carcere Gallico obiit, Cremona Venetis ex fœdere ceſſit. Bello deinde in Regnum Neapolitanum traducto, Fridericus Rex conſternatus, tantis viribus impar, hoſtis potiùs manifeſti Ludovici Regis XII. quàm Regis Ferdinandi affinitatis gradu ſibi conjuncti miſericordiam experiri voluit. Ad quem ſupplex profectus, parùm ex dignitate, & contumelioſiùs, quàm ſperabat, ab eo tractatus eſt. In Regni autem diviſione Hiſpanos inter & Gallos diſcordiâ exortâ, Gallis omnibus cæſis, Regnum ad ſolos Hiſpanos, Duce Ferdinando Gonſalvo, pervenit. Hic eſt Gonſalvus ille, qui per ducentas Urbes, & ſeptuaginta oppida Regi ſuo comparata, *Magni* nomen adeptus eſt; & ideò quòd tantus eſſet, appetitus invidiâ, domi ſuæ dolore animi contabuit, expertus omnia Ferdinandô ſuô mitiora fuiſſe.

Gonſalvus Magnus.

Dum hæc in Italia bella geruntur, Cæſar Borgias Alexandri filius adhuc Cardinalis, quò ſibi totius Eccleſiaſticæ ditionis imperium compararet, Regulos omnes armis aggredi cœpit, quum pater omnes ſuas rationes & conſilia ad id convertiſſet, ut natos ſuos ex Vannotia adamata muliere magnis opibus & potentia extolleret. Urſini Proceres ante omnes bellum ſuſtinuerunt æſtate una, in quo duces fuêre Guido Ubaldus Urbinatium Regulus, ac Joannes Borgias Pontificis filius unà cum Bernardino fratre Legato. Captis aliquot caſtellis & urbibus res ad Bracciani oppidi obſidionem redacta eſt, quod mulieris viduæ virtute eatenùs defenſum fuit, donec Carolus Virginii ex illicito concubitu filius cum parva ac collectititia manu ſuperveniens, totum penè exercitum, duce capto, Legatoque Pontificis filio vix fugâ elapſo, profligavit. Sed pace Urſinis data, Guido Ubaldus triginta aureorum millibus ſe redemit.

Cæſar Borgias imperiũ Eccleſiæ ambit.

Hac re proſperè non cedente, animum ad firmiora præſidia matrimoniis comparanda Pontifex adjecit. Itaque Lucretiam filiam, quam ante Pontificatum Hiſpano cuidam in matrimonium dederat, eidem ablatam Joanni Sfortiæ Piſaurienſi Principi primùm, deinde abdicatam Aloyſio Arragonio Alphonſi Regis filio notho, quo demum interfecto, Alphonſo Eſtenſi Ferrariæ Duci, apud quem obiit, locavit. Ex filiis verò natu minimum Gothifredum Principem Squilatinum fecit, medium Cæſarem Borgiam Cardinalem, maximum natu Joannem Ducem Gandiæ in Hiſpania creari procuravit, cui

Pontifex ſuis extollendis mirè ſtudet.

etiam

etiam uxorem dedit filiam notham Alphonſi Regis. Qui brevi tempore, cùm nocte quadam Romæ vagaretur, inſidiis Cæſaris Cardinalis fratris interfectus, & in Tyberim projectus eſt, quum ſimul apud matrem Vannotiam paulò anteà cœnâſſent: connivente prorſus ad immane fratricidium patre Pontifice, qui & ipſe vim ſibi afferri ab efferato filio procul dubio metuebat. Itaque ſublato Principatus æmulo, ad arma converſus contemnere galeri decus cœpit. Non enim ob aliam cauſam fratrem interfecerat, quàm ut eo, qui ductaret exercitum, extincto, ipſe in ejus locum Pontificiarum copiarum dux efficeretur.

Cæſar Cardinalis Borgias fratrem occidit, & quare?

Poſt fratris igitur nefariam cædem ſe totum à ſenatorio ordine, abjectâ purpurâ, ſumptoque militari ſago, avertens, ad arma tranſtulit; Pontificioque exercitui præfectus, Gallis ſe conjunxit, quorum Regis propinquam Carlottam de Albreto, ut dixi, in uxorem ducens, oppidum Valentiam dotis nomine (à quo Dux Valentinus deinceps eſt dictus) accepit. Ludovici deinde XII. Galliæ Regis auxilio, perpetuoque fœdere (Patre Pontifice adjuvante) maximum ſibi in Italiam Imperium per mille flagitia comparavit. Pontifex enim totus in eam incubuerat curam, ut ingentes filio opes, maximique imperii facultates, vel ſummâ plurimorum injuriâ pararet. Sfortianis igitur dominatu Inſubrum pulſis, & in carcerem conjectis, dum adverſus Arragonios bellum paratur, Cæſar Borgias, adjuvante Gallo, immani ſævitia Æmiliam omnem, præter Bononiam, ejectis partimque necatis antiquis Dominis, in poteſtatem redegit. Riariis enim adoleſcentibus pulſis, ut eorum matre Catharina capta, parumque virili ſuperbia Romam in triumphum ducta, Forumlivii & Forumcornelii occupavit. Faventiam deinde Aſtore Manfredo Regulo necato, Ariminum, & Piſaurum Nicolao Malateſta, & Joanne Sfortia dejectis, & paratam cædem effugere coactis, cum Senogallia vi cœpit. Eodem victoriæ curſu Guidonem Ubaldum Feltrium Urbini Principatu dolo exutum Mantuam aufugere coëgit. In Varanios deinde Camertium Regulos veſtutiſſimæ nobilitatis homines converſus, Julium Cæſarem & Venantium, aliosque duos ejusdem proſapiæ ſurculos, Urbe vi occupata, ſtrangulavit; & reliquos paſſim opibus illuſtres, eodem ambitionis ardore furens, inexorabili crudelitate perſequebatur. Vertit poſtremò eandem ſævitiæ rabiem in infinitimos Urbi Regulos, cœpitque à Cajetanis vetuſta & nobili familia ortis, qui nonnulla inſignia in Volſcis oppida poſſidebant. Jacobo igitur Cajetano Honorati Comitis filio per nefas occiſo, adoleſcentem unicum Nicolai filium familiæ ſuperſtitem, abſentem jugulari juſſit. Columnenſium deinde Gallorum auxilio pulſorum imperium involans, eos ad unum omnes exules per Apuliam & Siciliam vagari coëgit.

Cæſaris Borgiæ horrenda flagitia.

Quod reliquum erat, quum ad Urſinos quoque anhelaret, nec ſatis cauſæ haberet, occaſionem nactus eſt, quam optanti, cùm nemo hominum aptiorem promittere potuiſſet, ipſa dies ultrò attulit. Urſini enim tantos Cæſaris Valentini ſucceſſus, inexhauſtamque imperandi cupiditatem conſpicati, ſibi quanquam amicitia conjunctis, timere cœperunt, ne omnibus jam ſublatis, in ſe ipſos e-

Sævit etiam in Urſinos.

etiam

tiam crudeliſſima laniena verteretur. Itaque cum his, qui pari timore tenebantur, habito Peruſii conſilio, adverſus Cæſarem Tyrannum conſpirant. Fuêre autem Joannes Bentivolus Bononiæ, Joannes Paulus Balio Peruſii, Vitellocius Vitellius Tipherni, Liberoctus Firmi, Pandulphus Petruccius Senis Reguli, Baptiſta Cardinalis & Paulus Urſini. Hi collectis copiis, irruptione repentè facta, Urſino & Camerino receptis, Cæſariſque cohortibus, quæ ſubſidio mittebantur, profligatis, ad alia Æmiliæ oppida repetenda, inter ſe convenerunt.

Conſpiratio in Borgiam.

Pontifex accepto tantæ cladis nuncio, mirum in modum commotus, omni ſtudio placare Urſinos ſibi in primis conabatur, quòd facilè cunctos ipſorum auctoritatem ſecuturos ſpetabat. Eos igitur ingentibus promiſſis, conditionibuſque, & magna humanitate delinitos, ſeu potiùs deceptos, in ſuam ſententiam adduxit. Illi conciliati, jam capta reſtituunt, & Senogalliam Cæſari Borgiæ recuperant, quò Paulus & Franciſcus Urſini, Vitellocius & Liberoctus unà convenerant. Cæſar, qui tum Forocornelii erat, oportunum vindictæ tempus veniſſe ratus, eò cum Vaſconum cohortibus ex improviſo contendit. Illi inermes obviàm procedentes, veniam præteritorum petunt: humaniter exceptis, cuſtodiæ clàm, ne effugere poſſent, ad latus adhibitæ. Cæſare autem uſque ad Prætorium deducto, cùm diſcedere vellent, ſimulatione colloquii militaris in domum perducti, extemplò januis clauſis à deſtinatis militibus circumſepti ac capti ſunt. Vitellocius & Liberoctus eodem die, alii paulò pòſt ſtrangulati, meritas certo jure pœnas pependerunt, quòd ſe à ſanguinario nefarioque Tyranno ſincerè in fidem receptos imprudentiſſimè putârint. Quanquam ea reditûs levitas exitio cunctis futura, ab ingenio Pauli Urſini, largitionibus corrupti, Vitellocio fruſtrà reclamante, emanâſſe credatur. Tum Peruſia, & Tiphernum, ejectis Balionibus & Vitelliis, Pontifici ſe dediderunt. Qui Romæ, ubi celeri nuncio noctu captos hos eſſe accepit, Cardinalem Urſinum, quem multis blanditiis ſecurum reddiderat, ſummo mane ut ad Palatium veniat hortatur, fingens Columnenſes hoſtes captis pontibus propè Urbem adeſſe. Ille credulus, cùm obtemperâſſet, mox capitur, atque unà cum Abbate Urſinarum partium Aloiſii Liviani fratre in molem Hadriani vinctus conjicitur. Antiſtes porrò Florentinus Raynaldus è gente Urſina, & Jacobus Sanctacrucius eâdem horâ capti, & in Palatio cuſtoditi. Sanctacrucius poſtridie vadibus datis, conſentiente Cardinale, ad oppida Urſinorum Pontifici tradenda dimiſſus; ipſe verò Cardinalis paucis pòſt diebus, venenô juſſu Pontificis (ut ajunt) epotô, interiit.

Cæſar Borgias conjuratos interficit.

Urſini, eorùmque ſtudioſi dolo capiuntur.

At Cæſar Borgias, cùm perſequi reliquias conjuratorum ſtatuiſſet, è Senogallia cum quindecim millium armatorum exercitu contra Pandulphum Petruccium in agrum Senenſem profectus, caſtella nonnulla in poteſtatem redigit. Senenſes, qui ab initio reſiſtere, Pandulphoque omnia permittere ſtatuiſſent, tantis viribus impares, Urbe ad tempus cedere illum maluerunt, quàm unius hominis cauſa Rempublicam periclitari. Quapropter quum is Lucam

Petruccius fugit: Bentivolus ære ſe redimit.

omni

omni familia receſſiſſet, bellum in Senenſes deſiit. Joannes Bentivolus tantis Cæſaris viribus parumper commotus, ſuſpectis tamen civibus aut pulſis, aut interfectis, ita ſe ſe uti ſagax Tyrannus munierat, ut ejus periculi vexationem pecuniâ facilè redemerit. Inde Cæſar ad Urſinorum oppida reliqua occupanda converſus, Cære vetuſtam gentis arcem, loci ſitu & arte munitiſſimam, oppugnare aggreſſus eſt: cumque eâ jam jam potiturus videretur, facto in horas armiſtitio, cum Julio Urſino Cardinalis fratre, qui illam defendebat, pactus eſt, ut tradito Caſtello, incolumi ſubſtantia diſcederet. Victor igitur, ne cætera gentis oppida adoriretur, Gallorum Regis litteris & auctoritate revocatus eſt, qui id Joanni Jordano Urſino Virginii filio, ipſi tum militanti, præſtiterat.

His tantis belli ſumptibus, & Cæſare magnos alente exercitus, regioque luxu liberalitatem paſſim oſtentante, cùm ærarii Pontificii pecunia minimè ſufficeret, Alexander inopiæ conſulturus, novum octoginta Scriptorum Brevium Collegium inſtituit, quorum loca ſingula ſeptingentis quinquaginta aureis veniêre. Reliquorum Collegiorum emolumenta, quòd omnia venditarentur, nihilque pecuniæ negaretur, ab initio uberrima quidem, verùm poſteà tenuiora fuêre, diviſâ cum Cardinale Rothomagenſe Galliæ Legato rerum omnium ſubſtantiâ. Magnum quoque vectigal ex his, quos vulgus *Maranos* vocabat, à Rege Catholico ex Hiſpania pulſos, & ab ſe Romæ non ſine Regis indignatione ſuſceptos, colligebat. Multos prætereà Cardinales ad eundem finem pretio & largitionibus creabat. *Hæc quoque quum ingentibus ſumptibus non ſufficerent* (ſunt verba Jovii & Panvinii) *inopia metu rapax, atque immani ingenio ſævus, opulentiſſimum quemque in aula Sacerdotem, & in his aliquot Cardinales cæteris ditiores veneno tollendos conſtituit, ut eorum divitiis in fiſcum redactis potitus, profuſiſſimè largiretur, inexplebilemq; filii Cæſaris cupiditatem expleret: haud dubiè in reliquos aulæ viros ſacerdotiis atque divitiis inſignes, hæreditatis ſpe, ſæviturus, niſi mirabili Dei providentia, homo ad Italiæ exitium natus, quum animo adhuc majora de filio conciperet, diuturnamq; ſibi vitam polliceretur, fatali Pincernæ errore, ſibi mortem, ſupremam verò Cæſari filio calamitatem peperiſſet.* Nam cùm anno ſalutis 1503. Cæſar tollendis quibusdam Cardinalibus venenum paraviſſet, idque vino, quo potandi hoſpites erant, immiſcuiſſet, pocillatoris errore factum, ut è lagena medicata Pater & filius venenum aliis paratum ebiberent. Cæſar, qui dilutiùs biberat, exquiſitis antidotis uſus, veneni vim facilè compeſcuit: at pater Pontifex jam ſenio gravis, furente in viſcera toxico, nec remedia admittente, ad xv. Calendas Septembris anno eodem extinctus eſt: ætatis ſuæ anno ſeptuageſimo ſecundo, Pontificatus undecimo. Ejus cadaver in Sacrario Baſilicæ Vaticanæ juxta corpus Calliſti III. patrui ſui, lateritio monumento conditum, poſteà anno 1610. ad S. Mariæ de monte Serrato Templum cum cineribus ejusdem patrui translatum memoratur. Sanazarius ingenioſus Poëta mordaci hoc diſticho Alexandri famam adſperſit.

Alexander per fas & nefas pecunias coacervat.

Veneno per errorem potatur & moritur.

Sextus Tarquinius, Sextus Nero, Sextus & iſte:
Semper à Sextis diruta Roma fuit.

Sſſſ Cæte-

Alexandri virtutes. Cæterùm in Alexandro (ut Scriptores paſſim tradunt) æquabant vitia virtutes. Inerat namque ei ingenium ſublime, memoria tenax, eloquentia naturalis & ad perſuadendum apta, ut nemo rem clariùs proponeret; nemo acriùs defenderet; nemo quò vellet, hominum voluntates potentiùs impelleret. Se ſe unum omnium animis accommodando, cum jucundis de remiſſione, cum ſeveris de diſciplina, cum Patribus de Republica loquebatur. Adverſarios lenitate ac patientia devinciebat; nam iis, qui de numero Patrum exulabant, quosvè ſuſpectos habebat, nihil de priſtina dignitate detraxit. Gallorum animos contumaciſſimos ità demulſit, ſedavitque, ut amiciſſimi diſcederent. In tanta Procerum Romanorum clade (quod incredibile videri poſſit) nullus in Urbe tumultus, nulla arma audita: omnia ipſe obire, parùm in rebus arduis cuiquam fidere. Idem in otio ſolutiſſimus, in metu conſtantiſſimus, nunquam negotia voluntate omiſit. Res in multam noctem protrahebat, ſomni cibique parciſſimus. Artes liberales, ſi non colebat, admirabatur, & Juris præſertim ſcientiam: Salaria Doctoribus, ſtipendia militibus, mercedem operariis nunquam eſt diferre, nedum auferre viſus; cujus rei gratia exercitum, quem magnum ductore filio nutriebat, obſequentiſſimum habuit, brevique tempore ac parvo negotio tantum ei imperium comparavit, quanto nullus Principum Italicorum anteà potitus legitur. In annonæ difficultate, quæ bis eo regnante contigit, advectâ è Sicilia magnâ vi frumenti, ità diligenter Urbi providerat, ut plebs nullum ferè ſentiret incommodum.

Ejuſdem vitia. Verùm hæc ipſa præclari animi ornamenta magnis, ut ſcribit Panvinius, obruerat vitiis, perfidiâ pluſquam Punicâ, ſævitiâ immani, avaritiâ immenſa ac rapacitate, inexhauſtâ parandi filio imperii per fas & nefas libidine. Si quando negotiis non premeretur, omni ſe jucunditatis generi ſine diſcrimine dedit. Mulieribus maximè addictus, ſed præcipuè Vannotiæ nobili Romanæ, quàm à formæ venuſtate, & morum illecebris, mirâque demum fœcunditate, in minori fortuna legitimæ propè uxoris loco habuiſſe; atque ex ea quatuor filios, duasque filias ſuſtuliſſe proditur. Comœdias Plautinas, cæteraque ludicra libenter ſpectavit; frequenterque in Hadriani molem, quam propugnaculis, muro ac foſſâ munivit, ventitabat, ut palàm perſonatos hilaribus feſtis, ac per omnes dies celebriores, ſi quid elegantius in hominum genere per viam præteriret, propiùs aſpiceret. In filiæ nuptiis, quæ ad virum Ferrariam profectura erat, equeſtres ludos, & venationem in Vaticano extra ordinem dedit. In Urbe gladiatorum & ſicariorum nunquam licentia major, nunquam populo Romano libertas minor, delatorum ingens numerus, leviſſimo maledicto pœna mortis erat. Graſſatorum inſuper omnia plena, nec noctu tutum per Urbem iter, nec interdiu extra Urbem. Roma gentium profugium & aſylum, omnibusque ſæculis populorum omnium tutiſſima arx, jam carnificina facta erat, quæ quidem omnia ſuorum cauſa, quibus omnia indulſerat, permittebat. Quos etiam ut magnis clientelis ſublevaret, dominationis præſidia in eo quoque iis paravit, ut ad quadragin-

draginta tres Cardinales variis lectionibus, atque in his decem & octo Hiſpanos creaverit, viros quidem, ſi doctrinam ac morum probitatem ſpectes, tanto honore non indignos. Anno 1500. Jubileum ex veteri inſtituto magno hominum Romam confluentium accurſu celebravit: delictorum venia his, qui venire neglexerant, vel minimè poterant, per Diplomata conceſſa. Hæc ferè ſunt, quæ de vitiis atque virtutibus Alexandri VI. circumferuntur. Qui verò ſolas virtutes, vitiis aut negatis, aut excuſatis, cupierit, Bzovium adeat ex Indicibus Borgianorum eas tractantem. *Jubileum ab eo celebratū.*

S C R I P T A.

Scripſit Alexander Clypeum defenſionis ſacræ Romanæ Eccleſiæ, qui anno 1492. Argentorati in lucem prodiit. *Scripta.*

De Cardinalium Excellentia, & officio lib. 1.

Vicecancellarii librum unum.

Gloſſam in Regulas Cancellariæ ad Innocentium VIII.

Conſtitutiones Eccleſiaſticas, quæ leguntur in Collectionibus Romana & Conſertiana: nec non in Bullariis Emmanuelis Roderici, & Laërtij Cherubini.

Scripſit etiam inſignem Epiſtolam ad Ruthenos, Rituum Græcorum ſectatores, qua eos, ut Eccleſiæ Romanæ ſe adjungerent, paternè hortatur.

Item Epiſtolas plures ad Franciſcum Cardinalem Ximenium Franciſcanum, Archiepiſcopum Toletanum, & Franciſcum Philephum Poëtam & Oratorem celeberrimum.

Hujus Pontificis Epiſtolæ octoginta quatuor pro ſolis Franciſcanis, ac Monialibus S. Claræ ſcriptæ inveniuntur apud Lucam Waddingum *tomo 7. & 8. Annalium Minorum.*

Eidem Alexandro ſcripſit plures Epiſtolas Caſſandra Fidelis, Veneta matrona, litteris clara.

Et Sultanus Bajazetes Turcarum Imperator in cauſa Zizimi fratris ſui Romæ captivi, rogans Pontificem, ut eum aut occidat, aut vivum ad ſe remittat, ſpondens eapropter trecenta aureorum millia: ſed in caſſum. Haſce literas è lingua Turcica in Latinam verſas exhibet Oldoinus *in Additionibus ad Ciaconium* in calce vitæ Alexandri VI.

ANNO CHRISTI MDIII.

Imperatore MAXIMILIANO I. Auguſto.

DE

PIO III. Pontifice Maximo.

MOrtuo Alexandro VI. Cæſar Borgias ex ſumpto nuper veneno aliquantulum convaleſcens, ſtatim nummorum arcas, argenteam ſuppellectilem, & pretioſa quæque è palatio pontificio ſurripuit: Vaticanum, quod duodecim arma- *CCXIX. Cæſar Borgias theſaurum Pontificium diripit.*

armatorum millibus tenebat, ſimul & Hadriani molem operibus & præſidio eo conſilio munivit, ut Patres in eodem loco, veteri inſtituto, cogendos ad novum creandum Succeſſorem, in ſua vota compelleret. At illi ad evitandum periculum in æde Prædicatorum ad Minervam congregati, ſubitò à Borgianis militibus, quos Michelettus Corellia Cæſaris ægrotantis Dux adducebat, circumdantur. Fama pervagante captos eſſe Cardinales, direptiones ac cædes tota Urbe fieri, omnes illicò pavor invaſit. Tabernis clauſis,

Romani concurrunt ad arma.

arma arripiuntur, & tranſtris, trabibus, catenisque ferreis viarum exitus obſtructi, haud aliter, quàm ſi redivivus Hannibal rurſus ſub Urbis mœnibus eſſet. Michelettus autem quòd duram fortè provinciam aſſumpſiſſe ſibi videretur, paulò poſtquam venerat, diſcedens, Urſinorum tantùm ædium partem apud montem Jordanum incendit.

Interim Patres ad Urbis cuſtodiam quatuor peditum millibus ſcriptis, Romanos Proceres acceſſunt: Cardinales Tranſalpinos, & undequaque evocatos, præter conſuetudinem expectant. Proſper Columna, qui ad Urbem cum Fabio Urſino, Pauli à Cæſare Borgia

Borgias Urbe egreditur.

ſtrangulati filio, venerat, ad Borgiam à Patribus mittitur, rogatum ut ab ea mente deſiſtat: idem fecerunt Galliæ Hiſpaniæque Regum Oratores. Quibus obtemperans cum omnibus copiis Urbe ſe deferri lecticâ juſſit. Arx verò adhuc ab ejus militibus tenebatur, quanquam Præfectus Bernardini Carvagialis Cardinalis operâ, ſe Patribus obtemperaturum polliceretur. Vaticanum igitur recipitur: Ubi more majorum Novendialibus Alexandro perſolutis, tantiſper Comitia diſtulerunt, donec Gallorum exercitus, qui tum illac contra Hiſpanos in Campaniam iter habebat, jubente Georgio Amboſiano Cardinale Rothomagenſe, qui ſumma apud Gallos auctoritate erat, mœnibus egrederetur, ne qua vis, aut tumultus, patribus in Comitio occupatis, exoriretur.

Franciſcus Piccolomineꝰ ſub Pii III. nomine Pontifex eligitur.

Cardinalibus igitur, qui tum ſeptem & triginta circiter erant, Conclave ingreſſis, Senatûs melior & ſanior pars, quanquam pauciſſimis innixa ſuffragiis, longè majorem Patrum numerum, tum factionibus, tum Cæſaris Borgiæ imperio ſervientem, ex longa diuturnaque contentione pervicit, effecitque, ut x. Kal. Octobris omnium ejus Ordinis optimus, Franciſcus Picolomineus Senenſis S. Euſtachii Diaconus Cardinalis, ac tum ſacri Collegii Princeps, Pontifex maximus omnium ſuffragiis renunciatus ſit, & Pii III. aſſumpto nomine, octavo Idus Octobris ſolemni more coronatus. De quo fertur, quòd cùm poſt ſolemnes inaugurationis cæremonias, facem ſtupeam more majorum vidiſſet, audiviſſetque vocem illam: *Sanctiſſime Pater, ſic tranſit gloria mundi:* fleviſſe ſtatim, & ad humanam ſortem brevi perituram altum ingemuiſſe, atque dixiſſe: *Breves dies hominis.*

Ejus primordia.

Pio patria Senæ (nobiliſſima Hetruriæ civitas) fuêre: Ipſe natus erat ſeptimo Idus Maij anno humanæ redemptionis 1439. Qui quum Nanni Tudeſchini opulentiſſimi Civis Senenſis, & Laodomiæ Pii II. ſororis filius fuiſſet, ab avunculo, cujus curâ à teneris annis omnibus diſciplinis, & Juri in primis ſtrenuam operam dederat, genti-

gentilitiis inſignibus, & Picolomineorum familiæ nomine donatus, Archiepiſcopus Senenſis deſignatus, haud longè pòſt abſens in ſacroſanctum Senatum, vix decimum ſeptimum annum egreſſus, coöptatus eſt. Variis porrò legationibus, & Germanica præſertim ad Imperatorem Fridericum III. ſub Paulo II. & Sixto IV. ſumma cum laude, rerumque emolumento functus, non tam Pii II. avunculi memoriâ, quàm ſummâ de eo ſpe ab omnibus conceptâ, tanquam labentem Chriſtianæ pietatis ſtatum unus confirmare ſua virtute poſſet, ad ſupremum Sacerdotii culmen eſt evectus.

Ad cujus creationis nuncium, Cæſar Borgias, qui ad eam diem Nepeti cum copiis ſubſederat, cum parte ſuorum Pontificem adoraturus, ac Patribus, quòd virum optimum Chriſtianæ Reipublicæ præfeciſſent, gratias acturus, Romam venit. Interim Urſini recentis injuriæ memores, ac vindictæ cupidi, Borgiam in Vaticano agentem cum armatis invadunt, cæduntque multos, Borgia diſtricto gladio ſe ſe acriter tutante. Qui haud longè pòſt Pontificis juſſu in Hadriani molem ductus, ibidem uſque ad Julij II. tempora detentus eſt. *Cæſar Borgias capitur.*

Arſit Pius cupiditate Eccleſiæ mores adſtringendi ſeveriori cenſura, ac præſertim Urbis Romæ, & Curiæ totius tetrum odorem amovendi: idque conſilium in primo Patrum Conventu, poſt ſuſceptum diadema, palàm expoſuit. Cumque ante electionem decretum à Patribus fuiſſet, ut quicunque Pontifex renunciaretur, intra biennium Epiſcopos ad Concilium Generale evocaret, ipſe in prædicto Conventu ſignificavit, nolle ſe biennium expectare, ſed rumpere continuò moras ad Concilii celebrationem. At præclarum & ſanctum hoc propoſitum importuna mors diſturbavit. Nam mortifero cruris ulcere affectus (quanquam non ſine veneni ſuſpicione, Pandulphi Petruccii Senenſium Tyranni operâ vulneri illiti) in Palatio Vaticano, magno bonorum omnium dolore, xv. Kalend. Novembris anno 1500. poſtquam Eccleſiæ non niſi viginti ſex dies præſediſſet, interiit. *Pius egregiis ſtudiis intentus moritur.*

Poſt obitum corpus in Baſilica S. Petri in ſacello S. Andreæ Apoſtoli propè Avunculum Pium II. marmoreo & eleganti ſepulchro conditum eſt. Quod poſteà ab Alexandro Peretto Montalto S.R.E. Vicecancellario ad Eccleſiam S. Andreæ *della Valle* ſupra Pompejani Theatri ruinas à ſe extructam, Pauli V. permiſſu, translatum, ac ſequenti Epitaphio condecoratum eſt.

PIO III. PONT. MAX. PII. II. NEPOTI

Cunctis virtutibus ornatiſſimo: poſt legationes Urbis Piceni, Galliæ, atque Germaniæ integerrimè obitas, ad ſummum Pontificatus apicem evecto: ſexto & vigeſimo die publico omnium luctu, vi mortis abrepto; Jacobus & Andreas Fratri ſanctiſſimo poſuerunt.
Vixit annos LXIV. *Menſes* V. *&* *Dies* X. *Obiit anno ſalutis MDIII.* XV. *Kal. Novemb.*

Ejus Epitaphium.

Alexander Perettus S. R. E. Vicecancellarius Cardinalis Montaltus ſepulchrum Pii. III. Pont. Max. et Pii II. ex adverſo poſitum, Paulo V. Pont. Max. concedente, e Vaticano translatum, magnificentius reponendum duravit, Anno sal. MDCXIV.

In Vaticano antiqui ſepulchri reliquiæ nonnullæ conſpiciuntur cum inſigni Inſcriptione marmori inciſa, res ejus geſtas, à nobis jam indicatas, breviter continente.

SCRIPTA.

Scripta. Scripſit Epiſtolas plures ſtyli elegantiâ nobiles ad varios eruditiſſimos viros, nempè ad Marſilium Ficinum Florentinum, Marcum Antonium Coccium Sabellicum, Angelum Politianum, Auguſtinum Dathum Senenſem, Jacobum Reüchlinum Capnionem Germanum, Jacobum Silverium Epiſcopum Cremonenſem, & alios. Cui etiam mutuas Epiſtolas dedêre Sabellicus tres, Ficinus quatuor, Antonius Campanus viginti tres, Dathus ſex, Cardinalis Papienſis viginti ſex. Franciſcus Philelphus, Angelus Politianus, Aldus Manutius ſenior, Lippus Brandolinus, Hermolaus Barbarus Venetus, Capnion Reüchlinus Germanus, & Petrus Delphinus, quilibet plures.

Collegit verò ipſe & recognovit Opus de Rebus geſtis Pii II. avunculi ſui.

Edidit inſuper plures inſignes Orationes, Inſcriptiones, Poëmata, Hymnos, & id genus minutiora plura.

ANNO CHRISTI MDIII.

Imperatore MAXIMILIANO I. Auguſto.

DE

JULIO II. Pontifice Maximo.

CCXX. *Julius II. antiqua & nobili ſtirpe ortus.* Julius II. ante Pontificatum Julianus vocatus, natione Ligur, à gente Roborea (vulgò Ruverea) inter ſubalpinas cum primis nobili genus & gentilitia inſignia, quæ rôbore ſeu quercu aurea ſunt expreſſa, duxit. Origo gentis à Longobardis, auctore Hermundo Roboreo, qui anno Chriſti 700. bello clarus vixiſſe fertur, promanavit, ut pluribus in Sixto IV. exponit Onuphrius Panvinius contra eos, qui gentis Roboreæ claritudinem affictâ ignobilitate obfuſcare nituntur.

Ejus primordia. Natus eſt Julius Savonæ, Littoris Liguſtici claro oppido, anno ſalutis 1443. Patrem habuit Raphaëlem Roboreum germanum Sixti Papæ IV. fratrem, matrem verò Theodoram Manerolam præclaræ ſtirpis & virtutis fœminam. Litteris humanioribus juxtà ac gravioribus diſciplinis excultum Sixtus IV. patruus Pontificatus initio

initio ex Epiſcopo Carpentoractenſi Presbyterum Cardinalem S. Petri ad Vincula titulo Eudoxiæ cum Petro Riario Franciſcano, deinde Epiſcopum Albanum, mox Sabinum, & ex Sabino Oſtienſem, ac majorem Pœnitentiarium creavit. His dignitatibus auctus, cùm alias virtutes, tùm animi moderationem in omni actione præcipuè coluit: amabilis & charus ſummis & infimis, gravitate, comitate, ac morum elegantia. Nec ſatis habuit ſe talem publicè privatimque præſtare, ſed familiares quoque ſibi tales, quoad fieri potuit, delegit, quos vel eruditio, vel probitas & modeſtia commedarent: in eam maximè curam incumbens, & benè undique audiret.

Acri porrò & callido ingenio, animoque excellenti & ad magna nato quum paſſim exiſtimaretur, variam admodùm in vita ſua fortunam expertus eſt, ut ei modò arridens mater, modò noverca tetrica fuiſſe videretur. Ante ſacri thiaram imperii, ædificiis extruendis ita delectabatur, ut præter profanas ædes, Baſilicam S. Petri ad Vincula, cui præerat, quemadmodùm hodiè cernimus, brevi & mirificè reſtituerit. Inchoavit & Porticum mirè faſtigiatam ante veſtibulum Baſilicæ Sanctorum XII. Apoſtolorum; ædes quoque proximas, à Petro Cardinali Riario magnificentiſſimè inchoatas, ſed morte prævento non abſolutas, magnâ impensâ perficere aggreſſus eſt. Caſtellum item apud Cryptam Ferratam bello olim disjectum ad Monaſterii tutelam, & ad Urbem venientium commoditatem inſtauravit. *Conſtruendis ædificiis mirè delectatur.*

Ultimis Sixti IV. temporibus, ob præclara, quæ in eo nitebant, animi decora, tribus Eccleſiis, Avenionenſi, Medenſi, & Oſtienſi præficitur, totidemque legationibus Avenionenſi, Picentinæ, ac Bononienſi, uno tempore condecoratur. Inde ablegatur in Galliam, ut inter Ludovicum XI. Francorum Regem & Carolum Burgundiæ Ducem pacis fœdera componeret. Apud Innocentium VIII. (cujus Pontificatus præcipuus ipſe auctor extiterat) plurimùm & gratia, & auctoritate valuit. Sub Alexandro VI. Pontifice, quo cum veteres & privatas ſimultates habebat, perpetuis decem annis ſponte exul Româ abſuit, in Gallia & Avenione diverſatus. Noviſſimè Pio III. brevi vitâ functo, inſtauratis Comitiis, tanto ſtudio in eum Patrum ſuffragia ſunt converſa, ut pænè priuſquàm Conclave ingrederentur, Pontifex maximus ſit dictus, incredibili cum Cæſaris Borgiæ dolore, qui ad exemplum incertæ nutantiſque fortunæ (quum Hiſpanos Cardinales uti clientes ſuos jurare ſolemni ſacramento coëgiſſet, ſe neminem niſi Borgianæ familiæ ſtudioſum ſuffragio adjuturos, iiſque Cardinalem Rothomagenſem, & Georgium Amboſianum eligendos propoſuiſſet) primo ſtatim Comitiali die, ſeptem & triginta Cardinalium votis electum, ſub ſacra thiara Pontificem viderit, quem ipſe, paterque Alexander uti graviſſimum hoſtem perpetuo decem annorum exilio mulctaſſent. Nec multò poſt, cùm VI. Kalend. Decembris anni 1503. aſſumpto Julij II. nomine, ſupra gradus Baſilicæ Vaticanæ coronatus eſſet, Cæſarem Borgiam fugam adornantem, vel mille neces meritum, copiis, Urbibusque, ac omni dignitate exutum, ea conditione dimiſit, ut Cæſenæ & Forolivii arces ejus præſidio munitas reciperet. Impetrata *Decennio exulat.* *Fit Pontifex.* *Borgiam dimittit, qui triennio poſt in prælio occubuit.*

ta itaque præter omnium opinionem à magnanimo Julio libertate Cæſar, quum Oſtiâ navigio Neapolim perveniſſet, juſſu Regis Catholici à Magno Gonſalpho captus, in Hiſpaniam carceri mancipandus tranſmittitur. Inde poſt tertium annum, cùm ex carcere deceptis cuſtodibus dilapſus, ad Joannem Cantabriæ Regem profugiſſet, ignobili quodam in prælio ad Mandaviam geſto, à Cantabris interfectus eſt: uti fuſiùs in Purpura docta *lib. 3. n. 71.* in vita Joannis Cardinalis Veræ oſtendimus.

Julius ampliandi imperii cupidus.

Julius Pontificatu firmato, cùm proximis bellis, & inaudita immanique Cæſaris Borgiæ tyrannide Eccleſiaſticam ditionem labefactatam, atque occupatam inveniſſet, non ad recuperanda ſolùm, quæ amiſſa erant, ſed etiam amplianda animum adjecit. Nemo enim ſuperiorum Pontificum Petri Patrimonium majore animi præſtantia & fortitudine tutatus eſt, aut latiùs proferre Julio contendit. Primùm itaque in Joannem Bentivolum, Bononienſem Tyrannum, veterem Eccleſiæ hoſtem, arma movet, quem cum uxore & filiis urbe pulſum, exulatum Buxetum Parmenſis agri oppidum abire coëgit, ejuſque eximiæ ſtructuræ domum furenti populo diripiendam excindendamque objecit.

Icto adverſus Venetos fœdere, ablatas Eccleſiæ urbes recipit.

Tum converſus in Venetos, qui iniquo jure Ariminum, Faventiam, & Ravennam, inſignes Eccleſiaſticæ ditionis Urbes vi occupaverant, nec rogati ablatas reſtituere decreverant, cum Cæſare Maximiliano, Ludovico Francorum, & Ferdinando Hiſpaniæ Regibus; Ferrariæ item & Mantuæ Ducibus, Cameraci in Belgio fœdus percuſſit, eoſque repugnantes aqua & igni interdictos graviſſimo anathemate notavit. Cujus atrociſſimi turbinis procellam cùm Veneti ferre nequiviſſent, amiſſo ad Glaream Abduæ exercitu omni, & ingenti prælio à Ludovico Francorum Rege ſuperati, atque ex Ducibus Liviano capto, & Petiliano fugato, cunctas brevi momento copias & Urbes, quas in continenti poſſidebant, amisêre. Cæſar enim Maximilianus confœderatorum primus, Veronam, Vicentiam, Patavium cum Carnis: Gallus Bergamum, Brixiam, Cremonam, & Cremum: Hiſpanus Tranum, Monopolim, & Barletum in Apulia: Pontifex Ravennam, Ariminum, & Æmiliam omnem: Ferrariæ Dux Rodigium, Mantuanus verò Aſulam receperunt. Atque ita gens Veneta, cujus toto Orbe terrarum maxima & inveterata auctoritas erat, tot Urbibus exuta, intra paludes, ipſaſque Venetias, circumflui maris beneficio permunitas, nuda redacta eſt. Fuit tantæ cladis, & Veneto nomini funeſtiſſimus dies XIV. Kalendas Maij anni 1509.

Venetos in gratiam recipit.

Julius ſua cùm recepiſſet, uti æquus & pius pontifex, Venetorum nomen tantis fluctibus obrutum peneque demerſum miſeratus, eos ſuppliciter deprecantes ſublevandos cenſuit. Legatis igitur eorum in Vaticana Baſilica ſolemni precatione adjecta pro Templi foribus expiatis, Urbi Venetæ ſacra, quibus interdicti erant, reſtituit, ictoque ſubinde fœdere, quo illi maris imperium ejurabant, & Sacerdotia Pontificis arbitrio conferenda relinquebant, in amicitiam fidemque eos recepit; totiſque inſuper viribus, ut & Cæſari Maximiliano eos conciliaret, operam dedit, quo tempore Patavio

tavio

tavio per dolum recepto, Imperatorem ab ineundis ſecum pacis conditionibus averterunt.

Alphonſum Eſtenſem bello perſequitur.

Conatus quoque eſt Pontifex Alphonſum Eſtenſem, Ferrariæ Ducem à Gallorum amicitia abſtrahere, quò eorum vires toti jam Italiæ formidabiles frangeret: verùm Alphonſus Veneti nominis antiquus hoſtis, & qui ſe ſe Ludovico Regi perſolutâ pecuniâ, & ictis fœderibus applicaverat, Pontificis adhortationem contempſit. Unde iratus Pontifex bellum ei indixit, & à fœdere Ludovici XII. Galliarum Regis diſceſſit, quæſtus quòd Gallus eundem Alphonſum, qui à Romano Pontifice Ferrariam beneficiario jure obtinebat, adverſus ſe tuendum, defendendumque ſuſcepiſſet, cùm ille terrâ à Gallis, & Pado amne ab ſe profligatis Venetis, apud Comaclum, ſalinas maximi proventus ſibi vendicâſſet, neque in his rebus voluntati Pontificis obtemperaret. Has ob cauſas Pontifex Alphonſum uti contumacem ſacris interdictum armis perſequi cœpit, & hoſtiliter in ejus fines copias eduxit. Porrò rebus Romæ compoſitis, & multâ pecuniâ coactâ, ab Urbe diſcedens, tertio Idus Novembris anno ſalutis 1511. Bononiam contendit, quò faciliùs imminenti bello operam ſubminiſtraret.

Cæſar & Gallus adverſus Pontificem conſpirant.

Ludovicus Galliæ Rex eapropter Julio ſuccenſens, Maximilianum Cæſarem, ob reconciliatos Venetos Pontificis hoſtem, in ſuas partes traduxit, cujus præſidio & auctoritate Rex fultus, ſimulque aliquot rebellium Cardinalium, qui defectione à Julio facta ad eum confugerant, conſilio adductus, Generalem Piſis Chriſtianorum Conventum indicendum curavit, in quo Julius Pontifex ad cauſam dicendam citaretur. Intereà Pontifex inſignem adeò injuriam ulturus, fœdere cum Hiſpaniæ Rege Ferdinando icto, Helvetiiſque gente fortiſſima mercede conductis, & communis ſui Venetorumque exercitûs imperatore creato Franciſco Mantuæ Marchionæ, impetum in Ferrarienſem Ducem fecit: Mutinâque ei adeptâ cum duodecim millium peditum copiis Mirandulam, quæ Gallico præſidio tenebatur, expugnat, haud ſatis ſpecioſo præmio pro tantis laboribus.

Julius cum Hiſpano fœderatur.

Mirandulâ captâ, Julius uti victor inter feſtivas voces Bononiam reverſus eſt; ex qua paulò pòſt, copiarum ſuarum clade apud Foſſam Giliolam auditâ, recedens, Ravennam ſe contulit. Eo elongato, Bononiam præſidio vacuam Bentivoli exules adjuvantibus Gallis, Franciſci Cardinalis Alidoſii Legati Pontificii vel dolo, vel negligentia occupant. Legatus cùm Ravennam ad Julium, ut ſe ſe ſuſpicionibus expurgaret, proficiſceretur, inter eundum ab Urbini Duce Pontificis nepote equo dejicitur, multiſque vulneribus, nulla dignitatis habita ratione, conficitur: horrente ad tantum facinus Pontifice, & diras in profugum parricidam ac complices explicante.

Alidoſius Legatus interficitur.

Galli ſucceſſu rerum elati, Cæſare & Cardinalibus qui à Pontifice defecerant auctoribus, Pontificem ad Concilium, quod ad Kalendas Septembris anni 1511. Piſis futurum erat, impudenter citant. Papa, cùm omnem operam dediſſet, ut receptâ Bononiâ, Piſanoque Concilio dimiſſo, pacem cum Francorum Rege faceret, illumque victo-

Pontifex citatur ad Conciliabulum Piſanum.

Indicit Concilium Lateranenſe: Gallum anathemate percellit: Cardinales rebelles dignitatibus privat.

victoriâ inſolentem, & obſtinatiſſimè recuſantem animadvertiſſet, quò Piſanum Concilium tolleret, Antonii Cardinalis de Monte ſuaſu, Romæ Generale Concilium Lateranenſe eodem anno ad xv. Kal. Auguſti indixit. Tum habito cum Patribus Conſiſtorio, Regem Francorum, ac Florentinos qui Conciliabulo locum *Piſis* conceſſerant, omneſque damnato illi Conventui præſentes, graviſſimo iterum anathemate perſecutus eſt. Cardinales verò quinque, qui Conciliabuli auctores erant, omnibus dignitatibus & galero privatos, ordine Senatorio amovit: hi fuêre Bernardinus Carvaial Hiſpanus Sabinenſis, & Guilielmus Briſonetta Præneſtinus Epiſcopi; Franciſcus Borgias Hiſpanus tituli S. Cæciliæ, & Renatus de Bria Gallus tituli S. Sabinæ Presbyteri; demum Fridericus Sanſeverinus Italus S. Angeli Diaconus Cardinalis, qui poſteà omnes, præter unum Borgiam jam fato functum, mortuo Julio, à Leone X. Schiſmate ejurato ad priſtinas dignitates ſunt reſtituti. In Lateranenſi verò Concilio omnia Piſani Conventus acta nullius roboris ſunt declarata, & antiquata. Speraverant Cardinales rebelles, fore, ut Pontifice abrogato, alius uti optimus & ſanctiſſimus Chriſtianis ſacris præficeretur, & quiſque eorum ad Pontificatum hac ſpe demulſus adſpirabat, atque in primis Carvagial ipſe, ambitione & inani gloria præ cæteris inflatus.

Auxilium ab Hiſpano & Anglo petit contra Gallos & impetrat.

Julius ubi vidit ſe à Gallis tam aperta vi, & tantis inſidiis oppugnari, ab Anglorum & Hiſpaniæ Regibus Henrico VIII. & Ferdinando Catholico auxilium imploravit. Qui injuriis à Gallo Pontifici illatis commoti, partes ejus quum ſuſcepiſſent, arma utrinque in Gallos ceu Eccleſiaſticæ tranquillitatis perturbatores quanta poſſunt celeritate expediunt, Anglus quidem contra Aquitanos, Hiſpanus verò contra Joannem Navarræ Regem, fœdere Gallis conjunctum, & à Pontifice ſacris interdictum. Neque tamen Julius quieſcebat, quin in dies Francorum Regem æquis conditionibus ad pacem ſollicitaret. Illo verò incredibili pertinacia in ſuſcepto conſilio perſeverante, Pontifex cum Principibus fœderatis, Helvetiis quoque in belli ſocietatem evocatis, ut Gallos Italiâ proturbaret, ingentes copias adornabat. Porrò in Florentinorum odium, qui Piſano Conciliabulo Sedem dederant, Joannem Mediceum Cardinalem, Florentiâ tunc tota cum domo Medicea exulem, Bononiæ & Æmiliæ, totiuſque fœderati exercitus Legatum creat. Horum conatibus Rex Gallus animo nonnihil conſternatus, Brixiâ præſertim à Venetis occupatâ, majora præſidia parabat. Cardinales Concilii Piſani auctores, veriti, ne in Julii poteſtatem venirent, Piſis Pſeudoſynodum Florentiam primùm, deinde Mediolanum tranſtulerunt.

Gallus belli aleam in Italia experiri conſtituit.

Cæterùm Brixiâ à Gallis ſupervenientibus receptâ atque direpta, Rex Ludovicus bellum obſtinatiſſimè gerere pergebat. Cùm verò ab Hiſpanis & Anglis Regni ſui fines vexari cognoviſſet, belli aleam in Italia jacere, noviſſimoque prælio cum hoſtibus decertare conſtituit. Copiarum Gallicarum Dux Gaſto Foiſſeus erat, regius juvenis, prima lanugine tectus, micantibus oculis, generoſa militarique ferocia inſignis, Imperator antequàm miles, Ludovici

XII.

XII. ſororis filius, qui potiùs à natura, quàm ab uſu militares artes imbiberat. Hic primùm collectis repentè copiis, Helvetios circa Mediolanum crebris equitum velitationibus laceſſivit, fatigatosque, & hyemis aſperitate, annonæque penuria ſubactos, domum vexilla vertere coëgit. Inde nullâ interpoſitâ morâ, antequam ad Hiſpanos, Bononiam tum obſidentes, aliqua de ejus adventu fama dimanâſſet, raptato per lutulenta loca exercitu, Bononiam, acie inſtructa, cum viginti ampliùs cohortibus, & ſex millibus equorum, tormentorum, ac curruum magno numero ingreſſus eſt.

Hiſpanos Bononiâ arcet.

Poſtero autem die Hiſpani per quendam Græcum equitem, & aliquot agreſtes, conſilia hoſtium, & Gaſtonis adventum edocti (Gaſto eìnm cum Hiſpanis prælio decertare conſtituerat) relictâ Bononiâ, caſtra ad Forumcornelii reducunt, ne importuno hyemis tempore ante portas bellicoſæ urbis, præter belli diſciplinam, cum validiſſimis Gallorum copiis prælium inire compellerentur. Itaque per Æmiliam viam, recedentem ex ordine exercitum protinus Galli inſectantur, quos intemperantiùs urgentes Malateſta Baleonus extremo præfectus agmini, converſis in eos ſignis fortiter repreſſit.

Gaſto, Bononiâ obſidione liberatâ, & hoſtium fugâ contentus, eos multis de cauſis inſequi neglexit, Brixiamque trajecto Pado convolavit, quæ proditione Aloyſii Præfecti paulò antè à Venetis iterum fuerat occupata. In itinere ad Turrim *Magnanimi*, quæ eſt propè Atheſim, Pauli Baleoni cohortes & equitatum, qui Brixianis auxilia laturus feſtinabat, tumultuario inito certamine, profligavit: vixque ipſe Baleonus, quum ſe ad Amnem tum globo ſuorum proripuiſſet tranato flumine liber evaſit. Inſperato novæ victoriæ eventu, Gaſto majore feſtinatione, his auxiliis interceptis, Brixiam accedere maturat. Qui per arcem, quæ Gallico præſidio tenebatur, milites hortatus, torrenti ſimilis, ingenti hominum edita cæde, in Urbem prolabitur, eaque potitur. Tum videre licuit victoriam omni laniena crudeliorem! quippè Galli milites feritate & ſævitia incredibili, nulli conditioni, nulli ætati aut ſexui, nullis templis ſacratisque corporibus parcentes, cædibus, rapinis, ſacrilegiis omnia compleverunt. Capto Gritto Venetorum Legato, Aloyſius proditor à fuga retractus, jubente ac inſpectante Foiſſeo à carnifice vivus in fruſta diſſecatur. Urbe direpta Foiſſeus ſuperato iterum Pado, ad expugnandam Ravennam præceps deducitur.

Baleonium profligat.

Brixiam capit; cædibus omnia complet: Aloyſium interficit.

Legatus Pontificius geminatâ Foiſſei victoriâ, & nimia feſtinatione perterritus, Julium Pontificem monet, ut majoribus præſidiis, copiisque paratis, Italiæ imperio opportunè ac promptè provideat. Ille prorſus invictus, ſeque ipſo in adverſis ſemper major, extemplò equites cataphractos ſub Troilo Sabello, & Gentili Baleono conduci; pedites ſub Jano Capoccio Romano conſcribi, Helvetiorumque ſex millia Matthæi Sedunenſis Cardinalis Helvetij operâ per Rheticas alpes magnis pecuniis, & pollicitationibus evocari jubet.

Pontifex milites, ac nova præſidia cogit.

Foiſſeus interim copiis omnibus, quas tum Brixiæ, tum Bononiæ habebat, in unum collectis, & propè Ravennam, ut cum fœderato Duce Ferrariæ ſe conjungeret, traductis, antequam hoſtium

Foiſſeus pugnæ avidus.

vires coirent, prælium committere, & fortunam experiri conſtituit. Nec fœderatorum caſtra, quæ Ravennæ præſidio advenerant, procul erant. Cùm autem Pontificii fœderatique certamen aliquandiu recuſâſſent; cognito Ravennam, muris ubique tormentorum vi disjectis, penè expugnatam eſſe, quò Urbi conſulerent, prælium inire vel inviti coacti ſunt ipſo ſacrati Paſchatis die anno 1512. Igitur haud procul Ravennâ atrox prælium, quod ſex horas perduravit, commiſſum eſt: in quo tanta animorum pertinacia utrinque dimicatum eſt, ut cui nam parti victoria ceſſura eſſet, diù incertum fuerit. Poſtremò cùm Ducis Ferrariæ Alphonſi (qui præcipua belli cauſa fuerat) conſilio tormenta bellica magno in obliquum circuitu, in latus & terga hoſtium converſa eſſent, paſſimque Galli Pontificiis ac Hiſpanis fervente pugnâ immixti proſternerentur, tandem fugientibus confœderatis, Galli adeò cruentâ victoriâ (amiſſis propè omnibus ſuis ducibus) potiti ſunt, ut victores longè majori periculo ac damno expoſiti fuerint, quàm victi. Ad viginti pugnatorum millia eo prælio, utrinque ferè æquata clade, cæſa traduntur: in his centum quinquaginta nobiles ex aula Regis Gallorum, & quinque militum Tribuni, cum totius exercitus imperatore Gaſtone Foiſſeo: Ille enim cruentam victoriam aſſecutus, dum fugientibus Pontificiis cum aliquot Gallorum nobilibus intemperantiùs inſtat, à noviſſimo hoſtium agmine circumventus, fruſtrà ſe Foiſſeum, Hiſpaniæque Reginæ fratrem clamitans, & vitam deprecans, equo dejectus à furente milite occiditur, ac cum eodem fratruelis ejus Lotrechius viginti ampliùs vulneribus acceptis ſternitur.

Atrox prælium conſeritur.

Victoria Gallis cruenta.

Foiſſeus occiditur.

Ex Pontificiis præclariſſimi pariter duces interfecti, ac Legatus cum Navarro & Fabricio captus. Ad primum cladis nuncium Pontifex & Ferdinandus ita animo conſternati ſunt, ut alter Regnum ſe tueri poſſe diffideret, alter fugam navigio Oſtiæ præparato adornaret. Verùm reparatis viribus, belliqúe imperatore Gonſalvo Magno in Italiam tranſmittere juſſo, maximè recreati ſunt, præſertim certiori famâ cladem Gallorum edocti. Nam etſi quaſi quaſi ad Ravennam victoria potiti ſunt, ita tamen eorum vires attritæ erant, ut Venetorum, & Helvetiorum (ſub Cardinale Sedunenſe) operâ, totâ mox Italiâ, ſeptuageſimo à pugna die, maximo fortunæ ludibrio, exacti ſint: Mediolano, & Inſubrum arcibus modico præſidio munitis. Sed & Concilii Piſis inchoati, & Mediolani parùm proſperè renovati, Patres, Helvetiorum timore perterriti, illud repentè diſſolvunt, & Lugdunum in ulteriorem Galliam transferunt.

Galli Italiâ pelluntur.

Gallorum porrò reliquiis ab Helvetiis cæſis, Inſubres adverſam eorum fortunam conſpicati, correptis armis, Francorum, quorum arrogantiam immoderatamque libidinem ferre vix poterant, præſidia omnia ejecerunt. Eo modo paucis diebus Mediolanenſe imperium Gallis eſt ereptum, & Maximiliano Sfortiæ Ludovici Mori filio, uti legitimo Principi, ex Cæſaris auctoritate, cujus beneficiarium eſt, Julii II. Pontificis, Venetique Senatus auſpiciis, & unà maximè Helvetiorum virtute, reſtitutum: idque in Laterano Con-

Mediolanum recipitur, & Sfortia reſtituitur.

Concilio Matthæus Langus Cardinalis Gurcenſis, Imperatoris in Italia tum Legatus & Procurator, pro parte Cæſaris approbavit. Nec mora, Bononiâ pulſis Bentivolis, Ravennaque receptâ, Parma & Placentia ex fœderis legibus Pontifici traditæ: Genua, quæ Gallis parebat, à Fregoſiis occupata: Veneti Cremam & Brixiam receperunt. Medicei factionis pontificiæ Florentiæ reſtituti, perpetuo vexillifero Petro Soderino Urbe exacto. Et cum hæc omnia Helvetiorum ope præcipuè facta fuiſſent, Julius eos multis muneribus donatos, ſpecioſo *Italica libertatis aſſertorum* titulo decoravit. Quibus ſumma cum felicitate geſtis, Pontifex cum Imperatore Maximiliano contra Venetos novum fœdus percuſſit, quòd Veronæ Vicentiæque imperium Cæſari, cui ex pacto debebatur, obſtinatiſſimè cedere recuſâſſent. Quo tempore Veneti Pontificem infraĉti animi veriti, ſimulque ab Hiſpanis contra fœderis leges Brixiâ turpiſſimè excluſi, cum Ludovico Francorum Rege, perpetuo Pontificis, Hiſpanorumque hoſte, ſocietatem ineunt, qui novos contra Julium Cardinalium rebellium operâ tumultus in Gallia excitabat, Abbatemque Cluniacenſem, quem ſummum Sacerdotem dicerent, Julio opponebat.

Julius Helvetios remunerat.

Fœdus cum Cæſare contra Venetos init.

Pontifex Venetorum conſiliis cognitis, ipſos, quos fœdere cum Cæſare facto irritaverat, Francorumque amicitiam expetere coëgerat, ut à Gallis averteret, ſæpiùs fruſtrà tentavit. Quo non impetrato, animi dolore, ſenioque ex levi ſed tenaci febricula, (fluente ſenſim alvo) confectus, ſeptuagenario major Nono Kalend. Martii anno à partu Virginis 1513. rebus humanis exceſſit, anno regiminis ſui nono, menſe tertio ſupra dies viginti duos. Cadaver amplo funere in Baſilica Vaticana curatum, juxta Sixti IV. patrui cineres conditum quieſcit.

Moritur.

Fuit Julius vir magno animi robore præditus, multis ac magnis virtutibus, ſed præcipuè belli gloria clariſſimus: quare ſi veluti Princeps profanus tantùm, & non Eccleſiaſticus, populis, præfuiſſet, inter illorum primos meritò numerandus veniret. At quia inter ſanctiſſimos, hoc eſt inter Chriſti Vicarios, Petrique ſucceſſores locum obtinere illi contigit, hujuſce nævulos, prægrandes labes livor hæreticus interpretatus eſt. Geſſit in pectore Julius cor ferox & iracundum: at ſi ingenio miti ornatus, mitiùs egiſſet; tot Urbes, oppidaque, quot Tyrannorum avaritia ademerat Eccleſiæ, non recuperaſſet. *Neque enim ob alias cauſas tot bella geſſit* (inquit veriſſimè Ciaconius) *niſi ut à pluribus iniquiſſimè occupatum ſacræ Sedis imperium, Eccleſiæ, cujus erat, recuperaret. Ad quod præſtandum inſita à natura in invicto Julii pectore bellicæ virtutis ſemina cernebantur. Erat enim animo magnus, acer, conſtans, liberalis; malis terribilis, bonis amabilis, contumacibus implacabilis; in proſperis continens, in calamitatibus ſe ipſo ſemper excelſior: irritari adverſis, non frangi, aut enervari virtus ejus poterat. Talem ea tempora, Tyrannis & oppreſſoribus Eccleſiæ infamia, Pontificem infractum requirebant, qui & Reipublicæ conſulere, & Tyrannos exerto gladio terrere, inq; ordinem redigere poſſet.* Hæc Ciaconius. Extant plura præſtantium Scriptorum, & Poëtarum Encomia, quibus Julii fama luculen-

Julius belli gloria clarus.

Ejus elogium ex Ciaconio.

Commendatur à Petro Magno.

culenter celebratur. Petrus Magnus inſignis Vates de eo ſic ceciniſſe reperitur.

JULIUS haud ulli Ligurum virtute ſecundus,
Seu pacem, ſeu bella gerens, acerrimus hoſtis
Deſidia, probrique, Urbes ditione tuetur,
Amiſſas recipit, captas inſtaurat, & auget:
Invictus, ſolers, obſervantiſſimus aqui.

Et ab Antonio Caſa nova

De eodem M. Antonius Caſanova elegans hoc edidit Epigramma.

Vix bellum indictum eſt, cùm vincis: nec citiùs vis
Vincere, quàm parcas: hac tria agis pariter.
Una dedit bellum; bellum lux ſuſtulit una,
Nec tibi, quàm bellum, longior ira fuit.
Hoc nomen divinum aliquid fert ſecum, & utrum ſis
Mitior, an ne idem fortior? ambiguum eſt.

Calumnia in Julium edita exſufflantur.

Non defuêre tamen putidi inter Novatores Poëtaſtri, à quibus ſcurrarum more, indigna epigrammata mendaciis & calumniis ſcatentia procuſa ſunt, quorum pars magna *Myſterio Iniquitatis* à livido Plæſſeo inſerta reperitur. Quis credat, quod ipſi garriunt, Julium virum graviſſimum, & laudabili ſeveritate venerandum, enſem militarem (clavibus in Tiberim conjectis) accinxiſſe, ac *quando claves Petri nihil proſunt, age gladium Pauli diſtringamus*, dixiſſe? Id verò ſi fecit, quis jure indignabitur, ſi acerba Julii tempora conſideret? *Eſt etiam tempus ira*, inquit Sapiens.

SCRIPTA.

Julii Scripta.

Scripſit Julius complures litteras Apoſtolicas, & Conſtitutiones Eccleſiaſticas, quæ leguntur *tomo 7. Conciliorum Binii*, & in Collectione Conſtitutionum Romæ edita, atque apud Lucam Waddingum in *Annalibus Minorum*, & Ferdinandum Ughellium *in Italia ſacra.*

Litteras familiares dedit Philippo Decio, clariſſimo ejus ævi Juriſconſulto, & ab eodem reſponſa accepit, ut videre quis poterit, illasque legere in vita ejusdem Decii.

Eidem varia opera inſcripta.

Julio verò litteris egregiè tincto, varia opera inſcripsêre viri eruditi: Godofredus Buſſardus Gallus Orationem, quàm Bononiæ ad ipſum Julium habuit: Joannes Antonius Flaminius Elegias varias, quæ leguntur in *Delitiis Poëtarum Italorum* à Ranuccio Ghero collectis: Andreas Mocenigus Patricius Venetus Pentateuchon: Petrus Martyr Anglus Mediolanenſis Librum Tertium Decadis: Baptiſta Mantuanus Carmelita Faſtorum libros præſtanti ingenio concinnatos. Addi his poteſt Petrus Cardinalis Bembus, qui de Julij Pontificatu inſigne Carmen ad poſteros ſcripſit; cujus initium eſt:

Illa piis populis, mundoq; accepta recenti,
Sub Jove cùm nondum ferreus Orbis erat.

ANNO

ANNO CHRISTI MDXIII.

Imperatoribus Maximiliano I. & Carolo V. Auguſtis.

DE

LEONE X. Pontifice Maximo.

NAtus eſt Leo X. Joannes Medices anteà vocatus, Floren- *CCXXI.*
tiæ III. Idus Decembris anno ſalutis 1475. gente Medicea
(quæ nunc rerum in Hetruria potitur) inter veteres & *Leonis X. vitæ primordia*
honoratas ejus Urbis familias facilè principe, patre Lau-
rentio, viro omnibus annalibus ob virtutem & eruditionem cele-
brato, matre Clarice Urſina nobiliſſimi ſanguinis matrona Roma-
na. Leo à teneris annis, patris doctiſſimi & graviſſimi Principis
operà, optimis moribus ac diſciplinis, Latinâ Græcaque doctrinâ,
Muſicâ etiam inſtructus, Præceptores habuit Angelum Politianum,
Demetrium Chalcondylam, Urbanum Bolzanium, & Bernardum
Michelotium, viros Latinis & Græcis litteris, verſu & ſoluta ora-
tione eruditiſſimos. Eum etiamnum puerum in Laurentij patris
gratiam I udovicus XI. Galliarum Rex inſigni & ampliſſimo Sacer-
dotio honeſtavit. Qui poſteà ab Innocentio VIII. adhuc adole- *Cardinalis creatur.*
ſcens, vixque tertium decimum ætatis annum excedens, Diaconus
Cardinalis S. Mariæ in Dominica, ut alibi diximus, creatus, ætatis
defectu diù Urbe abfuit. A puero ſtatim frugi apparuit: mores e-
jus pudici, inceſſus gravis, alloquium ſuave, converſatio honeſta,
& probatiſſimæ ejus omnes actiones fuêre. Paulò antequàm pater
excederet, in Urbem, Innocentio VIII. adhuc Pontifice, veniens,
ob morum integritatem, bonarum artium notitiam, ac ingenii eru-
diti ſuavitatem omnibus in pretio & amore eſſe cœpit. Ubi verò
de patris morte nunciatum, continuò Florentiam, Legati Hetruriæ
charactere à Pontifice inſignitus, ſe contulit. Rebus Florentiæ com-
poſitis, & Petro fratre natu maximo ad Reipublicæ gubernacula
conſtituto, non multò pòſt Romam rediit, ubi paucis inde diebus
Innocentius VIII. moritur.

Alexandro VI. in demortui Innocentij locum ſuffecto, Caro-
lus VIII. Francorum Rex terribili cum exercitu in Italiam ingruit,
cujus vi, civilique diſſenſione, Petro fratre à Reipublicæ guberna- *Exulare cogitur.*
culis ſubmoto, & cum omni Medicea familia relegato, Joannes
Cardinalis graviſſimum fortunæ telum ſenſit. Medicei patriâ & a-
vitâ dominatione exacti, totos decem & octo annos exules fuêre.
Quo temporis intervallo, quum ſæpiùs ſed fruſtrà Florentiam re-
gredi, dominarique tentâſſent, Joannes excedere Italiâ tantiſper, &
per externos populos, ut tempori ſerviret, peregrinari conſtituit.
Cum dignitate enim Romæ præſens eſſe non poterat, quòd Alexan-
der Pontifex Florentinis tum fœdere junctus, Mediceis adverſare-
tur. Itaque Germaniâ, Britanniâ, & Galliâ peragratis, Genuam in
Ligures profectus, apud Magdalenam ſororem, Franciſco Cybo In-
nocen-

nocentij VIII. Pontificis filio matrimonio junctam, aliquandiu ſubſtitit, denuoque ſed parùm proſperè, adverſante ſemper fortuna, in patriam reditum tentavit: nam Florentini perpetuum Dictatorem Reipublicæ Petrum Soderinum in odium Mediceorum conſtituerant. Per id tempus Petrus frater rediturus Florentiam in oſtio Lyri amnis fluctibus obrutus interiit, ſuperſtite Laurentio filio relicto.

In pugna Ravennatenſi capitur.

Romam exinde ſublato è vivis Alexandro redux, bello, quod Julius II. & Hiſpanus Rex adjunctis Venetis cum Gallorum Rege Ludovico XII. gerebant, Legatus eſt creatus, adjuncta inſuper totius Æmiliæ adminiſtratione. In pugna Ravennatenſi à Gallis captus, quum eis abeuntibus in via aufugiſſet, Raymundum Cardonium, Hiſpanicas tum copias infelici pugnæ ſuperſtites reparantem, adiit; eumque, adjuvante Pontifice Florentinorum hoſte, ſibi adverſus Florentinus conjunxit. Cujus ope expugnato Prato, cùm Florentiam priuſquàm ab adverſariis præſidia parari poſſent, tenderent, à benevolis & propinquis ſibi ſtudentibus in patriam cum omni familia eſt receptus. Ibi Petro Soderino perpetuâ Dictaturâ amoto, Rempublicam ex arbitrio conſtituit, Juliano fratre rebus præfecto, ac in patria relicto. Quarto pòſt menſe Julio II. vitâ functo, cùm ad Urbem modicis itineribus ob affectam valetudinem veniſſet, ſub fauſta populi Romani acclamatione Comitium in Vaticano ingreſſus, Cardinalium juniorum operâ (diſtractis mutua ambitione ſenioribus, qui potiùs accipere, quàm dare imperium volebant) v. Idus Martij anno Domini 1513. Pontifex maximus ſalutatus eſt. Placuit autem novo Pontifici *Leonis X.* nomine inſigniri, ut inſitam animo magnitudinem, clementiamque appellatione ipſa & factis exprimeret.

Pontifex ſalutatur.

Poſt trigeſimum ab electione diem, Pontifex Leo, publica rerum celebritate, & pompæ apparatu ornatiſſimo, in Laterano ab Alexandro Cardinale Farneſio, qui locum Archidiaconi abſentis tenebat, ſacroſanctam thiaram ſuſcepit, quum Presbyter & Epiſcopus ab Oſtienſi Præſule priùs fuiſſet inauguratus. Eam pompam, qua poſt Gothorum tempora nulla fuit inſignior, centum millibus aureorum Leoni ſteriſſe, Quæſtores, qui pecuniam auream & argenteam per vias ſpargebant, edixêre. Voluit autem Pontifex eâdem die, quæ pugnæ Ravennatenſi anniverſaria erat, coronari; atque eodem equo, quo ab hoſtibus Gallis tum captus fuerat, vehi: ut veterem acerbitatem, cumulo præſentis lætitiæ compenſaret.

Magna celebritate coronatur.

Cæterùm ex Leonis aſſumptione univerſa Reſpublica Chriſtiana maximam percepit voluptatem, quòd tùm ex patris clara virtutis memoria, tùm ex ipſius liberalitatis comitatiſque fama, tùm etiam quia caſtus, atque optimis moribus præditus habebatur; tùm item quòd paterno exemplo, eruditorum, omniumque illuſtrium ingeniorum amans futurus ſperabatur, illum præſtantiſſimum Pontificem fore, perſuaſum erat, Nam prima ætate, uti diximus, præclariſſimis Inſtitutoribus uſus Angelo Politiano, Demetrio Chalcondyla, & aliis, familiares poſteà habuerat Picum Mirandulanum, Marſilium Ficinum, Chriſtophorum Landinum, Joannem Laſcarem

Publica lætitia ob ejus aſſumptionem.

rem, Marulum, & Tarcaniotam. Singulos etiam vel mediocris nominis Poëtas, & exquiſitis ac nobilioribus Artibus inſtructos tanta benignitate ſuſcipiebat, ut omnes jam excitatis animis ad excolenda litterarum ſtudia vehementer accenderentur. Qua ſpe feliciſſimè concepta, ab eruditis id carmen in arcu triumphali ad Hadriani pontem eſt inſcriptum, quo ſuperiorum Pontificum mores cum Leonis laude lepidiſſimè notabantur. *Litteratis favet.* *Et ab iis laudatur.*

Olim habuit Cypris *ſua tempora, tempora* Mavors
Olim habuit, ſua nunc tempora Pallas *habet.*

In eo quoque arcu, qui erat ad bivium viæ Triumphalis præclariſſimo totius populi ſtudio, & hoc eximiæ gravitatis, & gratiæ carmen cubitalibus litteris fuit inſcriptum.

Vota Deûm, LEO, ut abſolvas, hominumq́; ſecundes,
Vive piè, ut ſolitus: vive diù, ut meritus.

Initio Pontificatus Europam omnem bellicis turbinibus agitatam, remq́ue Eccleſiaſticam ſchiſmate penè collapſam ſedare, & reparare ſtudens, pacem ſeu inducias inter Chriſtianos Principes per Legatos tractavit, ut feralibus odiis pacatis, & diſcordibus animis lenitis, deterrimis ſeditionibus, civilibus diſcordiis, & inteſtinis malis ſublatis, Italiæ pacem, cujus in primis amantiſſimus erat, afferret, homo quieti, otio, & concordiæ deditus. Illudq́ue agebat, ut his omnibus compoſitis bellum undequaque communi hoſti inferretur. Maximiliano Sfortia in Mediolanenſi Principatu confirmato, Helvetios, qui ei præſtò fuerant, magnis ſtipendiis proſecutus eſt. Cardinales à Julio II. ordine Senatorio amotos, & privato habitu Romam ad ſe ſupplices venientes, ejurato Schiſmate, Conciliorumq́ue Piſani, Mediolanenſis, & Lugdunenſis actis litura inductis, in priſtinas dignitates reſtituit. Concilium Lateranenſe à Julio cœptum, ſed ejus morte interruptum, multis de cauſis celebrandum perficiendumq́ue curavit, in quo bellum jam anteà Turcis indictum, firmatum eſt. Mutinam, Alphonſo Ferrariæ Duce competitore, à Maximiliano Cæſare triginta aureorum millibus coëmit. Bellum inter Cæſarem & Venetos, ob Veronæ Vicentiæq́ue imperium, adhuc ardens, æquis conditionibus compeſcuit. Helvetiis magno ſtipendio in Sfortiæ auxilium contra Gallos evocatis, Octavianum Fregoſium Genuenſium imperio præfecit. *Pacis amans Principes ad concordiam ſollicitat.* *Concilium Lateranenſe proſequitur.*

Porrò anno 1515. Ludovico XII. Francorum Rege, edaci febre vitâ functo, cùm qui ei ſucceſſerat, Franciſcus I. Valeſius gener, bellum Inſubrum Duci Maximiliano Sforitæ intuliſſet, nova rurſus arma Italiam turbare cœperunt. Gallus enim & Anglus Reges cum Venetis fœdere juncti, Maximilianum Sfortiam Cæſaris, Hiſpaniæ Regis, ac Helvetiorum armis munitum aggreſſi fuerant. Pontifex, quod Galli Parmam & Placentiam ſe repetituros, pulſo Duce, minitabantur, Sforitæ ſtudebat, Helvetiasq́ue cohortes magnis præmiis, auctore Cardinale Sedunenſe Legato, in ſua fide continebat. Interim Franciſcus Galliæ Rex validiſſimis inſtructus copiis, quum Helvetij bellum adornarent, in Italiam deſcenderat. Pugnâ ad Me- *Franciſcus I. Galliæ Rex bellum in Italia reſtaurat.* *Magnos progreſſus facit.*

nelianum commiſsâ, Helvetiis penè ad internecionem cæſis, Rex Mediolanum nullo fermè negotio obtinuit. Sfortia, qui ſe ei dederat, in Galliam miſſus, triginta quinque millium aureorum redditum pro Principatu à Rege impetravit. Placentia & Parma, quæ Julius II. Eccleſiæ adjecerat, à Gallis (Pontifice repugnare non auſo) occupatæ.

Pacem cum Gallo facit. Leo Pontifex armis Gallorum perterritus, parére præſenti fortunæ, & cum Victore amicitiam & pacem inire conſtituit: cui ineundæ Rex & Pontifex Bononiam ingenti cum apparatu ſe contulerunt: ibi pacis conditionibus tranſactis, Rex Mediolanum, & mox, relicto Inſubribus Borbonio, in Galliam eſt reverſus. Rediit & Leo Florentiam primùm, deinde vere novo Romam. Nec multò pòſt moritur Florentiæ Julianus Pontificis frater, nulla edita è Philiberta conjuge prole. Erat Philiberta Ducis Allobrogum ſoror, Franciſco Regi ſanguine conjuncta. Ferunt Leonem Papam aliquando cogitâſſe, *Suis provehendis ſtudet.* Julianum fratrem ex Maximiliani Cæſaris indulto, cum quo fœdus percuſſerat, & eo mortuo Laurentium fratris filium ex Caroli V. auctoritate, Lucenſium, & Senenſium imperio, beneficiario jure, præficere: cui ipſe Urbinum & Ferrariam, veteribus Regulis pulſis, adjungeret: ſed hæc conſilia Juliani & Laurentii immaturæ mortes diſturbârunt. Juliano igitur, ut diximus, extincto, Laurentius Petri fratris in Lyri oſtio ſubmerſi filius rebus Etruſcis præficitur, ita conſtitutâ Republicâ, ut amiciſſimorum civium induſtriâ regeretur, ſumma conſiliorum ad eum unum reſpiceret. Quem quum Pontifex, matris Alphonſinæ precibus victus, majori in dies cum imperio & dignitate eſſe percuperet (ut ſunt mortalium deſideria, quæ in immenſum aucta, nullis demum terminis contineri poſſunt) levibus quibuſdam occaſionibus quæſitis, Franciſcum Mariam Feltrium Ruvereum Urbini Ducem, ſibi ſuſpectum & inviſum, armis aggreſſus eſt. Quem miſſis copiis, Rentio Cærite Duce, Urbino cæteriſque ejus ditionis oppidis & urbibus ſpoliavit, Laurentio fratris filio Duce conſtituto. Ipſe Feltrius cum uxore & liberis recedens, Mantuam ſe recepit

Nonnullorû Principum Italorum odia incurrit. Feltrio pulſo, ultrà progreſſus, Borgeſium & ejus fratrem Alphonſum Cardinalem ambos genere Petruccios, Pandulphi Senenſium Reguli filios, patriâ expulit, imperio civitatis ad Raphaëlem Petruccium, veterem amicum, & qui quondam exilii comes extitiſſet, translato. Hinc odii inter Pontificem & Alphonſum Cardinalem origo, quod demum eò uſque excrevit, ut Alphonſus im- *Maximè Petruccianorum.* modicâ irâ efferveus, de necando Pontifice nefanda conſilia agitârit, quæ cognita ultimum ei exitium, ut paulò mox dicemus, attulêre. Non diſſimili animo, quanquam diſpari eventu, Leo Ducem Ferrariæ Alphonſum diutinis inſidiis afflixit: verùm vir militari gloria præſtans, & munitiſſima civitate tutus, vim Leonis, adverſoſque conatus, oppoſitis armis facilè fregit.

Ferdinandus Catholicus moritur. Obierat per hæc tempora (annus erat Chriſtianus 1516.) Ferdinandus V. cognomento *Catholicus*, Regnis Hiſpaniæ, Neapolis, atque Siciliæ Carolo nepoti, jure hæreditario, relictis. Tùm Helvetii, qui nihil de priſtina armorum ferocia, etiam inſigni paulò antè clade ad

de ad

Cæſar cum Helvetiis fœdus adverſus Gallos init.

de ad Menelianum accepta, remiſerant, cum Maximiliano Cæſare fœdus percuſſerunt, ut conſociatis viribus totâ Gallos Italiâ depellerent, fruſtrà reclamante Pontifice, qui pacem qua qua ratione, quàm arma in Italia malebat, & propterèa ad Cæſarem Ægidium Viterbienſem Cardinalem ſingulari eloquentia præditum Legatum miſerat. Galli Helvetiorum & Cæſaris armis non ſine ſtrage contuſis, Venetis adjunčti, Brixiam de Hiſpanis, Veronam verò de Cæſare (ſolutis ducentorum aureorum millibus) receperunt. Quo anno, (qui fuit Chriſti 1517.) res Italicæ maximis bellorum turbinibus hactenus agitatæ, aliquantiſper compoſitæ ac ſedatæ ſunt viſæ.

Martini Lutheri hæreſis.

Fuit annus tum pace Italica, & aliis quibusdam rebus admodùm memorabilis, tum Romanæ Eccleſiæ graviſſimus juxtà ac peſtilentiſſimus. Tunc enim Martini Lutheri excucculati Monachi Hæreſiarchæ infandum nomen ex ultimæ Germaniæ finibus, cum incredibili animarum exitio, audiri primò cœptum eſt. Fuit hic Orci abortus mortalium omnium inquinatiſſimus, ventris mancipium, luxuriæ barathrum, effrontis audaciæ, & ipſius Dæmonis, cui litabat, convictor. Qui incredibili & execrabili temeritate cunctas ferè Hæreticorum blaſphemias, jam diù ab Eccleſia proſcriptas, conſarcinas, novam in Saxonia eamque pudendam ipſis ſequacibus hæreſim condidit, quæ peſtis inſtar omnem ferè Europam pervagata, infinita malorum excitavit incendia. Hujus tartarei hominis inſaniam ad meliorem mentem redigere Leo Pontifex fruſtrà conatus, eum citari, Romamque properare jubet, ut coram Sylveſtro illuſtri Theologo, atque Epiſcopo Aſculano Rotæ auditore cauſam diceret. Sed dementati colludentiſque Saxoniæ Ducis ope & litteris illo ereptus periculo, Cajetano Cardinali Legato, in Germania tum commoranti, examinandus committitur. Tandem perjurum, obſtinatum, maledicum, blaſphemum, damnatæque ſententiæ & vitæ tenacem, Leo Pontifex, explicatis in eum diris, cœtu piorum amovit, amotumque, quamdiu vita ſupeſtes fuit, ſuis & Caroli V. viribus perſecutus eſt. Hujus ſtygiæ hydræ ſubnaſcentia, ac inter ſe pugnantia capita fuêre Melanchton, Zwinglius, Oecolampadius, Carolſtadius, aliique id genus damnati nominis viri, qui vertigine acti, mutuoque diſſentientes, in hoc uno convenerunt, ut Eccleſiam Chriſti, ſublato ejus viſibili capite, everterent.

Ejusdem aſſeclæ.

Selymus Turcarum Tyrannus ex cancri morbo extinguitur.

Eodem quoque anno Selymus Turcarum Imperator, duobus Ægypti Sultanis victis & interfectis, ampliſſima Syriæ & Ægypti regna obtinuit, maximo cum Chriſtianorum omnium, quorum cervicibus imminebat, terrore. Unde Leo ſolemnem illam habuit ſupplicationem, qua nudis pedibus cum omni Romana aula ſacroque Senatu, à S. Petri Baſilica ad S. Mariæ *de Minerva* Templum profectus, Dei opem adverſus efferati Tyranni vim imploravit: quem exaudiſſe Deus eſt viſus, immani parricida paulò pòſt ex cancri morbo extincto, & mitiore filio Solymanno tanti Imperii ſucceſſore relicto.

Conjuratio in Pontificem detegitur.

Quo pariter anno Petrucciana conjuratione detecta, Pontifex aliquot Cardinales, qui adversùm ſe conſpiraverant, vel ejus

conſilii conſcii fuerant, cepit; ac dignitatibus privatos Senatorio ordine amovit. Ex his Alphonſus Petruccius conſpirationis auctor in Hadriani mole, Orlandi Æthyopis manu eliſis faucibus ſtrangulatus; Hadrianus Cornetanus, qui aufugerat, rubri pilei honore privatus; Raphaël Riarius, & Bandinellus Saulius ordine amoti, non longè pòſt ingenti mulcta pecuniaria perſoluta ſunt reſtituti; Soderino in Fundano agro liberum exilium indultum. Quapropter, quum tot afflictorum Cardinalium pœnis Senatum nonnihil contumacem haberet, novis Patribus ſibi opus eſſe dictitans, una lectione (incredibili liberalitate) unum & triginta Cardinales, ex toto terrarum Orbe conquiſitos, partim precio, partim virtutis causâ, in his ſucceſſorem ſuum Hadrianum VI. creavit. Nam præter quatuor veteres reſtitutos, ad duos & quadraginta Patres in Senatum variis lectionibus cooptavit.

Conjurati pœnis afficiuntur.

Leo Legatos ad Principes mittit.

Exinde ad totius Europæ Reges è Cardinalibus virtute ac eloquentia inſignes Legatos miſit: Thomam de Vio Cajetanum ad Cæſarem, Bernardum Bibienam ad Gallum, Ægidium Viterbienſem ad Carolum Hiſpaniarum Regem, ut ſublatis offenſionibus, communi conſilio viribus conſociatis impotenti Turcarum Tyranno bellum terrâ mariqúe ad publicam tuendam ſalutem inferretur: ſed fatali Chriſtianorum Principum diſcordiâ & ſocordiâ, ſaluberrima Leonis conſilia perierunt.

Carolus V. fit Imperator.

Haud multò pòſt (annus erat à Chriſto nato 1519.) Maximiliano Cæſare Veltii in Noricis montibus vita ſurrepto, Carolus V. nepos Hiſpaniarum Rex, Franciſco I. Galliæ Regi competitori, à Septemviris Electoribus prælatus, Imperator Auguſtus deſignatus eſt, legis veniâ à Leone ſeptem millibus aureorum annuorum impetratâ, qua cautum erat, ne Rex Neapolitanus, Cæſar deligi poſſet. Fœdere deinde cum Carolo Imperatore certis conditionibus inito, Leo arma Gallis intulit, ut iis Italiâ pulſis, Franciſcus Sfortia Mori filius jure paternæ hæreditatis Mediolanenſe imperium obtineret: Placentia verò & Parma, à Gallis impotenter ereptæ, Leoni reſtituerentur. Summa belli Proſpero Columnæ demandata eſt: Pontificiis copiis præfuit Fridericus Gonzaga Mantuæ Princeps. His adjuncta ſunt Germanorum & Helvetiorum auxilia: Legatus totius exercitus Julius Medices deſignatus. Hi coäctis copiis ad pugnam prodeuntes, brevi tempore Mediolanum, totamqúe Inſubriam, cæſis pulſiſque Gallis, omnibus tum ob ſuperbiam, ſævitiam, & libidinem inviſis, occupârunt. Ducatus Franciſco Sfortiæ Cæſaris auſpiciis ex fœderum lege datus: Parma & Placentia Eccleſiæ reſtitutæ.

Fœdus inter Leonem & Cæſarem Gallis fatale.

Leonis obitus

Tantæ victoriæ nuncio, quum in Manliana Villa eſſet, accepto, Pontifex incredibili gaudio eſt affectus: nec multò pòſt priuſquàm cœnaret, ſubito membrorum ſtupore correptus obriguit, ſenſimqúe exorta eſt febris, lenis quidem in principio, ſed quæ ei ſuprema fuit. Ob id ſequenti die in Urbem revectus, aliquot diebus pòſt, creſcente ſemper morbo, Romæ in Palatio Vaticano ipſis Kalendis Decembris anno ſalutis 1521. ætatis 47. non ſine veneni ſuſpicione, rebus humanis exemptus eſt, poſtquam Eccleſiæ univerſali lauda-

laudabiliter præfuiſſet annos octo, menſes totidem, ac dies viginti & unum. Dixi, non ſine veneni ſuſpicione Leonem extinctum; fuêre namque, qui exiſtimârunt, illum indito poculis veneno fuiſſe ſublatum; nam cor ejus poſt obitum apertum, atri livoris maculas oſtendit, & lien prodigioſæ teneritatis eſt repertus, quaſi peculiaris, & occulti veneni poteſtas viſcera exediſſet. Ob id conjectus eſt in carcerem miniſter à poculis, non obſcuro indicio, quòd Leonem, pridiè quàm decumberet, in cœna poſt hauſtum vini calicem, ſtatim obducta ac triſti fronte ab eo quæſiviſſe conſtabat, *unde nam ſibi adeò amarum & inſuave vinum propinaſſet?* Adauxit quoque patrati ſceleris ſuſpicionem, quòd ipſe ſub auroram, cùm ſeptima noctis hora Pontifex expirâſſet, ſpecie venandi cum canibus Vaticanam portam exiviſſet, adeò ut à Prætorianis ceu fugitivus caperetur: iis ſcilicet admirantibus diſſolutum hominis ingenium, qui intempeſtivas abſque ullo pudore quæreret voluptates, cùm tota aula beneficentiſſimo Domino extincto, in lacrymis & luctu verſaretur. Sed Julius Cardinalis Medices, cùm è caſtris ad Comitia in Urbem eſſet reverſus, inſigni prudentiâ de veneno quæſtionem haberi vetuit, ne in nomen alicujus magni Principis inexpiabili cum invidia quæreretur. Sunt & qui potiùs credunt, venenum in pillulis ex aloë, quibus per hebdomadâ ad ſubducendam alvum utebatur, ſumptum fuiſſe, decepto ſcilicet Serapico cubiculario, qui eas in loculo uti ad frequentem uſum negligentiùs ſervare conſueviſſet. Nam biduo antequam Leo moreretur, Lesbius abaci Præfectus nullo concepto morbo interiit, cùm duas ex his pillulis de more ad tuendam valetudinem fortè ſumpſiſſet. Non defuêre tamen, qui & miniſtros & Principes eâ calumniâ liberatos omninò vellent; quaſi Pontifex obſtructâ jam planè fiſtulâ, & ob id ſanioſis humoribus ad præcordia rejectis, lethalem morbum facilè conceperit, præſertim cùm & illis diebus turbidus auſter nebulam peſtilentem è paluſtribus campis ad villam Manlianam importunè detuliſſet. *Ego certè* (ſcribit Paulus Jovius in vita) *haud obſcuris ab arte medica innixus conjecturis, nunquam crediderim, ea membrorum robora, eamq́ vim largiſſimi caloris in ipſa corporis temperatura fermè aequali, & ob id ad producendam vitam maximè idonea concidere potuiſſe, niſi alicujus nobilis veneni ſævitia multo impetu ad ipſa vitalia penetraſſet; quando ad perferendam quamlibet inuſitate, vel etiam continua febris contumeliam eâ firmitate corporis atque animi in multos dies omninò paratus eſſe videretur.* Erat enim ſtatura corporis admodùm excelſâ, toto habitu ſuccoſo potiùs quàm pingui, & eo quidem per ſingula membra venuſtè commenſurato, teretribus ſcilicet directiſque cruribus, & manibus candore formaque longè pulcherrimis: ſed una capitis amplitudo cætera membra enormi propè exceſſu, nec tamen ſine dignitate ſuperavit: unde illi naturæ dono admirabilis ingenii captus, & memoria omnium ſingularis. Subtrahebant etiam magna ex parte oris ſuavitatem obeſæ malæ, & oculi extantes, convolutique & hebetes, verùm ſi ad pupillam inſpicienda prorſus admoveret, ſuprà fidem acutiſſimi: ſupplices enim libellos, vel minutiſſimis litteris, & crebris ſyllabarum compendiis properanter exaratos, celerrimè & diſtinctiſſimè lectitabat. Admotâ autem

Veneno ſublatus creditur.

Pauli Jovii judicium.

Leonis imago.

tem cryſtallô concavâ oculorum aciem in venationibus & aucupiis adeò latè extendere erat ſolitus, ut non modò ſpatiis & finibus, ſed ipſa etiam diſcernendi felicitate cunctos anteiret. Ex ore ejus voce ſuavi ac tenera ſermones profluebant ad omnes affectus exprimendos pervenuſti: nam neque in ſeriis adſtricta gravitas, neque in communibus liberalis lepor, neque in mollioribus urbana fœcuditas unquam defuit. Severitatem enim imperii, atque acres generis humani curas eruditis Poëtarum voluptatibus temperare, eorumque altercationes in re literaria hilari animo audire ſolitus erat.

Liberalis & comis.

Sacra confecit, ac ſingula cæremoniarum munia obivit ſingulari cum majeſtate, ut non falsò nemo antiquorum Pontificum eo auguſtiùs & decentiùs ſacrificâſſe diceretur: componebat etiam vocem, vultum, geſtumque in omni occaſione negotii aptiſſimè ac celerrimè, & mores transferebat ad perſonam, divina quadam præſenſione petentium votis occurrens, ut cùm fortè eſſet aliquid negandum, tenerrimis excuſationibus ſupplicantis animum præoccuparet, ſpeque ultrò injectâ novæ liberalitatis totum imminentis repulſæ dolorem extingueret. Quod ſi erat (uti fermè ſemper fiebat) rogantibus obſequendum, tum verò naturæ ſuæ propenſiùs indulgebat, & ad cumulandum beneficium tota benignitatis & gratiæ vela pandebantur: neminem enim adeò liberaliter beneficio eſt proſecutus, quin ab eo, veluti concepto pudore, exigui muneris veniam peteret, ut non obſcurè multò plura & uberiora quàm tum concederet, ex occaſione daturus eſſe cenſeretur. In deliberationibus graviſſimarum rerum diù cuncta excutiebat ac penſitabat, ita tamen ut decernendi tarditatem mira exequendi celeritate compenſaret.

Fidem exigit à miniſtris & obedientiam.

Exigebat autem à miniſtris non modò taciturnitatem & fidem, ſed obediendi extemploque parendi expeditum & vehemens ſtudium; eos maximè peroſus, qui ad oſtentandum cautæ ſubtilitatis ingenium, quò minùs promptè juſſis parerent, importunis & curioſis interpretationibus uterentur. In vindicandis autem injuriis ſeu publicis ſeu privatis exiſtimabat utendum eſſe temperamento, ratione non omninò difficili, veluti perſonis ac temporibus accommodata; ut neque ex nimia ſeveritate odium,

Vult timeri.

neque ex ipſa clementia exiſtimationis jactura pararetur. Volebat enim cùm à familiaribus & conſanguineis, tùm à peregrinis & civibus magnoperè timeri, verùm incolumi omnium erga ſe benevolentia; nam damnabat illam diræ immanitatis vocem: *Oderint, dum metuant.* Et certè non obſcuro nobiliſſimi conſilii propoſito id in tota vita præcipuè ſpectavit, ut largiendo, benefaciendo, & promerendo, ab omnibus hominum ordinibus amaretur, famaque Medicei nominis ad perennem laudem quàm longiſſimè proferretur.

Moritur juxtà votum ſuum.

Cæterùm in ſumma felicitate & gloria (ſi hominum intueamur opinionem) obiiſſe Leo dici poteſt: nam cùm bellum contra Gallos ſuſcipere ſtatuiſſet, Julio Cardinali Mediceo dixiſſe conſtat ex Guicciardino, potiſſimùm ſe ad id impelli deſiderio Placentiam & Parmam Eccleſiæ iterum ſubjiciendi: idque ſi propitio Deo aſſeque-

ſequeretur, mortem ſibi minimè moleſtam fore. Paucos autem ante obitum dies Placentiam, & eodem quo obiit die Parmam captam intellexit. Unde inter ipſas gratiarum actiones Deo factas, animam illum egiſſe quidam ſcribunt.

Sed qui ab ipſis veræ virtutis operibus omni honore digniſſimus habebatur, diu temporario ac ignobili tumulo conditus jacuit: ſed meliore fortaſsè conditione ad ſpem diuturnæ laudis, quàm ii, qui inanis elogii cœlato è marmore ſepulchra propinquorum expedita pietate meruerunt: nam & Poëtæ (gratiſſimum, & liberrimum hominum genus) per aliquot annos, deplorata temporum conditione, congeſtis in Leonem laudibus, certatim carminibus affixis tumulum nobilitârunt. Cadaver è Vaticana Baſilica ad S. Mariæ ſuper Minervam, Patrum Dominicanorum Eccleſiam, tempore Pauli III. Romani Pontificis translatum, juxta Clementis VII. corpus marmoreo & eleganti Mauſolæo (cujus delineationem exhibet *in additionibus ad Ciaconium* Oldoinus) conditum eſt. *Diù caret monumento, & quarè?*

Paulò ante obitum, inſigni in benemeritos pietate, Leo Pontifex coruſcantes mirandis ſignis & vitæ ſanctitate Caſimirum Poloniæ Principem, & Franciſcum de Paula calabrum Sanctorum Confeſſorum catalogo adjecit: quo etiam tempore Henricum VIII. Angliæ Regem, quòd generoſo conamine nobiliſſimum librum contra Lutheri errores conſcripſiſſet, ipſique Leoni præmiſsâ inſigni epiſtolâ nuncupâſſet, *Fidei Defenſoris* titulo exornavit. *S. Caſimirum & Franciſcū de Paula inter Cœlites retulit.*

SCRIPTA.

Scripſit Leo Latinè & Græcè apprimè doctus, Epiſtolas multas, ſententiis & ſtyli nitore elegantiſſimas. *Ejus Scripta.*

Poëmata item varia doctis multùm laudata.

Apoſtolicas litteras, & Conſtitutiones, quarum Binius in Concilio Lateranenſi, & Laërtius Cherubinus in Bullario magno mentionem faciunt.

Sunt etiam Leonis litteræ ad Actium Syncerum Sannazarium ſcriptæ, quibus ſummis laudibus Poëma *De Partu Virginis* extollit, hortaturque ut divinum illud Opus in lucem edat.

Scripſit pariter ad Angelum Trojanum, Joannem Antonium, & Gentilem de Albertinis Cives Nolanos, quibus Præpoſituram S. Felicis de Cœmeterio extra muros Nolanos, ac ſimul jus præſentandi perſonam idoneam ad dictam Eccleſiam, quoties vacare contigerit, perpetuò tum iis, tum hæredibus conceſſit. Hi enim magnis ſumptibus & expenſis Eccleſiam illam reædificare & reparare incœperant, ut refert idem Leo in ſuis litteris.

Quandoque conquerentem de ſua inopia Archipoëtam Leo Pontifex interrogavit præſenti carmine:

Dic mihi cur Dites, *non cernimus eſſe Poëtas?* *Ludit cum Archipoëta.*

Ad quem ſubitò Archipoëta cum alluſione ad fabulam ſimul, & falſâ ambiguitate, Hexametro tale reddidit Pentametrum.

Diis fierem, fieret ſi mihi mater Opis.

Vix dixerat, cùm Leo alia carmina effudit; nempè

Culpa tua eſt; vitio ignavi nam carminis Opem
Quam reliquus longam, tu facis eſſe brevem.

Literis Latinis & Græcis egregiè inſtructus.

Cæterùm dictabat Leo Epiſtolas Hetruſcè, & Latinè pereleganter & expeditè (ut ſcribit ex Jovio Oldoinus) componebat etiam Verſus non illepidè Latinos; Hetruſcos verò peramœna jucunditate delectabiles. Noverat quoque Græcas Litteras nequaquam ad oſtentationem, ſed ad præſidia Latinæ eruditionis. Legendi autem ac relegendi oblata quæque, & præclaros etiam codices abſque ulla faſtidii ſuſpicione avidiſſimus æquè ac patientiſſimus fuit: adeò, ut cùm incomparabili memoria frueretur, omnium gentium ſæculorumque hiſtorias in exemplum ſuarum actionum opportuniſſimè recitaret.

Sed in eo maximè ad abſolutam laudem ſingulis rebus extimandis viguit judicium excellens, eruditum, illuſtre, tanta admiratione omnium, ut plerique ex Academiis fœcunditate ingenii inſignes, non temerè aliundè, quàm ab ipſo Leone rerum ſuarum cenſuram expeterent.

Multorum laudes tulit.

Tantum hunc Pontificem litterarum fautorem, & Mœcenatem Poëtarum munificentiſſimum, non Poëtæ tantùm, ſed primi nominis illius ævi Scriptores immenſis laudibus extulêre, cui & ſcripta ſua nobiliſſima agglomeratis elogiis conſecravêre: ut longum videre eſt apud Oldoinum *in additionibus ad Ciaconium.* Claudam ego vitam Leonis carmine illo, quod illius quondam Tumulo Romæ affixum legebatur.

Deliciæ humani generis, LEO maxime, tecum
Ut ſimul illuxêre, interiêre ſimul.

Lividos Pleſſæi calumniantis aculeos in Leonem exertos, Gretſerus & Coquæus, Myſterium Iniquitatis convellentes, egregiè retundunt, dum petulantem hominis linguam per omnia ut in cæteris Pontificibus, ſic & in Leone mendacem oſtendunt.

ANNO CHRISTI MDXXI.

Imperatore CAROLO V. Auguſto.

DE

HADRIANO VI. Pontif. Max.

CCXXII.
Divino potiùs quàm humano ſuffragio Hadrianus Pontifex creatur.

NEmo unquam, ſcribit Jovius, ab ulla ſacrorum Comitiorum memoria ex his, qui litterarum & virtutis opinione claruerit, vel minore ſua ambitione, vel tenuioribus amicorum ſtudiis Hadriano VI. Pontificatum eſt adeptus: quippè qui tot candidatis, gratia, meritis, atque opibus conſpicuis ſine contentione ſuperatis, ipſe Romæ paucis cognitus, & vix auditus ab Hiſpania, extremiſque Germaniæ oris ad ſummum rerum faſtigium tam felici, quàm inopinato eventu facilè pervenerit. Ità ut hinc liquidò conſtet, Pontificatum divinitùs dari, Comitiorumque

que ſuffragia nequaquam libidine, decretoque hominum, ſed certa & infallibili Dei immortalis providentia gubernari.

Fuit Hadrianus VI. natione Germanus, patria Ultrajeƈtinus, patre Florentio aulæorum textore, ſeu ut alii volunt, cereviſiæ coƈtore, viro honeſto quidem ſed ità paupere natus, ut præclaræ indolis filium (ſexto Nonas Martij anno 1459. in lucem editum) ſuis ſumptibus litteris imbuere non poſſet. Miſſus itaque Lovanium, alienis precibus id impetravit, ut in Collegio Portiorum honeſtis atque ingenuis adoleſcentibus annumeratus, alimenta in aliquot annos ad bonas artes perdiſcendas ex publico nanciſceretur. Hoc modo proviſus Hadrianus, in diƈto Lovanienſi Portiorum Collegio ſe ſe ità Liberalibus ſtudiis exercuit, ut nemo eo attentiùs, aut ardentiùs litteris operam navare diceretur. Nulla ferè unquam à ſcholis juvenilis voluptas eum revocabat: & cùm eſſet ſupra diſciplinæ duritiem, vini cibique parciſſimus, etiam cœteros æquales ſuos perenni continentia, & lenitate animi ſuperabat. Eratque in eo tanta diſcendi, intelligendique felicitas, ut quæ aliis eſſent obſcura, vel nimia commentantium ſubtilitate abſtruſiora, ea jucundè acuteque rimanti, apprehenſu facillima viderentur. Ita paucis annis ſingulas ſcholarum Claſſes, ingenio & doƈtrina facilè princeps, ſecundiſſimo curſu peregit. Primum ei honorem Dialeƈtici detulerunt, cùm nemo eſſet ejus ordinis, qui ei ſolertiâ & acumine diſputandi conferretur. Pari quoque favore apud Philoſophos, uti ſæpiùs ſpeƈtata eruditione inſignis, ante omnes candidatos lauream promeruit. Porrò in Mathematicis ei propè unica contigit laus, cùm plerumque nullo fultus præceptore convolutas earum artium ſubtilitates, & per ſe caperet feliciter, & cæteris admirantibus lucidiſſimè recitaret. Ad extremum tantis inſtruƈtum diſciplinis Theologi in ſcholam avidè receperunt: quibus in ſtudiis perpetua cum laude uſque ad ſeneƈtutem religioſè conquievit; ita ut (carptim tamen) ſubciſivis, temporibus Pontificii ac Cæſarei Juris decreta perdiſceret.

Hadriani VI. vita primordia.

Scientiis omnibus excellit.

Cæterùm (quod unum ei viri elegantes defuiſſe prædicant) eloquentiæ cultioris flores, & Poëtarum amœnitates contemnere erat ſolitus; ſive quòd putaret, eas ſibi aliquid de graviſſimorum ſtudiorum auƈtoritate detrahere; ſive quòd caſtis & piis ingeniis Poëtarum luſus, pravos mores importare, religionique ac integritati plurimùm officere arbitraretur: erat enim ſeveritate Chriſtiana adeò verecundus, ut nihil niſi ſobrium & pudicum vel jocularitèr auribus admitteret.

Poëſi non delectatur, & curè

Peraƈtis ſtudiis Sacerdotium parochiale in Hollandia, Margarithæ Maximiliani Cæſaris filiæ, quæ tum Belgis imperabat, favore & operâ obtinuit. Nec multò pòſt ob morum vitæque integritatem, eruditionis & doƈtrinæ præſtantiam, ſuffragiis Sacerdotum omnium, Lovanii in Templo maximo, Apoſtolorum Principi ſacro, Decanus eſt effeƈtus, qui eſt in ea Urbe inter Sacratos homines ſummæ dignitatis locus. Tum primùm majorem opportunitatem meliùs ſanƈtiusque vivendi naƈtus, nihil aliud ferè egit, quàm ut ſtudiis vacuus Templum quotidiè inviſeret, nunc Pſalmis modulandis, nunc

Decanus Lovanienſis & Collegii Vicecancellarius efficitur.

ſacrificio offerendo, nunc ſacris ad plebem ſermonibus habendis intentus. Hæc quoque dignitas alium honorem ſecum traxit: is eſt in Gymnaſio præcipuæ poteſtatis, & præcellentiæ magiſtratus (*Vicecancellarium* vocant) cujus ea auctoritas eſt, ut in Scholis Collegiorum omnium cuncta ſuo arbitratu moderetur. Auctus inſigni hac prærogativa, Carolo V. adhuc puero Præceptor eſt datus: à quo poſteà ad Ferdinandum Regem in Hiſpaniam cum ampliſſimo legationis munere miſſus, quum admirandæ prudentiæ, pietatis, & ſapientiæ ſpecimina ederet, Epiſcopatu primùm Dertuſenſi (ejus honoris nequaquam appetens) ac mox purpurâ à Leone X. eſt ornatus.

Epiſcopatu & Purpura ornatur.

Non multò pòſt Leo Pontifex levi ab initio, & ferè contemnenda, ſed mox vehementi, ac mortifera febre, inopinantibus Medicis, extinguitur; dum Hadrianus in Hiſpania Caroli V. Cæſaris nomine Provincias regeret. Cardinales, juſtis Novendialibus defuncto Pontifici ex more perſolutis, ad ſacra Comitia coëunt. Advenerat tum Mediolano mutatis ad celeritatem jumentis Julius Cardinalis Mediceus, qui pulſis Gallis apud exercitum Legati munere fungebatur. Is magnis opibus, & clientelis innixus, recentique famâ rerum proſperè geſtarum, & prudentiæ, ac civilis modeſtiæ nomine commendatus, multos ſibi devinxerat Cardinales, & ſexdecim præſertim juniores, à Leone paulò antè creatos. Horum præcipuè ſuffragiis, hortante Julio (quum ipſe repugnante adverſa Seniorum Cardinalium factione Pontifex fieri non poſſet, ut & hi, qui eum oppugnabant, à ſummo Sacerdotio, cui maximè inhiabant, excluderentur) præter omnium expectationem Hadrianus abſens, ac rerum ignorans, v. Idus Jan. anno noſtræ ſal. 1522. Pontifex maximus legitur. Qui Comitiorum actis ad Victoriam Vellicam Cantabrigiæ urbem ſuſceptis, altero pòſt die collati Pontificatus inſignia ſolemni ritu ſuſcepit. Petebant verò per litteras Patres, ut poſteaquam legitimis in Comitio ſuffragiis Pontifex maximus eſſet creatus, quamprimùm paratis ad navigandum rebus, in Italiam bello civilibusque diſcordiis oppreſſam maturaret: id ipſum pluribus inculcabat Alexander Cardinalis Cæſarinus Legatus, qui Pontificem Cæſareæ Auguſtæ ſacri Senatus, populique Romani nomine ſalutatum advenerat.

Pontifex legitur.

Urgetur litteris & legationib. Romā.

Profectione igitur in Italiam edicta, ipſe nihil cunctatus, pridie Nonas Auguſti Tarraconâ ſolvens, leniſſimis tempeſtatibus Genuam pervenit: ubi à totius Galliæ Proceribus obviàm factis honorificè ſuſceptus & adoratus eſt. Inde ſecundis velis Liburnum Piſanum portum devectus, offendit primò Julium Cardinalem Mediceum cum quinque præcipuis Patrum, tum totius Italiæ Principum Oratores, demum Franciſcum Gonzagam Mantuæ regulum, pontificii exercitus imperatorem. Datis acceptiſque ſalutationibus, Liburnô ſolvens, proſpera navigatione Pyrgos appulit. Ibi fuêre à ſacro Senatu miſſi Pompejus Columna, & Franciſcus Urſinus Romani Cardinales, qui exceptum ſub umbella Pontificem ad templum inſigni pompa deduxerunt: ubi oratio elegans à Pompejo Columna eſt habita, ei lætitiæ ac celebritati apprimè accommodata.

Pyrgis ſolemni pompa excipitur.

Pyr-

Pyrgis poſtridie Oſtiam, indeque per Tiberim ad S. Pauli monaſterium ſubvectus, ea nocte ibidem conquievit. Sequenti die nempè IV. Kalendas Septembris Romam ingreſſum Purpurati Patres, Sacerdotum Ordines, Monachorum cœtus, Romanorum magiſtratus pro dignitate exceperunt, atque ſub feſto acclamantis populi, tubarum, campanarumque ſono in Vaticanum deduxerunt: ubi ante fores Baſilicæ S. Petri ex vetere inſtituto (retento Hadriani nomine) triplici diademate coronatus eſt. *Romam appellit, & coronatur.*

Peractis porrò coronationis ſolemnibus, totum ſe præbuit urbanis Magiſtratibus, ut cuncta ſigillatim cognoſceret, opemque afferret labanti Reipublicæ. Nam Romæ peſtilentia vulgus invaſerat; & ærarium Pontificium non modò exhauſtum, ſed & gemmæ, & ſacrarum rerum ornamenta publicè fœneratoribus à Leone, quò rebus afflictis præſidia pararet, oppignorata erant. Ariminum occupaverat Sigiſmundus Malateſta: Turcæ incredibili apparatu mari *Rhodon*, terrâ Pannoniam vexare nunciabantur. Quibus de cauſis Pontificem, rerum Italicarum penitùs ignarum, vehementer conturbari neceſſe erat. Pontificiis igitur negotiis intentus, Wilhelmum Enckenvoirtium, quem Datarium & Dertuſenſem Epiſcopum fecerat, Theodoricum verò Hezium à Secretis ambos Belgas, & Joannem Rufum Epiſcopum Conſentinum, veteri amicitia ſibi conjunctos, intimos conſiliarios adſcivit. Quorum ingenuâ uſus operâ, eorum in omnibus regebatur arbitrio. *Rebus publicis conſulit.*

Horum igitur conſilio Pontifex Sigiſmundum Malateſtam bello aggreſſus, adjuvantibus Ferrarienſe & Urbinatium Ducibus, eum perfacilè Arimino expulit. Nec multò pòſt ad pacandam Italiam converſus, Alphonſum Eſtenſem Ferrariæ, & Franciſcum Mariam Ruvereum Urbini Duces in gratiam recepit, Decretis iis, quæ contra eos Julius II. & Leo X. anteà ediderant, revocatis & antiquatis. Miſit & Legatum ad Venetos, ut eos Cæſari conjungeret, noviſque initis fœderibus Gallus ab Italia procul arceretur. Franciſcum Soderinum veterem Cardinalem, arcanarum rerum, & intimorum conſiliorum participem in Hadriani molem concluſit, quum ejus litteras Julii Cardinalis Medicei operâ intercepiſſet, quibus Franciſcum Galliæ Regem ad transferendum bellum in Siciliam, exulum multitudine, & Hiſpanorum odio novandis rebus opportunam, hortabatur; quò fieret, ut Cæſariani ab Inſubribus ad tuendum id Regnum traherentur: monebatque ut nihil Pontifici Germano temerè crederet, qui quum de pace agere videri vellet, Cæſari tamen perpetuo ſtudio obſequeretur; nec quicquam magis exoptaret, quàm eum novis victoriis auctum conſpicere; neque eum in componenda pace æquum judicem exiſtimare debere, qui in attollendo Cæſare parentis & præceptoris officia ſemper impleviſſet. Hâc Soderini perfidiâ incitatus Pontifex, aliquantò ſuſpicacior, & Senatui minùs familiaris eſſe cœpit, quum ab iis ſe prodi quereretur, quibus ſummoperè confidebat. Rariùs igitur cunctis ſua conſilia communicare; & eis non ſine magno omnium ſtomacho neglectis, hominibus tantum Belgis, quos præclara fide eſſe ajebat uti conſuevit. *Malateſtam Arimino pellit.* *Soderinum Cardinalem in carcerem compingit.*

Rhodo à Turcis obſeſſæ auxilia parat.

Mox quoque ſuccurſum voluit Urbi & Inſulæ Rhodo, quæ tertium jam menſem à Solymanno Turcarum Imperatore graviſſima obſidione premebatur, cujus ſalutem maximum eſſe momentum ad reliquarum Provinciarum Chriſtianæ ditionis ſalutem minimè ignorabat, niſi quòd ratio, qua id commodè fieret, iniri non poterat, deficiente ſcilicet belli nervo pecuniâ; neque pro expedienda ea moram re patiente. Verſabat quidem ſe in omnes cogitationes, accerſitis Patribus, ſi quid illi præſentis fidique conſilii afferrent, implorata fide omnium, quorumcunque poterat, miſſis litteris ad Siculos, Neapolitanos, Hiſpanos, ad quoſcunque denique, unde aliquid ſubſidij affore poſſe ſperaret. Contractaſque aliquot naves apud Genuenſes, milite, commeatu, armiſque, quantum potuit inſtruxit, inſtructaſque Rhodum verſus miſit. At verò dum ventus navibus deeſt, & ii, quorum auxilium implorabat, prolatando tempus omne idoneum, ſi quod erat navigandi, conſumunt; ac Turca in dies acriùs obſidionem urget, ſpe omni præſidii poſita, Rhodij vitæ rerumque incolumitatem pacti, deditionem fecêre ipſa

Rhodus Turcis deditur.

die nato Chriſto ſacra, anno humanæ ſalutis 1522. cum ingenti ejus mœrore, quòd tanta clades Reipublicæ Chriſtianæ illata eſſet, eaque labes nomini ſuo apud poſteros, licèt immerenter, adhæſura videretur.

Excuſatur.

At quid potuit ſolus? inani ærario? in ſumma Monarcharum diſcordia? Germaniâ tot ſuperſtitionibus corruptâ? & adeò denique omnibus à reverentia ſacroſanctæ Sedis alienatis? Si idem religionis ardor, idem pietatis ſtudium, Principum animos, proximis aliquot ſæculis habuiſſet, qui Godofredum Bulonium, Hugonem Magnum, Tancredum, Robertos, & reliquos ſacri belli Proceres, quum Hieroſolyma recipiebatur, haud dubiè Rhodus noſtra etiamnum eſſet, nec Rhodus modò, ſed etiam clariſſima illa duo Imperia Conſtantinopolitanum, & Trapezuntinum, ac reliqua Græciæ Regna longè florentiſſima. Verùm ò tempora! ò mores! nemo, qui piè monenti Pontifici tum auſcultaret, erat.

Cadente Rhodo, ingens Romæ ſaxum decidit.

Eodem die, eâdemque horâ, qua Rhodus dedebatur, ſaxum ingens è ſuperiore limine portæ Sacelli Pontificij in Vaticano prodigioſè decidit, cùm Pontifex uno aut altero non ampliùs paſſu à liminè abeſſet, jam ingreſſurus pro religione diei, ad faciendum ſolemne ſacrum, oppreſſitque duos ex Helvetiis, qui ex more cuſtodiæ corporis ejus adhibiti erant.

Lutheraniſmum profligare nititur.

Inter hæc non minore ſollicitudine & vigilantia Lutheraniſmum profligare nititur. Conventus erat Principum, liberarumque Civitatum Germaniæ apud Norimbergam. Huc Franciſcum Cheregatum protinùs mittit, ſibi anteà in Hiſpania cognitum, dum is illic Nuncium Apoſtolicum ageret, tum recens à ſe, propter virtutis opinionem, Præſulem Fabrianenſem declaratum; qui verbis ſuis acerrimè Germanos hortaretur, ſi ditiones quoq; ſuas ſalvas vellent, nollentque omnia ſua etiam fœdè evaſtari, mitterent auxilia pri-

Hungariæ Regi ſuppetias ſollicitat.

mo quoq; tẽpore, abrupta omni tergiverſatione, proximè ſito Ludovico Hungariæ Regi adoleſcenti, tũ de impetu Turcarũ graviùs laboranti, quàm ut ſolus poſſet reſiſtere, neque ſinerent nobiliſſimum Regnum,

gnum,

gnum, quod univerſæ Germaniæ veluti firmiſſimus obex præjaceret, immaniſſimo hoſti prædam fieri, qui alioqui ad ipſos quoque pronum habiturus eſſet acceſſum. Simulque exploderent impia Lutheri dogmata, à litteris ſacris, traditionibusque Eccleſiæ, & priſcorum Patrum ſcitis aliena, quæ apud eos paſſim ſuboleſcerent, memores quanto ardore majores eorum religionem ſanam, remque Catholicam olim aſſeruiſſent, à quibus degenerare, cùm ad famam turpe, tum verò impium foret.

Dedit adhæc litteras ferè ad ſingulos quoſque Principes, tam Eccleſiaſticos, quàm ſæculares, ejuſdem exempli: ſed præſertim ad Fridericum Saxoniæ Ducem, in cujus dominatu totius incendij fax Lutherus agebat; monens eum, ut prudenter conſideraret, quàm ineluibilis tetraque gloriæ ſuæ ad poſteros macula foret, foviſſe hominem phreneticum, legibusque Eccleſiæ damnatum, qui non minùs impiis, quàm ſtolidis næniis Orbem penè univerſum in exitium involveret. Prætereà adjutorem fuiſſe labefactandæ pietati, quam tot Martyrum fuſus ſanguis, tot eruditiſſimorum hominum vigiliæ, tot fortiſſimorum Principum invicta arma ſummo nixu ſtabiliviſſent: alioqui non eum de ea temeritate cauſam feliciter dicturum, cùm ſtandum eſſet ad tribunal Judicis Chriſti: & alia multa in eandem ſententiam. Reſipiſceret igitur, & ingreſſus per avita majorum ſuorum veſtigia, non ſineret prudentiæ ſuæ, præſtigiis unius rabioſi homunculi, illudi, qui ſcilicet nihil ſcriptis ſuis nefandis produceret, quod temporum ſuperiorum Conciliis ex profeſſo damnatum non eſſet. Spondebat adhæc, ubi primùm ſedatis bellorum turbis poſſet, indicere Concilium univerſale, ut quidquid Romæ, quidquid alibi, apud Epiſcopos, Abbates, Præpoſitos, & univerſum denique ordinem Eccleſiaſticum collapſum eſſet, in priſtinum gradum reſtitueretur. Verbo, tantum effecit ſedulitate, auctoritateque, quam ſanctitas vitæ, præſtantiaque doctrinæ pepererant, tum gratiâ, qua maxima apud Germanos Pontifex Germanus valebat, ut malum illud jam tum utcunque miteſceret, & ſpes magna eſſet (niſi mors ejus impediviſſet) fortaſſis brevi, aut in totum, aut ex maxima certè parte explodendum. Poſthæc miſit in Hungariam Legatum Thomam Cajetanum S. Sixti Cardinalem cum centum quinquaginta ducatorum millibus, ita demum erogandis, ſi expeditio aliqua memoranda ab iis in Turcam pararetur. Quam pecuniam vir ille inſignis, nullo modo aliter atque ex præſcripto erogare ſuſtinuit, tametſi ab Hungaris, magnis & conviciis & minis, ut pro eorum potiùs arbitratu, qui neceſſitates ſuas magis quàm quivis exterus noſſent, erogaretur, acerrimè urgeretur.

SaxoniæDucem, ut à Luthero abſiſtat paternè monet.

Concilium indicere parat.

Legatū cum pecunia in Hungariam mittit.

Eâdem pietate permagnam vim frumenti, pulverisque tormentarii, per extremas Urbes, arcesque Dalmatiæ & Croatiæ miſit, quæ ob captam Rhodum ſummo in diſcrimine verſabantur. Quid quæris? in his omnibus rebus non ſolùm quantum potuit, verùm etiam ſuprà quàm potuit, præſtitit.

Porrò animum ad Eccleſiam Chriſti fœdis abuſibus corruptam, reſtituendam adjecerat: ejuſque rei cauſa in Urbem Vaticanasque ædes

Eccleſiam in multis collapſam reſtituere ſatagit.

ædes acciverat Joannem Petrum Caraffam Archiepiſcopum Theatinum, & Marcellum Cajetanum, veteris diſciplinæ moribus venerabiles, & in omni graviore doctrina lectiſſimos, ut eorum conſilio in morum cenſura, & Eccleſiæ reſtitutione uteretur. Atque ut promiſſum de corrigendis Eccleſiaſticis etiam re, non verbis præſtaturus videretur, multa protinùs Romæ in ſtatum meliorem convertit: nova ſiquidem officia, ſupra ordinariis ſacroſanctæ Sedis proventibus à Leone X. inſtituta, ex quibus pretio datis plurimum quæſtûs fiſco ejus acceſſerat, paulatim abolebat; & quotquot ejuſmodo deinde vacâſſent, nulli pretio dabat, etiamſi ipſe id temporis graviter re nummaria laboraret. Sciebat quippè, quantum illa Sedi Apoſtolicæ onerosa eſſent, & ſic conceſſa ampliſſimam paſſim offendiculis, & obtrectationibus materiam præberent. Abrogabat quoque ea nonnullis, qui gratis nacti fuerant: ratus, ſatis eis eſſe debere, quòd inde annis plurimis ſine ullo ſumptu onereque commoda non exigua accepiſſent. Quamquam ea in re plurimum difficultatis paſſus eſt, multorum quoque offenſam ſubiit, qui quæſtui ſuo per hoc plurimum decedere videbant: quod tamen ipſe minimi fecit, quia mores temporum, ſtatuſque rerum præſens ſic facere commonerent. Quanquam, ſi Paulo Jovio fides eſt, damna illa ademptorum officiorum, aliundè nimirum cenſu ſacerdotiorum penſaturum ſe polliceretur, atque nonnullis etiam penſaverit.

Multorum offenſam ſubiit.

Profuſiores Indulgentias improbat.

Accedit quòd Indulgentias parciùs longè, quàm Anteceſſores, concedebat; propterea quòd profuſiore largitione ad vilitatem contemptumque apud plebem recidiſſent; & Lutherus ex earum abuſu prima veſaniæ ſuæ auſpicia ſumpſiſſet: ut ſpes eſſet, ſi diutiùs ſuperfuiſſet, ad priſtinam reverentiam redituras eſſe, prout jam tum operâ ipſius utcunque cœperant.

Adde, quòd Reſervas, Acceſſus, Regreſſus, Coädjutorias, Expectantias, præſertim conceſſas ſine aſſenſu eorum, quorum erant, Sacerdotia, & id genus alia, Romani aucupii neſcio quo nomine appellata retia, quæ facilitate Leonis ſupra modum propagata erant, magna ex parte ſuſtulit: præſertim quòd eâ viâ plurimi probroſi, inepti, planeque indigni ad opima Sacerdotia obreperent, qui pecuniam haberent, qua nihil non parare eſt, maximè Romæ, (ut ſcribit Onuphrius) probi verò litteratique, qui hanc non haberent, ab eis utplurimùm excluderentur. Multaque alia, quæ longum eſſet commemorare, quæ anteceſſorum ejus nonnulli cum gravi offendiculo plebeiorum, & ſacroſanctæ poteſtatis contemptu, concedere ſolebant, concedere noluit. Imò etiam non paucos, quos idoneos ſciret, nec ambientes, nec expectantes, ſacerdotiis auxit, diplomatibus, nullo petito aut accepto pretio, gratis ad eos tranſmiſſis. Qua quidem via aliquot præclaros viros Lovanij ad honeſtam fortunam ultrò promovit. Hinc item fuit, quòd difficulter cognatos agnatoſque ad beneficia proveheret, non quia eis candidè non faveret, ſi alioqui idonei eſſent, ſed quia (ut dicere ſolebat) *ædificare Sion in ſanguinibus nollet*: hoc eſt, quia in ſacris rebus reſpicere naturæ neceſſitudines recuſaret, ut quæ ibi locum non haberent. Quin imò in paribus dotibus, ſpreto ſanguine, alienorum potiùs,

Exteros potiùs quàm ſanguine junctos beneficiis afficit.

potiùs, quàm ſuorum rationem habuit. Ex quo ſuit, quòd litteris commendaticiis Magnatum quorundam inferioris Germaniæ ſollicitatus, ut proximi ſanguinis adoleſcentem & forma & ingenio præſtantem, qui tum recèns Magiſter Philoſophiæ creatus, altiora ſtudia Lovanii ſequebatur, galero Cardinalicio ex more ſolemni aliorum Pontificum ornaret, nequaquam aſſentiri voluerit. Patruelis ſui filium ingenuum adoleſcentem, Senis tum in Gymnaſio litteris operam navantem, quòd Romam non vocatus, intermiſſis ſtudiis, repentè venerat, confeſtim equo meritorio impoſitum remiſit, animi levitatem identidem objectans, & ſeverè admonens, ut abs ſe modeſtiæ & temperantiæ exemplum opportunè ſumeret. Alios quoque nec remoto affinitatis gradu neceſſarios, qui ſpe celſioris fortunæ è Germania pedibus Romam venerant, mirum in modum increpuit, donatiſque ſingulis, ſagis laneis, & frugi viatico, pedibus ſimiliter in patriam redire juſſit. Quarum rerum teſtimonio profuſam ſuperiorum Pontificum erga propinquos liberalitatem, uti gravem, & Reipublicæ perniciosſam, deteſtari erat ſolitus.

Alia præclarè operatur.

Conſtituerat etiam, ut aſſerunt, qui id coràm à narrante audivère, antiquare exemptiones minorum, ſeu (ut vocant) ſecundariarum Eccleſiarum, Collegiorumque Diœceſis Leodienſis, etiamſi operâ ſuâ aliquando impetratas: quòd videret eas, contrà quàm ratus eſſet, ad nihil aliud uſurpari quàm ad impunitatem ſcelerum, & materiam majoris laſciviæ & nequitiæ: neque viſitationem annuam ad vitia exemptorum corrigenda à Decanis ad id deſignatis fieri juxtà formam Diplomatis à ſe impetrati. Qua ipſa de cauſa, ut conjicere pronum eſt, etiam alias pleraſque antiquaturus erat. Deſtinaverat ſimiliter circa vacantia beneficia, adhibitis Theologis & Juriſperitis, Romanæ Curiæ diſcutere leges, quas *Compoſitionum* vocant; Quarum vigore Datarius Apoſtolicus ab his, quibus quid Pontifex indulget, aliquid ſubſidii nummarii in neceſſitates pontificias de more exigit; ut ſi quæ honeſtæ, ſobriæ, & tolerabiles forent, retinerent uſum: ſi quæ graves, immoderatæ, aut ſimoniam olentes, tanquam abuſivæ tollerentur. Denique conſtituerat inter cætera diſſolutæ urbis Romæ mores corrigere; *Maranos* delere, blaſphemos, ſimoniacos, uſurarios, fœneratores, lenones, & adverſæ veneri deditos cumprimis ex legum ſcitis acerbiſſimè caſtigare. Verùm mors ejus maturior (quod dolendum) cœptis hiſce ſaluberrimis optatum ſucceſſum eripuit.

Leges Curiæ Romanæ reformare ſatagit.

Tempora peſtilentiæ Romæ perſiſtit.

Cæterùm ne quid item in moribus ſuis privatis deſideraretur, ſtatim in exordio Pontificatus Romæ de numero ſatellitum, equitum, peditumque, quos etiam Romani Pontifices vetuſto more adſciſcunt, multùm præcidit. In illa atrociſſima peſtilentiæ vaſtitate, quæ omnia id temporis Romæ depaſcebatur, bonus Paſtor oves non deſeruit, ſed aliis pleriſque Magnatibus ſibi fugâ conſulentibus, ipſe nec pavidus multùm, nec anxiè pharmacis armatus, conſtanter in Urbe permanſit, eo officio incolis mirificè gratificatus. In id verò maximè incubuit, ut omnem luxuriæ ſpeciem à ſe longiſſimè amoveret. Hinc cùm adoleſcentes aliquot honeſtæ indolis, ac ſtirpis in gratiam parentum in familiam aſcitos; ex Hiſpaniis ſecum

Conſulit famæ ſuæ.

in Urbem duxiſſet, intellexiſſetque Italos ex convictu illorum, neſcio quæ abominanda, Germanis inuſitata, ſuſpicari, nulla mora dimiſſos in Hiſpanias remiſit, in Academia Salmanticenſi pleniùs litteris imbuendos, quibus anteà domi ipſius à pio ſimul & erudito viro Theodorico Hezio Secretario ipſius, eo jubente, imbuti fuerant. Inter prandendum & cœnandum ſemper lectorem aſſiſtentem habebat, uti anteà in minoribus conſtitutus aſſueverat. Æquè parcè, aut etiam parciùs, quàm anteà, cibum capiebat, & hunc non lautum, non exquiſitum, ſed obvium, qui famem ſedaret, non delicias adminiſtraret. Ædes ſacras paucis comitatus, per Urbem ſumma cum religione, ac maximo intuentium exemplo frequenter luſtrabat. Suo quoque tempore in Catalogum Sanctorum B. Antoninum Archiepiſcopum Florentinum retulit, virum ſuo ævo pietate, ſignis, & doctrina ſingulariter conſpicuum (ut luculenta ejus ſcripta ac vitæ acta demonſtrant) atque B. Bennonem, Miſnenſis olim Eccleſiæ Præſulem, virum ſua tempeſtate ſanctiſſimum, & apud Germanos, præſertim Boios, multis prodigiis nobilem: cujus acta eleganti ſtylo recenſet Matthæus Raderus S.I. in ſua *Bavaria ſancta, volumine 3. folio 181. prima editionis.*

B. Antoninū Florentinum & Bennonem Miſnenſem Epiſcopos Sanctis adſcribit

Sugillatur à nonnullis, ſed defenditur.

Et tamen cùm iſta integritate eſſet Hadrianus, ſtuderetque pro viribus, in omnibus abſoluti Pontificis partes implere, ut argentum ſine ſcoria non eſt, in quibusdam viſus eſt nonnihil officio defuiſſe. In abſolvendis negotiis undique Romam confluentibus, aliquantò lentior, timidiorque erat, quàm pro nonnullorum animo. Unde illa Hieronymi Balbi Epiſcopi Gurcenſis Hungari in eum libertas, qui cùm Legatus Romam miſſus à Ferdinando Auſtriaco Caroli V. Cæſaris fratre, coërcendis Lutheranis & Turcis auxilium imploraret, & ille cunctantiùs perplexiusque in re petita ageret, frequenti cœtu Patrum, *Sanctiſſime*, inquit, *Pater, Fabius Maximus cunctando rem Romanam reſtituit, tu verò cunctando, rem Romanam ſimulq́ univerſam Europam perditurus videris.* Quo ſcomate & Pontifex mirificè pudefactus, & plerisque Patribus riſus excuſſus fuit. Sed cauſam ceſſationis in eo putant, quòd cùm de omnibus ritè firmeque ſtatuere cuperet, non haberet quibuſcum ex animo conſultaret, quique adjutarent, ubi opus eſſet: neque ſciret, utpotè novus illic hoſpes, quibus quid tutò committeret, quos proceſſu temporis cogniturus erat. Alioqui in abſolvendis negotiis nihil minùs quàm ceſſator erat, ut ad liquidum patet ex rebus ejus in Hiſpania præclarè geſtis.

Impudentia Oratoris Ungari.

Sunt & alia nonnulla, in quibus naſutioribus minùs probabatur, in quibus eum non omninò tueri velim, quaſi ipſe ſolus omnibus horis ſapere potuerit, id quod rectè nemini conceſſum perhibetur. Porrò illud confidenter & verè dixerim, ſicubi ab orbita aberravit, ac ſi qua in re aliter ſe geſſit, quàm fortaſſis pleriſque Sapientum probatum fuerit, id tamen nec à ſciente factum eſſe, nec de induſtria. Si quid indulſit, quod fortaſſis ſatiùs fuiſſet non indulſiſſe; ingenuè aſſero; & ii idem aſſerunt, qui propiùs hominem cognoverunt, non ſic indulſit, quin ratio aliqua probabilis, cur indulgeret, ei conſtiterit, aut certè conſtare viſa fuerit. Non dubium, quin

quin multa conceſſerit ad graviora incommoda, quæ alioqui ſatis idoneis indiciis oritura videbantur, excludenda. Multa quoque malè doctus, aut ſiniſtrè informatus conceſſit, quòd aliter exponerentur, quàm veritas haberet: multa per ignorantiam, quòd eo fuco coloreque polirentur, ut quòd improba eſſent, à tantis curis diſtracto ægrè poſſent deprehendi. Jam verò nonnulla primum intuentibus, viſus eſt inconſultiùs agere, quæ tamen ab acutiùs attendentibus, & ex ipſo eventu rerum, non ſolùm non inconſultè, ſed ſalubriter admodùm & prudenter ab eo acta fuiſſe compertum eſt. Adde, quòd plurima non approbavit quidem, ſed tantùm ad tempus toleravit, quia protinùs ea corrigere non potuit, correcturus tamen ſuo tempore, cùm commodiùs poſſet. Illud conſtat, ſi quando per affectus, aut per fucatas aliquorum ſtrophas ſibi impoſitum ſentiret, illicò ſua ſponte, nulloque admonente, erratum emendâſſe, ſi modò integrum foret; vel vehementer doluiſſe, ſi non foret. Utut eſt, certum habeat, quiſquis in eo nonnulla deſideravit, divinum potiùs, quàm humanum eſſe, ita ad omnia perpetuò vigilare, ut non alicubi tibi excidas, præſertim in tantis occupationibus, & apud homines tam aſtutos, qui mille præſtigias, mille colores quærunt, ſub quibus res ſuas meliores faciant; nihil interim penſi habentes, æquum ſit an iniquum, pium an impium, quod ſequuntur, dummodò viâ aliquâ aſſequantur. Credat denique functionem Sedis Apoſt. longè operoſiorem eſſe, quàm imperitis, & in otio quieteque agentibus prima ſpecie videatur: ubi non intempeſtivè quis illud Comici produxerit: *Tu ſi hic ſis, aliter ſentias.* Et pauciſſima hæc ad exculpandum Hadrianum ab impactis ſuffecerint dicteriis.

Ferunt eo Pontifice Theophilum Patriarcham Alexandrinum, permotum claritate nominis ejus, litteras Græcè ſcriptas ad eum ceu ad Caput omnium Eccleſiarum tranſmiſiſſe, quibus Sedi Apoſtolicæ obedientiam, obſequiumque detulerit: quas vir multarum linguarum ſimul & diſciplinarum exacta cognitione clarus Hieronymus Alexander, tunc Pontificiæ Bibliothecæ curator, poſteà Inſulis Brunduſinis, & purpura conſpicuus Latinè interpretatus eſt, & unà cum ipſa interpretatione in Scriniis pontificiis ad poſterorum memoriam repoſuit. Et hæc fermè in Pontificatu ſalvus ac validus geſſit. *Patriarcham Alexandrinum ad obedientiam recipit.*

Cæterùm quonam modo ampliſſimam ſpem, quam omnibus de ſe concitârat, & honeſtiſſimos ejus maximarum rerum conatus, præſertim in ſarciendis, quæ paſſim diruta jacebant, obrepens mors eluſerit, reſtat ut paucis item exponamus. Ecce dum totus & mente & viribus reformationem Eccleſiæ meditatur, putatque Principes Chriſtianos eam ad rem, piam ſcilicet & neceſſariam, haud dubiè ſtudia ſua enixè collaturos eſſe, eventus non omninò votis & conatibus ejus reſpondit. Fœdere tamen junxit non quidem omnes, ſed præcipuos Chriſtianæ pietatis Monarchas, liberaſque Italiæ Civitates, in primis Sedem Apoſtolicam, Carolum lectum Cæſarem, Henricum Angliæ, & Ludovicum Hungariæ Reges, ac minores aliquot Italiæ Principes. Quorum omnium Legatis appa- *Princeps Chriſtianos fœdere jungit adverſus Turcas.*

ratiſſimum epulum Romæ Pompejus Cardinalis Columna dedit. Tametſi cauſa fœderis præcipua erat, tueri Italiam ab incurſu Turcarum, qui à capta Rhodo feroces, à bello minimè ceſſaturi videbantur. Quam ob cauſam Cæſar etiam cum Venetis, hortante Pontifice, pacem firmavit. Unus Gallus extra jus fœderis erat, ſic tamen, ut ſi conditionibus oblatis ſtare vellet, nullo negotio inſeri poſſet. Ac conſtitit fœdus illud uſque ad obitum Pontificis, à cujus morte mox direptum fuit. Fœderi autem publicando locus deſignatus, Ædes Virginis ad Præſepe, vulgò *Sancta Maria Majoris*, erat. Huic publicationi cùm pro ſuo zelo Pontifex ipſe intereſſe cuperet, quo res majori cum auctoritate perageretur, medici vetuerunt: quippè jam tum laborare è renibus cœperat, quo malo ſenſim invaleſcente, ante quadrageſimum poſteà diem abſumptus fuerat: conatique ſunt perſuadere, publicationem eam in Æde divi Petri celebrari juberet, palatio videlicet Pontificio proximâ, quò accedere ſine magno incommodo, ac nullo fermè valetudinis diſcrimine poſſet; cùm ſi ad Ædem illam Virginis, utpotè longo ſatis intervallo à Vaticano diſtantem, concederet; id ſine magna corporis concuſſione fieri non poſſet, quæ ſic affecto non poſſet non eſſe vehementer noxia, & propemodùm exitialis.

Fœderis publicationi non ſine incommodo valetudinis intereſt

Verùm ille (ſive fiſus auxilio Numinis, cujus negotium bona fide ageret, ſive non ratus tantum ſubeſſe diſcriminis, quantum denunciabatur) ut ſententiâ cederet, adduci non potuit. Quarto itaque Auguſti, qui dies longè fervidiſſimus erat, aliquantò poſt meridiem in palatium conceſſit, Ædi illi Virginis, de qua diximus, vicinum, comitantibus aulicis omnibus. In quo quidem itinere plurimum pulveris hauſit, qui multitudine equorum, in ingenti ſcilicet terræ ſiccitate, qualis per æſtatem Romæ eſſe ſolet, excitabatur: ac diuturniore equitatione ita defatigatus eſt, ut veſperi lecto decumbere incœnatus, appetentiâ ſcilicet cibi prorsùs dejectâ, compulſus fuerit. Poſtridie, qui dies item plurimùm fervebat, languidus admodùm, ſuccollantibus miniſtris, in Templum venit, & amictu pontificali non parùm ponderoſo ornatus, ſacro ſolemni eoque prolixo, quod Pompejus Cardinalis Columna celebrabat, publicationique fœderis, quæ à Vincentio Pompeij Secretario fiebat, ad finem uſque interfuit. Unde multò magis atque anteà dejectus, totoque corpore ſudore deſtillans, ut etiam veſtes ipſæ maderent, in palatium, ubi pernoctârat, redit; ac mox veſtibus poſitis, in lectum cubitum concedit: cubantem tantus mox ſudor repetiit, ut lectum ſtragulamque penitùs madefecerit: Neque ullum cibi deſiderium, quo exhauſtas tot ſudoribus vires reficillare poſſet, adfuit. Et tamen ſic proſtratus, eâdem die ſub veſperam pari difficultate Vaticanum repetiit, poſtridie ſcilicet quàm inde abiiſſent.

Graviter languet.

Ex eo verò tempore renum dolor in dies magis magiſque ingraveſcebat, ut ſuprema illi dies proximè abeſſe, facilè poſſet intelligi. Quo animadverſo, convocatis Patribus, ultimum vale dicit, ſummo eis ſtudio rem Chriſtianam commendans, quæ tum ſi unquam aliàs graviter laborabat, quamque ipſe ad ſtatum meliorem, pacem, quietemque reducere cupiviſſet quidem, ſi modò rerum

Ingraveſcit morbus.

rum arbiter Deus vitam longiorem, ſuppeditatis ſimul viribus & auxilio, indulſiſſet. Porrò pileum Cardinalitium, quo titulo ipſe habuerat, non improbantibus Patribus, in Willhelmum Enckenvoirtium contulit, in quem quoque antea Epiſcopatum ſuum Dertuſenſem tranſtulerat; nonnullis agentibus, ut eo ipſo pileo Theodoricum Hezium decoraret; quod & fortaſſis factum fuiſſet, ſi modò viro illi optimo, ad dignitatem eam jugiter tuendam, aliundè ſatis proſpectum fuiſſet. Atque eum ad modum rebus omnibus publicè privatimque ritè, quantum potuit, ordinatis; Sacramentisque Eccleſiaſticis Chriſtiano more religioſè acceptis, XVIII. Kalendas Octobris, (qui dies exaltatæ Crucitum feſtus erat) ad extremum fermè halitum mentis compos, Romæ in palatio Vaticano, piiſſimè uti vixerat, naturæ conceſſit, anno humanæ ſalutis 1523. Pontificatus ſui anno ſecundo nondum completo, cùm annos ſexaginta quatuor, menſes ſex, dies ſedecim ætatis impleviſſet: vir certè longè digniſſimus, qui ad emolumentum Eccleſiæ annis plurimis Pontificatui præſediſſet: quem utinam ita Romani, Italique, ut Germani, iique apud quos ab ætate viridi vegetaque verſatus erat, penitùs cognoviſſent, crediderim faſſuros fuiſſe, haud alium ullum ſæculis multis fuiſſe, qui ſpartam eam (ut ajunt) feliciùs utiliusque ornare potuiſſet. Neque acceſſuros cuidam ipſorum, qui in libro, quem *de Piſcibus* inſcripſit, malignè de eo prodit; *Hominem ſicut in adminiſtranda Republica hebetis ingenii, vel depravati judicii, ita in eſculentis inſulſiſſimi guſtûs fuiſſe.* Sic ſcilicet de viris bonis probisque cenſent, qui affectus in conſilium, non verò rem ipſam adhibent. At verò ſæculum illud turbulentum, diſcordiis & moribus infame, fortaſsè tali ac tanto Pontifici qui præter Deum & Eccleſiam nil ſpectabat, dignum non fuit, ut non rarò Deus iratus ſalutares Reipublicæ Rectores de medio tollit; quia ſubditi per mores improbos diù habere non merentur. Fateor, juſta erat ſenectute, & ad metas humanæ ætatis accedere incipiebat. Verùm mors eorum virorum, meo quidem judicio, omnibus videri debet immatura, qui per ingenium etiamnum florentiſſimum, per memoriam adhuc præſentiſſimam, per multiplicem rerum uſum, quantò majorem eum ſenes jam, quàm olim juvenes habent (quæ omnia in Hadriano erant) in publicum prodeſſe & poſſint, & velint quidem, ſed per communem omnibus mortalitatis ſortem non permittuntur. Quanquam egregia ejus virtus, eximia pietas, excellens eruditio, de omnibus benè merendi incredibile ſtudium, eum facilè ab interitu aſſerent: Vivet quippè per hæc, vivet in ſæcula, atque eò quidem diutiùs, quò æquiores poſteri virtutum ejus, quàm qui ipſi præſentes erant, judices erunt.

Sanctè decedit.

Calumniâ falsò oneratur.

Commendatur ab Auctore.

Defuncti corpus in Templo divi Petri à ſummo manè in veſperam uſque inſequentis diei in publico conſtitit, adfluentibus eò certatim omnis generis mortalibus, aliis religione quadam manus pedesque, quos hominis verè ſancti eſſe credebant, oſculaturis, aliis propiùs liberiusque viſuris mortuum, quem vivum reverentia quadam accedere non fuerant auſi. Quare multorum afflatu, attactuque in tanto præſertim æſtu, quantus tum Romæ erat, reſoluto

Romani defunctum venerantur.

Yyyy 2 corpore,

corpore, adeò facies ejus deformata fuit, ut Hadriani eſſe vix agnoſceretur, ut inde plerique ſuſpicionem caperent, ſublatum fuiſſe veneno. Conditus eſt primùm temporario monumento in Baſilica Vaticana inter duos Pios ſecundum & Tertium Picolomineæ gentis Pontifices cum hac Inſcriptione:

Ejus Epitaphium.

HADRIANUS VI. HIC SITUS EST:
QUI NIHIL SIBI INFELICIUS IN VITA, QUAM
QUOD IMPERARET, DUXIT.

Quàm potes meritò, optimoq; jure
Inter Pontifices PIOS jacere Maxima pietatis HADRIANE! Inſignis pietas tua, HADRIANE,
Viventi tibi profuit, decusq; Aurei diadematis paravit jure id me herclè, at æquius tuaq; Certius pietatis hoc Trophæum eſt, Defunctus quòd honoribus tot, inter Duos contigerit
PIOS jacere.

Aliud ob Enckenvoirtio Cardinali conſtructum.

Cæterùm Cardinalis Enckenvoirtius, ut in defunctum quoque fidem præſtaret, quam luculentam in vivum præſtiterat, alterum ei monumentum ampliſſimum magnifici operis ex alabaſto poſuit in Templo Germanorum ad Arcum Flaminium (vulgò *S. Maria de Anima* nuncupatum, ab ipſo olim Hadriano conſtructum) cum plurimis ejusdem materiæ ſtatuis, virtutum ejus, quarum ductu ad id faſtigii emerſerat, clariſſimis indicibus. Appoſita nobiliſſimo monumento funeralis memoria hæc eſt:

HADRIANO VI. PONT. MAX.

Ex Trajecto, inſigni inferioris Germaniæ Urbe: Qui dum rerum humanarum maximè adverſatur ſplendorem, ultrò à Proceribus, ob incomparabilem ſacrarum rum diſciplinarum ſcientiam, ac propè divinam caſtiſſimi animi moderationem, Carolo V. Cæſ. Aug. Præceptor; Eccleſiæ Dertuſenſi Antiſtes; Sacri Senatus Patribus Collega; Hiſpaniarum Regnis Præſes; Reipublicæ denique Chriſtianæ divinitùs Pontifex abſens adſcitus, vixit annos LXIV. *Menſes* VI. *Dies* XIII.

Deceſſit XVIII. *Kal. Octob. anno à partu Virg.* MDXXIII.
Pontificatus ſui anno II.

WILHELMUS ENCKENVOIRT ILLIUS BENIGNITATE ET AUSPICIIS TIT. SS. JOANNIS ET PAULI PRESBYTER CARD. DETUSEN. FACIUNDUM CURAVIT.

Proh dolor! quantum refert in quæ tempora
vel optimi cujusque virtus incidat!

Carmen in ejus effigiem, vitam, & obitum.

In effigiem, vitam, atque obitum Hadriani Pontificis Maximimilianus Vrintius Poëta celebris hoc cecinit carmen, à Franciſco Suvertio in ſua *Athenæ Belgicæ* relatum.

Quæ

Quæ facies auguſta Viri? Sexti *ne* Hadriani?
Hoc ita. Quo functus munere? panè Dei.
Quid dedit hunc? humili Trajectum ſtirpe, ſupremus
Sed cui mox Diva traditus Urbis apex.
Qui docuère virum? Grudii, Belgi orbis Athenæ:
Hic ubi Gymnaſium condidit ille novum.
O bene: ſed tenui quis opes ſuffecit, & aurum?
Diſcipulus Cæſar Carolus Auſtriades,
Qui pius & gratus Pellæi more Monarcha
Rectorem hunc voluit, noſſet ut omnis Iber.
Novit, & inde ſacra radianti luce Tiara,
Pontificem Latii præcoluère Patrem.
Omnia ſic unum decorarunt maxima Belgam,
Trajectum, Grudii, Cæſar, Iber, Latium.

Nemo bonorum Virorum fuit, qui non maximis & meritis laudibus extulerit Hadrianum, conſumati Principis titulo, ob prudentiam, juſtitiam, temperantiam, fortitudinem, pietatem, continentiam, & eruditionem coruſcum: ut mirum ſit, atras & acidas linguas auſas fuiſſe tanti Viri Manes mendaci hoc Diſticho (quod olim in Alexandrum VI. publicatum fuerat) temerare: *Bonorum omnium laudes ſequitur.*

Sextus Tarquinius, Sextus Nero, Sextus & iſte:
Semper à Sextis diruta Roma fuit.

SCRIPTA.

Scripſit Hadrianus Pontifex, cùm Lovanii Profeſſor ſacræ Theologiæ adita reſeraret; *Hadriani VI. Scripta.*

In quatuor Sententiarum libros Quæſtiones & Expoſitiones.

Quæſtiones item Quodlibeticas duodecim variis argumentis.

Supra Computum hominis agonizantis.

De ſæculo præterito, ſive ſuperbia ſermonem.

Orationem de miraculis & ſanctitate SS. Bennonis, & Antonini Epiſcoporum, dum eos inter Cœlites ritu ſolemni referret.

Elegantes tres Epiſtolas initio Pontificatus è civitate Victoriâ datas: quarum duas ad ſacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinales; tertiam ad Senatum Populumque Romanum, humanitatis plenas ſcripſit: quibus ſe quamprimùm Romam profecturum ex Hiſpania pollicebatur.

Alias quoque Pontifex ſcripſit ad Germaniæ Principes, quibus eos ad concordiam hortatur.

Item ad Fridericum Saxoniæ Ducem, ut eum à defenſione & ſequela Lutheri abſtrahat, & ad ſaniora reducat.

Ad Senatum Urbis Bambergenſis, ut in avita fide, exploſo Lutheri dogmate, perſiſtat.

Ad Eraſmum Roterodamum alias, quibus illum Romam evo-

evocat, hortaturque ut aſſurgat in adjutorium cauſæ Dei, ſtylumque in damnandum Lutherum ſtringat.

Rurſum alias plures ad varios, quarum illæ ad Carolum V. Imperatorem datæ, extant m. ſſ. Romæ in Bibliotheca Barberina: aliæ inveniuntur *in Tomo 2. Literarum Principum* typis cuſarum.

Inſtitutionem ad Franciſcum Cheregatum Epiſcopum Interamnenſem.

Itinerarium ab Hiſpania Romam.

Legationem ad Conventum Norimbergenſem, editam Witembergæ anno 1538.

Profeſſionem fidei, & pollicitationes ab eo factas, dum ad Pontificium aſſumeretur: quas exhibet Victorellus *in Notis ad Ciac.*

Ejus Diplomata, & Conſtitutiones Eccleſiaſticæ inveniuntur apud Collectores Decretorum.

Opera ei inſcripta. Hadriano VI. nuncupavit *Congratulationem* Reipublicæ Chriſtianæ & deſiderium Andreas Jacobatius: Commentarium *de Donis S. Joſephi* Iſidorus Inſulanus: Orationem in Philippum Melanchtonem Lutheranæ impietatis aſſertorem Thomas Radini Placentinus Ord. Prædicatorum: Tractatum adverſus negantes *Petrum Apoſtolum Romæ fuiſſe*, Gregorius Corteſius. Aliique alia præclari ingenii monumenta litteraria.

ANNO CHRISTI MDXXIII.

Imperatore CAROLO V. Auguſto.

DE

CLEMENTE VII. Pontif. Max.

CCXXIII. *Clementis VII. origo, & primordia.*

CLementis VII. pater Julianus Medices fuit, ſenioris Laurentij frater, qui in conjuratione Pactiana Florentiæ in divæ Reparatæ Templo anno ſalutis 1478. nefariæ interfectus eſt, uti *libro 3.* Purpuræ doctæ *n. 51.* plenè retulimus. Natus eſt illi ex parùm certa, neque propalàm legitima uxore, altero circiter atque triceſimo ab obitu die, filius poſthumus, nomine Julius, non modò lineamentis oris, ſed toto corporis habitu patri Juliano ſimillimus. Is ſub Laurentij patrui tutela puer educatus, à teneris annis ſingularis vividiqùe ingenij ſpecimen præ ſe ferebat: unde optimis iiſque doctiſſimis, qui tunc Florentiæ erant, præceptoribus uſus, animum ita compoſuit, ut litterarum cognitioni maximam morum elegantiam adjunxerit. Mediceis Gallorum vi, & civium Florentinorum invidiâ urbe depulſis, Joannem Mediceum Cardinalem patruelem (qui poſteà Leo X. emerſit) in adverſa proſperaque fortuna fideliter ſecutus, ac miles Hoſpitalis ſancti Joannis Hieroſolymitani, & Prior Capuanus creatus, pugnæ Raveonatenſi interfuit, ex qua, Joanne Cardinale, qui tum legationis munere fungebatur, capto, Cæſenam ipſe cum Antonio Leva aufugit. Inde Romam per diſpoſitos equos profectus, Pontificem Julium II. funeſta

funeſta clade conſternatum, fugamque meditantem confirmavit, ac ſimul Joannis Legati, qui tum in hoſtium poteſtate erat, ſalutem ac dignitatem eidem commendavit.

Cæterùm cùm Joannes Cardinalis captivus in Galliam duceretur, corruptis cuſtodibus, ex via clàm aufugiens, ſe ſe Hiſpanici exercitus reliquiis, quæ cladi ſuperfuerant, adjunxit. Quarum ope, qum Cardonio duce Pratum expugnâſſet, Petro Soderino perpetuo Dictatore pulſo, patriam etiam ſuam recepit, Juliano fratre Reipublicæ clavo admoto. Ex eo tempore intra quartum menſem Julio II. defuncto, cùm ei incredibili felicitate Joannes ipſe (Leo X. vocatus) ſuffectus eſſet, Pontificatus initio Julium Mediceum patruelem, Archiepiſcopum Florentinum deſignatum Nono Kal. Octobris anno 1513. Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Dominica, ac mox Presbyterum tituli S. Clementis, deinde mortuo Sixto Ruvereo S. R. E. Cancellarium (qui ſummus Romæ magiſtratus eſt) creavit. Eo Pontifice, qui otio & litteris deditus, à curis imperij, quantum poterat, ſe expedierat, Julius unus magnas negotiorum moles ſuſtinuit: unde auctoritas, & opes maximæ ei acceſsêre. Durante fœdere, quod Leo cum Venetis & Cæſare ad Gallos Italiâ exturbandos fecerat, exercitus Eccleſiaſtici Legatus conſtitutus, Parmam & Placentiam à Gallis occupatas, Romanæ Eccleſiæ aſſeruit. Ejus præcipuè hortatu Leo X. Pontificatus illi ſubſidia ſtruens, magna illa Patrum lectione, multos Cardinales in Senatum cooptavit. Quo mortuo, unius præcipuè Julij operâ Pontificatus Hadriano VI. abſenti (ut diximus ſuo loco) delatus eſt, apud quem ſumma auctoritate & gratia fuit. Is levi, ſed tabifica febre cùm decubuiſſet, adulatione medicorum eò perductus eſt ut penè priusquàm venæ tangerentur, improviſa morte perierit.

Archiepiſcopus Florentinus, & Cardinalis creatur

Duo poſt Hadriani obitum ad ſummam rerum maximè adſpirabant; Julius Mediceus, & Pompejus Columna, opibus, dignitate, & genere in paucis illuſtres: ille inſuper magnis Patrum clientelis, & recentis Leonis X. gratiſſimi Pontificatus memoriâ præſtans; hic nobilitate, & Cæſaris gratia, atque amicitia pollebat. Quorum diſſidiis non ſine ſumma contentione, interregnum ad menſes duos, & dies quatuor productum. Juniores ad unum omnes Julio acerrimè favebant: ſeniorum prærogativam, ad quos ſe converterat Pompejus, omni ope vehementiſſimè tuebatur. Poſtremò quum Julius ſummo conatu à Pompejo oppugnatus, ſpe pænè decidiſſet, objecto, quem Pontificem diceret, Franciſco Urſino, Cæſaris familiæque Columnenſis aperto hoſte, Pompejum eò impulit, ut ſe Pontificatu ornandum converterit, qui ſi ei obſtinatiùs obniteretur, procul dubio Urſino ſe ſuffragaturum minabatur, veteri amico, & arctiſſima cognatione familiæ Mediceæ conjuncto. Nec mora, auctore atque hortatore Pompejo Cardinales omnes, qui tunc triginta ſeptem Comitiis aderant, XIII. Kal. Decembris anni 1523. Julium, tum Presbyterum Cardinalem S. Laurentii in Damaſo, Pontificem maximum ſalutant, & proximo ſexto Kalend. Decembris die, ſacrâ thiarâ redimitum, inaugurant. Cujus navatæ operæ Pompejus inſigne præmium tulit, nempè magnificentiſ-

Pompeium Cardin. Columnam in adipiſcendo Pontificatu æmulum patitur, poſteà promotorem.

Pontifex creatur.

ſimas

ſimas ædes, à Raphaële olim Riario extructas, quas Julius paulò antè, Riario mortuo, à Leone obtinuerat; item Cancellariatûs officium.

Jubilæum celebrat.

Novo Clementis Pontificatu Annus Jubilæus (qui fuit Chriſti 1525.) magno mortalium Romam affluxu celebratus eſt. Quo anno horrendi à Ruſticis tumultus, impulſore Münzero Lutheri aſſecla, in Germania excitati, omnia rapinis, cædibus, ſtupris complebant. Hi veſano furore perciti, religionis ſpecie omnia libera eſſe debere contendebant, occaſione à Chriſtiana libertate accepta, quæ tum ubique à multis temerè ex peſtilenti Lutheri doctrina prædicabatur. Sumpſit originem exitiabilis ſuperſtitio in Pannonia inferiori, mox latiùs ſerpens ſuperiorem etiam, & totam demum Germaniam pervaſit. Verùm cùm hi non ſolùm Eccleſiarum bona invaderent & diriperent, ſed etiam nobilitatem omnem tota paſſim Germania extinguere, vel certè opprimere molirentur: immiſſis demum undique militibus, ac centum & quinquaginta millibus eorum cæſis, à nobilitate repreſſi ſunt. Quibus motibus niſi celeri remedio obviàm itum fuiſſet (quod partim aperta vi, partim dolis factum eſt) præſens erat periculum, ne Italiam quoque, veterum barbarorum more, fuiſſent perturbaturi. Nam regionibus etiam longinquis, & Italiæ cumprimis minitabantur. Ad quod malum declinandum Clemens, ut erat in rebus agendis ſagax & induſtrius, multùm advigilavit in Italia.

Bellum Ruſticorum in Pannonia & Germania auctore Münzero.

Cofferius Regis Galliæ Præfectus Italiâ pellitur.

Eodem tempore Cæſareanorum, Venetorumque armis, & Piſcarii eximii ducis virtute, Guillelmus Cofferius Francorum Regis Præfectus, qui in Italiam cum quadraginta peditum, & decem equitum Gallorum millibus deſcendens, Mediolanum aliquandiù obſederat, duobus præliis ad amnem *Seſithem* victus, Italiæ finibus pulſus eſt.

Borbonius à Gallis ad Cæſarem deficit.

Eâ victoriâ adeò Cæſaris duces elati ſunt, ut Carolo Borbonio, qui per eos dies à Galliæ Rege ad Cæſarem defecerat, concitante, Gallias aggredi non dubitârint. Borbonius verò conjuratione detecta, qua Galliæ regnum affectâſſe exiſtimatus eſt, exul factus, ad Cæſareanos ſe contulerat. Quibus de cauſis Franciſcus Rex, quum pro ſalute imperii, & totius Galliæ dignitate ingentes copias comparâſſet, hoſteſque, qui jam Maſſiliam oppugnare aggreſſi erant, provincia expuliſſet, in Italiam ſuperatis alpibus tranſcendit: primoque impetu Mediolano potitus, Ticinum obſidebat. Formidoloſa jam Cæſaris potentia Pontifici & Venetis eſſe cœperat, qui exæquata, in Italia imperia, vireſque non admodùm impares eſſe volebant. Cæſar enim immodica, & inſatiabili cupiditate, non Italiæ ſolùm, ſed totius Europæ imperium affectare videbatur, quando Gallias demùm ipſas, Italia non contentus, ex qua Gallos paulò antè ejecerat, armis invaſiſſet. Ob id occulto metu conſternati, & de libertate Italiæ ſolliciti, ſtudia ſua erga Cæſarem non modò remiſerant, verùm nequaquam tranſmiſſis opportunis auxiliis, eum remorabantur: & qui ſocii ac fœderati erant, ſpectatores evaſerant, in eo potiſſimè ſtudia ſua collocantes, ut inter Gallos & Cæſareanos multorum menſium induciæ producerentur. Pontifex enim

Cæſar Italiæ formidandus evadit.

enim vim Cæſareanorum retardare, Gallorum Regem confirmare, & pacem inter utrumque honeſtis conditionibus adſtruere, totis viribus contendebat. Verùm dum intempeſtivè neutri partium favere videretur, Cæſaréani Duces novo Germanorum præſidio confirmati, Franciſcum Regem Ticinum obſidentem, cruentâ editâ pugnâ, ſuo atque equi vulnere retardatum, cum maxima totius Galliæ jactura, vivum ceperunt. Interière in eo prælio nobiliſſimi quique Francorum Duces: capti Rex Navarræ, Annas Momorantius, poſteà magnus Stabuli Comes, & alii multi primi nominis & dignitatis viri.

Franciſcus I. Galliæ Rex editâ pugnâ capitur.

Tum Clemens Pontifex tantæ victoriæ nuncio conſternatus, Albanum ducem revocavit, qui ejusdum conſilio è regiis caſtris cum valida copiarum parte, ad Aquilam uſque pervenerat, in Neapolitanum regnum præſidiis ſpoliatum impreſſionem facturus, Andegavenſis Ducis præſertim factionis præſidio ſublevatus. Gallica igitur auxilia ex Italis Corſisque conflata Romam redeuntia, Latini Columniæ factionis & ditionis populi, aliquotque Cæſareani equites, auctoribus præcipuè Columnenſium Proceribus, aggreſſi diripuêre: in Urbe quoque Ædes Urſinæ ad montem Jordanum ab iisdem Columniis, Clementis majeſtate contempta, vexatæ. Animos enim Cæſareani omnes, & in primis Columnenſes, celebri Cæſaris ad Ticinum de tanto Rege victoriâ auditâ, erexerant; quod Pontificem quàm maximè perturbavit. Huic rei inſignis alia acceſſit contumelia; nam Pontifex multo auro exoluto, cum Cæſareanis Ducibus antiquum fœdus renovaverat, ea conditione, ut Regium Lepidi, quod Hadriano mortuo Alphonſus Ferrariæ Dux occupaverat, à Carolo Lanoio fœderis ſponſore Pontifici redderetur. Cæterùm Cæſar id fœdus ratum eſſe nolebat, ne ejus Urbis acceſſione Pontificiæ vires augerentur. Itaque Pontifex pecuniâ circumventus, Urbe inſuper eâ excluſus eſt. Direptis quin etiam per eos dies à Cæſareanis Parmenſium & Placentinorum agris, lacrymabilem miſerorum civium legationem Pontifex ſuſceperat. Quibus rebus irritatus, occulta cum Venetis, & Galliæ ducibus conſilia inire cœpit, ut Cæſarem Mediolano (Franciſco Sfortia in avitam poſſeſſionem reſtituto) exueret; quem perfidiæ à Cæſareanis ducibus apud Imperatorem inſimulatum, Cæſar Mediolano ejectum in arce tùm obſidebat: qui pace per eos dies cum Rege Francorum Franciſco, quem captum detinebat, duris conditionibus factâ, & ſorore ſua illi in matrimonium tradita, liberum abire, duobus ejus filiis obſidibus acceptis, permiſerat. Rex liber factus negavit ſe iis conditionibus teneri, quas Cæſar ultima carceris neceſſitate expreſſiſſet, atque ita fœdus cum Clemente, Venetisque, pro Italicâ libertate tuendâ, & Sfortiâ paterno imperio reſtituendô, amicitiamque percuſſit.

Clemens ſibi timet.

Decipitur à Cæſareanis.

Conſilia adversùs Cæſarem cum Galliis init.

Cæſar Galliæ Regem dimittit; qui pactis ſtare negat.

Contractis igitur in unum fœderatorum copiis, Laus Pompeja primo impetu capta, & ut Franciſco Sfortiæ, obſidione in arce Mediolani cincto, famæque laboranti ſubveniretur, edictum. Ergo Venetorum, Pontificis, Galliæ Regis, & Helvetiorum copiis conjunctis, acre in Inſubribus bellum contra Carolum Cæſarem gere-

Bellum contra Cæſarem inſtauratur.

batur. Cæſareanorum ducum egregia tum fortitudinis facinora enituêre; arce Mediolani non ſolùm per deditionem receptâ, ſed & hoſtibus fœderatis procul ab urbe nec ſine ſtrage ſubmotis: qui Cremonâ aliquot poſt diebus occupatâ, eam Franciſco Sfortiæ tradiderunt. Interim Pontifex Ariminum à Sigiſmundo Malateſta occupatum miſſis copiis, pulſo regulo, recepit. Ludovicus quoque Hungariæ Rex à Turcis prælio victus & interfectus, Regni & vitæ finem, Budâ etiam regia urbe amiſsâ, habuit

Hungariæ Rex à Turcis occiditur, & Buda amittitur.

Columnenſes contra Clementem conſpirant.

Tum Columnenſes Proceres Clementis conſiliis cognitis, & prævиſo magno Cæſareanorum periculo, auctore Pompejo Cardinale (qui belli initio ex Urbe ſe in Tuſculanam villam, podagram fingens, ſubduxerat) quò ſtudia eorum erga Cæſarem aliquo edito facinore præclariora viderentur, copias inſtruere cœperunt, ſpecie tuendi regni Neapolitani, re autem ipſa in Pontificem aliquid moliturі. Quibus animadverſis Clemens, longè majore exercitu conſcripto, Columnenſibus imperavit, ut armatos ab ſe lectos extra ditionis Eccleſiaſticæ fines abducerent, & quoquò vellent ad tuendos Regni Neapolitani fines proficiſcerentur. Verùm Cardinalis Vallenſis interventu res denique utrinque his legibus compoſitæ ſunt: *Columnenſes armis abſtineant: è finibus Eccleſiæ abſcedant: ſi Cæſari operam ſuam navare vellent, id extra Eccleſiæ limites agant.* Clemens novo fœdere fretus, armis depoſitis, copias, quas legerat (amicis omnibus, & familiaribus reclamantibus) non ſine inſigni levitate, ut exhauſto ærario parceretur, exauctoravit. Tum Columnenſes, Pontifice omnibus præſidiis nudato, Hugone Moncata Hiſpano ſibi conjuncto, contra fidem datam copiis reparatis ac auctis, in Urbem Cœlimontanâ portâ irrumpunt, & per Sixti pontem, ac Septimianam portam cum armatis inſtructiſque agminibus ad Vaticanum contendunt. Clemens rebus deſperatis trepidus in Arcem S. Angeli fugit, fruſtrà auxilium opemque quærens, cùm nemo eſſet, qui ſortem ejus tam fœdè & contra ſacramenti fidem oppreſſi doleret, quòd contra omnium preces fatali adeò levitate milites nondum plenè functus periculo dimiſiſſet. Nemine igitur reſiſtente, Columnenſes, ducibus Marcello Pompeij Cardinalis fratre, Hieronymo Sarnenſi Comite ejus genero, Hugone Moncata, Veſpaſiano & Aſcanio Columniis in Urbem Leoninam irrumpunt, & Palatio Vaticano omni ſacra profanaque ſuppellectili direpto, in omnium quoque auguſtiſſimam Baſilicam S. Petri nefarias manus injecêre. Pompejus tum domi ſuæ, ceu arbiter rerum, conſtiterat.

Romam invadunt: Clementem fugant: Vaticanum diripiunt.

Pontifex cũ Hugone Moncata paciſcitur, indignante Pompejo.

Clemens hoc modo circumventus, quum commeatu in arce deficiente, nullam in aliquo ſpem haberet, Hugonem ad colloquium magnis precibus, Cardinale Pompejo reluctante, advocat. Ibi poſt multos ſermones ultrò citroque habitos in has conditiones itum: *Ut Papa exercitum ex Gallia Ciſalpina nullâ morâ revocaret: Pompejo & Columnenſibus injuriæ immemor parceret: obſes Neapolim mitteretur vir pecunioſiſſimus Philippus Strozius, Pontificis propinquus. Hugo relicta Urbe in regnum Neapolitanum cum omnibus copiis reverteretur, daretq; operam, ut quæ ex ſacrariis ablata eſſent, ad myſteriorum cultum pertinentia, redderentur.* Atque ita Hugo Moncata Urbe exceſſit, graviter indignante Pompejo,

pejo, idque factum deteſtante, qui ſperabat capto, vel quoquo modo ſublato Pontifice, ſummum ſe Sacerdotium, auctore Cæſare, adepturum.

Clemens metu ſolutus, quum ejus fama fœdè apud populum proſcinderetur, nec tantæ injuriæ contumeliam æquo animo ſuſtinere poſſet, quòd malignis hoſtibus credens, & doloſis induciis fidens, tantam & exiſtimationis, & Vaticanæ ſuppellectilis jacturam feciſſet, abrupto indecoro fœdere, & ſpretis obſidibus bellum Cæſareanis inferendum cenſuit. Accitis igitur Mediolano duobus Helvetiorum millibus, ſeptem Italicas cohortes eximiæ virtutis, quibus Joannes Mediceus præerat, magnamque equitatus partem ad Urbem revocavit: novas inſuper alias copias ad augendum terrorem conſcripſit, atque iis lectiſſimos duces è Romana nobilitate præſtantes præfecit. *Clemens bellum Cæſari infert.*

Cæſar hoc rerum motu Pontificis conſiliis occurrendum ratus, Carolum Lanoium Proregem Neapolitanum cum ſex millibus Hiſpanorum, & triginta onerariarum navium claſſe in Italiam miſit: Scripſitque fratri Ferdinando, & Georgius Fronſpergius magnæ auctoritatis dux apud Vindelicos cum tribus Germanorum legionibus in Italiam mitteretur: quibus Joannes Mediceus, & Franciſcus Maria Feltrius Eccleſiaſtici exercitus duces conjunctis copiis, quum occurriſſent, ut eos Padi tranſitu prohiberent, Joannes Mediceus tormenti glande trajectus occubuit, non ſine maximo Italiæ, & præſertim Urbis mox ruituræ damno. *Cæſar adverſus Clementem ſe munit.* *Joannes Mediceus glande trajicitur.*

Intereà Pontifex Pompejum Cardinalem, & reliquos Columnenſes, inter hoſtes Eccleſiæ relatos, illum dignitatibus ſpoliatum Senatorio ordine movet; hos diris perculſos, igni & aqua interdicit. Tum eoſdem armis perſecutus, quatuordecim eorum oppida in Latio ſita inſigni acerbitate diripuit, incenditque; & in his Sublaqueum, proprias Cardinalis delitias. Fœderibus itaque ſolutis, bellum magnis contentionibus utrinque inſtauratur. In ditionis Eccleſiaſticæ finibus Cæſareani Fruſinonem adoriuntur. Pontifex Valdemontium regia ſtirpe ortum, in ſpem potiundi regni Neapolitani è Galliis evocat: qui claſſe advectus, Salerno primo impetu expugnata, infeſta ad ipſam Neapolim arma vertit; effuſumque cum urbana multitudine Moncatam intra portam compellit. Ingens etiam bellum in ipſis Regni finibus, miſſis à Pontifice copiarum ſupplementis, agebatur. Totius Eccleſiaſtici exercitus Legatus erat Auguſtinus Cardinalis Trivultius Gallicæ factionis ſtudioſiſſimus. Pontificiorum virtute Cæſareanus exercitus, ſoluta Fruſinonis obſidione, prælio victus, fugatusque intra Regni terminos ſe receperat. *Bellum inter Columnenſes & Clementem.*

Inter hæc Pontifex ærario exhauſto, rerum omnium penuriam, bellique moleſtiam pertæſus ad pacem inclinare cœpit, ei Cæſaris nomine tum à Franciſco Quignonio (quem poſteà Cardinalem creavit, ut videre eſt in Purpura docta *libro 4. n. 31.*) ob eam cauſam miſſo, oblatam. Borbonius quoque, qui in Inſubribus pro Cæſare erat, maximè formidabilis apparebat. Is ingentibus lectiſſimiſque inſtructus copiis, totius Eccleſiaſtici impeiri, & Urbis in pri- *Pontifex cū Cæſare pacē init.*

mis opes in prædam militibus ſe conceſſurum publicè prædicabat, quò ferocientes eorum animos, ob denegata ad tempus ſtipendia, deliniret. Itaque Idibus Martiis anni 1527. pax denuò concluſa eſt, conſcriptæque pacis leges: in his, ut Lanoius Prorex Neapolitanus daret operam, ne Borbonius ad Urbem appropinquaret. Lanoius ſe id facturum pollicitus, exercitui obviàm proficiſcitur. Clemens, qui jam ſemel deceptus fuerat, fatali avaritia penuriam ærarii cauſatus, præter omnium ſententiam, copias omnes dimiſit. Quod

Borbonius Romam movet: occiditur: Urbs diripitur.

ubi Borbonii exercitu cognitum eſt, Borbonius pacis legibus ſtandum non eſſe contendens, cum ingenti copiarum manu, contempto Lanoii edicto, ad Urbem mira celeritate properabat, ita ut longè citiùs, quàm hominum opinione expectari poſſet, ad mœnia Vaticani, & Janiculi ſteterit. In ipſo pugnæ ardore dum Borbonius ad muros Vaticani ſuos cohortatur, ſcalamque primus conſcendit, tormenti pilâ ſub inguine trajectus cecidit, Deo optimo maximo haud dubiè ſacrilegum hominem ulciſcente, ne Urbis ab ſe captæ & direptæ ſpectaculo gloriaretur. Vaticano & Janiculo (paucis, qui duce & hortatore Rentio *Ceres*, repugnare auſi fuerant, interfectis) pridie Nonas Maij anno ſalutis 1527. expugnatis, totus exercitus, qui ex Germanis, Hiſpanis, & Italis ad quadraginta pugnatorum millia coactus erat, per pontem Sixti in Urbem impetu facto, tanta cæde debacchatus eſt, ut nunquam poſt hominum memoriam majore truculentia, vel in Turcas, vel in perpetuos & infenſiſſimos hoſtes, vindictæ libidine, ſævitum ſit. Omnes, qui primo impetu obvii fuerant, tam inermes, quàm armati, ad unum cæſi.

Pontifex in Arcem fugit.

Pontifex repentino tot hoſtium impetu conſternatus, ſummæ rerum, & ſaluti ſuæ diffidens, conſilii expers, trepidus ſe ſe in Arcem recepit. Et nocte nihil unquam lugubrius, aut funeſtius Roma vidit.

Hoſtium truculentia.

Omnibus in locis ad ſacietatem uſque editæ hominum ſtrages; nobiliſſimi quique, nulla dignitatis, aut ſexûs, habita ratione, aut tormentis excruciati, aut enecti: Virgines, matronæ, innuptæ, Deoque ſacratæ moniales paſſim conſtupratæ: Cardinalium domus, & Principum item Legatorum ædes expugnatæ, direptæque: nemo denique ſervatus, niſi qui vitam & libertatem univerſâ re domeſticâ redemiſſet. Templa ferè omnia, multis necatis aut excruciatis Sacerdotibus, violata atque direpta.

Pontifex de ſalute paciſcitur.

Tum arx, in quam Pontifex cum aliquot Cardinalibus ſe receperat, obſideri cœpta eſt, tam diligenti cuſtodia adhibita, ne quid obſonii intrò inferretur, ut conſumpto commeatu omni Pontifex deditionem facere fuerit coäctus, ea conditione, ut cuncta, quæ Cæſar imperâſſet, ſe facturum polliceretur. Conflavitque omnia ſacrorum Templorum ornamenta, ut inde pecunia cuderetur, militibus dividenda; quæ quum ſatis non eſſet, pilei tres Cardinalitii

Galeri Cardinalitii ad haſtam expoſiti.

venales expoſiti, ut qui ad ſenatoriam dignitatem licitando aſpirarent, paratum aurum proferrent: eo modo ad haſtam propoſitis galeris, emptores non defuêre.

Dum Pontificis liberatio, ultrò citroque Legatis miſſis, cum

Clemens Pon. Obſides dat.

Cæſare, qui tum in Hiſpania erat, tractaretur; audito Odetum Lotrechium copioſo cum exercitu Chriſtianiſſimi Regis Franciſci juſſu

ſu alpes tranſiiſſe, ut Pontificem proditum in libertatem aſſereret, furentes milites efferique ſtipendia depoſcebant, ut Urbe poſteà exirent. His nummariæ rei difficultatibus coactus eſt Clemens obſides dare, quos ipſi milites delegiſſent, homines maximè pecunioſos & honoratos, quos quum malè & iniquè, ut aurum emungerent, torquerent, fugâ elapſi, militum ſpes omnes eluſerunt. Pompeji verò Cardinalis Columnenſis, quo cum in Arce in gratiam redierat, operâ, pecuniam cùm inveniſſet Clemens, Ducum animos mitigavit. Franciſco Quignonio adipiſcendæ libertatis auctori præcipuo Galerum dedit; & ut milites majore pecunia leniret, ſeptem opulentiſſimos viros pretio legerat in Senatum; utque ſanctiùs Cæſari fidem obligaret, quinque Cardinales magni nominis obſides dedit. Rebus hoc modo utcunque compoſitis, ergaſtulo eductus, quum comitante exercitus parte Urbem veterem Tuſciæ oppidum petiturus eſſet, ipſe mutato habitu, eluſis cuſtodibus, intempeſta nocte, beneficio Ludovici Gonzagæ, quò conſtituerat, ſeptimo menſe poſt captivitatem acceſſit: eò paulò pòſt curia omnis, & omnium Principum Legati pervenerunt. Porrò Clemente clandeſtinè elapſo, Cæſareani duces, emunctâ direptaque Urbe, rectâ Neapolim ſe contulerunt: jam enim Lotrechius magno cum exercitu in Regnum penetraverat. *Pontifex liberatur.*

Cæterùm ad famam capti Pontificis, Florentini ad arma exciti, Hippolyto & Alexandro Mediceis adoleſcentibus ejectis, ſe ſe in libertatem vindicaverant. Eodem tempore, quum aliquandiù in Brutiis, & deinde in Apulia cum Venetis, atque reliquiis Gallorum eſſet dimicatum, qui mortuo Lotrechio, & majore exercitus parte peſtilentia conſumpta pauci ſupererant, pax inter Gallum & Cæſarem eſt inita: ex cujus legibus exceſsêre Galli & Veneti omnibus Apuliæ oppidis; & Rex Gallus filios obſides, vicies centenis aureorum millibus perſolutis, cum incredibili totius Galliæ lætitia recepit. Ea quoque tempeſtate inter Clementem & Cæſarem amicitia renovata eſt hiſce conditionibus: *Ut Cæſar Margaritam filiam ſe cælibe ſuſceptam Alexandro Mediceo, Laurentii junioris filio deſponderet: bellum adverſus Florentinos ſuſciperet, ut Mediceis vetus in patria dominatus redderetur.* Florentini enim naturâ Gallorum ſtudioſiſſimi, ejectis Mediceis, Lotrechio adhæſerant, miſſis ad eum Neapolim auxiliis profeſſique Gallicam amicitiam Cæſarem oppugnabant; nunquam futurum exiſtimantes, ut Pontifex tot plagis affectus cum Cæſare in gratiam rediret. *Florentini ejectis Mediceis ſe ſe in libertatem vindicant.* *Pax inter Cæſarem & Gallum, atque Clementem.*

Fœdere ſic ſtabilito venit paulò pòſt in Italiam Cæſar, triremibus ab Andrea Auria Genuam advectus. Exinde maxima cum pompa Bononiam profectus, atque à Clemente Pontifice ingenti apparatu ſuſceptus, Romani Imperii diademate de manu ejus, more majorum, accepto, incredibili magnificentia *Auguſtus* ipſo natalis ſui die, ſexto Kalendas Martii anno 1530. appellatus eſt, poſtquam Clementis & Venetorum precibus Franciſcum Sfortiam in gratiam recepiſſet, reddito ei paterno inſubrum imperio (Mediolani tamen arce ad tempus retenta) cujus cauſa tantis cladibus, omni devaſtata Italia, dimicaverant. Demum in Germaniam, pace cum Venetis *Cæſar à Clemente Bononiæ coronatur.*

 netis

netis facta, contra Turcas profectus eſt, exercitu Italico, cui Philibertum Aurantium cum Vaſtio præfecerat, adverſus Florentinos miſſo. Quo anno Tyberis alveum Romæ egreſſus magis quàm ad eam diem hominum memoriâ vel vetuſtis monumentis relatum eſſet, Urbem inundavit, incredibili Romanorum damno, & ædificiorum detrimento.

Tyberis inundatio.

Florentinis ſubactis Cæſar Ducem præficit.

Intereà Imperatore cum valido exercitu in Turcas Viennam Auſtriæ obſidentes profecto, Florentini integrum annum ſub ducibus Malateſta, Balonio callido & forti viro, & Stephano Columna rei militaris peritiſſimo, libertatem ſuam conſtantiſſimè propugnârunt. Binis caſtris Urbs obſeſſa, è citeriore parte ab Aurantio, ab ulteriore à Vaſtio, interfluente Arno. Erant in his caſtris Columnenſes fratres Aſcanius Sarra, Camilli duo, & Martius, omnes cohortium, alarumque Præfecti. Demum anno vertente Florentini fame & armis domiti, deditionem fecerunt, quum ipſorum auxilia, ad opem ferendam Piſis advenientia, Aurantius occurrens in agro Piſtorienſi profligâſſet, in qua tamen victoria dux ipſe graviter vulneratus cecidit. Florentinis in deditionem acceptis, novo more Dux impoſitus eſt Alexander Medices, libertatis ſpe penitùs ſublata.

Alexander Medices primus Dux.

Hippolytus Medices Cardinalis creatur.

Cæterùm Pontifex Anconâ, quæ rebellaverat, defectionis auctoribus ex lege caſtigatis, receptâ, ad Cæſarem viſendum, qui Mantuam uſque venerat, acceſſit. Ibi conſtitutus Cardinales aliquot viros graviſſimos, tam Cæſare, quàm Francorum Rege appetente, creavit. Romam reverſus, Hippolytum Juliani Medecei patruelis filium, quem opulentiſſimo anteà Montis regalis Sacerdotio honeſtaverat, in Patrum Collegium aſcitum, Pompejo Cardinale Columna extincto, Cancellarium S. R. Eccleſiæ dixit. Nec multò poſt Henricum VIII. Angliæ Regem, Catharinam uxorem, Caroli Cæſaris materteram, repudiare totis viribus vigeſimo matrimonii celebrati anno conantem, quò Annæ Boleniæ adamati ſcorti nuptiis potiretur (quum id divortium improbâſſet, terribileſque anathematis minas intentâſſet) eò impulit, ut avitâ religione desertâ, nefaria Lutheri dogmata, quæ paulò antè nobili ſcripto improbaverat, ſequeretur.

Henricus VIII. Anglus amore Boleniæ à religione deficit.

Fœdus univerſale in ſex menſes.

Porrò autem dum Bononiæ Clemens eſſet, fœdus in ſex menſes productum eſt inter Pontificem, Imperatorem, Duces Mediolanenſem & Ferrarienſem, Florentinos item, Genuenſes, Lucenſes, & Senenſes, contra eos, qui pacem Italiæ perturbare conarentur, ut ſi opus eſſet, conſociatis viribus bellum geretur, cujus dux Antonius Leva creatus eſt. Intereà orta inter Ferrariæ Ducem & Clementem Pontificem de Mutinæ, Regiique Principatu controverſia, res ad Cæſaris arbitrium remiſſa eſt. Qua in re Juriſperiti Cæſarei, quum Clementi nonnihil ſavere viderentur, tandem à Cæſare pro Duce Ferrariæ contra Pontificem eſt pronunciatum; duæque Urbes, Cæſaris judicio Romanæ Eccleſiæ ereptæ, Ferrarienſium Duci aſſignatæ ſunt.

Cæſar Ferrariæ Duci Mutinam ac Regium adjudicat.

Imperatore in Hiſpaniam profecto, Clemens novam cum Francorum Rege amicitiam pactus, Henrico ejus filio ſecundo genito

Catha-

Catharinam Mediceam Laurentii junioris filiam matrimonio collocavit. Res Maſſiliæ, quo Pontifex & Rex Gallus convenerant, incredibili pompa tranſacta, ibique ſolemnes nuptiæ celebratæ. Aderant tùm cum Pontifice & Rege totius aulæ Romanæ & Gallicæ Proceres præſtantiores quique: unde ad augendam lætitiam Cardinales quatuor, petente Rege creati. *Clemens Catharinam nepotem Henrico Gallo nuptui tradit.*

Menſe Julio anni 1534. exortus Cometa in multam partem Auguſti perſtitit affixus cœlo, quem prænuncium fuiſſe obitûs Clementis Papæ nonnulli crediderunt. Qui poſtquam ex Urbe Maſſilienſi Romam rediiſſet; ſtatimque ſepulchrum, & amictum omnem, quo Pontifices, cùm ſepeliuntur, ornari ſolent, ſibi fieri curâſſet, & familiaribus ſedatiſſimo animo *ſe brevi moriturum* prædixiſſet; æſtate exeunte ſtomachi doloribus excruciari cœpit, febreque accedente, diù ab illa, atque aliis offenſionibus vexatus, morbo tandem cedere coactus eſt. Unde ſuſceptis vegeto animo Eccleſiæ myſteriis die 25. Septembris anno ſalutis 1534. placidè ex hac vita migravit, poſtquam Eccleſiæ Romanæ, in proſpera & adverſa fortuna ſemper conſtans, præfuiſſet annos decem, menſes totidem, dies ſeptem. Obiit autem anno ætatis quinquageſimo ſexto, menſe quarto: veneno propinato tabefactum periiſſe, ex Oldoino nonnulli opinati ſunt; alii culpâ Curtii Medici, qui valenti & firmo corpore prædito, commutata vivendi ratione longiorem vitam promittens, breviorem reddiderit. Cadaver primùm ad S. Petrum in Vaticano cum hac inſcriptione locatum: *Diru Cometa Clementis obitum deſignat.* *Clemens religioſè decedit.* *Mortis cauſa.*

CLEMENTIS VII. PONT. MAX. DEPOSITUM CUJUS
INVICTA VIRTUS SOLA CLEMENTIA SUPERATA EST.
OBIIT ANNO MDXXXIV. VII. KAL. OCTOBRIS
SEDIT ANNOS X. MENSES X. DIES VII.

Epitaphium.

Poſteà, Paulo III. regnante, cum Leonis X. patruelis cineribus ad Minervæ delatum, ac marmoreo in monumento ſine ſepulchrali Inſcriptione locatum eſt.

Fuit Clemens, nonnullorum Cenſorum ſententiâ, Curiæ inviſus, Principibus ſuſpectus, famâ potiùs gravi & odiosâ, quàm gratâ: exiſtimatus avarus, ambigua fide, & naturâ à beneficiis in mortales conferendis alienus. At nihilominus in ſuis actionibus valdè gravis, ſagax, victor ſui, maximoque ingenio, niſi ſæpè metus judicium ipſius corrupiſſet. Ejus tamen virtutes, ut habet Epitaphium, ſolâ clementiâ ſuperatæ ſunt. Placet hic referre, quæ in Petrum Aretinum effecit: ſcripſerat hic plura petulanter contra Clementem, eumque in multis graviter læſerat: attamen Clemens exoratus illicò injuriam condonavit; quod Petus inter maxima beneficia referens, ſuis litteris Clementis virtutem eximiè extulit, multiſque nominibus ſe illi obſtrictum faſſus eſt. *Clementis Imago.* *Injurias condonat.*

SCRIPTA.

Scripſit Clemens varias inſignes Epiſtolas, quarum undecim inveniuntur inter *Epiſtolas Principum* typis cuſas; illarum aliquæ ad Franciſcum *Scripta.*

ſcum Galliarum Regem; plures ad Carolum V. Imperatorem: aliæ ad Georgium Cornelium ſunt datæ.

Porrò variæ etiam ejus litteræ ad Henricum VIII. Angliæ Regem datæ aſſevabantur olim in Bibliotheca Bodleiana inter Anglicanas facilè prima.

Unam ſupra quadraginta pro ſolis fratribus Minoribus Scriptas invenies apud Lucam Waddingum *in Annal. Min.*

Quam ad Actium Sannazarium Poëtam celeberrimum, ob oblatum ipſi nobiliſſimum Poëma *de Partu Virginis*, dedit, recitat Auguſtinus Oldoinus in *additionibus ad Ciaconium*, eſtque una ex elegantioribus, quas Clemens ſcripſit.

Quadraginta ejus Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, & variæ Bullæ leguntur apud Rodericum, Cherubinum, & Confectium.

Ejus *Apologia* adverſus Carolum V. Imp. extat in Biblioth. Vaticana.

Item *Conclave, Diarium*, & *Itineraria*, extant Romæ mm. ſſ. in nobili Bibliotheca Barberina.

Litera ad Clementem data.

Ad Clementem plures Epiſtolas dedêre Carolus V. Imp. Franciſcus I. Galliarum, Ludovicus Hungariæ, Sigiſmundus Poloniæ Reges: Proceres item Hungariæ, & Poloniæ in cauſa Beati Joannis Capiſtrani Ord. S. Franciſci, ut eum tot titulis de republica Chriſtiana & maximè de Hungariæ regno benemeritum Sanctorum Catalogo inſereret.

Opera eidem dicata.

Eidem Clementi ingenii ſui monumenta nuncupârunt inter cæteros Hieronymus Angelita civis Recinetenſis *Hiſtoriam de Lauretana Domo*: Marcus Fabius Calvus *Hippocratis Opus*, juſſu ejuſdem Clementis Latinè redditum: Hieronymus Balbi Epiſcopus Gurcenſis Librum *de Fortitudine Bellica*, aliumque de *Rebus Turcicis* Romæ anno 1526. editos: Joannes Eckius Germanus inſignis Theologus *Homiliarum tres Tomos* Pariſiis poſtmodùm editos anno 1561. Hieronymus Perboni Marchio de Inciſa Tractatum *de vera Religione*: Actius Sannazarius Poëma *de Partu Virginis*: Fabius item Calvus Ravennatenſis *Antiquitates Urbis Romæ*: aliique alia.

ANNO CHRISTI MDXXXIV.

Imperatore CAROLO V. Auguſto.

DE PAULO III. Pontifice Maximo.

CCXXIV.

Paulus III ob præclara merita publico ſuffragio Pontifex ſalutatur.

NUlla unquàm à multis Sæculis Comitia majori ſinceritate, concordia, & religione inita, peractaque ſunt, quàm quibus Alexander Farneſius, Romanus, ſacri Senatus Princeps, ſummus Pontifex eſt renunciatus: Poſt peracta namque in funere Clementis novemdialia ſacra, paucis horis, non ſuffragiorum Syngraphis obſignatis, & de more in ſacram urnam conjectis, ſed publico conſenſu, & præclara voce totius Senatus, ad

ad ſummum rerum faſtigium pervenit. Roma patria, præclaræ majorum imagines, eximia atque inveterata virtus, per quadraginta ampliùs annos in ſacro Senatu omnibus perſpecta, & præcellentes litteræ magnoperè eum commendârunt, ſed omnium maximè prudens Clementis judicium, qui quum continuo ſtomachi dolore tabefactus, morti proximus eſſet, eum omnium digniſſimum eſſe, qui ſummo Sacerdotio præficeretur, apertè prædicaverat, & proptereà Hippolytum Medicem, Juliani patruelis filium, adhortatus fuerat, ut eum unum ſuffragio maximè ſuo adjuvaret. Ad hunc modum Pontifex ſalutatus i v. Idus Octobris, poſtridie ſcilicet quàm in Conclave itum fuerat, aſſumpto Pauli III. nomine, tertio demum nonas Novembris triplici thiara coronatus eſt: qua die ab eo felici auſpicio publica hilaritate in ejus honorem nobiliſſimi Romanæ juventutis adoleſcentes per Vaticanam aream ſimulachro equeſtris pugnæ edito jucundiſſimè decurrerunt.

Nec defuit ſpes: nam Pontificatum adeptus, Tribunalis populi Romani Capitolini, officiorum, curialium, privilegia confirmavit & auxit: Eccleſiarum prædia temerè locata, gemmas, ornamenta, facultates oppignoratas, perſoluto creditoribus pretio, vindicavit: & ita ſe in adminiſtranda Republica, illuſtri quodam in ſpeciem diverſarum virtutum temperamento, geſſit; ut Pontificis ſimul & Principis nomen præclarè tueretur. In omni namque conſilio & ſingularis pietas, & ſumma providentia eminere videbantur, & non obſcura item amplificandæ ſuorum potentiæ voluntas. Nam ante omnia (quod in re magnoperè expediebat) ſe neque harum, neque illarum partium, ſed communem omnium parentem profitebatur: proptereà nequaquam adduci unquàm potuit, ut id fœdus renovaret, quod Bononiæ, Clemente ac Cæſare auctoribus, pro tuenda Italiæ libertate haud obſcurè ad arcendos Gallos percuſſum fuerat, quum ab utroque aliquod fortunâ ſuâ dignum munus expectaret. Quin & Concilium, toties à nonnullis Germanis veræ pietatis deſertoribus ad terrendos Romanos Pontifices efflagitatum (à quo graviſſimis de cauſis Clemens diffugiſſe videbatur) ultrò ſe appetere, & ad id locum tempuſque ſe decernere paratum eſſe prædicabat: apud Principes verò Chriſtianos inſtitit, ut ſibi Concilium indicturo conſentirent.

Romanorum privilegia confirmat. Eccleſiæ commodo ſtudet.

Generale Concilium indicere parat.

Miſſis quoque pro tuenda ſacroſancti nominis dignitate, qua privatæ ſpes tegerentur, in Galliam & Hiſpaniam Legatis, aſſiduè dabat operam, ut Franciſcus Gallorum Rex uno conſenſu ad oppugnandum Turcam, opulentiſſimo Africæ potitum Regno, cum Carolo Cæſare firma pace, vel renovatis fœderibus jungeretur, ut ea ſaltem ratione Turcarum & Gallorum ſuſpectam amicitiam labefactaret. Sed quanquàm eſſet apud Gallos eximia Pontificis auctoritas, nihil tamen, quod ad fœderum, vel conſerendorum auxiliorum rationem pertineret, impetrare potuit. Franciſcus enim Gallorum Rex Italia omni pulſus, Cæſaris felicitatem, qui magnam Italiæ partem tenebat, æquo animo ferre non poterat.

Cæſarem & Gallum fruſtrà conciliare conatur.

Ad amplificandos deinde ſuos converſus, proximo Decembri duos nepotes ob eximias eorum dotes Diaconos Cardinales creavit,

Suos extollit

vit, Alexandrum ſcilicet Farneſium Petri Ludoviſi filium, & Guidonem Aſcanium Sfortiam Boſio Sfortia & Conſtantia Farneſia natum. Ex his priorem (mortuo paulò pòſt Hippolyto Cardinale Mediceo) S.R.E. Cancellarium; poſteriorem verò Camerarium in defuncti Cardinalis Spinolæ locum fecit. Poſteà ſtatui Eccleſiaſtico inſtaurando confirmandoque animum adjiciens, nihil antiquius duxit, quàm ut egregios viros toto terrarum orbe conquiſitos in Patrum ampliſſimorum ordinem legeret, Eccleſiæ ſalutem iis verè inniti affirmans. Proximis igitur Senatorum lectionibus aliquot, inter multos ad viginti ampliùs ſelectos Cardinales creavit, omnes ſummo Sacerdotio digniſſimos, quos, ut in ſuam Rempublicam adlegeret, è totius orbis Chriſtiani Senatibus decerpſit. Nemo Romanorum Pontificum ad hanc diem plures Patres (qui unus & ſeptuaginta fuêre) ſacræ purpuræ honore donavit. Quatuor ſummi Pontifices, qui nuſquam interrupta ſerie poſt eum ad ſummum Sacroſanctæ Pontificiæ dignitatis apicem pervenêre, ex ejus lectionibus prodierunt, nimirum Julius III. Marcellus II. Paulus IV. & Pius IV. Præter hos alii multi numerantur, vel nobilitate clariſſimi, vel ſanctitate conſpicui, vel omni denique virtutum, doctrinarumque genere cumulatiſſimi: ità ut non immeritò Reſpublica Chriſtiana plurimum ei debeat, cujus unius gravi prudentique delectu, ampliſſimo Senatui, orbis Chriſtiani fulcro ac ornamento, ſuos eſt honos reſtitutus.

Præclariſſimos Viros in ſacrum Senatum legit.

Anabaptiſtarum hæreſis cum auctore ſuo Jo: Leidenſi exſcinditur.

Initio Pontificatus Pauli, furioſa & inſana Anabaptiſtarum hæreſis paulò antè exorta *Monaſterium* civitatem Weſtphaliæ munitiſſimam occupaverat. In qua à loci Epiſcopo acriter obſeſſi, aſperrimaſque oppugnationes paſſi, tandem commeatu abſumpto, extremâ inediâ confecti, mures, feles, canes, animalium coria, & alia id genus comedere ſunt coâcti, ita ut Urbs illa verè *nova Hieruſalem* ſit dicta: id enim nomen ei indiderat hæreticorum Rex novus, Joannes Leidenſis Batavus, homo prophanus, ſordida conditione, ſed animo planè excelſo, qui ad id munus à Deo ſe vocatum eſſe miſeris perſuadens, ad hanc novam Hieruſalem & montem Sion, miſſis quaquaverſum ſuis Prophetis, mirâ audaciâ omnes invitabat. Cæterùm capta Urbe, omnes cum Rege ſuo ſuppliciis affecti ſunt, & funeſtæ hæreſis deliviorum & ineptiarum refertiſſimæ domicilium diſſipatum.

Henricus VIII. Eccleſiam deſerit: uxore repudiata ſcortum ducit.

In Anglia per hæc tempora major rerum moles, fœdiorque facies fuit. Henricus VIII. Angliæ Rex, qui edito præclaro Volumine, inſanam Lutheri hæreſim oppugnaverat, & ob eam rem ſpecioſo *Fidei Catholicæ defenſoris* titulo à Leone X. ornatus fuerat, avitæ religionis deſertor ob hanc cauſam eſt factus. Uxorem is duxerat Catharinam Arragoniam Ferdinandi Catholici Hiſpaniarum Regis filiam, ac Caroli V. Cæſaris materteram, Arturo frati diù antè mortuo deſponſatam, cui quum inſani amoris libidine correptus, vigeſimo matrimonii anno, libellum repudii miſiſſet, Annam Boleniam adulteram, cujus furioſo amore flagrabat, in conjugalem thorum recepit. Hanc cauſam aliquamdiù in celeberrimis totius orbis Chriſtiani Gymnaſiis tractarant inter ſe divinarum huma-

Ei Pontifex adverſatur.

humanarumque legum periti: Poſtremò quum Clemens Pontifex, & in Cæſaris gratiam, & ut æqua Jura poſtulabant, repudium auctoritate ſua ſancire nollet, ſed eas nuptias uti ſcandaloſas atque nefarias publico edicto damnâſſet, Rex maleſano amore depravatus, omnem veterem virtutis ac pietatis laudem abdicavit; & nova damnataque ejurati nuper Lutheri dogmata ſecutus, ab auctoritate Romani Pontificis impiè deſcivit. Hinc factum, ut cùm efferatum animum ad ſævitiam impuliſſet, multis ſuppliciis damnatorum Procerum aulam funeſtârit, ſublato ante alios (quod etiam promeruiſſe videri poterat) ipſo Thoma Vulcero Cardinale Eboracenſe, qui nefariis conſiliis pervertiſſe Regem atque infatuâſſe, invidentis populi judicio, accuſabatur. Nec mora: ſeveriore diſtricto gladio complures exploratæ probitatis viros, & litterarum doctrina illuſtres, quòd nefariæ ejus ſententiæ ſubſcribere & aſſentiri nollent, interfecit: in queis fuêre præcipui Thomas Morus Regii ſcrinii magiſter, & Joannes Fiſcherus Cardinalis Roffenſis paulò antè à Paulo III. creatus. Boleniæ autem regalibus ornamentis traditis, & tanquam ex legitimis nuptiis communicato geniali thoro, Catharinam legitimam uxorem execrabili perfidia thoro ſimul ac domo expulit; quæ cùm dolorem, ut par erat, ferre nequiret, brevi, filiâ Mariâ relictâ, fato conceſſit. Ab hiſce diris principiis ad pejora progreſſus, ſe ipſum quoque publico edicto Eccleſiæ Anglicanæ primarium ſub Chriſto caput, contempto Pontifice, ſuperbè & arroganter pronunciavit, Catholicamque omnem religionem, hæreſi Lutherana ſuſcepta, abrogare totis viribus contendit: Monaſteria & ædes ſacras profanavit: Clericos, Monachos, Sacerdotes, & fratres religionum omnes, multis ex iis immani ſævitia occiſis, omninò delevit, bonis eorum vel in fiſcum redactis, vel, quo plures erroris ſui participes haberet, miniſtris inſaniæ ſuæ ſceleratè conceſſis: omnia poſtremò rapinis, cædibus, cruciatibus, & impietate complevit. Hiſce de cauſis motus Paulus Pontifex, frequenti Senatu Henricum Anglum, ob inauditæ hæreſis ac crudelitatis crimen, Chriſtianorum numero haberi indignum cenſuit, anathemateque notatum, abrogata eidem omni poteſtate, regiis titulis pro auctoritate ſua, privavit, privatumque per omnem Eccleſiam publicatâ ſententiâ declaravit. Nec mora: prædura ſcelerum ultrix adfuit Dei dextera: nam idem Rex novo inuſitatæ ſeveritatis facinore edito, eandem, quam tantoperè amaverat, Boleniam adulterii atque inceſtûs damnatam, palàm capitali ſupplicio affecit. Iſthæc omnia uberiùs retulimus in Purpura docta *Libro IV. numero 16.* & *numero 29.* qui loci conſuli poſſunt.

Sævit ſuppliciis in probatiſſimos viros.

Stultè ſe caput Eccleſiæ Anglicanæ facit.

Publico anathemate percutitur, Regnoq; privatus declaratur.

Bolenia capitis damnatur.

Cæſar expeditionem Tunetanam ſuſcipit.

Suſceperat hoc tempore (annus erat Chriſti 1535.) Cæſar Carolus expeditionem Tunetanam, ut immanem prædonem, & Piratarum ſæviſſimum ducem Hariadenum Barbaruſſam ulciſceretur, qui immenſis Solymanni Turcarum Imp. copiis, & ingenti ejus claſſe ſubnixus, poſt vaſtata cuncta Italiæ, Siciliæ, atque Hiſpaniæ littora, Tunetum in Africa (ejecto Muleaſſe Rege) occupârat, & barbarè arroganterque felicitatis ſuæ metas progreſſus, de Regno Neapolitano occupando, magna ſpe concepta, haud dubia conſilia

Pontificis in eandem expeditionem ſtudium.

lia agitabat. Ad hoc bellum Paulus Pontifex liberaliter contulit: nam & de ſuo decem triremes Genuæ conſtrui exornarique juſſit, quibus tres quoque veteres, quæ in cuſtodia Romani littoris eſſe conſueverant, adjunxit; & in bellicos ſumptus Sacerdotiorum totius Hiſpaniæ decimas Cæſari conceſſit. Claſſi ſuæ tum Pontifex Virginium Urſinum Anguillariæ Comitem præfecit, navandæ operæ cupidum, ut ea generis claritas Præfecturæ majorem auctoritatem adſtrueret. Eaſdem etiam decimas exæquata liberalitate Franciſco Galliæ Regi conceſſit, quò ille, ſi uſus poſceret, ad tuenda Hetruſci maris, Pontificiæque ditionis littora, è Maſſilia viginti triremes mitteret. Cùm autem Alphonſus Vaſtius ſuo antiquo pedeſtris militiæ imperio fungens, Germanicas ac Italicas legiones in Africam eſſet tranſportaturus, Pontifex, qui eum appulſurum Centumcellas intellexerat, ad declarandum ſuum in tam pio ac neceſſario bello ardens ſtudium, confeſtim eò ſe contulit, ut ſacris precationibus Deum optimum maximum, Divosque Chriſtiani Imperii Tutelares, ad victoriam de hoſte parandam, navigantibus propitiaret: ita ipſo præeunte, verba & hymnos Sacerdotum choro decantante, triremes, navesque onerariæ ab excelſa ſpecula expiatæ, luſtratæque ſunt. Datum eſt item vexillum, & ſceptrum Chriſtianæ religionis in Templo de manu Pontificis Virginio Urſino: poſtridieque Vaſtius cum eo nactus idoneam tempeſtatem, Neapolim primùm, deinde in Siciliam curſum direxit, ut proſpera demum navigatione Africæ littora contingeret. Paulò antè quoque ad Andream Auriam, toti maritimo negotio à Cæſare præfectum, & cuncta ad bellum navale ingenti cura, famaque adminiſtrantem. Pontifex gladium de more ſolemnibus ceremoniis conſecratum dono miſit; is erat gemmato capulo, cælataque vaginâ cum baltheo aureis bullis & fibulis valdè conſpicuus; & præter eum etiam villoſo è ſerico pileum margaritis phrygio opere depictum. Ea ſunt eximii, piique ducis adverſus Chriſtianæ religionis hoſtes depugnantis inſignia, magnis Regibus donari ſolita: ſic ut non immeritò ſtrenuus ſenex, quanquàm multâ jam navali gloriâ plenus, ad petendam novi decoris laudem accenderetur.

Alphonſo Vaſtio benè precatur.

Andream Auriam gladio, baltheo, ac pileo donat.

Ingens Chriſtianorum de Barbaruſſa victoria.

Inter hæc Cæſar ingenti claſſe comparata, ex Sicilia, Italiaque ſolvens, ad Uticæ littus feliciter appulit: ubi exercitu expoſito, fugato Barbaruſſo, Tuneto paucorum dierum labore expugnato, reſtitutoque duris conditionibus Muleaſſe beneficiario Rege; & Guleta arce munitiſſima impoſitis Hiſpanicis præſidiis inſigniter firmata, ad viginti millia captivorum Chriſtiani nominis, qui ex diverſis regionibus à ſæviſſimo prædone capti, illic miſerrimæ ſervitutis jugum ferebant, liberavit. Tum inde ſolvens in Siciliam primum, deinde Neapolim, ubi triumphali pompa ſuſceptus eſt, incolumis & glorioſus pervenit. Hæc tam inſignis victoria, tanta omnium gratulatione eſt excepta, ut & Pontifex ſolemnibus indictis ſupplicationibus gratias Deo publicè egerit, & ad victorem Carolum duos è Senatu Cardinales Legatos ſuo & Eccleſiæ nomine gratulatum miſerit.

Inde vere ineunte, Carolus anno 1536. Idibus Aprilis Neapoli

Romam

Romam profectus, non ſolùm à Cardinalibus, ſed & Epiſcopis, omniumque Sacerdotum ac civium ordinibus triumphali pompa exceptus, ad Baſilicam Vaticanam, ubi à Paulo Pontifice ad gradus templi expectabatur, deductus eſt. Qui adorato Pontifice, à Purpuratis in Vaticanum palatium perductus, ibidemque hoſpitio acceptus, ſacrum Paſchatis diem Romæ celebravit: qua die imperatoriis ornamentis inſignitus, Pontifici ad aram ſolemni ritu operanti adſtitit. Tredecim dies Romæ moratus, de ſumma rerum, & maximis Reipublicæ Chriſtianæ negotiis cum Pontifice locutus, pridie quàm inde proficiſceretur, præſente Pontifice, cunctoque Senatu, & Principum ferè omnium Legatis, non obſcura in Gallos ira ſuccenſus, graviſſimam habuit orationem, qua animi ſui intimos receſſus ardentiſſima facundia patefecit, motus ad id, quòd Gallorum Legati penè convitioſè expoſtularent, ut Henrico Regis filio Inſubrum Principatum (mortuo per eos dies Franciſco Sfortia noviſſimo Mediolanenſium Duce) beneficiario jure adjudicaret: Id enim Cæſarem promiſiſſe Claudius Vellejus Orator regius affirmabat. Inter perorandum autem veteres inimicitias, & antiqua diſſidia inter Hiſpaniæ & Galliæ Reges, Auſtriacæque domus Principes agitata commemoravit. A Galliæ Regibus, & ab ipſo Franciſco paulò antè violatam fidem, ruptas inducias, fractas pactiones, nec ſervata ulla unquam fœdera, quæ cum Hiſpaniæ Regibus, aut Cæſaribus pepigiſſent, pluribus exemplis indignanter confirmavit. Atque in primis de ingrato Franciſci Regis in ſe animo ac fide (quòd acceptam à ſe libertatem maleficiis penſaret, & nihil eorum, quæ promiſerat, adimpleret) diſertè queſtus, Mediolanenſe imperium nequaquam ad Franciſcum ſpectare, ſed Cæſareæ omninò ditionis eſſe, ſibique jure optimo deberi ac competere, pluribus titulis atque rationibus luculenter demonſtravit. Quæ & alia plura dum peroraret, comotior factus, altiori voce, ac vultu majeſtatis pleno; *Quæ*, inquit, *Franciſci, & Legatorum ejus impudentia eſt, ut me promiſiſſe Gallis Mediolanenſe imperium palàm dictitent? adeonè animi vecordis illis videor, ut quæ manifeſtè mea ſunt, tradere graviſſimo hoſti velim? hoſti, inquam, qui nulla fidei, aut juramenti religione, nova in dies bella molitur? qui pernicioſo exemplo, ab ipſo Chriſtiani nominis hoſte Turcarum Tyranno, in meam, ac religionis cladem, auxilium implorat? arma ſollicitat, & urget? diſpudet plura eloqui. Noverit ergo Franciſcus; noverit terrarum Orbis, me juſto bello, meas, & Ducis Allobrogum (quem mei cauſa armis perſequitur) injurias omni conatu vindicaturum. Et ne ſe imparatum inopinato adventu opprimi queratur, ei ſciens ac prudens bellum ex hac hora denuntio, ac juro me ſtatim, ut hinc egreſſus fuero, quàm maximas potero, militum copias paraturum, & regnum Franciæ opitulante Deo, qui bona ſemper ſtudia fovet, hoſtiliter invaſurum. Aut ſi malit Franciſcus, (ne quod Reges delirant, inſontes plectantur) expeditiori via controverſiam finiamus. Mecum ille, ſi vir eſt, ad ſingulare certamen deſcendat: eum duello provoco, quo genere armorum, aut contentionis optabit: ambo dimicemus: ſi ratione non placet, ferro decernamus cauſam: ſtabit ab illo arbiter Deus, cujus cauſam æquiorem noverit.* Adeò quum hæc diceret, excanduit Imperator, ut verba ipſa, elatuſque vocis ſonus, ultrò ad arma ruentem ejus animum

Carolus Cæſar Romæ triumphali pompa excipitur.

Ardenti oratione in Gallum invehitur.

Gallo bellum publicè indicit.

Eum ad duellum provocat.

mum expreſſerint, tantumque timorem auſcultantibus Galliæ Legatis incuſſerint, ut hi correpti nimio metu, averſo vultu ne hiſcere quidem fuerint auſi. Unde Senatu palpitante animo exeuntes, Franciſco Regi, quæ peracta eſſent, mutatis ad celeritatem equis, referri curarunt. Tum Pontifex clementiora ominatus, complexusque Cæſarem per ſacra omnia obſecravit, ne vel non iniquæ iracundiæ impenſiùs, quàm pietati indulgere mallet.Upereſſe modum, quo, ſi pateretur, mitiori via componi præſens controverſia poſſet: daret modò locum iræ, & conquieſceret, curaturum ſe, ut facti eum non pœniteret. Verùm ſurdo fabulam: Cæſar enim propoſiti ſui tenax, quarto decimo, poſtquam venerat, die Romà digreſſus, per Tuſciam & Ligures iter faciens, in Galliam Narbonenſem copioſo cum exercitu impetum fecit. Hinc inter duos ſummos Orbis Chriſtiani Principes atrox bellum exarſit. Dum Carolus Imperator adhuc in Urbe eſſet, ejus monitu Pontifex officio ſuo pro viribus ſatisfacere cupiens, ut diſcordias, quæ inter Chriſtianos religionis cauſâ exortæ fuerant, tolleret Concilium Generale jam diù multumque deſideratum, & à ſuperioribus Pontificibus neglectum vel diſſimulatum, vigeſimo demum anno, poſtquam Lutherana hæreſis irrepſiſſet, in proximum annum 1537. indixit. Mantuamque primum Concilio habendo locum opportunum delegit, mox verò ob juſtas intervenientes cauſas Vincentiam Venetorum Urbem tranſtulit, Laurentio Campegio primùm, deinde in ejus locum Bonifacio Ferrerio, Jacobo item Simoneta, & Hieronymo Aleandro Brunduſino, optimis ac prudentiſſimis Patribus tanto negotio præfectis. Qui verò Concilium Germanis cæterisque Chriſtiani nominis Principibus indiceret, delectus eſt Petrus Vorſtius Epiſcopus Aquenſis, vir divinis humaniſque litteris apprimè inclytus. Cæterùm & ea res difficiliorem ſucceſſum habuit: nam Vincentiâ etiam dimiſsâ, quòd hæc à Schiſmaticorum ſedibus paulò longiùs abeſſet, novo loco, medio propemodùm inter Italiam & Germaniam delecto, octavo tandem anno pòſt, univerſalem Chriſtianorum Synodum Tridenti celebrandam Pontifex tertiò indixit, tribus Apoſtolicæ Sedis, qui eam inchoarent, proſequerenturque, eò deſtinatis Cardinalibus, Petro Paulo Pariſio, Joanne Morono, & Reginaldo Polo, viris doctiſſimis juxtà ac graviſſimis. Porrò Pariſio & Morono revocatis, in eorum locum miſſi ſunt Joannes Maria de Monte Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus, & Marcellus Cervinus Presbyter tituli S. Crucis in Hieruſalem, qui ambo poſteà Romani Pontifices, (ut ſuo loco dicemus) emersêre.

Pontifex fruſtrà Cæſarem mitigare ſatagit.

Atrox bellum inter Cæſarem & Galliam enaſcitur.

Concilium Generale indicitur.

Concilio celebrando Tridentum eligitur.

Tridentum porrò ex omni orbe Chriſtiano frequentes Patres, Oratores, & Legati Principum convenerunt, ſed quum Lutheranis minùs id probaretur, modò locum, modò Præſides, modò aliud, atque aliud calumniantibus, illud ſatis patuit, nihil minùs ipſis quàm Concilium curæ fuiſſe, quod uſque ad illud tempus quaſi per provocationem à Romana Sede poſtulaverant: atque ita ea quoque res optato etiam tum eventu caruit: præſertim quum peſte Tridenti invaleſcente, aliquot jam Seſſionibus habitis, & quibuſdam

Hæreticorum tergiverſatio.

buſdam controverſiis examinatis, quibuſdam definitis, ex Pontificis auctoritate Synodus Bononiam translata fuerit. Quanquam ipſe Pontifex (cujus eruditio, & longo rerum uſu prudentia comparata jam notæ erant) omnes ad hoc interim vires ſuas intenderet, ut Eccleſiæ quietem repudiatis erroribus, & populis Chriſtianis pacem ſublatis bellis, pacatâ Italiâ, & mari à Piratis liberato, afferret: communiaque arma in Turcas, Chriſtianorum hoſtes acerrimos, converteret. Nam bello inter Cæſarem & Francorum Regem multis in locis concitato, Pontifex tanquam communis Paſtor, Cardinales Legatos, Marinum Caracciolum ad Cæſarem, Auguſtinum Trivultium ad Regem Francorum pro componendis inter eos diſcordiis miſit, ut iis ſopitis, & Concilio celebrato, arma Turcis, in totum jam orbem terrarum ſe ſe diffundentibus, communi impenſa & animo inferrentur. *Pontifex arma in Turcas transferre ſtudet.*

Quo tempore initio anni 1537. Alexandro Mediceo, Cæſaris genero, Florentinorum Duce, propinqui ſui Laurentii inſidiis ſæviſſimè interfecto Coſmus Medices ſucceſſit (Tragœdiam proditoriè interfecti Alexandri deſcriptam habes *lib. IV.* Purpuræ doctæ *n. 9.*) & in Urbe Paulus Papa, duce Eccleſiaſtici exercitus Petro Farneſio creato, multos ad omnes ferè Principes Chriſtianos, nuncios deſtinavit, crebris & paternis cohortationibus univerſos de pace, & armis Turcis inferendis monens; Cliſsâ præſertim in Dalmatia, quæ Pontificis præſidio tenebatur, à Turca, cæſis omnibus, tum expugnatâ. Unde & ſolemnes ſupplicationes ad placandam Dei iram inſtituit, ipſeque pedibus à S. Marco ad Minervæ ædem ſacro comitatus Senatu ſupplex profectus eſt. Quo anno Urbis mœnia, ſuperiori oppugnatione disjecta, reficere aggreſſus, initium ſub Aventino fecit. *Coſmus Medices Alexandro interfecto ſuccedit.* *Cliſſa à Turcis expugnata.*

Verùm quum Turcæ, qui grave cum Venetis bellum gerebant, totum Orbem Chriſtianum vexarent, Pontifex totis viribus eò incubuit, ut pace, vel ſaltem induciis inter Cæſarem & Francorum Regem compoſitis, ipſe Cæſar & Veneti, qui jam fœdere juncti erant, quieſcente ad tempus Gallo, bellum communi impenſa adverſus Turcas ſuſciperent. Legatos igitur Cardinales duos ad utrumque ob eam rem, Jacobatium quidem ad Cæſarem, Pium verò Carpenſem ad Francorum Regem miſit, & claſſis ſuæ Præfectum creavit Marcum Grimanum Patricium Venetum, Patriarcham Aquileienſem. *Bellum in Turcas urgetur.*

Dum bellum Turcicum, præſertim contra Venetos arderet, Dalmatiaque omnis Venetæ ditionis hoſtili ferro & flamma vaſtaretur, & inter Regem Francorum & Cæſarem nullæ pacis conditiones convenirent, Pontifex ut faciliùs Turcarum vim retunderet, omninò conſtituit operam dare, ut hos duos Principes unà ad colloquium, cui ipſe præeſſet, evocaret. Id per Legatos ſuos, & præſertim per Carpenſem, quum tractaſſet, tandem locus tanto conventui opportunus, oppidum Nicæa in Galliæ Italiæque finibus ſupra mare delectus eſt. Quò ex condicto Pontifex, Cæſar, & Rex Francorum intra breve tempus convenerunt. Ibi poſt multas diſceptationes ultrò citroque habitas, cùm neuter Principum ad pacis con- *Pontifex Cæſarem & Gallum ad colloquium invitat.*

Decennales inter eos inducias impetrat.

conditiones adduci poſſet, tandem rogatu Pontificis, ne nihil obtinuiſſe videretur, decennales induciæ inter eos factæ, ut Imperator bello Turcico ſecuriùs operam dare poſſet. Inde poſt mutuos complexus Rex in Galliam, Cæſar Genuam, Pontifex in Urbem rediit. Ubi Octavius Farneſius Papæ nepos uxorem Margaritam interfecti Alexandri Florentinorum Ducis viduam, Caroli V. filiam cum dote ducentorum quinquaginta millium aureorum duxit, qui

Urbinatium Ducem bello petit.

mortuo per eos dies Franciſco Maria Urbinatium Duce, in ejus locum Urbis Præfectus creatus fuerat. Tum Pontifex recuperandi Camerini tempus adveniſſe ratus, juvenis & rei militaris nondum periti Ducis adoleſcentia fretus, bellum illi intulit, cujus timore ductus, armis potificiis non expectatis, ſpontè Camerinum Papæ reſtituit, illud verò Pontifex non longè pòſt, Eccleſiæ nomine Octavio nepoti beneficiario jure conceſſit.

Expeditio in Turcas malè ſuccedit.

Claſſis intereà Chriſtianorum, quæ communi Pontificis, Cæſaris, ac Venetorum impenſis coäcta, maxima & formidabilis barbaris hoſtibus erat, Andreâ Auriâ claſſis Cæſareanæ Præfecto contra omnium opinionem pugnam detrectante, Turcis relictis apud Promontorium Actium (quod *Præviſam* vocant) in tres iterum diviſa partes, tot tantiſque Pontificis & Venetorum conatibus irritis factis, Caſtro novo præſertim à Turcis occupato, non ſine ignominiæ nota domum ſe recepit.

Pontifex Legatos Provinciarum creat

Inter hæc Pontifex de ornamentis & præſidiis Eccleſiæ cogitans, novos aliquot Provinciarum Legatos Cardinales, Verulanum Galliæ Ciſpadanæ, Jacobatium Peruſii, Eporedienſem Bononiæ, & Carpenſem Piceni creavit. Multos præterea graves & doctos viros Legatos pro rebus religionis in Germaniam miſit: in his primùm Cardinalem Aleandrum Brunduſinum, deinde Contarenum, qui conventui Ratisponenſi interfuit. Portoria & tributa multa vel auxit, vel novavit;

Peruſinos rebellantes domat.

Peruſinoſque ob ſalis vectigal rebellantes miſſis copiis domuit, & Decurionatu privavit, eorumq́ue Legatos, Romam atratos veniam petitum adeuntes, benignè excepit. Ob eandem cauſam Aſcanium Columnam contumacem & rebellem paterna ditione, quam in Latio habebat, armis exuit, Palliani mœnia & arcis Papæ demolitus.

Societatem Jeſu confirmat, ac privilegiis auget

Anno verò ſalutis 1540. *Societatem Jeſu* à viro ſancto & nobili Ignatio de Loyola Hiſpano in Cantabria nato inſtitutam, v. Kalendas Octobris (Profeſſorum numero ad ſexaginta coärctato) edita ſolemni Conſtitutione, quæ incipit *Regimini militantis* &c. confirmavit; multiſq́ue inſignibus privilegiis, ampliſſimiſque gratiis, & laudibus ornavit: Quòd præclaro pietatis exemplo, & religionis augmento, Loyolæ aſſeclas in dies excreſcere, & à tam pia ac ſalutari optimorum virorum ſocietate majora ſemper Chriſtianæ Reipublicæ incrementa expectari poſſe, prudentiſſimè animadverteret. Hujus verò Inſtituti (quòd Ignatio fundatori Chriſtus ipſe indicarât) hæc ſumma fuit:

Summa legum Societatis.

Ut qui ſe huic addicerent, præter Dei gloriam, ſalutemq́; ſuam ac proximi curarent nihil: Vitam ipſam impenderent ad ſalutem hominum curandam, parati ire, quocunque à ſummo Pontifice mitterentur. Regimen hujus ordinis ex tribus præcipuè ſtatibus temperatur, *Mo-*

narchico

narchico in Generali ; *Ariſtocratico* in Aſſiſtentibus ; & *Timocratico* in Procuratoribus tertio quoque anno Romam mittendis, quibus omnibus prævaleat legitimè congregata Societas. Viros ſervat humilitate, pietate, ac eruditione celebres, quia ex voto prohibentur dignitates ambire Eccleſiaſticas, quo niſi à ſummo Pontifice ſoluti, promoveri nequeunt. Seliguntur ex magna, qui verſantur & docentur in Collegiis, juvenum notiſſimorum copia, eruditione, natalibus, pietate illuſtres; nec pauperes ſi ingenio abundent, nec divites ſi hoc careant, excluduntur. Nummos in egenis fertili ingenio ſupplente; in divitibus pietate inopiam ingenii compenſante. Primus Societatis Præpoſitus Generalis extitit fundator ipſe Ignatius : qui Dei ſpiritu plenus ſuos ſtatim per Italiam, Germaniam, Galliam, Belgium, Hiſpaniam, Indiam ſparſit, incredibili animarum fructu, & hæreſum ac ſuperſtitionum tum ſerpentium excidio: cunctis gentibus eos quaſi redivivos Apoſtolos recipientibus, ac non rarò etiam contumeliis, calumnii, ſuppliciis pro Chriſto afficientibus.

S. Ignatius Primus Generalis.

Ex hac poſtmodùm præclara Societate, tanquam ex equo (ut ajunt) Trojano, rigidi & invictæ virtutis Heroës, ignorantiæ, ſuperſtitionis, hæreſis, & impietatis omnis expugnatores acerrimi, Dei verbo illuſtres, concionibus vehementes, meditationibus ſublimes, praxi ſolertes, omniſaria doctrina & eruditione conſpicui, &, quod caput eſt, integerrimæ vitæ morumque exemplo laudabiles, magno labantis Eccleſiæ ſubſidio, emolumento, ac ornamento, prodierunt. Quorum propagandæ Chriſtianæ fidei ardor ac zelus pedetentim ſe ita protulit, ut totam Europam brevi tempore, ſummo noſtræ religionis cumulo, pervagati, novas etiam ignoti anteà Orbis regiones, frequentiſſimas urbes, nobiles Provincias, & disjunctiſſima barbararum gentium Regna, errorum tenebris obſcurata, Evangelicæ veritatis luce (ſtridente interim hæreſi) perfuderint: eo rerum incremento ſucceſſuque, quem attonitus uterque Orbis ſuſpexit. De his, ne longior ſim, legi poteſt Ribadeneyra *lib.2.cap.17. Vitæ S. Ignatii*; Orlandinus *lib.2.p.1.Hiſt.Soc.* Maphæus *in Vita S.Ignatii*, & alii paſſim.

Cæterùm primi Ignatii fuère ſocii Jacobus Laynes, Petrus Faber, Franciſcus Xaverius, Alphonſus Salmeron, Simon Rodericus, Franciſcus Borgias olim Dux Gandiæ, Nicolaus Bobadilla, Claudius Jajus, Joannes Cordurius, Paſchaſius Proëtus, & Hoſius; quibus ſe ex Germanis primus adjunxit Petrus Caniſius. Indiæ verò provinciam primus excolendam ſuſcepit Franciſcus Xaverius, ac Dei verbum & regnum prædicavit in Urbe Goa anno ſalutis 1541. tum ex ordine Comorini, Zeilane, Ambone poſt Moluccas ſitâ; & Maldivaris Inſulis plurimis, quorum Regem quoque convertit, cum multis ubique hominum millibus, ut luculenter oſtendit Emmanuel Acoſta in Commentario Orientis.

S. Ignatii aſſeclæ primi, qui fuerint?

Poſt ſtabilitam ſocietatem Pontifex ab externis rebus ad emendandos mores converſus, Epiſcopos omnes, ut ad ſuas ſedes ſe conferrent, & commiſſos ſibi populos in officio continerent, diligenter eſt adhortatus. Reipublicæ conſtituendæ vacans, Ægidianas Conſtitu-

Paulus multa pro decore Eccleſiæ omen lat.

ſtitutiones firmavit, ita tamen, ut Auditoris Cameræ jura non infringeret. Referendariorum jura, immunitates, auctoritatem auxit. Decedentium Sacerdotum ſpolia Cameræ Apoſtolicæ addixit, qui jus condendi teſtamenti non obtinuiſſent. Judæis ad Chriſti fidem venientibus, bona ante converſionem acquiſita retinere permiſit, quo faciliùs converterentur. Contractuum vectigal, contrahentium fraudibus læſum, reformavit. Eos, qui fiſcum tabulis depravatis fraudarent, repreſſit. Præfectorum carceris, Judicum cauſarum civilium, & capitalium injurias, quibus inopes vinctos vexabant, coërcuit. Corruptos Clericorum mores, quibus populus offendebatur, ſtatutis legibus ad normam honeſtatis redegit.

Luca Cæſarem convenit. Mortuo inter hæc Cardinale Auxitano, Farneſium nepotem Avenionis Legatum creavit. Obviàm deinde Cæſari factus, Lucæ ſimul convênere, poſteaquàm Romanis Carpenſem, Viterbienſibus Polum Legatos dediſſet. Lucæ Papa aliquot diebus cum Cæſare *Expeditio Algeriana infauſta.* hæſit, qui Algerianam in Africa infauſtam expeditionem tum adornabat, quæ ſævis Autumni tempeſtatibus, claſſe disjectâ, infelicem exitum habuit, magnâ exercitus parte vel à Pœnis extinctâ, vel mari ſubmersâ: quæ omnia eleganter fuſeque Jovius in Hiſtoria ſuorum temporum deſcribit.

Initio anni 1542. Pontifex legatos creavit Contarenum Bononiæ, Ciſpadanæ Galliæ Gambaram, Peruſii Ariminenſem Cardinales. *Conventus Wormatienſis.* Quo tempore Conventus Wormatienſis magno Germaniæ Procerum affluxu celebratus; cui etiam Lutherus interfuit, in quo inanibus diſputationibus habitis, nihil, quod ad fidei concordiam ſpectaret, concluſum eſt. Cùm bellum inter Cæſarem & Regem Francorum inſtauratum magnis utrinque ſtudiis gereretur, Pontifex Legatos pro pace ad eos miſit, Contarenum ad Cæſarem, & Sadoletum ad Gallum: Contareno verò vitâ functo, ſubrogatus eſt Michaël Silvius Cardinalis Viſenſis. In conventu Norimbergenſi, cui interfuêre omnium penè Principum, & liberarum civitatum Legati, *Tridentum Concilio habendo deſtinatur.* cum de dogmatum diſſidiis, & religionis controverſiis tractatum eſſet, quærentibus locum Concilio idoneum rerum Novatoribus, ex Papæ auctoritate, & omnium conſenſu (ut ſuprà dixi) Tridentum Concilio deſtinatum, utrique parti uti vicinum, ſic commodiſſimum.

Initio anni 1543. cùm Imperator in Italiam ex Hiſpaniâ venire conſtituiſſet, ut inde in Belgas contra Clivenſium Ducem nova molientem armatus contenderet, Pontifex, cui Cæſare convento opus erat, Legato Urbis Carpenſi Cardinale conſtituto, Româ diſcedens, totam penè ditionem Eccleſiaſticam luſtravit: Fuit enim Bononiæ, Mutinæ, Regii, Parmæ, & Ferrariæ: & poſteà Pe- *Pontifex Buxeti Cæſarem convenit.* ruſii, Anconæ, Viterbii, & per omne Patrimonium. Buxeti (quod Pallavicinorum oppidum eſt in agro Placentino) Imperatorem jam allapſum intelligens, & conveniens, quadriduo cum eo commoratus eſt: ibi de plurimis & maximis negotiis agitatum: & inter alia, ut novus Mediolani Dux, qui eſſet Italicæ nationis, quem omnes Europæ Principes expetebant, crearetur, non obſcurè Nepotum ſuorum uno inſinuato. Item de pace cum Rege Fran-

Francorum, & ſubſidio contra Turcas in Pannoniam, Pontificis expenſis, mittendo. Imperator rebus his tractatis in Germaniam, Pontifex Bononiam reverſus eſt. Romæ eo tempore ingens trepidatio fuit, terrore claſſis Turcicæ, quæ à Francis evocata, per mare Tyrrheneum vagabatur, Oſtiaque Tyberis appulerat, quæ tamen, cùm Turcæ aliò contenderent, Romanis damno non fuit. Papa Romam reverſus, quum pro componendis horum Principum diſſidiis, nullum humanum prætereà remedium, quod non tentâſſet, ſupereſſe videret, ad divinam opem implorandam converſus, celeberrimas ſupplicationes ab æde Minervæ uſque ad Vaticanum cum præcipuis Sanctorum reliquiis ad augendam devotionem inſtituit. Cujus ſanè preces Deus exaudiiſſe viſus eſt. Nam poſt prælium ad Ceraſulam maxima Cæſareanorum ac Gallorum ſtrage commiſſum, cùm tota penè Europa bello arderet, in maximis armorum fragoribus utriuſque partis animi ad pacem, præter omnium ſpem & opinionem, inclinarunt: quam XIV. Calendas Octobris 1544 antiquis ſimultatibus depoſitis, & nova etiam affinitate contracta, in Oppido Galliæ Crepinio, incredibili Pontificis, omniumque Europæ Principum lætitia fecerunt. *Supplicationes inſtituit, & quare? Pax inter Cæſarem & Gallum.*

Initio ſequentis anni 1545. duobus in Comitatu Venuſino, Avenionenſis legationis territorio, oppidis *Gabigre*, & *Mirandula* ab hæreticis Lutheranis occupatis, cùm multa in religionis dedecus abominanda committerent, & deteriora Avenionis Prolegato minarentur, Antonius Trivultius Epiſcopus Tolonenſis Regis Francorum auxiliis copioſo exercitu collecto, oppidis combuſtis, hæreticos interclusos ad unum omnes delevit. *Hæreticorum inſolentia domatur.*

Obiêre per hæc tempora maximè inſignes bonis maliſque artibus viri, Henricus VIII. Anglorum, & Franciſcus I. Gallorum Reges (Odoardo VI. & Henrico II. Britanniæ, & Galliæ Regibus ſucceſſoribus relictis) Alphonſus item Vaſtius, inſignis Caroli V. dux, & Martinus Lutherus, tot malorum princeps, ſchiſmatum & hæreſeon execrabilis auctor: nigra morte ſublatus die 18. Februarii Baccho tum ſacrâ, cui vixerat: neque enim alium Deum niſi *ventrem* habuiſſe eſt viſus, qui diu noctuque epulabatur ſplendidè. In cujus obitum Epitaphion tale quidam non ineptè luſit. *Obitus inſignium Virorum. Lutheri interitus.*

Hic jacet heu nimiùm permiſſus ſtare Lutherus,
Nomen habes, ſatis eſt; cætera fama docet.
Te moneo paucis (niſi nominis effugat horror)
Peſſimus ex cunctis Hæreſiarcha fuit.
Recta Fides ſtabat, jacuit ſurgente Luthero:
Dum jacet hic, ſurgat lapſa, precâre, fides.

De Henrici VIII. interitu conſule Purpuram doctam *lib. 4. n. 39.* De Franciſco I. egimus in eodem libro *n. 42.* ubi lector brevem utriuſque Regis imaginem offendet. Ad Paulum revertor. *Pontifex filio ſuo Parmam & Placentiam concedit.*

Pontifex ſuis nimium indulgens, diuturnitate imperii paulò audacior factus, Mediolani pro nepote obtinendi ſpe dieꝰtus, Parmam & Placentiam, nobiliſſimas Eccleſiæ Romanæ beneficiarias

in Gallia Ciſpadana Urbes, multis Cardinalibus reclamantibus, in beneficium Petro Aloyſio filio ſuo (Camerino à nepote Octavio Eccleſiæ reſtituto) cum onere annui ſeptem millium aureorum tributi, conceſſit.

Cæſar bellum cum Lutheranis ſuſcipit.

Fridericus Saxoniæ Dux, & Landgravius Haſſiæ Cæſari rebelles.

Anno 1546. bellum atrox & periculoſum Cæſar cum Lutheranis, ut rebelles & contumaces quorundam Principum Germanorum animos compeſceret, hortante & opitulante Paulo Pontifice ſuſcepit. Horum principes erant Joannes Fridericus Dux Saxoniæ, & Philippus Lantgravius Haſſiæ. Hi eò contumaciæ evaſerant, multisque damnis ac contumeliis Cæſarem adeò affecerant, res quoque Germanas eum in ſtatum adduxerant, ut Carolo aut ſuſcipiendum eſſet contra eos bellum, aut non Germaniâ ſolùm, ſed Imperatoriâ etiam majeſtate cedendum. Multi enim eum non Imperatorem jam, ſed contemptim *Carolum Gandavenſem*, à loco natali appellabant: fœdus tum ad communem tuendam cauſam cum aliquot liberis Civitatibus Germaniæ, eadem labe infectis, in Saxoniæ oppido *Smalcalda* percuſſerant: inde fœderis Smalcaldici nomine eorum conjuratio nuncupata. Hi Evangeliorum & Proteſtantium ſpecioſis nominibus aſſumptis, Cæſaris conniventiâ, ſocordiam & ignaviam interpretati, abutebantur.

Fœdus Smalcaldicum contra Cæſarem.

Adverſus hos igitur Cæſar arma inferre ſtatuens, priùs eos legibus, deinde bello coërcere in animum induxit. Itaque publicum Imperii conventum Ratiſponæ, in quo de communi Germaniæ ſtatu, publica pace & concordia ageretur, indixit. Prudenti tamen conſilio uſus Cæſar, ſtatuit, ut ante omnia de his, quæ ad religionem pertinebant, ageretur, delectis ad id magni nominis utrinque viris, haud dubia ſpe, ut conciliatis ad fidei Catholicæ normam Proteſtantium anteſignanorum animis, Principes reliqui Imperii ab illis ad novam ſectam ſollicitati, jam perſuaſi, ad avitam religionem revocarentur. Conventus profertur in annum 1546. Conveniunt utrinque delecti, menſe Januario. Adverſariorum caput in ea concertatione Martinus Buzerus fuit, homo loquax, verſipellis, ac ciendis turbis apprimè idoneus. Initâ familiari quadam diſputatione, auſcultantibus qui negotio præpoſiti erant, & notariis excipientibus, hæreticorum pertinaciâ nihil boni ad extremum confici potuit: cùm enim eos jam penè confectos à ſua obſtinatione, colloquii Præſides amovere conarentur, poſtremò reſponderunt (quum aliud, ad quod confugerent, præſidium non haberent) ſe Principum ac Magiſtratuum ſuorum juſſis impediri quò minùs morem gerere illis poſſent: interim taciti & feſtinantes fugam adornabant, colloquio à Buzero & ſociis jam dirempto. Cùm verò paulò pòſt Cæſar allapſus, omnem ſtabiliendæ concordiæ ſpem ſublatam inveniſſet, neminemque Procerum, è conjuratorum præſertim, aut Smalcaldici fœderis numero, ad conventum venire, multoque minus imparata facere velle comperiſſet; haud obſcurè, quo erga eum animo, quibusque remediis occurendum eſſet, intellexit. Armis igitur, quando juris diſceptatione non poterat, rem tranſigere, Deo fretus, conſtituit.

Conventus Ratiſponenſis.

Martinus Buzerus Hæreticus.

Itaque rebelles omnes ad Imperii conventum Ratiſponenſem

edictô

edictô citatos, neque comparentes, ceu contumaces ac perfidos, Cæſar damnavit. Inter hos Joannem Fridericum Saxoniæ Ducem Electoris dignitate privavit, & Philippum Lantgravium proſcripſit. Exercitum etiam numeroſum, quem, rem præſagiens, in Belgio, Inſubribus, Regno Neapolitano, & Germania dudum conſcribi fecerat, in unum cogi juſſit. Albæ Ducem totius belli provinciæ præpoſuit, præſtantiſſimis rei militaris ducibus, & Tribunis ad ſua ſtipendia accitis. Exercitus Imperatoris conſtitit triginta quatuor millibus peditum, & novem millibus equitum. *Cæſar jure agit in rebelles. Saxoniæ Dux, & Lantgravius proſcribuntur.*

Intereà Dux Saxoniæ, & Philippus Lantgravius, ad quos tunc ſumma imperii judicio Smalcaldicæ conjurationis pervenerat, tantum armorum apparatum veriti, citiùs, quàm putârat Cæſar, contractis omnibus ſuis copiis, & quas Principibus & fœderatis Civitatibus imperaverant, conſociatis, exercitum priores in aciem educunt; ac Cluſa arce in faucibus convallium Alpinarum occupata, qua Italica auxilia excluderent, ad Danubium caſtrametantur. Hoſtium numerus totâ Germaniâ delectus erat ingens, ad octuaginta millia peditum, & quindecim millia equitum æſtimatus, quum Caroli Cæſaris copiæ pro hoſtium numero perexiguæ eſſent. Nihil tamen cunctatus Cæſar, Ratiſponâ firmo præſidio munitâ, Guilielmi Bavariæ Ducis amicitiâ fretus, Landishutum hoſtes prævertens contendit, ne & hunc ſibi aditum auxiliorum ex Italia venientium interciperent: ibique ſub mœnibus caſtrametatus, dum hoſtes expectat, Pontificis Pauli III. auxilia adſunt ad duodecim millia peditum, & duo millia equitum, Duce Octavio Farneſio Cæſaris genero, Legato verò Alexandro Cardinale, Papæ nepotibus. His adjunxerunt ſe ex Regno Neapolitano, & Inſubria veterani roboris ſex millia Hiſpanorum ſub Philippi Lanoij Ducis auſpiciis. Quibus adventantibus Imperatoris animus ita eſt confirmatus, ut hoſtes multitudine ferocientes contemneret. Nec ita multò pôſt omnes penè à Cæſare indictæ copiæ ex Germania & Italia adveniunt. Quibus fretus, tametſi ab hoſtibus non modò militum, ſed & tormentorum bellicorum numero longè ſuperaretur, apud Ingolſtadium prolatis caſtris, incredibili hoſtium admiratione, ſe ſe illis objecit; qui tuto loco caſtrametati haud longiùs quingentis paſſibus à Cæſaris caſtris in acie conſiſtebant. Hi Cæſarem nondum munitis caſtris, ſed vallo adhuc humiliore abſolvendo occupatum, tam horrendis tormentorum omnium ictibus excipiunt, ut glandium & globorum veluti profuſi imbres in vallum & Imperatoris agmen per octo horas pluere viderentur. Quod cum iterum atque iterum fruſtrà feciſſent, quieverunt: ea enim ratione Cæſaris caſtra perrumpere, omneſque in fugam vertere certò ſibi perſuaſerant: ſed ubi res parùm ſucceſſit, contumelioſam petulantiam, qua in Imperatoris exercitum uſi fuerant, remittere cœperunt; quum tot bellicarum machinarum ictibus, ne militem quidem unum è ſtatione ſua pedem moviſſe cognoviſſent: profusâ enim illâ creberrimâ globorum multitudine pauciſſimos milites extinxerunt, qui totum exercitum labefactare pro certo ſibi pollicebantur. Carolum verò in eo globorum periculo non abſque præ- *Exercitum cogunt. Bavariæ Dux Cæſari favet. Pontifex auxilia mittit. Cæſarem rebelles tormentis obruere fruſtrà ſatagunt.*

ſenti Numine ſervatum tum in primis memorant, cùm excuſſa tormento ſphæra, atque ad ejus pedes decidua, eodem veſtigio, quo ceciderat, humo præter omnem conſuetudinem obruta ſepeliretur. Tanta verò cum ſuo Imperatore militum conſtantia hoſtes ab ulteriori caſtrorum oppugnatione abſterruit. Cæſareani è contrario animoſiores facti, neque tunc, neque pòſt conquieverunt: nam ſtudio & arte militari, producto contra hoſtes vallo, & firmatis caſtris, levibus præliis, frequentibus excurſionibus, nocturnis ac diurnis irruptionibus, continuè ita hoſtes undequaque fatigarunt, ut nullam feſſo militi tutam pro quiete horam facerent. Ita graviſſimis incommodis circumventi fœderati, ademptâ præſertim omni pabulationis ac frumentationis facultate, communi ſententia diſcedendum ſtatuerunt. Motis igitur caſtris cùm ſenſim ſe ſe reciperent, Cæſar tripartito agmine (nam Buranus Dux cum Belgis per id tempus opportunè etiam advenerat) eos inſecutus, perſequi eò uſque non deſtitit, donec omni ſpe victoriæ deſtitutos, exercitum diſſolvere, ac maxima tormentorum parte relicta, fugâ ſibi quemque conſulere compulerit. Primus Lantgravius paucis equitibus comitates, in ditionem ſuam celeri ſe curſu recepit. Saxonum vero Dux, collectis ex diſperſo exercitu aliquot cohortibus, in Saxoniam revertitur; quòd Mauritium patruelem ſuum (quem poſteà Cæſar ſolemni ritu Electorem conſtituit) proſcriptionis jure ditionem ſuam omnem propemodùm occupâſſe cognoviſſet. Tantis igitur hoſtium conatibus in irritum cedentibus, Cæſar Comiti Palatino & Duci Wirtenbergenſi rebellibus, qui ad preces confugerant, clementer ignovit. Porrò Ulmâ, Auguſtâ, aliisque conterminis Civitatibus in poteſtatem redactis, omnes qui ſuperfuerant ex Pontificis exercitu, morbis & gravi tempore anni infinitis laboribus affectos, in Italiam remiſit. Dux Saxonum, dum recuperare ſtudet amiſſa, quarto pòſt menſe quàm Cæſareum perſecutus eſt, *Albim* latum & ſine vado flumen (incognito ruſtico vadum monſtrante) cùm trajeciſſet, VIII. Kalend. Maij tum toto equitatu à Cæſareanis captus, & ad Carolum perductus, anno 1547. Imperatoris legendi jure (quod in Mauritium patruelem Cæſar tranſtulit) in pœnam perduellionis ſpoliatus eſt. Sed & Philippus Lantgravius, olim ferociſſimus hoſtis, rebus ſuis ſic conſultum ſperans, Cæſari ſupplex ſe dedit, à quo in Belgium ad tempus amandatus, ibique diu cuſtoditus, denique ad Principum agnatorum inſtantiam, precariò dimiſſus eſt. Hanc tam inſignem victoriam (quam Jacobus Maſenius S. J. in *Anima Hiſtoria* ſeu *Vita Caroli V.* eleganti ſtylo proſequitur) non ſine Dei beneficio ab Imperatore adeptam, ut cognovit Paulus Pontifex, mox Cardinalem Sfondratum gratulatum in Germaniam miſit, inſigni hoc titulo gratulatoriis litteris præfixo, *Carolo Cæſari ſemper Auguſto, fortiſſimo ac invincibili Principi, Religionis vindici, ac hæreſis domitori.* Germaniæ igitur pace reddita, Cæſar omnes Smalcaldici fœderis ſocios, tum Principes, tum liberas civitates, impoſitâ ſingulis mulctâ, condonatâ læſæ majeſtatis pœnâ, in gratiam recepit.

Cæſareanorum virtus & conſtantia.

Rebelles fugantur.

Cæſaris in rebelles clementia.

Dux Saxoniæ capitur, & jure electorali ſpoliatur.

Lantgravius Cæſari ſupplex fit.

Pontifex Cæſari gratulatur.

Cæſar perduelles in gratiam recepit.

Cæterùm dum bellum Germanicum agebatur, Italia ſeditionibus

nibus & inteſtinis diſcordiis non caruit: Nam & Neapoli populus contra Petrum Toletanum, qui pro Rege illius Regni negotia curabat, quæſtionem religionis, more Hiſpano, in Regno inſtituere conantem, arma ſumpſit, illumque multis ſeditionibus & tumultibus fatigatum ab eo conſilio deſiſtere coëgit. Et Genuæ Joannes Aloyſius Fliſcus, de occupanda patria, interficiendoque Andrea Auria cogitavit; exitusque voluntati reſpondiſſet, niſi conatus ejus in ipſo conſpirationis fervore mors impediviſſet: Mari enim, dum claſſem occupare ſtudet, merſus, conjurationi finem, ſociis & familiæ ſuæ exitium attulit. Hujus conſpirationis ſocium atque adeò auctorem Petrum Aloyſium Pontificis filium, Parmæ & Placentiæ Ducem fuiſſe, quum ad Imperatorem delatum eſſet, Cæſar hominis perfidiam deteſtatus, ab eo ſe penitùs abalienavit: inde occaſionem nactus Ferdinandus Gonzaga, qui pro Cæſare Inſubres moderabatur, clàm cum aliquot Placentinis civibus egiſſe creditur, ut occiſo Duce civitatem Cæſaris fidei committerent. Cùm autem Nobilitati, liberiorem vitæ ſtatum expetenti, in primis odioſus eſſet, conſpiratione contra eum à primoribus civitatis factâ, multis vulneribus interemptus eſt. Placentia in ipſo tumultu, incredibili cum Pontificis mœrore, ab intromiſſis Cæſareanis occupata: Parma ægrè retenta; cujus præſidio Pontifex Camillum Urſinum ſpectatæ fidei ac fortitudinis virum præfecit. Hinc maximæ Pontificem inter & Cæſarem ſimultates exortæ, quas tamen Papa prudentiſſimus, temporis opportunitatem expectans, diſſimulabat.

Seditio Neapolitana.

Item Genuenſis.

Petrus Aloyſius Parmæ & Placentiæ Dux occiditur.

Porrò dum Concilii contra voluntatem Cæſaris à Pontifice Bononiam tranſlati negotium leviter tranſigeretur, Imperator Auguſtæ Vindelicorum imperialem Conventum indixit, in quo, ut res Germanicas præſtigiis Lutheri fœdè perturbatas, quoad religionem quoquo modo componeret, maxima cum Pontificis indignatione *Conſtitutiones quaſdam* numero viginti ſex publicavit, quibus Germani omnes uſque ad Concilii Generalis decreta liberè uterentur. Has INTERIM vocavit. Papa autem ægrè ferens, par erat, Cæſarem manum in meſſem alienam miſiſſe (quum quæ ſui muneris erant, ipſe, ſi admonitus fuiſſet, haud dubiè pertractanda ſuſcepiſſet) tum ob hanc cauſam, tum ob interfectum filium, & occupatam Placentiam Cæſari vehementer ſuccenſuit. Verùm, ut erat prudens, Romæ, poſt Petri Aloyſii cædem, nepotem Octavium, qui in Parmæ & Placentiæ ditionem interfecto patri jure prærogativæ ſuccedere debebat, diù invitum continuerat, veritus, ne quemadmodum pater Placentiæ, ſic ille juvenis & incautus Parmæ inimicorum inſidiis circumventus occideretur. Suaſerat etiam ei, ut Parmâ Eccleſiæ reſtitutâ Camerinum interim, dum pacatiora tempora illuceſcerent, gubernandum reciperet. Dum hæc inter Pontificem & Octavium, æquo diutiùs agitantur, Octavius moræ impatiens, quòd ſe utroque principatu excluſum crederet, Parmam inconſulto Pontifice & contra ejus ſententiam per diſpoſitos equos prolabitur: ſed ab Urſino Camillo loci Præfecto, quòd citra Pontificis mandatum veniſſet, rejectus, in proxima

Pontifex Cæſari ſuccenſet.

INTERIM Carolinum improbat.

Nepotis ſaluti dum ſtudet, ab eo offenditur.

Animi dolore moritur.

xima Turris Claræ arce ſubſtitit. Pontifex iratus, dilaudata Urſini fide, Octavio litteras minarum & indignationis plenas ſcripſit; cui cùm Octavius petulanter acerbeque nimis reſcripſiſſet, Papa hac nepotis contumelia & ingratitudine mirè offenſus, concepto animi dolore, ætate jam gravis decubuit; & aliquot diebus pòſt violenta febre oppreſſus, ſuſcepto integerrimis ſenſibus divino epulo, Eccleſiaque adſtantibus Purpuratis commendatâ, IV. Idus Novembris anno poſt Chriſtum natum 1549. in palatio Quirinali rebus humanis exceſſit octogenario major, poſtquam ſediſſet annos quindecim, menſem unum, ac dies ſeptem. Cadaver citra pompam per mediam Urbem familiarium humeris in Vaticanum delatum, lateritio tumulo in Baſilica S. Petri, cum hoc epitaphio à Franciſco Svuertio relato conditum eſt.

Ejus Epitaphium.

PAULO III. FARNESIO. P.O.M.

Diſcite mortales fluxa ut ſit gloria Mundi!
Ut terrena brevi tempore Regna ruant!
Qui PETRI *nuper ſacrata in Sede ſedebam,*
Dum tegeret noſtrum ſacra thiara caput;
Qui potui dudum populis dare jura ſubactis,
Ante meos Reges procubuère pedes:
Maximus & Cæſar pedibus dedit oſcula Noſtris
Numen ut in terris jam veneratus eram.
Tertius *hic gelido condor ſub marmore* Paulus,
Continet hæc cineres nunc brevis urna meos.
Pontificem geſſi ſummum ter quinque per annos
Tempeſtiva ſenem me Libitina tulit.
Funera non lachrymis mea ſunt ſpargenda: peregi
Natura curſum: Mors, nova vita fuit.

Paulo nonnullis poſteà annis magnificentiſſimum monumentum marmoreum in eadem Baſilica erectum fuit, hodiedum inter Romana celebriora primum ſpectabile, in cujus fabricam, decreto Cardinalium, ex mole Hadriani decem aureorum millia deſumpta atque inſumpta ſunt. In funere Romulus Amaſæus celebris Orator peroravit.

Quid in Paulo culpetur?

Dicitur Paulus moriens Octavii nepotis ingratitudinem ſæpiùs incusâſſe, ac ſe felicem, ſi nunquam genuiſſet, dictitaſſe: ſubinde illud Davidicum ingeminans; *Si mei non fuiſſent dominati, tunc immaculatus eſſem; & emundarer à delicto maximo.* Ea quidem re culpatus, quòd ad domeſticam amplificandam atque evehendam fortunam ſe totum conferens, eò uſque ſæpè prolapſus fuerit, ut ſuæ exiſtimationis, ac Reipublicæ periculum, dum voti compos fieret, parvi faceret. Cæterùm vir ſummæ prudentiæ ac moderationis, judicii & memoriæ incomparabilis, juſtitiæ & æquitatis tenaciſſimus, humanitate, clementia, affabilitate ac comitate præcipuus, litteriſque, ut erant illa tempora, in quæ juventus ejus incidit, apprimè excultus: Mathematicis etiam deditus. Subditis tamen minùs gratus, quòd eos gravioribus nonnunquam vectigalibus vexaſſet, quæ tamen pridiè, quàm obiit, abolevit.

Con-

Litteratis viris addictus.

Conſueverat Paulus, doctorum virorum mirus amator, ſuper menſam non fabulatores, aut mimos inducere, ſed præſtantes Philoſophos ac Theologos; & ipſemet veritatis indagandæ atque illuſtrandæ causâ proponere, de quo inter ſe convivæ diſputarent. Ea erat graviſſimi ſenis, & prudentiſſimi Principis oblectatio. Quare cùm Anconæ verſaretur, audiretque illic adeſſe Proxenetam quendam Senenſem, virum itelligentem, & ut putabatur, ſupra omnes ætatis ſuæ perſpicacem, eum, ut qui talibus ingeniis delectaretur, ad ſeacciri juſſit. Poſt aliquantulum colloquium voluit Pontifex ejus annos cognoſcere; *unum & ſexageſimum ſum natus*, inquit ille: cùm verò Pontifex ſubdubitare videretur, nudavit ille caput, & canos ſuos oſtentavit. Admirans Papa, quommodo cum crinibus non etiam barba incanuiſſet, ſed vix quadragenarium demonſtraret, audivit; *Ne mireris, Pater ſancte, quandoquidem capilli mei amplius viginti annos barbâ Seniores ſunt.* Placuit ingenioſi hominis facetum dictum uſque adeò Pontifici, ut inſigni congiario demulſum ſubridens dimiſerit.

Colloquium cum Proxeneta.

Pauli Imago.

Fuit Paulus ſtatura mediocri; capite non magno; oculis rutilantibus; naſo paululùm producto; labiis nonnihil eminentibus; barba promiſſa, genas æqualiter veſtiente; viribus corporis firmis, aſpectu Principe digno. Qui quanquàm recens mortuus non admodùm probaretur, inſequentium temporum tamen infelici eventu maximè à bonis omnibus, & ab infima etiam multitudine deſideratus eſt.

Calumnia hæreticorum ſufflantur.

Multa hæretici, & Apoſtatæ, Ochinus, Vergerius, Balæus, Sleidanus, aliique id genus impuri & perverſi homines, de ejus geſtis & moribus confinxerunt, atque in publicum ediderunt, quibus tanti Pontificis famam apud poſteros odioſam reddere conati ſunt: ea tamen utpotè falſa ac maledica, & ab egregiis viris veritatis amantibus ſatis ſuperque diluta, cum ſuis auctoribus in orcum, unde proceſſerunt, retrudimus. In PP. Capucinorum Annalibus (quorum Ordinem ſacrum Paulus anno ſalutis 1536. octavo Kalend. Septembris approbavit, multiſque beneficiis ac privilegiis auxit) hæc de ejus ſalute legimus: *Frater Joannes Baptiſta Pedemontanus Sacerdos, vir ſumma pietatis, cùm preces ad Deum funderet pro Pauli ſalute, à Virgine Deipara, cui devotiſſimus erat, inſtantiſſimè poſtulavit, ut quid de Paulo Romano Pontifice jam defuncto in Dei Judicio actum eſſet, ſibi aperire dignaretur. Affuit oranti famulo beatiſſima Virgo, eamq; ſibi dicentem audit: Paulus plurimùm in Dei Judicio laboravit, ſed tandem ſalutem conſecutus eſt Indulgentiarum ſuffragio, quas is pro defunctis vivens conceſſit; quarum ope ſeptuaginta ſeptem millia defunctorum animæ è purgatorii pœnis liberæ emerſerunt: veruntamen adhuc in purgatorio delictorum pœnas luit; atque his dictis diſparuit.* Hæc ibi: cujus hiſtoriæ fides penès Annalium illorum auctorem ſit.

Salvatio Pauli intimatur.

Ejus pietatis monumenta.

Extant plurima pietatis monumenta, à Victorello & Oldoino *in additionibus ad Ciaconium* longo ordine relata, quibus Pauli munificentia in varias Italiæ Eccleſias, ſed præcipuè Romanas quàm maximè enituit. Certè Vaticanam Baſilicam ex lateritia marmoream reddidiſſe, eamque Tiburtino lapide mirificè exornâſſe, ut de cæteris

ris taceam, ex ejuſdem Baſilicæ monumentis liquidò conſtat. Conſuli poterunt à curioſis indigitati Auctores; nos quæ ſcripſerit breviter enarremus.

SCRIPTA.

Scripta. Scripſit Paulus, non ultimæ notæ Poëta, elegantiſſimos verſus, doctis multùm commendatos.

Ciceronis Epiſtolas *ad Atticum*, interpoſito hinc inde judicio ſuo, eruditis declarationibus illuſtravit.

Epiſtolas ad diverſos ſuavitate & eruditione refertas dedit: præſertim ad Fridericum Nauſeam, Deſiderium Eraſmum, Jacobum Sadoletum, Georgium Corteſium doctiſſimos ea ætate viros.

Tum etiam multas ad Carolum V. Imp. & Franciſcum I. Galliæ Regem: alioſque Principes Germanos, Gallos, Hiſpanos &c. qui omnes viciſſim ei reſcripſerunt.

Sunt etiam Pauli litteræ ad Franciſc. Roboreum Archiep. Beneventanum, quibus non ſolùm jura aliqua eidem, ſed & ejus Succeſſoribus clementer confirmat: illas exhibet Ughellius *tomo 8. Italia ſacra*.

Conſtitutiones Eccleſiaſticas ſexaginta quinque ſcripſit, quæ extant in Collectione Romana: Sexaginta & novem in Magno Bullario Cherubini.

Præterea pro ſolis Franciſcanis unam ſupra triginta reſcripſit in fine *tomi 8. Annal. Min.* Lucas Waddingus.

Opera Paulo nuncupata. Paulo ingenii ſui monumenta dedicarunt viri doctrina præſtantes, Joannes Eckius *Homiliarum Tomum quartum*; Hieronymus Perboni *Tractatum de Fide*; Petrus Bembus Cardinalis *libros ſexdecim Epiſtolarum ſuarum*; Petrus Aretinus ſuam *Horatii*, *& Coratiorum Hiſtoriam*; Narius Bandinellus ſuas Orationes Romæ habitas; & Marius Podianus *Librum de Adventu ipſius Pauli Peruſium*; & pompam qua in ea Urbe exceptus eſt.

Pro Paulo III. Apologiam ſcripſit Albertus Pighius Belga, in cauſa Concilii Oecumenici Tridentini ab ipſo Paulo indicti, ac diverſis temporibus, tum Mantuæ, tum Tridenti, ac Bononiæ celebrati.

ANNO CHRISTI MDL.

Imperatore CAROLO V. Auguſto.

DE

JULIO III. Pontifice Maximo.

CCXXV. SUprema Pauli III. morientis vox ad Cardinales ea fuiſſe dicitur, ut optimum quemque ex multis, quos ſuprema thiara digniſſimos haberent, legerent, qui cum totius Eccleſiæ emolumento in tanta pontificæ dignitatis amplitudine ſibi ſuccederet,

deret. Igitur Novemdialibus demortuo Pontifici ex more perſolutis, Patres Conclave ingreſſi, poſt acerrimam trium menſium de novo creando Pontifice habitam diſceptationem, præter omnium expectationem, unanimi ſuffragio, Joannem Mariam *de Monte* Epiſcopum Cardinalem Præneſtinum, virum tanto faſtigio ob egregias animi dotes non indignum ſeptimo Idus Febr. anno noſtræ ſal. 1550. Pontificem maximum, ſub Julii III. nomine, deſignârunt; ac proximo die, Cathedræ Antiochenæ divi Petri tum ſolemni, per manus Innocentii Cybo Cardinalis Diaconorum Principis, ante gradus Baſilicæ ſancti Petri, inſpectante populo Romano, ſacri imperii diademate coronârunt. *Jo. Maria de Monte ſub Julii III. nomine Pontif. deſignatur.*

Is anno à partu Virginis 1487. quarto Idus Septembris Romæ in regione Parionis natus, & in baptiſmate Joannes Maria vocatus, à paterni tamen agri natalibus *Aretinus* poſteà dictus, patrem habuit Vincentium de Monte Juriſconſultum in paucis egregium, matrem verò Lucretiam Senis loco nobili ortam. Prima bonarum litterarum præſidia, exactam Juris ſcientiam, ac eloquentiam ſingularem Peruſii ac Senis in celeberrimis Gymnaſiis, opera Antonii de Monte Cardinalis S. Praxedis viri per omnia docti comparavit. Quibus animi ornamentis commendatus, cùm adhuc adoleſcens eſſet, ſub Julio II. ad Lateranum in quinta Concilii ſeſſione, luculentam orationem habuit, qua ſibi omnium Cardinalium animos mirificè conciliavit. A Julio II. ex patrui ſui Antonii Cardinalis reſignatione, Archiepiſcopus Sipontinus creatus, munus id tanta juſtitiæ & æquitatis integritate adminiſtravit, ut nemo eo ſecundiorem nominis famam à multo tempore tuliſſe feratur. In Urbis excidio, amore patriæ liberandæ, extremum vitæ periculum ſubiit, quando cum aliquot aliis præſtantiſſimis viris, ipſe etiam à Clemente VII. rei numariæ difficultatibus implicito, furioſis militibus, aurum immaniter, & inſolentiſſimè petentibus, obſes datus fuit, quum bis in Campum Flore omnes ſimul ad patibulum catenati, latronum more, tracti eſſent; biſque ſententiis de eorum ſupplicio, in militum corona gravi & infeſto concionis fremitu eſſet diſceptatum: è quo periculo quanquàm tum omnes, comiſerante adjuvanteque Pompejo Cardinale, incolumes evaſerint, conſtat tamen eo facto, libertatem afflicto Pontifici fuiſſe maturatam. *Ejus vita primordia.* *Archiepiſcopus Sipontinum creatur.* *Subit vitæ diſcrimen.*

Pauli III. Pontificatus initio, Bononiæ Prolegatus, tum Cameræ Apoſtolicæ Auditor creatus, mirificè ejus Principis judicio, quod fuit acerrimum graviſſimumque, reſpondit. Quare cùm multus ejus operâ domi foriſque feliciter uteretur, liberalitatem & beneficentiam in benemeritos exercere ſolitus, Pontifex, facilè tot ejus labores purpurei Galeri honore rependit. Habuit hoc omninò Paulus, ut ferè contra ſuperiorum Pontificum inveteratum morem ex una dignitate homines legeret potiùs, quàm ex copiis, aut divitiis, aut etiam ex inordinata Principum voluntate. Et certè nemo in Romana Curia laborioſiùs, diuturniùs, juſtiùs, per tot annos, nemo etiam fideliùs Joanne Maria de Monte verſatus eſt, in quo uno nullus unquam in maxima varietate rerum gerenda- *Purpurâ donatur.* *Ob inſignes virtutes omnibus commendatur.*

rum ſuperbiam, nullus avaritiam, nullus negotiorum, quæ is ſuſcepiſſet, neglectum, aut quæſtûs aliquam cupiditatem annotavit. Cardinalis Galliam Ciſpadanam, Flaminiam, Æmiliam, & noviſſimè Bononiam Legatus rexit. Concilio à Paulo III. demum indicto, Pontificis vice eidem præfuit, adjunctos ſibi habens Marcellum Cervinum & Reginaldum Polum. Pauci autem tum Cardinales tot tantisque muneribus fuêre præpoſiti, quot quantisq; Joannes Maria Cardinalis de Monte; pauciores certè tanta religione, integritate, manſuetudine, & innocentia adminiſtrârunt, accuratiore verò in rebus tractandis diligentia prorſus nemo. Harum itaque inſignium virtutum ac meritorum commendatione ad ſuppremum rei Eccleſiaſticæ culmen (Farneſio, Guiſio, ac Marcello Cervino Cardd. præcipuis auctoribus) provectus, defuncti Pauli III. locum & vices, excluſis nobiliſſimis æmulis, adeptus eſt.

Pontifex creatur.

Initio Pontificatus, ex lege in proximis Comitiis à Patribus lata (qua jubebatur, quicunque Pontifex renunciatus fuiſſet, ad extinguenda bellorum incendia, Parmam Octavio Duci reſtituere) Julius Pontifex, Urſino revocato, quem Paulus III. Parmenſi imperio præfecerat, ea conditione Urbem Octavio conceſſerat, ut ſe inconſulto nullum externi Principis intra mœnia præſidium admitteret. Id verò, ut faciliùs Octavius præſtare, ſeque ac Urbem à Cæſareanorum vi & inſidiis tueri poſſet, ſingulis menſibus tria aureorum millia ex ærario pontificio eidem ſunt attributa.

Parmam Octavio Farneſio concedit.

Poſt hæc Julius ad Jubilæi annum (qui tunc erat ſalutis 1550.) peragendum, ſolitis ceremoniis Portam, quæ *Sancta* vocatur, ſexto Kalendas Martii die S. Matthiæ ſacro, aperuit, eandemque vertente anno in ſacra Epiphaniæ celebritate, debita pompæ ſolemnitate clauſit. *Convenêre tunc* (ut ſcribit in vita Julii Panvinius) *ad Urbem frequentes gentium variarum concurſus, quibus præcipua Sanctorum reliquiæ in Baſilicis Vaticana, Lateranenſi, & S. Mariæ majoris, altarumq; oſtenſa ſunt. Pontifex ipſe ſæpè ſæpiùs accurenti populo benedixit, & auguſtioribus infulis, ſacratisq; veſtimentis indutus, ſpectandum ſe omnibus præbuit.*

Jubilæum celebrat.

Quo tempore adventantes etiam Principum Chriſtianorum ac Rerumpublicarum Oratores publicis in Conſiſtoriis, vetere Romanæ Eccleſiæ inſtituto, ad præſtandam ſibi obedientiam admiſit.

Principum Oratores ſuſcipit.

Fuit hic primus annus Pontificatus Julii (inquit Ciaconius,) inter eos, quos populus Romanus vidit, lætiſſimus, non modò ipſa Jubilæi feſtivitate, diverſarumque gentium in Urbem tùm confluentium multitudine; ſed ipſa maximè Pontificis humanitate, clementia, & incredibili in regendo Pontificatu temperantia: qua nec puniendo acerbus, nec indulgendo remiſſus, omnium civium, & populorum animos, dulci gratoque imperio, mira beneficentia & manſuetudine promereri cupiebat. Hiſpanis verò Germanisque tam advenis, quàm Urbem incolentibus, in gratiam Caroli Imperatoris, cui ſuaptè natura addictiſſimus erat, mirificè favebat. Vectigalia graviora, præſertim molarum & contractuum, à Paulo prædeceſſore imperata, edicto ſuſtilit. Urbem incolentium, & Curialium privilegia confirmavit; jus teſtamenti condendi iis tribuit; ab eorum etiam ab inteſtato morientium injuriis fiſcum

In omnes adnatam beneficentiam explicat.

Onera publica tollit; privilegia confirmat.

Digitized by Google

cum Apoſtolicum repreſſit; quin & edictum, quo ſpolia Romæ decedentibus Clericis eripiebantur, abrogavit.

Pulcherrimo porrò eoque utiliſſimo edito Diplomate Hæreticos atque Schiſmaticos ad Apoſtolicæ Sedis unitatem invitavit: libros hæreticorum à Conciliis damnatos teneri & legi gravi ſub pœna vetuit: Idem de Judæorum libro *Thalmud*, aliiſque eorum codicibus, quibus contra fidem Chriſti blaſphemiæ ineſſent, ſanxit: iiſdem tamen Judæis, quò eos ad obſequendum proniores redderet, privilegia à ſuperioribus Pontificibus certa lege conceſſa, confirmavit. Romanæ Sedis Pœnitentiarii munus firmavit; ejus poteſtatem in dubium revocantes coarguit: Epiſcoporum Pontifici aſſiſtentium ac inſervientium privilegia & redditus auxit. Apoſtatas ſeu Ordinum ſacrorum deſertores ad ſua monaſteria redire volentes, à Prælates recipi admittique præcepit; ac à facili monaſteriorum exitu eoſdem repreſſit.

Utilia Decreta edit, multorumq. privilegia confirmat.

Rogatu Caroli Cæſaris, translatum à Paulo III. anno 1547. Bononiam Concilium, revocari Tridentum, ibique inſtaurari ad Kalendas Majas anni 1551. ac continuato ordine peragi juſſit. De qua re octavo Kal. Decembris anno 1550. Diploma ab ipſo Pontifice, admirabili eloquentiæ gravitate compoſitum, in Conventu Auguſtano publicatum fuit. Quod diploma Julius Pont. cùm id percupienti Cæſari admiſiſſet, Tridentum ſe iturum, ſi per ætatem, quæ ſexaginta quinque annorum erat, ſibi liceret; aut certè Legatos confeſtim eò miſſurum, Cæſari adpromiſit. Tunc ex Germania, Hiſpania, Italiaque Epiſcopi, ac viri litteris & virtute conſpicui, Cæſariſque juſſu multi Catholici Præſules, Archiepiſcopi, nec non tres Imperii Electores, cum magna doctorum virorum corona eò confluxerunt. Quò etiam ablegatus fuit Marcellus Creſcentius Presbyter Cardinalis tituli S. Marcelli Sedis Apoſtolicæ Legatus in conſortio Sebaſtiani Pighini Archiepiſcopi Sipontini, & Aloyſii Lippomani Epiſcopi Veronenſis, qui Pontificis nomine Concilio præſiderent.

Concilium Generale Bononiâ transfert Tridentum.

Pòſt hæc Julius rebus Urbanis in gratiam Romanorum intentus, populo annonæ caritate ac fame laboranti, miſſis in varias partes frumentatoribus, advecto tritico, famis incommoda, quantum potuit, ſublevavit. Bella nulla, etiamſi legitima, ſuſcipere in animum induxit: erat enim domeſtici otii, & publicæ tranquillitatis, quoad vixit, amantiſſimus. At nequeunt Pontifices ita ſuis obſequi ingeniis, aut innatis ſtudiis & moribus indulgere, ut non aliquando in civiles Reipublicæ fluctus, ab ipſo tranquillitatis portu, vel inviti rapiantur. Id profectò Pontifici Julio præter opinionem accidit, nam publicæ atque ſuæ quietis percupido Parmenſe bellum (quo deinde latiùs diffuſo, tota Europa deflagravit) repentè irrepſit: cujus belli ea cauſa fuit.

Rem frumentariam curat.

Ad bellum Parmenſe cogitur.

Octavius Farneſius, qui ea conditione, quam paulò antè memoravi, Parmam acceperat, diffidens ſe invito Cæſare ampliùs eam tueri poſſe, Julium Pontificem per fratrem Cardinalem Farneſium rogaverat, ut aut ſibi menſtrua ſtipendia augeret & confirmaret, aut Principis alicujus amicitiam ſequi permitteret, cujus ope ini-

Hujus belli occaſio.

Octavius Gallos recipit, ac Pontificis indignationem incurrit.

tæ ſocietatis jure contra Cæſarem adjutus, Parmam ſibi Eccleſiæ nomine concreditam defenderet. Pontifex aut re non benè intellecta, aut perperàm expenſa, Cardinali ex tempore reſpondit, ut qua poſſet Dux ratione commodiùs ſuis rebus proſpiceret. Hoc accepto reſponſo, ac ſi plenam Julius poteſtatem feciſſet, Henrico II. Francorum Regi Octavius adhæſit, & Gallorum copias in urbis præſidium bona fide recepit. Ob id Pontifex commotus, infeſta ſigna contra Octavium ceu rebellem intulit, & relegato interim Florentiam Cardinale Farneſio, milite & commeatu à Carolo Imperatore adjutus, acerrimum integro anno bellum geſſit. Sed mitis ingenii Pontifex, quum potiùs Cæſaris causâ, quàm ſua ſpontè arma corripuiſſet, belli tumultum pertæſus, pacis fœdera, dum Mirandula & Parma obſidione premebantur, compoſuit. Ante hujus fœderis promulgationem, Joannes Baptiſta *de Monte* Pontificis nepos, dum excurſionem in hoſtes agit, tormenti ictu petitus, ingenti Pontificis mœrore, occubuit.

Nepos Julii occiditur.

Bellum inter Cæſarem & Gallum conflatur.

Hujus occaſione belli, alia ex aliis inter Carolum Imperatorem, Henricum Galliæ Regem, & Mauritium Saxoniæ Ducem, bellorum ſemina prodierunt. Nam Henricus, ut Caroli vires, toti Europæ formidabiles, frangeret; aliquot Germaniæ Principes, & ipſum præcipuè Mauritium, ut à Cæſare deficerent, magnis pollicitationibus ſollicitabat. Eam ob cauſam, nec non Philippi Soceri ſui Haſſiæ Lantgravii, injurioſo carcere provocatus Mauricius, impetu in Rhætos facto, Imperatorem nihil tale ſuſpicantem, in fugam actum, Oenipontum (quod tridui ſpatio Tridento abeſt) depulit. Qua re perterriti Concilii Tridentini Patres, veriti ne hoſtes, occupato jam Oeniponto, Tridentum quoque advolarent, Concilium anno 1552. poſt ſextam ſeſſionem diſſolverunt. Mauricius tanta victoria elatus, inſtaurato contra Albertum Marchionem Brandeburgenſem bello, qui per Germaniam ferro & flamma in Catholicos præſertim debacchabatur, aſpero & periculoſo inito prælio, ſclopeti glande trajectus victor licèt occubuit. Periêre eodem etiam in prælio ſummæ expectationis Principes duo, Victor & Philippus Magnus fratres, Henrici Ducis Brunſvicenſis filii, qui Mauricii partes contra Albertum temerè ſecuti fuerant.

Concilium Trident. diſſolvitur.

Dux Saxoniæ interficitur.

Pontifex moribus emendandis incumbit.

Per id tempus Pontifex domi quietus agens, Tridentini Concilii diſſolutione viſa, certos quoſdam Prtres virtute atque doctrina præſtantes delegit, quibus id negotium dedit, ut poſtquam Concilium ſucceſſu caruiſſet, quæ ad Chriſtiani nominis quietem, & ad morum ac diſciplinæ publicæ correctionem facere viderentur, ipſi diſpicerent, atque emendarent. Ea res aliquandiù ſedulò agitata, obortis tandem multis difficultatibus, ac impedimentis, poſt aliquot demum menſes vel refrixit, vel in aliud tempus dilata fuit.

Eduardo in Regno Angliæ ſuccedit Maria.

Cæterùm anno 1553. Eduardo VI. Anglorum Rege mortuo, Maria ſoror ejus, præſtantiſſima virgo, Henrici VIII. & Catharinæ Arragoniæ Cæſaris Caroli V. materteræ filia, Regnum non ſine manifeſto divini Numinis auxilio ſuſcepit. Tum Julius Pontifex Reginaldum Polum Cardinalem Anglicum, qui tunc in Monaſterio

ſterio *Maguerano* ſuper lacum Benacum agebat, Legatum in Britanniam Inſulam ſumma cum poteſtate creavit, ut qua ratione poſſet, eam ad Catholicæ fidei unitatem revocaret. Polus non anteà Italia excedere conſtituit, quàm Anglici Regni conditio ei explorata eſſet, quod ob ſuperiora ſchiſmata, maximis turbulentiis plenum eſſe exiſtimabat. Julius ea de re Cardinalem Dandinum apud Cæſarem in Belgio Legatum monuit: qui Joannem Franciſcum Comendonum Venetum Pontificis Cubicularium, miniſtrum impigrum & acri virum ingenii, ad ſe à Pontifice miſſum, ſtatim in Inſulam trajicere juſſit, ejus ſtatum, & opportuna quæque exploraturus. Is Londinum nemine vetante ingreſſus, ac munere ſuo egregiò functus, Reginam ſæpè ſæpiùs allocutus eſt: à qua etiam Syngrapham accepit, qua obedientiam Apoſtolicæ Sedi fideliter pollicebatur, & ſchiſmatis abſolutionem pro Regno petebat. Commendonus cum iis mandatis Romam rediens, cuncta Pontifici ſecreto in Conſiſtorio aperuit. Rebus ita conſtitutis, Polus Legatus in Angliam, ad expiandum luſtrandumque Regnum, & Catholicos ritus reſtituendos, jam ſecurus acceſſit, honorificè à Regina, Proceribus, ac tota Inſula receptus. Maria verò, quum eſſet Catholicæ religionis & veræ pietatis cultrix ſtudioſiſſima, eodem Legato auctore antiquum & certum Dei cultum, vigeſimo antè anno ab Henrico patre diſſipatum, Anglis reſtituit: profanum titulum (quo Rex Henricus abuſus fuerat) *Anglicanæ Eccleſiæ ſupremi capitis* ſuſtulit: Oratores ſuos Romam, reliquorum Chriſtianorum Principum more, ad Pontificis venerationem, & ad præſtandam obedientiam miſit; veniam & peccatorum condonationem ſupplici prece poſtulantes: quod unum eſt Romani Pontificis auctoritatem ſuſcipientis indubitatum argumentum: Epiſcopos quoque Catholicos, hæreticis pulſis, conſtituit. Quas ob lætiſſimas & inexſpectatas res, Romæ ſupplicationes ſolemnes habitæ, & Deo grates publicè, ſacris à Pontifice myſteriis celebratis, perſolutæ. Quo etiam anno Philippus Caroli V. Auguſti filius, eàdem Mariâ in matrimonium acceptâ, Regna utriuſque Siciliæ, Mediolanenſem Principatum, & Belgium cum aliquot aliis Provinciis (à patre Carolo Rex appellatus) jure hæreditario accepit. Qui, ut Catholico Principi par erat, primo quoque tempore Legatum Romam ad Pontificem miſit Piſcariæ Marchionem, qui Regum veterum more Neapolitani Regni (quod Romanæ Eccleſiæ beneficiarium eſt) jurejurando Regis nomine præſtito, legitimam poſſeſſionem obtineret: quæ ei in publico conſiſtorio benignè à Pontifice conceſſa fuit. De his omnibus, quæ Angliam ad fidem reverſam concernunt, pleniùs egimus in Purpura docta *libro IV. n. 49.* in vita Reginaldi Cardinalis Poli.

Reginaldus Polus eò legatur.

Angliam ad fidem revocat.

Roma eapropter Deo gratias agunt.

Maria Philippo Hiſpano nubit.

Cùm verò Julius Pontifex, ingraveſcente jam ætate, haud ſatis proſpera uteretur valetudine (podagra enim & articulorum doloribus laborabat) initio anni 1555. menſe Februario, levi, ut videbatur, morbo decubuit, concepto ex commutata temerè vitæ ratione. Ad arcendos namque podagræ intolerabiles cruciatus, quum imprudenti medicorum conſilio, novis ſe in victi præceptis muni-

Julius agrotat.

muniiſſet, incidit in febrem, quæ initio neglecta, paulatimque aucta, eum tandem intra paucos dies, decimo Kalendas Aprilis, Romæ in Vaticano palatio confecit, anno ætatis ſexageſimo ſeptimo ſupra menſem ſextum, & diem decimum quartum, poſtquam ſediſſet annos quinque, menſem unum, & dies ſedecim.

Moritur.

Morbi & mortis origo.

Sunt, qui conſtanter affirment, Julium ſibi hac ratione mortem acceleraſſe. Balduinus Pontificis frater pro ſe, & filio Fabiano, cui filiam Coſmi Florentiæ Ducis deſpondi curaverat, Camertii Urbe potiundi ardenti deſiderio æſtuabat, fratremque Pontificem ſæpiùs interpellatum eò adegerat, ut ei promiſerit, ſe ea de re in Conſiſtorio quamprimùm relaturum. Cùm verò Pontifex omnes ferè Patres ſententiæ ſuæ adverſaturos intellexiſſet, rem procraſtinando differebat; & ne Conſiſtoria indicere, à fratre importuno cogeretur, languorem finxit, utque rei fidem magis faceret, ſolitis cibis abſtinere, eoſque parciùs, quin & inſolitos, ægrotoque ineptos, ſumere cœpit. Ex ea vitæ ratione, ludicrè commutata, morbum feriò contraxit, qui eum jam ſenem breviſſimè abſumpſit. Sunt etiam, qui ſcribant, eum veneno interiiſſe: cùm, ut Panvinius narrat, externa quæque parùm curans, fruendo potiùs, quàm regendo Pontificatui incumberet, totuſque eſſet in extruenda elegantiſſima ad voluptuarios ſeceſſus extra portam Flaminiam villa Julia, cujus inſanire ſtudio videbatur, in qua conviviis potiùs, quàm publicæ procurationi vacabat. Ea re nonnullos ſuboffenſos, delitioſo ſeni venenum ſecretò propinâſſe. Addit ex Onuphrio Oldoinus, ſi Julius vitæ, quam privatus olim egerat, inſtitutum conſtanter in Pontificatu ſervâſſet, multa, quæ eo tempore depravata erant, fuiſſent haud dubiè in meliorem formam reſtituta.

Sugillatur à nonnullis.

Julii cadaver Canonicorum S. Petri humeris in Vaticanam Baſilicam tenui pompa delatum, triduoque populo expoſitum, laterítio monumento inter Pii II. & III. ſepulchra conditum eſt, inde ſub novi Templi pavimentum tranſlatum. Noſtris hiſce temporibus viſitur hujuſce Pontificis ſepulchri delineatio in cryptis Vaticanis ſolo nomine ſic inſcripto: JULIUS III. cujus exemplar æri inciſum Oldoinus *in addit. ad Ciaconium* exhibet.

Fuit Julius procero corpore, prolixa barba, acribus oculis, grandiore naſo, ſubagreſti vultu, ore paululùm contracto: animo benigno & integro, mirificus juſtitiæ & æquitatis cultor, moribus ſuavis, ad iram facilis, ſed ea efferveſcente, mitiſſimus: Sermone blandus, diſertus, comis: Scientia eruditus, aditu non difficilis, ad liberalitatem propenſus; publicæ pacis, & domeſticæ quietis ſtudioſiſſimus. Deiparæ Virginis cultor eximius: S. Ignatii Loyolæ, ejuſdemque Societatis amator & fautor mirificus: quem Orlandinus *in Hiſtoria Societatis part. 1.* paucis, ſed bellè celebrat: Petrus item Maffeus *in vita S. Ignatii*; & Horatius Turſellinus *lib. 3. c. 12. Hiſt. Lauretan.*

Julii Imago.

Sub Julio III. ſancta morte ad ſuperos evolavit Societatis Jeſu miraculum B. Franciſcus Xaverius: qui cùm poſt reditum è Japonia

nia ad Sinas ultimos Aſiæ populos urbibus, oppidiſque frequentes, tranſire Evangelii iis prædicandi ergô percuperet, appulſus eſt in *Sancianum*, ejus regionis Inſulam incultam & deſertam, triginta leucis à continenti diſtantem: ad quam per id tempus commercii causâ commeare ſoliti Luſitani, Sinæque raptim ſibi tuguria è ramis, vel ſtramine conſtruere, atque in diſceſſu diſturbare conſueverant: arcebantur enim cuncti exteri omni in continentem appulſu; eratque Sinis capitale quemcunque injuſſu Præfectorum inferre: dum in eo eſſet, ut clàm magno pretio transveheretur in ſuburbia civitatis Cantonis, morbo correptus, in ſumma rerum omnium egeſtate, cumulatam meritis animam cœlo conſignavit IV. Nonas Decembris anno Chriſti 1552. ætatis quinquageſimo quinto, peregrinationis ſuæ Indicæ undecimo. Cujus ſacrum corpus cum ipſis veſtimentis à Luſitanis, qui aderant, in arcam concluſum, viva coöpertum eſt calce, quo celeriùs exeſis carnibus nuda ſecum oſſa in Indiam deportarent. Quod poſt diverſas pluribus in locis ſtationes miraculis ubique corruſcans, demum Goam Indiæ metropolim poſt quindecim circiter menſes, nempè Martio 1554. delatum, integrum vividumque, omnis tabis & corruptionis expers, ſuaveque olens repertum, ſumma pompa ac veneratione ibidem Goæ in Templo S. Pauli Societatis Jeſu conditum eſt, ubi hodiedum ſtupendis ſignis clarum quieſcit. Manſit autem centum annis adeò illibatum, flexile, ac ſucci & ſanguinis plenum, ut dormire videretur, donec ei exciſo, juſſu Pontificis, brachio, ut deportaretur Romam, quod decies octies centena hominum millia ſacris aquis intinxerat, ſiccatum eſt.

Beata mors S. Franciſci Xaverii.

Ejus cadaver incorruptum miraculis corruſcat.

Porrò Julii Pontificis zelo ac liberalitati in acceptis refert Germania, quòd Romæ Collegium magno religionis emolumento inſtituerit, in quo juvenes litteris ac virtutibus erudiendi alerentur Germani, qui poſteà in paſtores Eccleſiis præpoſiti, catholica Evangelii expoſitione, Eccleſiam conſolidarent in patria diviſam. S. Ignatio Loyolæ curam Julius commiſit, aſſignatis in ſingulos annos mille quingentis aureis. Hujus initia quamvis parva & humilia, Deo tamen incrementum dante, in altiſſimam arborem excreverunt ſub felici ac glorioſo regimine Gregorii XIII. ut ſuo loco dicturi ſumus.

Collegii Germanici Inſtitutio Romæ à Julio facta.

SCRIPTA.

Scripſit Julius III. Orationes multas & elegantes Vernacula & Latina lingua, præter illam, quam adhuc juvenis cum plauſu habuit in quinta Seſſione Lateranenſis Concilii ſub Julio II.

Julii Scripta.

Literas plures, dedit ad Ægidium Viterbienſem Cardinalem, quarum nonnullæ inter *Epiſtolas Principum* editæ inveniuntur.

Alias item ad Imperatorem Carolum V. ad Henricum II. Galliæ Regem; Ad Mariam Angliæ Reginam, aliosque Principes, ac Magiſtratus Chriſtianos.

Ejus Conſtitutiones variæ habentur in parte prima Bullarii: Victorellus *in Notis ad Ciaconium* nonnullarum mentionem facit, quæ videri poſſunt.

Opera Eidem dicata. Julio III. Paulus Jovius Hiſtoriam ſuam inſcripſit; Eidem Julianus Cæſarinus *Ejuſdem Conclave*, & *Diaria*; Seraphinus Eccleſianus carminibus Julii inſignia exornavit; & Joannes Baptiſta Paulianus Librum *de Jubilæo* dedicavit.

Liberalitatem denique tanti Pontificis cum gratiarum actione, hac ode & carmine celebravit Fauſtus Sabæus Poëta ejus ævi non ſpernendus.

Donâſti unde meam poſſum traducere vitam,
Laſſula & ægra & inops, quæ reparanda fuit.
Et quod debebant alii longo ordine nobis
Pontifices ſolvis, Maxime Pontificum.
Quid tibi retribuam, JULI, niſi carmina & Odas?
Hæc ſunt Principibus gloria, ſplendor, honos.
Aurea dona Duces dent, Reges gemmea, utrique
Nec majora illis, nec meliora dabunt.

ANNO CHRISTI MDLV.
Imperatore CAROLO V. Auguſto.

DE

MARCELLO II. Pontif. Max.

CCXXVI.

Marcelli primordia. MArcellus II. Cervinus *de Spannochiis*, non obſcuris natalibus, patre Richardo Provinciæ Marchiæ Anconitanæ Theſaurario Apoſtolico, litteris & Aſtrologiæ viro peritiſſimo; & Caſſandra Bencia nobili & ſanctiſſima fœmina, in Civitate Politiana, pridie Nonas Maij anno à partu Virginis 1501. naſcitur. Qui præclaro ingenio præditus, à prima ætate liberalibus diſciplinis patris ſtudio educatus, poſtquam adolevit, Senis, ubi bonarum artium ſtudia tum maximè florebant, aliquandiù commoratus, atque in Academicorum cœtum coöptatus, virtutis ac eruditionis ſuffragio, omnium favorem ſibi ità conciliavit, *ut* (teſte Panvinio in vita) *ab æqualibus ut frater, à majoribus ut filius, ab omnibus ut abſolutum probitatis exemplar diligeretur.*

Vir rectus & innocens. Tanta autem fuit morum innocentia, pietate, modeſtia & continentia, ut cùm quid non ſeriò, ſed per jocum inter amicos aut æquales paulò liberius fortè ageretur, aut diceretur, adventu Marcelli omnes illicò conticeſcerent. Naturæ verò gravi & ſeveræ, ſic illuſtre ingenium & induſtriam adjunxit, ut jam inde à primis ipſius annis facilè quivis divinare poſſet, eum quandoque ad ſummam honoris, atque imperii dignitatem tot virtutibus perventurum. Sanè pater ipſius Richardus Aſtrologiæ, ut dixi, peritiſſimus (quanquàm judiciariam averſaretur) Marcellum filium, *Ei pater Pontificatum prædicit.* maximum in Eccleſia Dei virum evaſurum pro certo ſibi perſuaſerat: qui animadverſo ſtellarum curſu, qui tum erat cùm puer naſceretur, ex earum conjunctione ſummum ſacrorum Principatum filio præ-

prædixiſſe fertur. Cui quidem perſuaſioni poſteà Marcellus indulgens, cùm poſt multos annos à propinquis ſuis ad non ſpernendas nuptias incitaretur, conſtanter recuſavit, per jocum ſæpè dictitans; *Nolle ſe longè clariorem ſtatûs conditionem, quam ſibi aſtra portenderent, matrimonio veluti vinculis impedire.*

Poſtquam Senis diſceſſit, ubi præclaram litteris ac virtutibus, nonnullis annis operam dederat, Romam patris juſſu profectus eſt. Ibi cùm ad bonos in primis, & doctos viros ſe ſe conferret, cognita ſtatim eſt excellens ejus doctrina, probitas, & prudentia, erupitque illicò ad hominum exiſtimationem & admirationem. Quamobrem Paulus III. Pontifex, ut erat ingeniorum æſtimator acerrimus, eum ad ſe vocatum Alexandro nepoti Farneſio Cardinali, tum quidem admodùm adoleſcenti, ſed maximis graviſſimarum rerum negotiis præpoſito, moderatorem adhibuit: Nec eo contentus, Protonotarii Apoſtolici dignitate auctum, Pontificio etiam Scrinio, & Reipublicæ procurationi præfecit. Quibus quidem in muneribus uſque adeò Pontificis judicio, quod valdè accuratum erat, exactè reſpondit, ut quum omnia Princeps oculatiſſimus laudaret, prudentiam tamen hominis, integritatem & fidem admirari ſatis non poſſet. Unde factum, ut nullum jam negotium, nulla legatio, Marcelli conſilio & viribus non digna videretur. *Paulo III. ſummoperè probatur.*

Ac primùm quidem ad Cæſarem uxoris obitu mœſtum in Hiſpaniam conſolandi gratia, cum ampliſſimo adoleſcente Farneſio Cardinale à Pontifice miſſus, ſic inde diſceſſit, ut Cæſari in domeſtico luctu, admirandæ ſuæ prudentiæ jucundum reliquerit deſiderium. Poſt hæc eidem Alexandro Cardinali ad Cæſarem, & ad Galliæ Regem maximis de rebus proficiſcenti, iterum comes ac adminiſter datus, ab optimo Pontifice Neocaſtrenſem Epiſcopatum virtutis ergô promeruit. Nec ita multò pòſt, cùm adhuc negotiis diſtentus in Belgio ageret, abſentem Pontifex frequentiſſimo Senatu, ſummo cum verborum honore commendatum, XIV. Kalendas Januarii anno ſalutis 1539. Presbyterum Cardinalem S. Crucis in Hieruſalem pronunciavit, Alexandroque nepote Reipublicæ causâ redire juſſo, hunc ipſum ad Cæſarem, annuente ſacro Senatu, legationis munere decoravit. *Ad Cæſarem legatur.* *Inſula Neocaſtrenſi, ac mox purpurâ ornatur.*

Eo deinde Romam ex obita ſtrenuè legatione accerſito, atque infula Rhegienſi ornato, nihil uſquam domi foriſque Pontifex egit, vel agere cogitavit, in quo Marcelli ad omnia apti operâ non uteretur, totâ in univerſum Reipublicæ curâ atque tractatione, vel ei creditâ, & certè cum eo communicatâ. Tridentino poſteà Concilio indicto, & miſſis eò, qui præeſſent Legati, Petro Paulo Pariſio, Jo: Morono, & Reginaldo Polo Cardinalibus, non ita multò pòſt Pariſio & Morono revocatis, hunc Marcellum cum Joanne de Monte (qui fuit Julius III.) in diſcedentium locum ſubrogavit. Multa hic dedit Marcellus Chriſtianæ pietatis & virtutis documenta, multa eximiæ libertatis & fortitudinis in pontificia poteſtate tuenda ſpecimina, ut non immeritò Tridentinæ illius actiones ſummum ei Pontificatum peperiſſe ſint viſæ. *Inſula Rhegienſi ornatur.* *Legatus mittitur ad Concil. Trid.*

Secutum eſt tempus, quo (Paulo mortuo) Julius III. Pontifex

fex maximus Patrum ſuffragio eſt renunciatus. Hujus ipſe Pontificis parùm nobili otio gaudentis, diverſum vitæ inſtitutum cùm minimè probaret; & à pleriſque ejus conſiliis perſpiceret, ſe non poſſe in multis ab eo non diſſentire, Senatu ſæpè de induſtria abſtinuit. Poſteà autem veritus, ne Pontifex Camerinum Eccleſiæ ablatum Balduino fratri (quemadmodum facturus videbatur) dono daret; ne eisdem conſiliis intereſſe cogeretur, ex levi febricula aëris intemperiem cauſatus, Eugubium, cujus oppidi Epiſcopum agebat, ſeceſſit. Eo adhuc Eugubii commorante Julius Pontifex Medicorum conſilio, temerè mutata victûs ratione, febre correptus è vita exceſſit. Jam verò uno omnium ſtudio, una conſenſione, nihil cunctati Patres, Marcellum nihil molientem, ſed omnia meritum, incredibili gaudio plauſuque, v. Idus Aprilis anni 1555. ad ſummam rerum evexerunt. Pontifex declaratus, ſervato veteri nomine, altera ſtatim die à Joanne Petro Caraffa Epiſcopo Oſtienſi (qui paulò mox eidem in Pontificatu ſucceſſit) priſco ritu inauguratus, ſupremæ dignitatis inſignia in Baſilica Vaticana accepit, magna omnium expectatione, ac ſpe publicæ felicitatis: præfulgebat enim ſanctitate, moribus, & doctrina, ſic ut ſola ejus vita omnium cenſura haberi poſſet.

Pontifex creatur.

Pontificatum integerrimè adminiſtrat.

Initio Pontificatus, rogantibus eum Cardinalibus, ut priſco inſtituto, ei Diplomati ſubſcriberet, quo vi juramenti ad certum tantùm numerum creandorum Cardinalium obligaretur, reſpondit: *Nolle ſe id verbis, ſed re ipſa præſtare.* Multa etiam de Pontificii muneris difficultate cum Hercule Gonzaga Cardinale loquutus, inter alia hoc adjecit: *Se procul dubio ſcire, optimum eſſe pauca dicere, multa verò facere: plura tamen ſe ideò polliceri, ut ita fide obligata, à præclarè cæptis reſilire, aut à recta via, quam ſemel deſtinaſſet, curſum inflectere (memor promiſſi) erubeſceret.* Statim verò Cæſaris ac Gallorum Regis Oratores ad ſe accitos, graviſſima oratione monuit, ut de iis, quæ ipſe eorum Regibus ſcripſerat, & ipſi eoſdem certiores facerent, ut in pace ineunda pro communi Eccleſiæ tranquillitate conſentirent: quòd ſi recuſarent, præter Nuncios & Legatos, quos miſſurus eſſet, ſe ipſum quoque ad eos hortandos profecturum. Cùm ab Oratore Regis Hiſpaniæ, ad dandam cuidam nobiliſſimo Romanorum homicidii reo veniam, ſupplici prece interpellaretur, ut conſentiret, exorari non potuit; affirmans: *Indignum prorſus eſſe Pontifice, Pontificatum ab homicidii abſolutione auſpicari.* Cardinali Tridentino Chriſtophoro Madrutio, Cæſari addictiſſimo, legationem Bononienſem, quam unicè ambierat, concedere recuſavit: ne Cæſareanis magis, quam Gallis favere videretur, inter quos, tanquam communis Pater, medium ſe gerere, & pacem, qua tandem ratione poſſet, componere conſtituerat. Eidem tamen Tridentino, legationis loco, decem millia aureorum largitus eſt, quibus labores ejus atque expenſas in Concilio Tridentino factas, aliqua ex parte ſublevaret: decreverat enim legationes omnes biennales tantùm eſſe, quo temporis ſpatio Bononienſem legationem, eam pecuniæ ſummam reddere poſſe, non ignorabat.

Principes ad pacem hortatur.

Juſtitia tenax eſt.

Auditores Rotæ ſe ſalutatum priſtino more venientes, in poſte-

poſterum domi ſe continere, & parùm neccſſario ſalutandi officio omiſſo, munere, ſuo ſtudioſè vacare juſſit. Audiendis verò iis, qui negotiorum cauſa advenerant, totus incubuit. Illud etiam crebris ſermonibus uſurpare ſolebat; *Se nunquam permiſſurum, ut quibus eſſet animarum credita adminiſtratio, à ſuis abeſſent Epiſcopatibus & Eccleſiis; nevè politica Juriſdictionis munia tractarent, quando id Eccleſiaſticâ diſciplinâ indignum, & Antiſtitum numeri ac ſanctitati turpiſſimum videretur.* Quare viris tantùm profanis, nulliſque ſacris ordinibus initiatis, hujuſmodi officia, omnemque politicam juriſdictionem committere cogitârat.

Epiſcopos ad curam animarum amandat.

Decreverat item|, ejectis ex aulico miniſterio cunctis indignis, ſe neminem in Palatinis, niſi qui honeſtis moribus, & frugi eſſet, cujusque opera foret neceſſaria, eſſe paſſurum: Luxum enim, malorum omnium cauſam eſſe, & ipſum peſſimum dictitabat. Quare etiam profuſas ſuperiorum Pontificum ſportulas, in modicam pecuniæ ſummam, vix Pontificatum adeptus, contraxerat. Collegium item Cardinalium ſummoperè exornare cupiens, neminem mortalium, niſi teſtimoniis ſummorum virorum fultum, in eorum numerum (veteri lege repetita) admittere conſtituit.

Morum decorem procurat.

Quanquam autem illud in ore habuerit, ſe vectigalia, atque onera publica, per ſuperiores Principes impoſita, vel aboliturum, vel ad modeſtam quandam rationem redacturum, initio tamen Pontificatus ærario exhauſto, & magno ære alieno inſuper preſſo, coäctus eſt præter animi ſui ſententiam propoſitum mutare, & ſubſidium illud triennale trecentorum millium aureorum à Paulo III. indictum continuare, quo maximis Eccleſiæ depauperatæ neceſſitatibus conſulere poſſet. Cupiebat namque mirum in modum, æs alienum, quo Eccleſia tenebatur, ante omnia expungere. Unde nulla ſe bella geſturum, nulla ædificia fabricaturum, nec ſuis Principatus empturum, palàm conteſtabatur. Qua parſimonia illud ſibi certò perſuadebat, brevi Eccleſiam Romanam ære contracto liberandam fore. Cùm aliquando ejus menſæ cochlear, aliaque vaſa aurea appoſita eſſent, argentea ſufficere dixit: clibanum pro argenteo æneum quoque voluit: ex reliquis id genus vaſis ſuperfluis, pecunias uſibus Apoſtolicæ ſedis opportunas conflari præcepit. Ferunt, ipſum in animo quoque habuiſſe, Parmæ ſtatum mutare, Camerinoque Principatu Farneſiis reſtituto, Parmam Eccleſiæ, cujus erat, reſtituere.

Eccleſiæ conſulit.

Parſimoniæ ſtudet.

Rebus compoſitis, viros militares, ac prorſus omnem belli apparatum à ſe abigere, & in Eccleſiaſticæ ditionis limitibus, procul ab Urbe, ad ipſos tuendos fines conſtituere voluiſſe fama eſt. Quin & eundem cogitâſſe aliquando, de ipſis etiam Germanis corporis cuſtodibus exauctorandis; illud ſæpè repetens: *Multos Principes ſalutari ſigno Crucis potiùs, quàm armis adverſus hoſtes defenſos: Pontificem verò Romanum, qui pro Deo & Petro univerſam Eccleſiam gubernaret, ſcutis aut gladiis non indigere: unde ſatiùs eſſe, ipſum ab impiis & ſceleratis, ſi ita caſus ferret, occidi; quàm Reipublica Chriſtiana tam indecorum exemplum præbere.*

De corporis cuſtodibus exauctorandis cogitat.

Religionis Chriſtianæ diſſidiis, & vel maximè hæreſibus, quæ

Ddd dd 3 tunc

Hæreſum ac diſſidiorum oſor exiſtit.

tunc vigebant, angebatur: & procul dubio, ſi diutiùs vixiſſet, omnem operam ſuam & ſtudium in eo collocaſſet, ut ſublato ſchiſmate perduelles ad concordiam redigeret, vel generali Concilio, quod ſemper expetivit, vel alia via ac ratione, quam meditabatur.

Ejus ſobrietas.

Sanctiſſimam hanc ejus mentem (inquit hoc loco Panvinius) *ego non aliis referentibus, ſed ex familiaribus ſermonibus inter nos habitis, dum Cardinalis eſſet, optimè novi: me enim multùm dilexit.*

Doctis & virtute præſtantibus viris plurimùm favebat, eorumque colloquio & familiaritate mirè delectabatur. Cibi, vinique abſtinentiſſimus, non lautiùs Pontifex, quàm privatus olim, convivabatur: Inter epulas maximè ſobrius, ſacrorum librorum prælectione, ad morem priſcorum Patrum, animum paſcebat. Ab

Ejus notabile dictum.

Propinquis extollendis abſtinet.

Anagnoſte aliquando prælegi ſibi in menſa, memoranda illa Hadriani Papæ IV. verba audiens; *Romano Pontifice nemo eſt miſerabilior; conditione ejus nulla miſerior! Totius enim vita lætitia & felicitas, amaritudo eſt: Cathedra Romani Pontificis eſt ſpinoſa; iter undiq; conſertum aculeis: pondus tantæ molis, ut robuſtiſſimos premat & confringat humeros:* altum ingemiſcens, manuque menſam percutiens; *Non video*, dixit, *quomodo, qui hunc altiſſimum locum tenent, ſalvari poſſint!*

Neminem propinquorum ſuorum (quod mirum videri poſſit) ſe Pontifice, Romam venire voluit, ne fratrem quidem germanum: duos parvulos Alexandri fratris filios Richardum, & Herennium, quos ipſe in Urbe educabat, à nemine ſalutari, raro etiam in publicum prodire, præter quàm ad ſacra, paſſus eſt: eos verò ſericeis veſtibus indutos, modeſtiæ admonendos curavit, nec brevi eo tempore, quo Pontifex fuit, ad alloquium admiſit. Interpellatus ab amicis, an in Palatium ex privatis ædibus introducendi eſſent? reſpondit: *Quid illis cum palatio? eorum fortè id patrimonium*

Ejus Imago.

ne eſſe cenſetis? Sed nec tria, quæ obtinebat Sacerdotia, ulli propinquorum, at viris duntaxat virtute & doctrina conſpicuis donavit: addens; *nihil carni & ſanguini ex Chriſti patrimonio deberi.*

Ipſe verò, quoad vixit, ob aſſiduos labores, Eccleſiæ Dei cauſa ſuſceptos, minùs proſpera fruebatur valetudine: fuit autem honeſto corporis cultu, facie decorus, ore venerabilis, ſtatura procerus, corpore gracilis, capillo ſubflavo, ſuperciliis diſparibus, quippè altero paulò eminentiore, moribus ſuavis, modeſtus, quietus, temperatus, in inceſſu & motu gravis, liberalis pro cenſu, in eleemoſynis largus; & quanquàm rarus in riſu, tamen quandoq; facetus, & (ut verbo multa dicam) talis, in quo ſanctitatis ſpeci-

Sanctè moritur.

men in corrupto illo ſæculo maximè relucebat. Hic præclarus vir, cùm non ſat firmis (ut dixi) viribus eſſet, ac propterea anno ſuperiori diù etiam febri laboraſſet, fracto demum per publica negotia corpore, incidit in morbum lethalem, quo ſenſim ingraveſcente, ac etiam apoplexiam invehente, Pridie Kalendas Maij anno 1555. vigeſimo ſecundo Pontificatus die, vitæ anno quinto & quinquageſimo (maximo ſui apud bonos omnes deſiderio relicto) rebus humanis exemptus eſt. Cadaver publico luctu, ſuccolantibus S. Petri Canonicis, in Vaticanam Baſilicam delatum, marmoreo monumento, cum hac inſcriptione, conditum eſt.

MARCELLUS II. CERVINUS POLITIANUS
PONT. MAX. SEDIT DIES XXII. VIXIT ANNOS LV.
OBIIT PRID. KAL. MAII MDLV.

Scribunt Ciaconius & Genebrardus, Marcellum veneno periiſſe, quod impius Chirurgus ære corruptus à Marcelli hoſtibus, oculto ulceri, quo pridem crus ejus infeſtabatur, illiniſſet. Panvinius verò Marcello præſens & familiaris, nulla veneni facta mentione, naturali morte eum deceſſiſſe affirmat.

Fauſtus Sabæus, inſignis ejus ævi Vates, Marcelli cineres hoc carmine proſecutus fertur.

De eo Carmen.

Non ut Pontificem ſummum, ſanctumq; decebat,
Marcelle, *indigno conderis hoc tumulo:*
Parce; ubicunque jaces, ſemper celebrabere: honorat
Non tumulus cinerem, ſed cinis ipſe locum.

De Marcelli Meritis, virtutibus, doctrina, & ſanctitate Auctores quique clariſſimi teſtimonium reddidêre ampliſſimum: magnam horum claſſem inducit Auguſtinus Oldoinus *in Additionib. ad Ciac.* qui lectoris animum uberrimè, ſi legere non piguerit, oblectabunt.

S C R I P T A.

Scripſit Marcellus, artium liberalium cognitione, & ſcientiarum graviorum laude præſtans, *Ejus Scripta.*

Quamplures inſignes Orationes Latino ac Hetruſco ſermone.

Epiſtolas item varias, amœnas, graves, nitidas; quarum quatuor leguntur *inter Epiſtolas* Friderici Nauſeæ; & duæ ad Julium III. inter *Epiſtolas Principum*, Romæ cuſas. Reperiuntur etiam ejuſdem aliæ multæ ſub nomine *Alexandri Farneſii Cardinalis*; cui à ſecretis fuit. Unam verò maxime inſignem ſcripſit ad Carolum V. Imp. & Henricum II. Galliæ Regem *de ineunda pace.*

Poëmata item Sacra, & Inſcriptiones varias.

Conſtitutionem *de prorogatione ſubſidii 30000. ſcutorum,*

Quæ habetur in Collectione Romana.

ANNO CHRISTI MDLV.
Imperatoribus Carolo V. & Ferdinando I. Auguſtis.

DE

PAULO IV. Pontifice Maximo.

PAulus IV. cui Joanni Petro Caraffæ ante Pontificatum nomen erat, cùm adhuc eſſet Cardinalis, pari fuit inter ſacri Ordinis Senatores virtutis ac literarum merito, priſcis illis atque ſanctiſſimis Chriſtiani ordinis Patribus facilè comparan- *CCXXVII. Paulus IV. ob vitæ integritatem & do-*

ſtrinam priſcis Patribus comparandus parandus. Sed & multò quoque anteà, quàm purpuræ honorem conſequeretur, iisdem veteris Chriſtianæ diſciplinæ moribus venerabilis, ad Urbem ſimul & ad Vaticanas ædes ab Hadriano VI. evocatus, ſupra cæteros ferè, qui tum Romæ clari conſpiciebantur, ſacratos viros, doctrina, linguarum cognitione, virtutibus, rerum peritia, ac potiſſimùm religionis zelo, conſtanter eminuit: ità ut, quum jam inde à multis annis omnium eſſet in admiratione, optimam ſanctiſſimamque ſui memoriam relicturus fuiſſe videretur, in Pontificatum ſtatim adeptus, inconſulto conſilio, ſumptis ipſe armis, excitatiſque de novo, quæ refrixerant inter Chriſtianos Reges, bellis, eandem nonnihil corrupiſſet. Quanquam non deſint præclari Auctores, qui Paulum ad id bellum, quo injurias Eccleſiæ ulciſceretur, pertractum potiùs, quàm temerè prolapſum velint.

Pauli genus, patria, parentes. Natus eſt Paulus tertio Kalend. Julii anno reparati orbis 1476. regnante Neapoli Ferdinando I. Arragonenſi, ac Sixto IV. Eccleſiæ ſacris præſidente, in oppido Caprilìæ, qui vicus eſt in Hirpinis (ſeptimo ferè lapide à Benevento) propè *Furcas Caudinas*, Romanorum olim clade celeberrimas, illuſtribus ſanè ac opulentis parentibus Joanne Antonio Caraffa, & Victoria Camponeſca, inter Neapolitanos Proceres eâ, ac noſtra ætate facilè primis. Fratrem habuit natu majorem Joannem Alphonſum paternæ virtutis, opumque hæredem: ſorores omninò quinque, quæ omnes illuſtribus è Neapolitana nobilitate viris in matrimonium datæ ſunt, præter unam natu maximam Mariam nomine: hæc enim altiori ducta ſpiritu, mortales nuptias ac thalamos deprecata, immortali ſe Deo ceu ſponſo conſecratam ritè voluit, ac in Monaſterio *Sapientiæ*, quod ipſa Neapoli fundavit, vixit obiitque ſanctiſſimè, dierum ac meritorum plena.

Eiuſdem vitæ primordia Educatus eâ curâ puer eſt, qua ſolent nobiles, atque optimorum parentum non degeneres filii: illuxêre ſtatim in ipſa ingenuæ frontis oriſque ſupra puerum gravitate magnæ cujuſdam mentis crepuſcula: facilitas illi, & vigor ingenii, ac memoriæ vis ingens: vultum egregiè honeſtabat, formabatque germanis veluti lineametis modeſtia. Poſtremò ea moribus inerat verbiſque feſtinata maturitas, ut nihil unquam exciderit nobili puero inelegans, aut indecorum. Quæ cùm pater inſpiceret, ut ingenti quidem naturæ accederet par induſtria, ea confeſtim præſidia atque adjumenta parare ſtuduit, quibus in illa, quæ pollicebatur, incrementa virtutum, eximia ſe ſe indoles explicaret. Et ſanè optimis præceptoribus imbuendum puerum tradidiſſet pater, niſi meliorem viris ille morum magiſtram in Maria ſorore moniali nactus fuiſſet. Quæ cùm fortitum egregiam illum animam animadvertiſſet, ceu ſibi potiſſimùm demandata ejus inſtitutionis cura eſſet, eò animum adjecit, ut ad omnem virtutem fratrem fingeret, pulchramque inſtillaret illi mentem. Hiſce ſororis adhortamentis pietati animum uſque adeò addixiſſe viſus eſt puer, ut nihil omninò illi gratiùs, nihil jucundiùs eſſet, quàm Templis immorari; ſacrorum cultu, ac functionibus oblectari; religioſos pioſque viros adire, ſuſpicere, colere.

Maria ſoror morum illi magiſtra.

San-

Sanctiſſimis Patrum Dominicanorum, quibuſcum aſſiduè & cum voluptate verſabatur(erat enim illorum ob paternarum ædium propinquitatem propè contubernalis) moribus illectus, ejus Inſtituti capeſſendi conſilium iniit. Nunquam tamen(ut perperàm ſcripſit Bzovius, aliiq; nullo veritatis fundamento innixi) ſacrum illum habitum revera induit. Neq; veritati conſonum, quod Conſtantinus Cajetanus Siclus è Caſſinatibus monachis Abbas refert, Joannem ſcilicet Petrum Caraffam, abdicatis Theatinis infulis Caſſinenſis inſtituto in Monaſterio S. Severini nomen dediſſe. Contra Cajetanum enim eſt Arnoldus Wion, accuratus admodùm, & Caſſinenſis Scriptor, qui dum ſui Ordinis Pontifices adnumerat, in Conſalvum Illeſcam, hominem Hiſpanum, Hiſtoriæ Pontificalis, hujusque ſententiæ auctorem in hæc verba inſurgit. *Sed quàm longè à veritate aberret Illeſcas, omnibus eſt manifeſtum; cùm nec unquam Joannes Petrus Caraffa Monaſterium S. Severini, ut Monachus fieret, intraverit; nec etiam in matriculis noſtræ Congregationis Caſſinenſis, ut talis inſcriptus inveniatur.* Quo Wionis aſſerto etiam illa æquè corruunt, quæ in eandem ſententiàm deceptus ab Illeſca Gabriel Bucelinus *in Nucleo*, & *Chronologia ad ann. 1558. fol. 257.* de Jo: Petro Caraffa tanquam monacho Benedictino ſcripſit. Non negaverim tamen illum à teneris uſque in extremam ſenectam venerabili huic Ordini addictiſſimum, non tamen ejus membrum, fuiſſe.

Nonnullorum error refellitur.

Paulus adhuc adoleſcens, exquiſito litterarum delectu inſtructus, omnium diſciplinarum, ac præſertim linguarum Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, accuratæ cognitioni, maximam vitæ morumque integritatem adjunxit. Romam profectus, atque in contubernio Oliverii Caraffæ Cardinalis Neapolitani, propinqui ſui, ſanctiſſimè inſtitutus, probitatis & ſcientiæ opinione à Julio II. Epiſcopus Theatinus creatus eſt. Tum non multò pòſt ab eodem Pontifice Neapolim miſſus, Ferdinandum Hiſpaniæ Regem eò venientem, Apoſtolicæ Sedis nomine ſuſcepit: Regnante verò Leone X. Nuncius in Angliam ad colligendum S. Petri vectigal legatus, triennio in ea Inſula manſit. Inde per Oceanum in Hiſpaniam navigans, à Catholico Rege, cujus gratiam Neapoli promeruerat, ad Conſilia admiſſus, Sacelli Regii *magnus Capellanus* deſignatus eſt, quod munus etiam ſub Carolo V. Hiſpaniæ Rege, poſteà Imperatore, uſque ad Hadriani VI. tempora laudabiliter ſuſtinuit. Manſit in Hiſpaniâ annos circiter octo, quo tempore linguam Hiſpanam tam exactè perdidicit, ut in ea natus videretur. Ab Hadriano, quo cum ob morum ſimilitudinem vetus ei interceſſerat in Hiſpania conſuetudo, Romam accerſitus, inter eos Patres relatus eſt, quorum opera & concilio Pontifex in Eccleſiſtica morum cenſura, & inſtaurandis Chriſtianæ diſciplinæ legibus, ad reſtringendam ſolutam Sacerdotum vitam, ſanctioremque gerendi ſummi Pontificatus rationem, uteretur: apud quem tanta ſenſim auctoritate & gratia invaluit, ut ſi diutiùs vixiſſet, eum procul dubio in ampliſſimum Patrum Senatum coöptaſſet.

Epiſcopus Theatinus creatur.

Hadriano VI. ob morum ſimilitudinem charus.

Inſequentibus poſteà annis, Hadriano VI. infectis rebus è vita ſublato, ſedente Clemente VII. quum eum Cæſar Carolus V. Epiſcopatu

Dignitates Eccleſiaſticas abdicat.

ſcopatu Brunduſino ornare vellet, non tantùm recens oblatum Sacerdotium, vetere longè opulentius, recuſavit; ſed etiam, quod jam obtinebat, ſponte Pontifici dimiſit; ſibique ſub monte Pincio (loco ab hominum conſpectu remoto) modicas ædes pro ſolitaria vita tranſigenda in domicilium elegit: Ibi ſacris aſſiduè intentus, novam Clericorum Regularium Congregationem inſtituit, paupertatis, caſtitatis, obedientiæ votis, ritu cæterorum ordinum, ante aram maximam Baſilicæ Vaticanæ, ſolemni cæremonia nuncupatis. Cujus pii Inſtituti Socii primi fuêre Cajetanus nobili Thienæa gente Vincentiæ ortus, Bonifacius Colenſis Alexandrinus, Paulus Conſiliarius Romanus, viri doctrina & ſanctitate conſpicui, qui abdicata rerum omnium terrenarum ſollicitudine, nec redditus poſſidere, nec vitæ ſubſidia à fidelibus petere, ſed ſolis eleemoſynis ſponte oblatis vivere conſueverant. Eam vitæ formam Clemens poſteà VII. dato diplomate, XVII. Kalend. Octobris anno ſalutis 1528. ratam habuit, approbavitque.

Congregationem Clericorum Regularium inſtituit.

Poſt Urbis direptionem (qua multa à nefario milite paſſus eſt) Româ diſcedens, Veronam primùm, deinde Venetias commigravit, ubi longo tempore commoratus, ibidem religioſorum virorum conventu coacto, ad divi Nicolai Tolentinatis ædes, non ſine magna ſanctitatis & doctrinæ opinione, aliquot annis conſedit. Inde Romam à Paulo III. bis per litteras evocatus (qui Caraffæ induſtriam virtutesque noverat) unà cum aliis quibuſdam optimis & præſtantiſſimis viris lectus eſt in Senatum. Purpura igitur inſignitus, ut alia omittam, auctore Joanne à Toleto Cardinale, *Sanctæ Inquiſitionis Tribunal*, Chriſtianæ Reipublicæ ob ſerpentes paſſim hæreſes magnoperè neceſſarium, ut à Paulo III. Romæ inſtitueretur, obtinuit. Cui regendo ipſe cum aliis doctrina & ſanctitate illuſtribus viris electus, quum ſeveriùs id munus, quam multi vellent, exerceret, plurimorum odia contraxit. A Paulo III. ex Preſbytero Cardinali Epiſcopus primùm Albanus, deinde Sabinus, ac mox Archiepiſcopus Neapolitanus electus, poſt Pauli obitum ſub Julio III. Tuſculanam & noviſſimè Oſtienſem Eccleſiam regendam ſuſcepit. Mortuo demum Marcello II. apud quem ob præclaras animi dotes ſummum gratiæ & auctoritatis locum obtinuerat, X. Kalendas Junii anno ſalutis 1555. Comitiis in Vaticano habitis, poſt non longas quidem, ſed acerrimas comitiales contentiones (aliquot ex Collegio Patribus Cæſareanæ factionis vehementer repugnantibus) tandem Alexandro Cardinale Farneſio, qui ei ſtudebat, prævalente, quatuor & quadraginta Patrum ſuffragiis Romanus Pontifex, propè octogenarius, renunciatus, beneficiorum ſibi à Farneſiis collatorum memor Pauli IV. nomen accepit: proximo ſequenti die Dominico, nempe VII. Kal. Junii, majorum more ante Baſilicam Vaticanam coronatus, magnâ hominum, vulgatam ejus ſeveritatem pertimeſcentium mœſtitiâ.

Purpurâ donatur.

Sanctæ Inquiſitionis ſuaſor.

Fit Romanus Pontifex.

Paulus inolitam ſeveritatis famam Pontificatus initio, nova clementiæ laude permutare cupiens, nihil ſe novaturum, ſed cuncta ex veteri inſtituto moderaturum pollicitus eſt. Profuſis deinde ſumptibus, & magnifico apparatu totâ Urbe aulæis ornatâ, comitante

mitante ſacro Senatu, à Palatio Vaticano profectus ad S. Marcum, ad tollendam ſiniſtram multorum ſuſpicionem, privatim & publicè plurima inſuetæ liberalitatis & clementiæ ſigna dedit; & cùm in publicum prodiret, plenis humanitate verbis omnium favorem ac benevolentiam ſtuduit promereri. Ab Oeconomo ſuo rogatus quonam modo ipſe & fratris filii victuri in Pontificatu eſſent? *Munificè*, inquit, *ac Principum more vita nobis ducenda eſt.* Unde vix alios, quàm nobili ſanguine ſatos, ſed probos, ſibi famulari voluit. Quod ſanè mundanæ ſuperbiæ, aut quòd ipſius ſæculi pompas amaret, nemo tribuerit, qui meminerit eum Theatinorum ſodalium vitam non modò duxiſſe, ſed etiam inſtituiſſe, qui paupertatem Evangelicam, eamquè arctiſſimam in primis profitentur. Porrò populum Romanum, præter omnium opinionem, multis amplisque beneficiis proſecutus, eorum privilegia à ſuperioribus Pontificibus conceſſa non ſolùm firmavit, ſed etiam extendit; Tiburque (Cardinali Eſtenſe ab adminiſtratione ſubmoto) eidem conceſſit. Ad levandam Urbis annonæ penuriam, quinquaginta millium aureorum cenſum inſtituit, cujus fidei juſſioni bona Domus hoſpitalis S. Spiritus ſubjecit, quâ pecuniâ frumentum inopi plebeculæ paſcendæ compararetur. Quadrantarium carnis vectigal à Julio III. impoſitum, ſalvis Romanis, extra Urbem tantùm exigi voluit. Multa præterea Julii III. decreta, Romanis inviſa & gravia, levioribus inductis, antiquavit. Tot beneficiis populus Romanus inflammatus, ad teſtificandum grati animi ſtudium, ſolemni decreto, ſtatuam ei marmoream, cùm ipſe æneam nollet, in Capitolio, antiquorum more erexit; & centum ex nobilitate Romana viros, qui ſine ſtipendio Pontificis, per vices perpetui corporis cuſtodes, novo exemplo eſſent, eidem addixit, qui ab eo *Fidei Equites* vocati, honori equeſtri inſigniti fuerunt. Judæos tota Eccleſiaſtica ditione ſparſos, & paſſim Chriſtianis, nullo diſtinctos ſigno, admixtos, certis ſeptis, more Veneto, oppidatim concluſit; & ad eorum avaritiam coërcendam, eorum uſuris modum impoſuit; fœnus à centeſima ad quinquageſimam reduxit; crocei coloris pileum, quo internoſci poſſent, ferre coëgit; omne cum Chriſtianis commercium, niſi quod victui humano neceſſarium eſſet, interdixit; ac bona ſtabilia habere, aut poſſidere iis prohibuit. Synagogas, quibus ſuperſtitiones ſuas celebrarent, præter unam in ſingulis civitatibus ipſos habere vetuit, manente nihilominus, ac ſi plures eſſent, Cathecumenorum annuo decem aureorum pro ſingulis tributo; gravioribusque exactionibus (abrogatis ſemel cunctis privilegiis, quibus à ſuperioribus Pontificibus donati, immanes & intolerabiles divitias per fas & nefas congeſſerant) oneravit. Cardinales Provinciarum Legatos, minorum ordinum Rectoribus ſubrogatis, cunctos revocavit, præter unum fratris filium Carolum Caraffam Cardinalem, Bononiæ Legatum, qui rerum ſummæ præerat. Edito decreto prædia & bona Eccleſiarum malè & ſimoniacè alienata, quæ à multis aut occupata, aut temerè empta fuerant, magno multorum damno, poſſeſſoribus deturbatis, reſtitui juſſit.

Multa clementiæ & liberalitatis ſigna edit.

Benignum ſe probat Romanis.

Vicem ei redd unt Romani.

Judæos legibus adſtringit.

Salubria Decreta condit.

Omnibus Chriſtianorum Principum, in his Reginæ Angliæ, &

Rerumpublicarum Oratoribus, qui gratulatum, & ad ejus venerationem Chriſtiano more Romam venerant, publicis in Conſiſtoriis admiſſis, ingenium rurſum ſecutus, ad ea, quæ depravata ſibi videbantur, emendanda converſus, totus ad tollendos abuſus, ac eliminanda vitia, quæ ſuperiorum temporum negligentiâ irrepſerant, incubuit; ut hac ſaltem ratione Lutheranorum dicteria contra Romanam Curiam obloquentium retunderet. Multa igitur ſummæ ſeveritatis edicta propoſuit, quæ ad diſſolutos civitatis, mores corrigendos pertinebant. Ob eam rem multis inviſus, quamquam pleraque egregio Principe digna ageret; non tam ea grata eſſe poterant, quàm contrà odioſa, ſi quà fortaſsè ſecùs feciſſet. Principio cogitavit de levandis vectigalibus, & oneribus, à prædeceſſoribus extra ordinem impoſitis, ſed ærario inani invento, mentem mutare coäctus eſt, ne graviora indicere poſteà compelleretur. Multa Julii III. quæ nunquam probaverat, decreta induxit: aliquot ex ejus familiaribus ſuſpectis, quorum Julius conſiliis utebatur, in carcerem conjectis, Urbis Præfectum Urbini Ducem, in locum Horatii Farneſii paulò antè interfecti ſuffecit. Oſio antiquo familiari Datario declarato, *Datariatûs* redditus ſuſpendit, eumque ſeverè admonuit, ut nullas pecunias pro impetrandarum quarumlibet rerum, quæ conceſſione parùm dignæ viderentur, *compoſitionibus* acciperet, quouſque dictæ *Compoſitiones* à Cardinalibus, quibus id munus mandaverat, corrigerentur, cùm ſibi perſuaſiſſet, multas pecuniarum ſummas eo nomine contra jus cogi. Complures ſuper ea re ſummorum Theologorum, ac Juriſconſultorum deliberationes habuit, quærens, an hæ pecuniarum ſolutiones, quæ *Compoſitiones* vocantur, legitimæ eſſent? & an à ſponte offerentibus pecuniæ tales licitò capi poſſent? Dum omnium ſententias audit, graviter in eos, qui accipiendas probarent, invectus eſt: ab omni avaritia alienum animum præ ſe ferens. Regreſſus, & acceſſus ad Eccleſias Cathedrales revocavit. Diſpenſationes matrimoniales inter ſecundi gradus affines, aut rarò, aut nunquam conceſſit.

Tollendis vitiis atque abuſibus incumbit.

Ejus Decreta multis odioſa

Publica item ſanctione, cuncta, quæ ſuperiores Pontifices poſt Julium II. conceſſerant, quæ bona, facultates, privilegia, redditusque Eccleſiarum quovis modo læderent minuerentur, ſuſtulit. Superiorum Pontificum decreta de *annatis* & *quindenniis* confirmavit, & circà eorundem ſolutionem, quæ controverſa erant, expoſuit; quorum cauſas Cardinalibus Sarraceno & Menianello; exequutiones verò Hieronymo Saulio Archiepiſcopo Genuenſi Quæſtori, & Oſio ſupplicum libellorum magiſtro commiſerat. Pœnitentiariæ officium, item Cleri ſtatum tam in victu quàm veſtitu emendari, abuſibus ſublatis, decrevit; nec ullius nomen recipi voluit inter Sacerdotiorum candidatos, quorum anteacta vita non probata eſſet: Ei quæſtioni præfecit viros integros Tranenſem, Rebibam, Reumanum Cardinales, & Franciſcum Epiſcopum Gebennenſem Datarium. Ambientium ſacerdotia fraudes redarguit: Lenones, & facinoroſos homines Urbe exactos, graviſſimis pœnis coërcuit. Societates certarum pecuniarum, quibus præſcriptæ menſtruæ uſuræ perſolverentur, præter eas, quæ ex officiis Romanæ curiæ capiuntur,

Eccleſiarum indemnitati ſtudet.

Clerum emendat.

Facinoroſos Urbe abigit.

Collegii Decanum decernit.

tur, uti fœnebres edicto prohibuit. Eum Senatus Principem, quem *Decanum* vocant, eſſe voluit, qui decedente vetere Decano, principem locum inter agentes Romæ Epiſcopos Cardinales obtineret. Severiſſimum promulgavit edictum in eos, qui ſanctiſſimam Trinitatem, Jeſu Chriſti Domini noſtri divinitatem, ejus ex ſancto Spiritu conceptum, pro humani generis ſalute mortem, beatiſſimæque Virginis Deiparæ perpetuam Virginitatem inficiarentur.

Malè in fide ſentientes caſtigat.

Bellum Regi Catholico indicit.

Hæc dum magna omnium laude ageret Paulus, pravis ſuorum conſiliis, impoſturis, & ſuaſionibus deceptus, Gallorum ſtudioſus, Hiſpanis infenſus eſſe cœpit: nihilque cunctatus, contracto undique milite, & Gallo in ſocietatem advocato, apertum Philippo II. Hiſpaniæ Regi, ut eum Regno Neapolitano propulſaret, bellum indixit. Id Albæ Dux regio nomine ſtrenuè fortiterque ſuſcepit: qui cæſis hinc inde pontificiis, profligatisque Gallis confœderatis, captisque pluribus oppidis ac arcibus, Pontificem ab incœptis deſiſtere, Saniora ſequi, ac denique pacis conditiones accipere coëgit. Pacis verò ineundæ præcipua occaſio fuit Philippi Regis victoria ad S. Quinctinum anno 1557. obtenta, qua omnis ferè Gallorum nobilitas capta, ac virtus attrita fuit. Initæ pacis leges fuêre: *Quod Rex Philippus debitum Pontifici obſequium deferre; & Pontifex eum in priſtinum gratia locum reſtituere teneretur, nevè in Gallia aut Hiſpania factionem inclinaret. Præterea ut omnes, qui ejus occaſione belli deliquiſſent, nulla inflictâ pœna, aut mulcta dictata, ad priſtinos honores reciperentur: utq; oppida ab Hiſpanis & Cæſareanis capta, quæ pontificii juris eſſent, Apoſtolicæ Sedi redderentur. Palianum ſequeſtre fieret, ac fido præſidio, communiq; ſumptu cuſtodiretur:* Nam in hoc bello Pontifex Columnios Proceres Hiſpano ac Cæſari addictos, oppidis, quæ in Eccleſiaſtica ditione poſſederant, exuit; ac ea in Joannem Caraffam nepotem, quem Paliani Ducem creaverat, contulit. De hujus belli origine, progreſſu & exitu legi poſſunt Caſtaldus *cap. 10. & 11.* Carracciolus *cap. 2. & ſeqq.* Panvinius, & Jo. Palatius *in Vita Pauli IV.* ubi plura lectu & memoratu digna occurrent.

Pacem cum eo facit.

Tribunal Inquiſitionis erigit.

Compoſita hoc modo pace, Dux Guiſius, qui ex fœdere Pontifici durante bello militaverat, conſcenſis navibus Galliam petiit: & Albæ Dux eodem die Romam ingreſſus, benignè ac cum honore à Paulo IV. ſuſceptus eſt, ad cujus preces mox omnes, qui belli cauſa vinculis detenti fuerant, citra mulctam libertate donati ſunt. Poſthæc rebus urbanis conſtituendis, ac hæreſum monſtris eliminandis Paulus intendens, *ſanctum Inquiſitionis Tribunal* non ſine quorundam obloquutionibus erexit, decemque Cardinales eruditione ac zelo fidei præſtantes, qui huic Judicio intereſſent, deſignavit: quos inter *maximum Inquiſitorem* Fr. Michaëlem Ghiſilerium cognomento Alexandrinum (poſteà Pium V.) acerrimum hæreticæ pravitatis vindicem, virumque in paucis integerrimum conſtituit.

Librorum damnatorum Indicem primus publicat.

Tùm, ne aliquis hæreticus error piorum animis obreperet, Indicem librorum â ſe damnatorum primus publicavit. Fratres religioſorum Ordinum & Monahos, qui monaſteriis aberant, aut habitum, Pontificum indulgentiâ, exuerant, ad ſua quemque Cœnobia reverti, ſeverè præcepit; recuſantes, tota Eccleſiaſtica ditione perquiſitos,

Alia ejus Decreta.

juſſis obtemperare compulit; aliquotque contumaces ad triremes damnavit. Epiſcopos omnes, edita ſanctione, Româ excedere, ac ſuis gregibus præſentes invigilare juſſit. Contra hæreticorum fautores (Principes illi fuerint, Regesvé, aut Cæſares) præclara Conſtitutione inſurrexit: tum ne qui de hæreſi ſuſpectus, aut poſtulatus læſæ religionis aliquando fuerat, ſummus renunciari Pontifex poſſet, ſancivit. Qui ſacerdotio non initiati, ad altare facere ſacrum præſumerent, puniendos ſuſpendio, tanquam hæreticos decrevit. Simoniacam labem ſancti Officii cenſuræ ſubjecit. Veneficia, cultumque omnem demonum, ultricibus flammis vindicanda, ſacris Quæſtoribus permiſit.

Carolus V. Imperium in fratrē transfert: Paulus id inconſulta S. Sede non laudat.

Hoc interim ſpatio Carolus V. Imperatorum glorioſiſſimus abdicatum rerum humanarum Imperium in fratrem Ferdinandum tranſtulit: cujus Legatum Martinum Guzmanum virum nobilitate & eloquentiâ illuſtrem Paulus publicè audire noluit, ægrè ferens, quòd Sede Apoſtolica inconſulta, & præter ſacras ſanctiones, Carolus fratri Ferdinando Imperium ceſſiſſet. Privatim tamen Guzmanum, non ut Legatum Ferdinandi, perhumaniter admiſit, audivitque; conteſtans, ſe id, quod egit, non malo in Ferdinandum animo, ſed ad tuendam Apoſtolicæ Sedis dignitatem, auctoritatemque egiſſe. Erat quippè tum apud Germanos, tum apud Romanos controverſum; *An Imperii translatio, ſine ſummi Pontificis, & Apoſtolicæ Sedis præſcitu & conſenſu, robur ſuum habeat?* Vide Victorellum *in Notis ad Ciaconium* in Vita Pauli IV. eruditè de hoc diſſerentem.

Suorum crimina ulciſcitur.

Cæterùm cùm Paulus ſuorum crimina ſibi delata cognoviſſet, frequenti Senatu in eos vehementer invectus, dignitatibus ſpoliatos cum omni familia intra duodecim dies urbe excedere juſſit. Hi erant Carolus Cardinalis; Paliani Dux; & Antonius, Caraffeæ gentis Principes, ipſius Pauli nepotes. Magiſtratus ab his collatos, & tributa quæque ab iis, ſe inconſulto, invecta edictô ſuſtulit. Cardinales novendecim, & inferioris ordinis Patres quadraginta legit, qui ſecum certis ſtatisque per hebdomadam diebus, civium querimonias exciperent, & totius Eccleſiaſtici imperii cauſas cognoſcerent, ut clariùs ſuorum culpas indagaret, jus ex æquo ſe omnibus redditurum pollicitus. Qua in re miram, omnium ſententiâ, æquitatis & juſtitiæ gloriam reportavit.

Alia cum laude operatur.

Maximis his curis liberatus, omnes ſanctæ Inquiſitionis cauſas ſingulis ſeptimanis coram ſe referri mandavit. Feſtum Cathedræ Romanæ S. Petri jam exoletum revocavit. Commodioris regiminis cauſâ in Germania inferiori, Philippi II precibus, nec non apud Indos, ſupplicante Portugalliæ Rege, multas Eccleſias Cathedrales erexit, novosque Epiſcopos, qui verbo & exemplo concreditas ſibi oves paſcerent, præfecit; creatis nonnullis Metropolitanis, quibus illi ex veteri ritu ſubeſſent. Carolum V. undecimo Kalend. Octobris anno 1558. in Monaſterio S. Juſti Placentinæ Diœceſis ſancta morte defunctum, funebri pompa, in Vaticana Baſilica, præſente ſacro Senatu, luxit. Cæterùm, quamquam religionis tuendæ & conſervandæ ſtudio clarus ſuper omnes retrò Pontifices haberetur, multorum tamen ſermonibus eximia ejus virtus, quæ improbis ſevera

Carolo V. exequias agit. Improbis improbatur.

nimis

nimis videbatur, lacerata fuit. Ac tunc maximè, quum poſt ſanctum ejus obitum, improborum furor in ejus ſtatuam, nuper ob maxima beneficia erectam, convulſis omnium Caraffarum inſignibus, debacchatus, domo inquiſitionis incenſa, carcere detentos malefactores liberavit. Tanti refert in quæ tempora, vel optimi cujusque Principus virtus incidat.

Ægrotare incipit, & quibus de cauſis?

Obſervat Panvinius & alii, Paulum Pontificem mortiferam ægritudinem ex Henrici II. Francorum Regis (anno 1559. in ludicro haſtarum certamine, magno Reipublicæ Chriſtianæ damno occiſi) morte, quam copiosè deploraverat, contraxiſſe; Regni illius florentiſſimi vicem ſe lugere dictitantem ob hæreſes turbasque & clades, quas poſt piiſſimi & fortiſſimi Regis exceſſum illi obventuras præſagiebat. Alterum quod illum perculit, Mariæ laudatiſſimi moris, pietatisque Angliæ Reginæ præmatura mors fuit: qua ruente, tota Anglia ad defectionem fidei relapſura prævidebatur. Nec mediocrem ſanè triſtitiam ingenerarant, quæ ipſum ad ſeveriorem in nepotes animadverſionem adegerant: eò vel maximè, quòd poſt eorum ab Urbe abſceſſum Brianzæ Diaſcarbonæ, nobiliſſimæ atque honeſtiſſimæ fœminæ, Paliani Ducis conjugis mortem feſtinatam inaudierat. Quo vulnere cumulata Pontificis mœſtitia, dum provectiſſimi ſenis animum intimè corrodit, afficere etiam vehementiùs cœpit. Atque hæc quidem fuêre, quæ affectis animi facultatibus, corpus etiam, aquâ ſub cutem fusâ, maximo Pontifici labefactârunt. Quod morbi genus ubi ille in ſumma exactaque ſenectute advertit, prænuncium, cauſamque mortis adeſſe exiſtimavit: unde conſtanter affirmare, ac prædicere ſolitus erat, *brevì ſe moriturum.* Ferunt, cùm die Dominico, in quem Septuageſima recurrebat, ad aram operatus legiſſet in ipſo Miſſæ introitu ea Pſalmi verba: *Circumdederunt me, dolores mortis,* expletis ſacris allocutum ſtatim ſuos in ea ipſa verba eſſe; *Circumdederunt me dolores mortis*; & mox illa etiam Jobi adjeciſſe; *Dies mei pauci, & mali: & ſolùm mihi ſupereſt ſepulchrum.*

Mortem præſentit.

Cardinales ſupremùm alloquitur.

Itaque creſcente morbo, cùm ejus vita deſperata eſſet, XI. Kal. Septembris hora duodecima Pontifex, qui ſibi mortem inſtare ſentiebat, Cardinales omnes ad ſe vocare juſſit: ad quos circa lectulum congregatos, admirabili eloquentia, qua præditus erat, orationem habuit, ita præfatus: *Viam univerſæ carnis ingredimur: diutiùs viximus, quàm ſperare potuiſſemus* &c. Primumque ab eis petiit, ut ſi remiſſior quandoque in Senatu cogendo fuiſſet, quàm ſui officii ratio poſtulare videretur, id ætati, & incommodæ valetudini tribuerent: deinde ut conſentirent pro bono Eccleſiæ in optimo Pontifice deligendo: poſtremò recèns inſtitutum Inquiſitionis tribunal (quod ipſe *ſanctiſſimum* appellapat, & à quo uno niti affirmabat Apoſtolicæ Sedis auctoritatem) eis ardenter commendavit; multisque prætereà dictis, quæ Eccleſiæ profutura arbitrabatur, vegeto planè animo Patres dolore affectos dimiſit. Cùm verò Bartholomæus Cueva Hiſpanus Cardinalis, vir bonus & pius, Jacobo Sabello adſtante, patrio ſermone eum conſolaretur, diceretque inter cætera; *Admodùm ægrè ferendum eſſe, tanta pietatis Pontificem eo potiſſi-*

mum

mùm tempore Reipublica Chriſtiana eripi, quo cunctis diſſidiis pacatis, in Eccleſia reſtitutione ejus opera maximè neceſſaria videbatur: Ipſe illicò eadem lingua Hiſpana ſubjecit; *Se ita vita ſuæ curſum inſtituiſſe, ut quoties ex hac mortali vita ei abeundum eſſet, Dei vocationem propenſo animo ſuſciperet: proinde alacriter admodùm ſe hinc emigrâre, tùm quòd hanc Dei voluntatem eſſe proſpiceret, tùm quòd eum Catholicæ fidei defenſorem à Deo optimo maximo delectum relinqueret, Philippum ſcilicet Hiſpaniarum optimum Regem, cujus pietate & virtute Rempublicam Chriſtianam afflictam procul dubio recreari & reſtui poſſe non dubitaret.* His dictis, magna animi demiſſione & verborum efficacia, publicè implorata Dei miſericordia, ut fatiſcenti ſeni in laborioſo mortis agone ſuccurreret, ac quam mox exhalaturus eſſet animam, commendatam ſibi haberet, ſumpto ad iter æternitatis ſacro viatico, placidiſſimè expiravit: ultima morientis verba fuêre; *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.*

Hilari animo mortem excipit.

Sanctè decedit.

Obiit autem plenus dierum ac meritorum anno humanæ ſalutis 1559. xv. Kalend. Septembris, ætatis ſuæ anno octogeſimo tertio, Pontificatus verò quarto ſupra menſem propè ſecundùm. Maximi Pontificis obitum (ut magnorum funera præcone cœlo indicantur) præmonſtrâſſe non unum planè prodigium videri potuit. Viſus quippè ſub id tempus promiſſo feralique crine in Hiſpania cometes: ſublimis item in aëre Crux in Anglia; atque alibi alia id genus portenta. Quæ licèt ad aliorum Principum parentalia, (quibus funeſtatum vidimus annum 1559.) plerique retulerint, communis nihilominus Eccleſiæ parentis, ac præſtantiſſimi ſacrorum Præſidis jacturam prænunciâſſe, nemo tum ſyderum peritus, qui addubitaret, erat.

Prodigia ejus mortis prænuncia.

Paulo mortuo, apertæ ſunt ſtatim vetere inſtituto omnes Urbis cuſtodiæ, & à furente populo, qui per vias & compita velut amens diſcurſabat, cum Tabulariis incenſus eſt carcer novus Inquiſitionis, iis, qui in eo detinebantur, emiſſis. Intentatum quoque in ſacram Dominicanorum ædem *ad Minervam* incendium, à qua vix piorum precibus permoti ſeditioſi ſacrilegas abſtinuêre manus. Quin & quorundam malevolorum impulſu, curſu ad Capitolium ab exagitata & furente plebe facto, caput cum dextera ejus ſtatuæ, quæ in palatio Conſervatorum magno ſumtu è Pario marmore nobilis artificis manu poſita erat, præciſum, & per Urbem triduo provolutum (cui etiam ad majus ludibrium Judæi loco thiaræ croceum pileum impoſuêre in vindictam, quòd Paulo jubente, eo ſigno notati, à Chriſtianis diſcreti fuerant:) tandem in Tyberim projectum eſt, quum jam populi exſaturati rabies langueſcere cœpiſſet. Cautumque populi Romani edicto incerto auctore promulgato, ut Caraffarum inſignia ex Urbe tolerentur, propoſitâ, ſi quis non obtemperâſſet, perduellionis pœnâ. Itaque eo die nullum in Urbe Caraffarum inſigne reliquum fuit, Oliverii etiam Caraffæ laudatiſſimi olim Cardinalis inſignibus deletis, qui gloria nominis, & magnificentia ædificiorum ſupervivebat poſt ſæcula.

Seditio populi Romani.

Furit in ejus ſtatuam, & inſignia.

Pauli cadaver, Canonicis S. Petri feretrum ſuccollantibus, in Baſilicam Vaticanam tenui pompa delatum, ibidemque ad tempus late-

Sepelitur ad tempus in Vaticano.

lateritio tumulo conditum, præter morem militari manu, ne ab inſanis diriperetur, cuſtoditum fuit. Meruit tamen inſigni hoc carmine loco epitaphii à probis honorari.

Si tua non pendet Pariis innixa columnis
Paule, *nec eſt titulis Urna ſuperba tuis:*
Sat tibi pro tumulo Cælum eſt: nam, maximè Virûm,
Non alio poteras marmore, Paule, *tegi.*

Pius V. beneficiorum à Paulo acceptorum non immemor, magnificum ei è nobili marmore monumentum ad S. Mariam ſuper Minervam, ſeptimo poſt mortem anno, Pyrrhi Ligorii Neapolitani architecti operâ, in gentilitio Caraffarum Sacello cum ſequenti elogio excitavit. *Pius V. ei magnificum monumentum condit.*

IESU CHRISTO SPEI ET VITÆ FIDELIUM, PAULO IV. CARAFFÆ PONTIFICI OPT. MAX. ELOQUENTIA, DOCTRINA, SAPIENTIA SINGULARI, INNOCENTIA, LIBERALITATE, ANIMI MAGNITUDINE PRÆSTANTI, SCELERUM VINDICI INTEGERRIMO, CATHOLICÆ FIDEI ACERRIMO PROPUGNATORI: PIUS V. PONT. MAX. GRATI ET PII ANIMI MONUMENTUM POSUIT. *Vixit annos* LXXXIII. *menſes* 1. *dies* XX. *Obiit anno* MDLIX. XV. *Kalend. Septembris Anno ſui Pontificatus V. inchoato.*

Magnus fuit de hujus ſanctiſſimi Pontificis morte, piorum omnium ſenſus (improborum enim perverſa judicia nihil moror) atque ad hoc probandum teſtem adduco Franciſcum Firmanum Pontificii Sacelli cæremoniis præfectum, virum ſcribendi candore in paucis illuſtrem: *Anno 1559. die 18. Auguſti* (inquit ille) *animam Deo magna cum devotione reddidit Paulus IV. Pont. max. Quo die populus armatus in ejus odium infanda flagitia perpetravit. Quocirca maximum paſſi ſunt dolorem, qui ſanctam dicti Pontificis mentem, & intentionem ſciebant: ſemper enim incubuit reformationi perverſorum morum Urbis, & totius Reipublicæ Chriſtianæ. Fuitq; conſtans omnium fama, quòd ſi à ſuis in multis non fuiſſet deceptus (præſertim in gerendo bello pernicioſo) non ſolùm Dominio Eccleſiaſtico, ſed etiam multis extraneis populis fuiſſet reputatus ſanctior propemodum, quàm ullus alius, qui fuerit à Divo Gregorio uſque ad ſuum Pontificatum. Tamen negari non poteſt, quin ſemper optimam & ſanctam intentionem habuerit, & oſtenderit in cunctis ſuis actionibus, maximè dum hæreticos, uſurarios, ſimoniacos, mulieroſos, blaſphematores, & alios facinoroſos perſequeretur: quos niſi in ordinem redegiſſet, utique ſeipſum eorum facinorum participem feciſſet. Sed quia non fruſtrà gladium in vindictam malorum portavit, hinc maximam apud bonos omnes conſecutus eſt laudem, cum qua & in Domino, uti diximus, ſanctiſſimè quievit, perennem gloriam recepturus, ob merita Juſtitiæ integerrima fide ſemper adminiſtrata.* Non diſſimilia de eodem Paulo refert Conſalvus Illeſcas Scriptor Hiſpanus, Gabriel Salvagus in Epiſtola ad Remp. Genuenſem, Stephanus Binetus S. J. in Elogio, aliique plures ab Oldoino *in addit. ad Ciac.* ad calcem vitæ relati. *Triſtantur boni ob mortem Pauli, non item mali.*

Sed præclaras Pauli dotes opesque animi omnes recenſere, non eſt hujus loci: percurrat, qui illarum percupidus eſt, Hiſtoriam Clericorum Regularium à Joſepho Silos eleganter conſcriptam: ex qua contractis velut in anguſtiorem tabulam laudibus præclaram ſpirantemque maximi Pontificis imaginem concinnavit Silveſter Petraſancta, quam lectori, ut unico ſtatim intuitu uſurpari poſſit, hic ſub aſpectum ponimus.

Pauli Encomium ex Petraſancta.

Ut cogam (ſunt laudati Petraſanctæ verba,) *in arcto encomia, quæ viri ſummi eximia virtuti conſecrarunt, audivit meritò Paulus, Cleri Romani primus reformator: primus ſuo ſæculo purpuræ deprecator: primus Apoſtolici Clericorum ordinis reſtitutor: primus ſupremi de hæreſibus Judicii in Urbe auctor: reparator labentis Catholicæ fidei: ſpes unica confirmandæ & conſtituendæ Reipublicæ Chriſtianæ: nulli ſuperiorum Pontificum poſthabendus: Chriſtianus Cicero: Latinus Chryſoſtomus: Religionis vindex: veræ libertatis aſſertor: reparator veteris diſciplinæ: Orbis columen: hæreſum peſſundator: vitiorum omnium perpetuus hoſtis: Chriſtianæ legis Antiſtes ſanctiſſimus: Princeps piiſſimus: Pontifex eloquentiſſimus & ſanctiſſimus: Vir admirabilis: Præſul pietate eximius, & virtutibus eminens: Vir conſummatæ virtutis & doctrinæ.*

Pii V. de Paulo judicium.

Vide Epitaph. ſuprà.

Sed præſtare præconiis his omnibus, tametſi grandibus, cenſeo præclaram illam Pii V. Sanctiſſimi Pontificis de Paulo IV. panegyrim ſuprà reſcriptam, quam diſcolori marmori inciſam extare voluit in æternum erga illum animi ſui pignus, atque monumentum. Eum enim *ab eloquentia, eruditione, ſapientia, innocentia, liberalitate, animi magnitudine, juſtitia & religionis zelo* commendat; & *fidei Catholicæ acerrimum propugnatorem* vocat. Unde colligere licet, quanta fuerit Pauli virtus, quàm tantus ac tam ſanctus Pontifex adeò luculenter perpetuo teſtimonio celebravit: quanquam ex familiari & quotidiano ejuſdem colloquio conſtet, nec ſenſiſſe, nec locutum fuiſſe de eo aliter unquam, cùm non alio ipſum appellaret nomine quàm *Sanctum Patrem.* Quin & ingenuè fatebatur, ſe quidquid boni ageret, nihil aliud, quàm à Paulo cœpta, aut cogitata perficere. Tanti certè fecit æquiſſimus ille veræ virtutis æſtimator Pius Pauli integerrimos mores, vitæque ſanctimoniam, cujus penè inſpector fuerit, ut ſuper humerale Pontificium ſtolam hierarchicam, & alia id genus ornamenta ſeu indumenta non libentiùs alia ſibi induceret, quàm quæ Paulus antè triviſſet. Unde & pileolum è ſerico raſo, pelle pontica ſubſutum, quem Paulus geſtaverat, ſtatim ac Pontifex factus eſt, depopoſcit, illumque lacrymabundus exoſculans, capiti ſuo induxit veluti chariſſimi parentis, & ſanctiſſimi Paſtoris exuvias; ad eum ferè modum, quo Antonius magnus Pauli Anachoretarum principis tunicam ſolemnibus tantùm diebus in ipſius honorem geſtâſſe memoratur.

Panvinius eidem ſuffragatur.

Panvinius verò refert, Paulum noſtrum ſanctis ſuis Inſtitutionibus & legibus, quas morte interceptus edere, aut certè in morem uſumque inducere non potuit, amplum Succeſſoribus aperuiſſe campum, rectam vivendi formam impoſterum ordinandi; atque ex ejus cogitationum, rationumque fonte multa ſacri Concilii Tridentini Decreta, quibus hodie regimur, profluxiſſe.

Denique ut totum Paulum (cujus vitam variè ſcripſerunt hi-

ſtorici

ſtorici, alii veritati, alii paſſionibus indulgentes) legentium oculis pro coronide ſubjiciamus, externa ejus effigies talis fuiſſe memoratur. Statura fuit magna, corpore gracili ſed valenti: ore ſubtriſti, flexoque ad maciem vultu; aſpectu ſubauſtero & minaci: oculis introrſus recedentibus, & vehementi obtutu ſcintillantibus: naſo paruo quidem ſed decenti: rara nec prolixa admodum barba: voce gravi & ſonora: corpore ad modeſtiam ac dignitatem compoſito: ingenio ardenti, pronoque ad iracundiam, ſed cui deferveſcere ſtatim impetus ac bilis videbatur: valetudine firma, & proſpera, nullaque medicorum opera indiga, præterquàm in occaſu vitæ, quam una effœta ſenectus labefactavit: linguarum peritia excellenti; ſic ut Principum Oratoribus, nullo interprete, Latinè, Græcè, Gallicè, Hiſpanicè, & Italicè diſertiſſimè reſponderet. *Pauli IV. Imago.*

SCRIPTA.

Eruditionem, eloquentiam, linguarum cognitionem in Paulo IV. admiratus Auguſtinus Oldoinus, hæc de eo poſterorum memoriæ in additionibus ad Ciaconium conſignavit. *Literis erat egregiè excultus, & Græcè, Hebraicè, ac Latinè ſcientiſſimus: Philoſophiam, Theologiam ac Juriſprudentiam probè nórat; ſed priſcorum doctrinâ Patrum præcipuè delectabatur. Sacra Biblia ad verbum didicerat, ex ſuiſq; graviſſima ſua dicta condire conſueverat. Memoria erat adeò tenaci præditus, ut in extrema etiam ſenectute integras è Marco Tullio, aut è Virgilio, aliiſq; auctoribus, ſed maximè Bibliis paginas inoffensè recitaret. Eloquentiâ fuit incredibili, præſertim dum Latinè diceret: Latinè enim loquebatur tam facilè, promptè, ac nitidè, ut Italicè: quocirca qui eam linguam probè callerent, erant ei admodùm chari. Cujus rei argumentum eſt, aſcrviſſe illum in aulam quatuor extraordinarios Secretarios, Caſam ſcilicet, Querengum, Binium, & Florebellum, viros illius ætatis longè diſertiſſimos.* Hactenus Oldoinus. *Commendatur Pauli doctrina ab Oldoino.*

Scripſit verò plurima vario Idiomate; & licèt eorum magna pars in flebili illo Caraffeæ familiæ excidio periiſſet, nonnulla tamen intacta manſêre: & ſunt. *Pauli Scripta*

Tractatus de Eccleſia emendanda.
De obſervatione Quadrageſimali.
De Symbolo.
De Privilegiis Baſilicæ Vaticanæ.
Orationum & Epiſtolarum Volumen.
Commentaria in Ariſtotelis Ethicos & Politicos Libros.
Regulæ Clericorum Regularium, ſeu Theatinorum.
Epiſtolæ ſelectæ ad Principes, Reges, Magiſtratus &c.
Conſtitutiones Eccleſiæ perquàm utiles & neceſſariæ, numero quinquaginta novem; quarum nonnullæ extant in Bullario parte prima. Decreta item varia.
Index Librorum prohibitorum, ab ipſo Paulo confectus.
Reperitur ſub nomine Pauli IV. *Epiſtola conſolatoria ad ſuos dilectos filios*, quæ prohibetur in Indice Romano, cùm revera Pauli non ſit, ſed ab aliquo impoſtore conficta.
Scripſit & alia, teſte Oldoino, quæ ab Abbreviatore hæ-

retico univerſalis Bibliothecæ non ſine viroſa nativæ fraudis aſpergine recenſentur.

Paulo regnante obiêre viri ſancti Thomas de Villà nova & Ignatius de Loyola.

Sacris Chriſtianis præſidente Paulo IV. duo lucidiſſima Hiſpaniæ ſidera cœlo inſerta ſunt anno 1555. ſexto Idus Septembris Thomas *de Villa nova*, religione Auguſtinianus, dignitate Archiepiſcopus Valentinus; vir egregiè doctus, divinique verbi concionator ardentiſſimus, ac pauperum ſuſtentator munificus, ob vitæ ſanctitatem & miraculorum præſtantiam ab Alexandro VII. inter Sanctos relatus: Et anno 1556. pridie Kal. Auguſti Ignatius *de Loyola*, Societatis JESU inſtitutor, ejuſdemque Præpoſitus Generalis primus, qui per tyrocinium patientiæ ad miram ſanctitatem evectus, prudentia, humilitate, & zelo fidei utrique orbi hæreſibus infecto ſaluti fuit: Divorum faſtis adſcriptus à Gregorio XV. ut ſuo loco dicemus.

Joannes Calvinus Hæreſiarcha emergit.

Eodem anno 1556. emerſit ex orco Joannes Calvinus Noviodunenſis Canonicus, poſt Lutherum deterrimus Hæreſiarcha, qui novam luem, ſeu Chymeram, ex priſcis hæreſibus conſarcinatam invexit; vir ſubtilis & verſipellis ingenii, larvam virtutis obtendens vitiis, Gallos inter novorum cupidos, tantùm brevi excitavit incendium, ut eo mox conflagraverit Gallia. Dum ipſe (ob flagitia cauterio exactus Novioduno) Genuam ſecedens, quaſi novus Nero ardentem patriam ſpeculabatur, octavo poſt anno acerbiſſimis doloribus ibidem extinctus, inter animi morſus & corporis morbos diſcerptus. Beza dignus magiſtro diſcipulus relictus eſt, per quem non liceret inſipientibus ſapere.

ANNO CHRISTI MDLX.

Imperatoribus Ferdinando I. & Maximiliano II. Auguſtis.

DE

PIO IV. Pontifice Maximo.

CCXXVIII.

Pii IV. genus, & vitæ primordia.

Pius IV. gente Mediceus, patria Mediolanenſis, cui ante Pontificatum Joanni Angelo nomen fuit, patrem habuit Bernardinum Mediceum, matrem Cæciliam Sorbelloniam, nobiliſſimæ inter cives Mediolanenſes conditionis; & inter multos fratres Joannem Jacobum Meleniani Marchionem, rei militaris gloria inſignem, ac inter ſuæ ætatis belli duces longè clariſſimum. Ipſe natus eſt anno ſalutis 1499. pridie Kalend. Aprilis ſanctiſſimo Paſchatis die, cùm fortè mater à ſacris Euchariſtiæ myſteriis, doloribus partûs tentata, domum rediiſſet. Parentum curâ optimis diſciplinis ab ineunte ætate imbutus cùm adoleviſſet, Papiæ & Bononiæ Philoſophicis juxtà ac Juridicis ſtudiis operam dedit, ubi etiam, Ruino Magiſtro uſus, doctoratus inſignia conſecutus eſt. Poſteà in patriam reverſus, atque in Juriſperitorum Collegium, ſuffragante maximè Hieronymo Morono familiæ ſuæ patrono, cooptatus, aliquandiù induſtriæ forenſi ſe dedit: demum

cùm

cùm frequentibus bellorum procellis patriâ exagitatâ, in civili otio ibi degere non poſſet, ad Urbem profectus, eam octavo Kalendas Januarij ineuntis tum anni 1527. eadem circiter hora & die primùm ingreſſus eſt, quibus trigeſimo tertio pòſt anno ſacrum imperium ibidem obtinuit. In patriam deinde reverſus, bello, quod cum fratre ſuo Meleniani Marchione in expugnatione Leuci Franciſcus Sfortia Mediolani Dux gerebat, obſes datus, in arce Mediolanenſi mortem vix evaſit, quum Marchio inita cum Duce pacta violâſſe videretur. Tandem liber dimiſſus, Romam rediit: ubi fratris Marchionis, cujus tum bellicæ laudes tota Italia celebrabantur, ſtudio & ope à Clemente VII. ſummo Pontifice inter Protonotariorum, qui *Participantes* dicuntur, Collegium adſcitus eſt. *Vita periculum ſubit.*

Aditu jam ad majora patefacto, Alexandrum Farneſium Epiſcopum Cardinalem Oſtienſem, ac tum ſacri Collegii Principem, qui poſt Clementis VII. obitum Pontifex Romanus fuit, impenſiùs obſervare, & perquàm ſtudioſè colere cœpit, unde illius cum eo Principe manavit origo amicitiæ. Pontificatum Paulus III. adeptus, cùm ejus viri non mediocrem in rebus gerendis peritiam ac dexteritatem noviſſet, primùm multis eum publicis muneribus, deinde (affinitate cum ejus fratre Marchione contracta) Archiepiſcopatu Raguſino, atque purpura honeſtavit. Præfuit ſumma cum laude Aſculanis, Tiphernatibus, Fanenſibus, Anconitanis & Parmenſibus diverſo tempore. Anno 1543. ad dirimendas lites, de finibus inter Bononienſes & Ferrarienſes exortas, arbiter datus, facilè omnia ex æquo compoſuit. Ter Eccleſiaſtici Exercitus Quæſtor (quem *Commiſſarium* vocant) conſtitutus, bis in Pannoniam contra Turcas, ſemel in Germaniam contra Lutheranos cum Carolo V. proceſſit. Bononiæ deinde Prolegatus, abſente Joanne Cardinale Morono Legato, creatus, Parmamque profectus (Petro Aloyſio Farneſio Principe interfecto, & Placentia à Cæſareanis occupata) eam ſuâ vigilantiâ in Eccleſiæ obſequio & fide conſervavit. Paulo III. vita functo, cùm Julius Tertius, qui illi ſucceſſerat, bellum (auctore Cæſare Carolo V.) Octavio Farneſio Parmenſium Duci indixiſſet, quòd præter ejus ſententiam, Gallorum præſidia, maximo Cæſaris damno, Parmæ receperat, ipſe Eccleſiaſticarum copiarum, more majorum, à Pontifice Legatus eſt miſſus, Ferdinando Gonzaga totius exercitus Duce creato. Bello compoſito, in Urbem reverſus, multis annis Romæ ſub Julio III. & Paulo IV. (licèt Paulo non admodum gratus fuerit) honeſtiſſimè vixit, ſenatoriis muneribus integrè vacans: quo tempore viris egregiis, litteratis præſertim, delectari cœpit, eorumque conſuetudine jucundiſſimè uti; ità ut ejus domus doctorum virorum quaſi quoddam Gymnaſium videretur. Mitis & ad miſericordiam proni ingenii, tùm ex ejus conſuetudine & ſermone, tum ex rebus quas geſſit, ſemper eſt habitus: nam præter occultas eleemoſynas, publicè etiam quotidiè omnibus inopiâ laborantibus, qui limen ejus adirent, tantum ad ſublevandas eorum miſerias diſtribuebat, quantum pro quotidiano victu ſatis eſſe poſſet. Ex quo pater pauperum vulgò vocari cœpit, ſed tum præcipuè, quum Urbe Tyberis inundatione (ſub

Fit Archiepiſcopus Raguſinus, & Cardinalis.

Viris doctis mirè favet, & delectatur.

Ejus in pauperes mira liberalitas.

Paulo IV.) fame vexatâ, quidquid in horreis ad annuum familiæ uſum ſepoſuerat, liberaliter ad egenæ plebis ſuſtentationem primis menſibus deprompſiſſet, atque inſuper nonnulla aureorum millia ex proprio cenſu Hoſpitali pauperum Mediolani aſſignâſſet. Porrò in omnes liberalis, comis, perhumanus, juſtitiæ cultor, nefariorum hominum hoſtis acerrimus, in ea civitate, quæ mores hominum diligenter examinare ſolet, omnium ſententia exiſtimatus eſt. Quarum haud dubiè virtutum opinione viam ſibi facilè ad maximum Sacerdotium aperuit.

Pontifex non ſine indicio creatur.

Paulo IV. è vivis erepto, quum Purpurati Patres in Conclavi eſſent, columba caſu Sacellum Xyſtinum per feneſtras ingreſſa, diù circumvolavit, donec feſſa, cum admiratione omnium avis quietem expectantium, ejus cellæ inſedit: quæ res tunc luſui habita, ipſo paulò mox Pontifice renunciato, in prodigium verſa eſt. Unus enim ipſe, poſt diuturnam quatuor menſium, ob varias Patrum diſſenſiones, Pontificatus vacationem, tandem ex Presbytero Cardinale tituli S. Priſcæ potiſſimè delectus eſt Romanus Pontifex, qui ſua humanitate, & clementia ſuperiorum temporum acerbitatem leniret: quam ſpem confirmare omninò & augere viſus eſt, aſſumpto de induſtria, amabili Pii IV. nomine. Pontifex autem maximus creatus eſt omnium Cardinalium ſuffragiis, qui quatuor & quadraginta tum comitiis apud S. Petrum affuêre, hora inter ſeptimam & octavam ejus noctis, quæ Chriſti Salvatoris natalitia ſubſecuta eſt anno ſalutis 1559. ineunte; tantâ mortalium omnium, qui adfuerant, lætitiâ, quantâ pauciſſimos anteà ad ejuſdem Sacerdotij dignitatem perveniſſe conſtat. Epiphaniæ demum feſto de more coronatus, meruit unus, quod nequaquam alteri eveniſſe ſcitur, ut tribus diebus totius anni celebrioribus, *Paſchatis*, *Nativitatis*, & *Epiphania*, naſceretur; Pontifex crearetur; ac ſacra thiara condecoraretur.

Notabile factum.

Pontificatû à clementia auſpicatur.

Pontificatus initio, quò re ipſa demonſtraret, quam Pii nominis appellatione pollicitus videbatur, clementiam & humanitatem, omnium penè Cardinalium, ſed præcipuè Caraffarum, qui alioqui læſi videbantur, precibus, Populo Romano omnium eorum veniam condonavit, quæ in Pauli IV. marmoreum ſimalachrum, inſigniaque, & ſanctæ Inquiſitionis contumeliam ac dedecus vacante ſede commiſerat, dummodò damna ac illata detrimenta, quoad poſſet, ſuis ſumptibus ſanctæ Inquiſitionis officio reſarciret.

Oratores Principum ac Rerumpub excipit.

Oratoribus deinde totius Orbis orthodoxi Principum, id eſt Cæſaris, Regum Galliæ, Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Poloniæ, Navarræ, Reipublicæ Venetæ, Ducum Subaudiæ, & Florentiæ, item Genuenſium, Lucenſium, Helvetiorum qui rectè ſentiunt, Mediolanenſium civium, Ducibuſque Ferrariæ, & Urbini publicis in Conſiſtoriis ad ſui venerationem, more ſuperiorum Pontificum, receptis, animum ad Eccleſiæ & Urbis ſtatum, diuturna ſedis vacatione, aſperoque ac difficili ſub Pauli IV. Pontificatu bello geſto, penè labefactatum, componendum convertit. Ante omnia igitur, quæcunque Paulus IV. præter vulgatos Eccleſiaſticos canones, & jam receptam à ſuperioribus Pontificibus conſuetudinem, ſuo tantùm arbi-

Pauli IV. decreta magna ex parte antiquat.

arbitrio publicis edictis, vel diplomatibus novaverat, diſquirens, omnia ad rectam communis & uſurpati juris rationem, inductis ac antiquatis prioribus decretis, paulatim revocavit, idoneosque Judices, qui quæſtionibus hujuſmodi præeſſent, viros graves, peritos ac prudentes delegit. Ferdinandi Cæſaris Imperatoriam dignitatem, translatam in eum ab ejus fratre vivente Carolo V. quam Paulus IV. improbaverat, ratam habuit, ejusque tanquam legitimi & Catholici Imperatoris Legatos perhonorificè ſuſcepit. Sanctionem, quam ipſe Paulus de bonis Eccleſiaſticis malè & ſimoniacè alienatis, non mediocri multorum damno ediderat, mitigavit atque correxit. Monachorum & fratrum religioſorum, quos in Monaſteria, unde exierant, Paulus redire ſeveriſſimo edicto compulerat, cauſas iterum cognoſci voluit, ut iis, qui canonicis legibus id ſe feciſſe probâſſent, ſuum jus redderetur. Multos & magnæ exiſtimationis viros quos ob hæreſis ſuſpicionem Paulus graviter carcere, & aliis pœnis afflixerat, cognitâ eorum per ſanctiſſimam inquiſitionem innocentiâ, omni injuria eripuit, & ſuſpicione liberavit, inter hos præcipuè Joannem Moronum Cardinalem, & Thomam Sanfelicium Epiſcopum Cavenſem, viros integerrimos. Epiſcopos, ut ad ſuas Eccleſias, & curandos ſibi commiſſos greges reverterentur, hortatus eſt.

Ferdinando Cæſari Imperium firmat.

Pauli ſanctiones corrigit.

Caraffarum porrò ejusdem Pauli propinquorum res tam in patrui Pontificatu, quàm aliis temporibus patratas, præſertim durante bello Neapolitano, quo magna Chriſtiani orbis pars, atque in primis Urbs ipſa vexata fuerat, inſtituta capitali quæſtione, Cardinalium aliquot, & Urbis Gubernatoris Hieronymi Epiſcopi Sagonenſis judicio & ſententiæ ſubjecit. Unde cùm eorum nomina inter reos recepta eſſent, Carolus & Alphonſus Caraffæ, ac ſcipio Rebiba Cardinales; Joannes item Comes Montorij Dux Palliani vocatus, uxorisque ejus frater Comes Allifanus, & Leonardus Cardineus Caraffis propinquus, cum nonnullis aliis eorum fautoribus & complicibus, partim in Hadriani molem, partim in publicum carcerem diverſo tempore conjecti, quæſtionibus diligenter habitis, ſingulorumque cauſis examinatis, citra miſericordiam, ex Pontificis auctoritate capitali ſententia damnati ſunt. Ex his Carolus Cardinalis Caraffa, nono carceris menſe, manu carnificis ſtrangulatus, & Joannes Montorij Comes frater Caroli cum Allifano, & Cardineo ſecuri in publico carcere percuſſi, horrendum & maximè memorabile ſpectaculum, inſolensque inſtabilis fortunæ ſurſum deorſum omnia agitantis ludibrium, in ponte Ælio expoſiti, attonito, & quorſum iſthæc tenderent admiranti populo Romano, præbuerunt. Quum omnes paſſim confluerent ad eos ſpectandos, qui modò miſerabiliter extincti, paulò antè Urbem Romam, omnemque Italiam ſolo nomine perterruerant. Præcipua criminum, de quibus accuſati convictique erant, hæc fuiſſe memorantur: *quòd Pontificem Paulum IV. falſis nunciis & conſiliis deceptum ad bellum maximè Neapolitanum incendiſſent: viros inſignes contra jus faſq; vexâſſent: cædes privatim & publicè commiſiſſent: litteras, & arbitrarias notas finxiſſent, quibus pernicioſum Chriſtianæ Reipublicæ bellum inter Pontificem, Galliæ & Hiſpaniæ Reges*

In Caraffas jure agit.

Convicti, capitali ſententia puniuntur.

Eorum præcipua crimina.

Reges conſlatum eſſet: aliaque id genus plura, quæ ubertim Panvinius, ac alii in Pio IV. proſequuntur. Alphonſus verò Cardinalis Caraffa, quòd mitis naturæ vir, reliquis omnibus innocentior appareret, centum millibus aureorum mulctatus vitam redemit: reliqui cum Cardinale Rebiba, vadibus datis, pœnâ condonatâ, dimiſſi ſunt. Sed hanc à Pio IV. ſic definitam Caraffarum cauſam, ejus ſucceſſor Pius V. doctis utriusque juris hominibus adhibitis, excuſſit; Caraffas prolatâ in Senatu ſententiâ, ad jus honorum & dignitatum reſtituit, ut ſuo loco in vita Pii V. dicturi ſumus.

Suos provebit ad purpuram.

Poſt hoc ſalutare exemplum (ut Pius IV. ajebat) ad terrorem eorum, qui rebus publicis præſunt, editum, Pontifex more aliorum nonnullorum Pontificum ſuis gratificaturus, ſororum filios & filias ad ſe evocatos, variis ac nobiliſſimis matrimoniis, & dignitatibus honeſtatos, ad ſummos honores evexit. In his (ne fœminas commemorem) Carolum Borromæum juris ſcientia præditum, & Marcum Siticum Altaempſium ſororum filios in Patrum Collegium adſcivit; Borromæumque perhumanum, ſanctiſſimumque virum negotiis omnibus Eccleſiaſticis tractandis, magno Reipublicæ Chriſtianæ emolumento, præfecit. Ejus verò fratrem Fridericum Borromæum Comitem Aronæ, regia Caraffarum compenſatione donatum, totius militiæ Eccleſiaſticæ gubernatorem, mox ducem generalem cum menſtruo mille aureorum ſalario creavit. Ducem Florentiæ Coſmum Romam cum uxore Eleonora ac duobus filiis venientem, magnifico apparatu, in Palatinis ædibus excepit: qui Dux publicis aliquot ſupplicationibus & cæremoniis dum interfuiſſet, poſt alterum demum menſem diſceſſit.

Extat Caroli vita lib. 4. Purp. doct. n. 75. & Marci Sitici lib. 5. n. 1.

Coſmum honorificè excipit.

Abdyſu Orientalium Patriarcha fidē professus, in dignitate confirmatur.

Per id tempus *Abdyſu*, id eſt Servus Jeſu, maximus Chriſtianorum Orientalium trans Euphratem commorantium Patriarcha, vir doctus, Chaldaicis, Arabicis, & Aſſyriis litteris ornatus, cujus jurisdictio interiores uſque ad Indos penetrat, Romam, ut ejus electio à ſummo omnium Paſtore, Romano Pontifice confirmaretur, venit. Placuit Pio devotiſſimi viri zelus & pietas; ſæpeque cum eo per interpretem locutus, poſtquam Romanæ Eccleſiæ doctrinam & fidem, ſuo, omniumque ſuorum nomine publicè profeſſus eſt, in dignitate confirmatum, Pallioque ac Latiis muneribus donatum, in patriam remiſit.

Concilii Tridentini proſecutionem, & finem curat.

Cùm verò Pius Pontifex ab eo potiſſimùm die, quo Sedem Petri ſupremam divinitùs adeptus eſt, labanti Chriſti Eccleſiæ confirmandæ aſſiduè intentus eſſet, Generale Concilium modis omnibus appetere viſus eſt. Solemnibus igitur Jubilæo, jejuniis, & ſupplicationibus celebratis, Generale Chriſtianorum Concilium Tridenti proſequendum eſſe, & proximo Paſchate anni 1561. iterum inchoandum publicatis per orbem litteris indixit. Illud verò ante omnium memoratu dignum, quòd ipſe id ab aliis poſtulari, quemadmodùm mos eſt, non expectaverit, ſed ultrò omnes, qui Chriſtiano nomine cenſentur, Principes, Reges, Magiſtratus, per Legatos & litteras ad rem adjuvandam incitaverit, hortatusque ſit, & quoad ejus fieri potuit, ad Concilium generale inſtaurandum celebrandumque compulerit: ut eo ſaltem remedio, quod in calamitoſiſſimis

Digitized by Google

ſiſſimis temporibus Ecclesia ſemper maximum duxit, omnibus jam Provinciis depravatæ religionis vitio laborantibus, peſſimeque affectis, aliqua medicina adhiberetur.

Magnam autem pecuniæ ſummam in hujus Concilii celebratione Pius inſumpſit, qui Sedis Apoſtolicæ Legatis, indigentibus Epiſcopis, omnibusque miniſtris, liberaliter menſtrua ſtipendia ad honeſtam vitæ ſuſtentationem ex ærario Eccleſiæ contribuebat. Actum verò in eo eſt, viginti quinque Seſſionibus, de omnibus fidei Chriſtianæ dogmatibus: de novatoribus in diſceptationem vocatis: & de reformatione Sacerdotalis ordinis diligenter. Interfuêre præter 4. Legatos Apoſtolicos, Cardinales 7. Patriarchæ 3. Archiepiſcopi 25. Epiſcopi 168. Abbates 8. Procuratores abſentium 39. Generales Ordinum 8. Doctores Theologi 160. Oratores Principum 16. In quo ſacro Patrum cœtu multi ſingulari vitæ ſanctimonia, multi ſacrarum litterarum ſcientia, multi rerum uſu, & prudentiæ laudibus eminebant. Tandem poſt annos viginti & unum ab indictione Concilii à Paulo III. undecimo Kal. Junii anno 1542. facta, finis Concilio impoſitus eſt ſingulari Pii IV. ſtudio & vigilantia die 4. Decembris anno 1563. Patribus ex veteri more, præeunte Cardinali Diacono à Lotharingia, ita acclamantibus: *Beatiſſimo Pio Papa Domino noſtro, ſanctæ & univerſalis Eccleſiæ Pontifici, multi anni, & æterna memoria.* Audito Concilii exitu, ſupplicationes Pius Romæ ſolemnes pro gratiarum actione indixit: & anno 1564. VII. Kal. Februarii omnes illius Synodi Canones & Decreta, obſignato publicatoque Diplomate confirmavit: mores Eccleſiæ, & Sacerdotia ad Concilii formam inſtitui; Epiſcopoſque ad Eccleſias ſuas ſub gravi pœna redire præcepit. Hiſtoriam hujus Concilii perutilem & neceſſariam magno labore, fide, & integritate, nec minori laude contexuit Sfortia Cardinalis Pallavicinus è Soc. Jeſu ad monimentum veritatis, & religionis præſidium. Egimus de hoc viro in Purpura docta *lib. 6. n. 68.* ubi etiam præclara ejus Hiſtoria diximus, quantum ſatis eſt.

De quibus in Concilio actum?

Quot, & qui nidem interfuerint?

Sub id tempus fides Catholica in Japonia mirificè propagata eſt zelo ac opera Patrum Societatis Jeſu; de qua re audi Sebaſtianum Verronium in Chronica ſua Eccleſiaſtica *lib. 8. ſæculo 16. in Pio IV.* hæc ſcribentem: *Fides Chriſtiana magnis incrementis provehitur per Societatis Jeſu presbyteros; ac licèt Bonzii Idolomania Sacerdotes quàm pertinaciſſimè obſiſtant, tamen Chriſto omnium præpotenti victori loco cedere, tùm verbo Dei, tum ſalutaribus ſignis & miraculis compelluntur: Neophyti, & Chriſtiani quicunque fide & gratia imbuti, magnificè Chriſtum Regem concelebrant, ornantq́; tantoq́; in eum ſunt amore accenſi, ut ad ſanctiſſimam Euchariſtiam acceſſuri, præ bonitatis ipſius conſideratione, in lacrymas longè tenerrimè effundantur: pauperum etiam curam ſingularem ſuſcipiunt, nec minùs ægrotantium, ſive fideles illi ſint, ſive infideles. Qua ex beneficentia, uti etiam ex Presbyterorum Societatis ultronea inopia, & opum deſpicientia ad ſtuporem uſque moventur pagani, autumantq́; ſpe indubitata, Chriſtianos multò majores opes in vita futura noſſe, ad quas, ſpretis præſentibus, animo intendant.* Tam inſignium progreſſuum intuitu Pius Papa IV. motus, Societatem Jeſu unicè dilexit, auctorque fuit, ut Victoria Tol-

Fidei in Japonia Patrũ Soc. Jeſu operâ propagatur.

Societati Pius mirè favet.

phia nobiliſſima matrona, Camilli Urſini Marchionis Guardiæ olim uxor, ac Pauli IV. neptis, proprias ædes magnificas unà cum inſigni Templo à ſe inchoato, Patribus Societatis, ac ipſi Collegio Romano dono dederit: & ne honeſta iis alimenta deeſſent, præter quaſdam immunitates, ſexcentos in ſingulos annos ex ærario Apoſtolico numos aureos ipſe aſſignavit: Gymnaſiis Societatis ubique terrarum ad gradus litterarios evehendi idoneos poteſtatem fecit: pro illa Venetæ Reipublicæ, Philippo II. Regi Hiſpaniarum, Ferdinando Cæſari, & Archiepiſcopo Moguntino litteras ſcripſit: quin & deſuncto Cardinali Carpenſi Societatis Patrono & fautore maximo, ejuſdem patrocinium ipſe ſuſcepit, Laynio Præpoſito Generali dicens: *Nos deinceps erimus veſter Protector.* Sed ad publica Pii acta revertamur.

Publica Pii monumenta enarrantur.

Is poſt inſtauratos Chriſtianorum per Tridentini Decreta mores, ad Urbis ornamenta converſus, multa præclara ac memoranda monumenta paſſim excitavit: vias veteres reſtituit: novas munivit: aquam Saloniam (olim *Virginem* appellatam) in Urbem reduxit: Leoninam Urbem, quam *Burgum* nuncupant, muro cinxit: Arcem Hadriani propugnaculis fulſit: Palatium Vaticanum tricliniis, teſtudine, laquearibus, multis in locis exornavit; ac variis egregiorum artificum picturis nobilitavit: Villam Juliam miræ amœnitatis, ædificiorumque elegantia conſpicuam, ſed nondum abſolutam, perfecit; ac Pontificum receſſui deſtinavit: Lavacrum ad Velabrum, & Turres campanarias Baſilicæ Lateranenſis refecit, ejuſdemque laquearia aureis emblematibus exornata extruxit: Thermas Diocletianas vetuſtate corruptas, S. Mariæ Virgini Dei matri dicatas, in ſacram ædem & Carthuſianorum Cœnobium, menſtrua quingentorum aureorum ſolutione adjecta, convertit: Templum S. Petri Vaticanum, toto terrarum orbe celebre, additis menſtruis ſalariis, perficiendum curavit: Titulos & Diaconias Cardinalium, ac reliquas Urbis ſacras ædes vetuſtate collabentes, vel deformes, præfectis tanto negotio nonnullis Cardinalibus, reparari juſſit. Officinam libris ſanctorum Patrum accuratè & integrè imprimendis inſtituit, eidemque muneri Paulum Manutium Aldi filium, eruditione, ac varia linguarum cognitione clarum præfecit. Quibus rebus peragendis, & magno ære alieno, quo Sedes Apoſtolica obſtricta erat, tollendo, cùm ingens pecuniæ vis requireretur, *Montes* aliquot *perpetuos*, & *Equites pios* inſtituit; ac varias pecuniarum exactiones, tributa, & vectigalia per Urbem ac ditionem Eccleſiaſticam, non ſine publico murmure, excogitavit atque indixit. Hæc & alia longè plura Pii Pontificis egregiè facta, ac pietatis monumenta uberi deſcriptione proſequitur Onuphrius Panvinius, & ex eo Jo. Palatius *in vita Pii IV.* quos legiſſe juverit.

Vaticanum exornat.

Thermas Diocletiani Deiparæ dedicat

Eccleſias reficit.

Typographiã inſtituit.

Tributa cogit.

Ferdinandi I. Imp. obitus.

Anno ſalutis 1564. octavo Kalendas Auguſti Ferdinandus I. piiſſimæ, juxtà ac glorioſiſſimæ memoriæ orthodoxus Imperator, eruditione, ſapientia, ac religione inclytus Viennæ Auſtriæ rebus humanis eximitur octavo Imperii anno: de quo Pius Pontifex in frequenti Cardinalium conſeſſu dolenter verba faciens, hæc inter alia dixiſſe fertur; *Ferdinandum omnibus optimi Imperatoris ſignis editis, ſumma*

Ejus elogium.

ſumma lenitate, nullo animi angore, ſacramentis, quæ morituris præberi ſolent, munitum & expiatum, quaſi agnum innocentem in meliorem vitam demigraſſe. Defuncto patri Maximilianus II. natu major, prudentia, liberalitate, animi magnitudine, clementia, & doctrina præſtantiſſimus, in Imperio, Bohemiæ Regno, & Auſtriæ Principatu ſucceſſit. Pontifex ſororis filium Cardinalem Altaempſium, qui ei ſolemni oratione de optimi parentis obitu condoleret, ac ſimul recèns adeptum Imperium gratularetur, Legatum miſit.

Succedit Maximilianus ſecundus.

Eodem anno Solymannus Turcarum Imperator militibus Rhodiis infenſus, numeroſiſſima claſſe eorum Inſulam Melitam obſidione cinxit. Eam rem præſentiens Garzias Toletanus, Claſſis Regiæ præfectus, quingentis fortiſſimis militibus Inſulam munivit. Turcæ arce ſancti Elmi capta, urbem ad extremam penè deſperationem redegerunt. Ei obſidioni magno uſui & præſidio fuêre ſexcenti milites Hiſpani, Duce *Robles* viro ſtrenuo & forti, per media hoſtium agmina, intempeſtæ noctis ſilentio, Urbem ingreſſi. Hinc factum, ut Turcæ ſexto demum menſe, triginta hominum millibus amiſſis, turpiſſimè eâ Inſulâ ejecti ſint, egregiâ præſertim Joannis Valetæ Magiſtri, & militum virtute, qui pertinaci animo acerrimam obſidionem ingenti gloria pertulerunt. Eam ob rem Pontifex præter ſolemnes ſupplicationes, multa lætitiæ ſigna, ſparſo in plebem auro, dedit; ac fortiſſimis Inſulæ militibus per litteras humaniſſimè gratulatus eſt.

Melita Inſula à Turcis obſidetur, ſed magna mox hoſtium ſtrage liberatur.

Nec multò pòſt vehementi catharri febre affectus (morbo ex victus intemperantia contracto) cuncta Eccleſiæ ſacramenta, quæ exituris Chriſtiano ritu exhiberi ſolent, de manu S. Caroli Borromæi Cardinalis nepotis, magno animi ſenſu pientiſſimè ſuſcepit. Paleottus & Sirletus Cardinales lectulo adſtantes, extremas preces, quæ ad animæ commendationem pertinent, religioſiſſimè recitârunt. Ipſe attentè, integris adhuc ſenſibus, cuncta audivit; eiſque intermortuis verbis noviſſimè pro ſe ſuſcepti laboris gratias egit. Dictu mirum! decimo ante menſe, cùm Sirletum ſacræ purpuræ honore donaret; *Hunc*, inquit, *in Senatum allegimus, ut quemadmodum Paulo IV. morienti officiosè adfuit, ita etiam noſtram ſuis precibus ex hac vita migrationem apud Deum adjuvet.* Id præſagium fuiſſe, eventu comprobatum eſt. Denique complexus ſacram Chriſti in cruce expirantis imaginem, octavo ægritudinis die, hora noctis ſecunda, quæ diem Dominicum, v. Idus Decembris anni 1565. ſequuta eſt, in hæc verba; *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundùm verbum tuum in pace*, animam exhalavit, ætatis anno 66. menſe 8. die 9. Pontificatus ſui anno quinto, menſe nono, die decima quinta. Corpus Baſilicæ Vaticanæ illatum, lateritio ad tempus tumulo conditum eſt, donec anno 1583. die 4. Januarij ad ædem S. Mariæ de Angelis in Thermis translatum, ac nobiliſſimo marmoreo monumento honoratum fuit. Pio IV. hoc diſticho parentavit Franciſcus Panigarola.

Pius ægrotat.

Dictum ejus notabile.

Piè moritur.

Ut faceret fortuna PIUM omni parte beatum,
Vita, ait, huic dulcis, mors quoque dulcis erit.

Pii Imago. Statura fuit Pius juſta, fronte lata, oculis cæruleis, aſpectu obliquo, naſo eminenti ac rubido, barba mediocri, habitudine corporis pinguiore, proſpera valetudine, manibus pedibusque articulari morbo debilitatis: egregius vita & fama, quamdiu privatus vixit: Pontifex renunciatus, dum Tridentinum Concilium viguit, multa optimi præclarique Pontificis documenta dedit: Concilio abſoluto, ſuo ingenio liberè utens, in multa, quæ non omnibus uſque adeò probabantur, prorupit. Inerat ei docilitas maxima ad omnes tum pacis, tum belli artes; litterarum ſcientia, ac negotiorum magna experientia; mira animi patientia, atque in laboribus perſeverantia; eloquentia non mediocris; memoria ſingularis, qui veterum Jureconſultorum, Poëtarum, & Hiſtoricorum accuratè de improviſo integras ſæpè paginas memoriter recitaret. Ingenio fuit vivaciſſimus, ac mente firmiſſimus; ſagax & aſtutus, ſed ſimplex & hebetior haberi volebat: in jocis dulcis; in conviviis, & domeſticorum privata familiaritate comis, perhumanus, verbis & ſcomatibus acutus; cibi vinique avidus; & ut in prandio profuſus, ſic in cœna parcus ſobriusque. Eo Pontifice, Italiæ pax; Urbi & Provinciis Eccleſiaſticis à bello quies; rerum, quæ victui humano neceſſariæ ſunt, ingens copia; publica incomoda vel pauca, vel nulla fuêre. Sugillatur tamen à multis, quaſi vitam inter virtutes & vitia mediam traduxiſſet.

S C R I P T A.

Scripta. Scripſit ante Pontificatum inſignes litteras ad Coſmum Florentiæ Ducem, quæ ſunt in lucem editæ, & extant tomo primo litterarum Principum.

Orationes plures; quarum illa, quam Romæ coram frequentiſſimo Cardinalium conſeſſu de Decretis Concilii Tridentini, morumque reformatione confirmandis habuit, Romæ anno 1564. in lucem prodiit.

Conſtitutiones item Eccleſiaſticas varias, uti & litteras Apoſtolicas, quæ leguntur in Bullariis, & Collectionibus Conſtitutionum.

Diploma, ſeu Bulla de Confirmatione Concilii Tridentini prodiit cum Canonibus & Decretis Concilij, Coloniæ, Venetiis, Leodij, & Romæ.

Edidit Diplomata plura: de Roſario videlicet B. Virginis.
De Confraternitate B. Mariæ Pietatis de Urbe.
De Lauretana Æde: &
Pro Ordine Conceptionis.

Catanenſi Epiſcopo litteras dedit, quibus eum hortatur, ut ea, quæ in Concilio Tridentino ſanctiſſimè fuerant ſancita, executioni darentur: inſtitueretur ſcilicet Clericorum Seminarium: & Clericorum virtutibus ac litteris præditorum Diœceſis Catanenſis (qui ad obeunda Eccleſiaſtica munia idonei viderentur) indicem tranſmitteret, quatenus eos dignitatibus condecorare poſſet.

Extant

Extant etiam apud Ughellium *tomo 7. Italiæ Sacræ*, Pii IV. Pontificis litteræ ad Iſabellam ſororem P. Claudii Aquavivæ Societatis Jeſu Præpoſiti Generalis, Abbatiſſam monaſterii S. Benedicti Cirſtercienſis Ordinis Cuperſanenſis Diœceſis, Apoſtolico ſpiritu plenæ.

Ediḋiſſe Pium adhuc in minoribus conſtitutum arguta varii generis & argumenti Poëmata, affirmant alii: quorum tamen ii, qui Scripta ejus collegerunt, nullam mentionem faciunt.

Sedente Pio IV. Sancta Thereſia Virgo Hiſpana, nata Avilæ anno ſal. 1515. angelicis ditata virtutibus, ſeveriorem veterum Carmelitarum Regulam, Deo aſſlante, & Pio IV. approbante, primùm mulieribus, deinde viris obſervandam propoſuit, quaſi debellatura geminos orci gigantes Lutherum & Calvinum viros apoſtatas, qui turpiſſimis erroribus Germaniam & Galliam eodem tempore obtenebrabant, religioſam obedientiam detrectando, virginum pudorem prophanando, obſervantiam relaxando, clauſtra convellendo, diſtractiſque concupiſcentiæ repagulis locuſtas aſſociàrunt innumeras, quæ carnali blandimento deciperent, & inſatiabili feritate in animas ſemel irretitas deſævirent. In hæc monſtra, inquam, virilis animi virgo, ſexu licèt imbecillis, non ſolùm intrepida pro Chriſto ſtetit, ſtrenueque pugnavit, ſed & cœleſti conſilio duas ſupra triginta arces munitiſſimas (clauſtra intelligo) fidelibus in refugium, hæreticis ad terrorem conſtruxit, in quibus exactiſſimus obedientiæ rigor, illibatus flos caſtitatis, inviolabilis clauſtri receſſus, intemeratæ divini Spiritus delitiæ, perpetua carnis mortificatio, puriſſima avitæ fidei ſimplicitas, & glorioſa Chriſti ſervitus perpetuò, Deo donante, regnarent. *S. Thereſia Carmelitarum regulã propagat.*

ANNO CHRISTI MDLXVI.

Imperatore MAXIMILIANO II. Auguſto.

DE

S. PIO V. Pontifice Maximo.

SI quis Romanos Pontifices, qui à divo Petro hucuſque ſanctiſſimam illam ſedem divina electione obtinuerunt, percurrat; ex iiſque optimos, prudentiſſimos, litteris & ſanctitate maximè conſpicuos, atque adeò iſto honore & magiſtratu digniſſimos accuratiùs perpendat, inveniet procul dubio, nullum à multis ſæculis fuiſſe Pontificem, qui ad veteres illos Silveſtrum, Gregorium, Nicolaum, Leonem, ejuſdemque generis alios, eruditione, virtutibus, meritis, ſapientia, vitæ morumque innocentia propiùs acceſſerit, quàm *Pius* hujus nominis *Quintus*, paucis abhinc annis ob admirabilem vitæ ſanctitatem, præclareque in Pontificatu geſtorum gloriam, à SS.D. N. Clemente XI. ſolemni apotheoſi in *Sanctorum* numerum relatus. CCXXIX. *Pius V. priſcis SS. Pontificibus conferendus.*

Natus is eſt in oppido Inſubriæ *Boſchium* nuncupato, quod ſitum

Ejus vitæ primordia.

tum eſt in agro Alexandrino Diœceſis Dertonenſis, ex antiqua & nobili Ghiſleriorum familia, Bononiæ olim Senatoria, maximeque conſpicua, parentibus majori virtutum quàm opum cenſu illuſtribus, Paulo Ghiſlerio, & Dominica Augeria. Natus eſt autem felici ſidere anno ab orbe redempto 1504. die 17. Januarii divo Antonio Eremitarum principi ſacro, unde in Baptiſmate Antonii nomen accepit; Michaëlis verò, quando anno ætatis decimo quarto, Vogeriæ in ſacram Dominicanorum familiam aſcitus eſt. De cujus primordiis M. Antonius Muretus Orator clariſſimus in ejus funere elegantiſſimè ſic peroravit: *Pius ſtatim ab ipſo ineuntis ætatis principio,*

Mureti teſtimonium.

cùm & divino lumine colluſtratus, & domeſtica inſtitutione commonefactus, ſique, qui in ſæculo viverent, difficilem eſſe in cælum viam judicaſſet, impulſu Spiritus ſancti fugit è patria inferiori ac terreſtri, ut Abraham; iterq́; illud arripuit, quod ad illam ſuperiorem ac cæleſtem tendenti tutius, atque expeditius eſſe intelligebat. Fugit ut Loth; neque poſt tergum reſpexit, cùm ſciret, eos, qui manu ad aratrum appoſita reſpiciunt retrò, aptos non eſſe ad regnum Dei. Fugit ut Jacob; & in ea demum terra conquievit, in qua vidit

Ordinem divi Dominici amplectitur.

ſcalas, per quas itur in cælum. Dedit enim nomen in laudatiſſimam illam D. Dominici ſodalitatem, in qua, ut primùm inſtituta eſt, tanquam in optimo ac fertili agro, eodemq́; benè ac diligenter ſubacto & exculto, viri & doctrina magnitudine, & vita ſanctitate præſtantes, nunquam alii aliis ſuccreſcere, alii ex

Omnib. exemplo eſt.

aliis continenter propagari, ac proſeminari deſierunt. In ea ita vixit, ut juvenis ſenibus, tyro veteranis, novitius exercitatis, tanquam exemplum continentiæ, tolerantiæ, frugalitatis, obedientiæ, omnis denique virtutis proponeretur. Erat enim in eo, atteſtante Eccleſia, admirabilis patientia, profunda humilitas, ſumma vitæ auſteritas, continuum orationis ſtudium, & regularis obſervantiæ, ac divini honoris ardentiſſimus zelus.

Litteris mirè proficit.

Philoſophiæ poſtmodùm ac Theologiæ ſtudiis imperiò ſuperiorum admotus, adeò in iis brevi temporis intervallo excelluit, ut Lector deſignatus, ambas facultates variis in locis ſumma cum laude, magnoque auditorum affluxu, per multos annos docuerit. Sacras conciones, Quadrageſimali potiſſimùm tempore, in nobiliſſimis Italiæ civitatibus tanto cum fervore ac fructu ad populum habuit, ut maximam inde famam ex converſorum multitudine, totâ

Inquiſitoris munere ſanè fungitur.

paſſim Italiâ collegerit. Inquiſitoris deinde officium adeptus, illud inviolabili animi fortitudine diù ſuſtinuit, multaſque Civitates ac populos, non ſine præſenti capitis diſcrimine, ab hæreſi tum graſſante immunes ſervavit. A Paulo IV. (cui ob eximias virtutes chariſſimus erat) ad Nepeſinum & Sutrinum Epiſcopatum promotus, incredibili vigilantia & integritate commiſſum ſibi gregem moderatus eſt; ac eapropter poſt exactum biennium ab eodem Paulo ad

Purpurâ decoratur.

purpuram aſſumptus. Non multò pòſt à Pio IV. Pauli Succeſſore ad Eccleſiam Montis regalis in Subalpinis translatus, cùm plures in eam abuſus irrepſiſſe cognoviſſet, totam Diœceſim diligenter luſtravit, rebuſque ad animi ſui votum compoſitis, Romam reverſus, graviſſimis identidem negotiis applicatus, nihil favori aut gratiæ deferens, unicè quod juſtum erat, Apoſtolica libertate & conſtantia decernebat.

Poſt

Poſt Pij IV. obitum, anno noſtræ ſalutis 1566. ſeptimo Idus Januarii (auctoribus Alexandro Farneſio, Carolo Borromæo, ac Sitico Altaempſio Cardinalibus) unanimi Patrum conſenſu & ſuffragiis, divino potiùs quàm humano nutu, vir integerrimus juxtà ac ſanctiſſimus, præter ſuam omniumque expectationem, gubernaculis Eccleſiæ Dei ſummus rector atque nauclerus admotus fuit. *Quam profectò dignitatem* (inquit hoc loco Ciaconius) *ille nunquam ambierat; ſed recto itinere gradientem, atque de ſola virtute cogitantem hominem ipſum honores ultrò ſunt inſecuti. Nihil in eo purpura, nihil infulæ mutaverant, niſi ut privata virtus ad honoris culmen evecta, longiùs coruſcaret. Idem enim ſemper ei adfuit morum tenor, idem vita ac diſciplina cultus: juncta comitati ſeveritas, clementia juſtitia, modeſtia libertas, nihil ad gratiam eum facere, aut loqui permiſerant.* Itaque nolenti planè, atque recuſanti ſupremus rei ſacræ Magiſtratus commiſſus eſt, quem denique amicorum precibus fatigatus ac victus, unius Dei ac reipublicæ cauſa, non ſine lacrymis admiſit, aſſumpto, quod ipſi convenientiſſimum erat, Pij V. nomine. *Pontificatû adipiſcitur.*

Audita Pij V. per Urbem electione, magnus Romanum populum timor atque metus invaſit, quòd Paulum IV. in alumno ſuo Pio revixiſſe crederent: quem Inquiſitionis acerrimum propugnatorem, ſeveritati addictum, vitiorum oſorem, propoſiti rectique tenacem, jam ante cognoverant. E contrario nemo bonorum fuit, qui ad tanti viri aſſumptionem non ſummo gaudio exultaverit. Libet in teſtem adducere Antonium Muretum, pulchrè hæc omnia in oratione citata proſequentem: *Ut autem divino ſuffragio* (inquit ille) *in demortui Pij IV. locum ſuffectus eſt Pius V. tanta ſubitò extitit bonorum alacritas & exultatio, tanta improborum fuga & trepidatio, ut neque illi quidquam ſibi optatius potuiſſe contingere, neque hi uſpiam ſe in tuto poſſe conſiſtere arbitrarentur. Cernere erat bonos hilares & erectos; triſtes improbos & abjectos: illos gaudio triumphantes, hos de conſciſcendo ſibi voluntario exilio conſilia inter ſe communicantes: illi gratulatum ad Templa convolabant, hi aſpectum hominum, lucemq; vitabant: illos ſublatos in cælum, hos amandatos infrà terram putares. Neque verò multis edictis, aut programmatis opus fuit ad peſtes quaſdam hominum ex Urbe pellendas. Ut ſol exoriens nebulas diſjicit, ut ventus aream purgat, ita nomen ipſum novi Pontificis diſſipavit improbos, & Urbem tetra illa impurorum hominum colluvione purgavit.* Diverſum hoc populi de ſe judicium, metumque, ut Pontifex Pius audivit: *Confidimus*, inquit, *Deo, nos divina ejus ope ità Pontificatum adminiſtraturos, ut majorem populus Romanus ex obitu noſtro mœrorem ſit percepturus, quàm ex noſtra exaltatione metum perceperit.* Quod quidem vaticinium omnium lacrymis in ejus obitu comprobatum eſt, ut ſuo loco referemus. *Pii lætitia, malis terrori eſt.* *Muretus in orat. funebri.* *Vaticinatur.*

Supremam porrò ſacri imperii thiaram XVI. Kal. Februarii, die natali ſuo (qui D. Antonio ſacer eſt) ante Baſilicam Vaticanam more majorum ſuſcepit: pecunias in adſtantem populum ſpargi, ne qua ſtrages avidè rapientium ederetur, prohibuit: eam verò auri ſummam viritim in pauperes diſtribui, milleque aureos numos in ſingula Urbis monaſteria impartiri præcepit. Ferunt ea die in ſolos inopes, religioſos, ac ſacra loca, ducenta propè aureorum millia fuiſſe expenſa. *Coronatur.* *Ejus munificentia.*

Pius

Moribus emendandis ſtudet. Pius in Petri ſede collocatus nihil antiquius habuit, quàm ut Sacroſanctæ religionis cultum, omniumque Ordinum, ſed Cleri præſertim mores, ad priſtinum ſplendorem revocaret. Quare familiaribus omnibus ad ſe vocatis ſignificavit, nolle ſe, qui aulam, aut domum ſuam incolerent, ſordere vitiis, ſed innocentiam, puritatemque ſectari. Cardinalibus & Epiſcopis has Chriſti Domini voces, *Vos eſtis lux mundi* ſæpiùs inculcavit. Epiſcopis omnibus Chriſtiani orbis, iiſque præſertim, quibus animarum cura erat injuncta, mandavit, ut ad ſuum quiſque gregem, aut Eccleſiam ſe conferrent, tempore ad hoc illis indicto. Qua etiam de re Apoſtolicas litteras paſtoralis officii zelo, paternæque charitatis ſpiritu plenas tranſmiſit. *Vitia edictis proſcribit.* Judiciorum ſeveritatem, quam jam improbiſſimus quiſque aut eludere, aut perrumpere ſolebat, renovavit; cumque acrioribus remediis egere corruptum Eccleſiæ ſtatum cognoſceret, propoſitis etiam acerbioribus edictis, cenſuris, pœnis, ac ſuppliciis, profligatorum hominum libidinem, audaciamque frænavit. Porrò juſtitiam ſtrictim adminiſtrari exoptans, Cardinales, Tribunalium præſides, Rotæ auditores, cæteroſque Magiſtratus Judicum officio fungentes ſeriò admonebat, ut nullo perſonarum diſcrimine, æqua omnibus jura dicerent. *Juſtitiam ſancte adminiſtrat.* Idque ut exactiùs præſtarent, ipſemet ſingulis menſibus, ſtatuta die, adſtantibus Judicibus ipſis, eos audiebat, qui adverſus Judicem haberent querelas, delinquentem inventum vel amovebat officio, vel aliâ pœnâ delicto commenſuratâ corripiebat. Reos autem juſtè damnatos ita evocabat ad pœnam, ut divitibus pœnam ære redimere, vel ſupplicium commutare non permitteret: ne pœnæ pauperibus tantùm, non divitibus viderentur à legibus conſtitutæ. Hinc nec conſanguineis parcens, Paulum Ghiſlerium ſuum ex fratre nepotem, quo nullus proximior ei erat in familia, Judicis officio malè fungentem, durè increpitum officio, curia, & Urbe removit.

Miſſiones inſtituit. Miſſiones illicò inſtituit plures. Ad Auguſtanum Conventum à Cæſare Maximiliano II religionis cauſa indictum, præter Cardinalem Commendonum Apoſtolicum Legatum, miſit etiam Hieronymum Natalem, & Jacobum Ledeſmam Societatis Jeſu Presbyteros, qui, ne quid religio Catholica detrimenti acciperet, invigilarent. Andream Oviedum Æthyopiæ Patriarcham, & Melchiorem Camerium Nicænum Epiſcopum ex eadem Societate creavit, miſſis ad utrumque Diplomatibus. Cùm verò Æthyopica expeditio, cujus gratia conſecrati erant, vota feſelliſſet, transferre ſe ad Japones, & Sinas juſſit. Hieronymum Piſtorienſem è Capucinorum ordine in Candiam deſtinavit.

Languentibus paternè conſulit. Primo ſui Pontificatus anno, menſe Auguſto, cùm gravis morbus almam Urbem vexaret, atque adeò latè ſe ipſius virus diffunderet, ut pauperum præcipuè, & artificum, qui ſolo manuum labore victum ſibi comparaverant, familiæ integre jacerent in lectulis, Pius ſingulis ægrotis pecuniam in ſubſidium miſit, eiſque decem Medicos ad curam aſſignavit, ac omnibus Jo. Franciſcum Gambaram Cardinalem, Florebellum Epiſcopum, necnon duodecim delectos Cives præpoſuit, qui, ut rectè ſe haberent, diligenter inqui-

rerent,

rerent, providerentque, ne aut pharmaca, aut alimenta opportuna deeſſent, vel ſacerdotes, qui animarum ſaluti conſulentes, eos inviſerent.

Meretricum colluviem edicto graviſſimo ab Urbe, atque ab omni ditione Pontificia expulit: cumque Triumviri Urbis Conſervatores acriter obſiſterent ob locandarum ædium detrimenta, Pius illicò ſilentium impoſuit, dicens: *Ergóne Romani Senatus erit infames haſce mulierculas tueri, & intolerabili earum impudicitia cum diſpendio ſalutis animarum favere? atqui niſi illa Româ diſcedant protinùs, Nos cum univerſa Curia diſcedemus.* Diſceſſerunt plurimæ: nonnullas, ut pejora vitarentur, tolerare neceſſe fuit; quæ in unum Urbis angulum rejectæ, remoto ignobilique loco concluſæ ſunt. Interdixit etiam, ne quis virorum ſacrorum popinas frequentaret: luxumque veſtium, ac conviviorum tota Eccleſiaſtica ditione repreſſit. *Meretrices proſcribit.*

A ſingulis Cardinalium mortuorum quingentos aureos, qui annulorum nomine exigebantur, ac prætereà decem aureorum millia erigendo ſacrarum Virginum Dominicani inſtituti Cœnobio, quod in Quirinali colle magnificè conſtructum eſt, attribui voluit. Tenuioris cenſus Cardinalibus viginti aureorum millia; ſingulis ſacræ Rotæ Judicibus ducentos dedit. In Sacerdotiorum reſignationibus vitioſas conſuetudines ſuſtulit, cavens, ne illa hoc modo ad cognatos quaſi hæreditario jure pervenirent. Cumque his legibus, Romanam Curiam everſum iri plerique conquererentur; *Præſtat*, inquit, *potiùs Curiam Romanam, quàm Religionis, & Eccleſiæ Catholicæ ſtatum everti.* Sanctioribus ac ſtrictioribus legibus Clerum in primis aſtrinxit: nimirum, ut à mundanis ſpectaculis, fœminarum conſortio, choreis, ac potationibus abſtinerent: ne talis, teſſeris, pagellis pictis, aut ullo vetiti ludi genere luderent; vel alia Clericali dignitati adverſantia exercerent. *Multa præclarè egit, quæ nominatim recenſentur.* *Notabile dictum.*

Mariæ Stuartæ Reginæ Scotiæ anguſtiis vehementer condolens, tùm precibus apud Deum pro ejus ab iis liberatione egit, tùm Regem Catholicum, aliosque Principes Chriſtianos ad ejus auxilium incitavit: quin & Nuncium Apoſtolicum Vincentium Laureum Montiſregalis in Subalpinis Epiſcopum in Scotiam deſtinavit, qui apud eam reſideret, & conſiliis ſuis, ac rara prudentia, qua erat præditus, ei ad ſolatium adeſſet, ſcriptis ad eam eo ſenſu litteris propria manu 6. Julij anni 1566. datiſque inſuper viginti millibus aureorum ad ſubveniendum Reginæ neceſſitatibus, plura, cùm ferret occaſio, erogaturus. Regina his acceptis litteris ad Pium reſcripſit VII. Idus Octob. ejuſdem anni, humillimas eidem gratias agens pro conſolatione, & liberalitate exhibita: tum pollicita eſt, omnibus viribus incubituram ſe ad reſtituendam in Regno ſuo, propagandamque Catholicam religionem, auxilio potiſſimùm Nuncij ipſius, qui adhuc in Gallia ſubſiſtebat, & quem ſe brevi viſuram ſperabat. Nuncians deinde filij ſui nativitatem, & elicitum non ſine magna difficultate Procerum ſuorum conſenſum de baptiſmo ei more Eccleſiæ Catholicæ publicè conferendo; ſperare ſe ait, Sacramentorum Eccleſiæ uſum, jam diù per maximam graviſſimamque religionis mutationem, interceptum, ac propemodum exoletum, *Maria Stuartæ Scotiæ Reginæ ſolatio, & auxilio eſt*

 cœptu-

cœpturum in baptiſmate filij inſtaurari, ac renovari. Denique mittere ſe ait familiarem ſuum Stephanum Wilſonem, qui litteras ad Pontificem perferret, ac ſuum, & Regni ſtatum pleniùs coram ſignificaret. De quibus rurſum gratulatus eſt Pius per alias litteras eidem Stephano ad ipſam datas die 22. Januarij anni 1567. cùm adhuc Vincentius Apoſtolicus Nuncius in Gallia eſſet. Qui poſt longam & inutilem ibi moram cùm vidiſſet, clauſum ſibi eſſe omninò per continuas Scotiæ turbas aditum ad eam, per litteras ſæpiùs Reginam ad patientiam, & conſtantiam cohortatus, in Italiam remigravit. Nobiliſſimæ hujus Reginæ vitam, acta, & martyrium fusè deſcripſimus *lib. 4.* Purpuræ doctæ *n. 52. folio 555.* ad calcem vitæ Davidis Cardinalis Betonij.

Eliſabetham hæreticam Regno privatam declarat

Mariâ alterâ Angliæ Reginâ Henrici quondam VIII. ex Catharina Arragonia filiâ in cœlum raptâ, cùm Angliæ Regnum invaſiſſet atque occupâſſet Eliſabetha adulteræ Boleniæ filia, illudque protenſo ſcripta vera religione in extremum hæreſis exitium impuliſſet: Pius prætenſam Reginam hæreticam, ac hæreticorum fautricem, eique adhærentes anathematis ſententiam incurriſſe; ipſamque *ſe ſe Angliæ Reginam & caput appellantem*, prætenſo regni jure, dominio quocunque, dignitate, & privilegio privatam declaravit per Conſtitutionem *Regnans in excelſis &c.* quæ habetur *p. 2. Bullarii :* Catholicisque illius perſecutione afflictis, qua potuit arte, ope & ære ſubvenit. Hæreticos ad Eccleſiæ unitatem redeuntes paterno ſinu excepit, multiſque clementiæ ſignis & auro affecit.

Judæos in ordinem redigit.

Adversùs Judæos multa ſanxit; eos primùm in regione illis attributa, noctu foribus obſeratis, concludi jubens: innovata Pauli IV. Conſtitutione, & ſpeciali Diplomate, ob cauſas in illo contentas, tota Eccleſiaſtica ditione depulit, exceptis Urbe Roma, Avenione, & Ancona: Illos ſæpè ad Chriſtianam fidem hortando, monendoque: ut eorum quamplurimos Chriſto lucrifaceret. Ejus labores irriti non fuêre: quando multi utriuſque ſexus ab ipſo aqua ſalutari perfuſi, Chriſtianam religionem amplexi ſunt. Inter quos præcipuus fuit Elias quidam, Eliæ Levitæ doctrinâ præſtantis filius, qui à Pio ſæpiùs, dum adhuc eſſet Cardinalis, ad fidem Chriſtianam ſuſcipiendam excitatus, quum ille per jocum reſpondiſſet; *Se tunc Chriſtianæ religioni nomen daturum, quando ipſe Pontifex evaderet.* Pius ad Petri ſedem evectus, promiſſionem Eliæ in memoriam revocavit, qui paulò mox ſacri baptiſmi gratiam petiit, & cum tribus filiis, ac nepote, totaque familia, magna celebritate, feria tertia poſt Pentecoſtem, pridie Idus Junij anni 1566. in Vaticana Baſilica, nonnullis Cardinalibus ſuſceptorum munere fungentibus, ab ipſo Pio ſuſcepit, *Michaëlis* ei nomine indito. Hunc Eliam Chriſtianum factum cum omni familia Pius poſteà in Ghisleriorum gentem adoptavit; quæ res adeò hæbreis non diſplicuit, ut ſenſim eodem anno trecenti eoque amplius ſacro baptiſmate initiati memorentur. Nec hebræi tantùm, ſed hæretici quoque tanti Pontificis exemplo permoti, viam veritatis amplexi ſunt. Inter quos inſignis fuit Olicæ Principis converſio: qui Romam profectus, ac Pij ſanctitatem demiratus, cùm in Poloniam rediiſſet, nativam hæreſim Lutheranam cum

Nobilem hæbræum mirè convertit.

Olica Princeps fidem Cath. amplectitur.

uxore

uxore & filiis ſolemni ritu ejuravit. Eodem exemplo Vir primarius ex Anglia, qui primùm ſacros ritus irridebat, ubi interfuit anniverſariæ Corporis Chriſti ſupplicationi, viditque qua reverentia Pius adorandum illud circumferret Sacrametum, abdicato errore, pœnitens in ſanctæ Eccleſiæ gremium receptus eſt.

Congregationem fratrum Joannis Dei (quem Urbanus poſteà VIII. Beatorum catalogo adſcripſit) pro curandis pauperibus infirmis ſub regula S. Auguſtini erexit. Imò ſub eadem regula militantem Congregationem Clericorum Regularium *de Somaſcha* dictorum (qui locus eſt Mediolanenſis diœceſis, ſeu S. Majoli, quæ Eccleſia fuerat ordinis Cluniacenſis, dictis Clericis à Carolo Cardinale Borromæo attributa) ab Hieronymo Æmiliano patritio Veneto inſtitutam, tribus ſubſtantialibus votis alligavit, eamque multis privilegiis ac beneficiis auxit. Ciſtercienſem Ordinem in utraque Sicilia mirè collapſum, ad primævum ſanctitatis vigorem reſtituit. Cùmque jam antehac ordinem Servorum B. Mariæ in duas familias diviſum, in unum idemque corpus, ac in unam eandemque familiam, uni duntaxat capiti ſubjectam, ſub eadem regulari diſciplina reduxiſſet, Conſtitutione deſuper edita id firmavit III. Kal. Junij anno 1570. & incommoda, quæ bonum religionum perverterent, excidit. Humiliatorum Ordinem, tentatâ prius ſed in caſſum Monachorum emendatione, Conſtitutione data VII. Idus Februarij anno ſalutis 1570. extinxit, & abolevit. Vide, quæ de hujus ordinis abolitione diximus in Purpura docta *lib. IV. n. 75.* in vita Caroli Borromæi.

Sacros Ordines fovet, atque reformat

Porrò Societatem Jeſu, quam unicè dilexit, multis privilegiis, gratiis, ac beneficiis nobilitavit Pius. Collegium Pœnitentiariæ Vaticanæ Baſilicæ, quod olim ex ſacerdotibus ſæcularibus, Regularibusque conſtabat, uni Societati addixit. Concionatorem, quem ipſe & Cardinales audirent, à beato Franciſco Borgia petiit: Benedictus Palmius omnium primus è Societate, deinde Alphonſus Salmeron, mox Franciſcus Toletus, & Paulo V. audiente, Benedictus Juſtinianus inſigni hoc munere præclarè functi ſunt. Clericorum Sacerdotio Romæ initiandorum, & ſacerdotum, aliorumque ſacerdotia poſtulantium examen, cum aliis, uni ex Patribus Societatis commiſit. Beato Franciſco Borgia rogante, duas inſtituit Cardinalium Congregationes; quarum altera hæreſum extirpandarum, altera fidei propagandæ rationem pertractarent. Societatem, rejectis invidorum calumniis, non ſemel litteris defendit, & commendavit. Cùm rumor aliquando apud nonnullos percrebuiſſet, velle Pium habitum, & inſtitutum ejuſdem Societatis mutare, is Pacheco Cardinali roganti dixit: *Abſit à nobis hoc grande peccatum*; & Patres laudavit, eorumque Conſtitutiones firmavit, ac inſuper decrevit, ut humaniores litteras, Philoſophiam, & Theologiam, aliaſque liberales artes in Urbibus etiam, in quibus Univerſitas, ſeu Gymnaſium publicum extaret, docere poſſent. Statuit prætereà, ut Collegij Romani Profeſſores diſcipulos ſuos ad id idoneos, Philoſophica, & Theologica laurea cohoneſtare queant. Quod etiam à Paulo IV. ut alibi diximus, ſtatutum.

Societatem Jeſu multis beneficiis proſequitur.

Deplorata Caraſſarum cauſa ſuffragatur.

Caraſſas Pauli IV. nepotes ac propinquos, à Pio IV. exauctoratos & damnatos, examinatâ rurſus eorum causâ, ad honorum & dignitatum jura admittendos judicavit, ex quorum familia Antonium ſibi notum, & virtute probatum virum, purpuræ honore condecoravit. Utque ſe Pauli memoriæ gratum oſtenderet, nobiliſſimum marmoreum Mauſolæum, ad Minervæ Templum, cum Sacello conſtruxit, ſex millibus aureis inſumptis; annuoque reddito aſſignato, ut quotannis ſolemnes Pontifici Paulo exequiæ ſolverentur.

Rei Catholicæ paterno zelo invigilat.

Erga ſuſpectos de religione ſeveriſſimum ſe Pius exhibens, eos per Italiam diligentiſſimè conquiri juſſit, & Romam deductos, ni convicti reſipiſcerent, ſuppliciis affici. Et ne homines in errorum circa fidem pericula inciderent, magiſque in fide inſtruerentur, anno ſalutis 1571. die 6. Octobris Conſtitutionem edidit, qua decrevit inſtitui ubique locorum ab Ordinariis Sodalitates Doctrinæ Chriſtianæ, eiſque viros doctos præfici, qui impuberes utriusque ſexus, aliosque divinæ legis expertes, bonis moribus, ſanaque doctrina, ſtatis temporibus per Septimanam inſtruerent. Erat adeò Pius tuendæ amplificandæque religionis Catholicæ ardore Succenſus, ut nihil prætermitteret, quò frementium luporum rabiem à Dominico grege vigilantiſſimus Paſtor arceret. In primis, ut in Gallia veræ religionis cultus ab Hugenottis peſſumdatus reſtitueretur, & conſervaretur; & hæreticorum ſecta ab Eccleſia, & Rege ſuo deficientium deleretur, ab ipſo ſui Pontificatus exordio, ac deinceps continenter, non ſolùm conſiliis & pecuniis, ſed armatorum etiam ſubſidiis opportunè juvare non deſtitit. Cumque Joanna Regina Navarræ in judicium vocata, toto animo & conatu hæreſi patrocinaretur, eamque foveret, & proveheret, Reginam Catharinam Regis matrem hortatus eſt, ut vel ejus Regni ſibi vindicandi occaſionem caperet, vel pateretur, ut ipſe Apoſtolica auctoritate, ejus aliquem è Valeſia domo Regem conſtitueret. Alioquin eſſe ſibi in animo, eâ uti hæreticâ condemnatâ, & ſceptri jure ſpoliatâ, Hiſpaniarum Regem ad eam Regni partem, quam Joanna tenebat, quamprimùm fieri poſſet, occupandam inducere. Nec verbis tantùm, ſed operibus hæreſim perſecutus, aurea ſcuta ſexcenta millia, & quinquaginta in ſolos hæreticos, præter myriadem in Turcas exhauſtam, conſumpſit.

Reginam Navarræ, niſi reſipiſcat, regni privatione terret.

Virtus rerum ab ipſo benedictarum miraculoſa.

At ut omnium mentes ad Deum colendum excitaret, cunctiſque ſalutis remedia & adminicula ſuggereret, precatorios globulos, æreas, argenteas, aureas, cruces, Sanctorumque imagines, ac cœleſtis agni cereas effigies ritè conſecravit. Nec defuit iſtis religionis inſtrumentis ac Pii benedicentis ſanctitati, virtutis divinæ teſtimonium. Nam ex agno ſacro, quem ille conſecraverat (ut multa id genus patrata ab eo miracula ſilentio prætercam) munitus miles Catholicus, igneis globis non modò non penetrari, aut ferro transfodi, ſed nec lædi unquam potuit: eo verò deſtitutus, primò ictu transverberatus eſt. Cumque in tumeſcentem Tyberim, atque ex alveo ſummo populi Romani, & incolarum Urbis terrore exundantem unus ex cereis illis orbiculis à ſe benedictis, ipſo jubente, fuiſ-

ſet

ſet projectus, confeſtim impetus aquæ, inſpectante ad admirante populo, reſedit.

Ejus in egentes, & benemeritos liberalitas.

Quanta verò eſſet ejus in egentes, & viros de Eccleſia benemeritos charitas, & beneficentia, credi vix poteſt. Epiſcopis è ſedibus ſuis pulſis omni ope, ac ære ſubveniebat; iiſque, qui Apoſtolicarum litterarum ſtatum pretium ante conſecrationem ſolvere non poſſent, illud liberaliter condonabat. Miniſtris etiam utiliter pro ipſa Eccleſia laborantibus, in externis & operoſis præſertim legationibus, præter conſueta ſtipendia, pro modo periculi & laboris, multa largiebatur identidem.

Humilitas.

Non moris retinendi cauſâ, ſed integro animi affectu pauperum pedes abluere, atque exoſculari conſueverat: quòd ſi qui corruptis fœdo aliquo ulcere cruribus occurrebant, amantiſſimè complexus oſculis etiam ſuaviabatur. Urbis Xenodochia non rarò ipſe ſecretò inviſens. decumbentes ibi ægrotos præſentiâ & alloquio ſuo conſolabatur; & quì cum illis ageretur? an ſatis eorum tum animi, tum corporis ſaluti conſultum eſſet? perhumaniter interrogabat: denique ſolatio & nummis affectos Præfectorum curæ paternè commendabat.

Munificentia.

Noſocomio, quod à ſancto Spiritu cognominatur, viginti aureorum millia dono dedit: Clericorum Seminario octo millia; Sodalitati B. Virginis Annunciatæ ſex millia, & plura in dotem pauperum puellarum matrimonio collocandarum. Quarum ideo, cunctorumque egentium Romæ degentium nomina certo libello cenſeri, ac deſcribi curavit; univerſiſque pro ſingulorum neceſſitate ac ratione abundanter providit: Quin etiam in carcere detentis, aut lites proſequi præ facultatum tenuitate non valentibus, ut gratuitò jus fieret, præcepit.

Ædificia pia.

Catechumenis & Neophytis, cùm multi ejus opera Chriſtianam religionem ſuſciperent, & jam antiqua domicilia eis à Paulo III. parata non ſufficerent, laxiores & commodiores ædes coëmit, quibus & non mediocre vectigal attribuit.

Eccleſiam S. Mariæ Ægyptiacæ, olim B. Virgini Mariæ dicatam, Armenis ad fidem converſis conceſſit, atque in ea ritu Armenico ſacra faciendi facultatem indulſit. Aquæ Virginis ductum vetuſtate collapſum inſtauravit. Cœnobium S. Dominici in regione Montium ædificavit, atque ad illud moniales è monaſterio S. Sixti tranſtulit. SS. Silveſtri & Martini in Montibus Eccleſiam parœcialem inſtituit. Juſſit in feſto S. Thomæ Aquinatis, quem Eccleſiæ Doctorem nominavit, Symbolum in Miſſæ ſacrificio recitari: conceſſitque Regem Hiſpaniæ in Canone nominari.

Cæſari ſubſidia adverſus Turcas præſtat.

Maximiliano Cæſari bellum cum Turcis in Ungaria gerenti, nongenta aureorum millia miſit, ac centum millia in ſingulos annos, durante bello, pollicitus eſt: quo tempore ſolemnes pro felici armorum ſucceſſu precationes inſtituit, quas ipſe pietate flagrans, pedes celebravit: eoque tranſeunte, nonnulli à ſpiritibus immundis obſeſſi, tactâ Pontificis ſtolâ, liberati ſunt.

Coſmum Medicem Magni Ducis titulo donat.

Coſmum Medicem ob inſignia pro Eccleſiæ adverſus hæreticos defenſione præſtita beneficia, *Magnum* Hetruriæ *Ducem* cum perpetuo in ſucceſſores titulo creavit, eidemque ducalem Coronam his verbis inſcriptam impo-

impoſuit: *Pius V. Pont. Max. ob eximiam dilectionem, ac Catholicæ religionis zelum, præcipuumq; juſtitiæ zelum Coſmo donavit.*

Romanis fame laborantib. ſuccurrit

Fame quondam inſolita Romam premente, tum ex Sicilia, tum ex Gallia, Apoſtolicæ Cameræ ſumptibus, ingentes pro centum aureorum millibus tritici acervos collegit, quos etiam longè vilius, quàm ementi ſibi conſtitiſſent, laboranti populo vendi juſſit: Qua de re expoſtulanti Quæſtori Ærarij, ſapienter & magnificè reſpondit: *Turpe eſſe, & indecorum Principi maximè ſacro, ex omni occaſione lucrum captare, quæſtumq; odorari, quod vel in Veſpaſiano Cæſare reprehenſum eſſet.* In urbanis quoque, ac in externis ædificiis magnificum ſe oſtendit Pius: Nam & Lateranenſis Baſilicæ laquearia perfecit, inauravitque; & Fabricæ S. Petri ſtructuram continuavit, ac ſacellis & cubiculis plurimis Vaticanum palatium auxit. Templum etiam militibus helvetiis, Pontificiæ cuſtodiæ deſtinatis, erexit & attribuit. Fontes porrò publicos magno civium commodo in Urbem deduxit: labantia mœnia, ſacras ædes, monaſteria, oratoria, Turres, pontes, aquæductus, & alia id genus reipublicæ perneceſſaria monumenta vel extruxit, vel inſtauravit: ut longum videre eſt apud eos, qui nomen Pii ſuis ſcriptis æternitati commendârunt.

Multa pietatis monumenta condit.

Beneficia gratus redhibet.

Erat porrò ut inſignis beficiorum retributor, ſic & injuriarum in ſe commiſſarum eximius condonator: utriuſque rei luculentum affero teſtimonium. Cùm in ipſa inaugurationis ſuæ pompa, ſacra thiara jam jam redimitus, è Lateranenſi palatio in Vaticanum rediret, ac in medio circumfuſæ multitudinis ruſticum quendam (qui ante ſedecim annos eum Bergamo Cremonam versùs fuga ſe ſubducentem tuguriolo exceperat) conſpexiſſet, &, ut erat tenaciſſimæ memoriæ, agnoviſſet: accerſito è turba ad ſe homini, nil ſimile tum cogitanti, *Ego*, inquit, *frater ille Dominicanus ſum, quem tu olim Bergamo aufugientem hoſpitio excepiſti: æquum eſt, ut præſtitum tibi obſequium gratanter penſemus.* Statimque juſſit ei in ſuos uſus, & duarum filiarum dotem mille quingentos aureos numerari. Similiter F. Aurelium Grianum, cujus fidei quæſtionem in Epiſcopum Bergomenſem de hæreſi ſuſpectum formatam fugitivus commiſerat, ad Pontificis pedes deoſculandos procedentem agnoſcens, impensè laudatum Lectrienſis Eccleſiæ Epiſcopum creavit. Injuriarum immemor, bonum ſæpè pro malo redhibuit. In ipſo Pontificatus exordio, cùm nebulo quidam vulgato carmine petulanter inceſſiſſet Pium; comprehenſus, crimenque ſaſſus, ex lege pœnam mortis daturus erat: interrogatus à Pio cujus conſilio famoſum carmen panxiſſet? dicente illo ex dæmonis inſtinctu: Tu Pius: *Si tu mihi uti Pontifici maledixiſſes, haud impunè ferres; at quia in fratrem Michaëlem, in monachum, ob craſſiores calceos ſcomma jactâſti, abi liber quò velis; nil moveor convitio, ſum enim ego q; ſemper vilis & abjectus in oculis meis. Tu autem lingua impoſterum petulanti abſtineas, ne maledicendi libidine vitæ tuæ compendium facias.* Sed majus eſt atque mirabilius, quod ex Maſſonio ſubjiciam. Cùm vir præpotens ac primarius è nobilitate Romana vitæ ejus inſidiatus eſſet, deprehenſæque litteræ eſſent ejus rei indices, Pius, vocatis duobus præſtantiſſimis Cardinalibus, præſenti reo litteras exhibuit, ſimulque an ſuas agnoſceret? interrogavit:

Injurias condonat.

Digitized by Google

vit: fatenti crimen, ac ſimul veniam de genu deprecanti Pontifex condonatâ vitâ ultrò benedixit; impoſitâ reo, ac purpuratis teſtibus perpetui ſilentij pœnâ.

Dum per Galliam Hugenotti hæretici ab anno 1562. uſque ad annum 1569. incredibili veſania & immanitate in Eccleſiam Dei graſſarentur: nam Templa, altaria, imagines, Monaſteria paſſim demoliti ſunt: Turres & mœnia oppidorum Catholicorum diruerunt; cives & incolas aut expulerunt, aut inſpicientibus liberis & uxoribus, gladiis trajecerunt; aurum, argentum, ac pretioſa quæque minis, tormentis, ac ſuppliciis extorſerunt; ſacra prophanârunt; ſupellectilem rei divinæ comminutam diripuerunt; ſacro Chryſmate & oleo, ocreas, calceos illiniverunt; ſacram Euchariſtiam Dominici corporis & ſanguinis, ſclopetis, haſtis, pugionibus tranſverberârunt, pedibus proculcârunt, projeceruntque canibus vorandam; Dei viventis & ſempiterni nomen ſanctum & terribile, adhæc Divos omnes, & Eccleſiam blaſphemis vocibus proſciderunt; Sanctorum reliquias effractis monumentis & thecis exuſſerunt, præſertim corpora S. Martini, Irenæi, Hilarij, aliorumque: verbo, infra ſeptem non totos annos, ſexcenta Monaſteria vaſtarunt; & ſacerdotum Dei quinque millia ſtrangulârunt, globis igneis transfixerunt, aſſaverunt, excoriârunt, exenteraverunt, merſerunt, aliiſque horrendis ſuppliciis excruciârunt. Pius per crebros nuntios, rerum admonitus, non cunctanter auxiliares copias, ſex millia peditum, ac quingentos ſupra mille equites, duce Sfortia ſanctæ Floræ Comite, cum ingenti armorum, commeatus, & æris apparatu in Galliam miſit: quibus auctus Carolus IX. Rex, victoriam longè maximam de Hugenottis (Condæo eorum duce unà cum multis millibus cæſo) die 3. Octobris anni 1569. reportavit. Signa hoſtium capta, Romamque tranſmiſſa, juſſu Pij Pontificis, in Baſilica Lateranenſi ad æternam rei memoriam cum hac epigraphe ſuſpenſa ſunt.

Hæreticos in ſacra quæque immaniter graſſantes reprimit.

Victoria de Hugenottis inſignis.

PIUS V. PONT. MAX.

SIGNA DE CAROLI IX. CHRISTIANISSIMI GALLIÆ REGIS PERDUELLIBUS, IISDEMQUE ECCLESIÆ HOSTIBUS A SFORTIA COMITE SANCTÆ FLORÆ PONTIFICII EXERCITUS DUCE CAPTA, RELATAQUE IN PRINCIPE ECCLESIARUM BASILICA SUSPENDIT, ET OMNIPOTENTI DEO TANTÆ VICTORIÆ AUCTORI DICAVIT, ANNO MDLXX.

Hujus rei monumentum publicum.

Pari felicitate ultimo ſui regiminis anno, Selymum Turcarum Tyrannum multis elatum victoriis, inito cum Rege Hiſpaniæ ac Venetis fœdere, Duce Joanne Auſtriaco *ad Echinadas inſulas* non tam armis, quàm fuſis ad Deum precibus nonis Octobris anno ſalutis 1571. devicit: quo in prælio quadraginta hoſtium millia cæſa, ac decem millia capta; Chriſtianorum verò captivorum octodecim millia in libertatem vindicata referuntur. Memorabilem hanc victoriam, quatuor horarum ſpatio obtentam, Pius ea ipſa hora, qua accidit, Deo revelante cognovit, ſuiſque familiaribus indicavit. Hanc

Turcas ingenti ſtrage ad Echinadas afficit.

Hanc ipſam fuſiùs ex idoneis auctoribus deſcripſimus *libro V.* Purpuræ doctæ *n. 24* ad calcem vitæ Hieronymi Card. Albani *fol. 65.* quò lectorem curioſum, ne longior ſim, remitto.

Ægrotat, ac mortem prædicit.

Vix dici poteſt, quanto gaudio ex inſigni hac victoria Pius fuerit cumulatus, qui majora animo concipiens, novamque in hoſtes expeditionem moliens, dum varios in omnes regiones ad diverſos Principes legatos mittit, lethali morbo in medio conatu opprimitur: Quo cùm quadraginta ſolidos dies acerbiſſimè afflictaretur, nullo impatientiæ edito ſigno, illud frequenter in ore habuit: *Domine auge dolorem, dummodò augeas & patientiam.* Mortem autem ſibi ab ipſo morbi principio certam atque exploratam ita non exhorruit, ut de ea ſine ulla prorſus aut vultus, aut animi perturbatione, ceu de re gratiſſima, loqueretur; planeque oſtenderet, eam à ſe, ut divus Paulus ait, in lucro poni. Præſciviſſe verò eum, ſibi ex illo morbo moriendum, duas apertas, atque illuſtres ejus rei ſignificationes dedit. Unam, quòd Cardinalem Alexandrinum, vigeſimo nono ante obitum die, ſacroſanctam Euchariſtiam ſibi porrigentem, & uſitata verborum formula utentem, juſſit inſiſtere, & ità verba concipere, ut in iis tantùm fit, qui ſanctiſſimum illud ſacramentum pro viatico accipiunt, ceu paulò pòſt ad aliam vitam commigraturi: Alteram, quòd cum ob quandam morbi levationem depulſum ab eo eſſe mortis periculum conſtans medicorum opinio eſſet, ſeptem præcipua Urbis Templa inviſere voluerit, ejusque itineris, quanquàm viribus, morbi gravitate & longinquitate dejectis, magnam partem pedibus confecerit, apertè profitens; *velle ſe eorum reliquias poſtremùm videre in terra quos ſe non multò pòſt viſurum ſperaret in cœlo.* Ex ſacra peregrinatione redux, lectulo decumbens, hiſtoriam dolorum & mortis Chriſti ſibi prælegi juſſit, attenteque nec ſine lacrymis audivit. Auctor mox morbo, poſt ſuſceptum iteratò divinum immoralitatis epulum, ſacro exeuntium liquore inungi voluit. Tum poſt preces, quibus morientium animi juvantur, ſublatis in cœlum oculis, crucis imagine junctis manibus efformata, intermortuis vocibus, ea verba protulit, quibus ſe, Eccleſiamque Deo optimo maximo commendavit.

Sanctiſſimè moritur.

Quæſumus Auctor omnium,
In hoc Paſchali gaudio
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.

His dictis crucem amplexus, ſanctiſſimo fine vitam meritis cumulatam beatiſſimus Pontifex concluſit Romæ Kalendis Maji, anno ſalutis 1572. ætatis ſuæ ſexageſimo octavo, cùm ſediſſet annos ſex, menſes tres, dies viginti quatuor.

Corpus ejus in Baſilica Principis Apoſtolorum primò conditum, poſteà Sixti V. juſſu ad Eccleſiam S. Mariæ Majoris ad Præſepe translatum, marmoreoque monumento nobilitatum eſt, ubi hodiedum ſumma fidelium veneratione, ob crebra miracula à Deo ejus interceſſione patrata, colitur. Refert Seraphinus Razzius *lib. 1. de Viris illuſt. Ord. Prædicatorum*, Sanctiſſimo Pontifici, ante ejus trans-

translationem, hoc elogium in Vaticano Epitaphii loco inſcriptum fuiſſe.

Ejus Epitaphium.

Pius V. Pontifex Maximus, optimus Princeps, *Religionis ac pudicitiæ vindex ; recti & juſti aſſertor ; morum & diſciplinæ reſtitutor ; Rei Chriſtianæ defenſor: ſalutaribus editis legibus, Galliâ conſervatâ, Principibus fœdere junctis, partâ de Turcis Victoriâ, ingentibus auſis & factis, pacis belliq; gloriâ, æternùm felix hic requieſcit.*

Multis & veris elogiis condecoratur.

Nemo Scriptorum facilè invenitur, qui non agglomeratis elogiis in laudem Pii excurrat : horum integram claſſem cum Victorello *in additionibus ad Ciaconium* exhibet Oldoinus: mihi ſuffecerit unum alterumvé ex multis delibâſſe : Paulus Manutius in Epiſtola ad Marium vocat eum ; *Optimum atque ſanctiſſimum Pontificum, quos ætas ſua viderit.* In Epiſtola verò præfixa libro *de Dei locutione*, appellat eum ; *Piiſſimum, doctiſſimum, humaniſſimum, integerrimum, rectâ ſimpliciq;, & ab omni fuco faſtuq; alienâ naturâ præditum, qui in omni vitæ curſu divitiis, dignitatibus omnibus divina ſtudia prætulerit.* Genebrardus *lib.4.* Chronographiæ : *Virum ſanctum : eoq; nomine etiam hæreticis venerabilem, ac Turcis formidabilem, adverſus quos fœdere ſacro colligavit Hiſpanos, Venetos, Italiæ Proceres, Equites Melitenſes &c. Pontificem longiori ſeſſione digniſſimum ad corruptelas ſuorum temporum profligandas.* Joannes Planerius Brixienſis in deſcriptione patriæ, poſt multas laudes, quibus eum mirè exornat, hæc ſubjungit : *Urbem Romam vitæ ſanctitate innocentia, ſanctiſſimis inſtitutionibus, & legibus inſtruxit : litteratos omnes ad ſummos honores evexit ; virtus tunc & probitas ſub Principe Pio revireſcere, atque effloreſcere cœpit.* Zacharias Boverius *in Annalibus Capucinorum*, dum narrat Pii obitum, hæc habet : *Flebilis hic annus milleſimus quingenteſimus ſeptuageſimus ſecundus, incredibili omnium mœrore Pium V. Pontificem maximum, Pontificum gloriam, Sedis Apoſtolicæ decus, virtutum omnium columen, Infidelium terrorem, ſanctæq; Eccleſiæ delicias, magna etiamnum animo cogitantem, maximo totius Reipublicæ Chriſtianæ damno, ipſis Kalendis Maij eripit.* Nec omittendus hoc loco Cananus illius temporis Poëta non ignobilis, qui in Pii laudem ſequentes verſus panxit.

Canani de eo Carmen.

Quinque fuère PII poſt divi tempora Petri,
Sed Quintus Felix *dicitur, atque* Pius.
Nam Pius *Hæreticis charum defendit ovile ;*
Felix *cum Turcis maxima bella gerit.*
O Pia proſperitas ! pietas ò proſpera ! quæ ſic
Commiſſum duplici ſervat ab hoſte gregem.

Ingentem pecuniam in ærario reliquit.

Addam & hoc : Poſt obitum Pius (ultrà vicies centena millia adverſus Turcas & Hæreticos, atque in alia pietatis opera, expenſa) decies centena millia numorum aureorum reliquit;ac quinquaginta millia in nominibus, poſt tres inde menſes exigenda; præter tredecim millia in ejus cubiculo inventa, quæ tenebat ipſe in pauperes eroganda ; & centena millia, quæ præ manibus habebat intimus

ejus

ejus quæſtor ærarii, ad varios & inopinatos caſus. Ut mirum non ſit Populum Romanum, in grati animi ſignum, eidem ſtatuam in Capitolio decreviſſe; quam tamen ipſe vanitatis oſor erigi ſibi vetuit his verbis: *Satiùs eſſe, longeq́; præſtabilius, ut quis in pectoribus bonorum Civium inſigniretur, ac perenniter viveret virtutum exemplis, quàm marmoreum aut æreum in foro ſtare; cùm re ipſa præter cinerem & vermium eſcam homo nihil ſit.* Relatus eſt in numerum ſanctorum à Clemente XI. Pontifice maximo die 22. Maij anni 1712. uti refert in vita Pii noviſſimè Italicè ſcripta Auguſtinus Matteucius Franciſcanus, Romæ typis cuſa eodem anno, quo Pius Sanctorum faſtis adſcriptus eſt.

Statuam ſibi erigi vetat.

Sanctis adſcriptus à Clemente XI.

SCRIPTA.

Pii Scripta.

Scripſit Pius *Catechiſmum* pro Inſtructione Sacerdotum, ut teſtatur Petrus Louvetus.

Catechiſmum item ad Parochos, ex Concilii Trid. Decreto compilatum: qui deinde Pii juſſu publicatus, vario idiomate, juxtà nationum Chriſtianarum diverſitatem linguarum typis prodiit.

Tractatum inſignem contra hæreſes.
Orationes diverſas.
Sermones ſacros quamplurimos.
Epiſtolarum Libros quinque.

Præter Catechiſmum Romanum editum, Miſſale etiam, & Breviarium expurgandum, & cudendum curavit.

Opera item SS. Thomæ Aquinatis, & Bonaventuræ luculentiore charactere in gratiam ſtudioſorum magnis ſumptibus excudi fecit.

Conſtitutiones & Decreta ejus habentur in Collectione Romana & Bullario.

Obitus B. Stanislai Koſke S. J.

Hoc Pontifice Eccleſiæ gubernacula tractante, obiit, imò abiit in cœlum B. Stanislaus Koska Polonus, Societatis Jeſu Tyro, qui cognata Angelis virginitate candidus, Virginum Sponſum in Angelico pane, & vinum germinans virgines ab Angelis, aſſiſtente S. Barbara Virgine, incenſo reverentique animo accepit: à Clemente VIII. Beatorum catalogo poſteà inſertus.

ANNO CHRISTI MDLXXII.

Imperatore MAXIMILIANO II. Auguſto.

DE

GREGORIO XIII. Pont. Max.

CCXXX. *Gregorii genus, & vitæ primordia.*

Gregorius XIII. Hugo Boncompagnus ante Pontificatum nuncupatus, filius Chriſtophori Boncompagni & Angelæ Mareſcalchæ, qui publicis virtutum meritis priſcam nobilitate Boncompagnorum familiam egregiè, dum vixerunt,

xerunt, illuſtrârunt, natus eſt VII. Idus Februarii anno ab inſtaurata ſalute 1502. Bononiæ, quæ Urbs & opulentia ditionis, & ſplendore civium, & ſtudiis litterarum ſummoperè hodiedùm floret. Hugo indole præditus perquàm amabili, & ſapientiæ idonea, pietatis ſtudio, & ſcientiæ cupiditate flagrans, ſub optimorum cura Magiſtrorum brevi ſemina jecit acceſſuræ magnitudinis. Primâ, & humaniore imbutus litteraturâ, ſe contulit ad Juris utriuſque doctrinam, quam ſibi per conſtantem laborem, ingenio & induſtria excellens, ea omnium commendatione præ cæteris comparavit; ut quamvis adoleſcentior cunctis eſſet, nihilominus adultæ eruditionis intuitu, in Bononienſi Gymnaſio (quod maturæ ſapientiæ theatrum eſt) ejuſdem Interpres Juris fuerit renunciatus. Quo in munere quinquennium ac ultrà accuratè verſatus, facilem ſibi ad ampliſſimos honores aditum aperuit; ingenii ſolertia, & morum integritate, famam promeritus & benevolentiam. Habuit præ aliis auditores ſanguine, virtute ac dignitate præſtantiſſimos, omnes purpuræ decore inſignes, videlicet Alexandrum Farneſium, Chriſtophorum Madrutium, Othonem Truchſeſium, Reginaldum Polum, & Carolum Borromæum. Quorum favoribus, ſed maximè propria ſibi ſuffragante virtute, ad præcipuas ſenſim in Curia Apoſtolica, & Eccleſia dignitates provectus, legationibus, infulis, ac purpura ità inclaruit, ut Pio V. ad meliorem vitam evocato, quinquaginta duobus Patrum ſuffragiis (annitentibus maximè Borromæo, Altaempſio, Alexandrino & Mediceo Cardinalibus) altera ſtatim poſt Conclavis ingreſſum die (quæ fuit III. Idus Martii anno 1572.) ſumma omnium lætitia, & ingenti virtutum ſuarum expectatione Pontifex maximus fuerit ſalutatus, ac Gregorius XIII. appellatus.

Juvenis admodum Juris interpretatur.

Pontifex eligitur.

Electus hoc modo in ſummum Sacerdotem Gregorius, ipſa ſtatim Pentecoſtes feſtivitate ſupra gradus Baſilicæ Vaticanæ, Patribus, Clero, & populo Romano præſentibus applaudentibusque, ſacri imperii diadema accepit. Coronatus, pecunias, quæ in pontificia inauguratione in vulgus de more ſpargi conſueverant, retineri, pauperibusque, ac piis locis citra ſtrepitum diſtribui præcepit: quæ ſumma, atteſtante Ciaconio, ad quindecim aureorum millia aſcendit: cui deinde viginti millia eo fine adjecit, ut in languentes, peregrinos, viduas atque pupillos erogarentur.

Coronatur.

Ut verò, quæ mens ipſi in tanto dignitatis apice eſſet, quævè operari in Eccleſiæ commodum percuperet, ſtatim in exordio ſui regimis cunctis aperiret, graviſſimis hiſce verbis adunatos Patres in primo, quod habuit, Conſiſtorio allocutus eſt: *Nova perſona hac, & novum, quod Nobis Pallium impoſuiſtis, venerabiles fratres, ac dilecti filii, onera duo ſecum procul dubio ferent: alterum vel ipſorum humeris Angelorum formidandum, cuſtodiendi atque paſcendi, his præſertim adeò periculoſis temporibus, gregem Chriſti Domini noſtri univerſum: Alterum, quod humanam omnem facundiam ſuperat, debitas agendi vobis gratias, qui tam honorificè de Nobis judicâſtis. Attamen nolumus deſpondere animum, neque à querelis noſtra ordiri Conſiſtoria: ſperandum enim eſt, divinam bonitatem, quæ ſolet iis, quibus onera imponit, vires ſubminiſtrare, imbecillitati quoque noſtræ ma-*

Ejus ad Patres Oratio.

num ſuppoſituram: Veſtrum autem uniuſcujusque conſilium, atque virtutem in partem laborum, atque meritorum Nobis praſtò futuram. Quod verò ad gratiarum actionem attinet, verba, qua Nobis deſunt, factis ſupplere conabimur, eamq; ſemper auguſtiſſimi iſtius Ordinis debitam rationem habebimus, qua vobis & publica, & privata negotia communicemus. Ac quidem prorſus intelligimus, non poſſe Nos optimis Senatoribus rectiùs gratificari, quàm ſi omni officio Reipublica ſecuritatem ac felicitatem procuremus. Quamobrem curas huc omnes, & cogitationes, atque vigilias conſeremus, ut ſancito contra perfidos Chriſti hoſtes fœderi, niſi per alios ſteterit, Nos ipſi nunquam deſimus. Ut ſancta Inquiſitionis officio ſuus ſtet vigor atque auctoritas: ut Decreta Synodi Tridentina mandentur executioni; morum praecipuè reformatio, atque abuſuum emendatio promoveantur: Ut erga Romanam Eccleſiam Principes Chriſtiani afficiantur: ut alii, qui de ipſa ſunt benemeriti, juſta remuneratione, ac dignitatibus ornentur: ut ejusdem Eccleſia patrimonium, quod injuria temporum, & hominum cupiditate quaſſatum, ac diſperſum eſt, non omninò pereat: ut Magiſtratus & juriſdictio idoneis, & ab avaritia alienis tradantur: ut ſupervacanei, atque inutiles ſumptus tollantur; ne tributis immodicè ſubditi premantur: denique ut ubique Juſtitia, pax, & abundantia, dante Deo, floreant. Qua cùm, quantâ poterimus operâ, procuraverimus, ſperamus, nec conſcientiam Nos coram Deo accuſaturam, & verò vobis, qui eſtis Eccleſia Catholica lumina, ſatisfeciſſe.

Principum publica gratulatio.

At Gregorii fama & virtute ubique gentium divulgata, certatum eſt gratulationibus & reverentia: Cæſar, & Reges Galliæ, Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Hungariæ, Poloniæ; tum Veneti, Genuenſes, Lucenſes, Bononienſes, Helvetii, Batavi, aliique Principes ac Duces Chriſtiani nominis, Romano debita Pontifici venerationis obſequia per Oratores detulerunt: ut longùm videre eſt apud Oldoinum.

Principatum egregiis operibus auſpicatur.

Ipſe verò ſtatim in primordio ſui regiminis egregios ac peritos viros iis præſertim muneribus admovit, quibus conſtat Pontificis majeſtas. Sancita de Tridentina Synodo ab anteceſſore Pio edita confirmavit: Michaëli Medinæ, ac Petro Fontidonio doctrina & fide præſtantibus viris, ut violatam à Magdeburgenſibus impoſtoribus Catholicam veritatem graviter & eruditè, non per convitia vindicarent, animos viresque addidit. Deſignavit ex Purpuratis doctiſſimos quoſque, qui librorum Indicem, quorum lectione interdictum eſt, jam inchoatum perficerent: Epiſcopis, ac Eccleſiarum paſtoribus mandavit, ne homines vagos, imperitos, aut famoſos ſacris miniſteriis & myſteriis admoverent. Ab Hiſpanis, Germanis, Gallis popoſcit clarorum virorum nomina, quibus Sacerdotia demandaret, non caſu, aut fraude, ſed gratia & premio virtutis.

Sobrium ſe exhibet erga propinquos.

Conſanguineos nec ſprevit, nec nimium extulit, ſed inſigni optimæ dominationis documento maluit ſuos regi, quàm regere: & ſanè ipſe eos per ſe rexit, exploravitque omnia, eorum adjutus ope qui præſtarent induſtria, prudentia, & fide; nec quemquam eorum etſi digniſſimum, facilè promovit, niſi rogatus à Senatu. Et ne potentiæ nervos alienis crederet, Philippum Boncompagnum jam laurea Juris conſpicuum ad purpuram evocavit, quò honeſtiùs ejus opera in arduis uteretur. Vetuit prætereà quemque per dona, & avaritiam capeſſere magiſtratus; eoſque repenſo pretio rede-

redemit, qui fuerant venales, & in quibus de Fiſco cognoſcebatur, ne uſurparentur avidiùs, quàm juſtiùs. Vini, ac Suillæ vectigalia ſuſtulit: Provinciarum & Urbium, ac etiam Tribunalium clariſſimos quoſque Præſides, & Adminiſtros qua conſtituit, quà retinuit, aut confirmavit. Singulis hebdomadis diem certum præfixit, quo publicè cujuſcunque generis & conditionis homines audiret, atque aulam in officio contineret: unde metus improbis fuit, & ſpes probis; & minùs peccabatur, quò faciliùs peccata Princeps noſcebat. Pacis amator dedit operam, ut quaquaverſum Reges ac Principes inter ſe colliſos, æquis ſemper conditionibus conciliaret, conciliatos amicitiis, aut fœderibus connecteret. Horum integrum catalogum recenſet Oldoinus in additionibus ad Ciaconium, unius Gregorii induſtria & auctoritate pacificatorum.

Vectigalia tollit: Magiſtratus conſtituit.

Pacem inter Principes procurat.

Tum redintegrando contra Turcas fœderi, & cœptæ jam contra fidei hoſtes expeditioni vires animumque intendit. Quare Marcum Antonium Columnam, virum conſilio manuque promptum, quem Comitiorum tempore Patres Eccleſiaſticis copiis ducem præfecerant, in ſtatione confirmavit. Cæſarem, Hiſpaniæ, Galliæque Reges per Legatos admonuit, ne publicæ cauſæ deeſſent, ſed conſtantes & acres Chriſtianæ religionis defenſores, propagatoreſque ſe ſe præſtarent. Ac licèt Cæſar, Rexque Catholicus piis Gregorij votis nequaquam defuerint, Carolus tamen IX. Francorum Rex, civilia præferens bella ſacris, ad ineundam fœderis ſocietatem perduci non potuit. Quæ res, uti & noſtrorum in navali pugnâ adversùs Turcas inſtitutâ minùs felix eventus, Pontificis animum mirè afflixerunt.

Principes Chriſtianos in Turcas urget.

Unus obnititur Gallus.

Quoniam igitur, detrectante Gallo, hac via nihil profecerat Gregorius, alia via religionis Catholicæ propagationem provehere aggreſſus eſt. Quid igitur? Apertis Eccleſiæ theſauris magno animo, majori liberalitate, tria & viginti Collegia in diverſis Orbis partibus, ceu armamentaria quædam adversùs hæreſes, extruxit, privilegiis, facultatibus, annuoque cenſu locupletavit. Ex quibus Romæ ſunt Germanicum, Britannicum, Neophytorum, Græcorum, Maronitarum, & quod *Romanum* vocamus: in quibus lectiſſimi ex omni natione juvenes ad debellandam hæreſim, à Patribus Societatis Jeſu (quorum curæ ac fidei hæc Collegia commiſſa ſunt) in omni virtutum ac ſcientiarum genere inſtituuntur, acerudiuntur: tanto quidem rei litterariæ, ac fidei Catholicæ emolumento, ut majora hinc vulnera hæreſim accepiſſe fatendum ſit, quàm à gladiis in acie ſtantium militum. Qua de re non minùs verè, quàm eleganter diſſerit Stephanus Tuccius è Societate Jeſu in Oratione, quam habuit in funere Gregorij Romæ coram Purpuratis Patribus: ubi inter alia hæc leges: *Animadvertit vigilantiſſimus Paſtor* (Gregorius) *eorum, quorum gerebat curam, alios ab Eccleſiæ legibus, ac diſciplina deſciviſſe: alios eſſe quidem Orthodoxa fidei cultores, ſed in morum, ac vita rationibus claudicare. Has utraſque ſui gregis partes complexus, inſtitit pervigilare providus Paſtor, ſua ſingulis vel medicamenta, vel pabula ne deeſſent. Ac primùm quaſi incenſis ſemper ſtudiis cantendit oves, qua à vera religionis ſeptis aberrabant, in ovile ſuis, ſi potuiſſet, humeris reportare. Vidit ab*

Tria & viginti Collegia condit, magno rei Chriſtianæ emolumento.

Stephani Tuccii è Soc. Jeſu præclarum de hac re Teſtimonium.

ab aliis armorum motus ad hæreticam impietatem profligandam ſæpè tentatos plus cladis retuliſſe, quàm prædæ; & diuturnitate, vel inauſpicato exitu bellorum non magis hoſtiles, quàm Chriſtianas opes acciſas. Itaque pugnandi rationem aliam ſibi putavit ineundam: parcendum armis; ad probitatis, & eruditionis præſidia confugiendum: non telis ac machinis, ſed ſapientiâ decernendum; non externum militem conſcribendum, qui in impiorum caſtra cataphractus irrumperet, ſed è transfugarum parentum domibus, ac complexu abſtrahendos adoleſcentes, qui credendi, vivendiq; optimis legibus inſtituti, cum ſuis ipſi poſteà civibus, gentilibus, neceſſariis, pedem non vulnerando, ſed benè vivendo, diſputandoq; conſerrent; ut quos neque Centurio, neque turma valeret, ſapiens ac pius Sacerdos debellaret; & quo gladius non poſſet, penetraret oratio. O admirabilem viri ſapientiam! ò inventum ſalutare. Fremat licèt Lutherus; inſaniat Calvinus; debacchetur Zwinglius, ferrum minentur aſſeclæ, aliud cudant Evangelium; novos invehant Chriſtos; unus vos lacerat, ò nocturni prædones, unus vos cruentat Gregorius: & excitatis per Germaniam, Galliam, Sarmatiam, Pannoniam juvenum Seminariis, tanquam aggeribus fidei, vias veſtris ſatellitiis intercludit; veſtris vos implicat retibus; & intra fines, ac parietes veſtros veſtris vos liberis, veſtris vos alumnis oppugnat. Scribunt Cæſar Baronius in Annalibus, & Antonius Poſſevinus, arctiſſima quondam Gregorio familiaritate conjuncti, in erecta ac fundata ab eo Collegia & Seminaria, vicena centena aureorum millia inſumpta eſſe; & decies centena millia in ſolas pauperes virgines, vel monaſteriis, vel matrimoniis elocandas, erogata.

Ingentem auri vim in hac pia opera erogavit.

At non hic conſtitit beneficentiſſimi Pontificis munificentia ac liberalitas: nam, ut multa paucis complectar, Urbem Romanam Templis, Monaſteriis, Seminariis, Oratoriis, Horreis, Pontibus, Viis, Porticibus, Gymnaſiis, Palatiis, Noſocomiis, Carceribus, Tribunalibus, aliisque operibus magnificentiſſimis exornavit. Et cùm comperiſſet Flaminiæ littora à pyratis, magno vicinarum gentium detrimento, circumveniri; Turrim excelſam, eamque munitiſſimam ibi excitavit, cujus proſpectus adverſus Piratas pro munimento eſt. Porrò cùm viatores plerique ad Forumlivij, aquis intumeſcentibus, cederent; eorum calamitati conſulturus, nobilem pontem extruxit, quo deinceps nullum ab aqua periculum timerent. Romanis nullum impoſuit vectigal, & plura ſuſtulit non vulgaris pretij & fructûs. Captivos in Africa; addictos triremibus in Italia, dato auro in ſingulos annos eximere ſolemne illi erat, ac decorum. Litteratos pænè omnes, quos illa ætas tulit, rerum bonorumque præſidiis cumulavit. Quin & inſtruxit Bibliothecam, & typographiam in gratiam & ſubſidium litteratorum. Oblatum à populo Romano aurum accipere recuſavit; *Boni Principis eſſe*, dicens, *aurum dare, non accipere.*

Urbem mirè exornat.

Bibliothecam & Typographiam in ſubſidium litteratorum condit.

Viros probitate, doctrina, atque prudentia ſpectatos delegit, qui omnia Chriſtianæ Reipublicæ officia, inſtituta, moresque recognoſcerent, explorarent mala, admoverent remedia, exſcinderent vitia, benè ſancteque auſa foverent, nihil intentatum, intactumque relinquerent, quod poſſet in melius verti. In hunc finem miſit in omnem Italiam ſeptem Antiſtites dignitatis & virtutis merito pares oneri; tum etiam Auguſtinum Valerium in Dalmatiam; & Caro-

Rei Chriſtianæ paternè conſulit.

& Carolum Borromæum in alpes Rhetiæ: Germaniam verò, Poloniam, Hiſpaniam per Pontificios Nuntios luſtravit; obtinuitque ut Conſtantinopoli etiam viſitatio Apoſtolica nomine Pontificis haberetur. Plura religioſis hominibus utilia ſancivit; ne videlicet in Hiſpanis Cœnobiis pauciores, quàm tredecim commorarentur; ne ad profanam auctoritatem confugerent, nec cum Epiſcopis certarent. Sacrarum Virginum pudori ac ſolitudini proſpexit: Abbatum loca, & munia temporum, hominumque injuriâ labefactata revocavit ad ſuam formam: In primariis Canonicorum cœtibus juſſit ali homines Theologiæ peritos, qui reliquos imperitos inſtruerent: Parochorum redditus minores centum aureis vetuit ulla penſione diminui, ut honeſtiùs viverent. Ægrotis Chriſtianis interdixit ne medicos Hebræos accerſerent, qui vitam corpori polliciti, ſalutem animo invident: Hæreticos ab Italia arcere, Eccleſiæ jura tueri curavit: Sueciam ad fidem Catholicam adducere contendit: Luſitaniæ, Bohemiæ, Scotiæ, Hiberniæque conſuluit: Hæreticis iniqua meditantibus in conventu Ratiſponenſi obſtitit: Gebhardum Truchſeſium in hæreſim prolapſum è Sede Colonienſis Eccleſiæ deturbavit: ad Angliam hæreſi liberandam fortiter incubuit: Auguſtanum conventum in Sedis Apoſtolicæ officio continuit: Hiſpaniæ, Galliæ, Sabaudiæ favit, ac mirum in modum proſpexit: Salutiarum motus cohibuit: ne Rex Romanorum eligeretur veteri more non ſervato, cavit: Cauſam Toletanam diù anteà agitatam, cum plauſu abſolvit: graviſſimum Equitum Melitenſium diſſidium cum partium emolumento compoſuit. Calendarij neceſſariam emendationem, qua decem dies ex Octobri menſe deciſi (veteri errore correcto, & in poſterum cauto) magna cum laude & utilitate promulgavit anno ſalutis 1582. Hujus Calendarij ſic correcti veritatem celeberrimum demonſtrat Palatium Patavinum, cujus ſtructura ex regulis Mathematicis ita exactè compoſita eſt, ut bis in anno per ſolem à feneſtra in feneſtram egredientem quilibet poſſit demonſtratione oculari Æquinoctia *æſtivum* & *vernum* cognoſcere. Sunt innumera alia id genus præclarè ab eo geſta, quæ ſi pro dignitate proſequi vellem, infinitus forem. Conſuli poſſunt inter alios Antonius Ciccavella, & Ignatius Bomplanus in vita Gregorij; Andreas item Victorellus & Auguſtinus Oldoinus in Notis & additionibus ad Ciaconium, ac noviſſimè Jo. Palatius Venetus, qui vitas & elogia Romanorum Pontificum, omnium fuſiſſimè ſcripſit. Mihi præcipua attigiſſe, & reliqua indicâſſe ſuffecerit.

Salubria decreta pro Religioſis edit.

Item pro Clero ſæculari.

Regnis atque Provinciis providet.

Calendarium emendat, & promulgat.

Cæterùm Gregorius, præter ſolitos Principum Regumque Catholicorum Legatos, alios etiam Ægypti, Æthiopiæ, & Moſcoviæ Oratores liberaliter excepit, benigneque audivit: quos denique, ſublatis eorum diſſidiis, firmo pacis ac amicitiæ fœdere, magno rei Chriſtianæ emolumento, conjunxit. Incredibili præterea lætitia affectus eſt meritiſſimus ſenex ſub ipſum vitæ ſuæ exitum ob memorabilem illam trium Japoniæ Regum legationem: de qua laudatus Tuccius in Oratione funebri ad Purpuratos in Vaticano dicta, hæc habet: *Ab Inſulis Japoniis, quarum propter disjunctiſſima terrarum ac maris intervalla vix nomen ad Romanas aures pervenerat, miſſa eſt officii,*

Plurium legationes excipit.

Legatio Japoniorum.

officii, & obſequii causâ ad Gregorium Pontificem maximum ſub extremum penè ſui Sacerdotij diem illuſtris, & prima poſt Chriſti principatum, ac hierarchiam legatio, hoc eſt Juvenes duo Regia ſtirpis, præclara indolis, eximia pietatis laude florentiſſimi. Quos viciſſim, quantâ Gregorius complecteretur benevolentiâ, dici non poteſt. (Et poſt pauca ſubjungit hæc) *Vidimus ipſi longævum ſenem in Japoniorum juvenum complexus ruentem: vidimus collacrymantem, cùm primas ex remotiſſimis hortis Antipodum decerptas Deo fruges offerret. Vidimus apparatum, Antiſtites, pompam, veſtium ſplendores, cæteraſq; & honoris & amoris ſignificationes, ut acerbiſſimum tanti Parentis obitum adoleſcentes regii optimo jure deploraverint.*

Ejus obitus. Sanctiſſimum ejus obitum, qui accidit die 10. Aprilis anni 1585. Romæ in palatio Vaticano, Antonius Poſſevinus S. J. in hæc verba deſcribit. Gregorius abſoluto jam anteà, quod in illius Pontificatum inciderat, Jubilæo, jactiſque innumerabilium piorum operum initiis, quæ deinceps in dies magis excrevêre, nullo corporis morbo impeditus, ipſos tredecim annos integros laboribus, & negotiis totius Eccleſiæ, bonus & fidelis diſpenſator impendit, ac præſentibus jam, & ab illo benigniſſimè exceptis Japoniorum Regum filiis, ſive nepotibus, qui maximam Oceani partem circumnavigaverant, ut ſe Regnaque illa Chriſto Domino per ſuum Vicarium offerrent, diem ſanctiſſimè obiit, iter verſus Regna cœleſtia placidiſſimè inſtituens. Cadaver ejus ad Baſilicam S. Petri tranſlatum, riteque funeratum, exacto ab obitu triduo, univerſi Cleri ſupplicatione in ſacellum, de ſuo nomine *Gregorianum* nuncupatum, delatum eſt, ibique magnificè ſepultum.

Imago Gregorii. Erat Gregorius (Papyrio Maſſonio teſte) ſtatura corporis erecta & procera, teretibus membris, oculis cæruleis, naſo in aquilinum vergente, barba prolixa ad venerationem, imperiumque compoſita. Fuitque in audiendis negotiis patiens; in definiendis ſolers; eloquio gravis; reſponſis opportunus; natura benignus, mitis, & miſericors; juſtitia, clementia, probitate, eruditione nulli anteceſſorum ſecundus, in victu & potu temperatiſſimus; in pauperes, peregrinos, viduas, virgines, pupillos mirè beneficus; in quos publicè, privatimque ultrà ducenta aureorum millia profudiſſe memoratur. Unde in obitu ejus tantus omnium Urbe tota mœror fletuſque fuit, ac ſi communis omnium pater ſingulis ſurreptus fuiſſet. Celebratur quot annis grata optimi Pontificis memoria in Collegio Romano funebri oratione, ne unquam glorioſa ejus merita hominum memoriâ excidant.

SCRIPTA.

Ejus Scripta. Scripſit Gregorius omni ſcientiarum genere excultiſſimus varias ad Principes, Reges, Magnates, & Antiſtites Epiſtolas.

Alloquium ad Cardinales in primo Conſiſtorio habitum: illud refert Antonius Poſſevinus in Apparatu ſacro,

Conſtitutiones varias Eccleſiaſticas Lugduni anno 1582. & Florentio anno 1586. unà cum aliis Piorum IV. & V. Romanorum

rum Pontificum editas: ultrà has prodierunt etiam Romæ anno 1579. quadraginta ſexaliæ ab eodem Gregorio divulgatæ.

Tractatum de Viſitandis Civitatibus, & Diœceſibus, maximè Patavina, & Vicentina: de quo conſule Annibalem Rochum I. V. D.

Ejus Declaratio ſuper Concordata nationis Germanicæ cum Sede Apoſtolica, pro ipſius Eccleſiæ unione, ac pace, & tranquillitate inter eandem, & nationem prædictam perpetuò confovendis inita, concluſa, & accepta, edita eſt Coloniæ anno 1589. & 1590.

Item ejuſdem Bulla, mandato Archiepiſcopi & Electoris Trevirenſis edita eſt in lucem anno 1586.

Litteras de Servorum B. Virginis Ordine à Gregorio ſcriptas invenies apud Bzovium *tomo 13. Annalium Eccleſiaſticorum* ad annum ſalutis 1231.

Scripſit etiam Sermones ſacros Italicè; qui olim aſſervabantur m. ſſ. in Bibliotheca Ducis Urbini.

Ejus Bullæ reperiuntur in Bullariis Emmanuelis Roderici, Confectij, & aliorum Bullarum Collectorum, præſertim in Bullario magno Laërtij Cherubini.

Ejus Indictio anni Jubilæi prodiit Romæ, & Antverpiæ.

Edi curavit, & juſſit Corpus Juris Canonici à ſe correcti: quod prodiit Romæ, Venetiis, Antverpiæ, Pariſiis, Lugduni & alibi.

Item Calendarium perpetuum prodiit diverſis in locis, cum Apologia Chriſtophori Clavij Bambergenſis Soc. Jeſu. Quod opus præter laudatum Clavium defendit Dionyſius Petavius ejusdem Societatis ſcriptor clariſſimus, atque Ugolinus Martellus Gladatenſis Epiſcopus, qui ſcripſit *Clavem Calendarii Gregoriani*. Imò & ipſi Schiſmatici Rutheni, ac Sectarij Germani, & Proteſtantes, è quorum numero Schultetus inſignis Mathematicus illud ſummoperè probavit; atque per univerſam Luſatiam admitti curavit, ſcriptumque Apologeticum edidit adverſus ejus obtrectatores.

Scripſit & alia ad Jus utrumque pertinentia, dum Jurisprudentiam Bononiæ profiteretur, doctis valdè probata.

Gregorio XIII. ad clavum Eccleſiæ ſedente obiit Maximilianus II. Auſtrius, Romanorum Imperator, 12. Octobris anno 1576. *Obitus Maximiliani II. Imperatoris.* Princeps pius, religioſus, prudens, pace belloque clarus: multa egit in Comitiis de ſuppetiis contra Turcas mittendis, quos in Hungariam iterum irrumpentes, deletis decem millibus eorum, feliciter profligavit, quo tempore Lazari Schuendij fortiſſimi ducis in Turcos & confœderatos ſingularis virtus, ſumma cum laude, enituit. Imperavit annos 12. menſes 2. dies 17. Ei ſucceſſit filius Rodulphus II. de quo ſuo loco plura.

ANNO CHRISTI MDLXXXV.
Imperatore RODULPHO II. Auguſto.

DE

SIXTO V. Pontifice Maximo.

CCXXXI. *Sixti V. modici natales.* NAtus eſt Sixtus V. Italus Picenus anno 1521. ipſo Divæ Luciæ feſto, quod tunc in diem Mercurij inciderat. Patria illi fuêre antra ſeu cavernæ (vulgò *Le Grotte*) Caſtri Montiſalti in Piceno. Parentes Perettus de Montealto, & Mariana de Camerino, honeſtæ quidem conditionis, ſed maximæ paupertatis; adeò ut ipſe de generis, ſtatusque ſui tenuitate verba faciens, facetè dicere cônſueverit; *Se domo natum illuſtri.* Domus enim, in qua genitus erat, cùm lacero tecto magna parte eſſet diſcooperta, à ſole maximè illuſtrabatur. *Vita primordia.* Puer duodennis Aſculi in ordinem S. Franciſci admiſſus, alboque Monachorum Conventualium inſcriptus, Felicis nomen, quod in baptiſmo acceperat, mutare noluit, unde & frater Felix à ſuis appellabatur. Quod nomen magnum profectò magnæ felicitatis, quæ illi in hac vita eſſet obventura, fuit præſagium. *Egregius Theologus & Concionator.* In hoc monaſterio, indefeſſo ſtudio litteris ac pietati incumbens, tantos ſenſim in vitæ probitate ac eruditione progreſſus ſecit, ut lauream magiſterij in ſacra Theologia conſecutus, eandem facultatem publicè eruditeque in Romano Gymnaſio aliquandiu explicaverit; ac ſimul præcipuas Italiæ Urbes diſertis concionibus mirum in modum illuſtraverit. *Epiſcopatu, & purpura decoratur.* Creſcente in dies doctrinæ ejus ac integritatis fama, à Pio V. poſt varia dignitatum obita munia, Vicarius primò Generalis ſui ordinis; tum Epiſcopus Agathenſis; demum Presbyter Cardinalis titulo S. Hieronymi Illyricorum conſtituitur. Nec multò pôſt, urgentibus meritis, Epiſcoporum, Tridentinæ Synodi, Librorum prohibitorum, ac Rituum Congregationibus præpoſitus, adeò magnum ingenij, eruditionis, ſapientiæ, zeli, prudentiæ, integritatis & ſanctimoniæ ſpecimen præbuit, ut functo vitâ Gregorio XIII. duobus & quadraginta Patrum ſuffragiis, die 12. Aprilis anno 1585. *Pontifex creatur.* Pontifex maximus, ſub Sixti V. nomine, lectus fuerit; eodemque anno ipſis Calendis Maij ante fores Baſilicæ Vaticanæ ſacro diademate inſignitus. Solemnem coronationis Sixti celebritatem cultis carminibus expreſſit Joannes Baptiſta vates contemporaneus.

Maxima ſolemnis teſtatur gaudia pompa;
Perq́; vias crepitant ignes, perq́; alta domorum
Culmina, ſub primam ſubluſtri lumine noctem
Diſpoſiti effulgent lychni; perq́; ardua Divum
Templa repercuſſis reſonant tinnitibus æra:
Ipſaq́; flammivomis centum tonat undique Moles
Ælsa tormentis; ſtellasq́; imitata cadentes

Multa

Multa volat, rutilisq́; in nubibus ardet arundo
Miſſilis, & cœlum crepitants luce ſerenat.

Electus itaque & coronatus Sixtus, conſiderans quàm grave ſit onus claves divi Petri gerere; quamq́ue difficile Pontificatum ritè adminiſtrare, niſi deſuper fulciatur auxilio, publicas ſtatim ſupplicationes, quò par impoſito oneri redderetur, per orbem & Urbem indixit. Tum animum ad juſtitiam ſeverè adminiſtrandam convertens, graviſſima adverſus Sicariorum, graſſatorum, perduelliumq́ue temeritatem edicta promulgavit, quorum magnam partem, miſſis quaquaverſum armatis exploratoribus, comprehenſam exquiſitis ſuppliciis ſuſtulit, partim ità exterminavit, ut in multos annos execrandum illorum nomen non ſit auditum. Quin & publica quoque præmia ſtatuit quibuscunque ſubditorum, qui aut aliquem eorum caperent, aut certè in ipſa ſtatione, ſi capi nollet, trucidarent. Quo juſtitiæ rigore id effecit, ut brevi temporis ſpatio omnis graſſatorum licentia ſit compreſſa; ſecùritas viarum reddita: commercium publicum reſtitutum; tranquillitas, & rerum abundantia, tota Eccleſiaſtica ditione, revecta: adeò, ut cùm reliqua Italiæ loca vel inediâ rerum laborarent, vel latrociniis ſicariorum ſquallerent, una Romana ditio ſub tanto Principe & abundaret, & ſecurè ageret. Hinc ærea illa, æterni beneficij index, ſtatua, à Romanis in grati animi ſignum Sixto benefactori maximo cum ſequenti elogio erecta etiamnum conſpicitur.

Imperium à ſupplicationibus auſpicatur.

Facinoroſus ſeverè perſequitur.

Publicâ ſtatuâ donatur.

Sixto V. Pontifici Maximo, ob quietem publicam, compressa Sicariorum, Exulumqve licentia, restitutam; annonæ innopiam sublevatam &c. S.P.Q.P. posuit.

Tradunt auctores, Sixtum in exordio ſui Pontificatus ad ſe Judicibus tam Urbanis, quàm provincialibus, Juſtitiam (qua pacem & libertatem fulciret labantem contra eos, qui Romæ, ac in Provinciis bona, vitam, pudicitiam temerabant) eo ardore commendâſſe, ut verba ejus viderentur verbera: *Ditione noſtra* inquiebat, *in maligno poſita, non veni pacem mittere, ſed gladium.* Unde auguranti Cardinali Ruſticucio, *ut Beatitudini ſua vires daret Deus ad regendam in juſtitia & aquitate Eccleſiam ſuam*, reſpondit: *Rogares potiùs, ut datas conſervares:* innuere volens, ſatis ſibi animi, & virium ad juſtitiam exercendam eſſe. Initium ergo cùm diceret ſalutis eſſe *notitiam criminum*, exploratores fidiſſimos delegit non ſolùm Romæ, ſed & in Provinciis, per quos rimaret arcana Principum, geſta Judicum, vitia populorum, in aula, in Eccleſia, in caſtris, in clauſtris. Judices minùs fortes, & trepidantes ad vultum potentis, removit; ſubſtituens eos, quibus eſſet in ore gladius utrinque acutus. Scelera à decennio inquirens præterita, quæ ex indulgentia deceſſoris Gregorii pœnam ſubfugerant, puniri voluit in perſona, vel in hæreditate, ſi rei fuiſſent præmortui. Inquiſitio excitata præmiis: ſi neglecta, caſtigata ſuppliciis, nemine intercedere auſo. Mandavit. Præfectis, Decurionibus, Magnatibus tam præſentibus, quàm abſenti-

Juſtitiam magno zelo commendat Judicibus.

Hanc auſpicatur à criminum notitia.

In otioſos, & nauci homines inquirit.

ſentibus, nomina exhibere eorum, quos tricones dicimus, manticularios, otioſos, vagabundos, gerrones, blaſphematores, Aſtrologos judiciarios, ſub pœna fuſtigationis, ſi doloſè aliquem in præſcripto catalogo omitterent: propterea Albani Syndicum, qui nepotem ſuum fungi hominem prætermiſerat, flagellatum voluit in publica platea, fruſtrà intercedente Hiſpanorum Legato. Sic brevi homines facinoroſos vel ad laborem, vel in caſtra, aut cœnobia compulit; vel honeſtè viverè detrectantes ad triremes traduxit. Reos ſi intra biennium Judices deputati non cognoviſſent, cauſa ad Pontificem ipſo jure devolvebatur: quo dato caſu, ipſe non minùs crimen accuſati cognovit, quàm moram judicantis correxit. Volens inopinatò Romana inviſere tribunalia, Eccleſias, cœnobia, vicos, plateas, prohibuit populo, adventanti ſibi ſolitis acclamare vocibus *Vivat Sixtus*; ne clamoribus excitati tranſgreſſores ſe ſe componerent, aut ſubducerent. In adulteros pœnâ capitis decretâ, conſanguineum Cardinalis Altempſii omnium primum accuſatum, crimenque faſſum inexorabilis publicè per carnificem decollari juſſit; tum catervatim alios, quorum minor conditio erat. Virginitatis, & fidei conjugalis rigidus cuſtos, defloratores, raptores, ſtupratores, lenones, fuſtigationibus, triremibus, aut ultimo capitis ſupplicio damnabat: qua in re, nullo reorum habito reſpectu, præclara ad terrorem aliorum edidit exempla. Violentos Magnates (quorum eſt pauperum bonis inhiare, ſumptus ac debita facere) ad ſolutionem debitorum ac ſumptuum, ſolis verbis excitavit; lege lata, ut mercatores ſeu creditores libros rationum exponerent, atque ad ſe deferrent; *quia pro nobilibus & præpotentibus ipſe vellet ſatisfacere.* Quo audito, eadem nocte omnes diluerunt debita, ne Sixtum ſolutorem nanciſcerentur.

Libidinoſos varie punit.

Debitores ad ſolutionem aſtu inducit.

Conſuetudinem inolitam aperiendi carceres in die coronationis pontificiæ, vel invito Purpuratorum Senatu, ſuſtulit, quòd diceret: *Facinoroſis ſatis abundare Urbem; nec opus augere carceratis: ſuum eſſe pœnâ malorum ſervare innocuos; non innocuos corrumpere malorum conſortio.* Pontificatus exordia, quando civitas agebat lætitiam, quatuor nobilium reorum ſupplicio nota voluit, fruſtrà intercedentibus Principum Legatis. Imò biduo pòſt primariæ nobilitatis Spoletanum capite plecti juſſit, quòd lege prohibente adverſus Juſtitiæ miniſtrum gladium evaginâſſet: octo verò Cardinales, qui rogatum pro eo acceſſerant, neque audire ſuſtinuit. Satyras, Scommata, libellos famoſos Scribentibus atque publicè divulgantibus, truncavit manus, abſcidit linquam, damnavit triremibus.

Conſuetudinem aperiendi carceres improbat.

Satyras Scribentes condignè punit.

Sicarios, prædones, latrones, graſſatores viarum, quibus univerſa abundabat Italia, facilè ſuſtulit, propoſita vel impunitate, ſi percuſſores mutuis ſe ſe cædibus conficerent; vel præmio, ſi Socios caperent, atque extraderent. Hoc modo centum quinquaginta facinoroſos una die à conſodalibus captos obtinuit. Quos omnes in publico foro jugulari, eorumque capita pro roſtris exponi præcepit. Rogantibus verò Conſervatoribus Romanis, ut pro communi ſalute popoli damnatorum capita tetrum odorem edentia, abſtrahi, extraque mœnia ſuffigi juberet, renuit, dicens: *Si vobis malè olent*

Publicos graſſatores aſtutè tollit.

capita

Principum querelas juſti explodit.

capita defunctorum, qui neminem offendunt: nobis certè peſſimè olent vivorum capita, qui violant libertatem gentium. Conquerentibus autem vicinis Principibus, graſſatores Romanis finibus exactos, Sixti rigore, in ſua confinia compelli, quæ plena diſcriminis vix amplius frequentari poſſent; reſpondit: *Principes datos eſſe à Deo in laudem bonorum, & vindictam malefactorum: agerent ſuo exemplo; brevi confinia tranquilla fore: ſecùs, urbes, agros, quos ſecuros præſtare non poſſent, dimitterent, ſucceſſuros alios, qui gladium feliciùs ſe diſtricturi eſſent. Nunquam Principi, vigente juſtitia, defuturam tranquillitatem: malorum omnium Seminarium eſſe, peſtiferam indulgentiam.* Hactenus de laudabili Sixti juſtitia, cujus corruptum illud ævum quam maximè indigebat. Hanc tanta inſecuta eſt brevi ſecuritas, ut, Sixto regnante, *plenus cantaret coràm latrone viator.*

Sixtus rerum geſtarum gloria nemini Principum ſecundus,

Porrò tanta fuit in Sixto virtutis ubertas, tanta præclarè geſtorum copia, ut non ſolùm Romanorum Pontificum, ſed & priſcorum Cæſarum omniumque Principum magnificentiam, ſolo, quo Eccleſiæ præfuit, quinquennio, ſuperâſſe ſit viſus. Percurrat illius vitam quiſquis volet, ejuſque acta, ubertim à Ciccarella, Oldoino, Victorello, Palatio, aliiſque deſcripta, legat; & noſtræ procul dubio accedet ſententiæ, idemque ſpontè, quod nos non temerè dicimus, affirmabit. Ego certè, ne dicendorum mole obruar, ex multis pauca ſeligam, quæ tamen ipſa, ſi cum cæteris Pontificum actis conferantur, ampliſſima non immeritò videri poſſint.

Japonis Oratores honorificè dimittit.

Ante omnia Japoniorum Regum Oratores, qui ſub vitæ exitum Gregorii XIII. (ut alibi diximus) in Urbem venerant, regiis muneribus & viatico donatos in patriam remiſit.

Hæreticorū fautores fulmine percellit.

Tum publico in Senatu Navarræ Regem, Henricum Borbonium, Principem Condenſem, quòd hæreticis apertè contra Catholicos faverent, anathemate percuſſit: & Oratorem Galliæ Regis, quòd à Rege Nuncius Apoſtolicus à Sixto miſſus non reciperetur, Romana Urbe, omnique ditione Eccleſiaſtica excedere juſſit.

Tumultuantes Polonos pacat.

Poſt Stephani Bathorii Poloniæ Regis obitum, Polonos tumultuantes, qui Maximilianum Archiducem Auſtriæ, Regnum Poloniæ ambientem, in prælio ceperant, miſſo in Poloniam Hippolyto Cardinale Aldobrandino Legato de Latere, pacavit; ac Maximiliano Principi libertatem, Regnoque pacem, æquis conditionibus, conciliavit. Belli cauſas, ac prælium Polonos inter ac Archiducem geſtum fuſiùs enarrat in Sixto Ciccarello, quem indicâſſe ſuffecerit.

Romam innumeris ædificiis illuſtrat.

Romanam Urbem tot publicis monumentis, ædificiis, aquæductibus, ac viis ornavit, ut renovare, non inſtaurare Urbem ſit viſus. Nobiliſſimum vereque regium Sacellum S. Mariæ ad Præſepe, cujus fundamenta jam olim Cardinalis jecerat, Pontifex factus mira celeritate maximiſque impenſis abſolvit, ac opulentis proventibus, ampliſſimiſque privilegiis dotavit. Pauperibus alendis ac veſtiendis, ingens Xenodochium (*Mendicantium* dictum) conſtruxit, & opimo cenſu ditavit.

Obeliſcos erigit.

Obeliſcos quatuor miræ magnitudinis, vetuſtate confractos refecit, & incredibili impenſa, labore, & artificio, in area primarum quatuor Urbis Baſilicarum S. Petri Principis Apoſtolorum, ſanctæ Mariæ Majoris, S. Joannis Lateranen-

ranenſis, & ſanctæ Mariæ de Populo erexit, atque ſacratiſſimo Crucis ligno dicavit. Columnas *Trajanam* & *Antonianam*, ſtupenda antiquitatis miracula, è terris eruta, carieque exeſa, reſarciri erigique curavit; in quarum ſummitate Principum Apoſtolorum ſimulacra ex ære conflata ac inaurata collocavit. Admiranda celeberrimorum Sculptorum *Phidiæ* & *Praxitelis* opera, quæ Alexandri Bucephalum domantis effigiem referunt, temporum injuriis corroſa mutilataque reſtituit, atque in platea Montis Quirinalis, quæ contrà Palatium eſt, juxta fontem ſtatuit. Magnificam Eccleſiam S. Hieronymo Illyricorum ſacram, cujus ipſe in minoribus conſtitutus titulum geſſit, à fundamentis erexit, ædemque S. Sabinæ reſtauravit. Palatium intra Vaticanas Ædes, quod Aquiloni exponitur, ſcalaſque, per quas commodiùs Pontifices, clàm populum, in Gregorianum Sacellum, ipſumque Divi Petri Templum deſcenderent, nobili opere fabricavit, ac magnam Vaticanæ molis teſtudinem ingenti ære perfecit. Romanæ Urbis tredecim Regionibus decimam quartam, *Burgum* populari voce nuncupatam, adjecit; eidemque pro inſignis *Leonem tria pyra tenentem*, conceſſit. Bibliothecam Pontificiam juxta hortos Vaticanos à ſe conſtructam innumeris iiſque exquiſitis libris ac voluminibus infarciit, ampliſſimiſque cubiculis ac porticibus ad diſponendos per pluteos ex ordine libros dilatavit, ac variâ eruditâque inſcriptionum & picturarum venuſtate decoravit. In montem Quirinalem magnam aquæ copiam (quam veteri ſuo nomine *Felicem* nuncupavit) uberi multarum venarum collectione, longo eoque ſinuoſo tractu perduxit. Palatio, quod Gregorius XIII. ædificaverat, aliud æquè ſplendidum adjecit; & pro ducentis Helvetiis militibus, ad Pontificis cuſtodiam excubantibus, proxima ibidem domicilia conſtruere cœpit. Quin etiam in vinea ſua juxtà ſanctam Mariam Majorem, multa præclara jucundiſſimaque ædificia excitavit. Sex vias amplitudine & longitudine ſpectabiles, ut ad primarias Urbis Eccleſias expeditior eſſet acceſſus, aperuit & conſtravit: quarum quælibet ad amuſſim & filum directa, tam lata conſpicitur, ut quinque ſimul junctis carpentis tranſitum præbeat.

Praxitelis & Phidiæ opera reſtaurat.

Alia ejuſdē celeberrima monumenta ſacra atque profana.

Bibliothecā Vaticanam mirè exornat

Aquam in Quirinalem perducit.

Sex regias vias aperit.

Porrò Scalas, quas vocamus *Sanctas*, in locum illuſtriorem propè *Sancta Sanctorum* tranſtulit; & Porticum ſacris picturis eleganter exculptam, unde Pontifex populo benedicere ſolet, excitavit. Juxta locum hunc, disjecto vetuſto Lateranenſi palatio, aliud longè magnificentius & ornatius, ad uſum Romanorum Pontificum, conſtruxit; tam amplum, nobile, ac ſpatioſum, ut aſſerant non eſſe in Urbe ſimile, uno tempore & ab uno Principe ab ipſis fundamentis erectum, & abſolutum.

Scalam ſanctam transfert.

Palatium in Laterano condit.

Cùm verò non ignoraret, ex tenui Principis ærario gravia non rarò mala oriri poſſe, Sixtus ad ea prudenter avertenda, maximis cogendis pecuniis animum intendit. Teſtatur id, qui in ejus funere eleganter ad Patres peroravit, Lælius Peregrinus in hæc ferè verba: *Ærarium verò cùm admodùm tenue reperiſſet, ex quo gravia Reipublica pericula creantur, ingentem pecuniæ vim eò comportandam ſtatuit, cujus bona pars in proprios ſeu domeſticos uſus converti poterat. Inde auri, & ar-*

Maximis pecuniis pro Eccleſiæ neceſſitate cogendis incumbit.

Google

genti acervi in Hadriana mole coacti, & ad ſubſidium belli ſucceſſoribus quaſi fidei-commiſſo relicti : quod ut abſque leviſſimo privatorum incommodo fieri minimè potuerit, factum non ideo improbandum, cùm tenuis paucorum jactura, utilitate publica rependatur, & ingenti beneficiorum cumulo compenſetur. Nobis enim, & Reipublica Chriſtiana ea pecunia collecta eſt, cujus ille publicò nomine ſe ſe Cuſtodem ea lege conſtituit, ut, ubi foret opus, totam repræſentaret. Quare ſeptingenta millia aureorum huic Urbi, & Eccleſiaſtica ditioni ad rem frumentariam ex ea pecunia impertiit; ducenta millia annuis cenſibus coëmendis expoſuit ad inopes puellas dotandas, & obaratos, qui ſolvendo non eſſent, præſente pecunia de carceribus eximendos : alia daturus ejuſdem propoſiti experimenta, ſi diutiùs imperâſſet.

Laudatur ob id.

Hæc ſunt, Roma, quæ de Sixto V. dum animam ageret, dum ſepeliretur jure quæri poteras, & debebas; quòd nullas annonæ difficultates ſub eo ſenſeris; quòd ad ſaturitatem parvo pretio veſci potueris; quòd è tuo gremio virgines honeſtè locatas; quòd cives tuos vinculis, & ære alieno Sixti V. liberalitate ſolutos videris. Scribit, qui tum vixit, ſæpè laudatus Ciccarella, Sixtum primo Pontificatus ſui anno decies centena aureorum millia in Caſtro S. Angeli recondidiſſe: tertio anno totidem : ac denique ultimis duobus annis tricies centena millia adjeciſſe.

Septem auri milliones in Caſtro ſancti Angeli recondit.

Fuiſſe verò poſt obitum ejus univerſim inventa circa ſeptem auri milliones. Hinc liquet, inquit citatus Ciccarella, quòd etſi gravia tributa populo imperaverit; officia quædam, quæ donari ſolebant, vendiderit; atque in erogandis temerè nummis parciſſimus fuerit; omnem tamen pecuniam non ſibi, ſed utilitati publicæ, miniſterio Eccleſiæ, & Reipublicæ Chriſtianæ vel conſervandæ, vel dilatandæ commodo eſſe reſervatam : quibus finibus, qui poſſint eſſe honeſtiores? qui utiliores? Verùm licèt Sixtus coäcervandis pecuniis tam ſtudioſus ſemper extiterit, nihilominus ingentem auri vim in fabricas anteà commemoratas, aliaque id genus monumenta liberali manu expendit.

Expenſa in pia opera facta.

Ducenta aureorum millia perpetuò diſpoſuit in uſum annonæ, ne quid ad victum deeſſet unquam Urbi, ſed rerum neſſariarum copia affatim ſemper ſuppeteret, ut patet ex Bulla ipſius, quam hac de re condidit, & qua Succeſſores ſuos admonuit, ne quid decretæ huic ſummæ, niſi ſumma impulſi neceſſitate, detrahant; ſed eam potiùs pro viribus auctum eant. Tria aureorum millia quotannis aſſignavit Archiconfraternitati, quam *Conſalonii* appellant, pro redimendis captivis : atque alia duo millia in quotidiana charitatis opera impendenda. Tum alia, ſeptuaginta millia pro adornanda Triremium claſſe ad Piratarum excurſiones cohibendas : ut nihil dicam, quæ impenderit in Vaticanam Typographiam de novo erectam; in Pontem ad Tyberim in Faliſcis conſtructum; in novam Urbem ad Lauretum condi cœptam; in Collegia ſtudioſorum Picenorum Bononiæ; ac fratrum ſui ordinis Romæ inſtituta & dotata; in Montem pietatis adauctum; in lanaria & ſericaria opera ad quæſtum civium in Urbem introducta; in Galliam, Poloniam, Germaniam, ardente bello, ſublevandam. Quæ omnia ſi ritè expendantur, multis centenis millibus Sixto conſtitiſſe fatendum erit : ut non injuria, quis quis ille ferit, in laudem Sixti carmen id publico in foro affixerit.

Ut

Carmen in Sixti laudem

Ut Pater, ut Princeps, ut ſummus, Sixte, Sacerdos.
Plebem alis, Urbem ornas, juſq́ piumq́ colis.
Plebs læta exultat, ſe ſe Urbs miratur, & uni
Religio obſtrictam ſe videt eſſe Tibi.
Ubertas frugum teſtis, Fonteſq́, Viaq́,
Templa, Obeli, Cochlides, Signa, Sacella, Cruceſ.

Conſiderans autem Sixtus graviſſimum onus Pontificatus, cui par ferendo, ob immenſam negotiorum multitudinem ac varietatem, quæ ad Sedem Apoſtolicam ex univerſo Orbe Chriſtiano in dies penè ſingulos deferuntur, ſolus ipſe non eſſet; illud inter S.R.E. Cardinales, qui ex diverſis nationibus ſelecti, ſemper Romano Pontifici aſſiſtunt, apta quadam diſtributione partiri decernens, *Congregationes Quindecim* conſtituit: Quarum ſingulis certa negotia aſſignavit in iis tractanda, ita tamen, ut graviores difficilioreſque conſultationes ad Pontificem ceu ſupremum Judicem referrentur: quemadmodùm olim Moyſes de Soceri ſui conſilio, Deique juſſu Senatum ſeptuaginta ſeniorum conſcripſit, qui cum eo onus populi ſuſtinerent, ne ſolus ipſe gravaretur, ac nihilominus graviores cauſas ad ipſum ceu caput deferrent. Fuit autem *Congregatio prima* pro ſancta Inquiſitione hæreticæ pravitatis, firmiſſimo Catholicæ fidei propugnaculo jam anteà inſtituta, ac denuò à Sixto confirmata, cui ob ſummam rei gravitatem ipſe Romanus Pontifex præſidere ſolet.

Congregationes quindecim instituit.

Secunda pro Signatura Gratiæ, ut quæ gratiæ ex Judicum ordinaria facultate expediri nequeunt, in ea examinentur, & ſi honeſtæ fuerint, concedantur: cui pariter Romanus Pontifex præſidere conſuevit.

Tertia pro erectione novarum Eccleſiarum, unionibus, redditibus, ætate, & qualitate promovendorum, & proviſionibus in Conſiſtorio proponendis.

Quarta pro ubertate annonæ Status Eccleſiaſtici.

Quinta pro ſacris Ritibus, & cæremoniis in Sacramentorum adminiſtratione, divinis officiis, omnique Dei, & Sanctorum veneratione adhibendis.

Sexta pro Claſſe paranda, & ſervanda ad ſtatus Eccleſiaſtici defenſionem.

Septima pro conficiendo Indice Librorum prohibendorum, aut expurgandorum, quibus fideles corrumpi poſſent.

Octava pro executione, & interpretatione Decretorum Conciliorum Provincialium ſingularum nationum; ſibi tamen reſervans, quæ ad fidei dogmata pertinent.

Nona pro ſtatus Eccleſiaſtici gravaminibus vectigalium, ac tributorum cognoſcendis, & componendis.

Decima pro Univerſitate Studij Romani.

Undecima pro Conſultationibus Regularium cujuſcunque Ordinis.

Duodecima pro Conſultationibus Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum non Regularium, ac de Viſitatione Eccleſiarum.

Decima

Decima tertia pro Viis, Pontibus, & aquis ſtatus Eccleſiaſtici curandis.

Decima quarta pro Typographia Vaticana à ſe erecta, edendis purè ſacris Bibliis, Conciliis, Doctorum Eccleſiæ elucubrationibus, ſummorum Pontificum Conſtitutionibus, ac Decretalibus Epiſtolis.

Decima quinta pro Conſultationibus negotiorum ſtatus Eccleſiaſtici. Quibus omnibus, & ſingulis facultates proprias adjunxit, quæ videri poſſunt in ejus Conſtitutione ſuper his confecta undecimo Kalendas Februarij anni 1588.

Decrevit præterea, ne plus quàm ſeptuaginta ſimul eſſent Cardinales, atque inter illos ad minimum quatuor Theologiæ Doctores, qui ex ordinibus Regularium mendicantium aſſumerentur: utque hi non alio tempore, niſi in jejunio menſis Decembris crearentur. A Clemente namque ſancto hæc conſuetudo creandi & ordinandi menſe Decembri inchoata, ultra ſexcentos poſt Chriſtum natum annos, in Eccleſia perduravit. Inſtituit quoque, ne duo ſimul eſſent Cardinales, qui certis quibuſdam cognationis gradibus ſe mutuò attingerent, qua de re vide Bullam ab illo *de Cardinalium creatione* factam. Ipſe promotionibus octo, triginta tres Cardinales legit, omnes doctrina, pietate, ac ſapientia conſpicuos. Decrevit etiam, ut quicunque penſionem Eccleſiaſticam haberet, pretium ſexaginta ſex aureorum excedentem, Clericali indutus habitu incedere jure teneretur. Ab hac tamen lege Equites Lauretanos exemit. Ut autem lites non eſſent immortales, in animum ſuum induxerat, primo quoque tempore Senatum aliquem ſupremum hominum timentium Deum, & qui prudentes, ſinceri, incorruptibiles, & munerum contemptores eſſent, conſtituere: verùm morte præventus, ſaluberrimum hoc negotium perficere non potuit. Legem tulit capitalem contra adulteros quoſcunque; vide Conſtitutionem ejus *Ad compeſcendam* &c. anno 1586. tertio Kal. Novemb. editam: quæ habetur *parte 2. Bullarii.* Studioſos Aſtrologiæ judiciariæ, (quam damnavit) Cenſoribus fidei ſubjecit, ut videre eſt in Conſtitutione *Cœli & terræ Creator &c.* promulgata anno 1585. Nonis Januarij. Vetuit etiam legi, aut retineri libros Aſtrologiæ judiciariæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, & quoſcunque demum ſuperſtitionem artis magicæ ſpectantes.

Numerum Cardinalis definit, & tempus creationis.

Alia ejuſdem Decreta.

Adulterii, & magiæ reos damnat.

Multa quoque nova inſtituit in Eccleſia Dei feſta: qualia ſunt Præſentationis glorioſæ Virginis matris Mariæ; S. Franciſci de Paula, S. Antonij de Padua, SS. Januarij Epiſ. & ſociorum Martyrum, S. Nicolai Tolentinatis, S. Petri Martyris, Sanctorum Placidi & ſociorum Martyrum Eutychij & Victorini fratrum ejus germanorum, Flaviæque ſororis. Porrò Pium V. qui diem feſtum S. Thomæ Aquinatis duplicis officij ritu, inſtar ſanctorum 4. Eccleſiæ Doctorum celebrandum ſtatuerat, imitatus, ſanctum Bonaventuram eodem honore affecit. Inter duos hoſce ſanctos Doctores, virtutum, doctrinæ, ſanctitatis, meritorumque conjunctio, & ſimilitudo non vulgaris interceſſit. B. Didacum Hiſpanum, Ordinem divi Fran-

Nova feſta inſtituit.

Inter Eccl. Doctores S. Bonaventuram refert.

B. Didacum ſanctis adſcribit. ciſci in Conventu de Arizzaſa more laicali profeſſum, multis clarum miraculis Sanctorum numero adſcripſit. Cæterùm ſtudium brevitatis multa de Sixto præclarè facta ſilentio præterire me cogit, apud alios requirenda; non tamen apud eos, qui libidine mentiendi juxtà ac obtrectandi ducti, Sixti vitam & acta ſacrilegè traduxerunt, ac infamarunt.

Anno 1588. Sixtus V. intellectâ Aloyſij Cardinalis Guiſij, & Ducis ejuſdem fratris nece, juſſu Regis patratâ, crudele facinus, adunato Senatu, gravi & vehementi oratione deteſtatus eſt: Regem *Henricū III. ob Guiſiorum cædem in jus vocat.* Henricum III. in jus vocatum, ut cauſam diceret, admonuit. Qui dum tergiverſatur, Pariſioſque, unde turpiter ejectus fuerat, obſideret; à fratre Dominicano, cui nomen Jacobo Clementi, cultro venenato per inguina adacto interfectus eſt: interfectore mox à regiis ſatellitibus obtruncato, atque ejus cadavere equis diſtracto, *Henricus Rex occiditur, ei ſufficitur Rex Navarræ.* flammiſque abſumpto. Cæſo Regi Succeſſor datus Henricus IV. Vandomius Navarræ Rex: qui, quòd hæreſi imbutus eſſet, à Principum Catholicorum fœdere rejectus, ingentem belli flammam, non niſi multo ſanguine reſtinguendam, excitavit. Principibus fœderis Gallici, adverſus hæreticos perduelles initi, Sixtus Pontifex quinquaginta aureorum millia, præter decimas Cleri Gallicani, conceſſit: Henricum tamen IV. ad reſipiſcentiam invitatum, anathemate perſequi, ne turbis majoribus anſam daret, noluit. Iſthæc omnia fuſiùs deſcribit ex Dondino & aliis Jo. Palatius *in vita Sixti IV. n. 10. & 11.* qui legi poteſt.

Sixtus religioſè moritur Hoc ſollicitudinis æſtu Sixtus jactatus, maximaque graviſſimarum rerum mole fatigatus, ac ſenio fractus, ingraveſcente lethali febre, poſtquam ſumma devotione divinum epulum, extremamque unctionem mente validus ſuſcepiſſet, VI. Kal. Septembris anno à partu Virginis 1590. Pontificatus ſui anno quinto, menſe quarto, die tertio, in palatio Quirinali animam poſuit. Ejus corpus aromatibus conditum, atque in Vaticanum delatum, ibidem lateritio tumulo reconditum eſt. Anno verò ſequenti 1591. quarto nonas Septembris (Alexandro Peretto Cardinale Montalto ejus pronepote curante) è Vaticano ad Liberianam Baſilicam relatum, in regio Præſepis Sacello, quod vivens erexerat, cum hoc elogio conditum eſt.

Epitaphium.

SIXTO V. PONT. OPT. MAX.
FIDEI CATHOLICÆ PROPAGATORI, DISCIPLINÆ CHRISTIANÆ INSTAURATORI, PACIS CONSERVATORI, VIRTUTUM REMUNERATORI, SCELERUM VINDICI, MAGNARUMQUE RERUM AUCTORI &c.

Alexander Perettus S. R. E. Card. Vicecancellarius *ex ſorore pronepos poſuit.*

Carolus Cardinalis Borbonius, Princeps inter eruditos nobilitate, inter nobiles eruditione, inter utroſque pietate, ac inter omnes humanitate excellens, ex Sixti nomine argutum hoc Anagramma elicuit.

Sixtus

Sixtus Quintus de Monte Alto:
Mons tutus, in quo ſtat Lex Dei.

Anagramma ex Sixti nomine.

Innumero Sixto inſcripta Elogia invenies apud Auguſtinum Oldoinum Soc. Jeſu in additionibus ad Ciaconium, & apud alios, quos ille recenſet, & citat. Ego, quod primarium hujus Operis inſtitutum eſt, ad enarranda doctiſſimi Pontificis Scripta me verto.

SCRIPTA.

Edidit in primis cultiſſimas quaſdam Conciones, quæ prodierunt Italica lingua; inter quas illa *de Immaculata Conceptione B. M. Virginis*, quam anno 1554. Neapoli coram Prorege Cardinale Pacheco habuerat, maximè celebratur. *Ejus Scripta.*

Concionum præterea duos tomos, quas in præcipuis Italiæ urbibus, ac Romæ præſertim dixerat, ipſius manu ſcriptas penès ſe habere faſſus eſt olim Lucas Waddingus, clarum Franciſcani ordinis lumen, in Syllabo Scriptorum ſuæ familiæ.

Scripſit inſuper Bullarum ingens volumen, & Epiſtolas benè multas ad varios.

Sententias item ſelectas, & monita ad Cardinalem Montaltum pronepotem: quæ m. ſſ. extare dicuntur in Anglicana Bibliotheca Bodleiana.

Evulgavit etiam Opera ſancti Ambroſij erudita manu, & ſummo labore à mendis à ſe repurgata, accuratoque ordine diſtributa, & impreſſa anno 1585. De quibus videri poteſt Baronius *in Notis ad Martyrologium Romanum, die 4. Aprilis*: ubi Sixti induſtriam inſigni elogio commendat.

Edi pariter typis Vaticanis curavit celeberrima Divi Bonaventuræ Opera: quem, ut diximus, ſanctis Eccleſiæ Doctoribus adſcripſit.

Sed ſingulari Dei providentia ingens illud Eccleſiæ Catholicæ præſtitit beneficium, quòd ſacræ Scripturæ Codices juxta puriora, & vetuſtiora Hebræorum & Græcorum exemplaria correctos reſtitui, & in lucem emitti ſolertiſſimè curaverit. Cùm enim ſacroſancta Synodus Tridentina inter pleraſque Latinas editiones ſacrorum Bibliorum ſolam veterem ac vulgatam, quæ longo tot ſæculorum uſu in Eccleſia probata fuerat, graviſſimo decreto authenticam declaràſſet, atque ut illa ipſa emendatiſſimè, quoad fieri poſſet, imprimeretur, juſſiſſet; opus graviſſimum, & apprimè neceſſarium aggreſſus primò eſt Pius IV. proſecutus deinde Pius V. At curam illam propter alias moleſtas Sedis Apoſtolicæ occupationes omninò intermiſſam, lectiſſimis aliquot Cardinalibus, aliiſque tum ſacrarum litterarum, tum variarum linguarum peritiſſimis viris Sixtus initio ſui Pontificatus demandavit: qui adhibitis antiquiſſimis m. ſſ. Codicibus; inſpectis quoque Hebraicis, Græciſque Bibliorum fontibus, conſultiſque priſcorum Patrum Commentariis, prædictam editionem accuratiſſimè primævo nitori, & integritati reſtituerunt. Atque in hoc opus Sixtus ipſe ardentiſſimo ſtudio totus incu- *Sacræ Scripturæ Codices reſtitui mandat, typiſq. vulgari.*

incubuit; ita ut cùm jam eſſet completum, & excuſum, Princeps oculatiſſimus majori adhuc uſus diligentia, cùm aliqua deeſſe, & alia incurioſiùs præli vitio irrepſiſſe deprehendiſſet, opus ad incudem revocari præcepit. Quod demum undique perfectum, illo decedente, brevi trium Romanorum Pontificum, Urbani VII. Gregorij XIV. & Innocentij IX. vitæ curſu, paulò poſt Clementis VIII. inaugurationem, ſub Sixti nomine feliciſſimè prodiit.

Idem Sixtus Græcam Interpretum LXXII. Translationem cum Latina Interpretatione, prædictis typis Vaticanis, anno 1588. publicavit.

Sixto V. infinita doctorum Virorum monumenta litteraria inſcripta & nuncupata ſunt; quorum magnam claſſem ad calcem vitæ ejus exhibet Oldoinus, & ex Oldoino Palatius, ad quos lectorem, ne longior ſim, remitto, ſimulque præclara ejus acta cum hoc nobili incerti auctoris epigrammate finio:

Sunt alti Montes, altus Leo, Sydus & altum:
Corde tamen SIXTI Mons, Leo, Stella minor.

ANNO CHRISTI MDXC.

Imperatore RODULPHO II. Auguſto.

DE

URBANO VII. Pontifice Maxim.

CCXXXII. *Urbani genus* URbanus VII. Joannes Baptiſta Caſtaneus anteà vocatus, Romanus, anno à partu Virginis 1521. die 4. Auguſti Romæ in lucem editus, patrem habuit Coſmum è gente Caſtanea, inter patricias Genuenſes familias cum primis nobili ac vetuſta; matrem Conſtantiam paris nobilitatis fœminam, Julij Riccij & Martiæ Jacobatiæ ſororis Dominici Cardinalis Jacobatij filiam. Atque hinc ea erat cognatio, quæ viguit inter Urbanum, & Dominos Paluccios, Albertonos, Verallos, & Melinos, magnæ in Urbe auctoritatis & exiſtimationis nobiles. *Vita primordia.* Joannes Baptiſta more nobilium liberaliter à puero educatus, duoſque præſtantiſſimos Cardinales avunculos Jacobatium ſcilicet prænominatum, & Hieronymum Verallum Juliæ Jacobatiæ filium, adoleſcentiæ ſuæ cuſtodes & informatores nactus, Romæ humanioribus litteris, Peruſiæ autem, Patavij, ac Bononiæ Juris ſcientia, aliiſque gravioribus diſciplinis animum expolivit, ſimul & animam virtutibus exornavit.

Variis muneribus fungitur. Apud Cardinalem Verallum primò Auditoris munere magna integritate functus, inde ad publica munia gerenda, eo hortatore & promotore acceſſit; factuſque Conſiſtorialis, ut vocant, Advocatus cauſas frequenti Patrum Senatu ſumma omnium commendatione dixit: mox illorum ordini, qui eas ad Pontificem referunt, adſcriptus, Hieronymum avunculum Cardinalem, Legatum Apoſtolicum in Gallias proficiſcentem, comitari eſt juſſus, obſignandis ejuſdem libellis, ac litteris conſcribendis præfectus. Auctus hoc

hoc munere, cùm in dies meritis ac virtutibus creſceret, Roſſanenſem Metropolitanam Eccleſiam, ex ſpontanea Veralli ceſſione, regendam à Julio hujus nominis Tertio ſuſcepit; hocque titulo inſignis ad Oecumenicam Synodum Tridentinam veniens, inter ſanctiſſimos illos Patres, ceu ſol inter ſidera luxit, & clariſſimos admirabilis religionis, ſapientiæ, & eruditionis ſuæ radios emiſit; tantaque fuit tunc illius in Romana Curia exiſtimatio, ut Pius IV. Pontifex Legatos ſuos ſpecialibus litteris monuiſſe feratur, ne inconſulto Caſtaneo Roſſanenſi Archiepiſcopo quicquam, quod momenti eſſet, decernerent. A quo item, ut excitatas inter Spoletanos & Interamnenſes de agrorum finibus altercationes graviſſimas componeret, arbiter electus eſt: A variis verò Pontificibus, ob ſpectatam virtutem, rerum peritiam, agendi integritatem, Fano, Peruſiæ, Umbriæ, aliiſque tum Provinciis, tum Urbibus moderandis rector adhibitus. *Magna ejus in Concilio Trident. auctoritas.*

Exin Hugoni Boncompagno Cardinali (qui fuit poſteà Gregorius XIII.) ad Philippum II. Hiſpaniarum Regem Legato comes aſſignatus, & à Pio V. in Internuncii munere confirmatus, magna ſui nominis commendatione, Regiſque ſagaciſſimi ac Procerum Hiſpanorum probatione, ad octennium illic permanſit, & arduaquæque negotia multis maximiſque difficultatibus irretita adeò ſolerter periteque tractavit, confecitque, ut (quod multis fruſtrà tentatum fuerat) & Regi jus ſuum, Pontifice annuente, redderetur; & Pontificis auctoritas, Rege non contradicente, ſarta tecta ſervaretur. Quo tempore Iſabellam ejuſdem Philippi Regis filiam primogenitam, Pontificis nomine, è ſacro fonte ſuſcepit; fœduſque illud longè utiliſſimum inter Pium V. Pontificem, ipſum Philippum Regem, ac Rempublicam Venetam, quo Turcica Claſſis ad Neupactum ingenti ſtrage expugnata fuit, induſtriâ ſuâ promovit ac conſtabilivit. Poſt hæc Urbem repetens, Archiepiſcopatui Roſſanenſi, nulla reſervata penſione, licèt hanc facilè ab optimo Pontifice impetrare valuiſſet, renunciavit. Tum à Gregorio XIII. Venetias cum honore Nuntii Apoſtolici deſtinatus, ſed propter peſtilentem ibi luem graſſantem paulò mox revocatus, Civitati Bononienſi (in qua pridem Doctoratus lauream nulli in Juriſprudentia ſecundus acceperat) regendæ præfectus eſt. Sed cùm vir integerrimus ab eo munere diutiùs adminiſtrando abhorreret, quòd multa facere in gratiam conſanguineorum Pontificis, quæ cum rectitudine Juſtitiæ parùm convenirent, cogeretur; inde revocatus, Coloniam Ubiorum tanquam *Angelus pacis*, ut pax inter Belgas & Philippum Regem, Apoſtolicæ Sedi decora & utilis iniretur, ablegatus eſt. Denique tot præclaris legationibus egregiè perfunctus, Romæque poſt duos annos redditus, non ſolùm totius Eccleſiaſtici Status, & ſanctæ Inquiſitionis Conſultor inſtitutus eſt, ſed & ab eodem Gregorio Pontifice pridie Idus Decembris anni 1583. inter Presbyteros Cardinales titulo S. Marcelli relatus. Plurimis porrò aliis Patrum Congregationibus Præſes datus, tanta nominis integritate, rerumque emolumento præfuit, ut nihil, niſi eo interveniente, ritè factum putaretur. *Hiſpanis gratus.* *Fœdus contra Turcas promovet.* *Bononiæ præſidet.* *Coloniæ pacem procurat.* *Purpurâ decoratur.*

 Fuit

Fuit ſanè gratiſſimus tum Gregorio XIII. qui ei purpuram contulit, aliiſque, qui eum præceſſerunt; tum verò maximè Sixto V. qui ejus conſilio in rebus ferè omnibus ſacris profaniſque uſus, non alium ſibi ſucceſſorem atque illum exoptaverat, idque non obſcurè

Sixtus V. ei Pontificatũ facetè prædicit.

prænunciavit è re nata. Cùm enim paucis ante obitum diebus menſæ accumberet Sixtus, eique pyra pro bellariis appoſita eſſent, uno & altero ſumpto, ac per medium ſecto, cùm putrida inveniſſet; *Hi*, inquit, pyra *faſtidiunt, danda ergo illis deinceps ſunt caſtanea:* eleganti illo, ac nihilominus veridico joco ad Romanos alludens, quibus Sixtina ſeveritas diſplicere incipiebat; ſeque ipſum per pyra ſignificans, qui ea nomine, ac ſtemmate gentilitio præferebat; per *caſtaneas* autem Joannem Baptiſtam Cardinalem deſignans, qui gente Caſtanea oriundus, caſtaneam in clypeo depictam oſtentabat: cujus urbanitas, quam ipſo nomine poſtmodùm aſſumpſit, Urbi gratior, atque ad guſtum ſuavior eſſet futura.

Hujus igitur præclariſſimi Cardinalis virtus, ſapientia, eruditio, ſolertia, dexteritas & peritia, tot rerum publicarum perſpecta muneribus, poſt Sixti obitum, nulli non Patrum ſummo Reipublicæ Chriſtianæ magiſtratu digniſſima videbatur. Quare juſtis Sixto

Fit Pontifex.

ex majeſtate perſolutis, Cardinales numero tres ſupra quinquaginta Conclave ingreſſi (poſtquam per dies Marci Antonii Cardinalis Columnæ promotionem agitâſſent) nono Comitiorum die (quæ tum incidit in XVII. Kal. Octobris anni 1590.) concordi ſuffragio, ipſo Columna cedente, Caſtaneum totius Eccleſiæ gubernationi præfecerunt. Qui dimiſſo veteri nomine, Urbanus VII. quò ſe Urbis utilitati natum ac ſtudioſum oſtenderet, nuncupari voluit.

Urbis lætitia ob ejus aſſumptionem.

Magna fuit populi Romani ex hac creatione lætitia: nemo enim unus fuit, qui ſub tali ac tanto Principe, cujus innata bonitas omnibus explorata erat, non optima quæque ſperaret: audi Pompejum Ugonium in defuncti laudes ſic excurrentem: *Jam aditum ad ſe omnibus, etiam infima de plebe hominibus aperuerat; jam ad ſubveniendum egentibus manum porrexerat; jam virtuti, doctrinæ, honeſtiſq; laboribus præmia oſtentabat; jam ſeveritatem nimiam aſperitatemq; imperii cedere*

Quanta animo agitaverit?

pietati, & clementiæ juſſerat: jam amari, quàm metui Regium ſibi magis videri declaraverat: jam annonam ad propulſandam civium famem ex feraciſſimis regionibus evocare ſtatuerat; onera populi ſublatis penitùs vectigalibus ſublevare; Eccleſiaſticorum munerum, rerumq; ſacrarum diſpenſationem, in veterem pontificiæ libertatis ſplendorem vindicare; auguſtiſſimo Principis Apoſtolorum Templo, faſtigium expectanti, ſupremam manum imponere; diſſidentium Chriſtianorum Regnorum arma pacare; ſubjectis parcere; ſuperbos debellare; Religionem amplificare; Juſtitiam tueri; miſericordiam exaltare; verbo, cunctas optimi Paſtoris ac Principis partes explere decreverat: cùm ecce (ut abſtruſa ſunt divina mortalibus conſilia) mors inopina hæc omnia conantem intercepit, penituſq; proſtravit. Quò factum, ut communis omnium lætitia, dolenda metamorphoſi, mox in acerbiſſimum mœrorem, ac luctum converſa fuerit.

Etenim Urbanus breviſſimi imperii Pontifex, nondum corona triplici inſignitus, duodecimo ab electione die, inſperato mor-

Repentè moritur.

bo proſtratus, v. Kalendas Octobris anno 1590. ætatis anno ſeptuageſi-

geſimo, datis univerſo terrarum Orbi, ſummæ religionis in Deum, ac liberalitatis in pauperes ſignis, ut in omnem viveret æternitatem, mortuus eſt. Sed quàm pretioſa hujus tanti Pontificis mors extiterit, juvat ex laudato Ugonio percipere: cùm nihil laudabilius in mortali homine ſit, quàm ſi vitam piè rectéque concludat. *Urbanus* (inquit ille) *ita eſt mortuus, ut mors ejus cum antiquis Sanctorum mortibus conferri poſſe videatur. Quanta in morbo conſtantia, patientia, moderatio? Quantum Chriſtiani animi robur? ut diem mortis adeſſe ſentiens, diem illum ſalutis appellaret, curiſq; aliis amandatis, in eo ſibi diceret cogitationes omnes eſſe fingendas? Quàm evidens fixa in Deo voluntatis ſignum, cùm diceret, gratias ſe ei habere, quòd tam opportuno tempore (quis ita locutus eſſet?) tàm inquam opportuno tempore ab ipſo vocaretur, quo de onere Pontificatus non eſſet redditurus rationem? Quàm rara beneficentia, ut bona ſua etiam paterna, ad æſtimationem aureorum triginta millium, veteri inſiſtens teſtamento, Sodalitati B. Virginis Annunciatæ legaret, in dotes calamitoſarum virginum conferenda? Quem verò diem adverſæ ſuæ valetudinis intermiſit, quo non ſe meditata confeſſione expiaret, & ſacroſanctâ Euchariſtiâ reficeret? Suprema denique illa nox quam egit in terris, quot quantiſq; pietatis luminibus reluxit? Poſtquam enim ſacro delibutus oleo, iterumq; & extremùm cœleſti viatico recreatus, & Apoſtolico Symbolo pronunciato fidem ſuam teſtatus, veniamq; à Deo, & ab hominibus, quorum neminem unquam læſerat, ſæpius & ſupplex precatus eſt, cùm hebeſcere magis magiſq; jam ſenſus, & obſtupefieri membra inciperent, voce JESUM, voce MARIAM implorabat; hâc debilitatâ ſupplices tendebat manus, quibus etiam ſibi crebro Crucis ſignum imprimebat; his labantibus, oculos in imaginem cruci affixi Salvatoris, quamvis imagine mortis ſuffuſos & inerrantes defigebat. Stetit noctem ipſam totam in mortis limine, cùm tamen (ò rem planè miraculi ſimilem!) ità luceſcente jam die anima ejus divino erat Numine corroborata, ut & ſanctum Sacrificium coràm ſe fieri ad Aram pro cubili poſitam poſtularet; & attentè, quæ à Sacerdote gererentur, aſpiceret, quæ dicerentur audiret; utq; etiam cùm divina ſuſtolleretur Hoſtia caput inclinaret (ò pietas!) moribundaq; manu detegere annitteretur. Quo tandem Sacrificio peracto, cùm feſſos oculos ad quietem componere velle videretur, verè quievit: nam velut placido quodam ſomno comprehenſus obdormivit in Domino.*

Ejus ſancta mors altius repetitur.

Legat ſua omnia Sodalitati B.V.

Sanctiſſimè decedit.

Atque ita magnus ille animus Urbani VII. tot circumfuſus virtutibus, tantis pro Eccleſia Dei laboribus fatigatus, quo tempore ad ſublevandam rem Chriſtianam divinitùs conceſſus eſſe videbatur, arcano Dei judicio Mundo ereptus, ſacram ipſam ante Dei aram, atque illum ipſum clementiſſimum JESUM imagine panis velatum, quem paulò pòſt revelata facie erat contemplaturus, ex hujus tenebris mortalitatis emerſit: cumque importunæ mortis injuriâ non potuerit coronari in terris, immarceſcibilem coronam à Domino accepit in cœlo.

Poſt obitum in Vaticana Baſilica lateritio tumulo, in navi *ſanctiſſimi Sudarii* appellata depoſitus, ſub novæ Baſilicæ pavimentum aliis aggregatus Pontificibus, eò uſque quievit, donec ad preces Sodalitatis Deiparæ Virginis Annunciatæ, quam ex aſſe hæredem ſcripſerat, ad Sacellum Divæ Annunciatæ transferretur. Translatus, in nobili tumulo marmorea ſtatua & ſequenti inſcriptione exornato, conditus eſt.

Ejus corpus aliò transfertur.

D.O.M.

Epitaphium.

D. O. M.
URBANO VII.
CHRISTIANÆ REIPUBLICÆ BONO NATO
Cui, quidquid in egregium hominem laudis dici poteſt fuit beneficio naturæ collatum; ad ſummi Pontificatus apicem eò tardiùs evecto, quo celeriùs invida morte prærepto, inconſolabili urbis & orbis mœrore ætatis anno LXX. Pontificatus die XII.

ARCHICONFRATERNITAS SANCTISSIMÆ ANNUNCIATÆ *Ob amplificatos ſine exemplo redditus in pauperum Virginum dotes erogandos, hæres ex aſſe Protectori munificentiſſimo munus ſingulari religione debitum dedicavit anno ſalutis* MDCVI. *die* XXII. *Septembr.*

Ejus Virtutes. Cæterùm erat Urbanus, referente Ciaconio, moribus & vita caſtiſſimus; victu & potu temperans, valetudine uſque in ſenium proſpera; ingenio comis, mitis, & placabilis; ac per totum vitæ ſpatium, prudentiæ, juſtitiæ, clementiæ, religioniſque commendatione mirabilis.

S C R I P T A.

Scripta. Edidit ante Pontificatum inſignes aliquot Orationes in Legationibus ad Reges, Principes, Magiſtratus dictas.

Sermones item Sacros ad populum habitos.

Epiſtolarum ad varios Volumen.

Ad illum ſunt plures Tolomæi litteræ.

Primum Canonici Juris librum, teſte Victorello, doctiſſimis Notis illuſtravit.

Bibliothecam libris ſelectiſſimis claram habuit, multorum elogiis celebratam: ſuo deinde juſſu, pauperum ſtudioſorum uſui deſtinatam.

ANNO CHRISTI MDXC.

Imperatore RODULPHO II. Auguſto.

DE GREGORIO XIV. Pont. Max.

CCXXXIII.

Gregorii genus, & vitæ primordia. GRegorius XIV. ante adeptam pontificiam dignitatem Nicolaus Sfondratus dictus, Mediolanenſis, Cremonâ tamen oriundus, anno æræ Chriſtianæ 1535. tertio Idus Februarii immaturo partu (cæſo nimirum demortuæ matris utero) tanquam alter Cæſar ſacro Imperio natus, in lucem prodiit. Patrem habuit Franciſcum Sfondratum virum antiquæ ſtirpis clarita-

claritate nobilem, & Juris utriuſque ſcientiâ apprimè præſtantem: quem Paulus III. Pont. max. poſt obitum Annæ Vicecomitis uxoris, in puerperio, ut diximus, extinctæ, ſacris ordinibus initiatum, ob egregiam Juris peritiam, in ampliſſimum Purpuratorum ſenatum legit, ut videre eſt in Purpura docta *lib. 4. n. 36.*

Nicolaus præclaræ indolis, acutique ingenii adoleſcens, poſt decurſum Perufii, & Patavii graviorum ſtudiorum curriculum, Doctoris in utroque Jure lauream aſſecutus, à Senatoria dignitate, quam in Urbe Mediolanenſi obtinuerat, tranſiit ad vitam Clericalem, eamque adeò purè religioſeque inſtituit ſub ſanctiſſima Cardinalis Caroli Borromæi diſciplina (cujus familiaris & imitator erat) ut anno ætatis vigeſimo quinto, Friderico Cælio Cremonenſem Eccleſiam dimittente, à Pio IV. ad illius habenas capeſſendas vocatus, ſeduli integerrimique Paſtoris partes obierit; atque in Concilio Tridentino, cui per triennium interfuit, ſapientiſſimi juxtà ac religioſiſſimi Præſulis nomen tulerit. Unde cùm tot tantiſque virtutum radiis fulgeret, illarum lux in oculos perſpicaciſſimi ac vigilantiſſimi Pontificis Gregorii XIII. ſponte incurrit, qui eum abſentem ac neſcientem inter Purpuratos Eccleſiæ Patres lectum, titulo Presbyteri S. Cæciliæ inſignivit; nuncupatus tamen ſemper eſt ab Eccleſia, cui præerat, Cardinalis Cremonenſis. Vocatus igitur Romam, cùm fruſtrà tantum honorem deprecatus eſſet, Cardinalatus inſignia è ſacra Pontificis manu ſuſcepit. Verùm non multò pòſt Cremonam reverſus, paſcendo gregi unicè intentus erat. De quo Victorellus *in Notis Ciaconianis* ſic ſcribit: *Cremonenſem Eccleſiam regens Nicolaus, ad univerſam Chriſtianam Rempublicam regendam ſe ſe exercebat: nullis parcebat laboribus: depravatos corrigebat mores, verbo & exemplo gregi commiſſo iter ad æternorum bonorum paſcua oſtendebat.* Inde tamen avulſus eſt à Romanis Pontificibus, ut univerſalis Eccleſiæ neceſſitatibus vir probatiſſimus inſerviret. Anno 1587. Taurinum à Sixto V. miſſus, Philippum Emmanuelem, Caroli Emmanuelis Sabaudiæ Ducis primogenitum, pontificio nomine, è ſacro baptiſmatis fonte levavit. Romam redux ſacrorum Rituum Congregationi adſcriptus, abſolutum Eccleſiaſticorum Principum exemplar ſe in omnibus exhibuit; peregrinos pauperes undique ad colligendas cœleſtes ſacri Jubilæi divitias advolantes, aut hoſpitio excipiebat, aut feſſos de via epulis recreabat, pecuniiſque clanculùm datis ſublevabat, quin etiam loca ipſe ſacra nudis pedibus, peregrino habitu, ne agnoſceretur, indutus, nullo ſtipatus famulitio, luſtrabat.

Sub D. Caroli Borromæi diſciplina proficit.

In ſacrum Senatum legitur.

Moribus Idæam Præſulis refert.

Poſt Urbani VII. obitum, cùm ejus modeſtia, doctrina, & vitæ innocentia Patribus omnibus probaretur (poſt multas tamen Comitiorum fluctuationes, quibus eligentium animi menſe cum dimidio diſtrahebantur) communi tandem conſenſu, anno ſalutis 1590. in Vigilia S. Nicolai Antiſtitis, cujus ille nomen in Baptiſmo ſortitus fuerat, in ſummum Pontificem aſſumptus, ob memoriam Gregorii XIII. à quo purpuram acceperat, eodem nomine appellari voluit. Inaugurandus, ſexto Idus Decembris coronationis ſuæ inſignia ſupra gradus Baſilicæ Vaticanæ ab Andrea Auſtriaco Cardinale & Epiſcopo Conſtantienſi, S.R.E. Archidiacono ſuſcepit: tum ſolemni

Eligitur Pontifex.

Coronatur.

lemni pompa ad Eccleſiam Lateranenſem poſſidendam delatus, triumphali arcu inter feſtivas populi acclamationes à Senatu Romano exceptus eſt.

Ejus in omnes munificentia

Peracta coronatione, nonnullis Cardinalibus inopia laborantibus, mille aureos numos ſingulis diſtribui; & non modicum argenti pondus piis etiam locis dari præcepit. Officia & privilegia Romano Capitolio à Sixto V. Pontifice ſublata reſtituit; & Civitati annonæ charitate graviſſimè laboranti, ingenti pecuniâ in frumenti emptionem inſumendâ ſuccurrit. Poſt hæc decimo nono Decembris adunato Senatu, Patribus eleganti & luculenta oratione, pro eorum in ſe propenſione, ac in pontificem aſſumptione, gratias egit; ſuumque ex fratre nepotem Paulum Camillum Sfondratum inter Purpuratos lectum, Presbyterum Cardinalem S. Cæciliæ; ejus verò fratrem Comitem Sfondratum ſacræ Romanæ Eccleſiæ Generalem nominavit: quem haud multò pòſt Marciani montis Ducem creatum, cum militaribus equitum peditumque copiis in Galliam adverſus hæreticos miſit: in quod bellum, præter quadraginta aureorum millia ex ſuo ære collata, quinquies centena aureorum millia inſumpſit. Cardinalibus porrò Regularibus, qui nigris priùs pileis ad diſtinctionem non Regularium utebantur, tam præſentibus, quàm in poſterum futuris, edita deſuper Conſtitutione, uſum rubri pilei conceſſit.

Magnam auri vim in Galliam adverſus hæreticos mittit.

Duci Ferrariæ repulſam dat.

Ferrariæ Ducem multis Nobilibus ſtipatum, die 10. Auguſti anno 1591. Urbem ſolemni pompa ingreſſum, in palatio S. Marci lautiſſimo hoſpitio excepit. Cujus petitio de Ferrariæ ſucceſſione, ac titulo per tredecim Cardinales, ac ſacræ Rotæ Judices diſcuſſa, repulſam tulit; quòd Pij V. Diploma *de non alienandis Eccleſiæ bonis*, hujuſmodi conceſſiones, tam de bonis devolutis, quàm devolvendis non obſcurè prohiberet.

Vritanum Epiſcopatum erigit.

Ad tollendas lites jurgiaque ſedanda, quæ inter Brunduſinos cives, & Vritanos quotidiè oriebantur, expoſcente Philippo II. Hiſpaniarum Rege, unionem Eccleſiarum illarum diſſolvit, ac diœceſes diſtinxit; relicto Brunduſinis antiquo Archiepiſcopatus titulo, & Vritanis novo Epiſcopo ſub Tarentino Metropolita conceſſo.

Miniſtros Infirmorum beneficiis afficit

P. Camilli *de Lellis* religioſum cœtum ad infirmorum ſolatium inſtitutum, Sixti V. auctoritate comprobatum, in Religionem erexit, & ampliſſimis privilegiis ornatum proſequi beneficiis ac eleemoſynis nunquam intermiſit.

Ægrotare incipit.

Inter hæc Pontifex continua febre correptus, alvi fluxu & calculo laborare incipiens, de conſilio medicorum, relicto Vaticano aëris mutandi gratia tranſivit ad S. Marcum: ſed ingraveſcente malo, cùm ſomno ad leniendos dolores operam dare expeteret, obſtructæ ſunt retinaculis circa palatium viæ, ne ſopor à prætereuntibus ſive impediretur, ſive captus interrumperetur. Paſquinus Momus Romanus, Curiæ Romanæ nomine dicterium dedit: *Mors intravit per cancellos.* Pontifex, fallente medicina, paulatim ſe mori ſentiens, Purpuratorum Senatum vocari jubet coram ſe in lectulo cubante: ingens inter Patres eapropter ortus eſt rumor nempè meditari Pontificem novam Cardinalium creationem; ſed eventus contrarium

trarium docuit. Nam in conſeſſu cœpit Pontifex intermortuis vocibus perorare, & ſe tanto oneri ob affectam valetudinem imparem fateri: tùm rogare ac conteſtari Patres, ne Eccleſia aliquid detrimenti caperet, ut ſibi vivo ſucceſſorem darent. Illi admirantes viri probitatem, meliora eum ſperare, bonoque animo eſſe, rogarunt: convaleſceret tantùm, delatumque Eccleſiæ regimen ulteriùs adminiſtraret: neque enim Eccleſiæ conſultum eſſe, ſe vivente, de novo capite conſilia agitari. Acquievit, ac meliuſculè habere per eam diem cœpit. Sequenti luce, recrudeſcente majori impetu morbo, acerbiſſimis per novem integros dies exagitatus doloribus, quos raro patientiæ & ſanctitatis exemplo ſuſtinuit, deniqùe vitâ ceſſit Idibus Octobris anno 1591. ſacris myſteriis ritè munitus & expiatus, poſt obitum diſſecto corpore repertus eſt in ejus veſica calculus trium propè unciarum, quadratus & acuminoſus. Præfuit Eccleſiæ menſes decem, ac dies totidem. Ejus cadaver in Vaticanam Eccleſiam delatum, ſolutis exequiis, in ſacello Gregoriano è regione Gregorij XIII. à quo purpura donatus fuerat, ſepultum eſt. Eruditus vir perpendens ejus nominis ſyllabas tale de eo edidit Anagramma. *Petit ſe vivente ſuc ceſſorem.* *Piè moritur.*

Gregorius decimus quartus:
Murus Cuſtodiaq; gregis.

Floruit Gregorius excellenti morum honeſtate, ſed in primis angelica illa virtute (virginitatem intelligo) *quæ*, ut ait Beda, *hominem diſponit ad cognitionem divinorum*: propterea rerum cœleſtium contemplationi deditus (cui ad primam lucem quot diebus per horæ ſpatium vacabat) ſanctorum Patrum, ac præcipuè D. Bernardi operibus mirè delectabatur. Miſſæ ſacrificium, ex quo Sacerdotio initiatus fuit, nunquam, niſi morbo præpeditus, intermiſit. Ægrotans Pontifex ſingulis diebus ſacra Euchariſtia refici voluit. Tantæ fuit liberalitatis, ut quolibet menſe mille ducentos aureos in pauperes, ac pia loca diſtruerit. Singulis feriis ſextis jejunabat, ac feriis quartis à carnibus abſtinebat. Temperantiam ſic coluit, ut duobus duntaxat haud exquiſitis ferculis dietim contentus, vinum nonniſi probè dilutum in potum admiſerit. Ab omni fœminarum alloquio & commercio alienus, virginitatem intaminatam ſepulchro intulit. Plurium calculo, nullius mortiferæ labis reus, vitam egiſſe judicatus eſt. Extat inſignis oratio Blaſij Garciæ Valentini in ejus funere ad Patres dicta, in qua, quæ ſtrictim hic attigimus, præter alia fusè & eleganter pertractantur. Illam exhibet Oldoinus *in additionibus ad Ciaconium*. Ejus non tam acta, quàm quæ ſub illo acta ſunt, prolixè enarrat ſuo more Palatius, qui, ſi vacat, legi poterit. *Ejus elogium.*

SCRIPTA.

Scripſit Gregorius plures Orationes; quarum illa omnium elegantiſſima habetur, quam in primo Conſiſtorio ad Patres dixit. *Ejus Scripta.*

Extant pariter ejus Sermones ſacri m. ſſ. quos ad Clerum & populum Cremonenſem habuit.

 Scripſit

Scripſit plures Epiſtolas ad diverſos.

Edidit & monitoriales litteras ad Principes, Duces, Marchiones, Archiepiſcopos, alioſque Eccleſiaſticos Regni Francorum, qui Regis partes ſequebantur; ſed (ut ſcribit Oldoinus) parùm tempori, & rerum Gallicarum ſtatui aptas, quæ ingentes fremitus & clamores tota paſſim Gallia excitarunt. Subjungit deinde idem au-

Oldoini de Gregorio judicium. thor. *Quare licèt ſanctitudine vitæ, privataq; ratione virtutis inter optimos Principes annumeretur à multis Gregorius; ab aliis tamen, quòd rerum uſu, & conſtantia tot graviſſimis rebus, ac difficillimis temporibus neceſſaria careret, tanta dignitati haud par eſt judicatus.* Hæc Oldoinus, cujus judicium non omnibus probatur.

ANNO CHRISTI MDXCI.

Imperatore RODULPHO II. Auguſto.

DE

INNOCENTIO IX. Pont. Max.

CCXXXIV.

Innocentius ob præclaras animi dotes omnibus commendatus.

SI quis unquam præteritis tot ſæculis ad ſummi Pontificatus apicem aſcendit ab omnibus expetitus, is certè fuit Innocentius hujus nominis Nonus, Joannes Antonius Facchinettus ante Pontificatum vocatus: cujus præclara doctrina tam humana quàm divina; rerum omnium cognitio, peritia & praxis, agendique dexteritas; morum integerrimorum probitas; virtutum excellentia; vitæque ſanctiſſimæ converſatio & bonitas; meritorum in Deum, Eccleſiam, & homines cumulus; legationum integerrimè obitarum varietas & multitudo; ſtudium publicum, magni & ſancti ejus animi conceptus, ita omnibus nota, manifeſta, ac probata erant, ut nemo unus fuerit, qui eum non ad ſummam rerum evectum deſideraverit; nemo, qui non omnium digniſſimum ſupremo magiſtratu judicaverit; nemo, ſi eveheretur, non optimum ac utiliſſimum Principem, qualem ea temporum calamitas requirebat, futurum promiſerit. Sed inſcrutabili Dei judicio (quod ne minima quidem parte oculis humanis penetrari poteſt) factum, ut is ſumma quidem cum lætitia mortalibus in ſupremo rerum faſtigio oſtenderetur, at mox iterum majori cum dolore & luctu ſurriperetur.

Ejus vita primordia. Natus hic erat Bononiæ celeberrima Italiæ urbe, vel, ut aliis placet, Craveniæ in pago Vallis Antigorij, diœceſis Novarienſis, anno ſalutis 1519. die vigeſima Julij, parentibus generis nobilitate ac opibus claris, patre Antonio Facchinetto à Nuce, & Franciſca Tita de Cinis. Adoleſcens excelſi ingenij humanioribus litteris ad miraculum excultus, confecto graviorum ſtudiorum curſu, Bononiæ lauream in utroque Jure adeptus eſt. Poſt hæc Romam profectus, Nicolao Cardinali Ardinghello eruditiſſimo Principi ab epiſtolis eò uſque fuit, donec ab Alexandro Cardinale Farneſio Pauli quondam Tertij nepote in familiam receptus, Avenionem eo fine

eſt

eſt miſſus, ut ipſius Farneſij ibidem Archiepiſcopi vices gereret. Paucos poſt annos Romam Avenione reverſus, à Paulo IV. utriuſque Signaturæ muneri præfectus, ac à Pio IV. ad Infulas Neocaſtrenſes promotus, utrumque munus ſumma integritate adminiſtravit. Hic primus inter Epiſcopos à Pio IV. Pontifice renunciatos Tridentinæ Synodo interfuit, in qua doctrinæ ac prudentiæ ſingularis, zeli & religionis admiranda ſpecimina dedit. *Pietate enim* (ſunt Oldoini verba) *aliiſq; virtutibus animum à puero excoluerat, & in ipſo adoleſcentia æſtu impurarum Sirenum cantus evitaverat, fœdas voluptates contempſerat, integer purusq; ad rem publicam acceſſerat.* Soluta Synodo, Venetias à Pio V. Pontifice Nuntius Apoſtolicus miſſus, ibidemque ſexennio moratus, admirabile planeque divinum ejuſdem Pontificis conſilium ineundi fœderis contra Turcarum Imperatorem (unde nobiliſſima, ac poſt hominum memoriam glorioſiſſima victoria *ad Echinadas* obtigit) Venetis ita perſuaſit; ut quod factu difficillimum putabatur, opera ac ſtudio ſuo brevi perfecerit; ut illius tam claræ, atque inſignis victoriæ magna pars, induſtriæ ac ſedulitati Facchinetti debeatur.

Fit Epiſcopus Neocaſtrenſis.

Fœdus contra Turcas Venetis perſuadet.

Ineunte Gregorio XIII. Pontificatum, in Urbem remigrans, cùm in ea maximis adhibitus negotiis aliquandiù ſubſtitiſſet, ægrè impetratâ à Pontifice veniâ, ad ſuam regendam Neocaſtrenſem Eccleſiam iter arripuit, ibique mirabili morum exemplo ſuis præluxit. Mox, cùm excelleret ſingulari integritate, fide, variâ doctrinâ, juriſprudentiâ, ac rerum uſu ab ipſo Gregorio revocatus, reſignato in ejus manus Neocaſtrenſi Præſulatu, Patriarcha primùm Hieroſolymitanus, deinde etiam Presbyter Cardinalis tituli SS. Quatuor Coronatorum renunciatus eſt. Allectus autem in ſacrum Senatum, non ſolùm ipſi Gregorio, ſed & Sixto V. ejus ſucceſſori egregiam in maximi momenti negotiis navavit operam; præſertim verò Gregorio XIV. qui cùm infirma eſſet valetudine, nec poſſet Signaturæ Congregationi per ſe ipſum intereſſe, omnem hanc curarum molem in unum Cardinalem Facchinettum rejecit, atque transfudit, qui onus illud tanta cum prudentia & auctoritate ſuſtinuit, ut jam tum Pontifex eſſe, non Pontificis partes agere videretur. Unde nil mirum, quòd magno rerum civilium uſu, multiplicique ſcientia, & priſtino incorruptæ vitæ teſtimonio commendatus, tanto omnium Cardinalium conſenſu, & inaudita in hunc uſque diem celeritate, ſecundo ſcilicet Comitiorum die, ac mira totius Urbis acclamatione, ſupremo Petri ſolio dignus ſit judicatus, eidemque Gregorio XIV. Pontifici, cujus viventis vices integerrimè geſſerat, ſuffectus.

Cardinalis creatur.

Itaque III. Kalendas Novembris anno ſalutis 1591. Pontifex renunciatus, atque Innocentius IX. appellatus, Coronationis ſuæ inſignia privatim (contra Majorum morem publicè magnaque cum pompa ſuper gradus Baſilicæ Vaticanæ coronatorum) in Xyſto, quæ forum S. Petri reſpicit, ab Andrea Card. Auſtriaco S. R. E. Archidiacono ſuſcepit. Traduntur duo fuiſſe futuri ejus Pontificatus indicia: unum, quòd cùm aliquando obedientiam Gregorio deceſſori de more, ut fit, in publicis ſacris præſtaret, mota è capite Gre-

Pontifex renunciatur.

gorij infula in caput ejus deciderit, recteque, ceu de induſtria impoſita, ſteterit: alterum, quòd in partitione cellarum Conclavis, fortè illi obvenerit ea, quæ eo loco, ubi Pontifices in Conſiſtoriis ſolium collocare ſolent, extructa erat.

Promotionē ſuam litteris divulgat.

Initio Pontificatus, veteri Pontificum inſtituto, litteras dedit ad Præſules, Principes, Reges, Chriſtique fideles de ſua ad Pontificatum promotione, pro implorandis eorum precibus ad rectam tanti muneris adminiſtrationem. Tum adunato Cardinalium Senatu (dictis priùs ob Pontificiæ dignitatis amplitudinem ſibi delatam gratiis) quam in regendis populis conſilii rationem ſervare vellet, ſi vita quidem ſuppeteret, pluribus inſinuavit. Erat verò ipſi decretum, Anconæ portum expurgare; Tyberis inundationem avertere; Catholico apud Gallos fœderi in ſingulos menſes quinquaginta aureorum millia concedere; ſeditiones ſedare, civileſque controverſias ex æquo componere; de Ethnicis ad fidem Catholicam convertendis, de hæreſibus evellendis, de Japoniorum Eccleſia ab immani furentis Tyranni ſævitia liberanda, conſilia agitare; æs alienum ab Eccleſia contractum expungere; aurum in Hadriani mole reconditum ad graviora Reipublicæ commoda intactum ſervare; advectâ annonâ civibus inopiâ preſſis conſulere; aliaque id genus ad publicam utilitatem ſpectantia ſtatuere. Et ſanè quæ ſancta mente conceperat optimus Princeps, haud dubiè maximo rerum emolumento, ipſo opere complêſſet, niſi in ipſo conatu mors intempeſtiva, præclara adeò conſilia corrupiſſet, ipſumque ingenti omnium luctu è clavo in tumulum præcipitâſſet. Nam annis gravis, curis ac laboribus fractus, ardente febri, alvique fluxu correptus, poſt luſtratas ſeptem Urbis Baſilicas, populumque multis gravaminibus liberatum, altero regiminis ſui menſe, nempe trigeſimo die Decembris anni 1591. (inſolitam Lunâ tum ecclypſim patiente) puriſſimam animam Deo ac cœlo conſignavit.

Præclaros animi conceptus mors perturbat.

Ejus mors à Victorello deſcripta.

Ejus ſanctiſſimum vitæ exitum Andreas Victorellus ex Ciccarella, & Benedicto Juſtiniano S. J. breviter his verbis deſcribit. *Die Chriſti ortu inſigni, divinam Synaxim Innocentius percepit; quam, & ſacroſanctam Liturgiam ſingulari proſequebatur veneratione; nihilq; illi erat optatius, quàm incruento cæleſtis Agni ſacrificio intereſſe: id verò, ſacrorum Canonum & priſcæ gravitatis memor, in eo, quo decumbebat, cubiculo, offerri non eſt paſſus: ipſum tamen Agnum ſub panis ſpecie latitantem, ad ſe perferri præcepit, quem cùm ob ſtomachi debilitatem ſuſcipere non poſſet, religioſiſſimè de genu veneratus eſt. Abeundi tempus agnoſcens, caducarum omnium rerum curas abjecit, & nihil vel cogitare animo voluit, vel auribus audire, quod ad æternam ſalutem, aut ad Dei gloriam non pertineret. Sicq; beatiſſimo exitu vitam ſanctiſſimè actam concluſit.* Poſt obitum lateritio tumulo inter oſſa Marcelli II. & Urbani VII. in Baſilica Vaticana conditus eſt: inde poſteà translatus, plumbea incluſus arca, & ſarcophago marmoreo munitus, ſub pavimento requieſcit.

Ante Pontificatum vitæ ſuæ innocentiam, quam unicè amabat, nonniſi mortis contemplationi cuſtodiendam committere voluit; quæ ut facilior eſſet, excitato pictis argumentis animo, geminas habuit tabellas invicem commiſſas, ac plicatiles, in quarum altera defun-

defuncti recèns hominis effigies, in altera, mœſta funeris pompa cernebatur. Has ille in interiori cubiculo pretioſa cum ſuppellectili collocatas habebat, ad quas in quacunq; deliberatione oculos animumque converteret, ac ſalutaria æternitatis ab ipſa morte caperet conſilia: Id, ne nullo auctore edicere videar, teſtem adduco graviſſimum Benedictum Juſtinianum S. J. Theol. hæc ipſa in funebri oratione ad Ampliſſimum Purpurat. Senatum conteſtantem: *Paraverat*, inquit ille, *ſibi Innocentius plicatilem tabellam, quam inter chariſſimas res magna cum diligentia clauſam cuſtodiebat, in cujus parte altera moribundi hominis, animamque agentis mæſta ſpecies depicta erat; in altera elati funeris, atque exequiarum triſtis ac lugubris pompa cernebatur. Idque eo fine, ut quoties illam ſpectares (ſpectabat autem tum maximè, cùm ſe in remotius conclave ad Numen propitiandum reciperet) toties recordaretur, quis ſit fluxarum rerum exitus? quis honorum omnium ac dignitatum terminus? Qua velut norma omnes vitæ actiones & dirigenda, & metienda eſſent. Ergo ubi aliquid agendum erat, explicatâ ante oculos tabellâ, ſuorum conſiliorum & actionum omnium rationes ad inevitabilem mortis neceſſitatem, & magni illius extremiq; judicii momenta examinabat; ut ne quid unquam aggrederetur in vita, cujus ipſum poſteà pæniteret in morte; & quod maximè moriens probaturus erat, id verò dum viveret, prudens ac volens amplecteretur. Neque dubitare fas eſt, cùm ipſe præcepto illi paruerit (ut noviſſima ejus commemorant) quin etiam fructum ejus conſilii uberrimum ceperit, ut in æternum non peccarit.*

Mortis memoriam vivus agit.

Erat verò Innocentius corpore procero, vultu gracili ac macilento, ſed venerabili ac majeſtatis pleno: in potu & victu abſtinentiſſimus, nam ſolido die impranſus, ſemel duntaxat ad noctem edebat: quam ſobrietatem rara morum temperantia, quæ omnium commotionum moderatrix eſt, comitabatur. Hinc ad negotia minùs impeditus, & ad litterarum ſtudia, quibus impensè vocabat, aptiſſimus reddebatur. Si quando per morbi frequentiam litteris vacare non poterat, doctorum virorum ſermone gaudebat, quibuſcum de reconditis ſcientiarum difficultatibus, aut gubernandi ratione diſſerebat: Platonis enim, Ariſtotelis, & aliorum ea de re libros diligentiſſimè verſaverat, partamque doctrinam rebus & caſibus occurrentibus mirè ac eruditè aptabat.

Ejus Imago.

S C R I P T A.

Scripſit Innocentius, teſte Poſſevino *in Apparatu ſacro.*

Scripta.

Moralia quædam Theologica.
De recta gubernandi ratione.
Adverſus Macchiavellum Tractatum.
Ac nonnulla in Libros Politicorum Ariſtotelis.
Notas item in Platonis opera valdè eruditas.
Conſtitutiones, & Epiſtolas varias.
Orationes in Legationibus dictas.
Sermones Conſiſtoriales, & alia quædam minutiora.

Hoc Pontifice enunciato, quæ ſopita, ac penè intermortua jacebant litterarum ſtudia, velut adveniente poſt hyemem verno tempore, reviviſcere; uberrimoſque fructus ad communem Chriſtianæ Rei-

Litterarum fautor egregius.

Reipublicæ utilitatem producere viſa ſunt. Quare plerique doctas lucubrationes, quas ediderunt, nonniſi huic litteratorum eruditiſſimo Mœcenati inſcripſerunt. Magnam horum claſſem recenſet nominatim Oldoinus *in additionibus ad Ciaconium*, & ex illo Palatius.

ANNO CHRISTI MDXCII.

Imperatore RODULPHO II. Auguſto.

DE

CLEMENTE VIII. Pont. Max.

CCXXXV. *Clementis genus, patria, parentes.* Excepit Innocentium IX. Clemens hujus nominis VIII. Hippolytus Aldobrandinus anteà dictus, Fanenſis, quia Fani natus, dum eam urbem Silveſter genitor pontificio nomine regeret; Florentiâ tamen oriundus, Silveſtri Aldobrandini, & Leſæ Detæ nobilium parentum nobilis filius, ac Joannis Aldobrandini Cardinalis frater, egregia indole, & ſingulari ingenio præditus. Id ut planius faciam, repetenda hìc venit Pauli IV. de tanto Pontifice haud vulgaris præſagitio. Siquidem cùm à Silveſtro patre ad Paulum Pontificem, (apud quem is gratia, & exiſtimatione valebat plurimùm) officii gratia ductus eſſet Hippolytus vixdum octennis, Pontifex inſpectum puerum, non perfunctoriè quidem, ſed fauſtis quibuſdam auſpiciis impensè laudavit commendavitque, ac ſive à præclara ejus ſpecie grandia divinaret: quippè qui ſpectare à vultu, acerrimo judicio virtutem ac indolem ſolitus erat: ſive ſuperiore quodam lumine afflatus; *Cura*, inquit patri, *ut ſtrenuam filius hic tuus litteris operam navet; futurum quippè eſt, ut aliquando Pontificatum, ac ſedem hanc impleat.* Exactis inde triginta quatuor circiter annis, vaticinio reſpondit eventus publica totius orbis Chriſtiani gratulatione. Alexander Cardinalis Farneſius, explorata pariter Hippolyti adoleſcentuli indole, grandia & ipſe præſagiens, eundem ad litterarum ſtudia humaniſſimis verbis excitavit, ac ut ſtimulos adderet, annuam eidem centum aureorum penſionem liberaliter adjecit.

Ei adhuc puero Pontificatus à Paulo IV. prænunciatur.

Litteris itaque politioribus in patria imbutus, Ferrariæ poſtmodum atque Bononiæ eximiæ virtutis adoleſcens juriſprudentiæ operam navavit. Bononiæ Gabrielem Paleottum Juris utriuſque peritiſſimum, jus explicantem tanto cum profectu audivit, ut eo ſuffragante inſignibus pontificiæ & Cæſareanæ ſcientiæ ſit decoratus. Alias etiam Italiæ urbes, magnamque Germaniæ, Galliæ, atque Hiſpaniæ partem erudita curioſitate peragravit: qua occaſione viros ubique doctiſſimos allocutus, non vulgares in omni ſcientiarum genere progreſſus fecit.

Laurea doctorali decoratur.

Romam exinde profectus, mox Conſiſtorialis aulæ advocati munus, quod olim pater ejus obiverat, delatum accepit. A Pio V. inter Rotæ Romanæ auditores cooptatus, cum Cardinali Alexandrino Apoſtolico Legato in Hiſpaniam, Luſitaniam, & Galliam, graviſſi-

Variis legationib. occupatur.

viſſimam illam legationem, & negotia obventura moderaturus, eſt miſſus. Romam redux à Sixto V. Pii ſucceſſore, ob inſignem rerum agendarum peritiam, Datarius primò, poſteà Presbyter Cardinalis tituli S. Pancratii, ac demum ſummus Pœnitentiarius declaratus, in Poloniam Legatus de latere ad diſſidium, quod inter Auſtriacos, & Sigiſmundum (erepto è vivis Bathorio fratre) Regno potitum verſabatur, auferendum deſtinatus eſt. Ea occaſione Maximilianum Auſtriæ Archiducem à Polonis ardente bello captum, in libertatem vindicavit, ac Poloniæ Regnum diù jactatum, ſancito inter litigantes fœdere, optata tranquillitate beavit. Legatione feliciter geſta, è Polonia rediens, cùm moribus inculpatis, præſtanti doctrina, ſummaque in rebus agendis prudentia, omnium favorem ac gratiam ſibi conciliaſſet, (mortuo Innocentio IX.) ſummus totius Chriſtiani orbis Pontifex, Clementis VIII. nomine accepto, Cardinalium omnium ſuffragiis renunciatus eſt die 30 Januarii anno à Chriſto nato 1592. ut ex monumentis Vaticanis docet & probat Oldoinus.

Cardinalis creatur.

Tum Pontifex.

Octavo ab electione ſua die, ſacro diademate à Franciſco Sfortia primo Diacono Cardinali, majorum more, coronatus, ad Lateranenſem Baſilicam, poſſeſſionem, initurus, acceſſit. Ea peracta, Joannem Franciſcum Bordinum ſacerdotem Vallicellanum virum notæ probitatis, ad eluendas in pœnitentiæ ſacramento animi labes adhibitum, per ſacra omnia conteſtatus eſt; *Adjuvaret Deum precibus & ſacrificiis, ut ſe quamprimùm è mortalium Societate expungeret, ſi labores ſuos Eccleſiæ & ovibus minùs utiles futuros præviderit.* Tum aſſumto Symbolo *Protector noſter aſpice Deus*, inter alia ſtatuit Romanæ Urbis omnes, tam Patriarchales, quàm Collegiatas, & Parochiales Eccleſias, earumque Capitula, & perſonas; itemque Monaſteria, conventus, & Eccleſias quorumcunque Ordinum, tam virorum, quàm mulierum; Hoſpitalia, Collegia, Confraternitates Laicorum, Montem pietatis, & omnia, quocunque nomine cenſentur, loca pia per ſe ipſum viſitare, adhibitis nonnullis Cardinalibus, & Epiſcopis, quorum conſilio & opera tantò fructuoſius in eo ſalutari officio uteretur, quantò ipſi, quos adhibebat, cæteris prudentia, zelo, doctrina, fide, ac religione præſtarent. Itaque indicta publicè ea Viſitatione, inchoanda die Dominico (qui incidit in 14 Junii anni 1592) à primaria Lateranenſi Baſilica, hortatus eſt omnes, ac ſeriò monuit; *Ut vera tam interiori, quàm exteriori reformatione Viſitationem ſuam prævenire ſatagerent.* Vacavit autem huic operi diligentiſſimè cum ingenti fructu, & morum emendatione (ut teſtatur Auguſtinus Valerius Cardinalis in Commentario, quem edidit de hac ipſa Viſitatione) novem haud interruptis diebus.

Cupit potiùs mori quàm Eccleſiæ non prodeſſe.

Viſitationem ſacrorum locorum inſtituit.

Porrò die 23. Junii ejuſdem anni, publicâ editâ admonitione, Rectores, Præfectos, & Alumnos Seminariorum ac Collegiorum Sedis Apoſtolicæ, nec non quoſcunque alios, qui Regum, Principum, Epiſcoporum, aut aliorum ope, & liberalitate alerentur, hortatus eſt; *Animum ad ea conſilia traducerent, quorum cauſa Seminaria vel Collegia inſtituta eſſent; nimirum ad nationum ſuarum benè, & Catholicè vivendi rationes, ob hæreſum pravitatem graviſſimis anteà difficultatibus implicatas,*

Alumnos Seminariorum ac Collegiorum piè adhortatur.

Nnnnn

tas, promovendas. Quippè non in eo ſolùm officii ipſorum rationem conſiſtere, ut ipſi in propria benè vivendi diſciplina conſtanter perſiſterent, ſed illud prætereà ab iis exigi, ut ſinguli privatos, tum in ſtudiis, tum in omni virtutum genere progreſſus ad publicam eorum, quibus profuturi eſſent, utilitatem & ſalutem, etiamſi maximi propterea cruciatus ſubeundi, ac certiſſima ipſiuſmet vitæ pericula ſuſtinenda eſſent, libenti animo conferrent: Et ad hæc faciliùs à Deo obtinenda injunxit quædam jejunia, & indulgentias plenarias elargitus eſt.

Religioſos viros ad pietatem excitat.

Cùm autem mira eſſet Clementis in religioſa diſciplina ubique inſtauranda, & conſervanda ſollicitudo, ſæpè ſæpiùs ipſemet ad religioſa Urbis Cœnobia accedens, ſermonem ad collectos & genuflexos Patres omni pietate refertum habuit, quo univerſos ad præſcriptam legum obſervantiam, & ad regiam humilitatis viam, mutuamque charitatem ſectandam cohortatus eſt. Sacram Eccleſiarum ſupellectilem ſuis non alienis oculis perluſtrabat: domos, cellas. reliquaque omnia ſingillatim inſpectabat; ad ſeveriorem diſciplinam laxiores ordines revocando, & ad perſeverantiam, incœptâ Evangelicæ vitæ perfectione, alios ſuaviſſimis verbis exhortando.

Sacris Ordinibus egregiè providet, & conſulit.

Porrò Decreta generalia pro reformatione Regularium, tam Monachorum, quàm Mendicantium cujuſcunque Ordinis & Inſtituti edidit ac divulgavit. Ordinem fratrum Reformatorum, & Diſcalceatorum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis redemptionis Captivorum, primitivam illius Ordinis regulam, ab Innocentio Papa III. olim conditam, obſervare profitentium inſtituit, & erexit, quam poſteà Paulus V. confirmavit, cum adjectione duorum votorum, videlicet de non prætendenda aliqua prælatione, aut officio intra Ordinem, neque item extra. Receptionem, & profeſſionem Novitiorum ad Congregationem fratrum Reformatorum Diſcalceatorum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini nuper à ſe admiſſam & inſtitutam ordinavit. Comprobavit etiam reformationem Ordinis S. Benedicti inchoatam in Monaſterio S. Victoris urbis Virodunenſis in Lotharingiæ finibus, operâ Deſiderii *à Curia*, Prioris ejuſdem Monaſterii cum auxilio nonnullorum Monachorum Montis Caſſini à ſe ad id evocatorum; cui alia proxima Monaſteria ejusdem Regionis & Ordinis ſe ſe ultrò adjunxerunt. Providit etiam egenis pueris diſperſis vagantibus, quos Litteratus quidam vir pauper, ſed pius, primùm colligere, & in unum corpus redigere magna ſollicitudine curaverat, unde vulgò *Litterati* dicti. Puellarum Monaſterii S. Catharinæ *de Roſa* bono ſingulariter conſulit.

Seminaria inſtituit.

Tria Seminaria in tribus Monaſteriis Ordinis S. Baſilii in Italia inſtituit; unum in Sicilia, alterum in Regno Neapolitano, tertium in Crypta Ferrata agri Romani. Refugii Domum ad honeſtas Virgines, viduasque rectè educandas in Urbe fundavit.

Collegium Clementinū excitat.

Collegium item celeberrimum Romæ inſtituit, à ſuo nomine *Clementinum* dictum, pro juvenibus Illyricis, illudque commiſit curæ Clericorum Regularium Congregationis Somaſchæ, ut indicant inſcriptiones marmori in frontiſpicio inciſæ.

Sacellum ſanctiſſimi Sacramenti in Laterano, à Gregorio XIII. reſtauratum, planè auguſtum reddidit, appoſitis quatuor æneis ingenti-

gentibus columnis ſtriatis & inauratis, quæ dicuntur fuiſſe olim Hieroſolymis in Templo Salomonis. Cœnam Dominicam ex argento ſuper ejus aram collocavit, pretio duodecim millium aureorum: Tabernaculum extruxit elegantiſſimis lapidibus pretioſis, ac ſtatuas diſpoſuit manu artificis peritiſſimi elaboratas. Navem tranſverſam præterea, quam *Crucem* vocant, picturis laudatiſſimis, marmoreis incruſtationibus, auro illuſis laquearibus, Organis, & pavimento exornavit. Ità ut quæcunque ibi cultu egregio, & magnis ſumptibus parata cernuntur, Clementis VIII. pietati & munificentiæ deberi Cæſar Cardinalis Raſponus in ſuo *de Baſilica, & Patriarchio Lateranenſi* libro fateatur. Sacrarium quoque ad Canonicorum uſum extructum, picturis elegantiſſimis ornavit: quare ſuper illius porta marmorea, viſitur Ænea Clementis imago. Cappellanias quatuor fundavit, ut ſacerdotes totidem Choro inſtar Beneficiatorum inſervirent; Hi *Clementini* nuncupantur propter aſſignatos eis à Clemente proventus. Candelabra argentea ſex auro illita ad aræ ornamentum, & vaſa argentea prægrandia pro ſacri olei ordinaria conſecratione dedit. Oratoria ad Conſtantini Baptiſterium in Laterano in honorem SS. Joannis Baptiſtæ, & Joannis Evangeliſtæ à ſancto Hilaro Pontifice ante annos mille ducentos erecta, ſed vetuſtate deformata, ad conſervanda religioſæ antiquitatis monumenta, reſtauravit, ac variis ſelectis marmoribus, aliiſque picturis ornavit.

Altare SS. Sacramenti in Laterano ornat.

Item Sacrarium.

Capellanias fundat.

Oratoria reſtaurat.

Neque ſolùm Lateranenſem, ſed Vaticanam quoque mirè exornavit Baſilicam Clemens: cùm enim novi Templi pavimentum altius deduci, & adæquari, ideoque ipſummet antiquum & Apoſtolicum Altare, quod Calliſtus olim II. conſecraverat, extolli opus eſſet, Clemens intactum, immotumque eodem loco relinqui, novumque deſuper altare longè magnificentius erigi voluit; quod triginta & octo Cardinalibus adſtantibus, totius Romanæ Curiæ interventu, innumerabilique populi concurſu ipſemet Pontifex ſolemni ritu conſecravit die 26. Julii anno ſalutis 1594. in quo deinde Pontifex omnium primus incruentum Miſſæ ſacrificium obtulit. Ædes etiam Vaticani pontificias inſigniter ornavit: Aulam S. Clementis imagine nobilitatam, & *Clementinam* dictam, ſplendenti marmore, ſigniſque pucherrimis expolivit.

Vaticanam quoque Baſilicam ornat.

Ædes Vaticanas ſimiliter.

Ipſis Pontificatus primordiis, miſerat Clemens ad diverſos Principes Catholicos, Apoſtolicos Nuncios: ſed præcipuè ad Sigiſmundum Bathoreum Tranſilvaniæ Principem, Attilium Amaltheum pietate & prudentia notum (quem Paulus V. deinde Athenarum Archiepiſcopum creatum ad Colonienſem civitatem legavit) ut Catholicam religionem, hæreticorum, qui Catholicos expulerant, perfidiâ labefactatam tueretur; Societatis Jeſu Patres, injuſtiſſimè ab illis ejectos, Collegiaque reſtitueret; Principi matrimonium, & cum Cardinali Bathoreo, ejuſque fratribus Stephano & Balthaſſare ſanguine junctis, benevolentiam & amicitiam ſuaderet.

Legationem mittit ad Tranſilvaniæ Principem.

Anno 1596. Hieronymum Dandinum, & Fabium Brunum Societatis Jeſu Presbyteros ad Maronitas, Libani montis incolas, cum Catholica Romana Eccleſia rectè ſentientes, recreandos & juvandos, ire præcepit; & per illos, multos argenteos calices, libros pios, ſa-

Ad Maronitas.

cras veſtes, magnamque auri vim iis miſit, & pontificium ornatum, auro ac gemmis intertextum, Patriarchæ.

Henricum IV cenſuris abſolvit.

Cæterùm multa alia, ab aliis fuſè narrata, peregit Clemens, quorum ſelectiora, (brevitatis memor) obiter hic indicabo. Anno 1595. die 17. Septembris Henricum IV. Galliæ Regem hæreſim ac errores deteſtantem, ad preces Jacobi Perronii, & Arnaldi Oſſati regiorum Procuratorum, Romæ in porticu Baſilicæ Vaticanæ ab omnibus majoris Excommunicationis, aliiſque cenſuris, ac pœnis abſolvit; eundemque in gremium Sanctæ matris Eccleſiæ receptum, ſanctorum Sacramentorum participationi ſolemni ritu reſtituit. Rex beneficii magnitudinem agnoſcens, Clementi litteris officii & reverentiæ plenis, ſua manu ſcriptis, immortales gratias egit. Earum exemplar à Silvio Antoniano Italicè redditum, Romæ typis cuſum eſt.

Ferrariam recuperat.

Alphonſo Eſtenſi hujus nominis II. improli mortuo, Clemens Ferrariam, ad Eccleſiæ jus ſpectantem, ſine cæde & ſanguine recuperavit die 11. Februarij anno 1598. Eandemque, peractis publicè Deo gratiis, conſecravit Deo, B. Virgini Mariæ, & SS. Apoſtolis Petro & Paulo, quorum ope receptam pro certo habuit. Eam Urbem, poſtquam in fidem recepiſſet, magno Procerum Romanorum comitatu, cætuque Cardinalium ſtipatus, ſua præſentia illuſtravit. Ubi nonnullis menſibus conſiſtens, innumeris populum pontificiæ clementiæ ac pietatis argumentis affecit; maximiſque privilegiis, ac beneficiis, conſtituto Senatu, Urbem locupletavit; ac ſingularibus pauperes largitionibus recreavit. Ea occaſione duo nobiliſſima conjugia, alterum Magaritæ Auſtriacæ, deſignatæ Hiſpaniarum Reginæ, tum præſentis, cum Philippo III. Catholico Rege abſente; alterum Alberti Archiducis Auſtriæ præſentis, cum Iſabella Clara Eugenia Infante Hiſpaniarum abſente, Pontifice operante, celebrata ſunt. Albertus Regis, Antonius de Cardona Seſſæ Dux, Infantis vicem ſupplevit. Peractis his, exequiæ defuncto Regi Philippo II. coram Clemente, & Cardinalibus, maxima funeris pompa perſolutæ ſunt. Tum pax inter Henricum IV. & Philippum III. Galliæ, Hiſpaniæque Reges, hortatu Clementis, ingenti totius Europæ lætitia concluſa. Iſthæc omnia uberi Inſcriptione ad æternam rei memoriam marmori inciſa, complexus eſt Franciſcus Cardinalis Blandrata, quæ ſic habet.

Regiis matrimoniis aſſiſtit

Pacem procurat.

CLEMENTI VIII. PONT. MAX.

Monumentū publicum Clementi erectū.

Principi optimo, Patri Patriæ, Domino noſtro beneficentiſſimo: Qui Ferrariam, Petri Cardinalis Aldobrandini Fratris filii, Pontificii exercitus Moderatoris, virtute receptam, ſui, & ſacri Senatus adventu decoravit; vectigalia à Ducibus quondam impoſita aut ſuſtulit, aut imminuit. Centumvirale Concilium, ac Decemviralem Magiſtratum, annuo cenſu, ad ſuſtinendam dignitatem, & publicos ſumptus faciendos, attributo, inſtituit. Quinque Virorum Tribunal ad lites juſtè ac celeriter dirimendas, ſtipendiis præſcriptis, erexit. No-

vam

vam Arcem præſidio Civitatis exædificavit. Margaritam Auſtriacam magnificentiſſimè exceptam Philippo III. Catholico Regi conjugio junxit. Duobus maximis conciliatis Regibus, optatam Chriſtianæ Reipublicæ pacem peperit. Poſtremò Urbem repetens, apud Ferrarienſes cives, de quibus optimè privatim & publicè meruerat, ingens ſui deſiderium reliquit. Ne tot tantorumq; beneficiorum erga hanc Civitatem memoria oblivione intercidat, Franciſcus ex Comitibus Blandrata S. Georgii Cardinalis, Flaminia Legatus, ejuſdemq; Cardinalis Aldobrandini Ferraria Collega, poni mandavit Anno MDCII.

Clemente Romam reverſo, Tyberis ipſo Natalis Chriſti Domini pervigilio 1598. extra ripas diffluens, ad eam altitudinem ſtagnavit; ut homines ibi navigia non parva remis agerent, ubi paulò antè currus, carpenta, & Principum rhedæ ab equis trahebantur: eam alluvionem ſtragem Urbi maximam peperiſſe, certum eſt: mercium, & rerum aliarum, quas illa rapuit, vel corrupit, jacturam, decies fermè centenis millibus nonnulli æſtimarunt. Eluxit tunc Pontificis, & Petri Cardinalis Aldobrandini pietas: ille Magiſtratus urbanos, ut à populo, quæ poterant, detrimenta & pericula prohiberent, per Urbem dimiſit: hic & alii Proceres actuariis navibus vecti, Romam luſtrantes, cibos, aliaque humanæ vitæ ſubſidia, aquarum obſidione oppreſſis ſuppeditarunt; curaruntque ſedulò, ut quod obſeſſis repentinus caſus abſtulerat, Chriſtiana pietas affatim ſuppleret. *Tyberis inundatio.* *Clementis pietas.*

Anno 1600. qui fuit Jubilæus, Clemens in pervigilio Dominicæ Circumciſionis Portam ſanctam aperuit: quod in pervigilio Natalis libenter feciſſet (ex more) ſi per chiragram licuiſſet. Ante aliquot menſes ad Reges, Principes, Archiepiſcopos, Epiſcopos litteras dederat, monens, ut in reddendis tutis itineribus elaborarent; duas Cardinalium Congregationes, alteram de rebus ſpiritualibus, alteram de temporaneis ad eum annum ſpectantibus inſtituerat; Bacchanalia ejuſdem anni ſuſtulit: peregrinos unde unde adventantes magnis beneficiis affecit, proque iis plurimos nummos impendit: Epiſcopos pauperes, ad cœleſtes opes comparandas tum Romam profectos, nobiliſſimis ædibus excepit, & pontificiis ſumptibus aluit: In ſanctiſſimæ Trinitatis hoſpitio, ſua liberalitate ſublevato, peregrinorum pedes ſæpiùs, altera tantùm manu, chiragrâ alteram impediente, abluit ac terſit. Qua in re ſtrenuos imitatores habuit Cardinales, Aldobrandinum, Blandratam, Baronium, Vicecomitem, Bellarminum, Antonianum: quemadmodùm ſuis in locis *in Purpura docta* oſtendimus. *Jubilæum celebrat.*

Ea occaſione Joannis Calvini Hæreſiarchæ affinem Romam profectum, Dei beneficio veritatis lumine illuſtratum, hæreticamque impietatem deteſtatum, Clemens benignè ſuſcepit, liberaliter aluit, & confirmationis Sacramento inſignivit. Singulis Dominicis diebus, quatuor Baſilicas ſacra opes lucraturus obibat; & toties *Calvini affinem ad fidem convertit.*

Scalam ſanctam, cruribus imbecillis, padagraque cruciatis (gradus ſuaviis & lacrymis venerans) aſcendebat: ſexagies eas Baſilicas, anno illo à Clemente luſtratas, Auguſtinus Valerius Cardinalis Veronæ teſtatus eſt. Hebdomadâ ſanctâ majoris Pœnitentiarii ſedi inſidens multorum confeſſiones excepit, eadem benignitate, & facilitate (quæ admirationi erat, & ſolatio) quamplurimis Dominici Corporis ſacramentum præbuit. Plura id genus memorandæ pietatis argumenta edidit Clemens, quæ Victorellus, & alii pro dignitate proſequuti extollunt, & laudant.

Numerum Sanctorum auget, Beatorumq;. Beatos Hyacinthum Polonum, & Raymundum Barcinonenſem ambos Dominicani Ordinis alumnos, viros doctrina, ſanctitate, virtutibus, ſignisque clariſſimos cooptavit inter Sanctos, & laudibus cumulavit. Ambroſium Senenſem pariter Dominicanum, miraculis vitæque ſanctimonia illuſtrem, ac ſanctum Calogerum Eremitam, cujus virtus in energumenis liberandis maxime effulget, Martyrologio Romano inſcribi præcepit. Agnam verò è monte Politiano Virginem, atque Stanislaum Koſtkam Polonum Soc. Jeſu, duo admirandæ virtutis lilia, inter Beatos retulit. Beato Laurentio Juſtiniano, ac S. Joanni Gualberto Congregationis Valliſumbroſæ Inſtitutori, Miſſam & Officium conceſſit. Gandavi in Belgio memoriam beatæ Coletæ Virginis Ordinis S. Claræ celebri officio recoli indulſit.

Orationē 40. horarum inſtituit. Romæ autem inſtituit, ut quadraginta Horarum Oratio in Templis ita diſtribueretur, ut die noctuque toto anni curriculo precum incenſum in Dei optimi conſpectu dirigeretur. Conſtitutionem Pij V. *De non diſtrahendis Rom. Eccleſiæ bonis, Civitatibus, oppidis, caſtellis, locis &c.* Legesque Sixti V. de nummorum acervis, in Hadriani mole congeſtis, conſervandis probavit. *Decreta ſalubria edit.* Contra depugnantes ſingulari certamine, ad id provocantes, faventes, inſtigantes pœnam ſtatuit. Leges Judæis à Paulo IV. datas, & à Pio V. firmatas, roboravit; eosque ab univerſa Eccleſiæ Romanæ ditione (Roma, Ancona, & Avenione exceptis) expulit; & contrà eos, ac tenentes legentesvé libros *Thalmudi*, alioſque damnatos, aut blaſphemias, contumeliasve in Deum, & Sanctos complectentes, edictum promulgavit. *Diſput. de Auxiliis ſobriè tractari mandat.* Diſputationes *de Auxiliis* inter doctiſſimos Dominicani Ordinis, & Societatis Jeſu Patres coràm ſe haberi voluit; attentè audivit, graviſſimumque illud argumentum diligenti ſtudio perluſtravit, ac ſobriè tractari juſſit.

Viris litteratis, & ſanctis mirè favet. Viros litteris & virtutibus addictos (cùm iis ipſe floreret) & ſanctimoniæ opinione conſpicuos ſingulariter amavit. Philippo Nerio (ante Pontificatum) miniſtro & duce ad eluendas in Sacramento Pœnitentiæ animi labes uſus, etiam Pontifex uti voluit: ſed vir Dei ſenium cauſatus, Cæſarem Baronium ad munus illud obeundum judicavit ſe magis idoneum: ſæpè autem Clementem Philippus conveniebat, ambo in mutuum complexum ruentes, mutuis ſe oſculis petebant; *S. Philippo Nerio perfamiliaris.* & Clemens illius aliquando ſuaviatus eſt manum, hic illum tangens chiragræ morbum depulit. Clemens adhuc Rotæ Romanæ Auditor, Philippum Nerium inter Cœlites referendum; Nerius Clementem Romani Pontificatus thiarâ coronandum

nandum prædixit. Ea Clemens ornatus, Franciſcum Toletum, Cæſarem Baronium, Robertum Bellarminum, Silvium Antonianum, & Franciſcum Mariam Tauruſium, qui doctrinam cum non vulgari pietate conjunxerant, omnibusque eo ævo admirationi fuerant, in numerum Cardinalium tranſcripſit; Neriumque, ni conſtanter renuiſſet, eadem dignitate ornâſſet. Quanti autem æſtimaverit viros doctos, & Reipublicæ utiles, facilè agnoſces, ſi in Burgheſium, Arigonium, Olivarium, Manticam, Perronium, Mazzatum, Pamphilium, Oſſatum, Tuſcum, & alios nonnullos in Senatum ab eo lectos, mentis oculos conjeceris.

Viros præclaros purpurâ ornat.

Quantæ verò probitatis ipſe fuerit, quantæ virtutis, zeli, & pietatis, ex his, quæ breviter inſinuo, colliges. Singulis diebus, cùm per valetudinem licebat, ſacris operabatur, ſæpeque lacrymæ, interioris teſtes pietatis, ex operantis oculis effluebant: quartam feriam celebrabat jejunio: Sabbatis panem tantùm & aquam (rariſſimè vini modicum) ad victum adhibebat: cilicino amiculo ſenilia membra torquebat: paleis pro lana, aut pluma in lecto utebatur: nudis pedibus interdum, ſacra ſupplicatione, nonnulla Urbis loca luſtrabat, tum verò præcipuè, cùm de Henrico IV. Gallorum Rege Eccleſiæ gremio reſtituendo ageretur.: exiluit autem lætitia incredibili, cùm magnus ille Rex (Dei excitantis gratia) ejurata hæreſi ad avitam fidem rediit. In cubiculo, abſentibus arbitris, eleemoſynas Chriſti Vicario dignas ſæpè ſæpiùs conſpicuis perſonis inopia preſſis diſtribuebat: anno verò ſæculari, Indulgentiarum effuſione celebri, trecenta aureorum millia piis largitionibus ab eo conſumpta referuntur. Pauperes, mutatos quotidie, duodenarium numerum facientes, diſtincta in menſa, ſed lautè inſtructa, apud ſuam alebat; iis, lavandis manibus aquam affundebat; menſam precibus conſecrabat; & ubi ſingulis vinum infudiſſet, ſuæ aſſidebat, ex eaque lautiora quæque fercula, Baronio teſte, illis afferri præcipiebat. Sancti Pontificis ſingularem pietatem, contra impoſtorum aërem latratibus verberantium, calumnias Florimundus Remondus egregiè propugnat. S. Clemens Pontifex martyrio coronatus, ſeptem Notarios ad res geſtas in Eccleſia conſcribendas delegerat: Clemens VIII. illius veſtigiis inſiſtens, inſigne Baronij Annalium Eccleſiaſticorum opus jam cœptum, pontificiâ munificentiâ urgere non deſtitit. Sacra Cœmeteria religioſo cultu cuſtodivit: Deo inconſulto nihil aggrediebatur, eo annuente, quod ſuſceperat peragendum proſequebatur, & abſolvebat. Nulla ab eo actio præcox, ſed precum aſſiduitate, & conſiderationis maturitate decocta manabat: Illius modeſtia (Baronio teſte) perpetua & admirabilis; eâ factum, ut laudatores hoſtes, laudes quaſi jacula exiſtimaret.

Ejus Virtutes & vita religioſa.

Opus Annalium Eccleſiaſt. urget.

Dicam verbo omnia: Hoc Pontifice, diſciplina Eccleſiaſtica reſtituta; cenſura morum vigilias egit; robur legum revixit; ſacri Canones priſtinum conſpexêre nitorem; improborum hominum audacia ſingulari frœno coërcita; probitas poſtliminio revocata: religioſi Ordines ad meliorem ſtatum redacti; rerum ſacrarum ſcientia diligentiùs & ardentiùs exculta; fides ipſa in remotiſſimis plagis propagata. Hunc multos pauperes in extrema lucta inviſiſſe, ſola-

Ejus ſtrenuè actorum ſynopſis.

ſolatio affeciſſe, divino Dominici corporis alimento recreâſſe, magnum fidelium captivorum numerum ex Ethnicorum manibus redemiſſe, Galliam & Regem ab hæreſi vindicâſſe, Ruthenos & Alexandrinos à Schiſmate in Romanæ Eccleſiæ gremium revocaſſe, Florimundus Remondus *lib. 5. c. 4. n. 6. de ortu, progreſſu, & interitu hæreſum* memoriæ prodidit. Germaniam, Hungariam, Tranſilvaniam, Poloniam, Italiam, Hiſpaniam, Galliam, Clementis charitati, & diligentiæ multùm debere, conſtans Scriptorum aſſertio eſt. Orbem univerſum mente cœleſti ſplendore illuſtratâ complexus, publicam ſalutem curans, ubique aderat: *Nullum in Chriſtiano Orbe Principem recenſebis* (inquit Victorellus) *quem ille ſibi inſigni aliquo beneficio non devinxerit*. Princeps verè magnus, & Pontifex verè optimus.

Ægrotat. Reliquum eſt, ut de tanti Pontificis dolendo obitu paucis agamus. Cardinalis Aldobrandinus, Archiepiſcopus Ravennatenſis creatus, Revennam, cùm Pontifex gravem incidit in morbum, acceſſerat; hoc ille agnito, protinùs ad Urbem advolans nihil prætermiſit, quod ſedando, aut pellendo morbo ſervire, aut prodeſſe poſſet. At Deus piam animam è laboribus evocabat ad requiem. Clemens igitur, ſedulus virtutum Chriſtianarum cultor, Conditori ſuo totum ſe tradidit; gratias egit; morbi vim æquo animo tulit; ad mortem piè obeundam, & veram vitam ineundam, ſe comparavit: Sacroſancta Eccleſiæ myſteria, morientibus præberi ſolita, accerſito Sacerdote, ſingulari pietate ſuſcepit: Pſalmos, preces recitans, divinam clementiam ſibi adeſſe, flagitavit: abactis rerum temporalium curis, cogitationes ſuas omnes in Dei manibus condidit; complexuſque ſalutiferum Crucis ſignum, die 3. Martii anno ſalutis 1605. ætatis 68. mortalitatis contubernium, imperio non tam diuturno, quàm glorioſè geſto clarus deſervit. Vir profectò memorabilis, qui omnes optimè regnandi, & regendi artes mirificè calluit; iiſque inſigni temperamento benè inſtitutæ mentis erga Deum, & divina ſenſum, pietatem, zelumque conjunxit. Corpus temporario primùm tumulo in Baſilica Vaticana conditum, poſteà Pauli V. juſſu ad Liberianam Eccleſiam translatum, nobiliſſimo denique monumento, ex varia ſignorum lapidumque ſtructura confecto, decoratum eſt. Cujus delineationem æri inciſam exhibet Oldoinus *in additionibus ad Ciaconium* cum ſequenti elogio.

Sanctè moritur.

CLEMENS VIII. FLORENTINUS EX ALDOBRANDINA FAMILIA.

Ejus Epitaphium.

Poſt Romanæ Rotæ Judicium, & Datariæ Præfecturam Purpura donatus, & majoris Pœnitentiarii munere auctus, poſt ſedatas in Polonica Legatione inter Sigiſmundum Regem & Auſtriacam Domum ortas in Comitiis Regni diſcordias, ad Pontificatus apicem evectus, Patriarcha Alexandrino, & Ruthenis Epiſcopis à Schiſmate in Romanæ Eccleſiæ complexum admiſſis, Henrico IV. Apoſtolica charitate recepto; Galliarum Regno cum magno Religionis bono poſt diuturna bella pacato, inter eundem Regem jam alpibus incidentem, & Ducem Sa-

baudiæ

baudia per Petrum Aldobrandinum Legatum pace firmata; Sæculari Anno Jubilæi mira pietatis documentis cumulato; Pontificia Majeſtate ubique conſtanter aſſerta; Sedit annos XIII. *menſem* I. *dies* IV. *Obiit Nonis Martii* MDCV. *Ætatis* LXVIII. *Corpus temporario Vaticani Tumulo huc transferri curavit die* XXIII. Apr. MDCXLVI. *Marcus Antonius Burgheſius Princeps Sulmonis, Pauli V. fratris Nepos.*

S C R I P T A.

Edidit Clemens VIII. Conſtitutiones, ac ſanctiones varias, easque utiliſſimas, quarum Chriſtophorus Ott S. J. *in Roma ſua Glorioſa* centum & viginti tres enumerat, omnes ad Eccleſiaſticam diſciplinam, & morum reformationem ſpectantes, quæ Bullario ſunt attextæ. *Scripta.*

Scripſit atque in lucem emiſit orationes nonnullas ad Sigiſmundum, Senatum, ac Populum Polonum à ſe habitas.

Extat & alia inſignis oratio, qua Philippi II. Catholici Regis demortui laudes complexus eſt.

Epiſtolas item plures ad Henricum IV. Franciæ Regem, Philippum III. Hiſpaniarum, ad Cardinalem Borbonium, ad Antiſtites Eccleſiæ Gallicanæ, ad Ducem, & Gubernatores Reipublicæ Genuenſis, & alios plures.

Edidit etiam Regulas, Ordinationes, & Conſtitutiones Cancellariæ Apoſtolicæ.

Indicem Librorum prohibitorum ſua auctoritate auctum confirmavit, confirmatumque typis vulgavit.

Pontificale Romanum, Miſſale, & Breviarium; item Ceremoniale Epiſcoporum reſtitui præcepit, reſtituta probavit, probata in lucem edidit.

Opus *Bibliorum Latinorum* à Sixto V. magno labore editum ſub incudem revocavit, ut caſtigatius, & à mendis in Sixtina editione relictis purgatius prodiret, non diſcors à Sixto, ſed concors, ſupplens ea, quæ in Sixtina editione prætermiſſa & omiſſa fuerant.

Compoſuit & inſignes aliquot *Inſcriptiones funerales*, quas amicis viris grati animi cauſa, ne memoria eorum interiret, apponi curavit: eâdem diligentiâ ſacris nonnullis locis providit: harum plures invenies apud Victorellum & Oldoinum.

ANNO CHRISTI MDXCV.
Imperatore RODULPHO II. Auguſto.

DE LEONE XI. Pontifice Maximo.

Clementi VIII. ritè funerato ſuffectus eſt Leo XI. Alexander Medices anteà vocatus. Hic natus Florentiæ anno à partu Virginis 1535. nobiliſſimos parentes Octavianum Mediceum & Franciſcam Salviatam, generis claritate maximis CCXXXVI. *Leonis primordia.*

 Euro-

Europæ Principibus affines, habuit. Ingenuis piiſque moribus imbutus, nec vulgari doctrina excultus, primò S. Stephani militiam Eques ſecutus eſt: tum Eccleſiaſticam diſciplinam parentibus orbatus amplexus, præſtantis ingenii, acris judicii, excelſi animi, veræque pietatis laude commendatus, Piſtorienſis Epiſcopus renunciatus eſt. Exinde Franciſci Magni Hetruriæ Ducis in Aula Romana Orator, ac paulò mox Archiepiſcopus Florentinus creatus claruit religione & prudentia. Anno verò 1583. Purpuratorum numero à Gregorio XIII. adſcriptus, egregia munia cum magna omnium commendatione obivit. A Clemente VIII. amatus, & graviſſimis in rebus ad conſilia adhibitus, in Galliam aliquando, ad maximos Reges pacandos, Apoſtolicæ Sedis de latere Legatus directus, rem ex illius ſententia confecit.

Infulis, & purpurâ ornatur.

Henricus Magnus Alexandrum, Cardinalem Florentiæ nuncupatum, pontificium Legatum perhonorificè, & peramanter excepit; magnas Clementi per regias litteras gratias agens, quòd virum probitate, prudentia, bonitate, nobilitate, ſingularique erga Regem, & coronam Gallicam propenſione præſtantem legâſſet, qui regium animum, Regnumque univerſum ſua præſentia ſolaretur, ac voluptate perfunderet. Multa fecit Legatus in Gallia, Reipublicæ Chriſtianæ oppidò utilia, quæ ne ſummis quidem labris attingo. Henricum Regem, quæ Romæ Perronius, & Oſſatus, ejus nomine, coràm Clemente præſtiterant, confirmantem vidit. Carlottam Catharinam Trimolliam Condenſium Principem divinitùs excitatam, impios Calvini errores ſpontè deteſtantem, & Catholicæ fidei veritatem pio animo profitentem, ac ſacræ Romanæ Eccleſiæ communionem de genu poſtulantem, perhumaniter audivit, ſublatoque anathemate, quo innexa erat, ad Sanctæ matris Eccleſiæ ſinum redegit, & ſanctorum Sacramentorum communioni, inſpectante Rege & aula, reſtituit. Sed his, aliiſque omiſſis, ad eundem Alexandrum in ſublimi Apoſtolicæ Sedis faſtigio mox collocandum accedo.

Gallorum Regi apprimè gratus.

Trimolliam Principem Eccleſiæ conciliat.

Clemente VIII. è vivis erepto, habita ſunt ex more in Vaticano ad ſucceſſorem deligendum Apoſtolica comitia: magnus Purpuratorum Patrum (ſexaginta & unum fuiſſe commemorant) interfuit numerus. Primo Aprilis die (quidquid de ſecundo aut tertio quidam dixerint) in pervigilio S. Franciſci de Paula Mediceorum Principum Patroni, anno 1595. Cardinales divino ſpiritu afflati, Alexandrum Cardinalem Mediceum, priſcæ virtutis & exempli Senatorem, quem integritas fuco non oblita, inſignis morum candor, fidei proferendæ ardor, animi magnitudo, munificentia, humanitas, rerum uſus, oris gravitas, ſpecies corporis, atque majeſtas commendabant, multorum votis expetitum, ſeptuageſimum agentem annum, ad Apoſtolicæ Sedis apicem provexerunt. Tunc *Leonis XI.* delecto nomine, Cardinales humanitate, & beneficiis ſibi devinxit: nihil, quod Deo placeret, aut conſcientiæ non repugnaret, iis petentibus ſe negaturum pollicitus. Cardinales Blandratam Majorem Pœnitentiarium, Arigonium Datarium, Abbatem Capponium Pontificium Theſaurarium inſtituit: ſubjectas Provincias quibuſdam vectigalibus, populum Romanum nonnullis oneribus liberavit. Id petie-

Pontifex creatur.

In omnes beneficus exiſtit.

petierat Cardinalis Olivarius Gallus; quem eo laudavit nomine, quòd non privatum, ſed publicum beneficium poſtulâſſet.

Coronatur.

Die ipſo Reſurrectionis Dominicæ myſterio celebri, in Xyſto ante Vaticanam Baſilicam à Franciſco Sfortia Diaconorum Cardinalium Principe, fauſtis populi acclamationibus, coronam accepit, & populum benedictione donavit. Die octava Reſurrectionis, aperta lectica vectus, Lateranenſem pompam, tanto lætantis populi in ſpem auream erecti plauſu, iniit, quanto nullus alius poſt hominum memoriam.

Lethali morbo vexatur.

Corporis viribus robuſtus quidem erat Leo, ſed annis gravis: in Lateranenſi illo itinere, in Comitiis, in Coronatione nonnullis incommodis affectus eſt. Dum pergeret ad Lateranum, flabat Auſter non lenis in inſtabili cœlo; premebant denſa agmina populi; ſalutationes publicæ multorum, graves indiſpoſito Principi acciderant. Cæremoniâ apud Lateranum abſolutâ, ad Quirinalem revectus, lethali morbo vexatus eſt. Romani Proceres, Legati Principum, Vaticani Senatores ſummis cum eo egerunt precibus, ut pronepotem ad Patres Purpuratos aggregaret, qui ampliſſima dignitate donatus, illius deſiderium populo Romano lenire poſſet. At id Leo inexorabilis negavit conſtantiſſimè, uni animi ſaluti ſeriò vacans: nolebat quippè eam notam nomini ſuo inuri; ut migrans è vita ſuorum magis, quàm Dei Eccleſiæ memor, & breviſſimi temporis Pontifex de ſolo pronepote ornando cogitaſſe, dici poſſet: quin etiam Confeſſarium ad id hortantem, graviter increpitum (Baronio teſte) expulit. Quam rem Baronius ipſe, de Gregorio VIII. duorum menſium Pontifice agens, Tomo 12. Annalium Eccleſiaſticorum ad annum 1187. his verbis commemorat. *Leo ſanctæ memoriæ Papa XI. ne unum quidem in Pontificatu menſem explevit. O rerum humanarum inconſtantiam! Creatus Pontifex Kalendis Aprilis, eſſe morte deſiit 27. ejuſdem: ſed qui verè egregio, ac ſingulari virtutis exemplo, conſumatus brevi explevit tempora multa. Ægrotans ſuaſionibus plurium inſignium virorum adduci non potuit, ut pronepotem ſuum, modeſtiſſimum adoleſcentem, quem penes ſe educaverat, & unicè diligebat, crearet S.R.E. Cardinalem. Vicit, licèt infirmus corpore, robore animi, id ſtudiosè petentium, importunè exigentium, & extorquentium violenter quorundam Cardinalium, atque regiorum Legatorum ſummam potentiam. Confeſſarium ſuum iſta ingerentem longè longiùs repulit, expulit, & ad ſe amplius accedere vetuit: ut quem magis indulgere affectui conjunctorum, quàm animæ ſuæ ſaluti conſulere cognoviſſet: delecto poſthac ad ſacrum pœnitentiæ munus impendendum, viro digniſſimo Petro de Matre Dei à Rocca Hiſpano Carmelitano, reſtitutæ obſervantiæ cuſtode, & propagatore, ſacriq; Palatii à Clemente VIII. delecto Concionatore, ſub cujus miniſterio animam feliciter Deo reddidit, victor, & triumphator ampliſſimus.* Et paucis interjectis ſubdit: *In triplici certamine triplici victoria glorioſus, triplici palma triumphans, eluſo Mundo, confuſo Satana, ſibi dominans, migravit in cœlum:* cùm magna in Eccleſiæ dignitatem, & populorum commodum moliretur.

Inexplorabilis ad pronepotem purpurâ ornandam.

Baronii hac de re teſtimonium.

Ejus obitus.

Die 27. Aprilis anno ſalutis 1605. Leonem ad Dominum evolâſſe, ex Baronio, cognovimus: morbi genus, & mortem Cardinalis Perronius, eadem die Henrico Galliæ Regi amico Leonis amiciſ-

ſimo perſcripſit. Suſpicio quorundam fuit, Pontificem optimum veneno petitum mortem oppetiiſſe: ſed hos alii, rerum magis periti, à veritate aberrâſſe cenſuerunt. Demortui Leonis corpus ad Vaticanam Baſilicam devectum, inſignem plorantis populi multitudinem ad ſe videndum traxit, & lateritio tumulo illatum eſt. Illud poſteà nobili monumento condecoravit Robertus Cardinalis Ubaldinus, ejus ex ſorore pronepos. S.Philippus Nerius Romanam Leonis inſulam, breviſſimumque ſacri imperii tempus olim prædixerat.

S C R I P T A.

Scripta. Scripſit Leo aliquot inſignes Orationes, quas Legatus in Gallia ad Henricum Regem, ad Galliæ Proceres, & ad Clerum Gallicanum habuit.

Extat & ea, quam in converſione & expiatione Carlottæ Catharinæ Trimolliæ anno 1596. die 26. Decembris, Rothomagi in Divi Michaëlis Æde dixit.

Plures ſcripſit Epiſtolas ad Tolomæum, Franciſcum Novellum, Sardonatium, ac Petrum Victorium, & hi viciſſim ad illum. Doctum fuiſſe, nemo dubitabit, qui, quæ Victorellus de ipſo memoriæ prodidit, legerit: verba Victorelli ipſiſſima reddo: *Sanctarum rerum exercitationi* (inquit ille alicubi in vita Leonis) *ſacrorum codicum lectioni, ac Theologicis ſtudiis animum intendere gratiſſimum et ſemper fuit.* Alibi, *moribus & litteris excultiſſimum deprædicat.*

Laudatur etiam Epiſtola Leonis ad Archiepiſcopum Neapolitanum data, in qua propoſita ab Archiepiſcopo dubia Eccleſiaſtica doctiſſimè diſcutit atque declarat: hanc recitat Stephanus Quaranta *pag. 400.* eamque cum aliis ejuſdem Leonis magnoperè commendat.

ANNO CHRISTI MDCV.

Imperatoribus Rodulpho II. Matthia I. & Ferdinando II. Auguſtis.

DE

PAULO V. Pontifice Maximo.

CCXXXVII. *Paulus V. multis virtutibus ornatus deprædicatur.*

MOerorem, quem populus Romanus, ipſaque univerſalis Eccleſia in Leonis XI. præmaturo obitu conceperat, fauſtiſſima Pauli V. electio divinitùs facta, magna ex parte abſterſit. Hujus præclariſſimi viri ad ſummi faſtigium Sacerdotij evecti laudes Cardinalis Perronius, Spondanus, & alij liberali calamo divulgarunt, dum eum Virum purum, innocentem, irreprehenſibilem, inſignis exempli; doctrina, prudentia, & rerum uſu tantæ dignitati congruente præditum, libertatis & auctoritatis Apoſtolicæ cuſtodem; tuendæ fidei ac religionis zelatorem, propaga-

pagatorem, ac conſervatorem eximium deprædicarunt. Alij non minoris notæ Scriptores, in liberali corporis forma & ſpecie, in membrorum robore firma valetudine vallato, animum magnarum rerum capacem, pietatem, religionem, juſtitiam, clementiam, humanitatem à gravitate non ſejunctam, provehendæ fidei, & pauperum juvandorum ſtudium, divini cultus, ac domus Dei exornandæ zelum; atque alia plura, quæ ipſum ad maximum imperium ritè adminiſtrandum aptum reddebant, ornamenta comendârunt. Sed his miſſis, ad Pauli primordia breviter indicanda tranſeamus.

Ejus vitæ primordia.

Is ante Pontificatum Camillus Burgheſius nuncupatus in lucem natus eſt Romæ die 17. Septembris anni 1552. parentibus generis ſplendore, ac opibus apprimè illuſtribus. Marcus Antonius Burgheſius patricius Senenſis, Canonum peritia, probitate, prudentia, conſilio, ſpectata fide clarus, Advocatorum Conſiſtorialium Princeps, & *magnus pauperum Advocatus* dictus, ei pater adſtitit; quem plures ſummi Pontifices ob incorruptiſſimos mores, magnamque rerum civilium ac Eccleſiaſticarum cognitionem, & praxim, Aulaque Romana univerſa maximi ſemper fecêre, ac Paulus IV. in rebus graviſſimis ſæpè ſæpiùs ceu oraculum conſuluit. Mater Flaminia Aſtallia Romana, non tam familiæ, quæ plures Cardinales habuit, nobilitate, quàm propria virtute, qua mirè enituit, clariſſima. Puer indolis egregiæ, altique ingenij, nobilium more liberaliter educatus, ab ipſo primæ ætatis flore ſcelerum oſor, ac puritatis amator, ingenuitatem, & pietatem cum ipſo nutricis lacte ſuxiſſe videbatur. Adultior factus, Peruſij Philoſophiæ, & Patavij Juris prudentiæ ſtudiis vacans, eximios ſub optimis Magiſtris progreſſus fecit, magna ſemper modeſtia decoratus, & puriſſimæ Virgini Dei genitrici ſingulariter addictus, virgineum candorem, quoad vixit, ardenter peramavit, illæſumque, plurium opinione, tumulo intulit.

Variis muneribus, & legationib. fungitur.

Anno ſalutis 1574. die 20. Maij ante Baſilicam S. Petri Abbreviator Eccleſiaſticus litteras Gregorij XIII. Jubilæum indicentes clara voce legit; mox utriusque Signaturæ Referendarius, Baſilicæ S. Mariæ Majoris Vicarij titulo religioſè præfuit. Anno verò 1588. Bononiam (Alexandri Cardinalis Montalti Legati vice) Prolegatus nonnullis annis, difficili tempore, prudentiſſimè gubernavit. Horatio fratre Apoſtolicæ Cameræ Auditore, Juſtitiæ vindice, è mortalium cœtu evocato, nobilem illam provinciam à Gregorio XIV. ſibi demandatam magna cum laude adminiſtravit, uti etiam legationem de rebus graviſſimis ad Philippum II. Regem Catholicum extraordinariam, cum poteſtate Legati de latere à Clemente VIII. delatam. Non multò poſt ex Hiſpaniis rediens, purpuræ Vaticanæ decus ab eodem Clemente in præmium optimè navatæ operæ accepit. Cardinali Ruſticucio extincto, ad exercendum Vicarij Urbis munus (probitate, juſtitia, & prudentia viam ſternente) delectus, Urbem univerſam beneficiis cumulavit, & humanitate obſtrinxit.

Purpurâ decoratur.

Anno à partu Virginis 1600. cùm ex iis unus eſſet, quorum conſilio & opera Clemens in ſanctæ Inquiſitionis munere utebatur, eundem, & Cardinalem Sfondratum Pontifex deſignandos cenſuit,

qui curarent, ut variarum nationum adoleſcentes hæretici Catholicæ fidei rudimentis imbuerentur, & qui pollerent ingenio, bonis litteris erudirentur: quinquaginta id genus juvenes, auctore Burghelio, eo anno menſe Julio Romæ varias hæreſes fuerant deteſtati. Regni Scotiæ Protectorem acerrimum apud ſanctam Sedem ſe geſſit plurimis annis; cui denique ob integerrimos mores, vitæque probitatem, nemo non ſummum Pontificatum ex animo vaticinatus eſt, & ſanè communibus votis favit Deus, nam Leone XI. viam univerſæ carnis ingreſſo, Cardinales in Vaticano adunati, octavo Comitiorum die (qui fuit decimus ſextus menſis Maij anni 1605.) Cardinalem Burghelium, quinquageſimum tertium ætatis annum tum agentem, maximâ totius Urbis & Orbis lætitiâ, rejectis æmulis, Pontificem Maximum renunciârunt; qui aſſumpto Pauli V. nomine, die vigeſimo nono ejuſdem menſis & anni, triplicis coronamenti thiarâ, Cardinali Sfortia inaugurante, decoratus effulſit.

Pontifex renunciatur.

Miro indicio futurus Pontifex præmonſtratur.

Ad hanc Pauli electionem non obſcuri argumenti portenta invitârunt. Leone enim XI. præmatura morte erepto, cùm Purpurati in medium conſilia conferrent, repentè Aquila ex palatio Altempſiano, volatu in ſublime elata, poſtquam diutiùs aërem pererrâſſet, tandem ad fortalitium molis Hadrianæ Draconi inſculpto (inſigni Gregorij XIII. gentilitio) inſedit; & ex ſe, atque Dracone ſubjecto, inſigne Cardinalis Burgheſij, pro Pontificis expreſſit, illuſtri indicio, ut omnes ominantes interpretabantur, Pontificatus futuri, ad quem illum Deus trahebat.

Conſtitutionem edit pro Oratione 40. horarum.

Paulus à divino cultu, cui addictiſſimus erat, Pontificatum auſpicatus, cùm ſciret orationem perpetuam, vel ſolam eſſe rebus à Deo impetrandis, rebusque præclarè auſpicandis idoneam, ejus uſum in quadraginta horas diſtributum, atque à Clemente VIII. Prædeceſſore per omnia Urbis Templa dietim toto anni decurſu introductum, Conſtitutione perpetua ſtabilivit: utque ea devotio nunquam intermitteretur, ſed continuè ſuccedentibus diebus, menſibus, & annis perennaret, aſſignatis Templis, præſcriptisque pro ea re legibus, operam dedit.

Vaticanam Baſilicam ampliat, & exornat.

Cùm autem Principis Apoſtolorum Baſilicam in Vaticano erectam, toto Orbe venerandam, à Julio II. inchoatam, & à reliquis Pontificibus non minimum auctam, ſed tamen nondum perfectam aſpiceret, Patrum ſententiis de demolienda jam collabente Conſtantiniana rogatis, cùm Idea novæ molis à Bramante primùm, deinde à Bonarota excogitata, neque multùm anguſta, neque ambiendo veteris Baſilicæ ſpatio, Martyrum, & aliorum Divorum cineribus ſacrato, ſatis eſſet; ipſe magno animo vaſtiſſimum opus molitus, reliquum Baſilicæ corpus à Sacello Gregoriano uſque ad extimam faciem, Chorum, Sacella, Porticum inferiorem, & ſuperiorem benedicendis populis. Turres campanarias à fundamentis ædificavit, ac fornice Templi inaurato, Porticu inferiore plaſtico opere item inaurato, quod vitam, res geſtas, Principum Apoſtolicorum admiranda majeſtate exprimeret, infernè ſanctiſſimorum Pontificum, ſupernè in faſtigio Baſilicæ impoſitis Chriſti Servatoris, & Apoſto-

Apoſtolorum coloſſæis ſtatuis, ampliſſimum, ac magnificentiſſimum Templum abſolvit.

In medio hujus auguſtiſſimi Templi ſacram Confeſſionem, in qua divorum Petri & Pauli cineres requieſcunt, aperuit, columnellis auro textili, perſimili lapide, fores circumdedit; gradus marmoreos, quibus ad intima deſcenderetur, collocavit; parietes hinc inde inſignibus, & aliis ornamentis, ex pretioſiſſimis variorum colorum lapidibus incruſtavit; pavimentum ejuſdem ad ſtuporem admirando opere teſſellato ſtravit; oſtium intermedium ærea crate inaurata inter aliquot columnas pulcherrimas concluſit; altrinſecus duas ſtatuas ex metallo deauratas, alteram divi Petri, alteram divi Pauli effigiem referentes, in loculamentis exterioribus repoſuit; lampadem argenteam ingentis ponderis & pretij, quæ inter alias quatuor minores diebus ſolemnioribus luceret, appendit: ac tale denique opus perfecit, ut qui oculis non conſpexerit, vix mente poſſit concipere. Accuratam admirandi hujus Templi delineationem & deſcriptionem edidit Auguſtinus Oldoinus Soc. Jeſu *in additionibus ad Ciaconium tomo 1.* in vita S. Petri primi Pontificis *ad annum Chriſti 68.* quem lector curioſus conſulere poterit. Redeo ad Paulum. *Confeſſionem S. Petri conſtruit.*

Vaticanas etiam Pontificum ædes aliquot peramplis conclavibus auxit, ſcaliſque, quibus Horti Vaticani ſecretò ad animi relaxationem adiri poſſunt: Hortos ipſos aquæ à ſe ab agro Bracciano deductæ ingenti copia æmœniores reddidit. In Vaticanum atrium, quod Bibliothecæ, & pontificiis conclavibus intercipitur, ingentem Craterem operis egregij (quem Julius II. è Veſpaſiani Thermis aſportaverat) injuriâ temporum diffractum, reſtituit, aquiſque ditavit. Vaticanam Bibliothecam, multis ædificatis conclavibus decentiſſimè ornatis, ampliavit, auguſtioremque reddidit. Inter illius ornamenta ſunt illuſtrium virorum imagines: ſunt & Conditorum Bibliothecarum varia ſimulacra cum ſuis inſcriptionibus: ſunt Paulinæ magnificentiæ operum in illam diem patratorum Icones eleganter ibidem depictæ. Bibliothecæ Archivium Apoſtolicum adjunxit, in quo omnia monumenta ſecretiora Apoſtolicæ Sedis, hinc inde antea diſperſa, concluſit; picturiſque appoſitè inter arcum fornicum depictis, quid in cenſu, quidve in jure Romana Eccleſia poſſideret, haberetve, oculis objecit, adſcripta ſingulis iconiſmis indicatione. *Vaticanas ædes ampliat.* *Bibliothecam* *Archivium condit.*

Nec Vaticanam tantùm Baſilicam, aut Palatium, ſed & Liberianam quoque auxit Eccleſiam, exornavitque. Et primò illius Turrim campanariam, repetito fulminis ictu concuſſam, reſtituit, ſtabilivit, plumbo operuit: Campanam ingentis ponderis, ac magnitudinis eximiæ vitiatam, aucto pondere in honorem Dei genitricis Mariæ reficiendam curavit. *Baſilicam Liberianam exornat.*

Sacellum à ſuo nomine *Burgheſianum* dictum, beatiſſimæ Virgini Mariæ in eadem Liberiana Eccleſia à fundamentis extruxit: Eſt autem illud, ſive amplitudinem ædificij, ſive elegantiam operis, ſive opulentiam, venuſtatemque conſideres, ad miraculum pulcherrimum, regium: extrinſecùs Tyburtino lapide; intrinſecùs Carrarienſi *Sacellum B. V. à fundamentis erigit.*

rienſi marmore, Numidico, Chio, Phrygio, Alabaſtrite mellei coloris maculoſo; in quod vetuſtiſſimam B. Lucæ Evangeliſtæ manu depictam Deiparæ effigiem tranſtulit. Aramque maximam cum loculamento pro ea effigie, quatuor columnis altiſſimis ex Jaſpide circumdato Topazio, Granata, Rubino, Smaragdo, Chryſolito, Onyce, Amethyſto, Cæruleo, Perſico, & aliis magni pretij gemmis ornatam, Reginæ Angelorum in cœlos aſſumptæ (cujus imaginem auro, monilibus, torquibus aureis, gemmis variegatis, unionibus, & lapidibus pretioſiſſimis operuit) conſecravit. Hujus Altaris delineationem, ad lectoris oblectamentum, ponit ob oculos Auguſtinus Oldoinus *in addit. ad Ciac.*

Suppellectilẽ pretioſam addit.

Addidit præter hæc Sacello memorato Paulus ſuppellectilem longè pretioſiſſimam, variis ornamentis ex auro, argento, gemmis, unionibus conſtantem, quæ omnia ſingillatim per partes deſcribuntur à laudato Oldoino, conficiuntque univerſim ſummam 81725. aureorum. Ad hæc aliam quoque ſupellectilem copioſam, pretio inæſtimabilem ad altarium, Sacerdotum, ac Miniſtrorum altaris uſum, ornatumque eidem Sacello contulit. Organum pariter artificio inſigne adjecit. Collegium Sacerdotum, qui rem divinam ibi quotidie perpetuò facerent, conſtituit: Muſicos, qui ſingulis celebrioribus per annum feſtis, Dominicis, ac Sabbati diebus ibidem concinerent, conduxit: Miniſtros reliquos aſſignavit, & proventus annuos locupletes ſingulis in perpetuum, cum neceſſariis omnibus ad uſum Sacelli addixit, edito ea de re Diplomate.

Columnam marmoream B. Virgini erigit.

Liberianæ Baſilicæ, & Deiparæ colendæ Paulus Pontifex unicè intentus, Columnam marmoream ſtriatam, magnitudinis ingentis, quæ una ex reliquiis Templi Pacis, à Veſpaſiano Principe poſt bellum Judaicum confectum conditi, ſupererat, eo loco aſportandam, & ante ſacram illam Baſilicam ſublimi in baſi addito capitulo operis Corinthij egregiè elaborato ſtatuendam curavit: cujus apici B. Virginis ſtatuam æneam inauratam impoſuit.

Ædes Quirinales conſtituit.

Grave Vaticani agri cœlum, ut Pontifices æſtate vitarent, anguſtas pro tanta aula in Quirinali ædes ædificarant; quibus amœnitates propinquorum hortorum adjunxerant. Eas dum ædes incolerent, dici non poteſt quanta cum omnium querela alienas ſæpè ædes, ut familiæ tectum pararent in propinquo, cogerentur commodatò ab externis accipere. Huic malo liberaliter Paulus ut obviam iret, ingentem molem ædium à fundamentis erectam, veteri Pontificum palatio adjunxit, in qua & publicis functionibus exercendis ſpatium eſſet, & Sacellum privatis uſibus opportunum. Multas præterea domos vicinas coëmit, inſtauravitque ad familiæ pontificiæ uſum, ne ulli amplius oneroſa eſſet. Addidit & Quirinali palatio ædificia complura, quò familiæ uſibus ſine vicinorum incommodo faciliùs conſuleret: Datariæ in primis ædes proprias exſtruxit ſuo cum atrio: quas tamen ædes ipſe Paulus pontificiæ familiæ poſteà aſſignavit, Maphæorum ædibus Datariæ in vicem adſcriptis.

Datariæ ædes exſtruit.

Sacellũ item, & Aulam regiam.

Hactenus de ea Quirinalis palatij parte diximus, quæ Septentrionem ſpectat: de ea nunc agendum, quæ ad Orientem reſpicit. Ejus

Ejus partem maximam Paulus à fundamentis extruxit, in qua Regia aula, ampliſſimumque Sacellum continetur, cum ſacro veſtiario, cui longus ornatiſſimorum ordo conclavium adjungitur. Ad Sacelli cancellos, quibus Cardinalium, Sacerdotumque conſeſſus à reliquo ſpatio dirimitur, aureis notis hæc verba inſcripta leguntur.

PAULUS V. PONTIFEX MAXIMUS
ANNO MDCXI.
PONT. SUI XII.

Vias aperit, & Urbem laxat.

Ad Pontificias haſce ædes à ſe in Quirinali extructas viam aperuit. Horrea in Quirinali non procul ab Exquiliis laxavit, fontesque quotidianis uſibus deduxit. Vias urbicas alicubi diſtortas, alibi obſtructas vel anguſtas direxit, aperuit, dilatavit; & inter eas, illam, quæ à quatuor Fontibus ad Baſilicam Liberianam, & alteram, quæ à porta Flaminia uſque ad pontem Milvium ducit, ſilicibus ſtravit.

Aquâ Transtyberinam regionem ditat.

Cùm aquæ penuriâ tota Transtyberina regio mirum in modum laboraret, opus molis immenſæ Paulus aggreſſus, incredibilem aquæ copiam ex agro Bracciano derivatam à quinto ac trigeſimo milliario partim ſubterraneo ſpecu, partim arcuato opere in ſummum Janiculum perduxit. Hanc aquam Paulus ad tres Leoninæ Urbis fontes à ſe extructos, quorum alter in area D. Petri Vaticani, alter ad D. Jacobi aream, ac tertius prope S. Angeli pontem conſtructus eſt, deduxit. Eandem aquam è Janiculo monte, plumbeo canali per Xyſti pontem tranſmiſſam, citeriori invexit Urbi.

Aras exornat.

Præter hæc Paulus SS. Virginibus & Martyribus Agneti, & Emerentianæ aram ex pretioſiſſimis lapidibus in earum Templo extra muros Urbis erexit, earumque ſacra pignora in argentea arca affabrè facta pretii quinque millium aureorum recondidit, & arcam ſub ara collocavit.

Pontificium ærarium auget.

Alias nobiles ſtructuras molitur.

Pontificio Ærario acervum novies centenum aureorum millium intulit: ſacris pontificiis cum majeſtate faciendis thiaram Epiſcopalem adamantibus & unionibus ditiſſimam pretio 70. millium aureorum comparavit: Lycæum Romanum, *Sapientiam* nuncupatum, magnis acceſſionibus ædificiorum factis amplificavit; utque ultima ei manus imponeretur, nonnulla Sedis Apoſtolicæ vectigalia loco pignoris ſubſtructioni perficiendæ obligavit: Duo inſignia Sanctorum Benedicti, & Franciſci Monaſteria, Portamque Portuenſem, viis ampliſſimis apertis directiſque, in nobiliorem proſpectum dedit: Cœnobium Pœnitentium mulierum in via Curſus incendio deformatum reſtituit, auxit, inſtruxit, & viâ apertâ à vicinis ædibus ſejunxit: Lauretanam almæ Virginis ædem donariis pretioſiſſimis locupletavit: Sodalitati primariæ ejuſdem Virginis, quæ *à Roſario* nomen habet, privilegia à prædeceſſoribus Romanis Pontificibus conceſſa reſtituit ac confirmavit: Portum Fanenſem (*Fanum Fortunæ* vocant civitatem) aperuit, purgavit, munivit, eaque ratione annonam Piceno, Umbriæ, Æmiliæ cumulavit: Portum, arcem, oppidum ad Centumcellas reſtauravit, reſtituit, auxit:

Navigantium ſecuritati conſulens, Pharo erecta, ignes pervigiles in illa ardere præcepit.

Ejus admiranda in pauperes munificentia.

Neque ſolùm in ædificia, ſed in pauperes quoque munificum ſe præbuit Paulus: Puellis nubilibus, quæ ex proprio dotem non haberent, in matrimonium collocandis, congruam pecuniam ſingulis menſibus numerabat. Expoſitis utriusque ſexûs adoleſcentibus largiſſimas itidem eleemoſynas erogabat. Nevé (quod unum ac præcipuum eſt mulierum bonum) pudicitia ab egeſtate expugnaretur, honeſto loco natis, ſed inopia rei familiaris ad neceſſitatem adductis, menſtruas pecunias clàm ſubminiſtrabat. In egenos Romam devotionis cauſa adventantes, ſingulis annis minimùm centum myriadas auri diſtribuebat. Quoties in publicum prodibat (prodibat autem non infrequenter) obviis omnibus pauperibus catervatim affluentibus dignam Pontifice ſtipem diſpertiebat. Narrat Victorellus ex Quæſtoribus accepiſſe ſe, Paulum ſexdecim imperij ſui annis, in pauperes quindecies centena aureûm numûm millia, & cò amplius expendiſſe.

Liberalitas in cives, peregrinos, ac alios.

Porrò Civium neceſſitates, ac vivendi difficultates, reique familiaris anguſtias, nunc frumento, nunc pannis, nunc veſtibus, nunc pecunia, rebusque aliis ſublevabat. Ignotos, peregrinos, & advenas indigentes, præſertim ex provinciis hæreſi infectis, vel ex captivitate reduces, pro ratione ac conditione perſonarum liberali ſtipe ſolabatur. Scotorum, Anglorum, Hibernorumque ingentem numerum, qui tempeſtatem patriæ ab Hæreticis excitatam fugientes, ſolum mutaverant, & in Urbem migraverant, annuis proventibus in victum & veſtitum aſſignatis, in fide Catholica continuit. Romæ in Quirinali apud ſanctæ Suſannæ Templum in Cœnobio Carmelitarum diſcalceatorum Seminarium ſub ſancti gentium Doctoris Pauli nomine ad hæreticorum converſionem inſtituit. In Gallia militarem Ordinem S. Mariæ de Monte Carmelo, ab Henrico Magno Rege annuis redditibus dotatum, ad hæreſes profligandas, fundavit. Ut autem Evangelici Doctores ad omnium gentium ſalutem procurandam aptiores redderentur, in Religioſorum virorum Academiis linguas, Latinam, Græcam, Hebraicam, Arabicam tradi præcepit. Ad Maronitas Montis Libani habitatores, Libros Catholicos, Breviaria, Miſſalia, Calices, Cruces, Veſtes, Sacerdotales, & ad eorum Patriarcham indumenta Patriarchalia miſit: Maronitæ verò tam beneficum Pontificem in vicem adeò ſunt venerati, ut in Templo, in quo Patriarcha ſacris operatur, Pauli imaginem penes aram collocaverint.

Vicarium General. Ciſtercienſibus in Hiſp. conſtituit.

Conſiderans etiam Paulus, multa Monachorum Ciſtercienſis ordinis Cœnobia in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, Majoricarum, & Principatu Cataloniæ, atque etiam in Regno Navarræ conſtituta, rarò aut nunquam à ſuo Abbate Generali perſonaliter viſitari, indeque fieri, ut in iis regularis obſervantia minueretur, ac collaberetur; menſe Aprilis anno ſalutis 1616. eorundem Regnorum Congregationem inſtituit, ab uno Vicario Generali regendam, ſub perpetua tamen obedientia Abbatis, & Capituli Generalis Ciſtercij. Romæ verò anno 1617. Congregationem fratrum Joannis Dei, in

Italia

Italia pridem inſtitutam, ad ſuſcipiendos & fovendos pauperes infirmos; & Hoſpitalia Italiæ, Germaniæ, Galliæ, & Poloniæ comprehendentem, in veram Religionem ſub tribus votis ſubſtantialibus, & quarto de juvandis infirmis ſub regula S. Auguſtini erexit, Conſtitutione ea de re facta 13. Februarij; aliaque 15. Aprilis, qua ejuſdem Congregationis leges confirmavit. *Congregat. Joannis Dei confirmat.*

In Romanos etiam propenſius, Annonæ copiam ſummo ſtudio curavit: ſcribunt nonnulli, 800. nummum aureorum millia in annonæ ubertatem illum effudiſſe; & aliorum præſtantium virorum cœtum, ad ejuſmodi ubertatem in Eccleſiaſtica ditione retinendam, inſtituiſſe. Operam agriculturæ dantes privilegiis munivit, & ad eam in bonum publicum propagandam leges tulit perutiles. Quare in ejus funeris ſolemniis apud S. Mariam Majorem Signum, & hæc verba conſpecta: *Promptuaria ejus eructantia ex hoc in illud.* Romanæ Curiæ Tribunalia reformavit: Miniſtrorum ſtipendiis, & ſtudio, ne in corruptelas inciderent, metam conſtituit: Magiſtratibus omnibus leges dedit, ne juſtitiæ & æquitatis leges violarentur. Inde civilis tranquillitatis perturbatores Pauli tantùm audito nomine, ut concretus in aëre vapor Solis ardore liqueſcit, evaneſcebant. Factioſorum licentia ab illo coërcita; ſceleſtorum furor compreſſus; ſicariorum & graſſatorum peſtis ablata; Juſtitiæ cultor, ſine diſtricto, ut ita dicam, gladio temerarios quoſque in officio continuit. Hinc ad Juſtitiæ ſimulacrum in Exquilini funeris pompa Davidicum illud illi adſcriptum: *De Cœlo auditum fecit Judicium, terra tremuit & quievit.* *Annonam procurat. Tribunalia Romanæ Curiæ reformat.*

Nec Romanorum duntaxat, ſed & aliorum Chriſtiani orbis filiorum cura in Pauli pectore vigebat: excitatas inter Sabaudiæ & Mantuæ Duces diſcordiæ flammas extinxit: Chriſtianorum Principum animos in mutuæ benevolentiæ nexu continere conatus, eos ut furentes junctis viribus Turcarum impetus domarent, infringerentque ex animo hortatus eſt: Antonium Caëtenum, & mox Cardinalem Millinum ad diſſidia inter Cæſarem & Matthiam fratrem diſſolvenda in Germaniam legavit. Ad Indos, apud quos Epiſcopales ſedes plurimas erexit; ad Perſas, ad Regnum Conganum, ad exteras alias regiones Evangelicæ doctrinæ Magiſtros expedivit: quin & Patribus Societatis Jeſu in negotio ſalutis animarum apud Sinas felici progreſſu laborantibus auxilio, & ſubſidio fuit. *Diſcordias Principum Chriſtian. extinguit. Externas nationes curat.*

A Regibus Congi, Japoniorum, Perſidis, Æthyopiæ, Voxii, aliiſque ex Orientis partibus Legatos miſſos excepit, audivit, juvit, benignè habuit: qui egregiam Pontificis magnificentiam, virtutem, atque pietatem oculis cernentes, (præſertim die Jovis ſancto, dum poſt pauperum pedes dilutos, illorum menſe præcinctus inſerviit) in patriam reverſi, undique tantam charitatem deprædicarunt: quò factum, ut dimiſſis erroribus, Romanæ Eccleſiæ dogmata amplexi, magna ex parte fideles evaſerint. *Legatos variorum Regnorum excipit.*

Jam enarratis præclaris Pauli facinoribus, ad virtutes ejus gradum faciamus. Quotidie, antequam auguſtiſſimam Hoſtiam litaret, genu ante Sacerdotem humi poſito, noxas ſi quas in tractatione negotiorum totius Orbis contraxiſſet, humiliter accuſabat, *Pauli vita religioſa.*

proque iis ex Sacerdotis præſcripto abundè faciebat: mox orationibus præparato animo, ad ſacram aram, ſive privatam diebus ſingulis, ſive publicam in Sacello pontificio, vel in Baſilicis pro feſtivitatum ratione accedebat, tam compoſito corpore, geſtu, manu, vultu, oculo, ut omnia ejus membra, nutus, motus, greſſus devotionem ſingularem, puritatem præcipuam, ac venerandum de rebus cœleſtibus ſenſum ſpirarent; & illum velut *Ideam Chriſtiani Sacerdotis* ad exemplar omnium ſanctè ſacrificantium proponerent. Præter ſacrificandi, & horas diurnas nocturnasque ſumma cum attentione recitandi conſuetudinem, nunquam toto Pontificatus tempore intermiſſam, alia quoque pietatis exercitia ſummo Paſtore digna obibat, præſertim miſericordiæ in pauperes, mortificationis in ſeipſum, & orationis in Deum.

Auget numerum Sanctorum, ac Beatorum.

Honores publicos viris pietate claris ſolemni ritu decrevit: Carolum Borromæum S.R.E. Cardinalem; & Franciſcam Romanam, Oblatarum Turris Speculorum Fundatricem in Sanctorum Catalogum retulit. Ignatium Loyolam Societatis Jeſu Conditorem, Franciſcum Xaverium Indiarum Apoſtolum, Philippum Nerium Congregationis Oratorii Romani Inſtitutorem, Thereſiam Virginem Tiſcalceatorum Carmelitarum parentem, Ludovicum Beltramum Dominicanum, Thomam Villonovanum Archiepiſcopum Valentinum, Iſidorum Agricolam Hiſpanum, Joachimum Senenſem, Beatis adnumeravit. Beatum Stanislaum Koſtkam Polonum, B. Aloyſium Gonzagam, Societatis lilia; Margaritham Caſtellanam, & Jacobum Venetum Dominicani ordinis lumina; Beatum Philippum, & Peregrinum familiæ Servorum B. Virginis decora; Pium V. Pontificum Romanorum decus, cultu ampliori affecit; atque alios utriuſque Sexus, ſeu ſanctos, ſeu beatos, Martyrologio Romano inſcripſit, ac Breviario, & Miſſali inſeruit.

Diſsidet cum Venetis.

Cæterùm Pauli animum mirum in modum afflixit diſſidium cum Venetis natum pro Juriſdictione Eccleſiaſtica; Paulus contra Rempublicam cenſuris egit: ſed re paulò pòſt ex dignitate compoſita, antiquam Italia pacem experta eſt. Cùm autem Jacobus VI. Angliæ Rex aliam juriſjurandi formulam Anglis, cæteriſque ſubditis præſcripſiſſet, quæ multa Catholicæ fidei contraria, & Apoſtolicæ Sedis auctoritati indecora continebat, litteris ad Catholicos Anglos 17. Kalend. Octobris anno 1606. ſcriptis, monuit, tale juramentum tuta conſcientia ab eis præſtari non poſſe; illudque, ut par erat, pro Catholicis nullius roboris declaravit.

Fidelibus in Anglia proſpicit.

Hiſce curis, & laboribus jam confectus Paulus, mortem adventare præſagiens, Sacerdotem, qui Eccleſiæ myſteria morituris dari conſueta ſibi conferret, accerſiri juſſit: ritè inunctus, ac divino epulo refectus, commendata Patribus Eccleſia, formulam profeſſionis fidei recitavit: tum levi lethargo correptus, *Cupio*, inquit, *diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*, atque in hæc verba plenam meritis animam Chriſto Salvatori in manus conſignavit, die 22. Januarii anno æræ Chriſtianæ 1621. ætatis 69. Pontificatus ſui anno ſexto decimo nondum completo. Corpus ad Vaticanum delatum in Principis Apoſtolorum Templo, temporario in tumulo, poſt funus ritè celebra-

Sanctè moritur.

lebratum, humatum eſt. Vertente anno, die 30. Januarii aperto rurſus ſepulchro corpus integrum, intactumque repertum, & eodem die ad Sacellum in Exquiliis à ſe erectum, translatum eſt. Cui Scipio Cardinalis Burgheſius ſequens in marmore ſculptum Elogium adjecit.

PAULUS V. PONT. MAX. *Pauli Epitaphium.*

MORTIS MEMOR VIVENS SIBI POSUIT. SCIPIO CARDINALIS BURGHESIUS FUNUS DUCI, JUSTA SOLVI, CORPUS INFERRI CURAVIT.

PAULUS V. PONT. MAX. PATRIA ROMANUS EX BURGHESIA FAMILIA.

Cui perpetua vita innocentia, & ſpectata virtus, ad inſignes quoſque honores gradum fecit. Bononiæ Prolegatus præfuit: mox à Gregorio XIV. Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Auditor creatus, & à Clemente VIII. ad Philippum II. Hiſp. Regem de graviſſimis rebus Legatus, in ampliſſimum ordinem cooptatus, inter Generales Inquiſitores adſcriptus, & Urbis Vicarius electus, cùm omnes tantorum munerum partes ſumma cum laude obiviſſet, ad ſummum Pontificatum, Leone XI. è vivis erepto, florens adhuc ætate, incredibili Patrum conſenſu evectus eſt. Cumq. vigili ſollicitudine ſecuritatem, Annonæ copiam, juſtitiam, & quietem populis, Eccleſiaſticæ verò ditioni concordiam, & pacem univerſo Chriſtiano Orbi ſemper præſtitiſſet, Religionem ſumma pietate coluiſſet, Urbem magnificentiſſimis ædificiis ornaſſet, atque egregiis omnium virtutum officiis aditum ſibi ad immortalitatem aperuiſſet, è mortalibus raptus, grave cunctis ſui deſiderium reliquit. Sedit in Pontificatu annos XV. *menſ.* VIII. *dies* XIII. *Obiit anno ſalutis* MDCXXI. die XXII. Januarij.

Fuit Pontifex verè optimus, amator pacis, pauperum pater, & quietis Sectator ſtudioſiſſimus: juſtitiæ cultor acerrimus: delicta publica punivit, ſed non ut punirentur, longè quæſivit, vel ſilentio obruta in lucem revocavit. Villa delectabatur ut plurimùm Tuſculana, quam multis millibus conſtruxit. Doctor erat non exquiſitæ, ſed vulgaris doctrinæ; Legalis tamen ſcientiæ valdè peritus & practicus: in victu, & amictu parcus, & ad miraculum terſus, cultus, & comptus: puritas exterior interiorem animi candorem indicabat: referunt enim multi, virginem è vivis illum diſceſſiſſe. Ex quibus liquet, virum optimum integerrimumque fuiſſe, & Pontificem (ſi una caruiſſet nota, largitione nempè in ſuos) beatiſſimis annumerandum: eam tamen notam, (ſi nota eſt ſuis benefeciſſe) domeſticorum Theologorum doctrinæ, & conſilio adſcripſere alii. *Ejus elogium.*

Cæterùm Paulo regnante, Pragæ diem ſuum obiit anno 1612. Rodulphus II. Cæſar, poſtquam Imperium Germanicum tenuiſſet ab obitu Maximiliani II. patris annos triginta quinque, & menſes *Obitus Rodulphi II. Imp.*

tres: in cujus locum Electores Francoforti ad Mœnum congregati nominarunt Matthiam ejus fratrem, jam anteà Regem Hungariæ, & Bohemiæ: obiit verò Matthias Imperator die 20. Martii anno 1619. Viennæ, ætatis 62. Imperii 7. poſt quem Imperium obtinuit Ferdinandus II. Matthiæ Cæſaris Conſobrinus.

Martyrium octoPP. è S. J. Anno 1616. Paulo V. ſacris Chriſtianis præſidente, octo Religioſi viri Societatis Jeſu occiſi ſunt in India Occidentali à Gentilibus, quorum converſioni, & inſtructioni ipſi allaborabant.

Jubileum Lutheranorum. Anno verò ſequenti 1617. *Joannes Georgius* Saxo Elector ridiculè velut ſimia imitatus Paulum Pontificem (qui eo anno ad placandum Deum, ac pacem inter Gallos, Germanos, Venetos & Sabaudos procurandam Jubileum indixerat) ſuum quoque in Saxonia Jubileum promulgavit, quia annus centeſimus ab *Apoſtaſia Lutheri* recurreret: curavitque cudenda monetam auream & argenteam cum epigraphe *Seculum Lutheranorum 1617.* Feſtum hunc diem dignis *Vitulo ſuo* commeſſationibus, compotationibus, ludis, choreis concelebrarunt, qui priùs ab avita religione deficientes, *omnes dies feſtos Dei à terra quieſcere* fecerant. Famoſa ſanè, non famelica Religio, *cujus Deus venter eſt.*

S C R I P T A.

PauliScripta Edidit Paulus *Conſtitutiones* quamplurimas, quæ collectæ habentur in Bullario Magno.

Item Diplomata varia.

Scripſit & leges utiliſſimas pro Magiſtratibus Romanis.

Decretum ſingulare *pro Conceptione immaculata B.V.M.* quo vetat, ne quis in poſterum in actibus publicis aſſerere audeat Mariam Virginem in peccato originali fuiſſe conceptam.

Librum *Rituale Romanum* dictum, ad ſacramenta in Eccleſia Dei ritè adminiſtranda.

Epiſtolarum ad varios volumen.

Orationem in Legatione Hiſpanica dictam.

Orationes in Canonizatione SS. Caroli Borromæi, & Franciſcæ viduæ Romanæ habitas.

Chaldaicos item typos, & Chaldaicum Breviarium excudendum curavit.

Gravi illi Controverſiæ, quæ ſub Clemente VIII. *Deo Gratia auxiliis*, & *Libero arbitrio* inter Patres Dominicanos & Societatis Jeſu agitata fuerat, ſilentium impoſuit, donec aliud à Sede Apoſtolica decerneretur.

Cæterùm innumeri ſunt Auctores, qui varios ingenii ſui fœtus Paulo V. inſcripſerunt: horum præcipuos, numero quinquaginta eoque amplius, recenſet Oldoinus in *Additionibus novis ad Ciaconium.*

Joannes de Orbara ſcripſit epiſtolam ad Paulum V. quæ ex Decreto Apoſtolico die 3. Julii anno 1623. eſt interdicta.

ANNO

ANNO CHRISTI MDCXXI.

Imperatore FERDINANDO II. Auguſto.

DE

GREGORIO XV. Pont. Max.

CCXXXVIII

Alex. Card. Ludoviſius ſub Gregorii XV. nomine Pontifex ſalutatur.

JUſtis Novendialibus Paulo V. de more ſolutis, Cardinales, re divina ad Spiritus ſancti faces impetrandas peracta, novum Pontificem delecturi, Vaticana Comitia die octava Februarii anno 1621. ingreſſi ſunt. Comitiorum initio quidam Robertum Bellarminum, plures Camporeum, alii Aquinum, alii alios ad Apoſtolicum thronum provehere conabantur. Alexander Cardinalis Ludoviſius, Archiepiſcopus Bononienſis, datâ operâ, non priùs Urbem ingredi voluit, quàm Cardinales Comitia ingreſſi fuiſſent. Et ecce eadem die, qua Comitia adiit, propoſitus in Romanum Pontificem, ſimulque probatus, incredibili Patrum omnium conſenſu altero ab ingreſſu die, Romanus Pontifex ſub Gregorii XV. nomine ſalutatur.

Ejus generis nobilitas & vitæ primordia.

Prodiit Alexander *Ludoviſiorum* familiâ, ante quingentos jam annos Bononiæ, Neapoli, ac Romæ pernobili, magnorumque virorum utriuſque ſtatus ferace, parentibus Comite Pompejo Ludoviſio, & Camilla Blanchina, Quinto Idus Januarias, ſeu, ut alii volunt, 18. Kalend. Februarii anni 1554. Bononiæ.

Infantiam ſub patriæ, parentumque aſpectu adoleſcentiam Romæ traduxit apud Patres Societatis Jeſu, in Germanico, Romanoque Collegiis, quorum in altero humaniores, in altero Philoſophicas facultates eſt aſſecutus: utrobique magna cum laude modeſtiæ, atque ingenii longè acerrimi commendatione. Nihil in eo puerile, aut moribus diſſonum apparebat: in ipſa juventute ſenis gravitatem oſtendebat: aſpectus, geſtus, motus, ſermo, quandam redolebant dignitatem, quæ majeſtatem, & provinciam, quam quam olim ſuſcepturus erat, liquidò præmonſtrabant.

Præſagium futuri Pontificatus accepit.

Bononiam in patriam reverſus, in pernobili illa Academia legum peritia apprimè imbutus, laureaque inſignitus, Romam regreſſus eſt: ubi trium ſummorum Pontificum de ſe judicia virtute promeruit, & exitu ſuſtentavit. Nam à Gregorio XIII. primus Capitolij Judex electus, non inane futuri Principatus præſagium accepit: eum quippè Pontifex ad ſe accitum hortatus eſt, bono animo id muneris interim ſuſciperet, quod ſibi quoque primus fuiſſet ad Pontificatum gradus. A Clemente autem VIII. utriuſque Signaturæ Referendarius conſtitutus, juſſus eſt primarium pro Cardinali Ruſticucio Pontificio Vicario, locum in civilibus cauſis tenere; ejuſdemque partes ceu Viceſgerens explere: mox inter Romanæ Rotæ Patres adſcriptus, tantam in eo munere obeundo præ ſe tulit morum integritatem, ingeniique ſolertiam, & (quod maximum in aula Romana eſt) non ambiguam, aut verſipellem, at ſinceram, apertam-

Archiep. Bononienſis, ac denique Romanus Pontifex evadit.

pertamque orationem, ut Ludoviſius eſſet omnium ore, omniumque amore commendatus. Demum à Paulo V. Bononienſis Archiepiſcopus declaratas, Clero, Civitati, & Diœceſi Epiſtolam charitatis, prudentiæ, benignitatis, demiſſionis animi, paſtoralisque ſollicitudinis luminibus comptam ſcripſit, qua omnium ſibi animos atque amorem uſque adeò conciliavit, ut nemo Prædeceſſorum majorem eo civium venerationem conſecutus fuiſſe tradatur. Multis denique in Eccleſiam meritis clarus, ac virtutibus coruſcus, quum Paulus V. à quo purpuram acceperat, diem ſuum obiiſſet, ipſe concordi Patrum ſuffragio, ad ſummam rerum evectus eſt.

Coronatus Reipub. bono invigilat.

Accepta poſt aliquot dies Sacroſancta imperij pontificij thiara, aditaque Lateranenſi poſſeſſione, ad munia Chriſtianæ Reipublicæ obeunda animum, curasque partitus eſt. Pauci plura & graviora negotia pluribus in locis, uno eodemque tempore complexi ſunt: adeò ut qui multitudinem, magnitudinemque rerum à Gregorio geſtarum conſideret, eas à Pontifice, non duobus, tribusve annis ſed vix totidem luſtris peragi potuiſſe ſibi perſuaſerit: in his verò neſcias fueritnè aggrediendo promptior, an proſequendo conſtantior, an felicior perficiendo? Jubilæum univerſale, ad divinum auxilium pro ſalutari Eccleſiæ Catholicæ regimine implorandum, ante omnia indixit: deinde Vallis Tellinæ procellam, inter populares illos primò exortam, ſed progreſſu temporis Galliæ Hiſpaniæque Reges involventem, & ni diſſolverentur, in fœdum aliquod bellum proximè erupturam, comprimere aggreſſus eſt: primùm diſtrahendo Regum animos, quemque ad ſua curanda hortatus; Hiſpanum ut omiſſa induciarum mentione, in ſeditioſos Batavos bellum renovaret: Francum, ut reliquias Hæreticorum in Gallia funditùs deleret: utrumque magno ſanè conſilij ſui, & Regum ipſorum bono, impetravit. Nam redintegrato utrinque bello, & Galliæ Rex quamplurimis urbibus, arcibusve, vi atque deditione captis, rebelles propemodùm omnes, incredibili celeritate perdomuit; & Hiſpanorum arma in Belgio ex eo maximè tempore (relatis ſæpè victoriis) feliciùs explicata ſunt. Verùm cùm adhuc animi recurrerent ad ejus controverſiæ definitionem, in ſuum ipſe patrocinium (conſpirantibus in hanc unam conditionem partibus) eam regionem interim accepit, dum tempus validiora afferret remedia. Quare magnis ſumptibus pro pace, ac religione haud gravatè factis, fratreque Horatio Ludoviſio Tiani Duce illuc cum magna militum manu miſſo, occupavit arces illas, firmavitque præſidiis; ac præſenti tunc quidem malo opportunè conſuluit.

Jubilæum indicit.

Vallis Telinæ diſcordias comprimit.

Res Germaniæ promovet.

Nec minori ſtudio in Germania Ferdinandum Imperatorem adverſus rebelles Hæreticorum acies conſtanter, ac perdiù juvit, tum expedito milite, tum conſilio, atque numerata in menſes ſingulos grandi pecunia: auctorque fuit, ut Catholicorum Germaniæ Principum ſtabiliretur fœdus, qui perpetuo communique exercitu hoſtem perſequerentur, menſtruali cenſu ex ærario Apoſtolico in eam rem liberaliter attributo. Septemviratum Auguſtalem, jusque ferendi ſuffragij in Romano creando Imperatore, quo ſpoliatus ob rebellionem fuerat Rheni Palatinus, ad Maximilianum Bavariæ Du-

Bavariæ Duci ad Septemviratum ſuffragatur.

cem

cem, ingenti Chriſtianæ rei bono, transferendum enixè, atque indefeſsè curavit. Litteræ Maximiliani ſuffragante Pontifice ad dignitatem Septemviratûs provecti in ſecretiori Patrum Senatu coram ipſo Gregorio perlectæ fuerunt anno ſalutis 1623. die 6. Martij. Meritò autem Maximilianus Auguſtali Septemviratu donatus eſt: imperatorij enim generis claritudine, religione, prudentia, fortitudine, bellicis artibus celebris, perduelles Cæſaris ulturus ſummus ejus legatus mira celeritate Catholicorum Principum Conventum habuit; copias in Auſtriam duxit, acies inſtruxit, hoſtes ne opinantes quidem aggreſſus, provinciam quatriduo in poteſtatem redegit, Cæſarique addidit Ferdinando. Porrò ejus virtus, fortitudo, fama, & celeritas longiùs progreſſa, etiam in inferiori Auſtria claros, oppreſſis hoſtibus, triumphos egit. Anhaltinum ſupremum acerrimumque copiarum Bohemicarum Ducem fregit; vexillum ejus præcipuum cepit; agmen in Pragenſem Urbem duxit; plenuſque ſpei (Dei fretus ope) Cœlites ſibi non defuturos, in alieno ſolo, Tillio & Bucquoio clariſſimis Ducibus in glorioſi prælij partem advocatis, cum hoſtilibus copiis duplo majoribus, locique opportunitate, viribus, tormentis, ac munitionibus longè ſuperioribus, ſigna fortiter contulit; depugnavit, easque juvante numine, horæ unius ſpatio fudit, fugavit, internetione delevit: ita ut nulla eo ævo victoria illuſtrior accidiſſe memoretur. Signa innumera capta multa Romam miſſa, Gregorio lætante, Deoque, ac Virgini matri gratias ſolemni ſupplicatione agente, ad Ædem, quam *S. Mariæ à Victoria* appellant, inter feſtivos populi clamores, campanarum ſonitus, tubarum clangores, tormentorum bellicorum crepitus, delata atque ſuſpenſa ſunt. Præter memorata ſigna Bavarus Dux, Gregorio Pontifici Palatinam quoque Bibliothecam ſelectiſſimis libris famoſam dono dedit; ut Palatina Vaticanæ addita quaſi turris eſſet mille clypeis ad veritatem contra ſacroſanctæ Eccleſiæ, & fidei hoſtes defendendam inſtructiſſima. Hanc Bibliothecam Leo Allatius Chius Theologus præſtantiſſimus à Gregorio in Germaniam miſſus, Heidelbergâ Bononiam, indeque Romam, frendente hæreſi, feliciter devexit. Manu ſcripta volumina plura, Hebræorum, Chaldæorum, Arabum, Græcorum, Latinorum, Germanorum, Italorum idiomate exarata, aliaque variis typis edita plura, victoriæ, pietatis, & munificentiæ Bavari Ducis locupletiſſimi teſtes exiſtunt; ſingulaque his verbis, & Ducis ejuſdem inſignibus nobilitata, in Vaticana conſpiciuntur.

Laus Ducis Bavariæ.

Rebelles Cæſari profligat & ſuperat.

Bibliothecam Palatinam Gregorio donat.

SUM
DE BIBLIOTHECA, QUAM HEIDELBERGA CAPTA
SPOLIUM FECIT:
ET
GREGORIO XV. TROPHÆUM MISIT
MAXIMILIANUS UTRIUSQUE BAVARIÆ DUX
S. R. IMPERIJ ARCHIDAPIFER, ET PRINCEPS ELECTOR
ANNO MDCXXIII.

Amor ejus in Poloniam. Neque minùs in Poloniam cogitationes magnarum rerum providentes contulit. Sigiſmundo Regi certam pecuniam attribuit, opemque aliorum conciliavit adverſus Turcarum Imperatorem, immenſo per eas regiones exercitu minitabundum. Ac proximè fuit, ut ejus hortatu, impulſuque adverſus communem illum hoſtem, legitimum Chriſtianorum Principum fœdus iniretur; niſi parta celebri à noſtris victoria, & pax ex improviſo compoſita, rem diſſoluiſſet. *Et Sabaudiam.* Pari tum ſtudio Sabaudiam quoque reſpexit, hortatus Ducem, ut Genevam (nidum illum Hæreticorum) expugnaret; utereturque beneficio temporis, quo ubique terrarum (Deo fidelium armis benedicente) bella pro fide ſuſcepta egregiè cederent. Quin & in ipſo Britanniæ Regno multa tentavit, quibus eam nationem ad veteris ſacramentum religionis adigeret.

Apoſtatam ab hæreſi revocat. Porrò Marcum Antonium *de Dominis* Dalmatam, Archiepiſcopum Spalatenſem, olim condiſcipulum, ut lucri faceret, Romam evocavit, excepitque. Hic vir impiarum opinionum ſectator ac divulgator, ſacræ Romanæ Eccleſiæ ſinu deſerto, ut Apoſtata in Britanniam conceſſerat; ubi librum virulentum contra Rempublicam Eccleſiaſticam in lucem emiſerat: ſed Gregorij ſtudio, Romam ad felicia piæ matris Eccleſiæ Catholicæ ubera reverſus, errores divulgatos improbavit. At mortuo Gregorio, ceu canis ad vomitum rediens, reſorbuit venenum, quod evomuerat; & quaſi ſus à liquido veritatis fonte, ad impuriſſimum hæreſis cœnum reverſus eſt. Unde ab Urbano VIII. Gregorij ſucceſſore in Molem Hadriani conjectus, atque, ut reſipiſceret, monitus eſt. Reſipuit; Deique beneficio errores iteratò deteſtatus, dogmatum Catholicæ fidei veritatem ſeriò amplexus eſt: exinde gravi morbo correptus, quum mortem ſibi inſtare præſentiret, contractas animi maculas ſacro confeſſionis lavacro eluit, ſuſceptisque non ſine lacrymis & ingenuo contriti pectoris dolore, morientium Sacramentis, beato fine mortalitatem reliquit. Cadaver ejus poſt dies aliquot (quia in errores à ſe damnatos reciderat) & ſcripta impietatis cœno aſperſo, juſſu Pontificis, in Campo Floræ, carnificis manu igni commiſſa ſunt.

Conventum habendis de propaganda fide conſiliis inſtituit. Redeo ad Gregorium; qui ut prodeſſe terrarum Orbi univerſo ſimul poſſet, Conventum Cardinalium habendis de propaganda fide conſiliis inſtituit, annuisque redditibus ſtabilitum confirmavit: extant litteræ inſtitutionis hujus Conventus à Gregorio editæ anno 1622. decimo Kal. Julij: immò fidei & religionis tuendæ ſtudioſus, edicto publico etiam cavit, ne hæretici in Italia, aut in adjacentibus Inſulis habitarent, aut domicilia fixa haberent. Pragæ Collegium S. Bonaventuræ in ædibus Minorum (quos *Conventuales* dicunt) inſtituit. Guillelmum Epiſcopum Chalcedonenſem omnibus Anglici, & Scotici Regnorum Catholicis Præſulem dedit, ut conſtat ex litteris Octavij Cardinalis Bandini ad eundem Guillelmum die 5. Aprilis anni 1623. datis. *Lutetiam in Metropolim erigit.* Lutetiam Urbem Regni Gallici primariam, à Metropoli Senonenſi, inſtante Ludovico XIII. Rege, diſtractam, in novam Metropolim erexit, attributis ei Eccleſiis Carnotenſi, Aurelianenſi, & Meldenſi, quæ priùs eidem Senonenſi ſuberant. Fuitque primus tantæ Urbis Archiepiſcopus vir nobilis, pius, indu-

induſtrius, Joannes Franciſcus Gondius, Henrici Cardinalis Gondij frater.

Auctor fuit Gregorius, ut Romæ apud S. Cæciliæ Ædes, Collegium Patrum Benedictinorum, *Gregorianum* nuncupandum, extrui poſſet, ſub B. Petri Apoſtoli patrocinio: Hujus Collegij primum Præſidentem nominavit Conſtantinum Cajetanum, Abbatem ejuſdem ordinis. In hoc gratis excipiendi erant Monachi omnes exteri univerſi Ordinis S. Benedicti, pietatis, vel negotiorum, ſeu ſtudiorum cauſa Romam venientes: foreque ſperabat, ut inde divinus cultus incrementum; religioſa S. Benedicti familia ornamentum; ordinis alumni fructum; Urbs ornatum; Chriſti fideles ſolatium permagnum acciperent. De hujuſce celeberrimi Collegij erectione Abbas Præſidens Epiſtolam encyclicam ad omnes ſui Ordinis Abbates, & Præſides dedit, typiſque vulgavit. *Benedictinorum Ordini Collegium extrui curat.*

Quinque viratum Sanctorum celebrandum propoſuit idem Gregorius, quos una die, quarto ſcilicet Idus Martias anni 1622. in Cœleſtium numerum retulit; videlicet Ignatium Loyolam Societatis Jeſu Fundatorem; Franciſcum Xaverium Indiarum Apoſtolum; Philippum Nerium Congregationis Oratorij Auctorem; Iſidorum Agricolam; & Thereſiam Virginem Carmelitarum Diſcalceatorum Inſtitutricem. Servum quoque Dei Petrum de Alcantara *Beatum* nuncupavit, & à Minorum Obſervantium ordine in Sacro, & precibus horariis ceu Confeſſorem colendum cenſuit. SS. Joachimi & Annæ feſtum diem ex præcepto honori habendum ſtatuit. Denique (quod unum ſatis eſſet ad nominis immortalitatem) Diploma *de Creatione Romani Pontificis* per ſecreta ſuffragia expetitum ab omnibus, tentatum à multis, à nemine perfectum, conſcripſit ipſe, & publicavit. Quod uti à Gregorio excogitatum, ſancitumque fuerat; integrum, intactumque Urbanus VIII. ſucceſſor ejus, ut electione ſua comprobaverat, ita peculiari poſteà illud edicto confirmavit: ut veriſſimum ſit elogium viri & purpura & meritis ampliſſimi, à Gregorio Quintodecimo utrumque religionis polum egregiè ſtabilitum; alterum in Germania ad creandum Romanorum Imperatorem, translato ſuffragij jure ad religioſiſſimum Principem ab Hæretico; alterum Romæ ad dicendum Romanum Pontificem, impoſita Comitiis lege, modoque, quo ſinguli Patrum ſuæ ſpontis & arbitrii in poſterum decernere in re tanta poſſent. *Auget numerum Sanctorum.* *Diploma de creatione Pontificis conſcribit, & vulgat.*

Nec ideo hæ tam multæ, longeque pertinentes cogitationes quicquam de urbana adminiſtratione detrahebant in Gregorio, ut tunc maximè patuit, cùm Urbem Romam, extrema caritate annonæ, morborumque gravitate laborantem, magnâ frumenti aliunde advecti copiâ, viliorique, quàm emptum fuerat, pretio diſtributi, & pauperum gregibus veſte, cibo, domicilio ſuſtentatis, & novo Valetudinario ad alia hujuſmodi per Urbem hoſpitia, quæ ſuo quoque ære juvit, aperto, adverſus temporum injurias vigilantiſſimè defendit, ac paternè recreavit. Ad ſtructuræ Latrranenſis reparationem (Pauli V. & Clementis VIII. exemplum ſecutus) annulos Cardinalium morientium ad triennium conceſſit. *Urbem, aliaque curat.*

In has verò, aliaſque plurimas paſtoralis muneris curas quam-

vis valetudine ab ipſo ſtatim Pontificatus exordio aut tenui, aut afflicta, tam vigenti, conſtantique animo ſemper incubuit, ut brevi morituri Pontificis opinio nihil, aut de felici factorum ſucceſſu, aut de Chriſtianorum Principum adverſus illum obſequio, promptaque parendi alacritate unquam remiſerit. At ubi vires deficere, mortemque ſenſim adrepere agnovit, vocantis Dei vocem ſe alacri animo ſequi dixit. Quare depoſito rerum humanarum ſenſu, rejectisque in idoneos viros curis pontificiis, totum ſe Deo, rebusque cœleſtibus addixit, ac ineffabili Numinis clementiæ ſalutem animæ commiſit. Vitæ univerſæ noxas in arcano pœnitentiæ myſterio expiavit: circumſtantium preces, vota, ſuffragia propitiando Chriſto efflagitavit: iterum ac tertiò vel minimas animi labeculas, dolore plenus, confeſſione abſterſit. Laboraverat ex calculo renibus innato, nauſea & vomitu: calculo per medicos feliciter ejecto, acuta febris & alvi profluvium ſuccedens, optimo Pontifici mortem intulit. Itaque ſub veſperum cœleſti viatico corroboratus, mane duo ſacra coram ſe fieri præcepit; quibus finitis Angelorum pane iteratò recreatus, ac oleo exeuntium delibutus, pretioſam Sanctorum mortem exoptans, ſpiritum Deo reddidit in Quirinali die 8. Julii anno ſalutis 1623. poſtquam Eccleſiæ utiliter præfuiſſet annos duos, menſes quinque, dies viginti novem.

Ægrotans, totum ſe Deo committit.

Laborat calculo.

Sancto fine decedit.

Corpus in Vaticana Principis Apoſtolorum Baſilica temporario tumulo exceptum, poſtmodùm translatum eſt ad Eccleſiam Collegii Romani Soc. Jesu, reponendum ibidem in auguſtiſſimo templo, quod S. Ignatio ejusdem Societatis fundatori Ludovicus Card. Ludoviſius nepos magnifico opere, planeque regio ſumptu exſtrui mandavit. Famianus Strada eloquens ac eruditus orator ejusdem Soc. orationem cultiſſimam in funere Gregorii ad Cardinales habuit: Epitaphium verò ſcripſit Joannes Baptiſta Urſus ex eadem Soc. Sacerdos; quod eſt tale.

Sepelitur in Eccleſia Collegii Rom. Soc. Jeſu.

Ejus Epitaphium.

GREGORIUS XV. PONT. TER MAXIMUS

Terrarum Orbe benemerentiſſimus:

Multa brevi jaculatus imperio, quot menſium, tot Luſtrorum aquavit annos: immortali dignus nomine, Rebus præclarè geſtis Roma pro Roma, pietatem auxit novo cultu Religionis; Religioni aras extruxit nova Sanctorum apotheoſi; inter quos Ignatium Soc. J. Fundatorem, Franciſcum Xaverium Anteſignanum, gemellum Numen, Cœli albo, utriusque orbis gemellum veluti Caſtorem, feſta omnium acclamatione, intulit. Feciſſet plura, ni ſato abreptus præpropero obiiſſet: Lugendus ſemper, quòd imperaſſet parùm. Anno Salut. MDCXXIII.

Fuit Gregorio ſtatura infra mediocrem, color in vultu gilvus, & melli non abſimilis; gracile macilentumque natura corpuſculum, non tam vitali calore ante ætatem deferveſcente atque decocto extenuatum, quàm aſſiduis vigiliis, curis, laboribusque fractum: at animus acer, vividus, excelſus, rebusque omnibus præ-

Gregorii Imago, & elogiū.

ſens,

ſens, graviter comis,| & arguta facundia ; ingenium ſublime, excultum, & ad plurimas ſcientias, artes, ac diſciplinas promptum, ſed propriè ad Legum, juriſque prudentiam proclive, in qua tantum & ſtudio, & natura profecit, ut inter primos ejus facultatis Interpretes ætate ſua meritò ſit habitus princeps. Brevis quidem ævi Pontifex, ſed cui ſua ſtabunt nominis famæque decora! quippè quem à ſingulari ſapientia, ab ſignatis in commune bonum ordinationibus, ab adaucto Divorum cenſu, ab inſigni auguſtorum Patrum, atque Antiſtitum delectu, ab eximia integritate ac religione recolet, commendabitque poſteritas: & tamen (quæ ſumma viri ſua deſpicientis modeſtia eſt) inter ſuprema dixiſſe auditus eſt; *Lætum ſe mori, quòd ſperaret ſucceſſorem pleraque emendaturum in Republica Chriſtiana: nullum enim ex omnibus eligi poſſe, qui Pontificatu ſe dignior non eſſet.*

Sedente Gregorio XV. paſſi ſunt in Japonia Anno 1622. glorioſi Martyres *Petrus de Zuniga* Auguſtinianus; *Carolus Spinola* Genuenſis, & *Sebaſtianus Quimura* ambo & Soc. Jeſu; aliique multi nobiles, lentis ignibus pro Chriſti nomine cremati. Multis etiam infantibus utriusque ſexus, qui ſe conſtantiâ maturos cœlo demonſtrârunt, eodem tempore demeſſa ſunt capita. *Martyres in Japonia.*

S C R I P T A.

Scripſit (auctore Oldoino in vita) plura Volumina ad Jurisprudentiam ſpectantia. *Scripta.*

Deciſiones ejus, quas *Rotæ* vocant, Oliverius Beltraminus Juris Conſultus celebris, Notis adjunctis illuſtratus Romæ edidit.

Extat etiam inſigne volumen Epiſtolarum ejus, ad varios eosque litteratiſſimos datarum.

Conſcripſit Diploma *de Electione ſummi Pontificis*, quod hodie in uſu eſt: in hoc eruditas Notas, ſeu explicationes edidit Hieronymus Ghettus, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Generalis.

Plures vulgavit Conſtitutiones, diplomata, litteras Apoſtolicas, in Archivio Romano aſſervatas.

Laudatur peculiaris ejus Conſtitutio emanata contra ſollicitantes ad peccatum in ſacroſancto Pœnitentiæ Sacramento.

Scripſit etiam pro defenſione *Beatæ Virginis ſine labe conceptæ*, de qua re Decretum extat. Patribus Dominicanis nihilominus indulſit, ut poſt Decretum emanatum, in privatis colloquiis inter ſe tantùm, non inter alios, & cum aliis de re illa diſſerere, aut tractare poſſint.

Reliquit etiam nepoti *Monita moralia*, judicii ac Sapientiæ plena, quæ m: ſſ: circumferuntur.

Huic doctiſſimo Pontifici plures inſignes viri eruditas ſuas lucubrationes inſcripſêre: eos nominatim laudat Oldoinus in calce vitæ Gregorii ejusdem.

que ſibi Chriſtus Vicarium, Eccleſia ſponſum, Religio Patrem expoſceret; nempè *melleum* bonis, *aculeatum* malis. Id enim *Apes portentoſæ* prænunciare videbantur in Urbano.

Urbani vitæ primordia. Hoc modo ad Pontificatum provectus fuit Maphæus Cardinalis Barberinus, patria Florentinus, natus anno ſalutis 1568. parentibus Antonio Barberino, & Camilla Barbadora, genere, opibus, pietate ac virtute inter primarios Florentinæ nobilitatis illuſtribus. Qui triennis genitore orbatus, à patruo Franciſco viro nobili, docto, ac dignitatibus in Curia Romana claro, liberaliter educatus, litteriſque humanioribus tam Latinis, quàm Græcis ad miraculum excultus, ac laurea utriuſque Juris donatus, denique poſt varia munia ſtrenuè obita, Caput Orbis Chriſtiani evaſit. Si quis adjumenta quærat, quibus ceu gradibus ad id faſtigii conſcenderit Urbanus, alia profectò non reperiet, niſi vitæ probitatem, morum innocentiam, latiſſimam litterarum ſingularium cognitionem, exactiſſimam Juris ſcientiam, graves & concatenatos labores, ab ineunte ætate pro Sede Apoſtolica exantlatos, ſtudium evitandi occaſiones, quibus moleſtia aliis creari poſſet, denique quòd nimis arcta conjunctione magnorum Cardinalium cauſis ſe ſe non implicaverit. *Virtutum ſuffragio Pontificatum adeptus.*

Mavult mori, quàm inutilis Eccleſiæ vivere. Accepta ſummi Pontificatus dignitate, novus Pontifex mox ad altare proceſſit, ut in re tam ardua Deo, ſe ut par erat, commendaret: ibi proſtratus in genua, calidis precibus, junctis lacrymis, divinam majeſtatem conteſtatus eſt; *Ut ſi minùs Eccleſiæ utilem ſe fore prævideret, ne vivum extra loco permitteret: malle enim ſe millies in ſtatione mari, quàm Deo, Eccleſiæ, gregi, & Reipublicæ vel momentum inutilem vivere, aut indecorum.*

In omnes beneficus. In Baſilicam Vaticanam eodem die, quo electus eſt, devectum populus lætis acclamationibus veneratus eſt. Ipſe verò Princeps munificus, pauperes, viduas, pupillos, languentes, ære gravatos, miſſis ad eorum ædes cibariis ac nummis, omnes tota Urbe recreavit. Triplici thiara ſolemni ritu coronatus, ad poſſeſſionem Laterani, populo fauſtas acclamationes iterante, conceſſit; & peracta cæremonia, à Cardinalibus, Principibus, Legatis, Clero, ac populo Romano adoratus, omnibus è publico ſuggeſtu benedixit.

Pontificatū à præclaris operibus orditur. Pontificatus initio Conſtitutionem Pij V. *de non alienandis Eccleſiæ bonis, urbibus, oppidis &c.* confirmavit; & ad divinam opem implorandam, quadraginta horarum preces in præcipuis Urbis Baſilicis peragendas indixit. Tùm, ut res Eccleſiaſtica, Romæ potiſſimum (quæ prima eſt Catholicæ religionis ſedes) majoribus incrementis floreret, Eccleſias omnes, Monaſteria utriuſque ſexus, Xenodochia, Collegia, aliaque loca huc ſpectantia à viris gravibus, in viſitationis Apoſtolicæ Conventum relatis, luſtrari præcepit. Ante viſitationis exordium, Deo ſacratos homines, ut reſtitutâ morum diſciplinâ, Apoſtolicam viſitationem prævenirent, ex animo hortatus; mox ſe ipſum ad opus accingens, Patriarchales Baſilicas in conſortio virorum ad id electorum viſitare cœpit; ac viſitaſſet alia etiam Urbis Templa, niſi graviſſimis Apoſtolatûs occupationibus præpeditus, opus interumpere, aliiſque perficiendum committere

tere compulſus fuiſſet. Qualibet autem ſeptimana, quid in ea re ageretur, accitis ad ſe viſitatoribus, cognoſcere voluit, & quæ ad eandem pertinebant, diligentiſſimè curavit in dies. Idem ſalutis animarum ſtudium effecit, ut de Epiſcoporum reſidentia ſedulò cogitaret: quare in Conſiſtorio graviſſimum de illorum reſidentia Sermonem habuit; Cardinaleſque Eccleſiis, reſidentiam poſtulantibus, præfectos his verbis eſt allocutus: *Ut noſtra conſcientia conſulamus, vos monitos eſſe volumus, à cæteris Epiſcopis hac in parte non differre Cardinales Epiſcopos; iiſq; non ſuffragrari, quod dicitur, Pontifex ſcit, & tolerat: quia in Nobis nulla eſt tolerantia, qua gregi Chriſti officit; nulla conniventia, qua malum invehit.* Legem deinde evulgavit, ne Antiſtites è ſuis Diœceſibus abſque gravi cauſa Pontifici nota abeſſent: Et id quidem benè: nam mores in prava fluere non facilè poterunt, coërcentibus eos diſciplinæ Magiſtris: non poterunt irrepere vitia, cùm ea Præſules exemplo ſuo dictiſque amoliantur. Ad hæc quanta erit ovium ſecuritas, cùm Paſtorem habebunt advigilantem? Neque navi præſente Gubernatore, neque greqi malè eſſe poteſt, ſi Paſtor adſit, pabula ſubminiſtret, lupos arceat, ſepta claudat, omnia vigilanti oculo perluſtret. *Norma gregis, præſens Paſtoris exemplum eſt*, inquit veriſſimè Leo Magnus.

Cardinales Epiſcopos ad ſua Eccleſias amandat.

Paſtoris præſentia gregi ſaluti eſt.

Anno ſalutis 1623. contra Epiſcopos malè ad ordines promoventes, & malè promotos legem utiliſſimam juxtà ac graviſſimam tulit, promulgavitque.

Urbanus Pont. Beatorum numerum auget, ac Sanctorum.

Anno verò ſequenti 1624. *Beati* honores Andreæ Avellino Ordinis Clericorum Regularium Sacerdoti, & Fratri Felici Cantalicienſi Capucinorum Ordinis alumno decrevit: quos poſteà die 22. Maij anni 1712. Clemens XI. Sanctorum numero, ſolemni apotheoſi acccenſuit. *Beatam* etiam dixit ſequentibus annis Mariam Magdalenam Florentinam è Pactiorum gente, magnarum virtutum virginem; Beatamque Ritam, quibus & cultum ſolemnem ad aras decrevit. Servos item Dei Cajetanum Thienæum Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum præcipuum promotorem; & Franciſcum Borgiam Gandiæ Ducem, Societatis Jeſu tertium Generalem inter *Beatos* retulit; & ad aras ſacro cultu honorari poſſe declaravit. Anno autem 1629. Beato Andreæ Corſino Florentino Ordidinis Carmelitarum Epiſcopo Feſulano ſacros cœleſtium Civium honores, ſolemni ritu, menſe Aprili detulit: quibus etiam honoribus Eliſabetham Luſitaniæ Reginam, Regum filiam, conjugem, & matrem affecit; totique Luſitaniæ publicè colendam indulſit. Divorum faſtis pariter adſcripſit Japoniæ Martyres viginti ſex, quorum aliqui è ſacro Ordine Minorum; tres è Societate Jeſu, & ſæculares plures in Cruce haſtis transfixi, & interempti triumphârunt. S. Rochum Sacris ad aram, & horariis precibus colendum pronunciavit: Sanctam item Catharinam Senenſem Virginem Semiduplicis officij ritu colendam ſtatuit.

Jubilæum celebrat.

Cùm autem ex Pauli II. lege, anno 1625. Jubilæum Romæ celebrandum eſſet, Urbanus charitatis igne ſuccenſus, Diplomate vulgato, ſacrum maximi pretij theſaurum Chriſtiano orbi propoſuit; multa in peregrinorum Romam adventantium commoda decrevit,

crevit, eorum ſecuritati, (Principibus ad id exoratis) conſuluit: Patres in Conſiſtorio ad opera pietatis, peregrinis exhibenda, oratione incitavit: ipſe verò, ne exemplum in ſummo Capite deſideraretur, ſtatutas Eccleſias pedibus ſæpè ſæpiùs luſtraxit; Xenodochium SS. Trinitatis hoſpitibus plenum inviſit; peregrinorum pedes abluit; menſam ſacravit; cœleſtes juxtà ac terrenas opes impertiit: cujus rei monumentum in Triclinio majori, cum aureo Pontificij vultus ſimulacro à Sodalitate poſitum affero.

Publicum ſanctorum ejus operum monumentum.

URBANO VIII. PONT. MAX.
Cœleſti humanaq́, rei diſtributori liberaliſſimo, Quòd anno Jubilei MDCXXV. apertis utriuſque munificentiæ valvis, Xenodochium hoc ære plurimo juvit, nova ſuppellectili auxit, præſentia ſua ſæpiùs illuſtravit.
Sodalitas grati animi monumentum poſuit.

Leopoldum Auſtrium excipit, collit.

Durante Jubilæo, Leopoldum Auſtriæ Archiducem, Ferdinandi II. Cæſaris fratrem, religioſis moribus inſignem, Laureto, & Florentia Romam ad lucrandas ſacras opes profectum, in Vaticanis ædibus magnificè excepit, & in pontificio Sacello unà cum Proceribus Germanis itineris comitibus auguſtiſſimæ Euchariſtiæ epulo refecit. In aula deinde ſecretioris Conſiſtorij in Vaticano ſacris muneribus donatum, convivio lautiſſimo excepit; atque in fine Jubilæi ſacro benedictionis munere affectum, in patriam humaniſſimè dimiſit.

Principum concordiæ ſtudet.

Eodem tempore à Philippo IV. Catholico Rege litteris regia manu ſcriptis rogatus Urbanus, Cardinalem Franciſcum Barberinum, regiam prolem ex fonte ſacro, Pontificio nomine ſuſceptorum à Latere in Hiſpaniam legavit: Ad Imperatorem prætereà, Reges, Reſpublicas, Principes, ad pertractanda Sedis Apoſtolicæ & Reipublicæ Chriſtianæ negotia, eundem Legatum de latere declaravit: pacem inter maximos Europæ Principes, nimirum Imperatorem, Gallos, & Hiſpanos procurandam, præ oculis inprimis habuit: hos ut arctiſſimo concordiæ vinculo connecteret, ſtrenuè laboravit; ſat gnarus, his coëuntibus, fruſtrà cæteros tumultuare; his pacatis Orbem componi; everti concitatis.

Ob profligatos hæreticos gratias Deo agit.

Profligato ab Imperatore Ferdinando in Germania hæterodoxo Comitis Mansfeldij exercitu, Urbanus cum ſacro Purpuratorum Senatu ad ædem *S. Mariæ de Anima* Germanicæ nationis profectus, Sacrum ibi ſolemne fecit, ac Deo gratias egit: Paulò pòſt Rege Daniæ à Joanne Comite *de Tylli* ſuperato, idem eodem in Templo præſtitit.

Rupella in Gallia expugnantur.

Rupellas (arcem munitiſſimam in Gallia, & ſedem Hæreticorum) ab exercitu Gallicano obſidione cinctas, Ludovicus Rex fortiſſimus in ſuam redegerat poteſtatem: Urbanus celeberrimam victoriam Deo, Ludovici pietati, ac induſtriæ Armandi Cardinalis Richelij acceptam retulit: Deoque eapropter ſolemnes gratias acturus, ab æde S. Auguſtini, ad ædem S. Ludovici Gallicæ nationis frequenti ſupplicatione ſe contulit.

Rrrrr Anno

Vallis Tellina discordias ſedat. Anno ſalutis 1627. Cardinalibus in Conſiſtorio adunatis hilari vultu narravit, negotium Vallis-Telinæ, quod hactenus tot turbis ſumptibus, ac cædibus agitatum fuerat, feliciter compoſitum; redditaque Torquato de Comitibus Eccleſiaſticarum copiarum ductori propugnacula: ea ille mox Regum Galliæ, & Hiſpaniæ miniſtris ſolo æquanda reliquit, & inter alia hæc verba protulit: *Demum, quod noſtris erat in votis, ex unanimi Regum voluntate pax eſt firmata: omnem movimus lapidem, ne quid detrimenti Catholica religio pateretur; teſtes ſunt ipſi Reges, & ipſe novit Deus, cujus honorem & gloriam præ oculis ſemper habuimus.*

Piratam Italiæ inhiantē exterminat. Volitabat circa ea tempora toto Thyrheno Anſanus Calaſtadus, cædis ac minarum plenus; jamque eo veſaniæ devenerat temerarius prædo, ut Siciliæ, totique Italiæ catenas minaretur. Non tulit inſolentiam barbari Urbanus: ut coërceret piratam, fœdus cum Hiſpanis & Tuſcis percuſſit: unam ex omnibus triremibus claſſem fecit, ut cunctorum armis puniretur, qui cunctorum jura violârat. Hinc precibus indictis, vela facta in contumacem, à quo pugnatum quidem eâdem audaciâ, qua provocaverat, non tamen eâdem felicitate. Nam à quibus jus, & cauſa bona ſtabant, ſtetit & Deus, & cum Deo victoria. Omnes piraticæ naves primo impetu disjectæ, partim captæ ſunt, partim cum ipſo prædone in profundum maris & orci demerſæ.

Vaticanum Templum conſecrat, atque exornat. Urbanus porrò ad ſacra converſus, Vaticanum Templum à Conſtantino Magno erectum, religioſaque multorum Pontificum munificentia in ampliſſimam formam redactum, ſolemni ritu conſecravit; ſepulchrum Apoſtolicum ærea mole, auro ſuperinducto, decoravit; Odéum, aras, & ſacella ſtatuis, ac multiplicibus operibus exornavit. Salvatoris imagini Veronicæ ſudario exceptæ, Lanceæ Longini, Ligno Crucis, & S. Andreæ capiti Conditoria erexit. Quæ omnia inſcriptionibus, marmori ad memoriam tanti Pontificis inciſis, firmantur.

Jotti opus inſtaurat. Navim Divi Petri ex muſivo lapillo, Jotti quondam celeberrimi. Pictoris opus, pluviis, & turbinibus ereptam inſtauravit, incruſtatamque in Vaticano ceu in portu collocavit: illuſtri vel ſymbolo, vel argumento, Eccleſiæ navim jactari quidem ſæpè, lacerari nonnihil, inimicum imbrem accipere, aliqua ſui parte mergi, ſed ſemper, protegente Deo, emergere victricem.

Baptiſterium Lateranenſe ornat. Fontem luſtralem Conſtantini Magni in Laterano, auro, picturiſque ornavit, cujus ſolum diverſi generis marmoribus ſtravit: æſtimavit credo munificus Pontifex, nullam in ornando Conſtantino, Principum Chriſtianorum religioſiſſimo, profuſionem fieri; cùm ille Imperij opes in Pontificum amplificationem tam piè ac ſanctè prodegiſſet. Injurioſi temporis ruinas, Urbani pietas tam cumulatè penſavit, ut plus ſplendoris fonti, vel paucis annis acceſſerit, quàm vel multis antè ſæculis tempus abſtuliſſet: diceres quadam fortunæ induſtriâ fontem deformatum, quò ornatior reſurgeret. Tantus equidem eſt ejus hodie ſplendor, ut præter aurum, tabulas benè pictas, & marmora nitidiſſima videas nihil.

Hadriani Molem, *Æliam* dictam, novis munitionibus adjectis, vete-

veteribusque rejectis, contra hoſtium aſſultus firmiorem reddidit. Nummi cuſi, quid in ea egerit his verbis ſatis demonſtrant : INSTRUCTA, MUNITA, PERFECTA. Archivium, Ærarium, & amplificatam à ſe Arcis ædificationem ſæpè ipſemet luſtravit, apud quam aream liberam patentemque effici curavit. Porrò ad tuendam Urbem ſanctam, univerſamque Eccleſiæ ditionem ab hoſtium furore propugnandam, ingens armamentarium, quod ſex millium militum legionibus armandis ſufficere poſſit, inſtruxit; magnumque tormentorum bellicorum numerum cùm Romæ, tum Anconæ conflari juſſit. In Agro Bononienſi Arcem munitiſſimam, quam *Urbanam* appellant, ad Pontificiam ditionem defendendam condidit. Centumcellarum Portum, à Trajano Imperatore ſuam originem agnoſcentem, ab aliis ſummis Pontificibus inſtauratum, refecit; ac tam magna operum acceſſione auxit, ut recens conditus videatur. Nam aggerem maximum ſaxis ingentibus, qui fluctus elidat, Portumque tutum efficiat, extruxit; extremas Inſulæ hinc inde partes, novo prorſus opere leniter ad interiora flectens protendit; ambitum latiori lapidum ſtructura firmavit; ædes etiam mercatorum commodis opportunas erexit; dulcium aquarum copiam, qua hactenus laboratum eſt, eò dirivavit; demptoque maris vectigali mercatores undique attraxit. Ariminenſem etiam Arcem *Sigiſmundam* olim, nunc *Urbanam* dictam; Anconitanam, & Urbevetanam, injuria temporum labefactatas, inſtauravit, novisque foſſis, propugnaculis, ac tormentis bellicis munivit. Miſſa facio ſexcenta alia Urbanæ pietatis & munificentiæ publica opera, quæ curioſo lectori unà cum totidem inſcriptionibus, æri, lapidi, auro, & argento inciſis exhibet Auguſtinus Oldoinus *in Vita Urbani*, & ex illo recentiſſimus auctor Palatius.

Hadriani Molem reſtaurat, ac munit.

Arcem Urbanam condit.

Arces plures inſtaurat.

Arcam Porphyreticam æneis ſtatuis inauratis ornatam, Marſiliam direxit, ut in ea ſacri cineres beatæ Mariæ Magdalenæ reconderentur: ſacram ſupellectilem multorum millium pretio nobilem ad Maronitarum Patriarcham miſit: Æthiopiæ Imperatori ad ſacræ Romanæ Eccleſiæ ſinum reverſo, unà cum Evangelij Præconibus litteras Apoſtolicas, ac typos ad libros idiomatis Æthiopum cudendos, tranſmiſit: Apoſtolicum Protonotarium ad res Martyrum, more veteri, conſcribendas inſtituit. Sacri Senatus honorem zelans, ut Cardinales *Eminentiſſimi* & *Reverentiſſimi* nuncuparentur, Decreto præcepit: Conſtitutionem Gregorij XV. *de Romani Pontificis electione* perpetuitatis robore communivit: Abuſus, qui in colendis quibuſdam, ſanctimoniæ, aut martyrum opinione ereptis, ſed à Sede Apoſtolica inter Cœlites nullo modo recenſitis, irrepſerant, abolevit: Facultates diſponendi de vacabilibus Romanæ Curiæ officiis ſuſtulit; è contrà Indulta transferendi penſiones Eccleſiaſticas mitiora reddidit: Bibliothecam Vaticanam multis inſignibus libris, & pretioſis codicibus Græcis m. ſſ. locupletavit: Deambulacrum Pontificium Vaticanum Coſmographicis Tabulis inſignivit, ac porticum ante Bibliothecam Apoſtolicam firmis tectis munitam ab interitu vindicavit. Hæc & alia longè plura ſapientiſſimus Pontifex ad Eccleſiæ decus, & Reipublicæ emolumentum, ſuique nunquam interitu-

Alia præclarè operatur.

Sacri Senatus honorem zelat.

Bibliothecam Vaticanam adauget.

terituram memoriam, dum vixit, peregit. Plura, qui volet, unum adeat Oldoinum, innumeros Auctores, qui ingenuè & eleganter de tanto Pontifice ſcripsêre, indicantem: mihi referre omnia, nec libet, nec vacat.

Ejus obitus. Urbanus autem poſt expletos ſumma vitæ integritate in Pontificatu unum & viginti annos, octo diebus exceptis, Eccleſiæ myſteriis ritè munitus, cumulatam meritis animam Creatori ſuo placidè conſignavit in manus, die 29. Julij anno ætatis ſuæ ſeptimo ſupra ſeptuageſimum, ſalutis 1644. Sepultus in Baſilica Vaticana juxta Pauli III. ſepulchrum, in tumulo marmoreo ſtatuis ac columnis ornatiſſimo, quem ſibi vivens, mortis haud immemor, auctore Laurentio Bernino equite, conſtrui fecit: cujus delineationem lectorem oculis proponit Oldoinus in vita.

Urbani Imago. Vir fuit ſtatura procerus; vultu decorus; oculis vividis; barba decenti genas æqualiter veſtiente; colore inter candidum & roſeum medio; membris robuſtis, ſanis apteque coëuntibus; toto corpore ad majeſtatem compoſito: ingenio excellenti, & prompto; diſciplinis & ſcientiis ad miraculum excultus, linguarum peritus; ore facundus; oratione gravis; ſententiarum pondere eximius & argutus; pius, humanus, comis; liberalis in pauperes; munificus in probos & doctos, ſed maximè familiares; recti equique tenax: verbo, *Orbis* &

URBIS ROMANÆ PHÆBUS
(Quod per anagramma idem eſt, ac
Maphæus Barberinus.

Ferdinandi II. Imp. mors. Eo ad clavum Eccleſiæ ſedente, rebus humanis exceſſit Viennæ menſe Januario anno 1637. Ferdinandus II. Imperator rerum geſtarum magnitudine (adverſante licèt fortuna) ſi quis alius, inclytus; pietate, religione, fidei Catholicæ zelo nulli ſecundus; hæreticis, & Novatoribus, quorum impurum cultum & dogma ubique convulſit, inviſus & gravis, ſed hoc ipſo immortali vita, & elogio dignus. Præfuit Imperio annos decem & octo, ſucceſſorem nactus filium Ferdinandum hujus nominis Tertium, eo adhuc vivente, anno 1636. Ratiſponæ in Regem Romanorum electum.

Urbanus amicitiam hæreticorum reſpuit. Urbano VIII. magnæ laudi datum, quòd Cyrilli Patriarchæ Conſtantinopolitani, Calvini errores amplexi, amicitiam ultrò oblatam reſpuerit, datis ad Græcos litteris; *hominem pice Calviniana infectum, indignum eſſe Sede Patriarchali, & amicitia Sedis Apoſtolicæ, &c.* Græci id ægrè ferentes, & amicitiam Urbani exoptantes, Cyrillum Romana dogmata ſpernentem in vincula conjiciunt, ac paulò pòſt, de atrocibus convictum flagitiis, ad *fauces Boſphori* in mare præcipitârunt: ubi impius tantum aquæ ſorbuit, quantum ex Calvini ſordibus hauſerat veneni. Succeſſit ei *Cyrillus* alter ex Iberia, ſed quum nec iſte de religione benè ſentiret, ab Urbano pariter rejectus, Græcis fabula evaſit: quippè de Sede Patriarchali deturbatum miſerunt exulatum, atque in ejus locum ſubrogârunt Parthenium Metropolitam Hadrianopolitanum, virum Romanis faventem, & Urbano, poſt ejuratum Schiſma, pergratum. Quo tamen brevi ab æmulis ſubla-

ſublato, Schiſma recrudit, & amicitia Urbani evanuit. *Quæ enim participatio lucis ad tenebras?*

S C R I P T A.

Scripſit Urbanus VIII. in aliquot Pſalmos & Cantica novi & veteris Teſtamenti Paraphraſim: quam mirifica Latini eloquii gravitate, & puritate reduxit in carmen. *Urbani Scripta.*

In Chriſti Domini, beatæ Virginis, aliorumque Sanctorum dies feſtos, Hymnos & Odas, luci datas.

In viros illuſtres arguta Epigrammata.

Oden exhortatoriam ad virtutem, Franciſco Cardinali Barberino nepoti dicatam.

Poëmata varia Hetruſco Sermone.

Vitam Roberti Cardinalis Bellarmini verſu Heroico.

Poëmata item diverſa Latina: in quæ Commentaria edidêre Julius Cæſar Capacius Neapolitanus; Henricus Dormalius Prodromicus; Thomas Campanella Dominicanus, & Magnus Perneus: Joannes verò Hieronymus Kapſperger Germanus ea muſicis modulis aptavit. Hieronymus de Corral Commentaria Julii Cæſaris Capacii Hiſpanicè vertit.

Evulgavit etiam Urbanus Decreta Eccleſiaſtica varia.

Conſtitutiones Eccleſiaſticas, & litteras Apoſtolicas: harum collectiones habes *tomo 4. Bullarii.*

Epiſtolarum Latinarum, Græcarum, Italicarum ad varios volumen.

Formulam item Apoſtolicam ad Æthiopiæ Imperatorem, qua Æthiopes in Catholica fide profitenda uterentur.

Inſcriptiones varias, Panegyricas, funerales, Civiles, prophanas, & ſacras.

Orationes elegantes, ad Reges, Principes, Cardinales, Legatos, Magiſtratus, vario tempore dictas.

Breviarium Romanum expurgavit.

Sacros Hymnos, Miſſale, & Pontificale Romanum emendavit.

Martyrologium Romanum ſua auctoritate recognitum, publici Juris fecit.

Eſt ingens numerus doctorum virorum, ab Oldoino in vita relatorum, qui præclara ingenii ſui monumenta Urbano ceu Litteratorum Principi conſecrârunt. Urbanum verò Oldoinus ipſe his verbis poſteritati commendat: *Floruit Poëſi, & Philoſophia laude: Princeps fuit in Jure: ſacras linguas apprimè calluit: Theologiam perſuaſit: Græcos, Latinosq; Patres evoluit, ac comprehendit: orationis facundia, & Hiſtorica cognitione nemini ceſſit.* *Cir eruditus audit.*

Paſquinus Urbis momus plura in Urbanum defunctum nefariè deblateravit; quæ quia falſa & calumnioſa, nulli prudentum probantur: ſemper enim virtus invidiam habet.

ANNO CHRISTI MDCXLIV.

Imperatore Ferdinando III. Auguſto.

DE

INNOCENTIO X. Pont. Max.

CCXL. SUrrepto è vivis immortalis memoriæ Pontifice Urbano VIII. Patribusque ſex ſupra quinquaginta Conclave novi Pontificis creandi causâ ingreſſis, tot tantique Cardinalium ſupremo faſtigio digni ob virtutes & merita, eligentium animis obverſabantur, ut ad optatam electionem faciendam (diſtractis in hunc illumque ſuffragiis) diutiùs, quàm in omnium votis erat, opus fuerit immorari. Sed dum impensè omnes tanto operi incumbunt, & aptiſſimum pontificio oneri perferendo diſquirunt, cùm de pluribus evehendis ageretur, tandem divinæ benevolentiæ auxilio factum, ut omnes mirabili concordia in uno Cardinali Pamphilio convenerint, eumque utpotè meritis & virtute cæteris præſtantem, in ſummum Pontificem deſignandum ſtatuerint. Electus eſt quarta decima die Septembris anno ſalutis 1644. tanta populi lætitia, ut diffuſa per Urbem *Pamphilii* fama incredibilem Romanis omnibus hilaritatem pepererit. Is aſſumpto *Innocentii* X. nomine, die quarta Octobris ritu ſolemni pontificiam thiaram; ac die XXIII. Novembris ejusdem anni conſuetam in Laterano poſſeſſionem, inter fauſtas Romanorum acclamationes, accepit: atque ita tanti viri virtus diademate; & populi vota communi lætitiâ coronata ſunt, ac confirmata.

Jo. Baptiſta Pamphilius ſub Innocentii X nomine Pontifex declaratur.

Natus eſt Innocentius X. (Joannes Baptiſta Pamphilius ante Pontificatum vocatus) Nonis Maij anno reparatæ ſalutis 1574. Romæ, Camilli Pamphilii ex Flaminia *de Bubalis* filius. Nobilis Pamphiliæ gentis origo Eugubio claræ in Umbria civitati adſcribitur, in qua ejusdem conditores ante annos penè ſeptingentos inclaruiſſe ex antiquis loci tabulis quamplurimi affirmant: tulit verò ſerie non interrupta uſque ad noſtra tempora ſuſpiciendos opibus, dignitatibus, litteris heroäs non paucos, atque inter hos, Principum Oratores; Italiæ Regulos; Præſules doctrina & purpura præſtantes; ſtrenuos militum ductores; Equites Melitenſes, alioſque id genus primarios viros pace belloque inſignes: ut pluribus demonſtrant Oldoinus *in additionibus ad Ciaconium*; Ludovicus Jacobillus *tomo 3. Sanctorum Urbria in vita B. Ludolphi*; Vincentius Armannus Eugubinus *in Catalogo Virorum illuſtrium ſua patria*; Antonius Bagata *in vita Innocentii X.* aliique non ſpernendi nominis authores.

Innocentii primordia.

Origo gentis Pamphiliæ.

Talibus progenitus majoribus Joannes Baptiſta, ut illorum laudes magno cumulo augeret, humaniorum litterarum in Collegio Romano, graviorumque ſtudiorum curſu in præcipuis Italiæ Academiis feliciſſimè confecto, anno ætatis ſuæ vigeſimo Laurea doctorali donatus, Advocatus primò Conſiſtorialis, deinde Romanæ

Variis dignitatibus ornatur.

næ Rotæ Auditor à Clemente VIII. renunciatur. Gregorius XV. cui capacitas Joannis Baptiſtæ ad magna negotia optimè nota erat, Nuncium Apoſtolicum in cauſa Eccleſiæ Neapolim direxit: Urbanus VIII. Gregorii in Pontificatu Succeſſor, ab ea provincia revocatum, Franciſco Cardinali Barberino nepoti, Legationibus propediem Gallica & Hiſpanica functuro, Præfectum à ſupplicibus libellis (*Datarium* vocant) dedit. Quo munere egregiè, & ad Principis mentem adminiſtrato, Patriarcha Antiochenus; & apud Philippum IV. Catholicum Regem Apoſtolicus Nuncius evulgatus eſt. At ne tanta virtus debito careret ornamento, idem Urbanus, ſagax Princeps, virtuteque præditorum munificus Mœcenas, Sacro adlectum Senatui purpura donavit. Quem denique Patres, poſt Urbani deceſſum in Comitiis Vaticanis, ut paulò antè diximus, ſummum Eccleſiæ Paſtorem creârunt. *Purpurâ ac Pontificatu donatur.*

Innocentius primo ſui Pontificatus anno multa ac magna ſuæ humanitatis, prudentiæ, religionis, & fortitudinis Apoſtolicæ documenta dedit: nam ad publica & privata negotia componenda animum convertens, Cameram Apoſtolicam ære alieno gravatam, inſtituta ad id ſpeciali Præſulum Congregatione, ſublevavit: oneroſa nonnulla vectigalia in favorem populi ſuſtulit: pro pace inter Principes Chriſtianos ſtabilienda, litteris, nunciis, ac legationibus egit: in pauperum commodum vulgarem panem, & annonam amplificavit: Clericorum mores depravatos ad decentiam & honeſtatem correxit; ſicariorum graſſatorumque temeritatem compreſſit: Tribunalia publica, abactis munerum corruptelis, ſanctiora reddidit: vitiis, abuſibus, ſedidionibus, & quidquid publicæ tranquillitati officere poterat, bellum indixit. *Ad publica & privata componenda animum vertit.*

Præter extraordinarios, ut vocant, *Obedientiæ* Oratores Rerumpublicarum, Venetæ, Lucenſis, Genuenſis, Helvetiorum, Ducum Pricipum, ſuſcepit etiam Regis Hiſpaniarum Philippi IV. Oratorem Alphonſum Henriquez Caſtellæ Almirarium, magnifica cum pompa è regno Neapolitano, ubi Prorex fuerat, Romam profectum: & quia inter Cardinalem Eſtenſem, & Caſtellæ Almirarium Hiſpanum Oratorem, civilis aliqua controverſia interceſſerat, non leve Romanæ tranquillitati incommodum, ni tolleretur, paritura; ſummi Pontificis prudentia & auctoritate effectum eſt, ut antequam in conſpectum Pontificis venirent, ad antiquam ſimul concordiam redirent: quare conceptam perturbationem, pacatis mutuò animis, ſedârunt. *Oratores obedientiæ excipit.*

Eandem Pontificiam auctoritatem exercuit poſteà fortiter & intrepidè in eos, qui in Cleri Luſitani Delegato pontificiam majeſtatem, & publicam quietem ſuis armis publicè offenderant. Horum enim maleferiatorum caput, licèt ſanguine & dignitate vir primarius fuerit, ut ab Urbe Romana removeretur, à Regis Catholici pietate obtinuit. Nec minori fortitudine ſuſtinuit Eccleſiaſticam immunitatem à regiis Miniſtris in Neapolitana urbe labefactatam: quin etiam eò poteſtatis devenit, ut ii ipſi, qui per ſummam audaciam Apoſtolici Legati palatium violaverant, publicè ad ejuſdem Legati pedes accidere, veniamque de genu & pœnitentiam ab eo injun- *Pontificiam auctoritatem ſuſtinet.*

injungendam poſtulare compulſi fuerint Nec abſimili modo res proceſſit eadem in Urbe cum eximiæ nobilitatis viro Hiſpano, magnis titulis conſpicuo : cùm enim in Beneventana ditione , quæ pontificia eſt, Romanos Adminiſtros temerè contempſiſſet , eosque militari licentia indignè habuiſſet, ſuæ Pontificiæ virtutis robore à Catholico Rege impetravit, ut is in carcerem conjectus, efferati criminis pœnas captivus eo uſque daret , donec Pontifex liberandum impoſito penſo decerneret.

Proregem Neapolit. in ordinem redigit.

Annis verò conſequentibus, cùm non ea, qua par erat, veneratione, Prorex ejusdem Neapolitani Regni pontificias res, & Romanos Adminiſtros haberet multaque per contemptum & arma faceret, quibus ſacra jura offenderet, Pontifex per Legatum Apoſtolicum Philippo Regi Catholico hæc omnia repræſentans , conqueſtusque, facilè ab æquiſſimo Rege obtinuit , ut Prorex à Regni Neapolitani adminiſtratione amoveretur ; licèt alioquin ob egregia merita, fidemque prudentiſſimè inter difficillima negotia præſtitam, & Regi, & Italiæ Principibus pergratus eſſet.

Archiepiſcopo Trevirenſi libertatem procurat.

A Ferdinando etiam Tertio Cæſare ejuſdem Apoſtolicæ fortitudinis vigore impetravit , ut Archiepiſcopus Trevirenſis S. R. I. Elector, qui tot inde ab annis captivus ab Hiſpanis in ſua Urbe detinebatur, eò quòd videretur Gallicarum partium ſtudioſus, & fautor; ſuæ redderetur ſedi, & libertati : hæc autem reſtituta libertas, omnibus aliis, qui pro ea hactenus interceſſerant, conſtanter à Cæſare denegata, potiſſimùm juvit ad pacem Germaniæ reddendam.

Pacem Monaſterienſem reprobat.

Quia verò inter conventiones ejuſdem pacis (quæ ab Urbe, ubi inita fuit, *Monaſterienſis* dicta eſt) multa fuerunt, quæ graviſſimè jura ſacra violabant, ipſique fidei Catholicæ & religioni magnoperè adverſabantur, ſui Pontificij muneris duxit Innocentius, ut per ſuum Apoſtolicum Legatum Fabium Chiſium (qui poſteà ſub nomine Alexandri VII. Eccleſiæ præſedit) pacem illam tanquam Sedi Apoſtolicæ injurioſam, & Catholicæ Religioni diſſonantem, pluribusque in Germania Cœnobiis gravem ac pernicioſam refelleret; Qua etiam de cauſa idem Legatus Apoſtolicus eam pariter pacem , mandante itidem Innocentio, damnavit, quam paulò prius inter ſe compoſuerant Philippus Hiſpaniarum Rex, & Belgarum Ordines Hæretici confœderati. Licèt enim religioſiſſimi, & verè Catholici Principes ad eas pacis conditiones acceptandas acceſſiſſent ſolius vi neceſſitatis, & metu majoris detrimenti , quod illis imminere poterat è magno hoſtium numero, ſuarumque virium tot annorum bellis exhauſtarum imbecillitate , adhuc tamen in re tanti momenti Romanus Pontifex nec diſſimulare, nec tacere poterat : cùm ad ipſum, ceu Principum Chriſtianorum caput, ſpectet Catholicæ Religionis indemnitati proſpicere; & Dei, cujus ſupremus in terris Vicarius eſt cauſam tueri. Ut ergo futuræ poſteritati innoteſceret, quàm alienus ab hujuſmodi pace fuerit Innocentij animus, pontificium Diploma promulgari curavit, quo prædictam pacem Monaſterienſem, tum cum ſolis Batavis hæreticis à Rege Catholico, tum cum Germaniæ, & Sueciæ Principibus à Cæſare Ferdinando ſancitam, tanquam Sedi Apoſtolicæ injurioſam, & Religioni Catholicæ oppi-

oppido pernicioſam, reprobavit; & invalidam, nullamque, pontificiæ poteſtatis caltulo indicavit.

Jurisdictionem Eccleſiaſticam tuetur.

Eandem animi fortitudinem in eos pariter oſtendit, qui conabantur traducere captivum in Galliam Dominum *Bauptum*, eò quòd Julio Cardinali Mazzarino mortales inſidias ſtruxiſſet: acriter iis obſtitit Pontifex Innocentius, ad ſe tanquam ad ſupremum rerum Eccleſiaſticarum Judicem eam cauſam ſpectare affirmans: Romæ igitur euſque eum detinuit, quoad cognitâ, & examinatâ causâ, quid de illo faciendum eſſet, ſtatueret ipſe. Eximia hæc animi fortitudo, ſi nuſquam aliàs tunc certè admiranda, & digna Pontifice maximo fuit, quando audita iniquiſſima nece, qua, Marchionis Gaufridi primarij tunc temporis in aula Parmenſi Adminiſtri mandato, per ſummum nefas ſicariorum manu ſublatus è vivis fuit Chriſtophorus Giarda, *Caſtri* urbis venerandus Epiſcopus: Nam & Caſtrum in pœnam tanti ſceleris militari manu ſubverti; & Gaufridum paricidam capite plecti fecit. Memorandam hujus rei ſeriem, Tragœdiæ non abſimilem, fuſiùs deſcripſimus in *Purpura docta libro 6. n. 85. fol. 486.* quò lectorem brevitatis gratia remitto.

Summa ejus Juſtitia, & rectitudo.

Ex hac animi fortitudine naſcebatur magnus ille juſtitiæ, & rectitudinis amor, quo Romanæ Urbis, & ditionis Eccleſiaſticæ regimen perpetuò adminiſtravit. In cauſis habendis, ferendis ſententiis, dirimendis controverſiis, nulla habita vel divitum, vel Principum virorum ratione, integerrimo curſu voluit, ut juſtitia procederet, & jus ſuum cuique daretur. Et ſi quando hac in re Legatos, & adminiſtros ſuos vel leviter deliquiſſe compererat, ſeverè arguebat; immò ſi opus fuerat, ab impoſito munere repellebat; indignum quippè ducebat, ut populis præeſſet, qui juſtitiam populis ſervare neſciebat. Quin etiam ad majora inferenda ſupplicia accedebat, ſi crimina contra juſtitiam, & Juſtitiæ fidem fuiſſent graviora. Id quod multis memorandis exemplis, ab Oldoino in vita relatis, Romæ & alibi maniſeſtum fecit.

Juſtitia clementiam miſcuit.

Hæc autem tam recta, integraque juſtitia, in permittendo ut Judices ſævirent pro ut jus exigebat in reos, non officiebat, quin & in abſolvendo innocentes eandem oſtenderet: immò & pietatem, & clementiam in eoſdem, quos aliquando Judices non integri damnaverant, uti benigniſſimus pater exercebat. Quod in Cardinalibus Barberinis exulibus, totaque eorum familia perſpectum fuit: poſtquam enim ex eorum cauſa diſcuſſa, & ſolertiſſimè agitata, innocentia & probitas eorumdem innotuit, mox eos omnes ex Gallia, quò confugerant, revocavit; venientes blandè excepit; contractoque cum iis arctiſſimæ amicitiæ fœdere, quoad vixit, eos in honore, & pretio habuit.

Baſilicam Lateranenſem et Vaticanam inſtaurat, & ornat.

Porrò ad ſacra ædificia vel condenda, vel inſtauranda, & exornanda converſus, Lateranenſem Baſilicam, Conſtantini Magni Imperatoris religione ac munificentia extructam, ſummorumque Pontificum pietate ſæpiùs inſtauratam, vetuſtate jam fatiſcentem, nova molitione ad veterem ex parte adhuc ſtantem conformata, columnis nigris marmoreis, ſacellis elegantiſſimis, & ornatu ſplendidiore reſtuit, ac ornavit. Eadem pietate uſus etiam eſt in con-

decorando magnis ſumptibus Templo Vaticano; quod ſequens inſcriptio in media majori porta collocata, & à Famiano Strada S. J. eleganter concinnata, hiſce verbis teſtatum facit.

BASILICAM PRINCIPIS APOSTOLORUM,
IN HANC MOLIS AMPLITUDINEM MULTIPLICI ROMANORUM PONTIFICUM ÆDIFICATIONE PERDUCTAM, INNOCENTIUS X. PONTIFEX MAXIMUS NOVO CÆLATURÆ OPERE ORNATIS SACELLIS, INTERJECTIS IN UTRAQUE TEMPLI ALA MARMOREIS COLUMNIS, STRATO E VARIO LAPIDE PAVIMENTO, MAGNIFICENTIUS TERMINAVIT.

Templum S. Pauli reficere meditatur

Et quia Templum S. Pauli extra muros, à Conſtantino Magno olim pariter extructum, turpi ſquallore deformatum jacebat, luculentasque antiquitatis injurias undique oſtendebat; ad hoc etiam reparandum ſuam magnificentiam & curam convertit Innocentius: nam advectis ingentibus trabibus, fatiſcens & pluviis pervium lacunar ut reficeretur præcepit, & muſivum opus in teſtudine vitiatum, ad priſcam operis elegantiam revocavit; multoque majora hic facienda meditabatur, quæ morte præventus, cum magno ejus Templi detrimento exequi non valuit. Porrò in foro Agonali, ubi olim virgo ſanctiſſima Agnes martyrij palmam inter flam̃as eodem in foro ſuccenſas excepit, magnificentiſſimum Templum in ejuſdem Virginis honorem conſtruxit; ipſum verò forum nobiliſſimo fonte, in ſcopuli undique prærupti formam redacto, & largo varioque aquarum labentium curſu divite, nobilitavit: ſimulacra huic quatuor ingentia incumbunt, Liguſtico in marmore, ſingulari magiſterio cælata, quæ primaria quatuor Mundi regionum flumina repræſentantia, ſuas in eum derivare videntur aquas. Opus totum coronat Ægyptius Obeliſcus, admirabili ſtructura fonti impoſitus, in cujus apice aurea Columba olivam roſtro tenens inſidet, Innocentij munificentiam, & ſtemma indicans.

Magnificum D. Agneti Templum condit.

Capitolii ædificium abſolvit.

Hæc dum in Agonali foro molitur Innocentius, alia nec minora ad Capitolium Romanum exornandum exequitur; cùm enim ex una tantùm parte Michaëlis Angeli Bonarotæ ingenio illud perpolitâ ædium facie ornaretur, voluit ut ex altera etiam parte, juxta eandem Bonarotæ formam, ædes aliæ aſſurgerent, quæ totum Capitolij verticem, adeò triumphis antiquis illuſtrem, nobilitarent: quod non ſine magnis ſumptibus factum eſt, non tantùm è Tiburtini marmoris copia, quæ ad columnas, porticus, coronides, & epiſtylia facienda advehenda erat, ſed etiam eò quòd disjiciendus erat monticulus, qui ad latus Templi Aræcœli tumeſcebat. Præter hæc publicas etiam vias, tam intra, quàm extra Urbem, vel nimio cœno invias, vel ſcrobibus & aſperitatibus oblitas, vel ex anguſtia incommodas, ampliavit, emolluit, & pervias fecit; præſertim verò Tuſculanam, quæ hyemali tempore magnoperè viatoribus, & mulionibus periculoſa, erecto ponte correcta fuit.

Hæc omnia, quæ tamen non ſunt omnia, ſine ullo populorum incommodo, vel onere perfecit Innocentius: quin potiùs ex inſi-

gni

gni providentia, qua eorum bono invigilabat, multa ad eorundem utilitatem meditabatur, & faciebat. Ab Urbium Præfectis, & Gubernatoribus frequentiſſimè requirebat; an, & quomodo ſibi commiſſarum Urbium indigentiæ poſſet ſuccurrere? A Provinciarum Legatis accuratam relationem vel ſcripto vel voce, quando Romam revertebantur, exegit ſtatûs, & rerum illius Provinciæ. Ex his à Stephano Cardinali Donghio Flaminiæ Provinciæ Legato certior factus, ad commodum Ravennæ utiliſſimum fore, ſi ab Urbe ad Mare canalis aperiretur, qui è proximo fluvio aquas excipiens, mercibus onuſtas naves, vel è proximo littore adduceret; vel ad illud ex Urbe educeret: ſapientiſſimi Legati mentem non tantùm Pontifex approbavit, ſed adjuvit, & cum maxima regionis illius utilitate ad finem feliciter perductus canalis, plurimis ultrò citroque commeantibus navibus inſeruit. Unde ad Ravennæ portam, qua canalis fluit, ad tantæ rei memoriam, hæc legitur inſcriptio. *Populorum commodis ſtudet.*

INNOCENTIO V. PONT. MAX.
Columba novum mare, Columbus novam terram invenit. Neptunus Cereri, naves ſuccedunt aratro, ubi olim Neptunus Cereri Naves ceſſerunt aratro.
ANNO MDCLIV.

Sed multò magis hæc eadem pontificia providentia reſplenduit, cùm ingentibus calamitatibus è Tyberis eluvione, & frumenti caritate Romanus populus laboraret. In utraque hac occaſione ſuos ipſe Adminiſtros advocavit, & recentes elegit, quorum curæ graviſſimis verbis demandavit, ut populi indigentiæ, nullo habito ad ſumptus faciendos reſpectu, ſubvenirent. Ipſemet Pontifex (quod nunquam legeris) veritus, ne piſtorum fraudibus, aliorumque avaritiâ, publica panis annona vel deficeret, vel minueretur, ſemel iterumque Romanas vias, & plateas pertranſiit, ut oculatus inſpiceret venalis panis copiam, & menſuram. Ingentem optimi frumenti copiam è Piceni ditiſſimo agro, tum è Sicilia, demum è Polonia aſportari juſſit; quò factum, ut populi indigentiæ ac neceſſitati proviſum fuerit abundè, & cum omnium plauſu timor omnis imminentis penuriæ famiſque evanuerit. *In Tyberis eluvione. In frumenti penuria.*

Cùm verò multa egenorum milla Romam ad Innocentium tanquam ad parentem communem accurrerent, Lateranenſe palatium illis aperuit, ubi diſtributo in ſingulos dies ſufficienti cibo, potuque egregiè contra eorum neceſſitatem pugnatum eſt. Pari vigilantia quamplurimis artificum familiis numeroſa ſobole prægravatis, quarum nomina diligenter adnotata penes ſe habebat, proviſum fuit: bis enim in ſingulas hebdomodas eas ſufficienti pane donandas mandaverat, non immutato aut imminuto annuo ſubſidio centum millium aureorum, quos Romani Pontifices erogare ſolent quotannis in pauperes Chriſti. Ad hujus pontificiæ providentiæ exemplum, è Romanis Principibus, Nobilibus, & Cardinalibus permulti fuêre ſuarum opum ad pauperum inopiam ſublevandam prodigi: eratque ſpectaculum Romana pietate dignum, videre per publicas vias onuſtos pane vinoque currus, in eorum ſubſi- *Pauperum neceſſitati ubique ſuccurrit.*

dium undique advectos. Cùm autem ex ingenti aquarum eluvione Tyberis tum per urbem, tum per finitimos agros graſſaretur, ſimili & majori diligentia curavit Pontifex, ut ſua providentia vicos omnes, & Urbis angulos navicularum auxilio penetraret; omniumque domos, quas aquæ præcinctas claudebant, ſua pietas in præſtitis cibis ingrederetur: ejus quoque conſanguinei omnes id ipſum in naviculis per Urbem errantes faciebant, præclaro piiſſimi Pontificis exemplo incitati.

Providentia ejus in anno ſæculari.

Quia verò ſequenti proximè anno (nimirùm 1650.) celebrandus erat annus ſæcularis, ad quem innumeri ſunt exteri qui cœleſtibus theſauris ditandi confluunt, providit Innocentius, ut ingens frumenti & vini copia Romam adveheretur; & ne mercatorum, cauponum, aliorumque (pactâ mercede) advenas & peregrinos hoſpitantium avaritia famam pontificiæ charitatis obſcuraret, integros, & ſolertes viros, auctoritate & dignitate metuendos, conduxit; qui juſta rebus omnibus pretia imponerent, eorumque avaritiam ſeveris legibus refrænarent. Apertâ ſolemni ritu Portâ ſanctâ,

Ejus pietas tempore Jubilæi.

Innocentius facem pietatis præferens, pluries ſacroſancta Templa pedes viſitavit, in precibus Deo perſolvendis diù immoratus, & pauperibus per vias ipſi obviis largiſſimas eleemoſynas diſpenſans: pomeridianis horis accedentes ad benedictionem excipiendam populos lætus videbat: iterum atque iterum Xenodochium ſanctiſſimæ Trinitatis inviſit, ibique peregrinis (ablutis ſua manu eorum pedibus) ad menſam miniſtravit, eoſque finito convivio auro & ſacra benedictione donavit. Quo exemplo commoti nonnulli Germanorum Lutherana hæreſi infecti, ejuratâ perfidiâ, ſanam doctrinam amplexi ſunt.

Inter finitimorum Principum bella ſuorum ſecuritati conſuluit.

Et quia plurima fuêre bella, quæ ſub Innocentij principatu Italiam ex agitarunt, eoque turbine regiones etiam Eccleſiaſticæ ditionis involuerunt, ad ſuam providentiam ſpectare cenſuit Innocentius, ut ſuorum populorum tranquillitatem à bellica inſolentia immunem ſervaret. Multa igitur armatorum peditum & equitum millia Comitibus Gabriellio & Widmanio aſſignavit, quibus Pontificiæ ditionis fines ab hoſtium incurſu tuerentur. Sic accidit ſecundo ſui Pontificatus anno, cùm ad maritimas Hetruriæ oras Gallica claſſis validiſſima acceſſiſſet, ut Hiſpanas arces in mari Thyrrheno poſitas, armorum vi occuparet: ſic etiam ſub finem ſui Principatus; cùm claſſis Anglica duce Blachio, & Gallica duce Guiſio ducta, Regno Neapolitano minaretur; & Mutinæ Dux Franciſcus Eſtenſis ad Bononienſis agri terminos cum Gallis fœderatus, bellum in Hiſpanos in Inſubria meditaretur: in utroque enim eventu juſtum exercitum ad fines Eccleſiaſtici agri coëgit Innocentius, ne quid detrimenti vel è claſſium excurſionibus, vel è militum licentia ſui populi paterentur; quod re vera utiliſſimum fuit conſilium, tantoque Pontifice dignum.

Neapolitanos tumultus ſedare ſtudet.

Multò etiam utilior, & prudentior hæc eadem providentia fuit, quando Neapolitanis adverſus Regem Hiſpanum tumultuantibus, ipſe nunquam ſe ſe immiſcere ſeditioni voluit, licèt tum à populo, tum à Nobilibus, ac Proceribus Regni per Legatos, & litteras ad

tantum

tantum opus magnoperè ſollicitaretur. Et certè nulla unquam opportunior aut facilior occaſio Pontifici accidere poterat. tantum Regnum citra laborem recuperandi, & Eccleſiaſtico imperio ſubjiciendi, atque hæc. Omnia favere ultrò citroque Pontifici armato videbantur, populus, Proceres, ſeditio, occaſio. Facilitatem alij repræſentabant, qua id præſtari poterat ex amore, quem Eccleſiaſtico regimini ferre videbatur Neapolitana gens; utilitatem alij, quæ in Pontificiam ditionem derivaretur; alij gloriam, quæ in Pamphilium nomen redundaret, ſi tantum Regnum, nullo ſumptu adhibito, nullo cruore diffuſo devolveretur in Romani Pontificis manus. Hæc tamen omnia, licèt plurimis validiſque ſuffragiis confirmata, non potuêre perſuadere prudentiſſimo Pontifici, ut Neapolitanos tumultus vel probaret, vel foveret: quin potiùs, ut eorum licentiam, & ſerpentem in dies magis magiſque flammam extingueret, per ſuum ipſe Legatum Æmilium Cardinalem Alterium (poſteà Clementem X.) toto animi conatu tranquillitatem Neapolitanis commendavit; & repetitis poſteà litteris ad perfectam ſervandam Catholico Regi obedientiam & fidem paternè hortatus eſt: ratus nec glorioſam ſibi, nec Eccleſiæ utilem fore ejuſmodi expeditionem, quæ cum amici Regis injuria fieret, & non indubiam novis turbinibus materiam præberet. Quàm enim facilè vel ſexteri, vel Itali Principes aſſurrexiſſent in novitates & turbas, ſi Pontificem vidiſſent tam invidendi Regni incremento ditatum? Ut igitur publicæ tranquillitati provideret, raro moderationis exemplo, vocanti populo ſurdas aures objecit, maluitque cum æterna ſui nominis fama, juſtitiæ & paci, quàm ambitioni & gloriæ ſervire. Quia verò novus Prorex, Romæ ubi regius erat Orator, Neapolim miſſus Comes *de Ognate* eâ pecuniæ copiâ deſtitutus erat, quam tanta ſumptuum neceſſitas, & innumera pericula quotidiè pullulantia requirebant, non dubitavit magnanimus Pontifex ſuum illi proprium aurum ſuppeditare, & quinquaginta aureorum millia ſuamet manu numerata mutuare, majora etiam daturus auxilia, ſi res poſtularet. Quæ omnia fuerunt in cauſa, ut tandem populus ab incœpta ſeditione reſipiſcens, ad obſequium Regis ſe ſe converteret, eaque omnia, quæ præcipiti furore fecerat, ſua ſponte damnaret. Sic dum à Neapolitanorum periculoſis precibus audiendis abſtinet Innocentius, Regnum Regi ſervavit & pacem: longè ſibi glorioſiùs ducens, Italiæ & Eccleſiæ tranquillitatem tueri, quàm dominium cum injuriæ fama augere.

Regi Hiſpaniæ auxiliatur.

Neapolitanorum tranquillitatem procurat.

Proregi aurum commodat.

Porrò Catholicæ religionis amplificandæ & conſervandæ ſtudio ductus, totus in id incubuit, ut Chriſtiani nominis hoſtes Turcas & Hæreticos pro viribus reprimeret. In Turcas tum Venetis, tum Melitenſibus, aurum, copias, arma, triremes ſubminiſtravit: quibus non ſemel fractus Barbarus magnaque clade affectus, Cretis, & Dalmatis infeſtus eſſe deſiit. Ne verò Hæretici ſuis erroribus pravè diſſeminatis Chriſtianæ fidei candorem inficerent, aut ſuis viribus Catholicorum robur opprimerent, totus vigil Romana è ſpecula apparuit. A primis uſque ſui Principatus annis cùm è Gallia liber quidam anonymus prodiiſſet, qui Eccleſiaſtici nominis

Magno zelo rem Catholicam curat.

Hæreticorũ errores evellit.

Monarchiam à Chriſto Jesu in Pontifice Vicario ſuo inſtitutam evertere conabatur, ſedulò primùm exquiri, diligenter examinari à probatiſſimo Cardinalium, Prælatorum, & Theologorum cœtu mandavit: ubi autem conformi omnium ſuffragio doctrina illa, quæ aſſerebat *omnimodam fuiſſe æqualitatem ſanctorum Petri & Pauli, ſine S. Pauli ad ſanctum Petrum ſubordinatione, & ſubjectione in poteſtate ſuprema, & regimine univerſalis Eccleſiæ &c.* fuit reprobata tanquam falſa, & evidenter erronea; Pontificiæ poteſtatis calculo eam ipſe etiam damnavit, & hæreticam declaravit: quam declarationem per Urbis fora primùm affigi, deinde per Orbem Chriſtianum ad notitiam fidelium publicari præcepit.

Errores Janſenii damnat.

Et quia in eadem Gallia, & Galliæ finitimis provinciis validiùs in dies ſerpebant errores Cornelii Janſenii Iprenſis quondam Epiſcopi, ex ejus libro, qui inſcribitur *Auguſtinus*, deprompti, tota ſedulitate ſtuduit Innocentius eos reſecare, & eradicare, ne florentiſſimi Regni pietas è diſſeminatis hiſce erroribus inficeretur. Damnavit igitur præcipuas 5. ejus libri Propoſitiones, tanquam falſas, ſcandaloſas, temerarias, & hæreticas, datis ea de re Apoſtolicis litteris pridie Kalendas Junias anno 1653. Conſule Purpuram doctam *lib. 6. n. 44.* in vita Dominici Cardinalis Cecchini *à folio 393. & ſeqq.* ubi totam rei ſeriem non oſcitanter deſcriptam reperies, hìc non repetendam.

Catholicis in Hibernia opitulatur.

His in Gallia contra Novitatum errores, & hæreticas doctrinas pro Catholicæ religionis puritate ſervanda ab Innocentio feliciter peractis, addenda ſunt breviter, quæ ad Catholicorum ſuſtinendas vires in Hibernia contra Hæreticos Anglos fecit. Ipſo certè ſui Pontificatus initio in Hibernorum fidelium auxilium expedierat cum auro argentoque Catholicæ rei ſtudioſiſſimum Archiepiſcopum & Principem Firmanum Jo. Baptiſtam Rinucinum, morum integritate, & ſacræ doctrinæ famâ Præſulem in paucis eximium; qui cùm è Rupella ad Galliæ litus poſita ſolviſſet, ut Hiberniæ Regnum appelleret; poſt arduam navigationem (evitatis Deo protegente Anglicæ navis, eum per centum maris millaria perſequentis, inſidiis) appulit tandem in Kilmarij portum, ex quo uſque ad Kilkeniæ urbem in provincia Lageniæ deductus, incredibile dictu, quàm piè & officiosè ab Epiſcopis, Nobilibus, Ducibus, totoque exercitu, & populo fuerit exceptus.

Compoſitis hinc inde tum ſacris, tum profanis negotiis, in id demum, ſuadente & urgente Rinucino Legato, ventum fuit, ut in Hæreticos, variis artibus Catholicos eludentes, fœdus ſacrum denuò firmaretur; & pontificiâ pecuniâ firmatus exercitus bellum in Anglos *pro Deo, Rege & Patria* proſequeretur: hæc enim verba tum Sigillum fœderatorum publicum, tum vexilla ipſa præferebant.

Sacro renovato fœdere bellum in hæreticos urget.

Res tum Catholicis per aliquot annos ſub ſacris Urbani VIII. & Innocentii X. auſpiciis feliciter ſuccedebat, & Catholicæ Religionis exercitium in multis Hiberniæ munitis Urbibus, oppidiſque apprimè florebat; tanta quidem Catholici Orbis approbatione, Principumque applauſu, ut miſſos horum Miniſtros, & auxiliaria munera Hiberni palàm exciperent, & ſuos viciſſim deſtinarent; donec

per

per quandam æmulationem virtutum, & opinionum varietatem, poſtmodùm turbata fuit: cùm aliqui publicæ rei curatores Religionis zelum præferentes, bellum omni modo continuandum cenſerent; alii verò prudentiam prætexentes, non iniquam, ut rebantur, pro Religione, & libertate pacem, ab Ormonio Prorege, Regis nomine paciſcente oblatam, præ incerta belli alea amplectendam contenderent. Quo conſpecto Rinucinus Legatus, cùm diviſos ſententiis animos connectere non poſſet, bona cum venia remeavit in Italiam. Pacis autem pactæ qualemcunque fructum intercepit Regicida Cromwellus, Regis pariter, & Catholicæ religionis hoſtis acerrimus. Is enim ex Anglia in Hiberniam cum recentibus copiis fretum trajiciens, inſtar fulminis totum penè Regnum ſibi ſubjecit, præter Limericum in Momonia urbem expugnatu difficillimam; & Galviam in Conacia primariam, aliaque munitiora loca. Quæ omnia expugnandi curâ, cum ſupremo Regni ſibi ſedandi imperio, Irtono ſuo Genero commiſsâ, ipſe in Angliam remeavit. Ubi prædominans, ipſius Angliæ pariter, & Scotiæ regna (obtruncato per nefas Rege, fugataque cum filiis Reginâ) obſtupeſcente Orbe, eâdem vi, & aſtu ſibi ſurripuit.

Cromwellus Regis & Religionis hoſtis.

Irtonus autem Civitates peſte, fameque afflictas, Limericum in catholica fide, & libertate ſua propugnanda conſtantiſſimum biennali obſidione, eminùs primùm obſtructo noſtris, quà poterat, aditu, ac deinde cominùs integra oppugnatione recepit: ubi ipſe paucis ab Urbe capta diebus, Dei manu percuſſus, peſte periit Qui verò bellum proſequebantur, mox Galviam falſis & fraudulentis conditionibus deceptam, in poteſtatem redegerunt. Sic olim Deus electum populum ſuum, de religionis, & patriæ hoſtibus ſæpè triumphantem, occulto ſuo judicio, captâ ab Ethnicis Hieroſolymâ, cum ſuis Regibus captivum duci non ſemel permiſit: Sic Machabæos in ſacro bello glorioſos, invadentium fraude magis, quàm viribus exterminari: ſic dilecti filii patriam divino ſanguine conſecratam, ſpurcæ Mahometarum perfidiæ tradidit; ac tot adverſa Cruceſignatorum ſacra bella, poſt Romanorum Pontificum, & Principum Chriſtianorum unita ſtudia, & ingentes ad rem reſtituendam ſumptus evaneſcere ſivit. Cauſam quæris? dicam breviter: *Judicia Dei, abyſſus multa.* Qui ſtat, videat ne cadat.

Item Irtonus Cromvelli gener.

Eximia ſanè tam Urbani, quàm Innocentii Pontificum gloria fuit Apoſtolicus zelus, ardensque ſtudium; & non exigui ſumptûs ad Catholicam fidem in eo Regno conſervandam, amplificandamque, ac Regium Imperium contra rebelles in tribus Regnis firmandum, impenſa. Nec minor laus Hibernorum, quòd etiamnum hodieque pinguiſſimis poſeſſionibus *pro Deo & Rege* deſtituti, eandem fidem in maxima rerum anguſtia, & dignitatum abjectione, patienter conſtanterque conſervent; & favente Deo per tutelarium Sanctorum merita porrò ſervaturi ſunt. Recta fides, ut innocentia, premi poteſt, ſupprimi non poteſt. Reſurget ſuo tempore, ubi ſat datum fuerit lachrymis, glorioſior; facietque cum patientia proventum. Sic ominor, ſic opto.

Innocentii zelus.

Cæterùm quoniam hoc eodem tempore, quo ad beneficium Catho-

Anglia Reginæ opem fert.

Catholicorum Hibernorum hæc Innocentius Pontifex operabatur in Hibernia, magnis & cruentis factionibus Anglia conſpirabat contra Regem Carolum I. Stuartum (quem poſteà, urgentibus Fairface & Cromwello iniquiſſimis impoſtoribus, execrando & abomni memoria inaudito ſcelere, Regno ſimul & capite ſpoliavit anno 1649.) ad Reginæ Anglicæ Henriettæ Borboniæ preces non defuit ſuis partibus pontificia Innocentii providentia: nam per Equitem Dominum *Digbu* Anglum Catholicum, Romæ mandata Reginæ exequentē, plura aureorum millia ad eandem Reginam tranſmiſit, ut iis tum ad ſuum ſubſidium, tum ad fidelium Anglorum levamen uteretur.

Multorum converſione ad fi em Cathol. latatur.

Ejuſdem Catholicæ religionis zelo commotus, explicari vix poteſt, quantam ipſe animi lætitiam conceperit è converſione, qua rejecta, & abjurata hæreſis fœditate, Catholicæ religioni ſe ſe dederunt in Germania plurimi Principes, & Dynaſtæ; quales fuerunt Odoardus Comes Palatinus; Ulricus Dux Wirtembergicus; Dux Holſatiæ Jundetburgenſis; Joannes Fridericus Dux Brunſwicenſis, & Luneburgenſis; Fridericus Haſſiæ Landgravius Darmſtadianus, poſteà Cardinalis; Erneſtus Landgravius Haſſiæ Caſſelenſis cum uxore Eleonora Maria Solmenſi; Philippus Guillelmus Neoburgicus cum conjuge Eliſabetha Amalia Magdalena Darmſtadiana; Chriſtophorus Ranzovius Eques Holſatus; Wolfgangus Fridericus Hoffmannus Baro Moravus, Erardus Comes Truchſeſius. Ex his aliquos ſumma cum voluptate Romæ excepit ipſe ad ſuos pedes, & tum verbis blandiſſimis, tum muneribus ſacris eorum fovit pietatem, ac fidem commendavit. Horum omnium, aliorumque ad fidem Catholicam converſorum elogia noviſſimè ſcripſit P. Jo. Kraus S. J. *in Exemplis Converſionum ad Catholicam Fidem*, qui conſuli poteſt.

Collegii Germanici alumnos amat & fovet.

Idem præſtantiſſimus Pontifex Collegii Germanici & Hungarici Alumnos Romæ educatos peculiariter diligebat, & frequentibus Sacerdotiis in Germania vacantibus ornabat; eò quòd eorum operam validiſſimam eſſe contra Hæreticos ſciret, & Romanæ religioni decoram ſimul & utilem; utpotè à pietate, & doctrina, quam in ſuo Collegio ad hunc finem à Gregorio XIII. Pont. maximo fundato imbibebant, promanantem.

Converſione Reginæ Sueciæ mirè lætatur.

Quia verò ſub finem ſui Pontificatus à P. Franciſco Picolomineo Societatis Jeſu Præpoſito Generali litteras excepit Reginæ Sueciæ Chriſtinæ, quibus ipſi ſignificabat, ſe quam primùm abdicatis ſuis Regnis, ad fidem Catholicam publicè profitendam, Romam acceſſuram, dici non poteſt, quanto cum gaudio tantum ipſe negotium ſuſceperit, quantoque cum fervore illud ipſum memorato Societatis Præpoſito commendaverit. Sanè cùm paulò pòſt morti proximus ipſe eſſet, duabus tantùm de rationibus immaturam ſibi mortem videri dicebat; nimirum, quòd nec videre Catholicam Sueciæ Reginam vivens potuerit; nec redditam Orbi Catholico pacem: quorum utrumque ardentiſſimis ipſe deſideriis non optaverat tantùm, ſed indefeſſo etiam labore procuraverat.

Illud etiam illuſtre Pontificii zeli argumentum fuit, quòd ut ſanctiſſimas & celeberrimas, vel Sanctorum virorum, vel Chriſti

Domi-

Digitized by Google

Domini, beatæque Virginis Mariæ reliquias, quæ in ſanctis Paleſtinæ locis à Turcis poſſidentur, ab eorum poteſtate redimeret, Romamque condigno cultu venerandas transferret, ingentem auri vim obtulerit Ibraimo Turcarum Tyranno, qui primarium quendam ſuæ aulæ virum ad hoc pertractandum opus Romam expediverat. Quia verò immaniſſimum, & intolerandum erat pretium, quod avariſſimus homo ad eas obtinendas exigebat; non opportunum judicavit Innocentius exhauſtum aliàs Eccleſiæ Ærarium tantâ vi auri diminuere, ut hoſtem Chriſtiano nomini infenſiſſimum ditaret, qui dato auro bellum poſteà in Chriſtianos acueret. Sunt & alia longè plura Innocentii Pontificis maximi benè facta, quibus nomen ſuum immortali memoriæ conſecravit, apud Oldoinum, aliosque requirenda: mihi, qui finem ſpecto, pluribus immorari non vacat.

Pro comparandis ſacris Palæſtinæ reliquiis ingentem auri vim offert.

In extremo vitæ mortisque articulo conſtitutus Innocentius, mirum quantum pietatis & virtutis præſetulerit? cùm enim morbum, quo laborabat, in dies magis magisque ingraveſcere ſentiret, rejectis temporalium curis, poſt accuratam exoneratæ conſcientiæ exomologeſim, P. Joannem Paulum Olivam Concionatorem ſuum acciri mandavit, ut præſto haberet ſalutis auxilia, quæ tantus in re ſacra magiſter ei ſuppeditare poſſet. Multa & maxima cum eo egit: de divinis rebus frequentes cum eo miſcebat ſermones: preces cum eo aſſiduas iterabat; ejusque fidei trecentos aureos diſpenſandos commiſit, quibus tria Sacrorum millia, mox ut expiraſſet, immortali Deo litarentur. In cubiculo ſuo altare erigi, ac plura in eo quotidiè ſacra peragi juſſit: Litanias Deiparæ Virginis unà cum aliis precibus & Pſalmis quotidiè recitabat; & cùm acerrimi dolores eſſent, quibus ipſe vexabatur, non patientiâ tantùm, ſed & pia aliqua ad Deum prece eoſdem temperabat: nonnulla aureorum millia impertienda pauperibus (viduis præſertim atque pupullis) mandavit; iisque omnibus amotis, qui ſuæ conſcientiæ tranquillitati impedimento eſſe poſſent, ea tantùm audire volebat, quæ vel de Deo eſſent, vel ad Deum aliquatenùs ducerent.

Ægrotans, ſe ſe religiosè ad mortem diſponit.

Tranſactis hoc modo pluribus diebus, cùm mors inſtare proximè videretur, ſacra Synaxi, ac oleo exeuntium roboratus, Patrum Senatum coram ſe advocari juſſit. Adfuêre hi: tum ille de Principatu ſuo malè adminiſtrato veniam humillimè petere; futuram ſucceſſoris electionem enixè commendare; multa de Eccleſiæ regimine, de vitæ mortalis caducitate piè prudenterque dicere; demùm cum lacrymis eorum ſe precibus commendare, ac ultimum ſacræ benedictionis munus omnibus impertiri. Oranti Pontifici reſpondit appoſitè Carolus Cardinalis Mediceus ſacri Collegij Decanus. Patribus dimiſſis, Fabium Chiſium, & Decium Azzolinum Cardinales (quorum fidem & operam in pontificiis negotiis pertractandis diutiùs ipſe expertus fuerat) ſibi mox deceſſuro adſiſtere voluit; inter horum manus, poſt multa & magna ſinceræ pietatis edita exempla, die 7. Januarij anno 1655. ætatis octogeſimo primo nondum completo, placidiſſimè in Quirinali expiravit, cùm

Sacrum Senatum poſtremò alloquitur.

Sanctè moritur.

Ttttt Ponti-

Pontificatum laudabiliter geſſiſſet annos decem, menſes tres, dies viginti tres: temporaneum in Vaticano nactus ſepulchrum.

Innocentii imago. Fuit Innocentius proceræ ſtaturæ, validis membris ac viribus, igneâ naturâ, virili & magnanimo pectore, vultuque ad majeſtatem compoſito: frontem habuit rugoſam, amplam; oculos ſubalbos, barbam raram, genas ſanguineo colore ſubrubentes. Illuſtres in eo fuêre virtutes, Juſtitia, conſtantia, prudentia, comitas, clementia, & ſuper omnia Eccleſiaſtici nominis, ac religionis zelus. Juriſprudentiæ peritiſſimus, capaciſſimam mentem ad ardua quæque negotia habebat recti tenacem: Litteratorum amans; veritatis ſolertiſſimus indagator, & in rerum agendarum difficultatibus ſuperandis magnanimus ſimul, & conſtantiſſimus. Ab omnibus ea ætate Principibus in exiſtimatione ſumma, & veneratione habitus: parique felicitate ditatus in graviſſimis componendis rebus, quibus tunc temporis Catholicus Orbis laborabat. Cùm tot, & tanta feciſſet ad Templorum, viarum, fontium, ædium magnificentiam; ad pauperum ſubſidium; ad populi levamen; ad religionis propagationem; ad Hæreticorum ac Turcarum excidium; ad Eccleſiaſticæ ditionis ſecuritatem; octingenta aureorum millia in numerata pecunia ſucceſſori ſuo reliquit, ejus arbitrio expendenda.

S C R I P T A.

Scripta. Quando inter Romanæ Rotæ Auditores ſedit Innocentius, ſcripſit *Quinquaginta ſuprà ſeptingentas Deciſiones*, mira facilitate, & doctrina ſingulari conſpicuas: quæ tribus Voluminibus deſcripta, hodie apud pronepotes hæredes inſtar theſauri aſſervantur.

Orationes multas & varias ad Principes in Legationibus, & ad Cardinales in Conſiſtorio dictas.

Epiſtolarum Latini & Italici idiomatis volumen. Conſtitutiones, Diplomata, Apoſtolicas litteras multas, quæ Bullario tomo 4. inſerta ſunt.

Leges item ſaluberrimas pro Religioſis, qui infirmis miniſtrant.

Ejus etiam juſſu *Cæremoniale Epiſcoporum*, recognitum, emendatum, abſolutumque, non tam typis, quàm executioni mandatum fuit.

ANNO CHRISTI MDCLV.

Imperatoribus Ferdinando III. & Leopoldo I. Auguſtis.

DE

ALEXANDRO VII. Pont. Max.

CCXLI. Itè funerato Innocentio X. Patres ſexaginta duo ad Comitia celebranda, die 18. Januarij anno ſalutis 1655. Conclave in Vaticano ingreſſi, ſtatim oculos & mentem conjecerunt

Fabius Chiſius ob ingentes virtutes & merita Pontifex renunciatur, aſſumpto Alexandri VII. nomine.

runt in Fabium Cardinalem Chiſium; qui etſi ad tantæ dignitatis culmen nullis adhuc ſenectutis inſignibus commendaretur, ob ſpectatam tamen ab ætate ineunte pietatem ſumma cum ingenij dexteritate atque eruditione conjunctam; & ob res ubique præclarè geſtas, in maxima apud omnes exiſtimatione, gratia, & cultu erat: fueratque ante ingreſſum ad Comitia, totius Aulæ ſermonibus celebratum fratris Suecorum Regis dictum, *univerſi Septemtrionis converſionem, ſi Fabius renunciaretur Pontifex*, augurantis quam ſanè de ſe opinionem magis etiam auxit in ipſo Comitiorum æſtu, cùm cæteris canditatis in omnem rei benè gerendæ occaſionem anxiè intentis, ipſe non ſolùm neminem prenſaret, ſed alto rejiceret vultu operam & ſtudia offerentes, imò verò occaſiones alienandi à ſe ſuffragatores aucuparetur animi magnitudine planè inaudita. Itaque ejus nomine in medium prolato, multiſque ſummæ authoritatis Cardinalibus, præſertim verò Franciſco Barberino, & Julio Sacchetto, quorum potiſſimùm causâ Comitia hærebant, adnitentibus, die 7. Aprilis (quæ fuit octogeſima poſt incœpta Comitia) Fabius Chiſius omnium ſuffragiis renunciatus eſt Pontifex maximus, magnanimo Alexandri nomine condecoratus.

Ejus primordia.

Natus eſt Senis celeberrima Hetruriæ Urbe anno ſalutis 1599. Idibus Februarij ex Flavio Chiſio, & Laura Marſilia, utroque patriciæ gentis, primariæque nobilitatis. Amiſſo parente, cùm adhuc infans eſſet, in ſinu matris lectiſſimæ fœminæ ad omnem pietatem inſtitutus, procedentibus annis Celſo Citadino excellentis ingenij viro in omni literatura erudiendus traditus eſt. Humanioribus diſciplinis ad miraculum excultus, Philoſophiæ in primis, Theologiæ, ac Jurisprudentiæ tam ſtrenuam navavit operam, ut facto in unaquaque earum facultatum publico ingenij experimento, non tam doctoratus inſignia, quàm famam eruditi viri, excellentiſque doctrinæ gloriam ſit conſecutus. His ſcientiis ornatus, Romam impellentibus amicis, qui Fabij indolem ad ſumma natam in patriæ otio deliteſcere ægrè ferebant, venit. Ut pedem in Urbem intulit, excepit eum magna cum honoris ſignificatione Sfortia Pallavicinus admirabilis ingenij & eruditionis vir, is, qui poſteà Societatem Jeſu ingreſſus, & ab ipſo Alexandro Cardinalis creatus, inſigne ad poſteros nomen dedit.

Scientiis omnibus excolitur.

À Sfortia Pallavicino commendatur Urbano VIII.

Sfortia Fabium non tam aliorum commendatione ſibi inſinuatum, quàm propriæ virtutis facto periculo cognitum, ad Urbani VIII. præclari ingeniorum æſtimatoris benevolentiam & gratiam introduxit; pulchram ad id opportunitatem præbente mirabili quadam Fabij vena, & dexteritate ad omnia Poëſeos genera, ſed præcipuè ad carmen *Horatianum*, quod Urbanus ab adoleſcentia excultum, inter Pontificatus maximi curas aliquando recolebat. Porrò quid in eo genere Fabius valuerit, impreſſa *Philomati* nomine Poëmata declarant. Illud omnem propè fidem excedit, quòd undecim annos natus nonnulla condidit verſuum millia ad imitationem Homerici Luſus *de Bello Pigmæorum & Gruum*, opus quantum illi, qui viderunt, judicare poſſunt, viro in ſtudiis ſubacto & culto non indignum. Igitur cùm ea occaſione Urbanus Fabij ingenium non mi-

nùs Reipublicæ ſapienter adminiſtrandæ, quam tractandæ feliciter Poëti idoneum perſpexiſſet, utriuſque Signaturæ Referendarium creavit; ac paulò pòſt, nimirum anno 1629. Prolegatum Ferrarienſibus (ipſo Legato Cardinali Saccheto rogante) dedit. Quod munus difficillimis temporibus belli, peſtilentiæ, arctioris annonæ, & exundationis fluminum, quinquennio tanta cum laude ſuſtinuit, ut nemo non Fabij Prolegati ſolertiam, induſtriam, ac prudentiam (ipſo Legato famam confirmante) in cœlum uſque extulerit.

Fit Prolegatus Ferrariæ.

Exinde exercitus Eccleſiaſtici Curatoris munere functus, Quæſitorem (ut vocant) eodem mandante Urbano in Inſula Melitenſi egit, quod munus cùm exerceret, renunciatus eſt Epiſcopus Neritonenſis, ſeu Nardi in Salentinis. Demum Apoſtolicus Nuncius ad tractum Rheni, & Provincias inferioris Germaniæ legatus, Conventui Monaſterienſi interfuit, in quo Pontificis nomine quidquid facto, dicto, vel cogitato opus fuit facere ad optatam jam diù pacem Reipublicæ Chriſtianæ dandam, ſumma commiſſi muneris integritate peregit. Omne illius ſtudium in eo erat, ut & pax componeretur honeſta, utilis, decora, & nihil de Eccleſiæ juribus, atque auctoritate iminutum irent Hæreticorum conatus. Verùm ubi id aſſequi ſe poſſe diffidit, & nonnullis quietis cupiditatem, Religionis causâ potiorem eſſe perſpexit, libera, & priſcæ fortitudinis ac pietatis plena oratione (quod unum conclamatæ rei ſolatium potiùs, quàm præſidium erat) pacem adeò Religioni Catholicæ turpem atque perniciosam inſectatus eſt; ſeque eam ſummi Pontificis Innocentij nomine damnare, execrarique profeſſus, id in acta ejuſdem pacis publica referri poſtulavit. Eccleſiaſticam etiam im̃unitatem, quæ tum in Germania paſſim in ſum̃um diſcrimen vocabatur, forti pectore ſuſtinuit: contra Hæreticos, & alios, qui vim inferre adnitebantur, publicas proteſtationes ſcribendo, virum ſe præbuit magno animi robore munitum, egregieque cordatum Romani Pontificis Miniſtrum. Denique poſt tot labores ab Innocentio Romam revocatus, optimè in Germania navatæ operæ præmium accepit purpuram, ac paulò mox, defuncto ipſo Innocentio, ſupremi Sacerdotij, ut diximus, thiaram, & culmen.

Epiſcopus Neritonenſis.

In conventu Monaſterienſi rei Catholicæ ſtudet.

Cardinalis, demum Pontifex.

Alexander decimo octavo Aprilis (quæ fuit decima ab ejus ad Pontificatum evectione dies) mane antè fores Baſilicæ Vaticanæ de more coronatus, atque in ara maxima conſecratus, à prandio adiit poſſeſſionem Eccleſiæ Lateranenſis: qua occaſione nullum prætermiſſum eſt vel ab eo erga populum Romanum paternæ beneficentiæ argumentum, vel à populo Romano ullum officij genus, quo filialem ſuam in ipſum obſervantiam, ſuſceptumque de ejus Pontificatu gaudium aperiret.

Populi ob ejus aſſumptionẽ lætitia.

Vix creatus Pontifex, accepto in Symbolum Apoſtoli dicto, *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*, litteris ad Hiſpaniæ Galliæque Reges ſua manu ſcriptis, com̃unem iis concordiam vehementer ſuaſit, qua Turcam noſtris diſſidiis elatum, & intento in Europæ jugulum gladio furentem, junctis viribus coërcerent: injunxitque Apoſtolicis Nunciis, ut omne in id ſtudium, induſtriamque indictis etiam precibus ac ſupplicationibus, intenderent.

Principum concordiæ ſtudet.

Sub

Principes Catbol. contra Hæreticos juvat.

Sub ipſa Pontificatus initia magnis undique rerum anguſtiis circumventus, omnes invicto animo excepit, & incredibili labore, ac ſapientia ſuperavit. Helvetiorum Pagos Catholicos adverſus Hæreticos; nec non Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem adverſus inalpinarum Vallium accolas itidem Hæreticos, conſilio, officiis, pecunia liberaliter juvit. Eandemque liberalitatem majore etiam conatu extendit ad Poloniæ Regnum, quod Suecorum armis veluti ſubito turbine correptum, ad ultimum propè excidium erat adductum, proſpero ubique eventu. Romanæ Urbi magnâ anno næ penuriâ laboranti, ſaluti fuit ingens frumenti copia à Batavis uſque im̃ani pretio advecta, modico verò civibus ære divendita & impertita. Famem excepit peſtilentia, nondum evoluto primo Pontificatus anno, Neapoli advecta. Perſuaderi id populo non poterat; aliquid, ut ferè fit, ſubeſſe artificij ſuſpicanti. Alexander tamen, qui ſæpè uſurpare ſolebat Ennianum illud: *Non ponendos rumores antè ſalutem*; omnibus ad profligandam luem humanis divinisque præſidiis comparatis, Urbem ſervavit leviſſimo accepto damno. Cùm autem, vetito cum infectis Neapolitanis com̃ercio, plebecula diurno quæſtu vivere aſſueta, inopiâ conficeretur, præter eleemoſynæ largiora ſubſidia, præclaram iniit ejus non utiliter paſcendæ rationem, inſtituta ſubſtructione Porticus Vaticanæ, quam centum quinquaginta fermè ab hinc annis unà cum ipſo Principis Apoſtolorum Templo deſignatam, nullo tamen ſuperiorum Pontificum aggredi auſo, ipſe à fundamentis cœptam ad umbilicum penè perduxit.

Reipublicæ tempore famis & peſtis conſulit.

Summa moderatione ſuos promovet.

In exitu primi Pontificatus anni Marium fratrem, Flavium ejus filium, & Auguſtinum Auguſti alterius fratris filium ad Urbem vocavit rariſſima moderatione. Quos tamen antequam in conſpectum daret, & Reipublicæ gubernaculis admovendos cenſeret, Cardinalium in Conſiſtorio ſententiam rogavit; *Idnè Sedi Apoſtolicæ utile fore putarent?* Quam ut liberius edicerent, non in Conſiſtorio ipſo, ſed in privatis cubiculis ſeorſim ſingulos, poſtquam omnia ſedulò ſecum reputâſſent, audire voluit. Interim ne Urbs ſibi quicquam ab eorum adventu timeret, tres præcipuè corradendæ pecuniæ fontes obſtruxit; Conſtitutione ſcilicet adverſus largitiones accuratiùs, & gravioribus propoſitis pœnis renovata: Locis Montium vacabilibus (utor verbo forenſi minùs Latino) ad non vacabilia traductis; Officiis item vacabilibus levando Cameræ Apoſtolicæ æri alieno addictis. Quæ ſanè toto Pontificatus ſui curſu tam ſanctè ſervavit, ut cùm paucis ante obitum ſuum menſibus vacâſſet *Secretariatus Apoſtolicus*, eumque Auguſtinus Chiſius pro Sigiſmundo fratre empturus ſupplicâſſet, ut aliquantò minori quàm publicè veniret pretio ſibi emere liceret, repulſam tulerit.

Reginam Sueciæ ad Urbem invitat, & recipit.

Chriſtinam Suecorum Reginam, ejurata hæreſi Lutherana, abdicatoque Regno, Catholicam fidem amplexam, ad Urbem invitavit, Luca Holſtenio Hamburgenſi, Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtode, viro in omni eruditione eo ævo facilè principe, ad fines uſque Germaniæ obviàm miſſo: venientem verò Reginam apparatu planè régio, præmiſſis quatuor Nunciis Apoſtolicis, ac duobus à latere Legatis,

gatis, nempè Carolo Mediceo Magni Ducis Hetruriæ germano fratre, ac Friderico Landgravio Haſſiæ Cardinalibus, excepit in Ædibus Vaticanis. Hujus Reginæ vitam breviter deſcriptam habes in Purpura docta *lib. 6. n. 62.* quam, ſi vacat, adeas.

Jeſuitarum reditum in ditionem Venetam procurat.

Patres Societatis Jeſu jam ab exorto inter Paulum V. & Venetam Rempublicam memorabili illo diſſidio, quo Paulus violatæ immunitatis Eccleſiaſticæ nomine, eidem Reipublicæ ſacris interdixerat, à tota Venetorum ditione proſcripti, & ob ſeveritatem Edicti, propè omni ſpe reditus excluſi, Alexandri officiis, Caroli Caraffæ Epiſcopi Averſani eloquentia ac dexteritate inſinuatis, in priſtinum locum ſunt reſtituti. Quod ſuperiores Pontifices magno ſæpè conatu, ſed ſemper fruſtrà tentaverant. Eapropter Alexander magis etiam inflammatus eſt ad ferendas ſuppetias Venetis Turcico bello pridem anteà implicatis, & ægrè Barbarorum impetum ſuſtinentibus, non ſolùm ingentibus copiis cum claſſe miſſis, & pecuniâ largè ſubminiſtratâ, verùm etiam permiſſâ illis facultate vendendi latifundia, & quidquid bonorum in Veneta ditione poſſidebant nonnulli Ordines Monachorum, quos collapſa veteri diſciplina, parùm utiles Eccleſiæ, abolendos decreverat.

Venetis contra Turcas ſuppetias fert.

Hungariæ ſimiliter contra Turcas præſto eſt.

Hungariam Turca aggreſſo, expugnatoque Varadino, cùm grave ex ea quoque parte toti rei Chriſtianæ periculum immineret, Alexander, quantum ex ſacro ærario exprimere auri poterat, Cæſari ſtatim ſubmiſit, eumque ſex Decimis Clero, Italiæ impoſitis, ſtrenuè juvit. Diligentiſſimè prætereà ad Chriſtianos Principes, ac præſertim Hiſpaniæ Galliæque Reges pace nuper inita conciliatos, ſcriptis litteris, & Nunciis Apoſtolicis rem urgere juſſis, eos ad ſacrum fœdus feriendum invitavit. Nec rei exitus procul aberat, niſi ſubortis inter Galliæ Hungariæque Reges de honorificis appellationibus, aliiſque hujus generis controverſiis (quæ res per ſe leves, graviſſimarum ſæpè calamitatum occaſiones fuerunt gentibus noſtris) ſed multò magis patratum Romæ à Corſis militibus facinus adverſus familiam Ducis Crequij Regis Galliæ Oratoris, ſpem omnem perficiendi operis præclarè inſtituti abrupiſſet. Eâ injuriâ, quaſi violato jure gentium, graviter irritatus Crequius, homo militaris, genere, opibuſque, & tanti Regis miniſterio clarus, cùm mitiùs quàm rei atrocitas, & ſua ſuique Principis dignitas poſceret, cum Corſis actum, ſeque à Pontifice, Chiſiaque domo ſpretum putaret; Urbe diſcedens, indignatione in Alexandrum, Chiſioſque propè inexpiabili Regem incendit: ex quo illa poſteà mala ſunt conſecuta, quæ & Sedis Apoſtolicæ vires magnoperè afflixerunt, & quietem publicam in maximum diſcrimen adduxêre. Ea ego, uti ſat nota, & in *Purpura docta lib. 6.* non ſemel commemorata, hoc loco referre ſuperſedeo. Cæterùm triennium fermè ea tempeſtas tenuit, miſſis à Rege in Italiam copiis, quaſi ditionem Eccleſiaſticam invaſuris, ni ſibi de illata injuria fieret ſatis: cùm tamen Alexander, propoſitis à Rege conditionibus parùm honeſtis, extrema potiùs omnia experiri, quàm illis cum diſpendio dignitatis aſſentiri, excelſo invictoque animo decreviſſet; ingenti interim conſcribendo exercitui intentus, & ad reſiſtendum, ſi vis acerbior ingrueret, paratus.

RixaUrbana Pontifici negotium facit.

De origine, progreſſu, & fine hujus diſſidii legi poteſt Palatius in vita Alex. VII, n. 11.

Tandem

Tandem poſt varias pacis tractationes (Ferdinando magno Hetruriæ Duce incredibili ſtudio rem adjuvante) itum eſt in honeſtas ſatis conditiones, quarum illa præcipua fuit, ut Flavius Chiſius in Galliam officii cauſa legaretur. Itaque reconciliatis animis, arma non poſita, ſed Cæſari tradita ad ſuſtinendum Turcarum impetum, qui magno, ſi unquam anteà, apparatu in Hungariam irruebant. Saluti fuêre Gallicæ cohortes Germanis mixtæ, quæ barbarum jam penè victorem, ad flumen *Rab* objectis pectoribus ſtrenuè cæciderunt, ac ſi idem cæteris tum nationibus fuiſſet pugnandi ardor, debellari ea die hoſtis facilè potuiſſet. *Denique res honeſtis conditionib. componitur.* *Cæſari auxilia fert.*

Porrò Alexander Caſtrenſem ditionem, qua Innocentius X. Odoardum Parmæ & Placentiæ Ducem, ut ejus creditoribus ſatisfieret, Judicum decreto ſpoliaverat, niſi intra octo annos æs alienum diſſolveret, elapſo tempore, & conditione non adimpleta, Cameræ Apoſtolicæ (re pro Conſiſtorio ſolemniter acta) adjudicavit, & Conſtitutioni Pii V. *de non alienandis Eccleſiæ bonis* ſubjecit. *Caſtrenſis ditio adjudicatur Eccleſiæ.*

Gliſcente ubique, præſertim in Hiſpania Controverſia *de immaculata B. Virginis Conceptione*, & niſi periculo obviàm iretur, in grave aliquod diſſidium eruptura, Epiſcopus Placentinus à Catholico Rege ad Urbem allegatus Alexandro ſupplicavit, ut recepta omnium pænè ordinum, adeoque totius Eccleſiæ conſenſu opinio Virgini favens, Pontificio oraculo ſanciretur: Alexander poſtquam ex omnis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, & tum veterum, tum recentiorum Theologorum monumentis eam quæſtionem (ut erat in Theologicis egregiè verſatus) diù diligenterque perpendit, totâ re cum viris in Urbe doctiſſimis, neutri partim addictis, communicatâ, Conſtitutionem per ſe compoſuit, ediditque, in qua abſtinuit quidem à referendo inter fidei dogmata articulo immaculatæ Conceptionis; ſed ſe in hanc ſententiam valdè propenſum oſtendit, & priorum Pontificum Decreta illi faventia non ſolùm confirmavit, ſed etiam in multis auxit, graviſſimis propoſitis pœnis, ſi quis adverſus eam ſententiam diſputare, vel aliquo modo diſſerere auderet. *Favet opinioni de Immaculata Virginis Conceptione.*

Quinque Propoſitiones ex libris Cornelii Janſenii Iprenſis Epiſcopi excerptas *de Gratia, & libro Arbitrio*, & ab Innocentio X. edita Conſtitutione damnatas, cùm non deeſſent, qui eas callidâ Conſtitutionis interpretatione tueri conarentur, novo Edicto perculit: & re diligentiùs explicata, omnem cavillandi occaſionem præcidit, compoſitâ etiam fidei Formulâ, quam ii, qui Epiſcopatum, vel aliquam aliam Eccleſiaſticam dignitatem conſequi vellent, jurejurando profiterentur. Quare renaſcentis mali reliquias ſi non planè extinxit, ſaltem ita fregit, ac debilitavit (Regia præſertim pietate cum Pontificia auctoritate ſtrenuè conſpirante) ut ab omni in præſens non ſolùm metu, ſed penè etiam metus ſuſpicione Romana Eccleſia conquieſcat. *Novo edicto Janſenii errores damnat.*

Urbem multis in locis veterum ædificiorum prominentiis, & viarum anfractibus informem atque incommodam, miro artificio, ac levi Civium impendio, ad laxiorem ſplendidioremque formam rede- *Urbem laxat, & exornat.*

redegit. Pantheon, clariſſimum veteris Romæ Fanum, à M. Agrippa olim conſtructum, & à Bonifacio IV. Pontifice Beatæ Mariæ Virgini dicatum, cùm è via publica ad illud per multos gradus deſcenderetur, egeſta humo detexit, & inſignem illam Porticum, & raræ magnitudinis Columnas anteà ſemiſepultas in lucem protulit, deterſo à ſordibus, & à tabernis rerum venalium foro illi adjuncto. Forum etiam, in quo erecta eſt Columna Antoniana, & illud, quod adjacet Ædi S. Callixti, horridum anteà, & incultum, ad magnam hilaritatem, ſplendoremque traduxit. Ædes beatæ Mariæ *de Populo*, & beatæ Mariæ *de Pace*, pluraque alia cùm ſacra, tùm profana loca inſtauravit, exornavitque. Vetera præſertim monumenta, ut erat antiquitatis amantiſſimus, ab interitu, quantum licuit, vindicavit. In his C. Cœſtii Epulonis Sepulchrum ad Portam Trigeminam, quod ſitu, ac vetuſtate collabebatur, ingenti ſumptu reſtituit.

Archigymnaſium Rom. perficit.

Archigymnaſium Rom. *Sapientiæ* dictum, à Leone X. olim inſtitutum, toto ambitu perfecit, in eoque egregii operis Ædem in honorem S. Ivonis ab Innocentio X. inchoatam abſolvit, & Bibliothecam omnis generis libris luculenter inſtructum, ingenti aula, ac thecis magnificè extructis, publicæ commoditati aperuit.

Officinam monetariam erigit.

Propè Hortos Vaticanos novo atque admirabili artificio erexit Monetariam Officinam, in qua incidentium aquarum vi rotas atque alia inſtrumenta impellente, cujusvis generis pecunia, magno temporis operæque compendio ſignaretur. Peramplum pariter ædificium familiæ pontificiæ commoditati, & Palatii ornamento à fundamentis extruxit in Quirinali. Palatium item Caſtri Gandulphi ad lacum Albanium, quo ſecedere ad animi remiſſionem Majo & Octobri menſe Pontifices ſolent, non ſolùm auxit, ſed etiam longè commodius fecit, & ad regiam magnificentiam perduxit. Romæ in apſide Templi Vaticani Cathedram S. Petri à duobus Græcæ, totidemque Latinæ Eccleſiæ Doctoribus ſuſtentatam ex ære inaurato, opus molis & impenſæ magnitudine mirandum, conſtituit. Quod peritis miraculo non abſimile videtur. Scalas, quæ à Porticu S. Petri ad Aulam Regiam ducebant, anguſtas anteà atque obſcuras, tantique Templi dignitati parùm commenſuratas, incredibili artificio amplificatas, atque illuſtratas, ad ſummam magnificentiam, elegantiamque convertit.

Cathedram S. Petri conſtituit.

Scalas ampliat.

Archivia pro recondendis litteris Apoſtolicis condit.

Volumina litterarum, quæ de rebus graviſſimis ad Sedis Apoſtolicæ lucra, arcana, auctoritatemque, ac totius rei Chriſtianæ ſtatum ſpectantibus, ad Nuncios, aliosque Apoſtolicos adminiſtros, quæque ab his ad ipſum Pontificem ſcribuntur, cùm nullo certo anteà loco aſſervarentur, ſolerentque Pontificum conſanguinei ea volumina, animam agente Pontifice, ad lares paternos quaſi hæreditaria comportare, ex variis familiis Pontificiis ſingulari ſtudio expiſcatus, in unum collegit, & nobili extructo Archivio in Palatio Vaticano, ibi omnia eleganter, & ordine diſpoſuit; magno Succeſſoribus ſuis documento, ut idem ipſi pro bono publico curent. Eadem ratione conſuluit etiam Actis, monumentisque ſacrarum Congregationum: Quæ anteà ab earumdem Congregatio-

num

num Secretariis domi privatim, magnâ plerumque incuriâ aſſervabantur, erectis pro numero Congregationum Archiviis, omnia in iis reponi, ac ſedulò in poſterum cuſtodiri juſſit.

Bibliothecam Ducum Urbini ad Urbē transfert.

Bibliothecæ Vaticanæ adjunxit celebrem illam Urbinatum Ducum magna omnis generis manuſcriptorum copia refertiſſimam, cujus jacturam Urbinatibus largè rependit. Aliam verò impreſſorum librorum Bibliothecam eorumdem Ducum, quæ Urbini in ſitu atque inter blattas indecorè jacebat, penſato pariter Civibus damno, Archigymnaſio Romano donavit. Neque inter hæc publica Urbis ornamenta, oblitus eſt patriæ ſuæ, in qua & Cathedralem Eccleſiam, disjectis domibus illi adjacentibus, foro amplificato, & aucto Miniſtrorum numero, auguſtiorem effecit; & ædem Monialium *de Refugio*, quam olim Aurelius Chiſius à fundamentis extruxerat, Lunenſi marmore ornavit.

Numerum Sanctorum auget.

Thomam de Villanova Hiſpanum, Archiepiſcopum Valentinum, & Franciſcum Saleſium Allobrogem, Epiſcopum Genevenſem in ſanctorum Canonem retulit. Officium Subdiaconorum Apoſtolicorum in Sacello Pontificio, quod nullo perſonarum delectu venale erat, abolevit: eoque miniſterio inſignivit ſacræ Rotæ Romanæ Auditores, attributo illis colore violaceo, & ſportulis Palatinis. Tribus præcipuis Urbis Baſilicis in Sacello Pontificio locum dedit; ſingulis ſingularum Canonicis ſacro Pontificio miniſtrare juſſis: quos propterea Prælatorum inſignibus, & familiaritate Palatij ornavit. Cardinalibus verò atrata veſte, qua in ſuorum funere utebantur, cùm id parùm è tanti ordinis dignitate videretur, interdixit.

Rotæ Auditores veſte violacea ornat.

Ejus obitus.

His aliiſque longè pluribus tum ad Urbis emolumentum & ornatum, tum ad Chriſtianæ Reipublicæ decus & utilitatem, diſciplinamque Eccleſiaſticam, in Pontificatu præclarè geſtis, renum morbo, cum quo veterem habebat conſuetudinem, poſt diuturnos acerbiſſimoſque cruciatus, invicta Chriſtiani animi fortitudine toleratos, ſacris Eccleſiæ myſteriis ritè expiatus obdormivit in Domino die 22. Maij anno ſalutis 1667. ætatis 68. Pontificatus ſui anno 12. ſupra menſem cum dimidio, cùm multò priùs Idibus videlicet Aprilis ſacro Cardinalium Collegio diſerta, pro more ſuo, Oratione Sedem Apoſtolicam commendaſſet; eoſque, ut virum Eccleſiæ tam difficili tempore regendæ idoneum deligerent, pluribus cum lacrymis conteſtatus fuiſſet. Inſequenti nocte delatus ad S. Petri in temporario tumulo conditus eſt.

Alexandri imago.

Corpore fuit natura invido ac ſalubri; ſed Coloniæ Ubiorum, ob lapidem in veſica diſſectum, infirmiore poſteà uſus: membris gracilibus, ſed ad uſum aptis, & inter ſe congruentibus, manibus verò tanta vis inerat, ut cujus manum comprehendiſſet, nulla is arte, aut vi poſſet quantumvis validus ac robuſtus ab eo ſe nexu expedire. Statura paulò infra mediocrem, colore ſubpallido, facie oblonga, nigro ac protenſo capillo, vix extrema ætate leviter albeſcente: Summa oris ſuavitas & dignitas, ad amorem ac venerationem conciliandam perquàm apta: Eloquentia admirabilis; non ventoſa illa, & ad oſtentationem facta, ſed rerum potiùs, quàm ver-

Eloquens.

borum gravis, perſpicua, æqualiter fluens, preſſo ac majeſtatis pleno dicendi genere, qualis in ſacro univerſalis Eccleſiæ Senatu verba facturum Principem decet: cui accedebat pronunciatio excellens ac teres, rotundusque vocis ſonus, mirum! quàm auribus ſuavis. Latinè loquebatur ex tempore tam propriè ac dilucidè, ut *Magnanimus* nemo vel appoſito ſtudio limatiùs ſcriberet. Animo, ſi quis unquam, magno fuit & erecto, qui nullâ fortunæ injuriâ, nullis tem- *Candidus.* peſtatum fluctibus debilitari poſſet, nedum frangi. Tantæ autem animi magnitudini conjunctus erat, etiam in illo fortunæ faſtigio, ingenuus quidam pudor cum lacte hauſtus, qui non ſolùm in ejus ſermone & moribus, ſed in vultu quoque, & oculis, & geſtu prominebat. In æſtimandis ingeniis, & introſpiciendis animis percal- *Percallidus.* lidus, certum de unoquoque judicium ferebat. Machinas primo congreſſu detegebat, ſi qua fraus ſubeſſet ſtatim ſentiens; nec quicquam pernicioſius habebatur negotiorum ſucceſſibus, quàm ſi quis *Humanus.* aulico inſtructus fuco Alexandrum accederet. Ad ſe adeuntes humaniſſimè excipiebat, cum quibus colloquens ita loci, in quo erat, majeſtatem, vultûs atque orationis comitate temperabat, ut ſimul etiam urbanitatem privati hominis, liberaliter educati, & mutua civilis vitæ officia colentis agnoſceres; unde fiebat, ut nemo facilè triſtis ab ejus colloquio, etſi repulſam paſſus, diſcederet.

Ad iram pronus. Erat autem ſicuti ad humanitatem, ità ad iracundiam vehementer pronus; illam ad ſupremum vitæ ſpiritum conſtanter retinuit; hanc ab adoleſcentia virtute & conſuetudine ità perdomuit, ut in magna etiam iraſcendi neceſſitate, nec minori ulciſcendi co- *Sobrius.* pia, pacatum præferret animum. Pietate ſumma fuit, cibi abſtinentiæ, vigiliis, macerationi corporis, ſacrorum librorum lectioni ab ineunte ætate aſſuetus: viros probos & litteratos plurimi ſemper fecit, eorumque conſuetudine quotidiè utebatur pomeridianis horis, ſomni impatiens. etiam æſtate ſumma. Bis annis ſingulis, Majo ſcilicet & Octobri menſe ad Caſtrum Gandulphi ſecedebat modico apparatu, non tam ad animi ſui remiſſionem, quàm ut Aula univerſa, ejus exemplo, poſſet libero à curis animo ruſticari, atque inde ad urbanos labores vegetior redire. Dolebat ſæpè innumeras graveſque curas Pontificatus, minimè diſſimulans prioris vitæ *Quid de onere & honore Pontificatus ſenſerit?* deſiderium: *Onus ſe Ætnâ gravius ſuſtinere*; *impoſitam ſibi ſolicitudinem omnium Eccleſiarum* lamentans: *Videri quidem id muneris honorem ampliſſimum inexpertis, expertis verò onus eſſe omni ſervitute deterius.* Unde Cardinalibus recurrentem initi Pontificatûs diem gratulantibus, reponere ſolebat Virgilianum illud: *Dies, quem ſemper acerbum, ſempor honoratum (ſic vos voluiſtis) habebo.* Cæterùm ſicuti ad Pontificatum invitus acceſſerat, ità eo ſemel ſuſcepto, Chriſtianæ rei curandæ aſſiduò intentus, nihil eorum omittebat, quæ ad officij ſui munus per- *Munditiem curat.* tinere arbitrabatur. Somni cibique parcus, in veſtitu, omnique alio cultu munditiem, & decorem, non affluentiam, aut pompam amabat: mediâ ſemper incedens viâ, ut in neutram partem declivis conſpici poſſet. Pecuniæ publicæ parciſſimus, cùm ſuæ ante Pontificatum perliberalis fuiſſet, animo agitabat, ingenti ære alieno Se- *Parcus.* dem Apoſtolicam liberare: ſed aliæ ſuper alias cumulatæ calami-

tates

tates Reipublicæ, præclaro conatui compedes injecêre. Deteriorem tamen propterea non reliquit ærarij conditionem, ſicuti apud ejus Curatores poſt obitum in confeſſo fuit: ut conjici vel hinc poſſit, quàm lætam Pontificâtus ſui memoriam relicturus fuiſſet Romanis, ſi in meliora tempora incidiſſet.

Sacris Chriſtianis præſidente Alexandro VII. religioſa morte exceſſit è vivis Viennæ Auſtriæ Ferdinandus Tertius Romanorum Imperator, anno ſalutis 1657. ætatis 49. Imperij 20. inter alia, Nordlingenſi victoria contra Suecos clarus. Princeps pietate, eruditione, & zelo religionis in paucis memorabilis. Ei in Imperio ſucceſſit anno ſubſequenti Leopoldus hujus nominis Primus, ejus ex conjuge Maria (ſorore Philippi IV. Hiſpaniarum Regis) filius, jam anteà Bohemiæ & Hungariæ Rex deſignatus. *Ferdinandi III. Imp. obitus.*

S C R I P T A.

Scripſit Alexander VII. (vir ſeu Poëſim, ſeu Oratoriam, Hiſtoriam, Philoſophiam, Theologiam, ac Jurisprudentiam ſpectes) undiquaque doctiſſimus, plura varij generis & argumenti opera: nimirum: *Alexandri Scripta.*

Multas Conſtitutiones, & Litteras Apoſtolicas Bullario annexas:

Conſtitutionem ſingularem in favorem Immaculatæ Conceptionis B. V. Mariæ.

Sermones ſacros in nonnulla celebriora anni feſta.

Orationes plures Latiales & Hetruſcas, in legationibus & Conſiſtorio dictas.

Epiſtolarum ad varios Volumen.

Pia Monita è ſcriptis Divi Franciſci Saleſij excerpta.

Pompeji Tragœdiam apprimè Latinam.

Inſcriptiones, Elogia, Epitaphia pro variis elaborata.

Poſitiones, ſeu Theſes Philoſophicas, Theologicas, Juridicas, Senis diverſo tempore, in publico Doctorum conſeſſu, pro triplici Doctoratus ſeu Magiſterij laurea cum plauſu conſcriptas & defenſas.

Verſionem Thomæ Kempenſis ex Italico in Latinum, quam ex matris Lauræ Marſiliæ imperio novennis ſuſcepit, & ad exitum perduxit, ignorans tunc temporis Auctorem hunc Latinè prodiiſſe.

Poëma elegantiſſimum viginti Hexametris conſtans, *De Forma & ſtatu Comitiorum in Conclavi Vaticano*, ad Ferdinandum Fürſtenbergium Epiſcopum Paderbornenſem ſibi valdè familiarem.

Hymnos ſacros; quorum nonnullis hodie Eccleſia in ſacra Pſalmodia utitur.

Epigrammata varia, arguta & terſa.

Elegias, & Odas plures Latina & hetruſca lingua.

Nonnulla item verſuum millia (undecim nonniſi annos natus) *de Bello Pygmæorum, & Gruum*, ad imitationem Homeri. Quæ omnia cum titulo *Muſæ Juveniles Philothei* publici juris fecit, ac nepoti ſuo Flavio Chiſio nuncupavit.

Additio ex Auguſtino Oldoino Soc. Jeſu.

Addam & hoc de tanto Principe, quod Oldoinus in vita in hæc ferè verba commemorat : *Caterùm in Virorum eruditorum conſuetudine Alexander ſubciſivis horis animi remiſſionem quarebat, de re litteraria ſermones conferens, quacunque ſe materia offerret, ut etiam ad Oratorum, ac Poëtarum delicias aliquando deſcenderet. Frequentius tamen argumentum erat Hiſtoria ſacra, & vetus Eccleſia diſciplina, quam paulatim inſtaurare, ſi per temporum difficultates licuiſſet, magnoperè cupiebat; quemadmodum & alias Facultates, ac præſertim bonas litteras, quas non ſolùm à veteris Latij gloria excidiſſe; ſed etiam à ſuperioris ſaculi laude in dies magis excidere intelligebat. Sed temporum ratio ſapientiſſimum Principem coëgit cogitare potiùs de Republica tuenda ſalute, quàm de amplificanda rei litteraria dignitate. Antiquos Codices magno ſtudio conquirebat, nullo tam barbaro, aut exoleto charactere, quem non aſſequeretur; ex iiſq; magna cum voluptate plura colligebat ad illuſtrandam obſcuriorum temporum eruditionem, qua præſertim populorum ſtatum, ac mores, & ſamiliarum origines continet. Poëſim, in qua magna cum laude floruerat, & cujus ſtudia, ne inter graviores quidem curas jam major natu unqaam dimiſerat, poſtquam ad Pontificatum pervenit, in honore quidem habuit, magnis etiam ingeniis ad eam excolendam pramio excitatis; ſed ipſe nunquam, curis ingentibus obrutus, attigit : ultimaq; ejus carmina fuerunt viginti Hexametra, qua è Comitiis Vaticanis ad Ferdinandum Fürſtenbergium Epiſcopum Paderbornenſem, Poëtam eximium, jocabundus ſcripſit elegantiſſimè, de Forma & ſtatu Comitiorum. Tanta erat ejus animi tranquillitas, dum cateri vel ſuâ, vel amicorum causâ aſſiduis contentionum, & cupiditatum fluctibus jactabantur.*

Sedente Alexandro inſignis de Turcis victoria.

Clarum reddidit Pontificatûs Alexandri VII. initium, parta anno 1656. de Turcica claſſe apud Tenedum Venetorum memorabilis victoria (quam ego alibi *in Synopſi Vita P. Ignatij Eggs p.m. Capucini Miſſionarij*, qui pugnæ huic juxtà, ac victoriæ interfuit, fuſiùs deſcripſi) hoſtium ad novem millia tum cæſa memorantur, capta ſeptem millia; Chriſtianorum quinque millia dirâ ſervitute erepta; triremes centum captæ; reliquis navibus aut ſubmerſis, aut disjectis : vix trecentis è fidelibus victoribus deſideratis. Imminuit tantæ victoriæ Chriſtianorum gaudium Lemni in Ægeo Inſulæ obſidio à Turcis facta, qui anno 1657. eam obtinuerunt. Mœrorem conceptum ob ingentem hanc jacturam levavit pax inter Galliæ & Hiſpaniæ Reges firmata die 7. Novembris anni 1659. quam vel maximè roboravit matrimonium inter Ludovicum XIV. Galliarum Regem, ac Thereſiam Mariam Philippi IV. Regis Catholici filiam initum anno 1660. Quo anno Turcæ, occiſo Ragozzio Tranſilvaniæ Principe, Varadinum obſeſſum occupârunt; & anno 1663. validis copiis Neoſelium aggreſſi, inferioris Pannoniæ propugnaculum, arctâ unius menſis obſidione, ad deditionem coëgerunt.

Amiſſio Lemni Inſula in Ægeo.

Matrimonium Ludovici XIV. cum Thereſia Hiſpana.

ANNO

ANNO CHRISTI MDCLXVII.

Imperatore LEOPOLDO I. Auguſto.

DE

CLEMENTE IX. Pontif. Max.

Julius Roſpilioſius omnibus gratus.

CCXLII. EXequiis Alexandro VII. ex more perſolutis, Cardinales die 2. Junij 1667. pro novo creando Pontifice Vaticana Comitia ingreſſi ſunt: nulla à multo tempore memorantur pacatiora: adeò ſpectata magnis occaſionibus virtute, & regia quadam animi magnitudine Julius Roſpilioſius & ſacri Collegij voluntates, & Regum gratiam occupaverat. Nec dubium, quin primis ſtatim Comitiorum diebus res tranſacta fuiſſet, niſi ex diuturno ac periculoſo morbo nondum firmata valetudo ipſius, & ſubitò ſparſus incerto auctore per Urbem rumor *Patrum ſuffragia in Julium Cardinalem conſenſiſſe* aliquot dierum ſpatium deſideraſſent, quò adverſariorum machinæ, ſi quæ erant, dilaberentur. Itaque nullâ intercurrente controverſiâ, die 20. Junij unanimi ſuffragiorum conſenſione creatus eſt Pontifex maximus, *Clementis* nomine ad ingenij ſui indolem profitendam adſcito.

Pontifex creatur.

Ejus vita primordia.

Clemens IX. Julius Roſpilioſius anteà vocatus natus eſt Piſtorij celebri Hetruriæ Urbe, anno ſalutis 1600. die 27. Januarij. Patrem habuit Hieronymum, matrem Catharinam Roſpilioſios ex primaria ejus Urbis nobilitate; ambos multis virtutibus Chriſtiano homine dignis, ſed præcipuè mirabili quadam in pauperes munificentia illuſtres. In quo apparuit luculenter, quantum ad formandos puerorum animos accurata parentum valeat educatio. Nam ſi quis Julio adhuc impubi ſuadere aliquid volebat ab ejus ætatis levitate abhorrens, non alia id ratione aſſequi poterat, quàm ſi obedientiæ præmium, numos propoſuiſſet pauperibus erogandos. Diſcendi verò cupiditate ità incenſus erat, ut non, ſicuti cæteris pueris uſu venit, ſtudij laborem ſpe feriandi, ſed vacationis moleſtiam ſpe redeundi ad ſtudia ſublevaret.

Pronus ad ſtudia litterarum.

In Collegio Romano, Seminarij Convictor, ſub Famiano Strada, aliisque clari nominis Magiſtris ſtrenuam politioribus litteris, & Philoſophiæ operam navavit. In Piſana deinde Academia Cæſarei Pontificiique Juris curſu peracto, utriusque facultatis, & Philoſophiæ lauream cum omnium plauſu adeptus eſt. Romam tùm profectus, & in Antonij Cardinalis Barberini familiam adſcitus, litteratorum hominum, quibus Aula ea ætate referta erat, congreſſus coluit, à quibus pariter cultus, magnam apud omnes excellentis ingenij, nec mediocriter eruditi famam viri eſt conſecutus.

Excellit in Poëſi.

Ac brevi totâ Italiâ ejus nomen ſic inclaruit ob inſignem elegantiam, & nitorem in Hetruſca Poëſi, præſertim Dramatica (in qua novo ſcribendi genere, Chriſtianæ pietati inſtillandæ ſemper intento, Græci cothurni gloriam æquâſſe creditus eſt)

ut ab Urbano VIII. Pontifice in ea quoque litteratura maximo, liberaliter & permagno in honore ſit habitus.

Variis dignitatibus ſenſim ornatur.

Ab eo igitur creatus primò utriusque Signaturæ Referendarius; tùm Congregationis ſacrorum Rituum Secretarius; mox, aliis ſuper alios honores cumulatis, Canonicus & Vicarius Baſilicæ Liberianæ; Judex à latere legationis Avenionenſis; ab Epiſtolis ad Principes pontificio nomine ſcribendis; ſummi Pœnitentiarij Sigillator; demum Archiepiſcopus Tharſenſis; Quo charactere ablegatus eſt Nuncius in Hiſpaniam.

Fit Archiepiſcopus Tharſenſis.

Eo in munere non ſolùm Sedis Apoſtolicæ Jura, dignitatemque in graviſſimis caſibus, qui Innocentio X. acciderunt, præclarè ſuſtinuit, ſed Regis illius animum ità ſuæ virtuti devinxit, ut à regia liberalitate annuam, ac perpetuam quatuor aureorum millium penſionem Baſilicæ Liberianæ impetraverit; & Rex ejus ab Hiſpania digreſſum graviſſimè tulerit.

Hiſpaniarū Regi gratiſſimus.

Diſcedenti ſanè, inter cætera amoris ſui argumenta, regiam, ad Cardinalatus promotionem, commendationem iteratò obtulit, quam ille tamen eâdem virtute, qua meruerat, recuſavit. Mortuo Innocentio X. unanimi Patrum conſenſu, rejectis æmulis, electus fuit Urbis Gubernator. Alexander verò in iis Comitiis ſummus Pontifex renunciatus, Roſpilioſium illicò Secretarium ſtatus; ac biennio pòſt, in prima Cardinalium creatione, Presbyterum Cardinalem tituli S. Sixti nominavit: habuitque tandem eundem decem poſt annos, ut ſuprà diximus, digniſſimum in ſummo Pontificatu, ſub nomine Clementis IX. ſucceſſorem.

Purpura donatur, & ſumma thiara.

Pontifex Romanus renunciatus, ante omnia Cardinalibus gratias egit, tùm privatim ſingulis candidè profeſſus eorum erga ſe meritum; tùm publicè in ſacro Conſiſtorio univerſis. Libet autem verba ipſa tanti Pontificis ſubnectere, quò perſpici poſſit quantum in dicendo valuerit, & quo eloquentiæ genere uſus ſit, quoties ei contigit (contigit autem ſæpiſſimè) ſacrum Cardinalium Collegium alloqui.

Cardinalibus gratias egit.

PRIMUM agimus, ac ſemper acturi ſumus humillimas gratias omnipotenti DEO. qui Noſtram humilitatem reſpexit ſuprà meritum, ſuprà votum. Deinde, ut Leonis Magni verbis utamur, veſtra quoque humanitatis arbitrium debita gratiarum actione concelebramus, qui nullis præcedentibus meritis tale de Nobis judicium protuliſtis. Hinc imbecillitati Noſtræ gemina exoritur in tanti oneris diſcrimine ſubſidii ſpes, altera ex præpotentis Dei patrocinio, ex conſilio veſtro altera. Certum enim eſt, Nos non modò agere non poſſe aliquid, ſed ne cogitare quidem à Nobis, tanquam ex Nobiſmet ipſis, ſed omnem ſufficientiam Noſtram eſſe à Deo. Ideoq; gaudemus freti hac ſpe fore, ut clementiſſimus Dominus, qui ad oſtendendas divitias omnipotentiæ ſuæ vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt, Nobis abundè impertiatur eam divini ſpiritus auram, qua feliciter in tot ſæculi fluctibus Eccleſiæ Navim regamus. At nunquam navis regitur à ſolo Nauclero: prævidere is poteſt pericula, curſum ordinare, inſtruere vela; ſed eget conſilio, & ope multorum. Igitur veſtra Nobis conſilia eſſe perquàm neceſſaria intelligimus: nam ex oraculo Spiritus ſancti ubi multa conſilia, ibi ſalus; ideoq;, uti par eſt, vos in conſortium laboris advocamus. Communis erit omnium noſtrum in cælo merces, ſi in Eccleſiæ rebus adjuvandis communis fuerit labor. Ex veſtra intereſt, ne Chriſtia-

Ejus Oratio ad Cardinales in Conſiſtorio.

Chriſtiana Reſpublica judicio veſtro in Nos eligendo inter tot ſapientia, virtute, atque experientia præſtantiſſimos Patres fraudatam ſe conqueratur. Nos certè non faciemus animam noſtram pretioſiorem quàm Nos; nec refugiemus laborem aliquem, qui ad noſtri miniſterij partes adimplendas conferri poſſit. Hoc animo divina favente gratia, veſtriſq; coadjuvantibus virtutibus, quas Nobis nunquam defuturas ſperamus, libenter humeros, quamvis longè impares, tanto oneri ſubjicimus. Aſcivit deinde in *Secretarium Status*, ut vocant, Decium Azzolinum Cardinalem longè doctiſſimum rerumque peritiâ in paucis conſpicuum, cujus potiſſimùm operâ Patres in electione Clementis convenerant: & in *Datarium* Petrum Cardinalem Ottobonum, poſteà Alexandrum VIII. virum paris meriti & virtutis.

Secretarium & Datarium creat.

Coronatur.

Die Dominico 26. Junij coronatus de more in gradibus Baſilicæ Vaticanæ, ſequenti Dominica 3. Julij à prandio adivit poſſeſſionem Baſilicæ Lateranenſis inter aſſiduas amantis ipſum populi acclamationes. Quippè præter vulgatam jam pridem famam de tanti viri virtute, & eximia erga omnes charitate, laxata in ipſo Pontificatus exordio annona, & remiſſum magni momenti vectigal, auream ſpem omnibus fecerant liberaliſſimi principatûs. Qua occaſione monetis aureis argenteiſque, ut animi ſui ſenſum dilucidè explicaret, incidi juſſit *Pellicanum* roſtro pectus eviſcerantem cum epigraphe; *Aliis, non ſibi clemens.*

Curarum angoribus æſtuat, & quare?

Cæterùm peractis omnibus, quæ auſpicando Pontificatui vetus ſacrorum ritus, & aulæ conſuetudo præſcribit, totum ſe Clemens curandæ Reipublicæ Chriſtianæ applicuit, identidem ſeipſum admonens, ac ſeriò ſecum reputans; *Quid Deo, quid Dei Eccleſiæ, quid omnibus deberet? In quam graves, peneq; conclamatas temporum difficultates ſuus incidiſſet Pontificatus? Quanto in periculo res Chriſtiana, Principum regna, ipſeq; ſtatus Romanæ Eccleſiæ verſarentur? Nam* (ſi fides Franciſco Macedoni religioſo auctori in ſuo ad Clementem Panegyrico) *premebant Romam anguſtia rei familiaris, irrepſerant miſeriæ, ærumna, dolores. Italia angebatur metu Turcæ hoſtis internecini, Cretam oppugnantis, & obnoxia victoris armis Italiæ imminentis.* (ipſa enim die, qua obiit Alexander VII. Cretam Turca arctiſſima obſidione cinxerat) *Germania vicinorum hoſtium undique circumſtantium, nec poſt initam pacem ſatis fidorum terrore afficiebatur. Gallia tum foris bellis, tum domi diſſenſionibus ob diverſa doctrinarum ſtudia tumultuabatur. Hiſpania partim factionibus, partim bellis civilibus ardebat. Luſitania & cum timore bellabat, & ſine Paſtoribus mærebat. Polonia ſub Rege anxio & animi ambiguo fluctuabat. Quanto igitur Pontifice opus erat ad hæc mala, quæ univerſam Chriſtianam affligebant Rempublicam, vel expellenda, vel opprimenda?* Cumque probè nôſſet Clemens, ſolere Principes, ubi imperia auſpicantur, multa ac præclara de ſe polliceri, quæ refrigerato paulatim ſpiritu, & aliis ſuccedentibus curis exequi poſteà negligunt: ne quid ſimile ſibi accideret, excitatam de ſuo in Rempublicam animo expectationem magnis fidei atque exiſtimationis ſuæ vinculis adſtrinxit. Vocatis namque ad ſe ſenioribus Cardinalibus, quæ aggredi, à quibus abſtinere decreviſſet pro vindicanda Sedis Apoſtolicæ reverentia, & veteri

Turbatus rerum ſtatus totâ Europâ.

inſtauranda diſciplina, palàm ſignificavit, ut dedecoris ſui teſtes haberet, ſi fidem fefelliſſet.

Quàm pius, & religioſus extiterit?

Itaque ante omnia clementiam, pietatem, religionem optimus Paſtor ſibi exercendam propoſuit: de quibus memoratus Macedo in laudata Panegyri ad ipſum dicta ſic loquitur: *Viget in animo tuo religio, floret pietas, regnat clementia: Tu frequens in templis ingeniculatus oras, antequam alii genu flectant: Sic cœlum precibus pulſas, ceu claves illius non haberes: Tamdiù perſeveras orando, ut videaris nullo urgeri negotio: Cùm facis, nihil aliud tibi faciendum exiſtimas: Orando, petram te reddis immobilem, Petri ſucceſſor: alligas te aris, qui ſolvis vincula: Intrà Eccleſiam es in centro, peripheriam habens ubique: Officii divini penſum ita reddis ut debitor; inſtas ut creditor; & ſæpè in die appellas; nec niſi eo perſoluto quieſcis. Operaris divina tanto affectu, ut ardeas; tanta pietate, ut colliqueſcas; divina pati videris, cùm agis. Sacrorum publicas functiones ſic obis, ut Pontifex maximus; ſic iis interes, ut monachus minimus; citò & aſſumis majeſtatem, & ponis. Nimirum cùm facis, imperas; cùm audis, obaudis; ſilentium & ſervas, & indicis: Eccleſia Paſtor, intra Eccleſiam agis oviculam præ reverentia: nimirum propiùs ſentis Numen, cùm tamen illud ubique geras: In locis ſacris hominem te tantùm eſſe meminiſti.* Hactenus de religione ejus ac pietate Macedo: clementiam verò ejusdem his verbis exprimit.

Quàm item clemens, & patiens audiendis pauperum clamoribus.

Porrò partes hominis apud Deum, Dei apud homines agis: beneficia diſtribuis; pluis eleemoſynis; jura dicis, leges ſtatuis, abſolvis inſontes, punis ſontes. Quacunque hora miſer ingemit, illum audis: Nemo te interpellat, qui te appellat: patent aures & fores tuæ, uti apud Deum fieri amat, ſupplicantibus. Agis in palatio Publicolam; foras erumpis, & patefacis: aures accomodas, ita ut miſeris ad miſericordiam aperias: Litigantibus unam aperias, alteram claudas ad juſtitiam: nam ſi uni ambas dares, juſtum negares: Multis inauditis levamen affers; nemini inaudito infers gravamen, &c. Bis in hebdomada aditum præbuit cuilibet de populo, ut ſuas ad ſatietatem exponerent queremonias: unde ipſis præſidium, vel ſolatium; Magiſtratibus verò metus, ne ſi delinquerent, ad Pontificem deferrentur. In hac oneroſa occupatione adeò clementem ſe præbuit, ut quadam die cùm plures horas audiendis, qui aderant, feſſus & exhauſtus recederet, ad vocem præteritum ſe querentis, pedem illicò referens, iterumque ſellam ingreſſus, ac ſi tum primùm auditum accederet, hominem fari benignè invitaverit, & quantum licuit, lætum dimiſerit.

Noſocomia viſitat.

Ultrà hæc, languentium Noſocomia ſæpiſſimè inviſebat, & ægrotis æger plerumque miniſtrabat. Idem pietatis officium exhibebat etiam Religionis causâ peregrinantibus, quorum duodecim quotidiano convivio reficiebat in palatio Apoſtolico, tanta quidem pietate & humilitate, ut nonnulli hæretici honeſto loco nati, ſimulata paupertate inter eos duodecim diſcumbentes, quo propriùs rem cognoſcerent, veritate inſperata victi (errorem enim à parentibus, ac magiſtris propinatum cum lacte hauſerant, *nihil ſuperbiùs aut ambitioſiùs Romano Lucifero eſſe*) hæreſim ejuraverint.

Pauperes alit

Ne juvenes Romæ ſeducantur, curat.

Dum autem in quotidiano advenarum ad Urbem peregrinantium concurſu ſæpè fieret, ut nobiles juvenes Tranſalpini à ſuſurronibus ac perditis hominibus ſeducti, vitia potiùs, quàm virtutes

Roma-

Romanas, magno Sedis Apoſtolicæ detrimento, agnoſcerent, curavit, ut per viros probatæ fidei excepti, omni humanitatis officio colerentur, futuri apud ſuos *Romanæ* Curiæ teſtes, animoque in Eccleſiam Catholicam æquiore. Huic negotio inter alios propoſuit Jacobum Elephantucium Ravennatem, quem morum ſuavitas, eruditio, prudentia, ac exteris quoque perſpecta virtus mirè commendabat. Mandavit etiam, ut bis in ſingulos menſes tribus in Templis (nempè *S. Viti* apud S. Mariam majorem, *S. Nicolai* propè Cæſarinos, & *S. Ægidij* apud S. Petrum) à viris religioſis pietate, zelo, ac idiomatum peritia claris, pauperes undique Romam confluentes, myſteriis ac moribus ad Chriſtianam fidem ſpectantibus imbuerentur, ac larga ſtipe, ſi proficerent, donatentur, quaterque quotannis in feſtis celebrioribus ſacra ſynaxi reficerentur, diſtributis cuilibet eorum cum Apoſtolica benedictione ſacratis nummiſmatibus. Quæ omnia in hanc uſque diem, ſummo pauperum emolumento, & frequentia, religioſè admodùm obſervantur.

Pauperes peregrinos benignè habet.

Tantæ prætereà religionis clementiſſimus Princeps erat, ut quoties per negotia & valetudinem liceret, ipſemet pœnitentium confeſſiones plures per horas in templo Vaticano exciperet; iiſque expiatis non priùs ad negotia rediret, quàm Martyrum ſepulchra, aliaque id genus religioſa id loca penè incomitatus adiiſſet. Quibus per famam auditis, nonnulli clari nominis viri hæretici, veluti naſcentis Eccleſiæ moribus reformati, magna veneratione Romam adibant, ut *Sacerdotem de cælo* (ita eum ipſi appellabant) *delapſum* venerarentur.

Publicè confeſſiones pœnitentium excipit.

Hinc Comes Berthemienſis, Dominus regionis inter *Amiſem* & *Luppiam* Holandiæ amnes, Weſtphaliſque conterminæ ſatis amplæ, & magnæ expectationis, ejurata hæreſi Calviniana, fidem juravit Catholicam, nullo alio ad id motus impulſu, niſi ſanctiſſimi Pontificis exemplo, quòd diceret; *Fidem, quam tam pius Princeps profitetur, erroneam eſſe non poſſe.* Tanti viri converſionem quamplurimi nobiles plebeique ejuſdem regionis ſecuti, magnam Romanæ fidei acceſſionem fecêre: qua occaſione totus Daventrienſis Comitatus, olim Epiſcopatui ſubditus, pedo Monaſterienſi adjectus eſt, ſtudio ac labore Chriſtophori Bernardi Epiſcopi Monaſterienſis, cujus gladio opus erat ad excolendos populos in religione Catholica. Quandoque enim ſine injuria Evangelij armantur Epiſcopi, ſi tamen pro fide non pro augenda familia pugnant. Eodem tempore Proceres etiam Ducatûs Mexovienſis in Polonia ſalutare decretum ediderunt, quo pœna capitis infligebatur in Hæreticos, Schiſmaticos, ethnicoſque, niſi quàmprimùm verſo ſolo Mexovienſi aliorſum migrâſſent; plaudente Clemente IX. litteriſque Apoſtolicis opus urgente. Quin & in Gallia Turenius vir primariæ nobilitatis, & rei militaris ætate ſua facilè princeps, ſed hæreſi à puëro innutritus, & impensè favens, vix lectis Clementis litteris, quibus ei ſanam ſuadebat fidem, cooperante divina gratia, in ſinum Romanæ Eccleſiæ ſe ſe recepit, altùm ingemiſcente hæreſi, tanto amiſſo capite.

Hæreticos ſui famâ, ſua virtute convertit.

Comes Berthemienſis fidem Cath. amplectitur.

Edictum adverſus Hæreticos in Polonia promulgatur.

Turenius fidem Romanā profitetur.

Porrò Ratiſponæ cùm Germanica convenîſſent comitia, ac plura non tam Orthodoxi quàm hæterodoxi Principes adverſus

S. Sedis auctoritatem ſartam tectam tuetur.

ſanctæ Sedis auctoritatem machinarentur, Clemens Pontifex Deo fretus, aſſiduis cohortationibus Catholicos excitando, præcipuè Guidobaldum Cardinalem *de Thun*, Archiepiſcopum Salisburgenſem, qui tum comitiis Cæſaris nomine præſidebat, denique exauditus pro reverentia ſua, omnia diſſlavit. Cæterùm hæreticos Principes ita ſibi clementiâ ſuâ, ac ſpectabili virtute devinxerat, ut niſi præpropera morte ſublatus eſſet, ſpes magna fuiſſet, ipſos in ovile Chriſti aggregandi. Extant adhuc litteræ Pontificiæ in Regiſtro Romano ad Julium Franciſcum Saxoniæ, Angriæ, & Weſtphaliæ Ducem datæ, quibus eum ampliſſimè dilaudat, quòd in ea regione fidem Catholicam propagare ſtuduiſſet. Zelo non minore Belgium ſervavit, cùm Hiſpanis ſubito Gallorum bello perculſis perſuadere Holandi conabantur, ut eam ſibi Geldriæ partem, quæ inter Vahalim Rhenumque Holandiæ contermina Regi Hiſpano ſubeſt, in pignus extraderent. Nam cùm Suecus miles pecuniâ citra moram eſſet conſcribendus, quæ Hiſpanis exhauſto ærario deficiebat; Holandi verò, quorum res quoque agebatur, eam mutuò offerrent, ea tamen lege, ut Geldriam haberent in hypothecam, donec pecunia reſtitueretur; plures videbantur plaudere Hiſpaniæ magnates, quaſi non aliter Belgium ab hoſte Gallo ſervari poſſet. Clemens per Borromæum, qui tum Nuncium in Belgio agebat, diſcrimen edoctus, oblato aliâ viâ ære, acriter reſtitit, inclinatoſque jam in malum animos, ad conſilia ſaniora traduxit: ac Reginam ipſam domeſticis vexatam diſſidiis, unde toti Hiſpaniæ imminebat naufragium, ſcriptis ſua manu litteris erexit, omnemque diſcordiam, pacatis hinc Gallis, inde Luſitanis Reginæ adverſantibus, compoſuit.

Julium Saxonem ob fidei zelũ laudat.

Geldria, ne Holandis oppignoretur, proſpicit.

Turbatis Hiſpaniæ rebus ſuccurrit.

Anteà etiam Jacobo Roſpilioſio nepoti, tertium jam annum Internuntij Apoſtolici munere Bruxellis fungenti, Gallis occaſione Ghiſiæ legationis apprimè noto, injunxerat, ut reverſurus Romam, iter in Galliam flecteret, cultuque privato Ludovicum XIV. Regem (quem fortuna proſpera duriorem ad pacis ſtudia feciſſe videbatur) adiret, eundemque per ſacra omnia precaretur, ne tempore tam neceſſario, quo Turca Italiæ formidandus immineret, Chriſtianæ Reipublicæ deeſſet; ſed cohibito pauliſper armorum ſuorum curſu, antequam largiùs imbueretur Chriſtiano ſanguine, æquis conditionibus diſceptationes ſuas tranſigi vellet: omnem ejus rei curam Clementem prō paſtorali munere libenter ſuſcepturum, & ſi res poſceret, ipſum in Galliam, aut quocunque terrarum perpetrandi præclari operis ſpes invitaret, affecta quamvis ætate, & attrita valetudine, haud gravatè migraturum. In eandem ſententiam primis Pontificatus ſui diebus ad utrumque Regem litteras manu ſua diligentiſſimè ſcripſerat, nullumque apud eos, quod rei promovendæ idoneum putabat, paternæ cohortationis officium omiſerat. Roſpilioſius patrui Pontificis mandata impigrè executus, animum Regis flexit, jecitque fundamenta præclaræ illius amicitiæ, quæ inter Ludovicum & Clementem magno Reipublicæ Chriſtianæ emolumento poſteà coäluit. Securus itaque Clemens de ſincera in ſe ac rem Chriſtianam Regis voluntate, Nuncios extra ordinem pacis componendæ cauſa legavit ad Cæſarem, ad Reginam Catholicam, & ad ipſum

Galliæ Regem ad pacem inducit.

Seipſum ad componendam pacem offert.

Nuncios pro pace ad Principes expedit.

ipſum Ludovicum, cùm paulò antè Nuncio Colonienſi mandâſſet, ut Aquiſgranum petens, Comitiis ibidem de pace futuris pontificio nomine intereſſet. Galli namque, Hiſpaniquc convenerant, ut unus Clemens totius controverſiæ dirimendæ arbiter & ſequeſter eſſet: licèt enim in Hiſpanos Clemens propendere videretur, quòd ibi Nuncius Apoſtolicus multa ac præclara accepiſſet honoris & benevolentiæ argumenta, ea tamen erat Clementis virtus & æquitas, ut Gallus non dubitaret habere eum caduceatorem. In medio ergo victoriarum curſu Gallus poſitis armis Pontifici obſecutus, pacis conditionibus in Comitiis Aquiſgrani pro tranquillanda Europa initis ſubſcripſit, remque adeò memorabilem, totique Reipublicæ Chriſtianæ proficuam Clementi ceu auctori in acceptis retulit. Ex quibus liquidò conſtat, nihil eſſe tam arduum atque prædurum, quòd auctoritas Pontificia non emolliat aut impetret, ubi quærit, quæ Dei ſunt.

Pacis arbiter electus, pacē componit.

Simili modo cùm in Palatinatu ſuperiori decem Monaſteria Ordinis S. Benedicti, aliorumque Regularium, magnis dotata latifundiis, à Ferdinando II. Imperatore occaſione ſeditionis Bohemicæ erepta Friderico Comiti Palatino, Maximilianus Dux Bavariæ ab Urbano VIII. ad annos quindecim ea conditione obtinuiſſet, ut eorum fructibus erogatam in bello Bohemico pro Imperij Romani incolumitate pecuniam compenſaret, ſed quadraginta jam annos cum magno Ordinum detrimento in Bavari poteſtate manſiſſent, fruſtrà reclamantibus Innocentio X. & Alexandro VII. Clemens IX. vix manum operi admovit, & ecce Franciſcum Mariam ſucceſſorem Maximiliani obſequentem habuit & rerum ſacrarum reſtitutorem. Sic poſt annos fermè centum & viginti, quæ ab Hæreticis inique occupata, priſtinæ reſtituta ſunt diſciplinæ.

Monaſteria Bavariæ Duci elocata recuperat.

Gallos etiam Epiſcopos, qui aliquot jam annos formulæ ab Alexandro VII. editæ ſubſcribere recuſaverant, ſua flexit auctoritate, & ad Sedis Apoſtolicæ obſequium traduxit. Pari felicitate Harduinum *de Perefixe* Archiepiſcopum Pariſienſem ad reſtituendos, quos inconſulta ſancta ſede expunxerat feſtos dies, adegit. Omitto diſciplinæ ſtudium ad gentes ab orbe noſtro ſemotas, & ſi religionem excipias, immanes adhuc & barbaras extenſum: inter quas Jacobus Patriarcha Majoris Armeniæ, Romanum quidem non abhorrens primatum, ſed Armenorum erroribus (quos Florentinum ſub Eugenio IV. damnavit Concilium) *de aqua præſertim in Miſſa ſacrificio vino non immiſcenda*, pollutus, monitus, & graviter increpatus, ritum libenter Romanæ Eccleſiæ revocavit ad uſum.

Gallos Epiſcopos ad obſequium S. Sedis reducit.

Armenos ad obedientiam flectit.

Incredibili etiam ſollicitudine Luſitanos magno rei Chriſtianæ commodo Hiſpanis reconciliavit. Bellabant jam inde ad anno 1640. Hiſpania & Luſitania geniis, ſtudiis, armis contrariæ. Tenuerat bellum annos viginti & octo pertinax, acre, cruentum, quod involvebat omnia penè gentium arma, & nemo, qui Pacificatorem ageret, erat. Inter Bragantiæ Ducem Joannem IV. Luſitaniæ Regem, & Philippum Catholicum lis erat de ſucceſſione legitima in regnum Luſitanum: ſibi reſtitutum cùm contenderent Bragantini, uſurpatum dicerent Hiſpani; Urbanus VIII. Innocentius X. & Alexander VII.

Luſitanos cum Hiſpanis diu diſſidentes conciliat.

Xxxxx 2 Orato-

Oratorem obedientiæ Romam miſſum à Joanne IV. admittere noluerunt, ne offenderent Hiſpanos. Obiit Joannes anno 1660. regni ſucceſſorem relinquens Alphonſum primogenitum ſub matris tutela, quæ ut pacem à Philippo æmulo impetraret, auri millonem offerebat in ſingulos annos, quatuor item peditum millia, atque octo naves præſidiarias, veluti pignus fidei, quòd Bragantini Luſitaniam acciperent ab Hiſpanis in Feudum. Philippus autem vindictæ juxtà ac regni cupidus nihil admiſit. Sublato è vivis Philippo III. Alphonſum etiam, ob corporis impotentiam, exauctoravérunt Luſitani, eundemque, ne negotium faceſſeret, in Inſulas Canarias deportârunt. Eadem die Clerus nullum declaravit conjugium Reginæ, Magnates verò regni incapacem. Petrus Alphonſi frater natu minor thorum ſcandens & thronum fratris viventis, animum ad pacem convertit, quæ ea conditione firmata eſt, ut tam Hiſpani, quàm Luſitani paribus conditionibus retinerent ea omnia, quæ poſſidebant, antequam Caſtillia uniretur & Luſitania, exceptâ Ceutâ, quam habuerunt Caſtellani. Res hoc modo compoſita, Romamque delata, à Clemente pacis amante ſolemni calculo confirmata eſt, qui ſtatim & electionem Epiſcoporum hactenus improbatam confirmavit, & legationem, quam Rex Luſitaniæ magnificam adornavit, ſuſcepit. Ab anno enim 1640. uſque ad præſentem 1678. ne Hiſpanos aula Romana offenderet, neque legationem admiſerat Luſitanam, neque Epiſcoporum poſtulationem. Peragravit tam lætus nuncius univerſæ ditionis vaſtitatem, & ad quatuor terrarum plagas inſonuit, in quas nomen penetravit Clementis, & attraxit ad ſonum ſtudia remotiſſimorum Africæ, Aſiæ, Americæ populorum, occiduæ illius Europæ pactis Luſitaniæ appendicum.

Luſitanos in gratiam recipit.

Ut ut verò Clemens in omnem terram ſolicitudinem ſuam extenderit, nihil tamen ejus curam magis acuit, quàm incuſſus à Turca metus: ità jam Cretenſi bello attritis Venetorum opibus ac viribus, ut hi, conclamatâ Cretâ, pacis cum barbaris per æqua per iniqua tranſigendæ conſilia inire certiſſimò cogerentur, niſi prævalido aliquo præſidio, abruptâ omni morâ, ſuccurreretur. Amiſsâ verò ampliſſimâ ac munitiſſimâ Inſulâ, retinendo maris imperio maximè opportunâ, facilè erat ſuſpicari, quid finitimis Chriſtianorum provinciis ab inſolenti victore expectandum eſſet? Itaque confugit Clemens ad conſuetum Deceſſoribus ſuis remedium excitandi ad bellum ſacrum omnes Principes Chriſtianos. Omiſſa tamen eſt ſacri fœderis mentio, quod velut magnæ molis opus, multiſque impeditum difficultatibus, longiori tempore, Cretæ verò extremum periculum præſenti auxilio indigeret; cùm præſertim ſuperiorum temporum exempla oſtenderent, hujuſmodi fœdera plus apud poſteros gloriæ, quàm apud ſocios præſidii habere: utiliùs itaque, expeditiuſque viſum eſt, unumquemque maturas pro virili ſuppetias ferre, rejecto in aliud tempus fœdere.

Turcâ Cretam obſidione premente, Principum Chriſtianorū opem implorat.

Fœdus in aliud tempus rejicit.

Incredibile dictu eſt, quanto ardore animorum Principes Chriſtiani pro ſe quiſque Clementis vocibus quaſi claſſico quodam excitati, ad commune periculum propulſandum concurrerint, miſſis in ſubſidium Cretæ militibus, tormentis, pulvere, auro, & argen-

argento. Præ aliis verò enituit Leopoldi Cæſaris, Ludovici Galliarum Regis, ac Reginæ Hiſpaniæ pietas animique magnitudo, qui ſe æmulatores avitæ laudis, in expeditione hac tranſmarina pro Chriſtiani nominis gloria ſuſcepta, multa pugnatorum millia cum egregiis Ducibus ac omni neceſſario commeatu, ſuis ſumptibus ſub Pontificio vexillo militatura, obtulêre. Neque defuêre è ſacro Cardinalium Collegio plures, qui in publicæ cauſæ defenſionem, præter ſtudia preceſque, ingentes opes & ſubſidia conferrent. Ipſe Pontifex nihil omiſit, quo tanti belli molem paratiſſimâ pecuniâ, copiis, navibus, tormentis, ducibus juvaret; ne plus officiis, quàm exemplo cæteros incitare videretur. Et ſanè trecenta aureorum millia pro comparandis neceſſariis, Venetis ultrò donâſſe repertus eſt. Quin & ordines S.Georgii in Alga, S.Hieronymi Feſulani, & Jeſuatorum, Eccleſiæ parùm utiles viſos, juſtis de cauſis ſuppreſſit, eorumque fundos in Veneta ditione poſitos, ad uſum belli ſacravit: verbo nihil conſilii, nihil opis aut operæ in ſe deſiderari paſſus eſt, quod arcendo tanto hoſte opportunum videretur aut neceſſarium.

Excitati Principes Clementi obſequuntur.

Ipſe Clemens aliis exemplo præit.

Sed inter hæc ad extrema jam redactis Cretæ Urbis defenſoribus, cùm res ipſis arctiores in dies fierent, & crebri tormentorum ictus, ac fœdæ cuniculorum, miſſiliumque ignium ſtrages vix ullum receptui locum reliquiſſent: contrà verò creſceret in immenſum hoſtium numerus, ardor & audacia; viſus eſt ſibi Franciſcus Dux Bellifortius regiæ ſtirpis vir, & belli gloria inclytus (qui tum duodecim Chriſtianorum millibus cum imperio præerat) rem forti milite, ac ultima deſperatione dignam facturus, ſi lectiſſimorum juvenum manu ſtipatus in Turcarum nil tale metuentium caſtra derepentè irrumperet: fortuna cœptis annuente facilè hoſtem profligari poſſe, arbitraturus. Utque erat præfervidi vir ingenii, prima nocte incredibili ardore ac fortitudine hoſtem in ipſa ſtatione invadit. Et res ſanè ex voto ceſſiſſet ſubitâ re conſternatis, & effusè fugientibus Turcis, niſi nondum expiatæ cœleſtes iræ eam Chriſtianis armis felicitatem abnuiſſent, verſo in noſtros metu, fortuita nitrati pulveris conflagratione; ex qua ſuſpicati ſe in hoſtium inſidias incidiſſe, terga verterunt, fruſtrà inclamante Bellifortio fugam ſiſterent; vanum eſſe terrorem; victoriam in manu verſari. Quo cognito Turcæ, animis viribuſque collectis, magno numero pedem in noſtros intulêre, & ad unum propè omnes fortiſſimè dimicantes cum ipſo Bellifortio interfecêre.

Dux Bellifortius in Turcas erumpit.

Improſperè pugnat, & occumbit.

Atque hic Cretici belli finis fuit. Amiſſo enim tanto Duce, & Gallici roboris flore attrito (reliquo Chriſtianorum exercitu, in quo ſpes omnis ſita erat, infauſtam expeditionem averſante) Veneti pacis conditiones accepêre ſatis pro eo rerum ſtatu æquas & honeſtas. Ut inde facilè conjicere poſſimus, quàm ſecundos belli exitus ſperare licuiſſet, niſi omnia, à Clemente tam ſapienter diſpoſita, fortunæ temeritas evertiſſet. Creticum hoc bellum eleganter, fusè, & verè deſcribit Joannes Palatius *in Vita Clementis X. n.16.& 17.* quem legendum ſuadeo.

Creta deditio.

Incredibili dolore Clementem perculit malè geſtæ rei nuntius: ne-

Clemens Belliſortio exequias agit. neque diſſimulare illum potuit, in omni ſermone atque congreſſu publicam deplorans calamitatem. Ducis Belliſortii acerbum obitum in primis doluit, eique exequias apparatiſſimas fecit in Templo Beatæ Mariæ Capitolinæ, quibus ſacrum Purpuratorum Collegium ſolemni ritu interfuit, excitato eximii artificii, ac miræ magnitudinis cœnotaphio. Non tamen Clemens inani comploratione tempus terebat, ſed die noctuque inquies animus, cùm tantâ victoriâ inſolentem auctumque viribus Barbarum proxima quæque torrentis inſtar invaſurum timeret, nova à Chriſtianis Principibus auxilia comparare eſt aggreſſus; quæ quò ampliora firmioraque eſſent, de ſacro fœdere inter eos feriendo cogitavit; ut quàm maximis poſſent conſcriptis copiis circumlato belli terrore, & in plures provincias, qua cuique expeditiùs eſſet, impetu facto, non ſolùm à noſtris cervicibus Turcam averterent, ſed ad ejus etiam evertendum imperium viam ſternerent.

Nova in Turcas auxilia ſollicitat.

Verùm hæc animo agitantem Clementem ſubita vis morbi corripuit: unde converſi homines à Cretenſis infortunij lacrymis ad triſtiorem de Pontificis vita metum. Ac primò quidem remiſſus aliquantulum morbi impetus ſpem haud dubiam per aliquot dies fecit ejus evadendi; donec eo pertinaciùs inſultante corpori ſenio curiſque confecto, ita ex improviſo concidit Clemens, ut omni ſpe conclamata inter ſuorum manus illicò expiraturus crederetur. Cùm tamen à tam præcipiti caſu paulìſper ſe recepiſſet, mente adhuc integra convocari Senatum juſſit, ut illi Eccleſiam de more commendaret, & ſeptem ejus ſubſellia ſuis orbata Patribus pari numero impleret. Quibus confectis, poſt ſumptum immortalitatis epulum, magno omnium dolore laudatiſſimam vitam concluſit die nona Decembris, anno ab orbe redempto 1669. ætatis 69. regiminis ſecundo, & menſe quinto. Sepulchrum nactus temporarium in Baſilica Liberiana. Eum pro funere laudavit Auguſtinus Favoritus celebris orator.

Ægrotare incipit.

Sancte moritur.

Conſtans fama fuit, Cretæ caſum interitum Clementis maturâſſe. Triduo enim poſtquàm acceperat Cretam in hoſtium poteſtatem veniſſe, in eum incidit morbum, neque eo ſæviente perſuaderi potuit, ut à ſolicitudine rerum publicarum vel paululùm conquieſceret. Simili dolore Nicolaum V. Hadrianum VI. Pium V. Conſtantinopoli, Rhodo, ac Cypro à Turca ſubactis, occubuiſſe memoriæ proditum eſt. Ut divina Providentia magnas Eccleſiæ calamitates in Pontificum vitæ ſanctimonia, atque animi virtute longè præſtantium, tempora ſervâſſe videatur.

Mors Clementis omnibus luctuoſa. Clementis obitus triſti præter morem luctu implevit Urbem, veriſſimè profitentem, nullum aliquot abhinc ſæculis Pontificem majus ſui deſiderium reliquiſſe. In eo ſanè ſingularis fuit Clemens, quòd ingentem de ſe excitatam expectationem non ſolùm non fefellit, ſed magnoperè etiam ſuperavit; atque in Pontificatu maximo ita ſe geſſit, ut ad eum planè natus, omnium calculo, videretur. Præcipuum illi negotium, uti diximus, fuit Creticum bellum: non tamen aliis quamplurimis, maximiſque exterarum præſertim gentium curis defuit, quamquàm & urbanas res minimè neglexit:

Nam

Nam & Populum Romanum primis Pontificatus diebus ingenti gaudio perfudit laxatâ (ut inſinuavimus) liberaliter annonâ, & ſublato vectigali, quod ſuperiorum temporum injuriâ, rei frumentariæ impoſitum, grave inviſumque plebi erat. Quod factum per ſe illuſtre, longè illuſtrius fecit animi magnitudo, qua Edictum conſcribi juſſit, nullâ factâ ſui mentione, ſed totâ re Alexandri VII. providentiæ & benignitati tributâ, qui pecuniam in id magna ex parte reliquiſſet. Idem fecit in ſumptuoſiſſimo periſtromate, quo interiores Vaticani Templi parietes in ſolemnioribus Sacris veſtiri ſolent, quod ab Alexandro incœptum, ipſe ad totius Templi ambitum perduxit, ſtellis montibusque contextum Chiſiæ gentis. Et hæc quidem pauca de multis grati in deceſſorem ſuum animi indicia fuêre. Illud verò humana infra ſe habentis omnia luculentum extitit quòd ſignum, Ponti Ælio à ſe inſtaurato, & ſimulacris marmoreis elegantiſſimè exornato, nullum vel nominis ſui, vel Roſpilioſii ſtematis argumentum incidi permiſerit. Imò uſque adeò humanæ gloriæ contemptor fuit, ut ne mortuo quidem ſibi ullum erigi honorificum monumentum ſit paſſus, relictâ breviſſimâ Epigraphe à ſe conſcriptâ, vix nudum nomen, & dignitatis ſuæ titulum indicante, quæ rudi lapidi in pavimento Baſilicæ Liberianæ inſcriberetur. Sed utrâque in re Clemens X. ejus Succeſſor publico voto, & poſterorum eruditioni conſuluito, inſcripto Statuæ baſi ad exitum Pontis Ælii nomine Clementis XI. brevi cum rei ab ipſo geſtæ narratione; & excitato in illuſtriori Baſilicæ Liberianæ parte magnifico, & eximiæ artis Sepulchro cum ejusdem Clementis ſtatua, & hac Inſcriptione:

Clementis animi magnitudo.

Ejus in Alexandrum gratitudo.

Ei Clemens X. ſucceſſor ſepulchrum conſtruit.

CLEMENTIS IX.
ÆTERNÆ MEMORIÆ PONTIFICIS MAGNI CINERES, NE ABSQUE ULLO SEPULCHRI HONORE, SICUT IPSE JUSSERAT, HUMI LATERENT,
CLEMENS X. PONTIF. MAX.
BENEFACTORI SUO
Et ob ſpectatum fidei zelum, ob egregiam erga omnes beneficentiam & charitatem, De re Chriſtiana optimè merito grati animi monumentum poſuit Anno Domini
M DC LXXI.

Clementis Epitaphium.

Multa de induſtria præterimus à Clemente Romæ, foriſque præclarè geſta, quæ fusè & ordine proſequitur Oldoinus in vita. Nobis pro coronide ſuffecerit indicâſſe, ab illo ſolemni ritu in Beatorum numerum relatam eſſe ſpectatæ ſanctimoniæ Virginem Roſam Limenſem Ordinis Prædicatorum: Alboque ſanctorum inſcriptos Petrum de Alcantara Ord. Minorum Reformatorem, & Mariam Magdalenam de Pazzis Virginem Florentinam Ordinis Carmelitarum, ambos eximia pietate, caſtimonia, vite auſteritate, prophetiæ dono, & miraculis claros.

Quos Beatorum, ac Sanctorum numero adſcripſerit?

SCRI-

S C R I P T A.

Ejus Scripta. Scripſit Clemens ante Pontificatum, dum Urbano VIII. ab epiſtolis eſſet, inſigne Volumen variarum Epiſtolarum pontificio nomine ad Reges Principes, Præſules, Magiſtratus &c. datarum.

Item varii generis Poëmata, Hetruſco ut plurimùm ſermone, præſertim Drameta Chriſtiana, in quo ſcribendi genere, doctorum judicio, Græci cothurni gloriam æquâſſe juſſus eſt.

Nonnulla etiam Epigrammata, Hymnos ſacros, & Odas.

Elogia virorum illuſtrium, Inſcriptiones, Epitaphia &c.

Orationes plurimas, præſertim in Conſiſtorio dictas, ſtyli venuſtate, ſpiritu Apoſtolico, & ſententiarum pondere graves: quo in genere nemini ſuo ævo ſecundus eſt habitus.

Orationem Apologeticam pro Innocentio X. ad Regem Hiſpaniæ Philippum IV. ſeu, quod idem eſt;

Defenſorium Jurium, & dignitatis Sedis Apoſtolicæ.

Litteras Apoſtolicas ad Reges Hiſpaniæ & Luſitaniæ pro pace inter eos Reges, & gentes componenda.

Similes alias ad Guidobaldum Cardinalem de Thun Archiepiſcopum Salisburgenſem, eo tempore Comitiis Ratisponenſibus Cæſareo nomine præſidentem, quibus eum ad tuendam Catholicam Religionem, & Sedis Apoſtolicæ auctoritatem, quam Hæretici imminutum ibant, hortatur.

Gratulatorias ad Turenium primariæ in Gallia nobilitatis virum, reique militaris ea ætate facilè principem, quando eis ejuratâ hæreſi, in Romanæ Eccleſiæ ſinum ſe recepit.

Ad Julium Franciſcum Saxoniæ, Angriæ, & Weſtphaliæ Ducem, quòd monitis pontificiis obſequens, ea in regione fidem Catholicam propagâſſet.

Ad Nobiles Ducatus Moxovienſis in Polonia, quorum recens editum Decretum, quo pœna capitis ſtatuebatur in Hæreticos Schiſmaticos, Ethnicosque, niſi quàm primùm aliò migraſſent, ampliſſimis verbis collaudat, ac approbat, & ut nullâ morâ executioni mandetur, hortatur.

Regulas pro Congregatione recèns à ſe inſtituta, cujus cura eſſet ineundæ rationis, qua ditionis Eccleſiaſticæ populi tributis & oneribus prægravati levarentur.

Regulas item pro Congregatione pariter à ſe inſtituta, in qua ſacrarum Indulgentiarum, & Reliquiarum materies, aliaque huc pertinentia diſcuterentur; ac omnia ritè, & ex præſcripto ſacrorum Canonum fierent.

Extant etiam Clementis Litteræ ad Caſimirum Poloniæ Regem, ejusque poſteà ſucceſſorem Michaëlem Viſnowiskium, Item ad Moſcorum Principem; Regem Perſarum, aliarumque in Aſia Turcico Imperio finitimarum gentium Reges, ut implicatum Europæ bellis communem hoſtem valido pro ſe quiſque conatu adorirentur: ne ſi Chriſtianos Principes ſuperaſſet, idem ipſos ab immani victore infortunium maneret.

Lau-

Laudatur denique Clemens ab hoſte Pontificum Romanorum cæteroquin acerrimo Jacobo Hoffmanno Baſileenſi in Lexico Hiſtorico his ferè verbis : *Fuit Clemens IX. Papa gente Roſpilioſius vir commercio litterarum cum omnibus Europa litteratis inclytus: Et alibi; feruntur ejus inſignes litteræ, eruditionis & eloquentiæ plenæ, quæ inexhauſta eum doctrina virum arguunt &c.* Plura non addo.

ANNO CHRISTI MDCLXX.

Imperatore LEOPOLDO I. Auguſto.

DE

CLEMENTE X. Pontifice Max.

CCXLIII *Æmilius Alterius Pontifex ſub nomine Clementis X. ſalutatur.*

MOrtuo Clemente IX. poſt menſium ferè quinque diſſidia, quibus diviſi inter ſe Patres de ſtatuendo ſucceſſore colluctabantur, coëuntibus denique urgente cœlo animis & votis, Tertio Kalendas Majas anno ſalutis 1670. in Petri Sedem ritè illatus eſt Æmilius Cardinalis Alterius non tam annis, quàm meritis, & virtutibus gravis: qui, ut memoriam Clementis Noni, à quo creatus fuerat Cardinalis, gratus renovaret; ſimulque geſtienti populo, quis re ipſa futurus eſſet, dulci vocabulo præmonſtraret, *Clemens X.* dici voluit.

Ejus vitæ primordia.

Hic è pervetuſta & cum primis nobili Alteriorum proſapia oriundus, natus eſt Romæ die 13. Julij anno æræ Chriſtianæ 1590. patre Laurentio Alterio patricio Romano, & Victoria Delphinia, Flaminij Delphinij militari gloria in Belgio & Hungaria clariſſimi ducis ſorore. Æmilius emenſo feliciter ſtudiorum curriculo, à privato litterarum pulvere ad arenam publicam deſcendit, acceſſitque ad Juris Civilis atque Canonici momenta operoſiùs libranda ſub auſpiciis Innocentij X. ea tempeſtate ſacræ Romanæ Rotæ Auditoris, ejus jam tum ſapientiæ particeps, ſucceſſor poſteà futurus Imperij. Gravibus enim lentisque paſſibus cœperat juvenem ad maxima quæque provehere non tam fortuna, quàm virtus; ut per ardua tum Aulæ, tùm Eccleſiæ negotia omnibus anteà probaretur Pontificibus, ipſe olim Pontifex omnibus probandus.

Camertium Epiſcopus creatur.

Primus ei ab Urbanis Tribunalibus in Poloniam gradus fuit: Illuc Jo. Baptiſtam Lancellotum ſequutus Nuncium Apoſtolicum, univerſæ legationis Auditorem egit ſedula rei ſacræ procuratione, inſigni virtutum famâ relictâ, nunquam apud eos populos interiturâ. Inde in Italiam reverſus, Camerinæ primùm Infulæ, mox Lauretanæ Domus Præfecturæ, ac demum univerſi Picœni regimini admovetur. Quibus quidem in muneribus nihil à ſua charitate, prudentia, zelo, vigilantia, ac religione deſiderari eſt paſſus, quod ad concrediti gregis curam, divinique obſequij rationes pertineret. Vix Camerinæ Sedi reſtitutum Æmilium aliò divertere coëgit utilitas publica. Inſolitâ namque aquarum inundatione laborantibus Ravennatibus, in remedium Æmilius ab Urbano VIII. im-

miſſus, excitatis aggeribus, effoſſis canalibus, incolis ſolum reſtituit amœnum juxtà ac fœcundum, utilitate incolarum non minore, quàm admiratione recepti beneficij ex præterito infortunio.

Nuncius Neapolim legatur

Urbano VIII. mortuo, ſucceſſor Innocentius X. Neapolim eum delegavit Nuncium Apoſtolicum; ubi octo annorum ſpatio, inter civiles tumultus, clavum concordiæ tenens, mira veliſicandi dexteritate nullam declinavit in partem, ſed communis interpres conſilia pacis ſemper ſuaſit. Dignus eapropter viſus, quem tota Italia ad reſtituendam mutuam concordiam ſequeſtrem imploraret. Erepto namque rebus mortalibus Innocentio X. cùm ad inveterata Inſubriæ bella recentes Italorum quoque Principum motus accederent, Æmilius ab univerſo Purpuratorum cœtu (creationi pontificiæ tùm intento) cunctis ſuffragiis renunciatur *Angelus Pacis*. Arcanis monitis (mandante ſacro Senatu) inſtruxit eum Fabius Chiſius, mox futurus Pontifex: qui quanti Æmilium faceret, quantùmque de ejus conſilio, prudentia, atque integritate fideret, demonſtravit abundè ſuis ad ipſum datis litteris, etiamnum extantibus: Sed multò magis ſuum de eo ex Apoſtolici ſolij cortina aperuit judicium, quando eum ad ſe vocatum, rejectis æmulis, ſacræ Epiſcoporum & Regularium Congregationi eſſe voluit à ſecretis. Quod quidem munus non tam ipſi domi foriſque labores auxit, quàm omnium cujuscunque ſtatus ac ordinis hominum benevolentiam & amorem conciliavit.

Pacandæ Italiæ negotium ſuſcipit.

Cardinalis à morituro Clemente renunciatur.

Meritò itaque ſuffectus Alexandro VII. Clemens IX. propius ſibi adjunctum Æmilium pontificio præfecit cubiculo, donec noviſſimo Purpuratorum delectu (quem habuit eo tempore, quo animus inter cœlum & terram medius, eſt penè propheta) ſacrum quoque intulit in Senatum. Fuit hoc ut eligenti Clementi ſupremum pontificalium operum, ita electo Æmilio præſagium longè amplioris incrementi. Viſus quippè eſt Æmilius eodem ferè momento & Patribus adſcribi, & eorum mox ſuffragationi inſinuari. Nondum enim acceptis purpurei galeri inſignibus, nondum finitis gratulantium votis, contulit ſe ſe ad Vaticana Comitia. Ibi inter tot molimina operoſæ ſi unquam aliàs electionis, poſt menſium omninò quatuor, pluriumque inſuper dierum moram longè moleſtiſſimam, facto denique operæ pretio, Electorum ſuffragia in laudatiſſimum hunc virum Spiritus ſanctus inclinavit. Solus ille per inauditam animi magnitudinem obſtitit non ſine precibus & lacrymis plurium horarum ſpatio dignitatem ampliſſimam averſatus. Et rejeciſſet omninò pontificiam thiaram inexorabilis ad vota, niſi piâ quadam violentiâ, pontificalibus ornatus indumentis, ad ſolemnem inaugurandi locum (ſive ad Sacellum, quod *Scrutinij* appellant) pertractus potiùs, quàm deductus fuiſſet. Salutatus igitur ab omnibus ſummus Pontifex Clemens X. tertio Kalend. Maij; tredecim pòſt diebus, triplici diademate coronatus eſt.

Invitus & reluctans Pontifex creatur

Jubilæum indicit.

Pontificatus exordium deſumpſit ab indictione Jubilæi, quo Orbem Chriſtianum excitaret ad Religionis obſervantiam, & *Religio Clementiaq;* ſydera eſſent futuri regiminis. Erat qui apud Cæſarem Leopoldum publicationem Jubilæi ſuſpendere conaretur, donec

nec creatione Cardinalis ex natione Germanica, Cæſari per Clementem IX. quaſi præterito ſatisfieret. Aures tamen ſuſurroni negavit Leopoldus Princeps pius, ſecurus de juſtitia Pontificis, à quo propterea Purpura collata eſt Abbati Fuldenſi Bernardo Guſtavo fratri Marchionis Durlacenſis, non longè antè (ejurato Luthero) ad ſacra Romana converſo. Diſciplinam porrò Eccleſiaſticam, ut repararet Clemens, canones renovavit antiquos, præſertim de Monialium clauſura, & vagantium Monachorum repagulo.

Leopoldo Imp gratum.

Electionis ſuæ quum litteris ſua manu exaratis Cæſarem, Reges, ac Principes certiores feciſſet, poſt auditos eorum Oratores, Paulutium Card. Albertonem, virum litteris & virtutibus ornatum, à ſecretis aſſumpſit, Legatumque Avenionenſem dixit. Poſteà Senatum Purpuratorum aucturus, in eum cooptavit Fridericum Borromæum, Camillum de Maximis, & Gaſparem Carpineum, viros de Republica Chriſtiana officiis, & legationibus optimè meritos, eâ quidem juſtitiæ fama, & plauſu, ut neminem electorum auſus fuerit Paſquillus cenſurâ notare. Tum ad ſacra converſus, primum lapidem Pontifex poſuit in templo B. Mariæ majoris, cujus Sanctuarium, ſeu ſummam partem exteriùs ornare quidem cœperat deceſſor Clemens IX. ſed opus inchoatum, morte præventus non conſummaverat. Id eleganti arte, magnaque impenſa ad cultum Virginis aggreſſus Clemens, anno 1672. perfecit, atque unà ſacros Clementis IX. cineres, erecto nobili ex marmore Mauſolæo, honorificentiſſimè (ut alibi diximus) texit.

Sacrum Senatum viris emeritis auget

B. Virgini Sacrarium, & Clementi IX. ſepulchrum condit.

Plura inter Oratores Principum diſſidia occaſione præcedentiæ exorta, ſua auctoritate & vigilantia compoſuit. Legatum à Duce Moſcoviæ Romam pro ineundo cum Chriſtianis adverſus Turcas fœdere miſſum audivit. Cùm verò Moſcus tumidus, & ſpecioſis nominibus plenus, titulo *Cæſaris* Dominum ſuum à Clemente ſalutari exigeret, renuit Pontifex; quòd diceret: *In Orbe Chriſtiano præter Romanum, nullum alium Imperatorem exiſtere, aut agnoſci poſſe.* Quare Moſcum lautitiis & muneribus cultum, reſponſo vacuum, unde venerat, remiſit. Id quod Leopoldo Cæſari magnoperè probatum fuit.

Oratorum diſſidia componit.

Moſcoviæ Duci Cæſaris titulum negat.

Pacis avidus, Sabaudos & Januenſes de finibus regundis bello implicitos, magno Italiæ commodo, conciliavit. Epiſcopum Monaſterienſem, & Electorem Colonienſem Gallo fœderatos contra Batavos, ad quietem retrahere conatus, non exauditus eſt: hinc cædes, incendia, populationes, quæ Chriſtianæ Reipublicæ imminebant, oraculo prædixit, mœſtus quòd præviſa pericula, interveniente aliorum obice, avertere non poſſet: inde enim Cæſar Hiſpano junctus bellum Gallis indixit, inter quos poſteà pax nunquam plenè convaluit.

Pacem ſuadens non auditur.

In Polonia cùm Archiepiſcopus Gneſnenſis Regni Primas in conſortio Procerum quorundam à Rege Michaële diſcors, patriam Turcarum libidini exponeret; omnem movit lapidem, ut inter diſſidentes concordiam ſtabiliret, ac arma civili bello cruenta in Turcas converteret. Conſpirabant cum Turcis rebelles Hungari, jamque occupatâ Podoliâ, expugnatoque Cameniaco terribiles toti Re-

Arma Polonorum inteſtina in Turcas vertit.

 gno

gno incubabant. Cæſar à Polonis in fœdus vocatus, rebelles Hungaros felici gladio perdomuit, non tamen eorum ferociam ita repreſſit, ut conquieſceret. *Poloni inſignem victoriâ reportant, ſed Regem amittunt.* Poloni auro Clementis excitati, bello Turcis illato, Cocimum, aliaque munita oppida armis expugnârunt, cæſis, deletisque triginta hoſtium millibus. Inſignem nihilominus hanc victoriam funeſtavit obitus Regis Michaëlis, qui tertio Idus Novembris anno 1674. Leopoli eo ipſo momento, quo moriens de Barbaris triumphaverat, contigit.

Clemens pugnat precibus adverſus Elementa noxia. Devictis Barbaris, Clemens precibus bellum indixit Elementis, quæ motu terræ, aquarum inundatione iram Dei portendebant in homines. Exuberantes quippè in Germania fluvij vaſtata ſegete inundavêre agros, prata, villas, magno mortalium jumentorumque excidio. Diſcriminis Italia haud immunis, inſolitis terræ motibus contremuit, & ferè contabuit plurium civitatum, arcium, vicorumque everſione. Ariminum Templorum ruinâ, ædium ſolutione, ſtrage civium jacuit penè in ſeipſo ſepultum. Omnia tamen brevi ad meliorem formam reſtituta auro, precibus, liberalitate, vigilantia Pontificis. Ætate quamvis gravis omnibus accurrebat Clemens, prævidebat prudens, providebat pius. Neminem irreconciliatum paſſus, cœlum precibus, terram ſanctis operibus opplevit: ſicque placatis ſuperis, tranquillitatem hominibus, terræ quietem, fluviis fines, jumentis ſanitatem, omnibus ſalutem invexit.

Mavult Juſtitiæ ſubjici, quàm vim inferre. Cùm Rex Galliæ Ludovicus XIV. Ordini militari S. Lazari, bona Hoſpitalium adjicere tentaret, quæ tanquam Eccleſiaſtica nulli ſæculari jurisdictioni obnoxia eſſent, nec inſcio Pontifice alienari, aut permutari poſſent; Congregationem deſignavit Clemens, quæ in cauſæ juſtitiam inquireret, & quod rectum foret, ſtatueret: in qua licèt ipſe ſupremus & naturalis judex eſſet, maluit tamen alieno judicio ſubjici, quàm juſtitiæ vim inferre videri.

Regiis nuptiis diſpenſat. Eodem tempore, Pontifice diſpenſante, initæ ſunt nuptiæ inter Brigantij Ducem, & Eleonoram ſororem Ducis Mutinenſis, ex qua natus eſt Jacobus II. Britanniæ Rex, pater hodie viventis, exulantis, & Regnum Brittanniæ ſub titulo Jacobi III. prætendentis: de quo multa, ſi libertas ſcribendi eſſet, dicenda forent.

Magnum Jubilæum celebrat. Anno 1674. more ſuperiorum Pontificum, Clemens annum ſacrum, ſeu *Magnum Jubilæum* celebrandum indixit, ad cujus ſolemnitatem inchoändam *Portam* ipſe *ſanctam* aperuit die 24. Decembris, ejuſdem anni: ad cujus memoriam poſteris recolendam ſeptem varij generis & argumenti aurea argenteaque nummiſmata cudi permiſit: *Numiſmata ab eo cuſa.* primum nummiſma cum effigie Pontificis hoc lemate inſignitum fuit; *Cunctis patet ingreſſus:* Secundum, *Fluent ad eum omnes gentes.* Tertium, *Laudent in portis opera ejus.* Quartum, *Benedixit filiis.* Quintum, *Domus Dei, & porta Cœli.* Sextum, *Aperi eis theſaurum tuum.* Septimum, *Aperuit Dominus theſaurum ſuum.*

Numerum Sanctorum & Beatorum auget. Retulit in numerum *Sanctorum* B. Cajetanum fundatorem Theatinorum, B. Franciſcum Borgiam Tertium Soc. Jeſu Generalem, B. Philippum Benitium Servitam, B. Ludovicum Beltrandum, & B. Roſam Virginem ex ordine S. Dominici, uti etiam B. Margaritam Scotorum Reginam, omnes vitæ ſanctitate, & miraculorum gloria illu-

illuſtres. Catalogo verò *Beatorum* inſcripſit Albertum Magnum Dominicanum, Ferdinandum Caſtiliæ Regem, & Ludovicum Albertonum Romanum, mira ſanctitate & ſignis claros.

Exceſſit è vita vir omni memoria dignus die 22. Julij anno reparatæ ſalutis 1676. ætatis ſuæ 86. regimis 6. ſuprà menſes duos, dies 23. laudatus pro funere ab illuſtri ejus ævi oratore Abbate Malagonello. Pontifex pius, comis, prudens, doctus, rerum peritus, juſtitiæ ac pacis amans. Sacrum ejus corpus, poſtquam triduo Romanis ſpectandum patuiſſet, terræ mandatum eſt in Baſilica Principis Apoſtolorum in ſacello *ſacroſanctæ Euchariſtiæ*, quam decedens piè juxta ac devotè pro viatico ſuſceperat. *Ejus obitus.*

S C R I P T A.

Scripſit Clemens X. nonnulla ad Juris Civilis & Canonici ſcientiam ſpectantia. *Scripta.*

Orationem *de bono Pacis* ad tumultuantes Neapolitanos fervente ſeditione dictam.

Sermones plures in Conſiſtorio habitos.

Orationem elegantem in Canonizatione Beatorum Cajetani Thienæi, Franciſci Borgiæ, Ludovici Beltrandi, aliorumque dictam.

Epiſtolas Apoſtolicas varias ad Cæſarem, Reges, Principes, Magiſtratus &c. contra Turcas.

Inſcriptiones diverſas nummiſmatibus viginti duobus ex omni metallo cuſis appoſitas.

Epitaphium Clementis IX. præter alia mm. ſſ.

ANNO CHRISTI MDCLXXVI.

Imperatore LEOPOLDO I. Auguſto.

DE

INNOCENTIO XI. Pont. Max.

CCXLIV

Clementem X. excepit Innocentius XI. Benedictus Cardinalis *Odeſcalchus* anteà vocatus, natione Lombardus, patria Novocomenſis, nobili genere ex patre Livio Odeſcalcho, & Paula Caſtella natus anno reparatæ ſalutis 1611. Cujus Atavi ab illo heroë Odeſcalcho originem ſuam traxerunt, qui nongentis abhinc retrò annis (anno ſcilicet 801.) Viennæ in Delphinatu collectis copiis in Caroli Magni Imperatoris ſuppetias accurrit adversùs Longobardos, immunitatem Eccleſiæ Romanæ, Italiæque libertatem tùm oppugnantes. Pietatem, religionem, zelum fidei gens Odeſcalcha ſemper profeſſa, Bernardo Odeſcalcho promovente, Patres Societatis Jeſu omnium prima Comum induxit, & cum iis, eorumque laudabili inſtituto vitam pœnè ſuam ſociavit. Ex eis, qui Odeſcalchi nomine cenſentur, primus Societatem Jeſu ingreſſus *Ejus generis nobilitas, & antiquitas.* *Odeſcalchæ gentis pietas & religio.*

greſſus reperitur Bernardus, vir doctrina, religione, zeloque fidei præſtans, à Gregorio XIII. in Poloniam legatus & Tranſylvaniam, ut illarum gentium Principes veritatem doceret Catholicam. Virtus huic familiæ cognata individuam ſemper cum ea habuit conſuetudinem: divitiis affluens, nunquam pro libidine, ſemper pro ratione vixit: in læta fortuna alios reſpiciens, Deum ac pauperes præ primis in conſpectu habuit; hos largitionibus, illum erectis aris, ac reſtitutis templis, mira pietate excolens. Plura hic recurrerent Eccleſiaſticis inſerenda Annalibus digna relatu, præſertim illa, quæ de Petri Georgij *Odeſcalchi* primùm Alexandrini, poſteà Viglebanenſis Epiſcopi, pro futura ejus Canonizatione præmiſerunt in ſuo Propylæo ad *Acta Sanctorum Menſis Maij* Franciſcus Baërtius, & Conradus Janningus. At geſta proſequens Innocentij, in aliena deſcendere caſtra haud permittor niſi transfuga, & explorator.

Petrus Georg. Odeſcalchus Epiſ. ſanctitate clarus.

Innocentii XI. primordia.

Hac itaque gente non tam ortus, quàm avita gentis pietate imbutus *Benedictus Odeſcalchus*, politioribus litteris egregiam operam dedit Comi ſub Patrum Societatis diſciplina, Deiparæ Virgini eo cultu, pietate, atque obſervantia à teneris annis addictus, ut horarias ejus preces, Roſarium, Litanias, aliaque id genus Virgineæ pietatis officia nunquam omiſerit. Anno ætatis ſuæ trigeſimo, ſalutis 1637. quamvis peſte graſſante, Novocomô ſecedens, ne à religione & pietate ad vindictam declinare cogeretur contrà nonnullos cives (qui laſcivientes eum ad iracundiam injuſtè provocaverant) in Liguriam conceſſit, Mathematicis operam daturus laicus adhuc: Romæ indè, mox Neapoli (non ut fallax in vulgus rumor invaluit apud Belgas, vel in Tarraconenſi Provincia Hiſpana caſtra ſecutus) ſtudia utriuſque Juris abſolvit: ubi modeſtiæ & Eccleſiaſticæ diſciplinæ famâ cognitus, ab Urbano VIII. Protonotariis Apoſtolicis de numero *Participantium* adſcriptus eſt. Cameræ poſtmodùm Apoſtolicæ Præſidens, Picænum obivit Commiſſarius ad exigendas collectas, iis populis occaſione belli Latini imperatas; eâ tamen clementiâ, ut utenſilia domeſtica, quibus vectigalium exactores villicos expoliabant, nunquam vænire ſub haſta ſit paſſus, ne clamores pauperum auſteriùs agendo concitaret in Principem. Maceratenſium conſtitutus Gubernator cùm adminiſtraret provinciam ſportulas criminales (quas *pretium ſanguinis* appellabat) participare ſemper abhorruit. Hâc famâ Urbi reſtitutus, Clericus primò Cameræ, tum anno 1645. Diaconus Cardinalis SS. Coſmæ & Damiani, ac paulò pòſt Presbyter S. Onuphrij ab Innocentio X. creatus eſt.

Variis dignitatibus ornatur, iiſq; ſancte fungitur.

Ejus in pauperes & afflictos clementia.

Cardinalis creatur.

Auctus hac dignitate, Legatus Ferrariam mittitur eoipſo tempore, quo caritas frumentaria magnoperè vexabat Provinciam. Quantum in eo confideret Pontifex, brevi ſed nervoſo patefecit elogio; *Mittimus patrem pauperum.* Priuſquàm verò in Provinciam deſcenderet, F. Joſephum de *Copertino* Minorem Conventualem, prophetiæ dono ac ſanctitatis opinione clarum, Chriſti verbis conſuluit; *Unde ememus panes, ut manducent hi?* Reſpondente autem Dei ſervo, brevi appulſuras naves frumentarias, ſpe plenus providentiæ divinæ, illicò provinciam ſubiit; & ecce non longè pòſt impleto

Legatione Ferrarienſi fungitur.

to

to navis appulſu vaticinio, providit abundè, æreque ſuo pauperibus alimenta largè ſubminiſtravit.

Anno 1650. creatus Epiſcopus Novarienſis, cùm paſtor veniſſet, non mercenarius, præter patrimonij partem, Epiſcopales etiam redditus prodegit in pauperes. Videntur hodiedum in Cathedrali Novarienſi aurei calices, candelabra argentea, ſacra ſuppellex, ornatus Templi, picturæ nobiles, quibus tholum & chorum exornavit Eccleſiæ. Omnia abſque nomine, & inſignibus, ut declinatâ jactantiâ præceptum impleret Evangelicum; *Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera.* Societatis Collegia Novarienſe & Comenſe, detrimentis obnoxia, æreque alieno gravata, collatâ liberali manu pecuniâ levavit. Comenſe in facultatum anguſtias iteratò redactum, dempto ſibi annuo ſubſidio, reſtituit. Diſciplinam Eccleſiaſticam unica lege ſervavit exempli, quòd homines ampliùs oculis, quàm auribus credant: atteſtante Seneca; *Longum iter eſſe per præcepta, breve & efficax per exempla.*

Inſulâ Novarienſi decoratur.

Ejus pietatis monimenta.

Ambitûs inimicus tantum abeſt, ut dignitates prenſaret, ut ultrò reſignatis Julio Mariæ fratri ſuo Benedictino antiquæ ſeveritatis viro Inſulis Novarienſibus, Romam ipſe ſecederet, non alio animo, quàm ut inter ſacra Martyrum trophæa otium quæreret & munerum vacationem, quæ ſanctis portio vitæ beatioris cenſetur. Romæ vitam iniens verè Apoſtolicam, Congregationibus adſcriptus, juſtitiam eâ religione coluit, ut tribunalia veluti altare conſcenderet. Pro cauſa civili commendationes nunquam legit oblatas, nec ſuſcepit, ſolitus dicere; *Cæcam eſſe juſtitiam: quæ non conſiderat perſonam pauperis, nec honorat vultum potentis.* Salutationes in foro abhorrens, turbas ambientium declinabat, quòd *Tribunalia erecta crederet non ad decorem perſonæ, ſed perſonam electam ad cuſtodiam Magiſtratûs.* Tutelam amplexus Collegij Neophitorum, & Collegio adnexæ Ædis Sanctimonialium B. Mariæ in regione Montium, SS. Annunciatæ; Ordinis fratrum mendicantium S. Hieronymi Congregationis Feſulanæ ſub regula S. Auguſtini (qui ordo non multis pòſt annis ſuppreſſus evanuit) reliquum vitæ vel ad aras inſumpſit devotus, vel in Cœnobiis ſolitarius, ut ibi diſceret & juſtè vivere, & piè mori. Ejus dapes & oblectamenta fuêre Pſalmodia, vel conciones in Templis, quas audiens lacrymarum fluvio proſequebatur ad cœleſtia raptus. In rei domeſticæ adminiſtratione eam poſuit operam, ac ſi daturus rationem, rem curaret non ſuam, ſed alienam. Familiam ſelegit gravem, modeſtam, religioſam; cujus in oculis nil lucidum, nil concinnum in comis, nil ambitioſum in veſtibus, nil turgidum in inceſſu, nil garrulum in ſermone, nil improbum in moribus, ut vel primo aſpectu innocentiam, quam in omni actione profitebatur, agnoviſſes. Quippè famuli herum imitabantur, animatum virtutibus templum, vivum ſacrarium, virum divinis ornatum dotibus, ac mox Eccleſiæ decus, & caput futurum.

Sanctam vivit vitam.

Tutelam variorum monaſteriorum ſuſcipit.

Ejus oblectamenta quæ?

Religioſam alit familiâ.

Nam mortuo Clemente X. riteque funerato, Patres numero ſexaginta ſex die 2. Auguſti anno 1676. Conclave ingreſſi, ac ſuperno lumine irradiati, per Schedulas, nemine diſcrepante, die 21. Septembris Benedictum Cardinalem *Odeſcalchum* dixère Pontificem, renuen-

Pontifex eligitur.

Ejus modeſtia renuentem quidem, & multis cum lacrymis inſiſtentem *Reſpicerent ad meliorem, nec Eccleſiam perderent viro commendantes inutili.* Victus denique, oppreſſusque perſeverantium ſuffragiis, ac precibus, altùm ingemiſcens conſenſit, dicique *Innocentius* XI. voluit, ut gratus renovaret memoriam Innocentij X. à quo purpuram acceperat, & nomen imponeret moribus conſonum præteritis, atque futuris. Ad vulgatum *Odeſcalchi* nomen Roma exultans, feſtivis vocibus ingeminavit, quod olim in aſſumptione Hadriani Imperatoris factum legimus: *Regna ut vixiſti: Benedictus non fuiſſes, niſi Innocentius futurus eſſes.* Ad ſacra pedum oſcula cùm veniſſent Principum Oratores, eam tenuit modeſtiam & animi demiſſionem, ut erubeſcere de oblato videretur obſequio.

Ejus munificentia. Conſecratus decem aureorum millia in ſacrum congiarium Conclaviſtis: quinque millia pauperibus; & quinquaginta Scutorum millia Polonis Catholicis, qui eo ipſo tempore inſigni victoria Turcas profligarant, erogavit. Aulæ poſteà reformatione ſuſceptâ, primam legem edidit pro Livio Odeſcalcho nepote ex fratre, *ut viveret more privati: dignitates non prenſaret: Principatus non ambiret: ſi nubere vellet, rejectis Principum affinitatibus, nuberet pari: à Patruo præter benedictionem, & monita nil expectaret.* Obſecutus imperio Patrui Livius, rarâ Principum modeſtiâ, annis duodecim longævi Pontificatus, quamvis patruo dilectus, nunquam viſus eſt tumeſcere, nunquam laſcivire. Muneribus Eccleſiæ vacuus, auro contentus paterno, moribus innocens, ſic vixit, ut ſolâ modeſtiâ Innocentij nepos agnoſceretur. Quin etiam æmulus ſancti Pontificis, magnam patrimonij partem in ſacrum bellum, pauperumque alimoniam, ac Eccleſiæ ærarium contulit. Idque novum Romanis miraculum viſum: quòd Nepos Pontificis inauditâ modeſtiâ non ſolùm abſtineret à menſa Petri, ſed ultrò etiam Reipublicæ privatum conferret patrimonium.

Nepotem ſalutari admonitione imbuit.

Laus Livii Odeſcalchi nepotis.

Innocentii modeſtia. Coronato Innocentio Symbolum eſt appoſitum percuſſo numiſmate; *Innocens manibus, & mundo corde:* quod tamen Innocentij modeſtia reſpuit atque correxit, ſubſtituta navi Apoſtolorum, fluctibus agitatâ, cum Epigraphe: *Domine, ſalva nos, perimus.* Mala ſcilicet prævidit peſtilentiæ, quæ Auſtriam pænè totam abſumpſit: Belli, quod adverſus Orbem Chriſtianum parabant Turcæ: Inundationis, quæ Romam deformavit: Hæreſis Molinæ, quæ Eccleſiam fædatura caput erexit.

Nepotiſmum ſupprimere ſatagit. Memorando poſteris exemplo omnium primus *Nepotiſmum* ſepelivit (opus quandoque à Prædeceſſoribus inchoatum, ſed nunquam abſolutum) dubius verò, ne poſt obitum reſurgeret, Cardinales excitavit, ut eum ſacramento abjurarent adjecto anathemate. Sed opus cùm jaceat imperfectum, objecto à nonnullis obice, Innocentio in magnis voluiſſe, ſat erit.

Aulam reformat. Domô ſanctis inſtitutis compoſitâ, quæ poſteris erunt documenta ſalutis, ad Palatinos converſus, propè aram ex Aula formavit, ut nuſquam (teſte Macedo in Panegyri) ſeverior diſciplina morum, exercitatior palæſtra virtutis ſit viſa, quàm in Curia Innocentij.

In

Ritum reſtituit antiquũ.

In ſacris peragendis ut priſcum repararet ritum, *Speculum Sacerdotum* edi curavit, ex ſacris Canonibus compoſitum : quo ut uterentur indiſcriminatim, qui Altari deſerviunt, lege præcepit. Et ſanè incredibili fruge obſervatum, regnante Innocentio *Sancta* ſanctiùs atque anteà pertractata fuiſſe.

Zelat honorẽ Domus Dei.

Diſſolutas fœminas ab Eccleſia arcet.

Monialibus publicum cantum interdicit.

Zelo zelatus divinum honorem ne Domus Dei fiat ſpelunca latronum, Templi profanatores, etſi natu nobiles, divitiis aut dignitatibus claros, exilio mulctavit, deportavit. Honeſtas, ne in ipſo periret Templo, renovato priſco S. Lini Decreto, inhibuit fœminis nudo pectore, vel expanſis mammillis Eccleſiam ingredi. Monialibus, quæ Sponſæ Chriſti ſunt, ne vel auribus, vel oculis laſcivirent, Muſicam profiteri interdixit, vel in earum Eccleſiis præſente populo exerceri. Inter eas ſi quæ artem harmonicam calleret, reliquas edoceret. Cæterùm nullus extraneus ad eas accederet vel ſpecie diſciplinæ.

Monachorũ diſciplinam inſtaurat.

Vindex Inſtituti Monaſtici, vitam inter Regulares excitando communem, plures expugnavit ad ſeveriorem legum obſervantiam Dominicanos præcipuè in Lombardia, & Tuſcia. Venetiis etiam Dominicanos SS. Joannis & Pauli cucullo deformatos ad modeſtiam revocavit, magno fructu & plauſu : quamvis enim habitus non faciat Monachum, ex habitu tamen cognoſcitur Monachus.

Alia laudabiliter operatur.

Ambientibus beneficia negat.

Notabile factum.

Vigilantiâ non minori erga Clerum, Epiſtola paſtorali omnibus mandavit Epiſcopis, ne ullus initiaretur ſacris abſque titulo Beneficij, & præmiſſis, juxta Tridentini præceptum, exercitiis ſpiritualibus; Congregatione additâ, quæ mores exploraret promovendorum ad dignitates, & Epiſcopatus : quorum electionem quandoque diſtulit non ſine murmure, donec cognitum; Innocentium *viros dignitatibus quærere, non viris dignitates.* Idque laudârunt Principes. Ambientibus dignitates, niſi præſtarent merito, nunquam indulſit : Patronis deſtitutos, ſi virtutibus abundarent, ultrò provexit. Unde contigit, ut *Nomina* quondàm legente Cardinali Cybo Secretario Pontificio *ambientium Canonicatum* cum litteris commendatitiis, nomenque unius recurreret ſine Patrono ac litteris, mox interrogavit, *Hunc quis commendat? Nemo*, reſpondente Cardinali, *licèt idoneum maximè :* repoſuit Papa, *Atqui Nos, ſi dignum judicas, ejus patrocinium ſuſcipimus, & cæteris præferimus. Non enim Principum commendationes magni facimus, ſi virtus, quæ una ſuffragium apud Nos habet, commendatis deſit. Sunt enim dignitates merces virtutis, non ambitionis; meritorum, non precum.*

Juſtitiam colit.

Ejus præclarum elogium.

Juſtitiam (quam *virtutum cuſtodiam, vitiorum terrorem* appellare conſueverat) tam ſanctè, integrè, ac etiam clementer adminiſtravit, ut vel feriendo parcere, vel parcendo ferire, ac ſemper *manibus innocens*, ſeu diſtringeret gladium, ſeu reconderet, ſit viſus. De ejus juſtitia dicere ſolebant Principes (inter quos Sabaudus, & Luſitanus) *Opus non eſſe ad juſtitiam excitare Pontificem, ſed Actores.* Jura Regaliæ urgente Oratore Gallo, ac Luſitanum ad idem opus urgente, repoſuit Luſitanus, *Securus ſum, quòd Papa jure contentus Eccleſiæ, Regalia non uſurpat; ſine trepidatione coram ipſo proſequor jura mea : ſi juſta petimus,*

mus, annuit; ſi dubia, diſcutit; ſi iniqua, abnuit. Hæc Innocentij laus eſt maxima, æqua concedere; iniqua abnuere.

Collectam ſub titulo Boni Paſtoris, ceu abuſivā, decreto tollit.

Commodo intentus populorum, cùm Neapoli inoleviſſet mos abuſivus, exigendi ſcilicet pecuniam ſub titulo *Boni Paſtoris*, unde Archiepiſcopo magni proventus obvenirent, vacante autem Archiepiſcopatu, Cameræ Apoſtolicæ cederent: abuſum hunc, non audito Archiepiſcopo, publico decreto ſuſtulit, & antiquavit: quòd diceret; *Boni Paſtoris munus eſſe, oves paſcere, non deglubere; animam pro ovibus ponere, non ſanguinem elicere: Mercenarios eſſe, qui lanam non ſalutem ovium curarent.* Abuſus verò iſte ne reſurgeret, Archiepiſcopatum abſque hac penſione contulit Antonio Cardinali Pignatello, poſteà Innocentio XII. qui idem decretum ſuo calculo confirmavit.

Forum ſanctis legibus reformat.

Forum etiam, uti & Cancellariam optimis legibus, quas de ſuo nomine *Innocentianas* vocant, alligavit: quibus cavetur, ne Curialium avaritia ſportulas ſibi pro lubitu decerneret, ſed iis pro compenſatione laboris contenti viverent, quæ juſtitia & æquitas, nullo pauperum gravamine, imperaret. Liberam quoque facultatem diſpenſandi cum ordinandis ſuper ætate, vel interſtitiis, pari mitigavit æquitate: præſcribendo in laboris vicem ac præmium quod juſtum, non quod ſordidum eſſet.

Sobrietati ſtudet.

Cupiens vivere non more Principis, ſed modeſtia ſacerdotis, menſæ ſuæ omnem pompam ſubtraxit; ut parſimonia ſua tranſiret in exemplum, & priſcorum Patrum ſobrietas revocaretur in uſum.

Omnibus paternè providet.

Animarum ſalutis avidus, doctrinam juventuti Chriſtianam edixit: qua neglecta, Clerici non promoverentur ad ordines; & virgines dotem amitterent. Innocentij III. decretum renovans, de infirmis ſic ſtatuit: *Infirmi ſi per triduum moniti ſacramenta non ſuſcipiant, à medicis deſerantur.* Poſt animas, curavit & corpora, horreis in ſumma temporum calamitate abundanter repletis: qua occaſione, laboranti annonæ inopia Venetæ claſſi, triginta modiorum millia frumenti in ſubſidium ſemel iterumque gratis ſubmiſit.

Vectigalia tollit: Uſuras reprimit.

Vectigalia cùm populis auferre, ob antiqua Cameræ Apoſtolicæ debita, non permitteretur, ingemuit; ope tamen fretus ſuperna, multis nummorum millibus exſolutis, exoneravit ab impoſitionibus *militum de Leva*; *à vectigali carnium*; aliiſque gravaminibus quibus Urbes premebantur & oppida. Uſuras etiam Hebræorum, quas olim Cardinalis mitigari curaverat, factus Papa magis ac magis repreſſit, aperto *Monte Pietatis*, unde pauperes, æreque preſſi alieno ſubſidia colligerent in neceſſitatibus ſuis. *Montes* proximè collapſuros, excogitatâ arduâ, ſed perutili reformatione, adjuvit, inſtauravit, aſſeruit, ut ejus beneficio creditores etiamnum penſionem exigant opportunam. Ad cenſus extinguendos, exhauſtis Urbium atque oppidorum ærariis, pari munificentia pecuniam ſubminiſtravit.

Pauperum neceſſitatibus providet.

Aquarum inundatio.

Anno 1686. die 6. Novembris exuberante in immenſum Tyberi, oſtendit Deus eam fuiſſe delinquentium impuritatem, ut non niſi inundatione ſcelerum fœces expurgari poſſent: viſa refero, utpotè Romæ tum præſens: Natavit civitas in civitate, & colles nutavêre

tavêre Romani. Aqua ne ſola ſæviret, Orbem fatigavit fames & peſtilentia, donec precibus Innocentij placatus Deus, Vicario ſuo annonâ & auro ſuccurrere permiſit; eâ pietate, ut Romam ſervaverit etiam natantem.

Terræ motus. Luculenta pariter plaga fuit, cùm anno 1688. die 5. Junij horrendo terræ motu omnes pænè Æmiliæ Urbes corruerent, Neapolis in ſe ipſa ſepeliretur, Beneventum conflagraret incredibili civium & incolarum ſtrage. Quis Romam tot malis circumſtrepentibus non eodem turbine involvendam crediditſet? Et ſanè pari deſtinata flagello corruiſſet, niſi intercedente Innocentio XI. in media tempeſtate ſervata fuiſſet, ita revelante pia ac ſancta Moniale N. *de S. Thereſia* in Cœnobio S. Luciæ. Reliquas civitates, quas præſervare non valuit, reſtituit piè, datis centum quinquaginta aureorum millibus, in ſubſidium diſtribuendis: onera inde omnia Flaminiæ ad decennium remiſſa, munificentiâ damno propemodùm pari.

Britanniæ conſulit. Porrò Evangelio inter gentes promulgando, vel certè inter Hæreticos reſtituendo quantum contulerit, teſtes ſunt toto ab Orbe, veriùs cœlo diviſi Britanni; ad quos miſſis doctrina & pietate conſpicuis viris, id demum (propitio Deo) obtinuit, ut Carolus II. Rex, ejuratâ hæreſi, in ſinu matris Eccleſiæ Romanæ expiraret; ejuſque ſucceſſor Jacobus II. Religionem Catholicam (quam palàm regnante Carolo II. fratre ſuo profeſſus fuerat) antiquis ritibus reſtitutis, non ſolùm confirmaret; ſed errantes etiam ſubditos ad avita dogmata revocaret, lege edita die 14. Aprilis anno 1687. *ut nemini vis inferretur ad credendum: Religio libera eſſet &c.* Edicto ſublato Tyrannæ Eliſabethæ, quo ſubditi Religionem Catholicam ejurare compellebantur.

Legatum eò mittit. Legatus poſteà Ferdinandus *de Abdua* Archiepiſcopus Amaſienſis ab Innocentio miſſus, veluti triumphator Vindecorij ſuſceptus, conventus primò eſt domi ſuæ à Duce Kraſtonio Caroli defuncti Regis filio, & maris proarchithalaſſo. Hunc Rex ſubſtituerat Duci Somerſetio profeſſione Lutherano, qui cùm Nuncio occurrere recuſâſſet, publicis muneribus ſpoliatus eſt. *Qui magnificè ſuſcipitur.* Mandaverat Rex Nuncium interrogari; *Quibus officiis coli deſideraret, ut Anglis omnibus Regis obſequium erga Sedem Apoſtolicam, ac vera religionis miniſtros palàm fieret?* reſpondente Nuncio, *Diſponeret clementia Regis:* primâ Julij poſt prandium Dux Kraſtonius, jubente Rege, in curru regio petiit Legati domum; qui conſcendens currum, dexterum latus, Duce ſtipante ſiniſtrum, occupavit: Magiſter Cæremoniarum noviſſimo loco conſedit. Sequebantur currus alij undetriginta, Præſulibus, Aulicis, Proceribus etiam Proteſtantibus onuſti, tanta populi fauſta acclamantis frequentia, ut ſemitæ etſi largiſſimæ viderentur anguſtæ. Venienti Legato occurrerunt ex nomine Regis duo Palatini; in limine palatij regij Præfectus Prætorij; in gradibus alij Proceres; in Aula S. Georgij ſedebat Rex cum Regina. Inclinanti Legato Rex aperto capite è throno ſurgens manum porrexit. Tum mutuis ſalutationibus exhibitis, Rex plenus gaudio, *Hoc nobis denique accedit ad gloriam* (inquit) *ut Chriſti Vicarius Innocentius XI. Pontifex Romanus nos Jacobum Britanniæ Regem, Eccleſiæ filium habeat, & habiturus ſit obſequentem* *Regis ad Legatum oratio.*

quentem etiam cum Regni ac vitæ diſcrimine. Chariſmata Patris verè innocentis ut æmulari poſſimus, promittimus nos non aliud quærere, quàm Dei gloriam, & veræ religionis incrementum: Hoc nos primum Chriſtiani Regis aſſerimus officium. Pro legatione Apoſtolica, ac Legati perſona nobis gratiſſima gratias agimus immortales, quòd tanto religionis decore Provinciam ſibi conciliaverit. Omnia propterea, favente cælo, ſperet ſecunda, & à nobis ſtudia omnia. Regis namque ad exemplum Britannia compoſita, obſequium ſolvet ſummi Sacerdotis Legato debitum. Domui eâdem pompâ reſtitutus Legatus, officiis humaniſſimè certavit cum primo Aulæ Miniſtro, cæteriſque Palatinis; qui lautitiis magnificè ad menſam ſuſcepti, quamvis Lutherani, omni cum veneratione in Pontificis ſalutem vitra circumtulerunt.

Sequenti die Londinum venit ad ſalutandam Catharinam Luſitanam, defuncti Caroli Regis viduam Reginam, plaudente per compita populo, & fauſta quæque acclamante. Ab ea die liberum Catholicis religionis conceſſum exercitium, reſeratis, reconciliatiſque pluribus Eccleſiis ad cultum latino more Deo præſtandum; accitis etiam Patribus Miſſionariis, qui in regio Sacello Sacerdotibus inſtruendis, atque Eccleſiaſticis functionibus ritu Catholico obeundis præeſſent. Auxit Regni juxtà ac religionis ſpem maximoperè, nata ſub annum 1688. die 20. Junii Regia proles maſcula, quæ ditiſſima Regna poſt patris obitum, ne in errores relaberentur, firmatura videbatur. At peccatis hominum tanto beneficio obicem ponentibus, ſpes maxima interrupta eſt, vel in aliud Deo placitum tempus rejecta. Siquidem non multò pòſt inſurgentibus adverſus *Dominum*, & adverſus *Chriſtum ejus* Anglis hæreticis, pulſo cum orthodoxa religione Rege, ad vomitum impietatis rediêre, ex Angelis perfidi iterum Angli effecti, quo funeſtiùs, relicto Juſtitiæ ſole, Principi tenebrarum lucifugi adhæreſcerent. Et tamen gloriantur in malitia ſua rebelles Deo animæ; magnamque ſibi aſſumpſiſſe Religionem vid ntur, quòd nullam, depulſa veritate, reſpuunt falſitatem. Hæſit interim Jacobus Rex, ob avitam fidem perfidè à ſuis exauctoratus, Pariſiis uſque ad mortem: hoc uno felix, quòd pro Deo & religione exul, è regno Chriſtianiſſimi tranſierit ad regnum Chriſti. Porrò filius ejus Jacobus vitæ etiamnum ſuperſtes, exilii hactenus paterni, non regni hæres, Regnum in exilio expectat vel *Anglorum*, vel *Angelorum*: utrumque enim pari jure prætendit, & ſperat ab eo, in cujus manu ſunt omnium jura regnorum.

Nativitas Regis Britanni.

Relabitur Britannia.

Schiſmatici Orient. obedientiam præſtant.

Cæterùm famâ Innocentii excitati plerique Schiſmatici Orientales Patriarchæ ac Præſules, non ſolùm obedientiam ſanctæ Sedi debitam, ſed & fidem Orthodoxam miſſis Romam Legatis profeſſi ſunt. Inter hos Blaſius Archiepiſcopus Samacenſis ad mare Caſpium primus obedientiam præſtitit anno 1682. die 20. Aprilis, ſimulque operarios ad inſtructionem Chriſtianorum ſibi mitti rogavit. Idem fecit Machdrinus Epiſcopus Samautrenſis anno 1683. menſe Majo. Euthimius Archiepiſcopus Tyri anno 1683. die 20. Decembris. Ignatius Patriarcha Antiochenus die 23. Aprilis anno eodem, uti & Joſeph Patriarcha Chaldæorum: qui omnes ritè expiati, Deo ac Innocentio Dei Vicario manus dedêre fideles.

Inſtitu-

Prædicatores ad gentes mittit.

Inſtitutâ Romæ Congregatione variorum Sacerdotum, plures miſit ad Mundi confinia, ut remotiſſimas gentes Regnorum *Sciami* & *Tunchini* ad fidem Chriſti excitarent. Indos ut in gremio S. Matris Eccleſiæ faciliùs conſervaret, *B. Thuribium* Mongroveum Archiepiſcopum Limenſem ſanctitate conſpicuum, retulit inter Beatos.

Hæreticos domat.

Ex Alpibus Cottiis, quæ Delphinatum à Pedemontio ſeparant, irrumpentes iterum Albigenſium, & Huſſitarum reliquias, quæ toties victæ, ſed non vinctæ, novâ Calvini doctrinâ tumidæ adhuc movebant lacertos non ſine diſcrimine Ducis Sabaudi, initâ pugnâ, cruenta ſtrage devicit, locoque pepulit. Rhætos, Batavos, aliasque nationes, miſſis è Societatis Jeſu operariis, qui ſanâ doctrinâ ac pietate errantes oves ad Chriſtum revocarent, egregiè juvit. Hæreticis quibuſcunque pœnitentibus, aut reſipiſcentibus hoſpicium celebre aperuit, aurô pro refectione corporum, Indulgentiis pro ſalute animarum inſigniter ditatum.

Gallus perſequitur Hugenottos.

Ejus etiam hortatu Ludovicus XIV. Galliæ Rex publico edicto Hugenottos aulâ primùm excedere, inde bonis ſpoliari, demum pœna corporali ad religionem avitam compellere juſſit. Quo facto animarum ſupra millionem & dimidium Creatori ſuo reſtituit, Regno pacem, ſibi fidelitatem. Quis enim fidelis Regi, ſi infidelis Deo eſt? *Omne Regnum in ſe diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet*, inquit Salvator. Durus viſus hic ſermo Hæterodoxis: quaſi gladio, pœnis, ſuppliciis mens humana cogeretur ad credendum, cùm tamen ſine baculo & ſacculo Chriſtus voluerit Evangelium prædicari: Gallus autem ſacculo, quem bonis repleret damnatorum; baculo, quem ſpecie religionis cruentaret ſanguine innocentium. Ita quidem Hæretici. Zelus tamen facilè juſtificari poteſt Regis Chriſtianiſſimi, ſi ad parentes, & progenitores reſpicias proſcriptorum, qui nullâ cauſâ à veritate orthodoxa deficientes, pietatis ſpecie arma tulerunt adverſus Legem & Regem. Quæ injuria? ſi ad Religionem retrahantur, quam jurârunt in fide parentum: quæ impietas? ſi ut Regnum religioni reſtituatur avitæ, hæreſes ſerpere non permittantur, ubi non erant? Honeſtum Decretum: in eodem ſolo mori, & naſci more Romano: aliter enim naſci non datur ſub Rege Chriſtianiſſimo. Conſonat zelo Galli auctoritas S. Auguſtini in Epiſtola 50. *ad Bonifacium*, quæ refertur *c. 1. Schiſmatici cauſ. 23. q. 6.* Epiſtolæ ſequens eſt titulus. *Auguſtinus Bonifacio viro militari de Cæſaris comitatu, commonſtrans illi Donatiſtarum hæreſim nil habere commune cum Ariana: & quo modo per metum legum Imperialium hæretici poſſunt ad Eccleſiæ ſocietatem compelli &c.* Vide etiam Joannem Palatium I. C. in ſuis ad Decretales lucubrationibus; ubi Ludovici XIV. zelum pro unitate Religionis orthodoxæ *ſanctum* appellat, ac ut talem pluribus SS. Patrum teſtimoniis probat.

Galli zelus defenditur.

Quietiſmum cum Auctore damnat.

Porrò damnavit Innocentius poſt accuratiſſimam totoque biennio productam diſcuſſionem *Michaëlis Ludovici Molinos Hæreſiarcha* pernicioſiſſimos juxtà ac fœdiſſimos errores, numero ſexaginta & octo (quos enummera ſpeciatim Joannes Palatius in vita Innocentii XI.) quibus ſub larva *ſancta quietu Oratio* nihil fœdius pro-

pudioſiuſque unquam auditum. Egimus de his paulò fuſiùs *in Purp. Docta lib.6 num.99.* dum acta Eminentiſſimi Cardinalis de Aguirre recenſeremus. Ubi lector vitam, mores, doctrinam, palynodiam, mortem *Michaëlis Molinos* compendio traditam inveniet. Cui, Epitaphii loco, paucula hæc ex Palatio deſumpta adjiciam.

Verum Lud. Michaëlis Molinos elogium.

Roma tandem repertus Satan,
Qui Michaelis ſpecie Cœlum concitaret in Deum,
Fraudeq; noviſſima Mundum Orationibus falleret.
Detectus non Archangelus, ſed Molinos
(Sic dictus à mollitie, & mole flagitiorum)
Molâ ſuſpensâ in collo ejus
Coactus eſt oratione Dominica, & Chriſtiano jejunio
Orationem *purgare* energumenam,
Impletum tunc vaticinium Pauli:
Periculis in falſis fratribus, periculis in Civitate,
Roma Domina Gentium, Princeps Provinciarum,
Cecidiſſet ſub tributo,
Ni INNOCENTIA ſtetiſſet pro libertate.

Antonius de Leonibus Michaëlis Molinos ſocius damnatur.

Poſt damnatam impuriſſimam & impiiſſimam doctrinam, addictus eſt Michaël Molinos perpetuis carceribus, ubi, ut dicitur, verè pœnitens, quinquennio poſt mortuus eſt.

Pari tempore, nempe 3. & 4. Septembris die anno 1687. eodem Innocentio mandante damnatus quoque eſt Antonius Maria *de Leonibus* ex Comenſi Dioeceſi homo Laicus, Michaëlis ſocius: accuſatus ſpreviſſe ſenſum *Allegoricum*, *Tropologicum*, *Anagogicum* ſacræ Scripturæ, veluti ambages Philoſophantium. Docebat verò pacem à Chriſto relictam verbis illis *Pacem meam do vobis* in ſola *Quietis Oratione* conſiſtere: propterea conſcientiam ſe ſuam non permutaturum cum conſcientia Deiparæ, neque Dei. Superfluas eſſe interceſſiones Sanctorum, Orationem vocalem, Jejunia, Eccleſias, cùm Deus non ignoret mortalium ærumnas. Dies omnes æquales, in quibus minimè abſtinendum à carnibus juxta illud; *Manducate, quæ apponuntur vobis.* Superfluam eſſe Confeſſionem ſacramentalem,

Ejus Errores.

ſatis ad Orationem Quietis, ſi homo ſemel confeſſus eſſet; cæterùm cremandos eſſe Confeſſores. Mortalium crimina, fornicationes, incœſtus, adulteria, pollutiones, tyrannidem eſſe Diaboli, Deo permittente, ad caſtigandum corpus, & purificandam animam, quemadmodùm Job licèt blaſphemârit, *non peccavit tamen labiis ſuis.* Sæpè volente Deo amitti virginitatem, ne de ea homo intumeſcat. Per Orationem Quietis animam uniri Deo, purificari, impeccabilem reddi, imò & Deum fieri. Dari quatuor leges, *Naturalem, Mo-*

Quietiſmum ſtultè extollit

ſaycam, Evangelicam, & Quietis: hanc verò poſtremam, ad ſimilitudinem virgæ Moſaycæ, devorare leges priores, quòd de ea in Scripturis ſcriptum ſit; *eritq; Deus Deorum.* Hanc eandem, poſt obitum Innocentii XI. mundum univerſum reformaturam, *ut fiat unum ovile, & unus paſtor.* Tunc verò, inquiebat, animæ juſtorum cœlum conſcendent unà cum corpore: interim Chriſtus, Deipara, Apoſtoli, & Sancti omnes extra paradiſum expectant, ut moriantur, &

poſteà

poſteà ad *hanc Quietem* reſurgant. Eccleſiam decipi, ſi aliter credat; neque infallibilem eſſe, cùm ei deficiat Spiritus ſanctus, qui in *ſola Oratione quietis* conſiſtat, cùm vocetur & ſit *in labore requies:* aliaque id genus plura deliramenta, apud Palatium in vita Innocentii non ſine riſu legenda. Dicebat autem hæc omnia revelari tantummodò filiis *Quietis* magiſtro Deo, quod per ignem & aquam probare paratus ſit. Per bimeſtre in malo obſtinatus ſprevit Theologorum conſilia monitaque. Tandem rationibus victus, pœniſque perterritus, palinodiam canere, pœnitentiam profiteri, errores deteſtari palàm cœpit. Condonata vita carceri perpetuo adjudicatus, obiit non multò poſt Molinam magiſtrum ſuum, verenè contritus, an hypocrita? incertum.

Tandem reſipiſcit, carceri mancipatur, & moritur.

Cùm Ludovicus XIV. perverſo Miniſtrorum ſuorum conſilio & ſuaſu Jus Regaliæ (quod nihil aliud eſt, quàm *Jus & facultas Regibus Galliæ ab Eccleſia conceſſa fructus & proventus vacantis Epiſcopatûs, cujus electio ad Regem pertineat, percipiendi; & Beneficia, ac præbendas curæ animarum expertes, interim conferendi*) quod hactenus Galliæ Reges ex indulto Romanæ Eccleſiæ in certas tantùm Eccleſias obtinebant, ad omnes totius Gallici imperii Eccleſias extendere, atque adeò limites ſibi à Conciliis præfixos nimium quantum tranſilire, non ſine gravi Eccleſiarum Gallicarum jugo, ac immunitatis Eccleſiaſticæ diminutione, per publica edicta moliretur, & attentaret; grave bellum inteſtino non abſimile, *Sacerdotium* inter & *Regnum* enatum eſt: diviſo, ut fit, in duas partes Clero; cujus pars major metu perterrita, deſertâ turpiter Eccleſiæ causâ, ad Regem defecerat; altera minor ſed ſanior pro Eccleſia adverſus Regem imperterrita ſteterat.

Innocentius Jus Regaliæ extendi vetat.

Innocentius Pontifex Maximus, ceu ſupremus Controverſiarum Judex, vigente acerbo diſſidio, ab Epiſcopis Appamienſi & Alectenſi, ac ſaniori Cleri parte in æquiſſimæ cauſæ defenſionem imploratus, poſt multa eaque diverſa remedia fruſtrà adhibita, denique Conſtitutioni Concilii Lugdunenſis II. ſub Gregorio X. anno ſalutis 1274. celebrati, firmiter inſiſtens, ex plenitudine poteſtatis adverſus Regem & Regaliſtas ſententiam tulit: datis tum ad Regem, tum ad Epiſcopos Dei cauſam deſerentes, graviſſimis litteris, quibus rei enormitatem, & par animæ periculum, ni acquieſcerent, utriſque demonſtravit. Tum reſciſſa acta: appellationes ſaniorum receptæ; Rex officii & exempli majorum admonitus; Regaliſtæ cenſuris perterriti: Epiſcopi deficientes objurgati, quòd Eccleſiæ cauſam deſerviſſent, timore, ut ipſi fatebantur, & conniventiâ victi: denique, quæ pro Regalia decreverant, oblitterata, quippè metu expreſſa, & ſuprà Epiſcoporum poteſtatem. Quæ res poſteà, perſtrepentibus adverſus ſanctum Pontificem Regaliſtis, ingentes turbas, perſecutiones, jurgia, exilia, ſpolia, ſcandala, totâ Galliâ concitavit, actis in exilium quamplurimis ſanctiſſimis viris, ac Alectenſi & Appamienſi fortiſſimis Præſulibus pro Dei cauſa, omni ærumnarum genere uſque ad mortem divexatis. Totius rei geſtæ ſeriem eleganter ac doctè more ſuo exponit, diſcutitque Eruditiſſimus Cardinalis Sfondratus in *Gallia Vindicata, Diſſert. 1. §. 1. & 2.* & noviſſimè

Jura Eccleſiæ viriliter propugnat.

Pala-

Palatius J. U. D. in vita Innocentii XI. *n. 29. uſque ad n. 30.* ad quos lectorem, ad alia progreſſurus, remitto.

Obſeſſa à Turcis Viennæ egregiè conſulit.

Anno 1683. menſe Julio, cùm Innocentius per litteras & Cæſareos curſores edoctus fuiſſet, barbarum Ottomannum cum trecentis pugnatorum millibus in necem Chriſtianæ religionis Viennæ Auſtriæ incubare, aperto mox Jubileo Chriſtianam Rempublicam ad arma, orationem, jejunia, ac eleemoſynas excitavit. Evocatis inde in auxilium Cæſaris, (præter Principes Imperii) etiam Sarmatis cum Rege ipſo Joanne III. aurum adjecit ſupra duos milliones. Placatus Deus orationibus pœnitentium, ſacrificiis Myſtarum, eleemoſynis jugiter diſpertitis, haud defuit rei Chriſtianæ in extremo diſcrimine fluctuanti. Siquidem pannico terrore obrutis hoſtibus, quum Vienna poſt ſexaginta atrociſſimæ obſidionis dies penè expugnata fuiſſet, irruêre in caſtra Ottomannica pleno cum exercitu glorioſiſſimi Heroës Joannes III. Poloniæ Rex, & Carolus V. Lotharingiæ Dux. Turcæ numero, caſtris, tormentis, commeatu, locorum opportunitate, noſtris longè ſuperiores, vix evaginato ferro, cùm laceſſere, vel certè immenſa multitudine circumvenire, concludere, obruereque adventantem fidelium exercitum nullo negotio potuiſſent, projectis indecorè armis, præcipiti fugâ ceſſêre campo, amiſſis tormentis, annonâ, papillionibus, pecunia, bubalis, curribus, ſuppellectili, totoque commeatu. Chriſtiani diſſipatum hoſtium exercitum triduo inſecuti, ingenti edita ſtrage, ac prædâ, ad caſtra victores remearunt. Ferunt ope Cœli Reginæ, quam noſtri in ipſo pugnæ exordio ſupplices inclamârunt, tantam victoriam partam eſſe. Certè ipſe Barbari Matronam ſe vultu terribilem *(ceu caſtrorum aciem ordinatam)* in fronte Chriſtianæ phalangis conſpexiſſe ultrò confeſſi ſunt. Hinc dies duodecima Septembris anni 1683. (quâ profligato hoſte Vienna ab obſidione liberata eſt) *Deiparæ Victrici* conſecrata eſt ex mandato Innocentii XI. Officio Duplici in perenne tanti beneficii monumentum quotannis deinceps toto Orbe Chriſtiano recolenda.

Vienna prodigiosè liberatur.

Chriſtiani Victores redduntur: Innocentius plaudit.

Tantæ Victoriæ nuncio accepto Innocentius Pontifex, inter feſtivas plaudentis Romæ voces ac faces, publicè gratias Deo exoluit, creatis ad augendam rei lætitiam viginti duobus ex variis nationibus Cardinalibus; diſtributis in alimoniam pauperum decem millibus aureorum, apertiſque carceribus ad libertatem eorum, qui debitis gravabantur vel delictis, creditoribus viritim ære liberaliter refuſo; delinquentibus verò pœna clementer condonata. Secretarium Poloniæ Regis *Talentum* nomine, qui præcipuum Turcarum vexillum dono miſſum Romam attulerat, aureo torque ponderis librarum quinque cum numiſmatibus argenteis & aureis donavit. Tantam poſteà victoriam inſigniter nobilitârunt occupatio Strigonii cum oppidis adjacentibus, & pagis ſupra mille: expugnatio Neoſelii ad Nuriam amnem: deditio Caſſoviæ, ac cæterarum Urbium, quas *Montanas* dicunt in ſuperiori Pannonia: Comitatus Tarantaſienſis, & Zongradienſis: Claudiopolis in Tranſylvania: Poſſega in Sclavonia: Buda Hungariæ caput: Quinque Eccleſiæ, Alba Regalis, Murſa vulgò *Eſſeck* cum urbibus adjacentibus, & centenis

Quanta urbium acceſſio hanc victoriâ ſecuta?

tenis

tenis fortalitiis ſex annorum ſpatio expugnatis ; quæ viator ſi oblectationis gratia inviſere tentaret, citiùs non excurreret, quàm Cæſar expugnaverit. Pro coronide tandem Alba Græca in Raſcia provincia cum oppidis adjacentibus, expugnata à Duce Bavariæ Maximiliano Electore, unde Byzantium uſque miles Chriſtianus tutò valuit excurrere. Sed de his alii ex profeſſo. Nos reliqua Innocentii proſequamur.

Innocentius ægrotat.

Hic cùm 6. Junij die, anno 1689. graviter ægrotare cœpiſſet, Roma de ejus ſalute ſollicita, orationibus cùm publicis, tùm privatis Deum poſcebat in Medicum. Ad ſanguinis emiſſionem (quæ nonnullis in octogenario inconſulta planeque periculoſa videbatur) natura dierum pondere oppreſſa declinavit in pejus, vulneribus, nomis, phagedænis. Acerbitatem morbi in momenta penè ſingula creſcentis forti animo ſuſtinens, novus Job repetebat piè, *Domine auge dolorem, ſed auge patientiam.* Jacuit inter vitam & mortem dubius menſe propè integro, nullo alio remedio, niſi quod cor confortare ſolet, ob ſtomachi debilitatem uſus. Octavo Auguſti die, citra medicorum conſilium, ſacro firmatus viatico, oleoque inunctus, Sacerdoti, qui ſacramenta exhibuit, ac cæteris de familia benedixit. Triduo pòſt à Leandro Cardinali Colloredo ſumo Pœnitentiario iterum expiatus, voluit etiam abſolutione *Sanctiſſimi Roſarij* ac *Bonæ mortis* muniri, magnâ adſtantium ædificatione, qui intima cordis triſtitia proſequebantur morientem.

Ejus pietas in morbo.

Tandem die 12. Auguſti, decubitûs quinquageſima octava, animam ejus commendante ſummo Pœnitentiario Cardinali Colloredo, præſentibus PP. Generalibus Dominicanorum, Carmelitarum, & Societatis Jeſu, preces recitavit SS. Roſarij, ac Litanias almæ Virginis, à qua pius atque devotus ſuſpiriis, lacrymis, capitis inclinatione, ac pectoris tunſione patrocinium ad luctam poſcebat. Repetebat frequenter, voce tamen intermortua, illa Davidis verba: *Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.* Memorante Colloredo, divum Auguſtinum hinc diſceſſurum Pſalmos ſibi pœnitentiales prælegi mandâſſe, illicò ut alta voce recitarentur annuit, ac poſt hos Chriſti Paſſionem tractim ſibi prælegi præcepit. Excitanti Colloredo ad lætitiam, exemplo beatæ Thereſiæ, quæ gloriabatur mori ſe filiam Eccleſiæ Catholicæ, reſpondit : *utinam mihi eſſet ſacræ hujus Virginis ſpiritus!* Offerenti denuò Cardinali Colloredo abſolutionem ſacramentalem, compreſſa manu, ut daretur, annuit, ſemper remoto humiliter capitio. Adventantibus Cardinalibus, ac num quid moriturus ipſis mandaret ſciſcitantibus. *Excuſavit ſe* (interprete Colloredo) *quòd eos pro voto supremùm alloqui non poſſet : Rogare verò, atque obteſtari per ſacra omnia, ut Succeſſorem ſibi darent, Eccleſiæ cùm primus utilem, ſeq; meliorem; qui commiſſos à ſe errores emendaret, ſuppleretq; defectus : Pecuniam, quam coacervaſſet ad diminuenda gabellarum onera, atque ad refocillandos pauperes, eo fine expenderent, quo fuiſſet à ſe congregata.* Erat verò ſumma centum & viginti millium Scutorum. Adjicienti Colloredo; *Tantum adhuc temporis ſupereſſe, quo ipſe decretum imperaret, atque ſubſcriberet :* id ſe facturum negavit, omnia ſucceſſori relinquens.

Cardinales alloqui curat

Nepoti Livio Odeſcalcho ad lectulum morituri accedenti, ac

Nepotiſańcte conſulit. quid poſt obitum ſibi agendum imperaret conſulenti, reſpondit per os Colloredi: *Conſilium à Deo requireret, & exequeretur. Cæterùm majorum ſuorum exemplo, curam gereret pauperum ac infirmorum: Rebus Eccleſiæ ſe non immiſceret, neque Pontificis electioni, Cardinalibus libertate permiſſa.* His inſinuatis, lacrymantem cum benedictione dimiſit, onere impoſito ſolvendi centum millia ſcutorum ad pias cauſas, quas ipſe in tabulis præſcripſerat. Cui nepos generosè reſpondit: *Adjiceret etiam, ſi luberet, ad majorem pietatem, ea, quæ ipſe nepos jure ſanguinis poſſideret.* Tum ille; *Id totum, nihil præſcribendo, tuæ relinquimus pietati.* Ad diſceſſum Nepotis, cùm mortis horam proximè abeſſe præſen-

Sanctè decedit. tiret, *Fidei Confeſſionem* (eam prælegente Cardinali Colloredo) manu ad chartam appoſitâ juravit; ac infixo ſacris pedibus Chriſti Redemptoris è cruce pendentis oſculo, in ea verba *JEſu! fili David miſerere mei* defecit octogenarius die 12. Auguſti circa noctem anno ſalutis 1689. Pontificatus ſui anno tertio decimo. Sacrum ejus corpus, poſtquam triduo ad S. Petrum in Capella Sixti expoſitum fuiſſet, temporario tumulo finitis exequiis illatum eſt. Ingentem auri ſummam pro Eccleſiæ neceſſitatibus collectam in ærario reliquit, licèt Cæſarem durante Bello Turcico vicies centenis aureorum millibus, Polonum trecentis millibus inſtruxiſſet, ac Cameram inſuper Apoſtolicam non ſolùm magno ære alieno liberâſſet, ſed etiam duobus aureorum millionibus ditâſſet. Ferunt ultrà memorata tot aureorum millia, ſexcenta alia Scutorum millia in pauperes, virgines, Templorum ac Urbium reparationem, præter nobiliſſima donaria, ab eodem Innocentio erogata fuiſſe.

S C R I P T A.

Ejus Scripta. Scripſit multas Epiſtolas Apoſtolicas pro urgendo ac proſequendo bello Turcico, ad Leopoldum Imperatorem:

Ad Joannem III. Regem Poloniæ.
Ad Carolum V. Ducem Lotharingiæ.
Et ad Principes Chriſtianos.

Plures item ad Jacobum II. magnæ Britanniæ Regem, Angliam ad avitam fidem reducere ſatagentem.

In libro, qui intitulatur *Gallia Vindicata*, ab Eminentiſſimo Cardinali Cœl. Sfondrati conſcripto, inveniuntur 4. Epiſtolæ Innocentij XI.

Ad Ludovicum XIV. *in cauſa Regaliæ* datæ.
Una ad Epiſcopum Alectenſem.
Quatuor ad Epiſcopum Appamienſem.
Duæ ad Archiepiſcopum Toloſanum.
Duæ ad Canonicos Appamienſes.
Duæ ad Clerum Gallicanum.
Duæ ad Joannem Cerle Diœceſis Appamienſis Vicarium Generalem.

Edidit etiam *Speculum Sacerdotum*, ut priſcum Sacerdotum ritum repararet, quo qui utuntur *Sancta* ſanctè tractabunt.

Item Leges ſaluberrimas pro Reformatione Aulæ Pontificiæ. Con-

Conſtitutiones nonnullas, contra Templorum profanatores.

Contra mulieres nudato pectore Eccleſiam ingredientes.

Decreta pro reformandis Religioſis, & Monialibus, ac

De tollendo Nepotiſmo.

Regulas, quas *Innocentianas* vocant, pro reformatione Fori, & Cancellariæ Apoſtolicæ.

Damnationem ſexaginta & octo Propoſitionum Michaelis Molinos Hereſiarchæ.

Adagia quædam ſacra, quæ collecta habentur in ejus vita à Joanne Palatio Veneto noviſſimè conſcripta.

ANNO CHRISTI MDCLXXXIX.

Imperatore LEOPOLDO I. Auguſto.

DE

ALEXANDRO VIII. Pont. M.

INnocentio XI. poſt interregnum duorum propè menſium, unanimi Patrum conſenſu (qui duo ſupra quinquaginta convenerant) ſexta die Octobris, *Divo Magno* Veneto civi ſacrâ, ſuffectus eſt Alexander hujus nominis VIII. Petrus Ottobonus Cardinalis S. Marci anteà nuncupatus. *CCXLV.*

Gens Ottobona nobilis & pervetuſta.

Gentem Ottobonam inter nobiliſſimas Venetorum familias non poſtremam, memorabili elogio, præter alios Italiæ Scriptores, exornat Jacobus Philippus Tomaſinus, Æmoniæ quondam in Iſtria Epiſcopus, celebris auctor *in Elogiis Virorum Illuſtr. pag. 284.* cujus genuina verba, ne ignoret lector, ad tantæ familiæ decorem referre non piget. *Gens Ottobona* (inquit ille) *nobilis & pervetuſta cis- & ultrà Alpes, oppidorum ac urbium dominio clara, domeſticis & publicis ornamentis pollens apud Italos floruit, in primis Patavii, Venetiis, & Florentiæ celebris. Turbulentiſſimis temporibus à contentionibus remota, Reipublicæ Florentinæ nullo loco operam & induſtriam negavit: nec illius procuranda conſervationis, aut munus unquam intermiſit, aut laborem ſubterfugit. Ità rebus publicis juvandis ea ſemper propenſa crevit, multosq; egregios atque inſignes viros patriæ commodis natos tulit. Hujus gloriam cumprimis Bonavitus & Aldobrandinus Ottoboni ſuſtinent, quorum eximia virtus, resq; præclarè geſta in Annalibus perſæpè deprædicantur. Aldobrandinus ob ſingularem in Rempublicam fidem Fabritij Togati cognomen meruit. Cui defuncto, Reſpublica Decreto, in æde S. Reparatæ Anno 1258. ſumptuoſis exequiis inſigne monumentum fuit erectum. Sed nec Urbi Patavinæ ignota hujus familiæ laus eſt; quæ præcipuè Venetiis inter cives primo loco natos reſplendet.* Idem argumentum præclaro ac grato in patriam calamo proſequitur Joannes Palatius Venetus J. U. D. Plebanus Collegiatæ Eccleſiæ S. Mariæ Matris Domini, S C.M. Hiſtoricus, & Conſiliarius, in exordio vitæ Alexandri VIII. nobiles ejus progenitores & acta, per nonnulla ſæcula uſque ad Marcum Ottobonum Alexandri VIII. parentem recenſens. Quæ curioſo lectori

ctori hoc loco inſinuaſſe ſuffecerit, dum ego que *Alexandri* primordia & propria ſunt, ex inſtituto proſequor.

Alexandri VIII. primordia. Fuit Petrus Ottobonus patricius Venetus, Marci Ottoboni magni illius Venetiarum Cancellarij ex Victoria Torniella paris nobilitatis fœmina filius, in lucem editus die 21. Aprilis anno reparatæ ſalutis 1610. Genitorum curâ humanioribus litteris, pietate avitâ, ac probatiſſimis moribus excultus, Patavium altioribus diſciplinis imbuendus mittitur: ibi Philoſophicis juxtà ac Juridicis ſtudiis excellens, lauream in utroque jure annos natus ſeptemdecim ſub clariſſimis viris Joanne Liceto, & Bartholomæo Vecchio Senenſi magnâ eruditi ingenij famâ aſſecutus eſt. Biennio pòſt, nempè anno ſalutis 1630. Romam occulta fatorum ſerie vocatus, eò ſe contulit jam laureatus, ut Curiæ Romanæ praxim uſumque à Joanne Baptiſta Coccino Romanæ Rotæ Decano, viro ea ætate ſcientiarum ac Legum præſtantiâ longè clariſſimo edoceretur. *Variis ſenſim dignitatibus ornatur.* Accedente ad doctrinæ laudem inſigni morum integritate, eam ſibi totâ Româ ſcientiæ ac probitatis famam peperit, ut Abbas primùm ab Urbano VIII. deinde utriuſque Signaturæ Referendarius conſtitutus, plures ſenſim Eccleſiaſticæ ditionis Urbes Prætor magnâ omnium commendatione rexerit. Præfuit enim Interamnæ, Reatinæ, ac Typhernati inclytis Umbriæ Urbibus: qua occaſione ejuſdem Pontificis juſſu Spoletanos & finitimos populos de confinibus inter ſe diſſidentes ea prudentia & dexteritate compoſuit, ut plauſu partium Urbano commendatus (accedente etiam Senatus Veneti nominatione) inter Rotæ Judices, fruſtrà æmulis obicem ponere conantibus, adſcribi meruerit. In hoc excelſo Tribunali velut è ſpecula non ſolùm Ottoboni enituit virtus & juſtitia in omnes, verùm etiam juris ejus peritia ſingularis in enodandis ac componendis controverſiis, quæ dietim ex ultimis Terræ finibus decidendæ occurrunt: probavitque judicia ſua *Lydio* ut ajunt *lapide* toti Orbi, typis ſcilicet datis ad eruditionem poſteritatis deciſionibus ſuis.

Purpurâ, ac Infulâ Brixienſi donatur. Tantos labores ne indonatos præteriret Innocentius X. Urbani ſucceſſor, eundem primò purpurâ presbyterali *titulo S. Salvatoris in Lauro*; tum biennio pòſt Infulâ Brixienſi condecoravit: huic tamen infulæ interjectis aliquot annis; annuente Alexandro VII. nuncium remiſit factus Abbas Commendatarius Vangadicienſis, relictoque titulo S. Salvatoris, illum S. Marci obtinuit: haud permiſſus ab Urbe diſcedere, ubi ad publicum Chriſtiani orbis commodum, nullum abſolvebatur negotium eo inconſulto.

Legatione Veneta fungitur. Legatus poſteà factus Venetus, diſſidentibus ſæpè pro juriſdictione *Quarterij*, & ab aula diſcedentibus Oratoribus Regum, ipſe firmiter in ſtatione perſiſtens, legationem injunctam ea fide ac religione implevit, ut Eccleſiam Romanam obſervaret ut matrem, Venetam Rempublicam ut filiam Romanæ procuraret Eccleſiæ. Illius jura, hujus privilegia ſemper concordans ſerviebat utrique, dum ſerviret uni; & quidquid addebat Venetis, non negabat Romanis, ſciens quid Veneti debeant Eccleſiæ, quid Eccleſia Venetis.

Variis Congregationibus adſcribitur. Congregationes omitto, quia ubi Ottobonus, ibi congregatio erat: Inter Patres Congregationis Epiſcoporum & Regularium,

atque

atque Interpretes S. Concilij adſcriptus, adfuit examini Epiſcoporum, Signaturæ Gratiæ, Conventibus, Indicis, Conſiſtorialis, Viſitationis Apoſtolicæ, Indulgentiarum & Reliquiarum, Peſtis depellendæ, aliiſque plurimis; ut nulla eſſet Romæ Congregatio, quam Ottobonus non moderaretur: primus ſi loqueretur, dirigeret; ſi poſtremus, revocaret: Ea cæterorum attentio, ne ab uno Ottobono diſſentirent.

Denique, poſtquàm quatuor ſummorum Pontificum creationi, nunquam inaniter ſuffragatus, interfuiſſet; ejuſque præclara in Eccleſiam merita, præter doctrinam vitæque integritatem, omnium oculis obverſarentur, mortuo Innocentio XI. duobus ſupra quinquaginta Patrum ſuffragiis Romanus Pontifex die 6. Octobris anni 1689. ſalutatus eſt, aſſumpto nomine Alexandri VIII. tùm ut memoriam Alexandri III. Venetis gratiſſimam renovaret, tùm ut Alexandri VII. præclaras animi dotes, quas maximi ſemper fecit, re & nomine imitaretur; atque unà Cardinali Chiſio nepoti ejuſdem Alexandri, qui ſuper omnes fervente Comitio cauſam ſuam promoverat, gratificaretur. *Romanus Pontifex eligitur*

Electionis ſuæ Cæſarem, Reges, ac Rempublicam Venetam litteris ſua manu exaratis certiores cùm feciſſet, oretenùs adjecit Joanni Lando Veneto Oratori, tum Reipublicæ nomine novam ei dignitatem gratulanti; *Arma inſtruerent; ſupputationem meditarentur eorum, quæ pro apparatu bellico Reipublicæ adverſus Turcas forent neceſſaria: ſe interim deſignare Nuncium Apoſtolicum Reipublicæ non ingratum cum Decimarum Indulto.* Tum quatuor pugnatorum millia ære Eccleſiaſtico conſcripta, armis omnique neceſſario commeatu proviſa, uſque ad littora, ubi navem conſcenderent, obtulit Reipublicæ, eo fine, ut Euboicæ Inſulæ expugnationem ad tempus intermiſſam repeterent, ſine qua inſtabile ſuſpicabatur in Peloponneſo Chriſtianorum imperium. Quin & datis ad eos paternis litteris, libertatem canendi claſſicum in univerſa Pontificia ditione indulſit, ipſum etiam ſanguinem oblaturus, ſi hujus effuſione Inſula redimi poſſet, quæ ſtaret in barbaros propugnaculum Chriſtianorum. *Venetis miri favet.*

Hæc cùm perveniſſent ad aures Venetorum, Senatum excitarunt ad mittendam honorificam legationem, octo Oratoribus, qui omnes Reipublicæ Primates erant, inſtructam; tum ut Neo-Pontifici concivi ſuo adeptam divinitùs ſummi Apoſtolatûs dignitatem ex majeſtate congratularentur, tum ut immortales eidem pro ampliſſimis beneficiis gratias dicerent. Dimiſsâ Romam Legatione, Venetiis per tres continuas noctes ex Senatûs decreto ignes feſtivi excitati; Turres Eccleſiarum lampadibus illuſtratæ; ædium feneſtræ totâ Urbe innumeris cereis, funalibus, appoſitis Symbolis illuminatæ; platearum parietes nobiliſſimis picturis, Phrygiiſque tapetibus exornati; aurum in plebem ſparſum; Symphonia, tympana, tubæ, tibiæ, campanæ ex omni parte auditæ: ubique plaudentis populi feſtivæ voces manifeſta concepti gaudii ſigna edidêre. Ad aram verò maximam in principe Templo S. Marci Hymnus Ambroſianus ritu ſolemni decantatus. Ferunt ad tantam celebritatem ſupra ducenta hominum millia confluxiſſe. *Publica Venetorum lætitia ob Alexandri promotionem.*

 Alexan-

Annonam procurat. Alexander populo Romano gratificaturus, Pontificatum ab inquiſitione in eos, qui annonam fraudabant, exorſus eſt. Hinc ſolerti providentia mandavit, in horreis tritici ducenta modiorum millia recondi, datâ quæſtoribus licentiâ ſegetem diſtribuendi in pauperes, peregrinos, languidos, viduas, pupillos, nullo accepto pretio. Diminuit etiam vectigalia frumenti, vini, carnis, civibus Romanis impoſita: ſic ut totâ Româ *Panis abundantiâ* exuberaret.

Pacem conciliat. Pacis non minùs, quàm panis ſollicitus Alexander, juſtitiâ miniſtrâ, eam primò domi, tùm foris quæſivit, mandans miniſtris, civibus, nobilibus, Principibus, mutuam poſitis odiis animorum *Aulam & Urbem repurgat* concordiam, civiliumque diſſidiorum finem. Porrò aulam, curiam, tribunalia, cœnobia, totamque Urbem à ſcandalis, corruptelis, vitiis, abuſibus, impiis moribus, ac inſanis dogmatibus per ſaluberrima decreta correxit repurgavitque. Qua occaſione invaleſcentem Gabriellij Cameræ Clerici & aſſeclarum flagitioſam vitam & fidem pro tribunali diſcuſſam damnavit atque proſcripſit, addictis perpetuo carceri auctore mali cum complicibus reis. Artificibus, civibus, nobilibus (ni Principum miniſtri eſſent) interdixit Inſignia Regum, ipſiusque Pontificis exponere, in ædium ſuperliminaribus, ne ſub umbra picti Principis, libido graſſaretur in carne, *Fontes reficit* & delicta exultarent impunita. Aquæ ductum Trajani unà cum fontibus ad *S. Petrum Montorium* temporum injuria collapſum, magnis impenſis non tam ad Urbis ornatum, quàm incolarum commodum refecit inſtauravitque. Pari liberalitate atque providentia rei litterariæ conſulens, multis aureorum millibus nobiliſſima Manu- *Vaticanam Bibliothecam auget.* ſcripta omnis generis linguarum & argumentorum, totamque Bibliothecam Chriſtinæ Suecorum Reginæ non ita pridem defunctæ coëmit, quibus incomparabilem Bibliothecam Vaticanam ingenti *Agriculturā reſtituit.* librorum acceſſu infarſit atque nobilitavit. Quin & agriculturam longo tempore ob immania tributa in agro Romano neglectam, laxato onere, reſtituit, & in uſum redegit. Quæ omnia non ſolùm marmori ad perpetuam rei memoriam inſcripta ſunt, ſed & aureis argenteisque numiſmatibus hoc lemmate expreſſa:

ALEXANDRO VIII.
OB AQUÆDUCTUM TRAJANI INSTAURATUM: BIBLIOTHECAM IN VATICANO AUCTAM: REM AGRARIAM RESTITUTAM:
S. P. Q. R.
GRATO ANIMO SACRAVIT.

Plurima cùm decreviſſet ad bonum publicum populique ſolatium, ſciſcitanti Urbis Gubernatori, num milites, quorum quatuor millia ſub ſignis ſtabant, ad levandum gravi onere ærarium exauctorandi eſſent? reſpondit magnificè: *Principum honori, Urbisq. tutelæ eſſe, non oneri phalanges militum: Birrones potiùs remitteres & ſatellites, qui Roma ſuperabundarent. Rediret civitas in civitatem, & ad ſeipſam Roma, majeſtate ac libertate ſervata vetuſta.* Iſtas tamen legiones poſteà cum *Venetis adverſus Turcas aſſiſtit.* omni apparatu bellico Venetis adverſus Turcas pugnantibus conceſſit, ne diutiùs Romanis oneri eſſent. Quibus etiam in idem bellum

lum obtulit ingentem auri vim, quadringenta tritici modiorum millia, ſexcentos nitrati pulveris cados, præter inſtructiſſimam triremium pontificiarum claſſem, cui præfecit Marcum Ottobonum nepotem, equeſtri dignitate paulò antè à Senatu Veneto donatum, virum ſtrenuum, ac rei navalis apprimè peritum.

Nepotes promovet.

Fidos poſteà ut ſibi vitæ cuſtodes, ac ſinceros Principum populorumque interpretes, ſuorumque arcanorum fideles miniſtros adſciſceret, nepotes vocavit in partem ſollicitudinis; *exemplo non ſolùm plurium Romanorum Pontificum* (ut ſcribit Palatius auctor Venetus) *ſed ipſius etiam Chriſti redemptoris, qui plures cognatos inter Apoſtolos cooptavit. Amicos enim, vel ignotos variis fortuna caſibus transfert, vel avocat. Famam Principis ceu alienam cùm negligunt, palpant potiùs, quàm procurant.* Ita quidem Palatius: at longè aliter Innocentius XI. in Decreto ſuo, quod edidit *de abolendo Nepotiſmo.*

Virtutem, non ſanguinè præmiatur.

Antonium ergo Ottobonum nepotem ex fratre virum induſtrium magnaque prudentia præditum ſacræ Romanæ Eccleſiæ Generalem creavit; Petrum verò ejuſdem Antonii filium excelſæ virtutis, ac eruditionis hominem, Cardinalem S. Laurentii in Damaſo, S.R.E. Vicecancellarium, & Legatum Avenionenſem dixit; in quorum exaltatione, quum ambo virtutibus pollerent, non tam ſanguinem reſpexiſſe, quàm virtutem & merita coronaſſe viſus eſt. A ſecretis adſcivit Jo. Baptiſtam *Rubini* Epiſcopum Vicentinum, virum Romanæ curiæ dudum aſſuetum, Principibus gratum meritiſque plenum.

Jubilæum indicit.

Cæterùm iratum nobis cœlum ut reconciliaret, ſupplicationem toto orbe Chriſtiano haberi juſſit pro expiatione peccatorum virtute Jubilæi, quod verè pœnitentibus exhibuit de theſauro, Eccleſiæ; ut priſco more excitati Chriſtiani claſſicum canerent tutis ſacerdotalibus, harumque clangore excitum genus humanum optatam à Deo pacem impetraret.

Galliæ & Angliæ Regibus gratificatur.

Ludovicus XIV. Galliæ Regi (quem multis pridem legationibus & officiis promeruerat) per Oratorem ſupplicanti Abbatiam S. Dionyſii in ſubſidium Hoſpitalis *Filiarum*, jam ab Innocentio XI. indultam, ſed ob interveniens Regaliæ diſſidium poſteà ſuſpenſam, conceſſit. Jacobo II. magnæ Britanniæ Regi ob fidem Catholicam in Gallia exulanti trecenta aureorum millia pro regni recuperatione conſignavit. Marcum Antonium Card. Barbadicum, compoſito quod ei cum Venetis interceſſerat diſſidio, Reipublicæ conciliavit. Baſilicas plures tam Romæ, quàm Venetiis, ampliſſimis gratiis, privilegiis, donariis auctas, ſplendidiores reddidit; cultumque divinum in iis pro ſuo ſingulari in ſuperos zelo magnoperè provexit.

Baſilicas privilegiis afficit

Sunt & alia longè plura, quæ inſignis hic Pontifex, durante breviſſimo magiſtratu, tum ad pacem inter Chriſtianos procurandam, tum ad augendum Eccleſiæ decorem peregiſſe memoratur, quæ quidem in præſens, quia me latent, ab aliis non gravatim expectari debent. Interim paucula hæc, hinc inde collecta, atque huc tranſlata lector æqui bonique conſulat, dum plenior hiſtoria ab inſigni Scriptore Palatio promiſſa in lucem prodeat: ſcribit enim in a-

in actis Alexandri VIII. nondum plenè à ſe digeſtis circa finem: *Plura alia diſpoſuit, peregitq́ Alexander, quæ ego Deo dante colligam, & collecta vulgabo; præcipuè quæ in Congregatione ſanctiſſima Inquiſitionis pro hæreſum extirpatione non minus doctè quàm piè egit, dum Cardinalis eſſet: magnum enim zelator extitit pro fidei puritate, & tutela Evangeli.* Hiſce brevibus verbis finit nondum plenè finitam Alexandri vitæ ſeriem Palatius, egoq́ue cum illo, qui præter obitum & ſcripta ejus, quod referam, reliqui nihil habeo.

Ejus obitus. Obiit autem plenus dierum & meritorum, annis non morbis obrutus, octogenario major, ritè expiatus, unctus, ſacroq́ue munitus viatico, Romæ prima die Februarii anno ab orbe redempto 1691. poſtquam Eccleſiæ Romanæ menſes quinque ſupra annum magna cum laude præſediſſet, ac ingentia pro ejusdem incremento animo volviſſet. Corpus ejus conſueto more, triduo expoſitum in Vaticano, ſolutis ex majeſtate exequiis, condigno honore terræ ibidem mandatum eſt.

S C R I P T A.

Scripta. Scripſit multas pias & elegantes litteras ad Cæſarem, Reges, Principes, Reſpublicas, & urbium Magiſtratus.

Decreta item nonnulla.

Inter Rotæ Romanæ Judices aſcitus quamplurimas ſcripſit *Deciſiones*, typis Romæ vulgatas ad poſteritatis eruditionem.

Extant etiam præclaræ ejus Orationes m. ſ. ad ſacrum Senatum dictæ, præter eas quas Urbium Moderator ad Interamnenſes, Reatinos, Typhernates, Spoletinos &c. dixit.

Scripſit etiam pro *hæreſum* extirpatione.

Pro fidei puritate.

Pro Evangelii tutela, dum Cardinalis eſſet, ut ſuprà innuimus ex Palatio. Reliquorum notitiam non habeo.

ANNO CHRISTI MDCXCI.

Imperatore LEOPOLDO I. Auguſto.

DE INNOCENTIO XII. Pont. Max.

CCXLVI NOvemdialibus Alexandro VIII. vitâ functo ex more perſolutis, Patres magno numero Conclave in Vaticano die xi. Februarii anno 1691. ingreſſi, Regios Oratores, aliosq́ue viros Principes ſacrum Collegium officii cauſa inviſentes, uſque ad mediam noctem ſequentem, ad mutua colloquia admiſerunt. Tum obſerato Conclavi ad ipſam novi Pontificis electionem progredientes, quum plurimi Purpuratorum doctrinâ, meritis, ac virtutibus præſtantes eligentium animis obverſarentur, per ſolidos quinque menſes, nonnullosq́ue dies, cui potiſſimùm ſuf-

ſuffragarentur, ancipites hæſêre. Demum illuſtrati ex alto, omiſſis contentionibus, animo & ſuffragiis concordes, die 12. Julii ejuſdem anni Antonium Cardinalem Pignatellum, Archiepiſcopum Neapolitanum, virum ſupremo magiſtratu omnium calculo digniſſimum, aptiſſimumque, Pontificem maximum dixerunt. Qui aſſumpto Innocentii XII. nomine, decimo quinto ejuſdem menſis die more majorum coronatus, Romanæ Eccleſiæ gubernacula propè novennium inſigni prudentia, dexteritate, ac rerum incremento tenuit.

Antonius Cardin. Pignatellus Pontifex renunciatur.

Erat Innocentius patria Neapolitanus, ex nobili eaque priſca gente *Pignatella*, inter Neapolitanas familias ſpectatiſſima, præclarorumque virorum (ut pluribus in appendice vitæ innuit P. Foreſtus) toga & ſagò jam anteà ferace, natus anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum decimo quinto. Qui ob inſignes animi dotes, egregiamque eruditionem, pietatem, juſtitiam, fidem, morum vitæque integritatem, ac rebus in agendis exploratam ſolertiam, ſuperioribus Pontificibus apprimè charus, commendatuſque magnas ſenſim in Eccleſia Dei conſecutus eſt dignitates. Nam primis ſtatim annis, poſt adeptam Juris utriuſque lauream, inter domeſticos Urbani VIII. Prælatos cooptatus, virtutibus, doctrinâ, ac zelo fidei pedentim ita inclaruit, ut non ſolùm Inquiſitor Melitenſis, Gubernator Viterbienſis, Nuncius Florentinus, Bononienſis, ac Viennenſis in Auſtria evaſerit; ſed & Secretarius Congregationis Epiſcoporum ac Regularium, Præfectus Cameræ duorum Pontificum Clementis X. & Innocentii XI. Epiſcopus item Faventinus, ac Legatus Bononienſis, demum Archipræſul Neapolitanus, & Cardinalis renunciatus fuerit. Quibus in muneribus, ne dicam negotiorum fluctibus, cùm ſe virum fidelem, induſtrium, ſolertem, ſobrium, rerumque peritia & uſu præſtantem, difficillimis Reipublicæ temporibus, multorum annorum ſpatio probâſſet, magnamque exinde famam, auctoritatem, & gratiam apud omnes collegiſſet, ſublato è vivis Alexandro VIII. unanimi ſacri Senatûs calculo (ut paulò antè diximus) ceu omnium digniſſimus, ſuffectus eſt.

Ejus vitæ primordia.

Variis honoribus perfungitur.

Cardinalis ac demum Pontifex renunciatur.

Innocentius in ipſo ſtatim Pontificatus ſui primordio, poſtquam Cæſarem, Reges, Principes, ac Reſpublicas officioſiſſimis litteris de ſua in Petri ſolium exaltatione certiores feciſſet, in id unum incubuit, ut mores, actus, vitæque ſanctimoniam Innocentij XI. à quo purpuram olim, ac nunc nomen acceperat, quàm ſtudioſiſſimè æmularetur. Hinc à Nepotiſſimo, quem ille dudum edicto proſcripſerat, magnoperè abhorrens, honores, dignitates, magiſtratus, infulas, purpuram non carni aut ſanguini, ſed uni decrevit virtuti, ac contulit. Nemo totâ Româ nepotem, affinem, propinquum, etſi pleriſque merita non deeſſent, ab Innocentio exaltatum vidit. Sola triumphum egit tanto ſub Principe virtus, pietas, eruditio: nolebat enim, ut palàm conteſtabatur, *in ſanguinibus ædificare Sion.* Momus ipſe Romanus contra morem, factum extulit Innocentij, dum feſtivè ad inſignia Pontificis alludendo, *Mortem in olla* propinquis Innocentij prædixit.

Innocentii XI. acta imitatur.

Nepotiſmum averſatur.

In hoc vel Momo probatur.

Juſtitiam verò, à multis paſſim deſpectam, à pluribus oppreſſam, collapſamque ſic reſtituit, erexitque; ut propriam ei ſedem ac

Juſtitiā collapſam erigit,

ac domum (à ſuo nomine *Innocentianam* appellatam) in *monte Citorio*, tanquam in ſpecula, unde mores Romanorum & ærumnæ conſpici poſſent, conſtruxerit; coëmptis ad opus fundo ac magnificis ædibus Ludoviſianis: ad hanc diſperſas tota urbe lites, etiam deploratiſſimas, deferri; nulloque perſonarum reſpectu, diſcuti, dirimi, abſolvique voluit: plaudente Roma ad tantam Principis vigilantiam.

Utilia telonia condit. Gravia moderaturus vectigalia, duo leviſſimi cenſus erexit Telonia, alterum pro iis rebus, quæ terra; alterum pro iis, quæ mari invehuntur in urbem, quo factum ut rerum omnium ubertas magno civium bono tota urbe abundârit.

Xenodochia renovat. Pari pietate renovavit atque reſtituit præcipua duo Romanæ Urbis Xenodochia, quorum alterum divo Michaëli ſacrum ad Lateranum ſitum eſt, alterum ad pontem Sixti: magno ſanè utriusque ſexus pauperum atque languentium ſubſidio ac ſolatio: quibus non modicam parati æris ſummam ad laxanda pro majori commoditate ſpatia adjecit.

Chriſtianis adverſus Turcas ſuccurrit. Adhæc Principibus Chriſtianis adverſus Turcas, & hæreſes confœderatis nonnulla centena aureorum millia ad pij non minùs quàm neceſſarij belli proſecutionem tranſmiſit. Sepoſitis nihilominus tricies centenis aureorum millibus in mole Hadriana pro impendentibus Eccleſiæ neceſſitatibus.

Cultum SS. Euchariſtiæ ſacramenti auget. Ad augendum firmandumque Auguſtiſſimi Euchariſtiæ ſacramenti cultum, fidelium mentes maximis Indulgentiarum præmiis provocavit ad devotionem: ſtatutis è contrariò graviſſimis pœnis in tanti boni contemptores, & blaſphematores.

Gentium converſioni ſtudet. Ad gentium converſionem, hæreſum extirpationem, divini verbi diſſeminationem, fidelium corroborationem, quamplurimos doctrina, pietate, zelo fidei, linguarum peritia præſtantes viros quotannis in remotiſſimas Orbis plagas tranſmiſit: vigilanti interim oculo domi perluſtrans omnia, ne aut Roma, aut vicinia quidquam detrimenti ex corruptis moribus aut inſanis doctrinis caperet. Hinc

Salubria decreta divulgat. nonnulla ejus ſalubria decreta adverſus fidei morumque corruptores, totâ paſſim Eccleſiâ, divulgata: pravorumque hominum periculoſæ opiniones, ex erroribus Janſenij utplurimum hauſtæ, tam in Gallia quàm in Belgio compreſſæ atque damnatæ.

Sacrum Senatum præſtantibus viris auget. Porrò ſtatui Eccleſiaſtico inſtaurando confirmandoque animum adjiciens, nihil antiquius duxit, quàm ut viros egregios toto terrarum orbe conquiſitos in ampliſſimum Purpuratorum ſenatum legeret; *Eccleſia ſalutem iis veriſſimè niti* affirmans. Igitur quatuor lectionibus diverſo tempore ritu ſolemni habitis, undetriginta Cardinales creavit, omnes doctrina, pietate, religione, prudentia, natalium ſplendore, vitæque integritate conſpicuos, tantoque honore digniſſimos.

Lætatur ob pacem concluſam, ac regnū Poloniæ tranſlatum in Ducem Saxoniæ recens ad fidē converſum. Cæterùm Innocentij Pontificatum præter alia magnoperè illuſtravit pax univerſalis inter Chriſtianos Principes ſuo hortatu ſub annum 1697. concluſa: & electio atque coronatio Auguſti Saxoniæ Ducis in Regem Poloniæ eodem anno facta, ejuſdemque Regis publica Luteraniſmi execratio, & ad ſacra Romana felix acceſſio. Quæ

tria

tria ſanè ineffabili gaudio optimi ſanctiſſimique Pontificis animum uſque adeò affecerunt, ut morti proximus palàm circumſtantibus edixerit, lætum hilaremque ſe hinc migrare, quòd propitio Deo, antequam decederet, pacem Orbi Chriſtiano redditam; regnum Poloniæ Principi Catholico còllatum, ipſumque Regem avitæ religioni reſtitutum viderit.

Sancto fine decedit.

Clauſit ſupremum diem Innocentius annis, meritis, & virtutibus plenus, ac ſacris myſteriis ritè munitus, in eodem cubiculo, in quo olim Innocentius XI. cujus virtutes æmulabatur, ſancto fine quieverat. Obiit autem die 27. Septembris anno reparatæ ſalutis 1700. ætatis 85. regiminis 9. ſupra menſes 2. dies 15. ſacrum ejus corpus aromatibus conditum, per triduum populo venerandum patuit. Quod denique, poſtquam plurium inſignium oratorum elogiis cultum fuiſſet, nobili ſarcophago in Baſilica Vaticana reconditum eſt.

Ejus elogium funerale ex Anonymo.

Qui Innocentium XII. coram ampliſſimo Patrum conſeſſu pro funere laudâſſe dicitur, hæc inter alia non minùs eleganter quàm verè ad tanti viri memoriam pronunciaſſe memoratur: *Hoc autem contendo, Patres Ampliſſimi, Innocentio XII. Pontifici optimo maximo nihil defuiſſe, quod ad egregij Principis imaginem faceret, ac veluti Polycleti canonem proponendum omnibus, qui Chriſtianam Rempublicam ſunt adminiſtraturi.*

Studium religionis.

Tria quippè deſiderari poſſunt in eo, qui rerum potitur: Studium religionis: vita innocentia: ſolers & provida gubernatio: quorum primum Deo immortali; ſibi alterum; tertium populo indiſpenſabili lege debet. Innocentius XII. in Dei Divorumq; cultu, in ſacrorum cæremoniis, in publicis precationibus, in ſolemnibus ſacrificiis, ita fuit aſſiduus, quaſi nihil præter ea animo volveret, ac rejectu omnibus in uno Numinis cultu totus eſſet defixus. Quoties vidimus grandævum ſenem ſacras ædes procul ſitas indictis ſupplicationibus, ſequente populo Romano, pedibus inviſentem atque luſtrantem? quoties antiquorum Leonum & Gregoriorum more ad ſacra extra Urbem celebranda, quà per vehementiſſimos calores, & moleſtiſſimum pulverem, quà per acres rigentis cœli morſus, & fœdos imbres magno cum ſalutis diſcrimine commeantem? Ipſis verò myſteriis peragendis quis unquam auguſtiùs operatus eſt? quis religioſiùs litavit? quis Eccleſiaſticos ritus apparatu magnificentiore tranſegit? Quæ tanta majeſtas oris, atque corporis ullibi viſa, quantam ille medius inter cœlum & terram, Deum & homines conſtitutus, æterna imolanda victima referebat? De ædificiis ad juſtitiam exercendam, ad religionem excitandam, ad divinum honorem amplificandum DEO erectis; de donariis & ornamentis in loca ſacra collatis; de eleemoſynis in pauperes, peregrinos, exules, languidos, viduas, virgines, pupillos erogatis, quid attinet hoc loco dicere, cum ſint in oculis, in ore, in benedictione omnium, ac ſatis declarent Innocentium XII. (quem nulli unquam pro laude ſuſcepti ſumptus deterruerunt, ubi de opere quantumvis arduo in Dei honorem inchoando abſolvendoq;, & pecunia liberaliter eroganda ageretur) nec labore ſuperatum, nec impenſa deterritum ullo tempore invictum animum deſpondiſſe. Denique ſacra Templa, ut, quo par erat, nitore cuſtodirentur, ut debitis ſacrificiis colerentur, enixè providit: plura in Urbe & per Eccleſiaſticam ditionem ſacerdotia ad Eccleſia miniſtros alendos, opimis reddittibus attributis, inſtituit: ne divinum nomen maledictis impeteretur, ſummoperè cavit: ne impia dogmata in exitium animarum diſſeminarentur, ſedulò invigilavit: ut ſan-

ctimoniales ſine macula, monachi ſine labe, clerici ſine ſorde eſſent, ſeveris edictis, & magna adhibita diligentia perſecit. Quibus oſtendi exiſtimo, Innocentium XII. quod ſpectat ad religionem, qua una populus maximè continetur & afficitur, egregii Principis partes cumulatè expleviſſe.

Vita innocentia. *Ut autem ille intra domeſticos penates vixerit, quàm caſtè, quàm pudicè, non habeo ad præſens neceſſe commemorare. Adoleſcens in eo genere, nedum crimine caruit, verùm omni ſuſpicione criminis. Innatas homini cupiditates ità fregit, ut iis dominaretur. Voluptates immoderatas adeò averſatus eſt, ut ne honeſtas quidem, & ætati permiſſas temerè admitteret. Cibi potuſq; abſtinentiſſimus, & ab omni menſarum luxu alienus, inſigne frugalitatis & parſimoniæ exemplum poſteris reliquit. Teſtantur id ſumptuaria illius rationes in tabulas relata, quibus non tam moderati Principis, quàm in tenui fortuna conſtituti civis victum contineri diceres: cùm interim in publicos ſumptus pecunia quaſi ab Amalthea cornu immenſa undique copia effnnderetur.*

Provida gubernatio. *Et ne illam tantùm animi partem, quæ moribus informatnr, eum excoluiſſe putes, nulla verò mentis ornamenta quæſiiſſe, in omnibus ferè ſcientiis ad miracnlum ernditus, à Muſis minimè alienus, ſolida eloqnentia inſtructus, diſertis ſæpè orationibus Senatum, curiam, populos, ipſamq; adeò Romam erudivit, excoluit, illuſtravit: ut minimè mirum videri debeat, ſi animus præclaris adeò diſciplinis imbutus vitam inſtituit ſumma religioni conjunctam: ſi populum legibus, verbo, & exemplo ad omnem virtutis ac pietatis normam inflexit: ſi partes denique ſolliciti Principis, optimiq; Paſtoris, ac ſapientiſſimi legiſlatoris ingenti laude, quoad vixit, adimplevit. Certè illud Roma non gravatim, grato ſatebitur ore, nunquam vita morumq; Innocentiam capnt liberiùs tranquilliuſq; extuliſſe, atque regnante Innocentio XII.* Hactenus Encomiaſtes: quibus etſi plurima ex aliis adjici poſſent, nobis tamen hæc paucula hoc loco retuliſſe ſuffecerit.

SCRIPTA.

Scripta. Scripſit Innocentius XII. inſignes aliquot epiſtolas Apoſtolicas ad Cæſarem, Reges, Principes, Epiſcopos, Magiſtratus &c.

Item Conſtitutiones: Decreta: Diplomata.

Orationes item varias, dum Nuncij Apoſtolici munere in aula Magni Ducis Hetruriæ, in Regno Poloniæ, & apud Leopoldum I. Cæſarem Viennæ fungeretur.

Extat etiam prægrande volumen ejus epiſtolarum familiarium ad diverſos datarum.

ANNO CHRISTI MDCC.

Imperatoribus LEOPOLDO I. JOSEPHO I. & CAROLO VI. Auguſtis.

DE

CLEMENTE XI. Pontif. Max.

Hodie feliciter & glorioſè regnante.

Singula-

Singulare prorſus beneficium eſt, magna & inæſtimabilis gratia, quam DEUS ter opt. max. juxta ſponſionem ſuam, Reipublicæ Chriſtianæ, totique gregi ſancto pro ineffabili ſua bonitate atque providentia exhibuit, Principem nobis & Paſtorem indulgendo, omni virtutum genere ornatiſſimum, pium, ſapientem, ſtrenuum, circumſpectum, cunctiſque iis dotibus, quæ ad ſummum Sacerdotium integrè riteque adminiſtrandum, & ad populum ſibi concreditum verbo & exemplo paſcendum, atque à circumſtantibus imminentibusque calamitatibus liberandum, & ad tranquillitatem pietatemque poſtliminio reducendam neceſſariæ ſunt, apprimè præditum, & munitum. CCXLVII. *Clemens XI. ſingulari Dei beneficio Nobis in Paſtorem datus.*

Talis profectò hodie eſt Sanctiſſimus D. N. re & nomine CLEMENS hoc vocabulo XI. Joannes Franciſcus Cardinalis Albanus anteà nuncupatus, patria Urbinas, utpote Urbini primaria eaque Ducali Urbe, ac Umbriæ metropoli in lucem editus Tertio Idus Julij anno reparatæ ſalutis 1649. progenitus illuſtri viro Carolo Albano ex patritia *Albanorum* gente, plurium inſignium toga ac ſago virorum conſpicua, uti ſolidè demonſtrant Erizzo Legatus Venetus *in Relat. m. ſſ.* & P. Antonius Foreſti S. J. *in Append. ad Geograph. Hiſtor. in vita Clementis XI.*

Joannes Franciſcus præclaram indolem, vividum ac perſpicax ingenium à natura ſortitus, ubi primùm per ætatem licuit, ſingularem morum ſuavitatem, maximamque ad pietatem, & ad litterarum ſtudia propenſionem præſetulit. Annum agens undecimum à Carolo patre Romam ductus, in Collegio Romano ſub diſciplina Patrum Societatis Jeſu humanis ac ſacris facultatibus operam dedit tanta cum laude diligentiæ & ingenij, tanta hominum ſapientum commendatione & approbatione, ut jam tunc ſummo imperio dignus ſit viſus, ſummumque ipſi Sacerdotium vel portenderent, vel apprecarentur. Emenſo Theologiæ curriculo, Civilia & Canonica Jura cognoſcenda ſuſcepit, nec magno temporis intervallo abſolutiſſimè comprehendit. Animum à ſeriis ſtudiis, gravioribusque occupationibus remittere volens, Poëſim atque eloquentiam colebat: in qua quia maximè excelluit, in illuſtri Academia, quam Chriſtina Suecorum Regina inſtituerat, & in qua nonniſi litterarum laude præſtantiſſimi adſcribebantur, cum plauſu fuit admiſſus. In ea, præter multa excellentis ingenij data ſpecimina, orationem habuit de Laudibus Jacobi II. Britanniæ Regis numeris omnibus abſolutam, quæ quia ſecundis auribus, & ſumma auditorum approbatione excepta fuit, typis è veſtigio mandata eſt, ac diu per ſapientum manus atque ora eſt evagata. Latini ſermonis elegantiæ Græcam linguam, in qua plurimum valet, adjunxit; cujus linguæ peritiam meritò Auctores, qui ſacros faſtos conſcribunt, commendant atque extollunt. *Ejus vita primordia.* *Romæ ſub diſciplina PP. Soc. Jeſu litteris vacat.* *Theologiæ ac Jurisprudentiæ operam navat.* *In Academia Chriſtinæ Suecicæ ſuſcipitur.* *Latinæ linguæ Græcam adjungit.*

Vigeſimo primo ætatis ſuæ anno inter Canonicos S. Laurentij in Damaſo cooptatus, ea vitæ morumque innocentia vixit, ut exacto ſeptennio facilè ſibi viam ad Prælaturam aperuerit, ſummumque ſub Innocentio XI. Reatinæ, Sabinæ, ac Urbevetanæ Civitatum *Urbium regimini cum emolumento præficitur.*

obtinuerit magiſtratum. Quo in munere intelligens ſe Civitatis perſonam gerere, ejus dignitatem ac decus tanta cum auctoritate & fide ſuſtinuit, ut nihil quod vel legibus, vel æquitati, vel prudentiæ adverſaretur, admiſerit unquam. Romam inde ab eodem Pontifice revocatus, in Vicarium Templi S. Petri electus eſt, à quo tamen munere non multò pòſt ad aliud longè excellentius translatus,

Secretaria Brevium admovetur.

Brevium, ut vocant, *Secretariam* ſuæ fidei commiſſam accepit. Quantum in hoc munere excelluerit? quantum Reipublicæ Chriſtianæ profuerit? quàm proficuas ac ſalutares vigilias provehendis Eccleſiæ negotiis inſumpſerit? quàm puras ab omni donorum corruptela manus retinuerit? nemo Romanorum eſt, qui ignoret, nemo exterorum qui non commendaverit.

Ab Alex. VIII. purpurâ donatur.

Anno 1690. die 13. Februarij promeritam dudum purpuræ dignitatem ſuſcepit ab Alexandro VIII. cui jamdiu propter vitæ morumque integritatem, rerum peritiam, eruditionem, ac conſilij vim erat acceptus. Quæ ſanè dignitas non tam illi claritatem attulit, quàm labores; addito priſtinæ rerum moli, Cardinalatus onere, cui nulla in parte unquam defuit. Neque Alexandrum facti pœnituit, qui in omni graviori negotio ab ejus ore conſilioque pendebat. In-

Utilem operam Innocentio XII. præſtat.

nocentius pariter XII. toto ſuo Pontificatu, in difficillimis Reipublicæ negotiis, ejus opera ſemper eſt unus, de ejus nunquam prudentia ac fide dubitans: cavebat enim in agitandis negotiis quàm maximè, (nihil potentiorum offenſiones veritus) ne quid Romanæ Sedis auctoritati, aut Juſtitiæ, aliena ambitione detraheretur: ne quid leges, decreta, Conſtitutiones Apoſtolicæ, quibus Eccleſiaſtica diſciplina floret & innititur, detrimenti paterentur. Exemplo e-

Omnibus exemplo eſt.

tiam ſuo in alios pietatem, ad quam mirum in modum proclivis erat, derivabat, ac firmabat. Auro, cujus ſiti nunquam æſtuabat, ad communem tantùm utilitatem utebatur, ſollicitus ne aut virtuti merces deeſſet aut ſtudiis, & præcipuè ne eos, qui ab hæreſi nuper receſsêre, ad priſtinos errores alliceret & revocaret inopia.

Pontifex eligitur.

His virtutibus longo annorum intervallo, veluti *Sidus in monte poſitum*, totâ Româ inclareſcens, ad ſupremam Eccleſiæ dignitatem ſe vel nolens inſtruxit, ad quam poſt obitum Innocentij XII. miro propè omnium, qui ſacris tum Comitiis intererant, conſenſu ac ſuffragiis, annum agens ætatis quinquageſimum primum, eſt elevatus ipſa die divo Clementi Papæ ac Martyri ſacra, cujus etiam nomen, beneficij memor, ſibi uſurpavit; gratulantibus bonis omnibus, *Innocentia* ſucceſſiſſe *Clementiam*, ſeu quod idem eſt Innocentio Clementem.

Invitus electioni aſſentitur.

Clemens igitur, nemine præter ſe diſcrepante, Pontifex maximus electus, quantis conatibus, quantis precibus ac lacrymis inſtiterit, ut decretam in ſe dignitatem amoliretur, vix fidem habebo, ſi dicam. Trahebatur ad thronum Apoſtolicum (audiat id ambitio, & erubeſcat) tanquam ad locum martyrij: nec inſediſſet, niſi adamatam ibi Crucem, qua Chriſtus & Petrus tantoperè gloriabantur, conſpexiſſet; averſatus non tam onus, quàm oneris gloriam, quæ quia ſejungi non poſſent, utrumque, fatigatus eligentium precibus, ſubmiſſo animo admiſit; factus obediens illi, qui eum tanquam *Aaron* in ſortem miniſterij vocavit. Statim

Ejus aſſumptio omnibus lætitia eſt.

Statim ac per Urbem, ac deinceps per Europam electionis hujus fama ſe ſe diffudit, ingens bonorum omnium plauſus ac lætitia eſt ſubſecuta: ſolus ipſe communi defuit lætitiæ, rorantibus oculis congratulantium vota excipiens, atque ad ſigna exultantis Romæ ingemiſcens. Quod factum arbitror ſingulari Numinis conſilio, ut omnes conjicerent, quæ felicitas ſub eo Principe ſperanda eſſet, qui nihil ad imperium, præter virtutem, ac imperij faſtidium attuliſſet.

Annonam Urbi procurat.

Et ſanè principatu vix inito, ſtatim annonæ, qua plurimùm Roma laborabat (hujus operis procuratione integerrimis viris demandata) conſuluit, magnâ undequaque advectâ frumenti copiâ. Quo in genere in primis valuit induſtria Eminentiſſimi Cardinalis Ferdinandi Nuzzi tunc Annonæ Præfecti, qui annonæ provehendæ ac multiplicandæ intentus, inſignem *de cultu Romani agri* conſcripſit libellum, diſertiſſimè probans non hujus telluris vitium eſſe, ſi deſit ſeges, ſed cultoris aut nullius, aut certè deſidis; cùm priſtinis temporibus, ut monumenta docent, immenſo propè populo cumulatè alendo fuerit ſufficiens.

Principes Catholicos pacis vinculo colligat.

Præcipua tamen hujus Pontificis fuit cura, per litteras ac Nuncios diuturno pacis fœdere colligare Principes Catholicos: eaque ad diffidentes animos conciliandos componendoſque utitur prudentia, ut nulli hiſce in rebus agitandis ſuboriatur ſuſpicio, aliquid ipſum ad privatum potiùs conſilium, quàm ad publicam utilitatem referre.

Pietate in omni actione fervet.

Ejus pietas cùm in recreandis pauperum ærumnis, tum in aſſidua quadam mentis atque animi cum Deo conjunctione maximè apparet; adeò ut quidquid agat, aut imperet, unam redoleat pietatem. Ejus eloquentia ac ingenium emicat ex graviſſimis juxtà ac diſertiſſimis Homiliis, quibus frequenter, antiquorum Patrum more, populum ad omnem pietatem informat & acuit. Quæ in litteratos viros ejus ſit voluntas, ex hoc facilè conſtat, quòd Ipſe & ſtudiorum ſit Mœcenas & ſocius.

Populum verbo vitæ paſcit.

Litteris favet.

Juventutem ad honeſtas artes excitat

Intelligens nihil ad Urbis felicitatem conferre magis, quàm adoleſcentes, ne otio diffluant, honeſtis laboribus occupare; Pictoribus, Sculptoribus, Architectis, quorum artes minùs tunc florebant, veluti arenam in Capitolio ſtatuit; qua cùm invicem de operis præſtantia decertant, de judicio ſimul ac præmio ſolliciti, artibus accedat & pretium & cultor.

Janſeniſmũ edicto comprimit.

Terræmotum indictis precibus ſedat.

Sed interim Janſeniana hæreſis, quam vigilantiâ Superiorum Pontificum evulſam credebamus, rurſus per Gallias plurium detrimento, omnium periculo cœpit ſerpere: & Terræmotus, qui plures Italiæ Urbes magna mortalium ſtrage concuſſit, disjecitque, eandem cladem Romanis ædibus intentat: utrique periculo, pro ſua in omnes ſollicitudine, occurrit Clemens, gravi ſalubrique Decreto (quidquid Janſeniſtæ contrà inſaniant) renaſcentem hæreſim comprimit; & publicis indictis precibus, quas & ipſe humiliter init, ad veniam Numen flectit: qua tandem impetrata, ne diuturnitas deſit beneficio, totum ferè orbem ad gratias Deo referendas largiſſimis indulgentiis excitat, Romamque ipſam voto obſtringit, ut à Bacchanalium ludis quinquennio deinceps ſe temperet.

Quam-

Provehenda virtuti, non ſanguini ſtudet. Quamvis virtutem quamlibet in dignitate, veluti lubrico in loco poſitam difficile ſit tueri; nihil tamen ægriùs intra æquitatem continetur, quàm illa, quæ à natura accipitur, in parentes ac conſanguineos nimia proclivitas ac gratia: à qua tamen indulgentia, exemplo plurium inſignium Pontificum, ita eſt alienus, ut, confirmatâ Innocentij XI. *de Nepotiſmo abolendo* Bullâ, nihil in conſanguineis amet atque extollat præter virtutem & ſapientiam, quibus dumtaxat gradibus viam ſibi ad Cardinalatus dignitatem fecit, quem omnes hodie laudant atque ſuſpiciunt, Hannibal Albanus ejus nepos, eruditione ac morum integritate conſpicuus.

Subditorum commodis intendit. Cæterùm omnem indulgentiam omnem clementiã, quam ipſa nominis appellatione præfert, ad ſubditorum cōmoda transfert: facilis non ſolùm vel vulgari homini ad eum aditus, ſed ſingulis præterea menſibus, ad excipiendas ſubditorum petitiones, pauperumq; querelas, deſtinatam diem præfigit: qua facilitate & Judices in officio continet, & ſubditorum curas aut prorſus tollit, aut minuit. Hinc

Noſocomia languentium frequentat. etiam de curandis, juvandiſque ægris (ad quod officium frequens etiam in Noſocomia cum abjectioribus deſcendit) ardens ſtudium promanat: horum lectulis, ſepoſita ut ita dicam majeſtate, privatus aſſidet, alloquitur, ſolatur, blanditur, omnes vel in ſpem ſalutis, vel ſanitatis erigit. Quin etiam non nunquam munus arbitri conſcientiæ obit, pœnitentes audit, abſolvit, cœleſti pane, benedictione, nummis ac cibis reficit; non immemor, hujuſmodi Lazaros cœlo ac ſuperis præ primis cordi eſſe, nec tam ipſos hoc pietatis officio coli, quàm Deum in ipſis. Ita ſibi à ſumma dignitate aliud non contrahit præter omnium labores, atque ærumnas; quas tamen, ne pretium deſit, cum Apoſtolo in lucro ponit.

Improbos ad frugem revocat. Majori tamen ad repellendos animi morbos (quippè ex his pejora imminent) incumbit cura. Improbis ex paupertate atque otio adoleſcentibus, domum carceris ſpecie erexit, qua ſub ſeveriori diſciplina ad frugem vel inviti revocentur. *Famoſis mulierculis conſulit.* Mulierculis mali nominis, ſalutaria fecit receptacula, ne egeſtatis remedium à culpa quærant, talesque iis ad cautelam præfecit moderatores, qui vel venerem ab illis prorſus arceant, vel nonniſi honeſtam in matrimonio conſequendam permittant. *Exules fidei cauſâ paternè complectitur.* Hibernos atque Anglos fidei cauſâ in Galliam, aut aliò receptos peculiari complectitur amore, juvatque liberaliter, cavendo maximè, ne tædio exilii aut inopiæ diſpendium fidei faciant. Nec diſſimilia pietatis officia exhibet hæreticis Hebræisque; in quorum favorem ampliſſimam edidit Bullam, ſpecialibus gratiis inſignem, quibus eorum indigentiæ accommodo, ne relabantur, egregiè proſpicitur. *Errantes in viam ſalutis reducit.* Qua ſanè laudabili providentia id evicit, ut intra perbreve tempus, præter quamplurimos hebræos Romæ natos, ingens etiam alibi errantium numerus ad caſtra Catholica tranſierit. Quo in genere inſignis fuit converſio ſereniſſimi Ducis Antonij Ulrici Wolfenbutelani, qui ſub annum ſalutis 1710. ſolemni ritu ab hæreſi Luterana expiatus, magnam ſecum & familiarium & ſubditorum partem ad ſacra Romana attraxit. Tanti intereſt ſollicitum ac bonum Ovili Chriſti præeſſe paſtorem!

Porrò

Porrò nobilibus adoleſcentibus viam Eccleſiaſticam ineuntibus celebre Collegium juxta Minervam inſtituit ſub nomine *Academia Eccleſiaſtica*, ut in eo pietate, moribus, diſciplinis, ſacriſque ritibus imbuerentur. Baſilicis S. Clementis, S. Mariæ ad Martyres vulgò *La Rotonda* divorum Petri & Marcellini, D. Theodori, S. Mariæ trans-Tyberim elegantiam ac dignitatem adjecit; aliaſque quamplurimas temporum injuriâ collapſas, aut labefactatas reſtituit ac inſtauravit. Celeberrima Raphaëlis Pictoris opera ſqualore ac pulvere obſita, ab interitu vindicavit. Marmoream Cleopatre ſtatuam (mirandum antiquitatis opus) multis in partibus comminutam priſtino nitori reſtituit. Stupendam Antonini Pij columnam variis veterum inſcriptionibus inſignem, è terris erutam erexit, novum Romanis ſpectaculum fecit. Recentem portum ad oram Tyberis, navigantium comm odo peropportunum, conſtruxit. Regium Mauſolæum pro condendis Chriſtinæ Sueciæ Reginæ cineribus abſoluit.

Celebre Collegium condit.

Eccleſias inſtaurat & ornat.

Antiquitatis monumenta reſtituit.

Recentem portum excitat.

Præſtat verò ad majorem dictis conciliandam fidem audire hoc loco eruditum Scriptorem Jo. Mariam Lanciſium, qui in Præfatione *ad Metallothecam Vaticanam*, quam edidit, hæc inter alia ad tanti Pontificis memoriam ſubjungit. *Inter egregias & præclaras dotes, quibus reſulget animus SSmi Pontificis* CLEMENTIS XI. *poſtremo certè loco non eſt accenſendus amor ille, quo uuuquam uon proſequitur mouumenta priſcorum, aut propter religionem coleuda, aut propter artium & ſtudiorum commoda obſervanda; ut proinde reparandis, reſtitueudis, imò etiam magnificentiùs exoruaudis, atque amplificaudis ſacris ædibus, quæ Chriſtianâ quidem memoriâ intra Urbem celebrautur, ſed ob vetuſtatem ſqualida panituſq; labefactata jacebant, per tria jam luſtra quàm diligentiſſimè ſtuduerit. Scriptorum verò oblitterata penè Commentaria, atque ævo invidente cum ipſis Auctorum cineribus conſepulta, ita conquirenda atque illuſtranda curaverit, ut nullâ locorum diſtantiâ, nullâ impenſarum maguitudine, nullo denique difficultatum objectu retardari potuerit, quominùs pretioſiſſimis theſauris & Vaticanam & privatam ſuam Bibliothecam, ſive, ut æquiùs judicemus, univerſam Rempublicam litterariam locupletaverit. Præ cunctis verò inceuſu naturalium ſcientiarum poſt Auathomicas Bartholomæi Euſtachij Tabulas à rubigine tenebriſq; vindicatas, laudanda nobis occurrit, quam nunc in manus hominum damus,* Michaëlis Mercati Metallotheca.

Lanciſii teſtimonium affertur.

Veteris Commentaria conquirit.

Idem argumentum proſequitur laudatus auctor in Notis ad Metallothecam Vaticanam pagina 157. his verbis. *Locus hic jure expoſcit, ut pauca dicamus de ingenti ac magnifica SS. Patris Clementis XI. cura in Vaticanis ædibus munieudis, exornandis, atque amplificandis: namq; non modò earum incolumitati conſuluit, cùm pluribus in locis à terræmotu concuſſas ac labefactatas refecit firmavitq;, verùm etiam earumdem nitori munificè ac liberaliter proſpexit. In quamcunque enim harum ædium partem veſtigium ponas, ubique aliquod occurrit optimi hujus Principis munificentiæ indicium: utque cætera omittantur, picturas nobiliſſimas, quibus tum Aula, ut vocant, regia, & Clementina, tum cubiculorum, quæ Raphaëlis Urbinatis appellari ſolent, parietes exornantur, contractis vetuſtate ſordibus jam penè obliteratas, tam diligenter expolieudas ac detergendas curavit, ut nunc tamquam ex tenebris*

Vaticanum reficit & illuſtrat.

Raphaëlis pictoris opera innovat.

nebris quodammodo eruta, atque in lucem revocata ex obſcuris atque inquinatis nitidiſſima ac perpolita conſpiciantur.

Pinacotheca in Vaticano exornat. Eodem ſtudio Pinacothecam, proximaſque ad Septentrionem ædes (vulgò *Belvedere*) tabulis, ſtatuis, aliiſque veteribus monumentis inſtauratis reſtituit; ſignis marmoreis, aulæis, operibus muſivis, aliiſque id genus præclaris recens adjectis ornamentis mirificè auxit atque ampliavit. Sed præ cæteris Bibliothecam Vaticanam, etſi locupletiſſimam ornatiſſimamque, longè locupletiorem atque illuſtriorem reddidit. *Bibliothecam Vaticanam auget, & remunerat.* Siquidem ejus picturas pluribus in locis deletas, recenti doctoque penicillo refici ac innovari juſſit: codicibus omnis generis undequaque collectis, ac præſertim M.SS. Arabicis & Syriacis per viros orientalium linguarum peritos diligentiſſimè ac magno ſumptu conquiſitis, inſigniter eam ditavit, auxit, infarſit. Inter cætera autem conſpicuum ſanè eſt linteum ex lino Asbeſtino contextum, quod annis abhinc duobus munificè eidem Bibliothecæ largitus, inter eximia ipſius cimelia aſſervari mandavit unà cum urna marmorea ex ruinis Romanis non ita pridem effoſſa: cui ſequens Inſcriptio ad perenne tanti Pontificis monumentum affixa legitur.

CLEMENS XI. PONT. MAX.

Bibliothecam Vaticanam refectu Picturis propè vaneſcentibus in priſtinum ſplendorem reſtitutam, vetuſtiſſimis Codicibus Manu Scriptis Syriacis præſertim & Arabicis ex interiori Ægypto conquiſitis & avectis, aliaque multiplici litteraria ſupellectile locupletatam, Asbeſtina raræ magnitudinis ſindone unà cum urna marmorea, in qua combuſtis cineribus circumjecta latuerat, ex antiquis Urbis ruinis effoſſa, donavit Anno Domini MDCCXV. Pontif. ſui XV.

Purpuratorũ cœtum redintegrat. Eſt & hoc immortale Clementis in Eccleſiam cùm militantem tùm triumphantem beneficium, quòd non ſolùm auguſtiſſimum Purpuratorum Senatum, plurium obitu Patrum ſenſim diminutum variis diverſo tempore habitis lectionibus, præſtantiſſimis XLVII. viris toto orbe conquiſitis ac ſelectis redintegraverit; ſed & cœleſtes honores B. Pio V. Pontifici ex ordine divi Dominici, B. Andreæ Avellino Theatino, B. Felici de Cantalicio Laico Capucino, ac B. Catharinæ Virg. de Bononia ex ordine S. Claræ, *Sanctorum numerum amplificat.* qui omnes admiranda vitæ ſanctitate, prophetiæ dono, ſigniſque cœleſtibus apprimè fulsêre, ſolemni ritu & apparatu decreverit: motus inter alia ad Eorum Canonizationem hac potiſſimùm ratione, ut in iis haberent fideles omnes quid intuerentur, quid imitarentur. Audi ipſiſſima beatiſſimi Pontificis verba ex ejus Homilia XXVII. * circa medium excerpta: *Habent nunc Epiſcopi, aliiq; animarum Paſtores impavidam* Pij *fortitudinem, qua roborentur; aſſiduam vigilantiam, qua excitentur, indefeſſos labores, quibus inſtruantur. Habent in ſortem Domini vocati, ſive inter ſæculi fluctus degentes, ſive in portum religioſæ ſtationis recepti* Andreæ *ac* Felicis *cæleſtia chariſmata, quæ æmulentur. Habent mulieres* Catharinam *tam inter aulæ pericula verſantem, quàm ſecurioribus incluſam ſepis,*

**Hom. 27. in feſto SS. Trinit. poſt Canoniz. dictorũ Sanctorũ habita.*

ptis, Chriſtianæ ubique perfectionis magiſtram ac ducem, quam ſequantur. Habent denique omnes illuſtria exempla, quæ imitentur; habent fortiſſimum patrocinium, quo cuſtodiantur.

Luxit etiam magnificentiſſimo vereque regio funeris apparatu *Leopoldum I.* Imperatorem, ob inſignes animi dotes, pietatem, victoriarum, rerumque geſtarum gloriam, optimis, maximis, religioſiſſimis Imperatoribus æquiparandum, Tertio Nonas Maij anno æræ Chriſtianæ 1705. ætatis 16. Imperij 47. non ſine ſanctitatis nota, ac maximo totius Europæ mœrore extinctum. Quo etiam acerbo honore ſexennio pòſt proſecutus eſt *Joſephum I.* Leopoldi filium in ipſo ætatis ac felicitatis flore xv. Idus Aprilis anno 1711. vitæ 32. Imperij 6. ſublatum. Cui ſucceſſit in Imperio frater *Carolus VI.* Hiſpaniarum Rex; hodie feliciter ac glorioſè regnans.

Exequias Leopoldo ac Joſepho Impp. Regiâ perſoluit.

Carolus VI. eligitur Imp.

Cæterùm ſi Clementis illuſtria facta omnia ex dignitate proſequi vellem, cùm tanta ubique occurrat virtutum ejus ubertas, dicendorumque copia, non unum ſanè alterumve mihi folium exarandum foret, ſed integri annalium faſti conſcribendi. Unde donec robuſtior exurgat calamus, qui adæquatam factorum omnium ſeriem tanti Monarchæ condigna narratione pertexat, compendio, quæ reliqua ſunt, tradam. Id habuit ſemper peculiare Clementis zelus, ac habet etiamnum, ut quocunque ſacrum protendat imperium, proroget & pietatem, juſtitiam, clementiam; ut non tam hortamentis ac juſſionibus ſubditum orbem provocare videatur ad virtutem, quàm exemplo ordinatiſſimæ vitæ incitare ad ſequelam. Nam ſua pietate pluribus in locis jacentem erexit pietatem: ſua religione emortuam animavit religionem: ſua charitate extinctam accendit charitatem: ſua virtute exulem ſacrorum cultum revocavit ad ſtationem. Ipſe eſt, qui ſanctiſſimis legibus, edictis, decretis, conſtitutionibus in foris proſtravit licentiam; in provinciis expulit hæreſim; in Clericatu eliminavit morum corruptelam. Ipſe, qui indicto vitiis bello, pacem virtutibus ſtabilivit: qui proſcripta impietate, probitatem in domos revocavit: diſcordias in urbibus extinxit; æquitatem in tribunalibus erexit; religionem in templis accendit; ambitionem in aula repreſſit; ſimoniam è Curia expulit; tota denique Eccleſiaſtica ditione pietatem, pacem, concordiam diſſeminavit. Infinitus ſim, ſi vel breviter Clemensis præcipua commemorare velim; dolebitque poſteritas, ære ac marmore digna, duntaxat in charta legi.

Reipublicæ Chriſtianæ per omnia conſulit, eamq; & ſua virtute reformat.

Interim Clementis animum, dum maximis pro Deo & Eccleſia curis diſtenditur, vehementer turbavit metus à Turcis incuſſus. Hi enim rupto cum Chriſtianis fœdere, formidabili cum exercitu terra marique Venetos ſub annum 1716. hoſtiliter aggreſſi, facta in Peloponneſum inopinata irruptione, totum id regnum proditione & armis occuparunt. Quo ſanè amiſſo, quid finitimis Italiæ Provinciis ab infido ac inſolenti victore, ni maturè reprimeretur, expectandum eſſet, pronum erat ſuſpicari. Itaque Clemens pro ſua in omnes paterna ſollicitudine, non tam Venetis in diſcrimen adductis, quàm periclitanti Italiæ conſulturus, ad conſuetum deceſſoribus ſuis remedium confugit, excitandi nimirum per Apoſtoli-

Bellum in Turcas ſtrenuè promovet.

Ad belli proſecutionem, ſuam ipſe operam confert.

cos Nuncios ac litteras ad ſacrum bellum Catholicos Principes, ſed præ primis Cæſarem, majori uti zelo, ſic ſolidiori militum robore præditum. Utque facilius, quod optaverat, aſſequeretur, præter inſtructiſſimas aliquot triremes, commeatum etiam, milites, arma, bombardas, pulverem, ſacras decimas, ingentemque auri vim, durante bello, pugnaturis adverſus barbaros Principibus obtulit; ac toto ſimul orbe Chriſtiano largiſſimas Indulgentias in forma *Jubilæi*, ad implorandum placandumque ante omnia Deum, fidelibus indulſit.

Caroli VI. Imp. pro tuenda fide ſtudium & zelus.

Incredibile dictu eſt, quanto ardore animorum pro ſe quiſque Principum, Clementis vocibus, quaſi claſſico quodam excitati, ad commune periculum propulſandum occurrerint, iis dumtaxat exceptis, quos vel anguſtæ domi res, vel recens orta diſſidia, vel invidia, aut odium fidei retardârunt. Præ omnibus tamen enituit Auguſtiſſimi Cæſaris CAROLI VI. fervor, pietas, zelus, & animi magnitudo, qui æmulator avitæ laudis pro DEO ac fide ingentem ex robore Germano exercitum, quem Turcis in Hungaria objiceret, conſcripſit; eique ducem ſuprema cum poteſtate præfecit EUGENIUM Sabaudiæ Principem, bellica virtute, victoriarum gloria, pugnandi peritia, felicitate, fama, inter maximos Heroäs, quos ulla unquam ætas ad hæc uſque tempore tulerit, longè maximum. Quid multa? Eugenius locatis ad Petrovaradinum caſtris, irruentes omni ex parte in ſe hoſtes (ducenta eoque amplius pugnatorum millia fuiſſe tradunt) tanta animi fortitudine excepit, vicit, profligavit, ut cæſis in ipſa ſtatione unà cum Vezirio quinquaginta millibus, captiſque duodeviginti millibus, totidemque ex fugitivis in Savo Danubioque ſubmerſis, non ſolùm opimâ prædâ, toto hoſtium commeatu, tormentis omnibus, ac caſtris rerum omnium copia refertis die 5. Auguſti anno 1716. potitus ſit, verùm etiam eodem victoriæ curſu munitiſſimum fortalitium *Temeſvariam*, Turcis inſuperabile viſum, poſt acerrimam oppugnationem, obſeſſorumque pertinaciſſiman. defenſionem, denique 12. Octobris ejuſdem anni, militari lege, cum omni adjacente ditione, ac trium Principatuum dominatu in poteſtatem redegerit; atque adeò totum Hungariæ regnum ab imani barbarorum jugo divulſum, incredibili hoſtium mœrore ac damno, fideliumque plauſu & incremento, in libertatem priſtinam aſſeruerit.

Eugenius Sabaudiæ Princeps exercitui Cæſaris præficitur.

Ingens de Turcis victoria reportatur.

Temeſvaria deditione recipitur.

Corcyra obſidione cum rerum emolumento liberatur.

Pari felicitate eodem anno, Deo auſpice, adverſus eoſdem barbaros uſi ſunt Veneti, qui famoſiſſimam Epiri Inſulam, ac Urbem Corcyram arctiſſima obſidione terra marique concluſam, ac undique aſſiduis tormentorum ictibus, fœdiſque cuniculorum miſſiliumque ignium ſtragibus quaſſatam, tanta animi conſtantia ac fortitudine nonnullis menſibus propugnârunt, ut ſubmotis obſidione ingenti ſtrage hoſtibus, obtentiſque in prædam cum omni commeatu eorum caſtris, victores longè clariſſimi evaſerint.

Clementis ob inſignes progreſſus lætitia.

Quantam verò lætitiam ad laureata hæc nuncia Sanctiſſimus Pater, totaque cum eo Roma ſpem inter ac metum diù ſuſpenſa, conceperint? quantum exultaverint? pronum eſt arbitrari, ſi quid terra marique tunc geſtum ſit, qua virtute utrobique pugnatum,

qua

qua triumphatum gloria? paulò altiùs reputemus. Certè ipſæ lacrymæ, quas inter feſtiva ſacra, populique plauſus, Clemens ingentis beneficij memor ad aram operatus profudit, luculentiſſimi teſtes fuêre maximi tenerrimique gaudij. Indices etiam habemus litteras gratulatorias, im̃ortali elogio & gratitudine refertas, quas Clemens Pont. ad ipſum Victorem Eugenium unà cum gem̃ato acinace ac laureata unionibus caſſide à ſe benedictis, memorabili dono in Hungariam tranſmiſiſſe fertur. Litterarum tenor (ut habent relationes) brevis hic, ſed nervoſus fuiſſe traditur: *Quòd ſedem adhuc aliquam, quòd vitam, quòd libertatem in Hungaria habemus, tuum, ò Princeps, munus, tua fructus victoria eſt; qui ſi abfuiſſet, vel Turcia migrâſſet in Hungariam Italiamq;, vel his ipſis provinciis migrandum fuiſſet in Turciam. Jam verò (cælo primum, tum tibi, Heros invictiſſime, gratia ſint immortales) jam ſentiunt barbari, & obſtupeſcunt, ſuis ſe corporibus excepiſſe vulnera, quæ nobis minabantur; nec de noſtro ampliùs Imperio ſomniant, poſtquam ſuum ægrè tenuêre. Servent de Superi Nobis, Cæſari, Eccleſia, Imperio quàm diutiſſimè felicem: qui robur, & decus, & columen fidelium es, hoſtiumq; terror, domitor, ac victor.* Hæc quidem anno ſexto decimo ſupra milleſimum ſeptingentiſimum in Hungaria geſta ſunt.

Eugenius Princeps memorandis à Clemente donis afficitur.

Sequenti verò anno (qui fuit Chriſti 1717.) *Eugenius* inſtaurato cum Turcis bello, aſſiduis eorum excurſionibus, ac tormentorum exploſionibus impetitus, caſtra, quæ ad obſidendam *Albam Græcam* Savum inter & Iſtrum munitiſſima habebat, xv. Auguſti incubante jam nocte, nullo militari ſigno, quo dignoſci poſſet, edito, cum L. pugnatorum millibus egreſſus, rectoque tramite ad ipſa hoſtium munimenta ac caſtra progreſſus, Turcas nil tale opinantes, ſitu locique opportunitate, tormentis bellicis, ac numero longè ſuperiores, ſummo mane beneficio nebulæ mira animorum alacritate atque conſtantia aggreditur, perruptisque ac conſcenſis caſtris, factaque quaquaverſum impreſſione, diù fortiterque reluctantes atroci prælio diſſipat, ſternit, profligat, ſuperat; tanta quidem fugientium confuſione, cadentiumque ſtrage, ut nullo non loco duorum altitudinem hominum exæquaret cæſorum cadaverum ſtrues. Quinquaginta eoque amplius Turcarum millia ea in pugna internecione deleta referuntur. Caſtra rerum omnium copiâ refertiſſima, unà cum tormentis bellicis, pulvere, globis, blumbo, bombardis, curribus, jumentis, ſcrinio militari, omnique commeatu, ſupellectili, ac caſtrenſi apparatu noſtris in prædam ceſsêre. Tanta victoria (quam divinis potiùs, quàm humanis viribus tribuendam, & victi & victores faſſi ſunt) noſtris non amplius ſex millibus partim cæſis, partim vulneratis ſtetit.

Turcas iterũ memorabili ſtrage ſuperat.

Biduo pòſt (nempe 18. Auguſti) ipſa metropolis Serviæ *Alba Græca*, quum noſtri horrendis tormentorum exploſionibus acerrimè inſtarent, ab exterritis præſidiariis (quorum 20000. armis & robore conſpicui numerabantur) unà cum fortaliciis ac munimentis, omniq; bellico tam terreſtri, quàm navali apparatu, Victori *Eugenio* in fidem tradita eſt. Inaudita hæc ſtrages, atque deditio, cœlo auſpice, duos intra dies à noſtris citra exemplum parta, uti toti orienti maximo terrori atque excidio fuit, ita probis omnibus incredibili gaudio;

Albam Græcam deditione accipit.

rerumque augmento accidit; ſed maximè Romano Pontifici, qui rei Chriſtianæ, armiſque fidelium provehendis, nullis unquam largitionibus, legationibus, ſuffragiis, conſiliis, & hortamentis defuiſſe notatus eſt. Applauſêre victoribus *Cæſari* & *Eugenio* extemporaneis metris ingenioſi Vates Latini Italique, quorum hic ſpecimen nonnullum damus.

Ad Auguſtum Cæſarem.

AUGUSTI menſis Turcis fatalis & enſis;
Accidit, AUGUSTI menſis & enſis ovat.

Ad Eugenium Principem.

L'Iſtro e'l Savo in un tempo Tu incadéni;
Belgrado eſpugni, e'l Thrace vinci è freni;
O nuovo Marte! ò fulmine di guerra!
Chi ſarà pari à Te? niſſuno in terra.

Votum Auctoris. Faxint Superi! (quod hodie bonorum omnium votum eſt) ne triumphantem etiamnum per invictam *Eugenij* dextram CAROLUM VI. ſuæque felicitatis ſigna latiùs in Turcia explicantem contrahere vela cogat invidia quorundam malevolorum Principum; quibus AUSTRIA & ECCLESIA ex defectu Lunæ Ottomannicæ creſcens, ac incrementa ſumens, amarum lividi animi tormentum eſt.

Epilogus Operis. Sed age fatigatum jam tandem calamum ponamus; ac Operi ſimul noſtro, poſt enarratos CCXLVII. Romanos Pontifices, coronidem; ipſique SS. D. N. CLEMENTI, qui numero, non virtutibus poſtremus eſt, CORONAM imponamus. Neque enim quò ultrà progrediamur habemus, poſtquam quidquid virtutis, ſapientiæ, ac bonitatis in cunctis miramur, in uno hodie CLEMENTE, tanquam in ampliſſimo divinorum chariſmatum compendio, collectum tenemus. De quo verè, vel Momo non refragante, pro fine dixerim, quod Janus olim Vitalis de Leone Magno ceciniſſe reperitur.

ORBEM QUI SCRIPTIS, URBEM VIRTUTIBUS IMPLET.

SCRIPTA.

Clementis Scripta. Scripſit Clemens XI. multas litteras ad Leopoldum I. Joſephum I. ac Carolum VI. Auguſtos Imperatores; ad Reges item & Principes, Reſpublicas, Magiſtratus &c &c.

Item Decreta varia, & Conſtitutiones &c.

Homilias circiter XL. ſermonis elegantia, ſcripturarum gravitate, ſententiarum pondere, Apoſtolici ſpiritus fervore planè ſuſpiciendas, ac diſertiſſimis illis priſcorum Patrum elucubrationibus ſine controverſia æquiparandas.

Harum

Harum XXVII. unà cum duabus Orationibus *de Terræmotu* in Conſiſtorio habitis, Italicè ex Latino vertit, ac anno 1714. Venetiis publici juris fecit Joannes Marius Creſcimbenius Academicus *de Cruſca* quas ad manus teneo, ac veneror.

Edidit etiam elegantiſſimam Orationem *de laudibus Jacobi II. Britanniæ Regis*, aliaque id genus politioris litteraturæ plura, dum Academicum Romæ ageret in erudita Chriſtinæ Reginæ Sueciæ Palæſtra.

Reliqua ejus Opera litteraria ante Pontificatum edita, Romanis non ignota, ad meam hactenus notitiam non pervenerunt. Erunt procul dubio poſt me viri eruditi, qui grato animo has gemmas colligent, ac poſteritati ad utilitatem publicam non gravatim conſignabunt. Quo fiet, ut nullus CLEMENTINI nominis famæ, ac gloriæ ſequatur

FINIS.

INDEX IV. GENERALIS ALPHABETICUS

Pontificum, Cæſarum, Regum, Principum, Perſonarum, Urbium, ac rerum omnium memorabilium, quæ ſparſim in hoc Volumine continentur.

A.

Abailardus hæreticus damnatur ab Innoc. II. 377. item a Lucio II. 381. reſipiſcit, & vitam monaſticam amplectitur *ibid.*

Abdyſu Orientalium Patriarcha vir inſignis Pio IV. obedientiam præſtat, fidem Rom. profitetur, & in dignitate ſua confirmatur. 782.

Acacius Epiſ. Conſtantinop. à Felice III. damnatur, 77. ejus in Felicem protervia, *ibid.* mala morte tollitur, *ibid.*

S. Adalbertus Pragenſis Epiſ. ob fidem Cath. martyrio coronatur, 279.

B. Adelais Othonis I. Imp. conjux à Silveſtro II. ſanctis adſcribitur, 292.

Adelphonſus Galliciæ Rex, conſentiente Joanne IX. Eccleſiam Ovetenſem in Metropolitanam erigit, 250.

Adelricus Epiſ. Cenomanenſis, doctrina & ſanctitate celebris, ſede ſua iniquè pulſus, à Gregorio IV. reſtituitur, 210.

S. Adeodatus Pont. Neſtorianos Româ pellit: Templa conſtruit: oſculo leproſum ſanat: Conſtantium Imp. amicum habet, 137. duos Archiepiſcopos Ravennates rebelles damnat: ſanctæ obit, *ibid.* ejus Scripta, 138.

Adolphus Naſſovius Cæſar dicitur, 494. ab Alberto Rudolphi I. filio occiditur, 507.

Agapetus I. Pont. mittitur ad Juſtinianum I. Imp. 94. redarguit Imperatorem, & quare, *ibid.* celebrat Concil. Oecum. Conſtantinop. *ibid.* Chilpericum Galliæ Reg. excommunicat, 95. miraculis coruſcat, *ibid.* ejus obitus, elogium & Scripta, *ibid.*

Agapetus II. Pont. 266. ejus elogium, *ibid.* Ludovico IV. Franciæ Regi adverſus Hugonem Capetum ſuffragatur, 267. ſanctè moritur, *ibid.* ejus Scripta, *ibid.*

Agatho Pont. 140. ejus præclara vitæ primordia, *ibidem.* ob miraculorum frequentiam Thaumaturgus appellatus, *ibid.* manſuetus ac largus in omnes, 141. agit cum Conſtantino Imp. da Concilio celebrando, *ibidem.* Coucilii hujus deſcriptio, & quæ mira in eo acciderint? 142. ſanctè moritur, ac miraculis claret, *ibid.* ejus Scripta, 142.

Agnes Henrici IV. Imp. mater à filio ex aula pellitur, 325. ſumpto relioſo habitu ſanctè moritur, *ibid.*

Agnes ſtultorum opinione Papiſſa, 218. ejus fabula exploditur, *ibid.*

Aiſtulphus Longobard. Rex Stephano III. adverſatur, 173. ei bellum indicit Pipinus in favorem Eccleſiæ Rom. 174. eundem Papia obſidet, ac in ordinem redigit, *ibid.* fit perjurus ac Romam obſidet, 175. à Pipino profligatur, & ad reſtituenda Eccleſiæ ablata compellitur, *ibid.* ejus interitus, *ibid.*

Alaph. Turcus Edeſſam Meſopotaniæ urbem in poteſtatem redigit, eamque diripit, 378.

Alba Græca à Chriſtianis expugnatur, 919. item 939.

Albericus Maroziæ filius Romanos in Hugonem Italiæ Regem concitat, 262. Hugonem fugat: Maroziam matrem, & Joannem XI. fratrem cuſtodiæ maudat, *ibid.* Hugoni reconciliari renuit, *ibid.* ſeditionem in Stephanum IX. excitat, 263. ab Othone I. Imp. in ordinem redigitur, 264.

Albericus Tuſciæ Marchio Joannem X. armis in S. Sedem intrudit, 257. eidem Joanni adverſus Græcos præſto eſt, 258. Joanni adverſatur, & quare? *ibid.* Romæ ſeditionem excitat: cuſtodiæ eapropter traditur, ſed elabitur, *ibid.*

Albertus I. occiſo Adolpho Cæſare Imperator dicitur, 494. ob id à Bonifacio VIII. in jus vocatur, 507. obſequitur, & in imperio confirmatur, 518. privilegio ſpeciali à Benedicto X. donatur, 514. occiditur, 520.

Albertus II. ſuccedit Sigiſmundo Imp. in imperio, 617. poſt biennium moritur, *ibid.*

Albertus Magnus quis? 458. ejus vitæ ſynopſis, *ibid.*

Aldegiſus Deſiderii Longob. Regis filius, fuſo Patre à Carolo Magno, Conſtantinopolim fugit, 186.

S. Alexander I. Pont. 18. ejus Inſtituta & decreta,

creta, *ibid.* fidem Cath. dilatat, ac martyrio coronatur, *ibid.* quæ ſcripſerit? *ibid.*

Alexander II. Pont. 396. Schiſma inter illum & Cadaloum Epiſ. Parmenſem, *ibid.* hinc turba, *ibid.* arguitur & defenditur, 331. Mantuæ Concil. celebrant, & quæ in eo geſta? 332. Henricum Imp. in jus vocat, & quare? *ibid.* Angliæ regno contra invaſorem patrocinatur, *ibid.* ſanctè moritur, *ibid.* ejus Scripta, 333.

Alexander III. Pont. 396. Schiſma inter illum & Victorem IV. *ibid.* fugit in arcem Hadrian, 397. Urbe à Schiſmaticis pellitur, *ibid.* Antipapam & Fridericum Imp. damnat, 397 migrat in Gallias, ubi Fridericum & Antipapam iterato damnat, 398. mortuo Antipapa, novo Schiſmate vexatur, 399. è Gallia revocatur ad Urbem, *ibid.* eà pellitur à Friderico, 400. Alexandria ab ejus nomine vocata conditur, *ibid.* Henricum Angliæ Reg. ob necem ſancto Thomæ Cantuar. illatam in jus vocat, 401. Numerum Sanctorum auget, *ibid.* pacem cum Frid. Imp. facit, 402. Concilium Lateran. celebrat, *ibid.* moritur, 403. Quæ ſcripſerit? *ibid.*

Alexander IV. Pont. 449. ejus elogium, *ibid.* monet Manfredum, ac in eum arma movet, 450. Ezelinum Tyrannum cenſuris notat, 451. ſalutem animarum promovet, 453. Epiſcopos officii admonet: mulieribus pœnitentibus conſulit, *ibid.* doctis favet, ac religioſis patrocinatur, 454. ejus obitus, & Scripta, *ibid.*

Alexander V. Pont. 580. ejus vitæ primordia. *ibid.* elogium, 581. ejus res geſtæ in pontificatu, *ibid.* Mendicantium ordini favet, 582. ob luem contagioſam Piſis Bononiam migrat, 583. ejus religioſus obitus, *ibid.* Epitaphium, 584. calumniæ ei impactæ diluuntur, *ibid.* ejus Scripta, *ibid.*

Alexander VI. Pont. 680. ejus primordia, *ibid.* ejus electio corruptela non vacat, 681. viſitatores carcerum inſtituit, 682. fœdus execrabile cum quibuſdam Regibus percutit, 684. ſuis extollendis ſtudet, *ibid.* Cæſari Borgiæ omnia indulget, 685. per fas & nefas pecunias coacervat, 687. veneno per errorem potatur, & moritur, *ibid.* ejus virtutes & vitia, 688. Scripta, 689.

Alexander VII. Pont. 880. ejus elogium, & primordia, 881. Principum concordiæ ſtudet, 882. Reipublicæ conſulit, 883. Venetis, & Hungaris contra Turcas auxilia præſtat, 884 Item Cæſari, 885. favet opinioni de immaculata Conceptione B. Virginis, *ibid.* ejus publica monumenta, 886. Numerum Sanctorum auget, 887. moritur, *ibid.* ejus imago, 888. Scripta, 889.

Alexander VIII. Pont. 921. ejus generis nobilitas, *ibid.* primordia vitæ, 922. Venetis mirè favet, 923. anonam procurat: pacem conciliat: fontes reficit: agriculturam reſtituit: Venetis adverſus Turças aſſiſtit, 924. Galliæ & Angliæ regibus gratificatur, 925. ejus obitus, & Scripta, 926.

Alexander Medices primus Florentinorũ dux, 732. à Laurentio Medice occiditur, 741.

Alexandria *della paglia* dicta conditur, 400. unde id nomen obtinuerit? *ibid.*

Alexius I. Græcorum Imp. ſola imperii diuturnitate memorabilis, 344.

Alexius II. Græc. Imp. occiditur, 406.

Alexius III. occiſo fratre imperium Græcorum aſſequitur: turpiſſimam vitam agit, 417. ab Alexio IV. fugatur, 420.

Alexius IV. occupata per Latinos Conſtantinopoli Imperator Græcor. evadit, 421. pius in patrem, *ibid.* ab Alexio Duca cognomento Murzuflus in carcerem conjicitur, ac ibidem ſtrangulatur, 421.

Alexius V. Ducas Murzuflus imperium occupat, 421. à Latinis pellitur, *ibid.* obtruncatur, 425.

Allifanus Comes juſſu Pii IV. ſecuri percutitur 781.

Alidoſius Card. Legatus Bononienſis ab Urbini Duce occiditur, 695.

Alphonſus Arragoniæ Rex Martino V. indignatur: conqueritur: 600. eidem reconciliatur, 602. Neapolim oppugnat, capitur, dimittitur, 610. ejus notabile dictum, 615. Florentinis favet, 620. moritur, 626.

Alphonſus Eſtenſis Veneti nominis hoſtis à Julio II. cenſuris notatur, & armis impetitur, 695. fœdus cum Ludovico XII. Galliæ Rege contra Julium Pont. init. *ibid.* pugnæ Ravennatenſi intereſt, 698. Leoni X. adverſario armis reſiſtit, 704.

Alphonſus Hiſpanus Henrico fratri regnum eripere conatur, 663. à Paulo II. cenſuris cohibetur: non obtemperans morte repentina perit, *ibid.*

Alphonſus Petruccius Card. in necem Leonis conjurat, 704. detecta conjuratione comprehenditur & ſtrangulatur, 706. complices ejus pœnis afficiuntur, *ibid.*

Alphonſus Card. Caraffa carceri mancipatur, 781. ingenti auro mulctatus liberatur, 782.

Alphonſus Vaſtius egregius belli dux, 738. moritur, 745.

Amalaſiuntha Regina, 94. ejus laus, *ibid.* à Theodato Rege occiditur, *ibid.* ejus necem ulciſcitur Juſtinianus I. Imp. *ibid.*

Anabaptiſtæ cum ſuo Auctore exſcindunt. 736.

Anacletus Pont. 15. ejus vitæ primordia: Inſtituta & decreta, 16. martyrium & Scripta, *ibid.*

Anacletus II. Antipapa: vide *Petrus Leonis.*

Anaſtaſius I. Pont. 62. Hæreticos Orientales perſequitur: Clerum reformat: decreta edit; *ibid.* Ejus obitus & Scripta, 62.

Anaſtaſius II. Pont. legationem mittit ad Anaſtaſium Imp. & quare? 82. ejus obitus & Scripta, *ibid.* falsò hæreſis inſimulatur, 82.

Anaſtaſius III. Pont. vir pius & bonus, 255. ejus modeſtia laudatur, *ibid.* ejuſdem obitus, Epitaph. & Scripta, *ibid.*

Anaſtaſius IV. Pont. 389. ejus primordia & geſta ſtrictim attinguntur, 390. ejuſdem obitus & Scripta, *ibid.*

Anaſtaſius Imp. à Gelaſio I. excommunicatur 79 ejus fallacia, 82. rem Catholicam obterere nititur, 85.

Anaſtaſius Arthemius Philippicum Imp. oculis privat, ac exulatum mittit, 157. Cæſar acclamatur, 158. regno ejicitur, ac in monaſtarium detruditur, *ibid.*

Anaſtaſius Card. multorum criminum reus à Leone IV. anathemate defigitur, 217. Antipapa creatur, ſed mox in exilium amandatur, *ibid.*

Anaſtaſii Perſæ monachi celebra martyrium, 125.

S. Andreæ Apoſtoli caput Conſtantinopoli Romam transfertur, & à Pio II in Vaticano honorificè collocatur, 642.

Andreas Auria egregius belli dux à Paulo III. gladio, baltheo, ac pileo donatur, 738. pugnam cum Turcis detrectat, 742.

Andronicus I. Imperium Græcorum invadit, 403. à populo raptatur ad ſupplicia & occiditur, *ibid.*

Andronicus Junior. Imp. Græcorum moritur, 537.

Angelus Maſſa Stephani Porcarii conjurationis ſocius à Nicolao V. ſuſpendio necari jubetur, 621.

Angelus Ronco belli dux ob perfidiam capite plectitur, 622.

Angliæ regnum operà Alexandri II. contra invaſorem defenditur, 332. ſub Maria redit ad fidem, 757. item ſub Innocentio XI. 913. relabitur, 914.

Anna Bolenia ſcortū Henrici VIII. 732. ab eo in thotum recipitur, 736. capitis damnat. 737.

Annas Momorantius in pugna Ticinenſi capitur, 727.

Anicetus Pont. 24. ejus Inſtituta: martyrium: epitaphium, & Scripta, 25.

Antonius de Dominis Archiep. Spalatenſis à fide deficit, 856. reducitur à Greg. XV. *ibid.* relabitur, iterumque repiſcit, *ibid* pœnitens moritur, & crematur, *ibid.*

Antonius de Leonibus cum ſuis erroribus damnatur, 916.

Appellatio à Pontifice ad Futurum Concilium à Pio II. damnatur, 638. perfugium ſceleratorum vocatur, 650.

S. Anſgarius Hamburgenſis Antiſtes, Suecorum & Danorum Apoſtolus moritur, 226.

Antherus Pont. Chriſtianos perſecutionibus vexatos ſolatur: acta martyrum conſcribi jubet: martyrio afficitur: 33. ejus Scripta, *ibidem.*

Arcadius Imp. ab Innoc. I. excommunicatur, & quare? 64. formula hujus excomm. *ibid.*

Arialdus vir Apoſtolicus contra Simoniacos, & Nicolaitas ſtrennè martyrio afficitur, 332.

Arius hæreſiarcha à S. Silveſtro Papa damnatur, 51. fœda morte perit, 52.

Aripertus Longob. Rex Alpes Cottias Joanni VII. reſtituit, 152.

Armeni ad obedientiam à Clemente IX. flectuntur, 897.

Arnaldus Brixianus hæreticus ab Innocentio II. damnatur, 377. Romanos ad ſeditionem excitat, 383. Hadriani IV. juſſu ſuſpendio afficitur, 392.

Arnoldus Archiep. Colonienſis SS. trium corpora Mediolano Coloniam transfert, 398.

Arnulphus Eremita diſſolutos Clericorum mores perſtringens occiditur, 371.

Arnulphus Imp. à Formoſo Papa coronatur, 244. eidem Formoſo ſeditionibus divexato opitulatur, *ibid* bello & victoriis clarus, ſed vitiis clarior habetur, 251. ejus fœdus vitæ exitus, *ibid.*

Asbeſtinum linteum Clemens XI. Bibliothecæ Vaticanæ donat, 936.

Aſwitha Regina Angliæ Eduardi Angliæ Regia mater ſanctè moritur, 251.

S. Athanaſius à Julio I. defenditur adverſus Arianos: pulſus ſede ſua ab eodem reſtituitur: ejus Symbolum approbatur, 54.

Attila Hunnorum Rex à Leone Magno placatur, & ab excidio Romanæ Urbis dimov. 72.

Aufida vir ſtrenuus Romanos Eugenio IV. rebelles, ab obſidione molis Hadrianæ lepido ſtratagemata dimovet, 609.

B.Bajà.

B.

BAjanus Bulgarorum Rex Bizantinos Principes bello vexat, 279.

Balbus Imp. vide *Michaël Balbus*.

Balduinus Solymorum Rex Caſtellum Sobal in Palæſtina expugnat, & munit, 359. infeliciter cum Sarracenis pugnet, 360. progreſſus facit, 366. ſuperatur & capitur, ſed mox liberetur, *ibidem*. ejus virtute res orientis augentur, 371. moritur. 378.

Balduinus Flendriæ Comes, occiſo Murzuflo Imper. imperium Græcorum conſequitur, 425. à Græcis ſuperatur, & occiditur, *ibid*.

Balduinus Fulconis regis filius eidem in regno Solymorum ſuccedit, 379. inſignes pro religione progreſſus facit, 380. Damaſcum fruſtra obſidet, & quare? 385.

Balthaſſar Auſida : vide *Auſida*.

Barbaruſſa immanis Pirata à Carolo V. impugnatur, & magna ſtrage ſuperatur, 738.

Bardas Imp. Orientalis incœſtuoſus excommunicatur ab Ignatio Patriarcha, 224. Ignatium eapropter ſede ſua pellit, ac Photium ſubſtituit, 225. redarguitur idcircò à Nicolao I. Pont. *ibid*.

Baroncellus Romæ Tribunitiam poteſtatem occupat, 545. à Rentio paris farinæ ſocio obtruncatur, 546.

Baſilea pro Concilio celebrando à Martino V. deſignatur, 600. eò dirigitur Julianus Card. Cæſarinus ad inchoandum Concil. 603. id Concilium Eugenius aliò transfert, 611. acta Baſileenſia irrita declarat, *ibidem*. repugnant Patres Baſileenſes, & Eugenium deponunt, ac Antipapam ſubſtituunt, 612.

Baſileenſis Academia à Pio II. inſtituitur, 640.

Baſilius I. Imper. doloſè cum Joanne VIII. agit, 233. eundem ad reſtitutionem damnati Photij, & depoſitionem Ignarij legitimi Patriarchæ inducit, *ibidem*. contumelioſas litteras ad Hadrianum III. ſcribit, 238. eidem pro Hadriano jam mortuo reſpondet viriliter Stephanus VI. 241. idem Stephanus Pape eidem interitum prædicit, *ibid*. mirando modo in venatione occiditur, *ibid*.

Baſilius II. Imp. eligitur, 282. morte ſubitanea ſurripitur, 305.

Beda venerabilis, Angliæ decus, doctrina & ſanctitate clarus moritur, 166.

Beinwila nobile Cœnobium in Juraſſo monte, 367. agitur de ejus origine, *ibid*.

Beliſarius inſignis dux adverſus Theodatum Gothorum regem exercitum Romam ducit, 94. Romam capit, 96. Gothos fugat, *ibid*.

Belliſortius dux Gallus improſperè cum Turcis pugnat, & occiditur, 899.

Bellum Italicum ſub Nicolao V. 620. fruſtrà id extinguere ſatagit Nicolaus, *ibid*. inſtauratur, 622. componitur, *ibid*.

Bellum ruſticum in Germania & Pannonia, 726

S. Benedictus monachorum in occidente Patriarcha felici ſidere oritur, 80. ejus corpus è Cœnobio Floriacenſi Caſſinum transfertur à Carolomanno, 170. Diploma Urbani II. de præſentia ejus corporis in monte Caſſino, 348.

Benedictus I. Pont. 107. Romanis ſaluti, Arianis terrori eſt, *ibid*. ejus obitus, & Scripta, 108.

Benedictus II. Pont. vir doctrina & virtutibus clarus, 145. Conſtantinum Imp. amicum habet, *ibid*. plura Templa condit, & collapſa reſtituit, 146. Quæ ſub eo eccidерint? *ibid*. ejus obitus, Epitaphium, & Scripta, *ibid*.

Benedictus III. Pont. 220. ejus elogium, *ibid*. Schiſma inter illum & Anaſtaſium Antip. 221. pulſo Aneſtaſio ſua in ſede firmatur, *ibid*. Ejus decreta, & pietatis opera : donis & legatione à Michaele Imp. afficitur, *ibid*. Ejus obitus, Epitaph. & Scripta, 222.

Benedictus IV. Pont. 251. Ludovicum IV. Imp. coronat, 252. Ejus obitus, & Epitaph. *ibid*.

Benedictus V. Pont. 273. ob ejus electionem magnæ turbæ, *ibid*. injuſtè deponitur, ac loco ejus Leo VIII. Antip. recipitur, 274. relegatur, & in exilio ſanctè moritur, 275. vaticinatur de oſſibus ſuis : pro martyre habetur : *ibid*. Ejus Epitaph. 274.

Benedictus VI. ſuggeſtione Franconis Card. Diaconi, pontificii percupidi, capitur; & innocens ſtrangulatur, 279.

Benedictus VII. Pont. Eccleſiæ ſtatum componit : ædificia ſacra reficit : Sergium Demaſcenum Patriarcham exulem ſuſcipit, & fovet, 281. Miecislai Poloniæ Princip. legationem excipit, 281. Othoni III. ad imperium ſuffragatur, 282. ejus obitus & Scripta, *ibid*.

Benedictus VIII, aliis VII. Pont. S. Henricum

Imp. ſibi fœdere jungit : fidei Symbolum in Miſſa recitari mandat : Schiſma inter illum & quendam Gregorium, 301. Româ pellitur, *ibid.* reſtituitur, & S. Henricum Imp. coronat, eumdemque aureo pomo primus donat, *ibid.*

Benedictus IX. aliis VIII. Pont. 306. ob ejus intruſionem orbis Chriſtianus ingemiſcit, *ibid.* nihilominus pro legitimo habetur, 307 vitâ luxurioſus, *ibid.* B. Simeonem Eremitam Sanctis adſcribit, 307. Caſimirum monachum Polonis concedit in Regem, *ibid.* quibus id conditionibus egerit? *ibid.* ſede ſua pellitur, & ſchiſma oritur, 308. ſedem iteratò occupat, *ibid.* Pontificatum alteri vendit, *ibid.* iterum ſanctam ſedem invadit, iterumque pellitur, *ibid.* morte peccatorum peſſima moritur, *ibid.* ejus Scripta, 309.

Benedictus X. aliis XI. Pont. 513. ejus vitæ primordia : urbis tumultum ſedat, *ibid.* Fridericum Trinacriæ regem Eccleſiæ reconciliat, 514. alia præclarè operatur, 515. controverſias inter Clerum & monachos ſedat, *ibid.* Ejus obitus. 516. claret miraculis, 517. ejus Epitaph. & Scripta, *ibid.*

Benedictus XI. aliis XII. Pont. 532. ejus primordia : Ordini Ciſtercienſi aſſeritur, *ibid.* abuſus tollit : hæreſes extinguit : probos provehit, 534. ſanctitate fulget, 535. moritur & ſignis claret, 536. ejus Epitaph. & Scripta, 537.

Benedictus XIII. Antipapa creatur, 569. à Gregorio XII. fruſtrà ad ceſſionem invitatur, 576. moritur in execratione, 601.

Benno Pſeudocard. Silveſtro II. magiam falso impingit, 290.

Berengarius I. à Joanne IX. coronam Imperii vi extorquet, 249. ejus coronatio improbatur in Synodo, Rom. 250. Ludovicum Boſonis filium regno Italiæ & oculis privat. 252. Hunnos primò vincit, dein vincitur ab illis, *ibid.*

Berengarius II. Italiæ rex Joanni XII. ob vitæ diſſolutionem infenſus, 268. ad inſtantiam Joannis obſidetur ab Othone Magno, 269. Joannem contra Othonem in fœdus allicit, *ibid.* Hinc turbæ, *ibid.*

Berengarius hæreticus damnatur, 327. palynodiam canit, *ibid.*

Bernabos Vicecomes Dux Mediol. hoſtis Eccleſiæ, acie vincitur, 552. fœdus contra eum initur, 553.

S. Bernardus Abbas Clarævall. Innocentio II. adverſus Anacletum Antip. ſuffragatur, 373. Regem Angliæ ad obedientiam Innocentii revocat, 374. Mediolanenſes eidem Innocentio conciliat, 375. plura patrat miracula, 376. ejus pro fide propaganda zelus, 380. ſacram expeditionem in Sarracenos urget, 384. ſanctè moritur, 391.

Bernardus Caroli Magni nepos Rex Italiæ declaratur, 195. à Ludovico Imp. deficit, 202 eapropter luminibus orbatur, & ex vulnere moritur, *ibid.*

Berthemienſis Comes fidem Catholicam amplectitur, 895.

S. Betharius Abbas Caſſinenſis à Sarracenis Caſſinum vaſtantibus occiditur, 239.

S. Blandina paralytica baptiſmo curatur, 30.

S. Blaſii Monaſterii in Hercinia ſilva origo, 271. ejus fundator S. Reginbertus, *ibid.* ejus Advocatia abrogatur Epiſcopo Baſileenſi, & transfertur ad Comites Zeringanos, 272. primus ejus Advocatus fuit Adalbero monachus ejuſdem Monaſterii, factus Epiſcopus Baſileenſis, *ibid.* vide etiam in verbo *Reginbertus.*

Boleslaus Bohemiæ Dux fratrem Wenceslaum ob regni cupiditatem occidit, 263. eapropter ab Othone Magno bello petitur, ſuperatur, ac Principatu privatur, 264.

Boleslaus Miecislai Poloniæ Principis filius rex dicitur, & coronatur ab Othone III. Imp. 292.

S. Bonaventura inter Eccleſiæ Doctores à Sixto V. refertur, 815.

S. Bonifacius Germaniæ Apoſtolus à Gregorio II. in Germaniam miſſus, eam gentem ad fidem convertit, 159. ejus martyrium, 160.

S. Bonifacius Ruſſiæ Apoſtolus martyrio coronatur, 297.

S. Bonifacius I. Pont. 67. Juliano hæretico reſiſtit : accuſationes Epiſcoporum accipit, & dijudicat : *ibid.* ejus Decreta, *ibid.* obitus, & Scripta, 68.

Bonifacius II. Pont. 91. Schiſma inter illum & Dioſcorum : Synodum celebrat : Eutychianos Romá pellit : moritur, *ibid.* ejus elogium, & Scripta. *ibid.*

Bonifacius III. Pont. Synodum celebrat : Primatum Romanæ Eccleſiæ propugnat, 117. ejus obitus & Scripta, 118.

Bonifacius IV. Pont. 118. Monachorum fautor, *ibid.* Pantheon in Templum conſecrat, 119. ejus obitus & Scripta, *ibid.*

Bonifacius V. Pont. 121. ejus elogium, *ibid.* ſanctè præeſt, & ſanctè moritur, *ibid.* Ejus Scripta, *ibid.*

Bonifacius VI. Pont. tanta ſede ob flagitia indignus habetur, quippè intruſus, 245. morte repentina rebus humanis eximitur, 246.

Bonifacius VII. Pont. corrupto ſuffragio eligitur :

gitur : pellitur : fugit Conſtantinopolim : in ejus locum ſufficitur Benedictus VII. 280. mortuo Benedicto, & electo Joanne XIV. redit Romam : ſedem occupat : Joannem occidit, 283. repentina morte extinguitur, ejusque cadaver fœdè habetur, *ibid.*

Bonifacius, VIII. Pont. 502. ejus primordia, *ibid.* pacificandis Principibus Chriſtianis ſtudet, 503. S. Cœleſtinum ad vitandum ſchiſma mandat cuſtodiæ, 504. res Siculas curat, 505. bellum cum Siculis gerit, & quare? 506. cum iiſdem pacem componit, 507. cenſuris in Principes facinoroſos agit, *ibid.* Regulari diſciplinæ conſulit, 508. hæreſes comprimit, *ibid.* alia præclarè operatur, 509. gentium converſioni ſtudet, *ibid.* piè decedit, 510. corpus ejus poſt 300. annos illæſum invenitur, *ibid.* Maucleri inſigne de eo teſtimonium, 511. Quæ ſcripſerit ?. 512.

Bonifacius IX. Pont. 566. ejus elogium, *ibid.* à Romanis indignè habetur, 567. multa egregiè operatur, *ibid.* Jubilæum celebrat, 568. Ladislaum Regem Neapolit. coronat, 569. ejus obitus, Epitaph. elogium & ſcripta, 570.

Bononia ab Hiſpanis obſidetur, 697. à Gallis liberatur, & occupatur, *ibid.*

Borbonius : vide *Carolus Borbonius.*

Borredus Rex Merciorum à Danis pellitur : Romam venit ; ac ibidem moritur, 236.

Braccius de Montono Romam armis occupat, 595. expellitur, *ibid.* Oppida Eccleſiæ per conductos Tyrannos invadit, 598. cenſuris à Martino V. notatur : ſupplex factus veniam conſequitur, *ibid.* iterum rebellat, 600. ſuperatur, & interficitur, *ibid.*

Brixia à Gaſtone Foiſſeo capitur, 697. crudelis laniena in ea peragitur, *ibid.*

Bnda Hungariæ caput à Leopoldo I. Imp. expugnatur, 918.

Bullionius Dux Hieroſolymas armis recuperat, 350.

C.

CAjus Pont. 45. ejus Inſtituta & decreta, 45. martyrium & Scripta, 46.

Cadaolus ſeu Gadalous Epiſ. Parmenſis Schiſmaticus contra Alexandrum II. Pont. legitimum intruditur, 330. prælium inter utriuſque aſſeclas, *ibid.* obſidetur in Mole Hadriana, 331. redimitur, *ibid.* perit. *ibid.*

Cæſar Borgias Dux Valentinus quis? 684. ejus horrenda flagitia, 685. ſævit in Urſinos, *ibid.* conſpirantes in ſuam necem regulos occidit, 686. veneno per errorem potatur, 687. convaleſcit, *ibid.* thrſaurum pontificium ſurripit, 689. Româ egreditur, 690. redux capitur, & cuſtodiæ datur, 691. à Julio II. certis conditionibus dimittitur, 693. glande trajectus perit, 694.

Calaſtadus Anſanus Pirata Italiæ catenas minatur : in pugna navali ſuperatur & mergitur, 864.

S. Calliſtus I. Pont. quatuor Temp. jejunia inſtaurat, 30. ejus decreta : converſio gentium martyrium, & Scripta, 31.

Calliſtus II. Pont. 363. ejus elogium & acta, *ibid.* Henricum Imp. in ordinem redactum anathemate ſolvit, 365. Antipapam Sutrii obſidet : capit : deluſumque relegat, 366. ejus obitus & Scripta, 368.

Calliſtus III. Pont. 624. ejus primordia, *ibid.* ſacram militiam urget, & Turcas vincit, 625. pulſum meridianum inſtituit, *ibid.* ingens de Turcis victoria eo ſedente reportatur, *ibid.* Numerum Sanctorum auget, 626. Regnum Siciliæ recuperare ſtudet, *ibid.* moritur. 627. ejus elogium & Scripta, *ibid.*

Calliſtus Antipapa ſedet contra Alex. III. Pont. 399. reſipiſcit, & moritur, *ibid.*

Calvinus : vide *Jo. Calvinus.*

Calvini affinis à Clemente VIII. ad fidem convertitur, 835.

Campanæ quando inventæ? 116. earum uſus ſub Sabiniano Pont. inſtitutua, *ibid.* munia campanarum quæ? *ibid.*

Campulus & Paſchalis Primicerii S. Leonem III. in publica ſupplicatione aggrediuntur oculis ac lingua privant, 191. accuſantur eapropter apud Carolum Magnum, 192. vitâ condonatâ ad preces Leonis relegantur, 194.

Candia Bonifacio Montisferrato ab Alexio IV. Principe Græco donatur, 420. Venetis à Bonifacio venditur, 421.

Canonici Regulares à Nicolao II. Pont. reformantur, 329.

S. Cannti Danorum Regis martyrium, 231.

Caraffæ indignè habentur à populo Rom. 774. in eos jure agit Pius IV. 781. iis patrocinatur Pius V. 794.

Carlotta Cypri Regina regno pulſa à Pio II. clementer ſuſcipitur, 641. ejus ad Pium oratio : *ibid.* Pii reſponſio, *ibid.*

Carlotta Trimollia Princeps Condenſis Calvini hæreſim abjurat, fidemque Cath. amplectitur, 840.

Carolomannus Pipini Regis frater in monachum tondetur, ac Caſſinum petit, 168. corpus S. P. Benedicti è Cœnobio Floriacenſi Caſſinum transfert, 170.

Carolus Andegavenſis adverſus Manfredum

Siciliæ uſurpatorem ab Alexand. IV. vocatur, 457. fœdus adverſus eundam init cum Clementa IV. 462. Rex Siciliæ declaratur. *ibid.* Manfredum acie vincit, occidit, ac magnos progreſſus facit, 463. Conradinum Sueviæ Ducem ſuperat, capit, & capite pleſtit, 464. Gregorio X. humiliter inſeruit. 469. ai advarſatur Nicolaus III. 482. ejus regno inhiat Petrus Arragonius, 486. conjuratio in eum, 487. amittit regnum, *ibid.* Arragonium ad ſingulare certamen provocat, *ibid.* tædio moritur, 488.

Carolus II. Caroli I. Siciliæ regis filius à Petro Arragonio capitur, 488. dimittitur, & in regem Siciliæ inungitur, 493. Cœleſtino V. ne papatu cedat, ſuaſor eſt, 499. ei jus Sacerdotia conferendi concedit Benedictus X. 514.

Carolus Calvus à Ludovico Pio Imp. regnum Franciæ conſequitur, 209. Regnum ejus adjectis aliis provinciis à Lothario I. Imp. augetur, 211. Imperator creatur, & à Joanne VIII. coronatur, 234. vaneno potatur à Sedechia Judæo, & moritur, *ibid.*

Carolus Craſſus arma movet in Carolum Calvum, 234. mortuo Ludovico Balbo Imperator creatur, & à Joanne VIII. coronatur, 235. variante fortuna inops & miſar moritur, *ibid.*

Carolus Magnus ab Hadriano I. contra Deſiderium Longob. Regem in Italiam vocatur, 185. commiſſo prælio Deſiderium fundit fugatqua, *ibid.* eumdem Papiæ obſidet, capit, atque relegat, 186. Donationes Caſſino factas confirmat, 187. Hadrianum mortuum luget, eique Epitaphium condit, 189. Leonam III. ad ſe venientem honorificè excipit, 192. eidem adverſus ſeditioſos opitulatur, 193. falsò accuſatum, inſontam declarat, *ibid.* ab eodem Imperator dicitur & coronatur, *ibid.* res ſuas diſponit, & ſanctè moritur, *ibid.* ejus Epitaphium, 195. Sanctorum faſtis inſcribitur: ejus elogium: Germanus non Gallus fuiſſe aſſeritur, *ibid.*

Carolus Martallus militari gloria clarus fœdus cum Gregorio II. pro Eccleſia adverſus Longobardos init, 161. Gregorio item III. adverſus Luitprandum opitulatur, 165. Luitprandum ab obſidione Romanæ urbis dimovet, *ibid.* Titulum *Chriſtianiſſimi* conſequitur, *ibid.*

Carolus IV. Imperator dicitur, 541. ab Innocentio VI. coronatur, 546. moritur, 560. ejus elogium, *ibid.*

Carolus V. Imperator dicitur, 706. fœdus cum Leone X. adverſus Gallos init, *ibid.* item cum Hadriano VI. contra Turcas, 719. Italis formidandus evadit, 726. Franc. I. Galliæ regem capit, 727. eundem dimittit, *ibid.* Clementem VII. infeſtum habet, *ibid.* & *ſeqq.* ab eodem coronatur, 731. Tunetanam expeditionem ſuſcipit, ac ingenti victoria potitur, 737. Romæ triumphali pompa excipitur, 739. Gallo perfidiam exprobrat, eumdemque ad duellum provocat, *ibid.* ad Pauli III. preces pacem cum Gallo inis, 745. bellum cum Lutheranis habet, 746. de iis triumphat, 748. imperium in fratrem Ferdinandum transfert, 772. ſanctè moritur, *ibid.*

Carolus VI. Imperator eligitur, 937. à Clemente XI. in Turcas animatur, 938. ingenti ſtrage Turcas ad Petrovaradinum ſuperat *ibid.* Temeſvariam dedition a recipit, *ibid.* iterum Turcas memorabili ſtrage afficit, ac Albam Græcam in poteſtatem redigit, 939. carmen in ejus laudem, 940.

Carolus VIII. Galliæ Rex movet in Italiam, ac omnia depopulatur, 682. fœdus cum Alexandro VI. percutit, 683. Regno Neapolitano potitur, *ibid.* fœdus contra eum initur: debellatur: moritur, *ibid.*

Carolus IX. Galliæ Rex Hugenottos inſigni ſtrage afficit, 797. fœdus contra Turcas inire renuit, 803.

Carolus Borbonius à Galliæ rege ad Cæſarem deficit, 726. Romam impugnat, & occiditur, 730.

Carolus Card. Caraffa juſſu Pii IV. ſtrangulatur, 781.

Carolus Malateſta Arimini Dominus à Gregorio XII. Conſtantiam pro ceſſione Pontificatus Legatus mittitur, 578.

Caſtellæ regnum plenum turbis, & quare? 527.

Caſtrum Urbs evertitur, & ſolo æquatur, 871.

Cathedra Petri Romæ 8. ejus feſtum jam exolatum revocat Paulus IV. 772.

Cauſa trium Capitulorum exponitur, 100.

Cerdo hæreſiarcha à S. Higino Papa excommunicatur, 22.

Chilpericus Franc. Rex, homo ignavus & ſtupidus, 169. ei regnum abrogatur, & in Pipinum transfartur, *ibid.*

Choſroas Perſarum Rax Hieroſolymam occupat, & inda lignum crucis aufert, 119. bello ab Heraclio Imp. vincitur, 123.

Chriſmatis renovatio quotannis à S. Fabiano Pont. præcipitur, 34.

Chriſtianorum diſſidium *Sarracenis* emolumento eſt, 493. item 494.

Chriſtina *Sueciæ* Regina ad fidem Cathol. proclivis, 878.

Chriſto-

Chriſtophorus Columbus novum orbem inveſtigat, 678. progreſſus facit, *ibid.*

Chriſtophorus Pont. ſanctam ſedem malis artibus adeptus, malè perit, 254.

Chriſtophorus Girarda Caſtri Epiſ. innocenter occiditur, 871.

S. Chryſoſtomus ab Innocentio I. Pont. defenditur, 64.

Cincius Frangepanis Gelaſium II. Pont. ſacrilege tractat, 359.

Cincius Romanus civis Gregorium VII. capit, 335 fugatur è Populo Romano, *ibid.* ejus familia male habetur, *ibid.*

S. Clemens I. Pont. 13. ſeptem Urbis regiones ſeptem Notariis dividit: ſacrarum veſtium uſum præſcribit · controverſias circa religionem exortas dirimit, 14. relegatur in exilium: præcipitatur in mare, *ibid.* ejus corpus Romam transfertur, 15. ejus Scripta, *ibid.*

Clemens II. Pont. vir morum probitate ec litteris præſtans, 314. Henricum III. Imp. coronat: Beneventanos ſacris interdicit, *ibid.* Concilium adverſus ſimoniacos celebrat, 315. migrat in Germaniam, ibidemque moritur, *ibid.* ejus Scripta, *ibid.*

Clemens III Pont. Principes Chriſtianos in Sarracenos excitat, 410. ſeditionem Romanorum comprimit, 411. à Romanis cum plauſu excipitur: bellum cum Siculis habet: Romana Templa reficit, *ibid.* ejus obitus & Scripta, 413.

Clemens III. Antip. vide *Guibertus Archiep. Ravennas.*

Clemens IV. Pont. 459. ejus egregia vitæ primordia, 460. fœdus cum Carolo Andegavenſi adverſus Manfredum Siciliæ uſurpatorem init, 462. ejus de Conradino vaticinium, 463. rebus Syriæ conſulit, 465. viros litteris ac pietate præſtantes promovet, *ibid.* alia ejus geſta: obitus: epitaphium: Scripta 466.

Clemens V. Pont. 518. aſtu in Pontificem eligitur: Romanam ſedem in Galliam transfert, *ibid.* poſtulatis Philippi Galli ex parte ſatisfacit, 519. Fraticellos opprimit, *ibid.* Henrico VII. ad imperium ſuffragatur, 520. Concilium Viennenſe celebrat, *ibid.* alie ejus geſta, 521. moritur, *ibid.* à calumniis defenditur, 522. Quæ ſcripſerit? *ibid.*

Clemens VI. Pont. 538. ejus primordia, *ibid.* Gallum & Anglum pacificare ſtudet, *ibid.* ſedandis Italiæ bellis animum applicat, 539. Regno Neapolitano conſulit, *ibid.* bellum in Turces urget, 539. Sanctorum numerum auget, 540. alia præclarè operatur, *ibid.* ex auctorato Ludovico Bavaro, Carolo IV. ad imperium ſtudet, 541. moritur, *ibid.* eju. elogium, & Scripta, 542. Quæ ei vitio dentur? *ibid.*

Clemens VII. Antip. contra Urbanum VI. legitimum Pont. eligitur, 563. moritur in execratione, 569.

Clemens VIII. Antip. contra Martinum V. legitimum Pont. intruditur, 601. deponitur, 602.

Clemens VII. Pont. 724. ejus vitæ primordie, *ibid.* Jubilæum celebrat, 726. ſibi à Carolo V. Imp. timet, & quare? 727. fœdus cum Gallis adverſus Cæſarem init, *ibid.* Cæſari bellum infert, 729. Borbonio Romam occupante fugit in arcem, 730. liberatur, 731. Cæſarem coronat, *ibid.* Henrico VIII. Angliæ Regi anathema minatur, & quare? 732. moritur, 733. ejus Epitaphium, & Scripte, *ibid.*

Clemens VIII. Pont. 830. ejus primordia, *ibid.* adhuc puer Pontifex prædicitur, *ibid.* cupit potiùs mori, quàm Eccleſiæ non prodeſſe, 831. viſitationem ſacrorum locorum inſtituit, *ibid.* ejus pietatis opera publica, 832. Legationes mittit, *ibid* Henricum IV. Gall. regem hæreſim abjurantem à cenſuris abſulvit, 834. Ferrariam recuperat, *ibid.* Regiis matrimoniis aſſiſtit, *ibid.* Jubilæum celebrat, 835. Numerum Sanctorum auget, 836 orationem 40. horarum inſtituit, *ibid.* Decreta ſalubria edit, *ibid.* ejus virtutes, & vita religiuſa, 837. ejus egregiè factorum ſynopſis, *ibid.* ejus obitus, & Epitaphium, 838. Scripta, 839.

Clemens IX. Pont. 891. ejus vitæ primordia, *ibid.* ejus oratio ad Cardd. 892. ejus coronatio, 893. curis maximis anguſtiatur, & quare? *ibid.* ejus elogium, 894. ejus præclara pietatis opera, 895. rei Catholicæ ſtudet, 896. pacem inter Principes Chriſtianos procurat, *ibid.* Luſitanos Hiſpanis conciliat, 897. Principes Chriſtianos in Turcas excitat, 898. ob amiſſam Cretem dolet, & moritur, 900. ejus Epitaphium, 901. Scripta, 902.

Clemens X. Pont. 903. ejus vitd primordia, *ibid.* elogium, 904. ſacrum Senatum præclaris viris auget, 905. Moſcoviæ Duci titulum Cæſaris negat, *ibid* inteſtina Poloniæ erma in Turcas vertit, *ibid.* pugnat precibus adverſus noxia elementa, 906. Magnum Jubilæum celebrat, *ibid.* numerum Sanctorum auget, *ibid.* ejus obitus, & Scripta, 907.

Cle-

Clemens XI. Pont. 930. ejus vitæ primordia, 931. omnibus exemplo eſt, 932. invitus eligitur Pontifex, *ibid.* ejus aſſumptio omnibus lætitiæ eſt, 933. multa præclarè operatur, *ibid.* Janſeniſmum edicto comprimit, *ibid.* omnium ſaluti ac commodo ſtudet, 934. monumentis antiquitatis conſulit, 935 Bibliothecam Vaticanam mirè auget, 936. Numerum Sanctorum amplificat, *ibid.* Rem publicam Chriſtianam ſuo zelo ac pietate reformat, 937. bellum in Turcas ſtrenuè promovat, *ibid* lætatur ob inſignes progreſſus, 938. Ejus Scripta, 940.
S. Cletus Pont. 12. multa ſalubriter agit, *ibid.* ejus martyrium, & Scripta, *ibid.*
Cliſſa à Turcis expugnatur, 741.
Clodoveus Francorum Rex laudatiſſimus moritur, 86.
Cœleſtinus I. Pont. hæreſum præcipuus impugnator, 68. Britanniam, Scotiam, Hiberniam in fide retinet, 69. Epiſcopos Galliæ redarguit, & quare? *ibid.* Ejus Inſtituta, obitus, & Scripta, *ibid.*
Cœleſtinus II. Pont. 378. ejus vitæ primordia, *ibid.* Jo. à Craticula virum nominatiſſimum Epiſcopum creat, *ibid.* Ejus obitus, & Scripta, 379.
Cœleſtinus III. Pont. 414. ejus elogium, *ibid.* Henricum VI. Imp. coronat, *ibid.* Tancredo *S*iciliæ regnum occupanti adverſatur, 415. Conſtantiam Henrico VI. Imp. deſponſat: Tuſculum Romanis ex fœdere tradit: Henricum Imp. ad bellum ſacrum accendit, 417. eius obitus, & Scripta, *ibid.*
Cœleſtinus IV. Pont. vir doctrina & meritis clarus, 440. moritur, 441. ejus Epitaph. & Scripta, *ibid.*
S. Cœleſtinus V. Pont. 496. ejus vitæ ſanctæ primordia, *ibid* Cœleſtinorum ordinem inſtituit, propagat, & confirmari curat, 497. ex Eremita eligitur Pontifex, 498. regiminis expers init conſilia de abdicando Pontificatu, 499. Cedit liberè: ejus ceſſionis formula, 500. cuſtodiæ mandatur, & ſanctè moritur: claret miraculis: ſanctis adſcribitur, *ibid* ejus elogium & *S*cripta, 501.
Cœleſtius hæreſiarcha à S. Zoſimo Papa damnatur, *66.*
Cœnredus Merciorum Rex abdicato regno fit monachus, 158.
Collegium Germanicum Romæ à Julio III. Inſtituitur, 759. ejus cura S. Ignatio committitur, *ibid.* à Greg. XIII. fundatur, & augetur, 803. ab Innoc. X. fovetur, 878.
Colonienſium pro tarta ſancta ſtudium, 426.
Columnenſes Principes unde hoc nomen traxerint? 354. bellum cum Clem. VII. gerunt, 729.
Concilia Oecumenica, 142. 188. 205. 327. 402. 604. 612. 740. 782.
Congregationes XV. ad varios fines inſtituit Sixtus V. 814. Hæ ſpeciatim enumerantur, *ibid.*
Conon Pont. ſpecie corporis, & animi puritate angelo perſimilis, 148. ejus obitus, & Scripta, *ibid.*
Conradinus Sueviæ dux noviſſimus arma movet in Carolum Andegavenſem, 463. Clementis IV. de eo vaticinium, *ibid.* pugnat cum Carolo: ſuperatur, capitur, ac capita plectitur, 464. ejus Epitaphium, *ibid.*
Conradus I. Imperator creatur, 256. bellis variè afflictus coronam Imperii ad Henricum Ducem Saxoniæ transfert, *ibid.*
Conradus II. cognomento *Salicus* S. Henrico in Imperio ſuccedit, 304. ejus elogium, *ibid.* coronatur à Joanne XIX. *ibid.* Joannem à conſpiratione Romanorum liberat, 305. placatur à Bened. VIII. 307. moritur, 309.
Conradus III. Imperator creatur, 376. arma movet in Sarracenos, 380. ab Emmanuele Græc. Imp. decipitur, *ibid.* Eugenio III. adverſus Romanos rebelles ſavet, 383. Damaſcum infauſtè obſidet, 384. in Germaniam è Syria revertitur, 385. moritur, 388.
Conradus IV. Friderici II. Imp. filius imperium ægre retinet, 445. vexatur ab æmulis, *ibidem.*
Conradus Monteferratus Tyri in foro à duobus ſicariis occiditur, 416.
Conſtantinopolis horrendis terræ motibus concutitur, 166. Concilium Oecumenicum ibidem celebratur, 142. obſidetur, & expugnatur, 621.
Conſtans Imperator declaratur, 130. in Italiam movet, Lucetiamque capit, 135. Romæ honorificè ſuſcipitur, 136. Urbem diripit, *ibid.* Syracuſis in balneo ab æmulo interficitur, *ibid.*
Conſtantinus I. Pont. animi demiſſione & liberalitate in pauperes clarus, 155. Felicem Antiſtitem Ravennatem in ordinem redigit, 156. Juſtinianum II. Imp. Conſtantinopoli coronat, *ibid.* cultum SS. Imaginum defendit, 157. Anaſtaſio Imp. favet, 158. ejus obitus, & Scripta, *ibid.*
Conſtantinus Heraclii Imp. filius dolo novercæ veneno tollitur, 129.
Conſtantinus Conſtantis Imp. filius Imperator declaratur, 137. Pontifici favet: diſſidium

de

de duabus voluntatibus ſopire ſatagit : Mezentium invaſorem Imperii occidit, *ibidem*. Concilio celebrando operam dat, 138. hujus deſcriptio, & quæ in eo mira acciderint? 142. Conſtantini laus, & obitus, 147.

Conſtantinus Copronymus ſuccedit Leon Iſaurico in imperio, 161. immaniter in fideles ſævit, 178. etiam in monachos orientales, 182. ejus interitus, 187. Imperatorum flagitioſiſſimus, *ibid*.

Conſtantinus Leonis IV. Imp. filius cum matre Irene imperat, 188. luminibus à matre orbetur, & carceri mencipatur, 194.

Conſtantinus VIII. Imp. à Romano Juniore filio veneno necatur, 273.

Conſtantinus IX. cum Baſilio Collega imperat, 282. ejus flagitioſa vita, 305.

Conſtantinus Ducas Imperator dicitur, 329. imperio ſe abdicat, 344.

S. Cornelius Pont. Novatianum damnat, 35. ejus cum S. Cypriano familiaritas, 36. SS. Apoſt. Petri & Pauli corpora curat, *ibid*. plures ad Chriſtum convertit, *ibid*. Ejus martyrium, & Scripta, *ibid*.

Corporis Chriſti feſtivit as ab Alex. IV. inſtituitur, 457.

Coſmus Medices à Pio V honorificè excipitur 782. ab aodem Magni Ducis titulo donatur, 795.

Cromwellus Regis Angliæ & regni hoſtis, 877. regnum occupat, & regem occidit, 878.

Crotildis Regina Franciæ vitam ſanctam vivit, 86.

Cruciata: vide *Expeditio tranſmarina*.

Cruce ſignati infelicitet pugnant, 431. iis ſuccurrit Honorius III. Papa, *ibid*.

Crunno Bulgarorum Rex Nicephorum Logothetam Imp. occidit, 194.

S. Cunegundis virgo Auguſta cum S. Henrico Imp. Romæ coronatur, 301. Ordinem S. Bened. ampleĉtitur, ec miraculis clara moritur, 309.

D.

Dagobertus Francorum Rex victorioſus, Deo ſe gratum exhibens, Eccleſias Galliæ petrimonli ſui hæredes conſtituit, 130.

S. Damaſus I. Pont. 58. ſchiſma inter illum & Urſicinum, *ibid*. plura ædificie ſacra condit, 59. ejus Sancita, *ibid*. hæreſes damnat, *ibid*. ejus obitus & Scripta, 60.

Damaſus II. Pont. 316. nonnullorum malè de eo ſentientium error & calumnia, *ibid*. vir ſanctus apud Germanos eudit, 315. ejus obitus, & Scripta, 316.

Damiata Sarrecenis ex fœdere traditur à Chriſtianis, 428. recuperatur à S. Ludovico Galliæ rege, 444.

Dani Angliem, Scotiam, Hiberniam vaſtant, 230. qua occaſione admirandum facinus à ſacratis Deo Virginibus editur, *ibid*.

Deſiderius Longob. Rex fœdus cum Stephano III. init, 175. invadit Eccleſiæ oppida, 184. Romam obſidere tentat, ſed cohibetur ab Hadriano I. 185. prælio ſuperatur à Carolo Magno, capitur, ac Lugdunum relegatur, 187.

S. Deuſdedit Pont. tetra infectum lue ſanat, 120 ejus Statuta, *ibid*. Simoniacos extremè odit, *ibid*. ejus obitus, & Scripta, *ibid*.

B. Didacus Ord. S. Franciſci Divorum catalogo inſeritur, 816.

S. Dionyſius Areopag. Stephano Papæ III. apparet, eumque ab ægritudine liberat, 173. ejus ſacrum corpus Ratiſponæ aſſervatur, 319.

S. Dionyſius Pont. ſcribit contra Paulum Samoſatenum hæreticum, 42. ejus obitus, & Scripta, *ibid*.

Domnicani cum Franciſcanis diſſidium habent propter ſtigmata S. Catharinæ Senenſis, 669.

S. Dominicus cognomento *Loricatus* moritur, 332.

S. Dominicus Ord. Prædicat. fundator, 422. primus ſacri palatii Magiſter inſtituitur, 431 ejus ordo ab Honorio III. confirmatur, *ibid*.

Donus I. Pont. agit cum Conſtantino Imp. de Concilio adverſus Monothelitas celebrando, 138. Eccleſiam Ravennatem Romanæ conciliat, 139. multa præclarè agit, *ibid*. ejus obitus, & Scripta, *ibid*.

Donus II. Pont. vir bonus & modeſtus, 278. tertio ſui Pontificatus menſe obit, 279.

E.

Eadmundus Angliæ Rex memorabile martyrium patitur, 231.

Ebba ſacrarum Virginum Antiſtita admirandum pro virginitate certamen init, 230.

Eccleſia quædam in Bavarie miniſterio Angelorum à S. Leone IX. Pont. conſecratur, 320.

Eccleſie quædam recens ædificata, ne à ſchiſmatico Epiſcopo conſecretur, ſponte corruit, 288.

Eccleſiæ miſer ſtatus, 261. item 306. item 310. item 461. hanc reſtituere ſatagit Hadrianus VI. 715.

Edeſſa celeberrima urbs Meſopotaniæ à Turcis capitur, & diripitur, 379.

Eduardus Angliæ Rex dolo novercæ interimitur, 279.

Eduardus VI. Angliæ Rex moritur, 756. ei ſuccedit Maria ſoror, ſub qua regnum ad fidem Cath. reducitur, 757.

Eduinus Anglorum Rex hortatu Honorii I. baptiſma ſuſcipit, & legationem Romam mittit, 123.

Electores S. R. Imperii quando inſtituti? 288. item 299.

S. Eleutherius Pont. Britanniam ad Chriſtum convertit, 26. ejus decreta, obitus, & Scripta, 27.

Elias hæbreus mirabiliter à Pio V. ad fidem Cath. convertitur, 792.

Eliſabetha Angliæ Regina ob hæreſim ſceptro Anglico indigna, ac privata declaratur, 792.

Emmanuel Græcorum Imp. Latinis victoriam invidet, 366. Venetorum Ducem Michaelium adverſarium habet, *ibid.* Conradum Imp. decipit, 380. item Ludovicum VII. Galliæ regem, 384. Rogerium Siciliæ regem infeſtum habet, *ibid.* Imperium occidentale ſibi reſtitui ab Alexandro III. poſtulat, 399. eamdem petitionem gratis urget, 401. moritur, 403.

S. Emmerammi Epiſ. Ratiſponenſis illuſtre martyrium, 152.

S. Erhardus Epiſ. Ratiſponenſis à Leone IX. ſanctis adſcribitur, 320.

Eremus ſacra vulgò *Einſidlen*, 228.

Ethelvulphus Weſtſaxonum Rex Romam venit, ac Romanas Baſilicas magnis donis afficit, 222. redux domum moritur, *ibid.*

S. Evariſtus Pont. multa præclarè inſtituit, 17. matrimonium clandeſtinum vetat, *ibid.* ejus martyrium, & Scripta, *ibid.*

Euchariſtiæ cultus ab Honorio III. promovetur, 429.

S. Eucherius Epiſ. Aurelianenſis doctrina & ſanctitate clarus moritur, 166.

Eudo hæreticus damnatur, & perpetuo carceri addicitur, 386. ejus deliramenta, *ibid.*

S. Everhardi martyrium, 297.

S. Eugenius I. Pont. vir per omnia laudabilis, 133. ejus obitus & Scripta, *ibid.*

Eugenius II. Pont. 204. Schiſma inter illum & Zinzinium, *ibid.* edit Conſtitutionem de eligendo Pontifice Romano, 205. ejus in omnes charitas, *ibid.* Clerum reformat, *ibid.* plenus meritus decedit, 205. Quæ ſcripſerit? 206.

Eugenius III. Pont. 381. ejus vitæ primordia, *ibid.* Romanos rebelles experitur, 383. armis eos in ordinem redigit, 384. nova ſeditione vexatur, 385. fugit in Galliam: S. Hildegardis ſcripta approbat: Rhemis Concil. celebrat, 386. ejus vitæ ſanctitas, *ibid.* ſanctè moritur, ac miraculis fulget, 387. ejus Epitaphium & Scripta, 388.

Eugenius IV. Pont. 605. ejus vitæ primordia, *ibid.* ei Pontificatus prædicitur, 606. ejus diſſidium ac prælium cum Columniis, 607. pacem cum iis init, 608. Sigiſmundum Imp. coronat, *ibid.* Romanos ſibi rebelles ſtratagemate in ordinem redigit, 609. Concilium Baſileenſe aliò transferre ſatagit, 611. contumax accuſatur: acta Baſileenſia infirmat, 612. deponitur, ac ejus loco Antipapa ſubſtituitur. *ibid.* Concilium Ferrarienſe, tum Florentinum celebrat, *ibid.* Romam redux honorificè ſuſcipitur, 613. Concilium Lateran. celebrat. *ibid.* ægrotat, 614. morientis ad Cardd. oratio, *ibid.* ejus obitus, & Epitaph. 615. elogium & Scripta, 616.

Eugenius Princeps Sabaudus incomparabilis exercitus Cæſareani dux Turcas ad Petrovaradinum ingenti ſtrage afficit, 938. Temesvariam expugnat, *ibid.* memorandis ob id donis à Clemente XI. honoratur, 939. Turcas iterum ſuperat atque profligat, *ibid.* Albam Græcam deditione recipit, *ibid.* carmen in ejus laudem, 940.

S. Eulogius Toletanus Epiſ. cum Leocritia Mahometana ad fidem converſa martyrio coronatur, 226.

Europæ ſtatus turbatus, 893.

S. Euſebius Pont. 49. ejus decreta, obitus, & Scripta, *ibidem.*

Eutychiani hæretici à Bonifacio Papa II. Urbe expelluntur, 91.

S. Eutychianus Pont. rerum comeſtibilium benedictionem approbat, 44. mortuos ipſe ſepelit, *ibid.* ejus martyrium, & Scripta, 45.

Expeditio Angellara infauſta, 744.

Expeditio tranſmarina, vulgò *Cruciata* in Concilio Claromontano ab Urbano II. in Saracenos decernitur, 349. ingens ad eam fidelium concurſus, *ibid.* Principes, qui illi interfuère, enarrantur, *ibid.* cur *Cruciata* dicta? 350.

Expeditio ſacra pro religione in Oriente ſub Lucio II. 380. hanc urget S. Bernardus, 384. inproſperè cedit, 385. alia ſub Honorio III. 426. alia ſub Gregorio IX. 433. alia ſub Innocentio IV. 444. alia ſub Urbano V. 551. alia ſub Gregorio XI. 556. alia ſub Calliſto III. 625. alia ſub Pio II. 643. alia ſub Hadriano VI. 719.

Ezeli-

Ezelinus Tyrannus ab Alexandro IV. excommunicarur, 451. ejus crudelitas, *ibid.* conjuratio in eum, 451. Inſubriam vaſtat, *ibid.* capitur, & moritur, 452.

F.

S. Fabienus Pont. ſacra ædificie condit: chryſmatis renovationem præcipit, 34. ejus martyrium, *ibid.* Scripta, 35.

Fabula de Joanne VIII. putato fœmina exploditur, 218.

S. Faſtradus *S.* Bernardi diſcipulus, 398. ei morienti Alexander III. ultima pietatis officia exhibet, *ibid.*

S. Felix I. Pont. errores Sabellii & Samoſateni damoat, 43. ejus martyrium, & Scripta, *ibid.*

S. Felix II. in locum viventis Liberii Pont. ſufficitur, 56. Arianis adverſatur, ac capita plectitur, *ibid.* dubium de ejus Pontificatu ſolvitur, *ibid.* ejus Scripta, 57.

S. Felix III. Exoticon Zenonis Imp. proſcribit 77. Acacium Epiſ. Conſtaotinop. damnat. 78

S. Felix IV Pont. à Clero primùm non recipitur & quare? 89. pro Clero intercedit, *ibidem*, multa præclarè operatur, 90. ejus obitus, Epitaphium, & Scripta, *ibid.*

Felix Archiep. Raveunas Conſtantino I. Pontifici rebellis, 155. à Juſtiniano II. Imp. capirur, exoculatur, & relegatur, 156. reſipiſcit ac Pontifici obedientiam præſtat, *ibid.*

Ferdinaodus I. ex reſignatione Caroli V. fit Imperator, 772. hanc reſignationem improbat Paulus IV. & quare? *ibid.* eam confirmat Pius IV. 781. moritur, & à Pio leudatur, 784.

Ferdinandus II. eligitur Imp. 852. ei adverſus hæreticos auxiliatur Gregorius XV. 854. ejus obitus, & elogium, 866.

Ferdinandus III. Imperator eligitur, 866. Archiep. Trevirenſem libertati reſtituit, 870. pacem cum hæreticis, improbante Pontifice, init, *ibid.* moritur, 889.

Ferdinandus Alphonſi Siciliæ regis filius pro impetrando regno ſcribit ad Calliſtum III. 626. bellum cum Innocentio VIII. gerit, 674 pacem cum eodem facit, 675. pactis non ſtat, hinc cenſuris in ordinem redigitur, *ibid.* à Carolo VIII. Galliæ rege regoo pellitur, 683.

Ferdinandus Hiſpaniæ rex bellum cum Mauris habet, 668. ei Sixtus IV. ſubſidia præſtat, *ibid.* eidem favet Innoc. VIII. 678. regnum Graoatenſe in poteſtatem redigit, *ibid.* Catholici titulum conſequirur, *ibid.* bona ſacra ſanctè tractat, *ibid.* Julio II. adverſus Gallos opituletur, 696. moritur, 704.

Ferdinandus Magnus Caſtellæ & Legionis Rex ſanctis operibus clarus moritur, 332.

Ferreria à Clemente VIII. recuperatur, 834.

Feſtus Senator Romanus homo doloſus, 82. Schiſma conflat, 83.

Florentini ab Innocentio V. interdicto liberantur, 473. à Nicolao III. in ordinem rediguotur, 482. à Gregorio XI. ob enormia crimina excommuuicantur, 558. eorum Ecclesia in Archiepiſcopalem erigitur à Martino V. 598. Mediceis ejectis ſe in libertatem vindicant, 731. obſidentur à Vaſtio, & deditionem faciunt, 732.

Foiſſeus: vide *Gaſto Foiſſeus.*

Fons ſanguineus Genuæ erumpit, magnarum calamitatum index, 262.

Formoſus Pont. 243. Schiſma inter illum & Sergium Card. *ibid.* Litteras Orientalium accipir, iiſque reſpondet, 244. Lambertnm Imp. coronet: euctore Sergio indignè à Romanis habetur, *ibid* ei auxiliatur Arnulphus Imp. qu m & pro præſtita gratia coronat, 244. ejus ob tus, & Scripta, *ibid.*

Franciſcani cum Dominicanis diſſidium habent propter ſtigmata S. Cetharinæ Senenſis, 669.

S. Franciſcus Aſſiſias, 422. ejus ordo opponitur hæreticis *Pauperes de Lugduno* nuncupetis, *ibid.* ejus ordo confirmatur ab Honorio III. 431. apparet Gregorio IX. 436. ejus corpus incorruptum veneratur Sixtus IV. 670.

Franciſcus Baroncellus: vide *Baroncellus.*

Franciſcus Soderinus Card. ab Hadr. VI. carceri mancipatur, & quere? 713.

S. Franciſcus Xaverius: vide *Xaverius.*

Franciſcus I. Galliæ Rex magnos in Italia progreſſus facit, 703. occupato Mediolano Meximilianum Sfortiam in Galliam relegat, 704. ab eo deficit Borbonius, 726. ed Ticinum profligatur, & capitur, 726. redimitur, 727. inſtaurat bellum in Cæſarem, 728. cum eo pacem init, 731. Henricum filium matrimonio jungit, 733. Cæſari conciliari renuit, 735. ei perfidiam exprobrat Carolus Cæſar, eumque ad duellum provocat, 739. atrox inter ambos bellum, 740. pacem ineunt, 745. moritur, *ibid.*

Fridericus I. cognomento Ænobardus Imperator dicitur, 388. movet in Italiam ac plurima oppida occupat, 393. coronatur ab Hadrieno IV. *ibid.* ſeditioſos Romanos armis domat, *ibid.* Hadriano IV. iofaſtus redditur, & quere? 394. Victori IV. Antipapæ contra Alexandrum III. ſuffragatur, 396. anathemate eb Alexandro III. nota-

notatur, 397. Monachos Ciſtercienſes toto Imperio perſequitur, 398. Mediolanum occupat, & evertit, *ibid.* Alexandrum III. Româ fugat, 400. Alexandriam fruſtrà obſidet, 401. multis incommodis afficitur, 402. pacem cum Alexandro init, *ibid.* diſcordias cum Lucio III. habet, & quare, 405. proſequitur eaſdem diſcordias cum Urbano III. 407. excitatur à Clemente III. in Sarracenos 410. inſigni victoria potitur, 412. perit in amne ſerra, *ibid*

Fridericus II. Aquiſgrani inſignia Imperii ſuſcipit, 422. coronatur ab Honorio III. 428. anathemate ab eodem notatur, *ibid.* Eccleſiam Dei perſequitur, *ibid.* matrimonium cum Jolanta Joannis Solymorum Regis filia contrahit, 429. diris à Gregorio IX. devovetur, 436. in Gregorium ſeditionem movet, 437. Gregorii aſſeclas crudeliter perſequitur, *ibid.* Concilium à Gregorio indictum impedire conatur, 438. Patres ad Concilium euntes capit, indigneque habet, *ibid.* ejus ſuperbia, 439. monita Gregorii ſpernit, *ibid.* Innocentio IV. inſidias ſtruit, 443. Citatur ad dicendam cauſam: excommunicatur: & imperio privatur, *ibid.* Parmam in caſſum obſidet, 444. funditur, & fugatur, *ibid.* ſacram expeditionem impedit, *ibid.* ejus interitus, quem ſequitur turbulentus Imperii ſtatus, 445.

Fridericus III. cognomento Pacificus Imperator eligitur, 617. ejus ſomnium de Nicolao V. 618. coronatur cum conjuge à Nic. V. 619. auratos equites Romæ creat, 620. Æneæ Silvio purpuram & thiaram prædicit, 635. moritur, 682. ejus elogium, *ibid.*

Fridericus Moguntinus Monachos Benedictinos perſequitur; 264. ab Hadamaro Abbate Fuldenſi armis in ordinem redigitur, 265.

Fridericus Siciliæ Rex à Siculis poſcitur, 505. multum negotii cum Bonifacio VIII. habet, *ibid.* ſegregatum ab Eccleſia Benedictus X. reſtituit, 514.

Fridericus Saxoniæ Dux paternè ab Hadriano VI. monetur, ut à Luthero abſiſtat, 715. Carolo V. rebellat, 746. electoris dignitate privatur, & proſcribitur, 747. exercitum cogit; ſed infeliciter pugnat, *ibid.* capitur, & punitur, 748.

Fulbertus Epiſ. Carnotenſis vir doctrina & ſanctitate clarus, 297.

Fulco Andegavenſis Comes in Diœceſi Turonenſi Eccleſiam erigit, quæ ne à Schiſmatico Epiſcopo conſecretur, miraculosè corruit, 288. idem Fulco Rex Solymorum declaratur, 378. Turcas fundit ac caſtris exuit, *ibid.* Edeſſam amittit, *ibid.* in venatione equi lapſu corruit ac moritur, 379.

Fulco Archiep. Rhemenſis vir laudatiſſimus Balduini Flandriæ comitis juſſu innocenter occiditur, 247.

G.

S. Gabini martyrium, 45.

Galerus tuber Cardinalibus ab Innocentio IV. conceditur, 445.

Galeri Cardinalitii ſub captivo Clemente VII. ad haſtam exponuntur, 730.

Gaſto Foiſſeus quis? 696. Helvetios profligat, 697. Hiſpanos Bononiâ arcet, *ibid.* Brixiam capit, ac cædibus complet, *ibid.* cum Pontificiis ad Ravennam confligit, & occiditur, 698.

Gaufridus Marchio Ducis Parmenſis Adminiſter, ob occiſum Caſtri Epiſcopum, capite plectitur, 871.

S. Gelaſius I. Pont. Inſtitutum Canonic. Regularium reformat, 78. Decretum de Primatu Eccleſiæ Romanæ edit: Manichæos Urbe pellit: ſacram Synaxim ſub utraque ſpecie adminiſtrat, & quare: Anaſtaſium Imp. excommunicat: Decretum de libris Canonicis edit, *ibid.* ejus obitus & Scripta, 80.

Gelaſius II. Pont. 358. ejus primordia, *ibid.* à Cincio Frangepane ſacrilegè habetur, & cuſtodiæ mandatur, 359. liberatur & coronatur, *ibid.* Henrici V. Imp. furorem declinat, & Cajetam navigat, 360. Mauritium Burdinum Antipapam, & Henricum Imp. cenſuris & armis perſequitur: migrat in Gallias, ubi coacto Concilio utrumque iteratò damnat, 361. ſanctè moritur, *ibid.* ejus Epitaphium & Scripta, 362. inter Sanctos reponitur, *ibid.*

Genſericus à Leone Magno mitigatur, & à Templorum direptione cohibetur, 73.

Genuenſes ab Hadriano V. anathemate ſolvuntur, 477. inſignem de Venetis victotiam reportant, 545. talionem à Venetis recipiunt, *ibid.* pacem cum iiſdem ineunt, *ibid.*

Georgius Podiebradius Bohemiæ Rex ob hæreſim regno privatur à Pio II. 643. damnanatur à Paulo II. 662.

S. Gerardus Epiſc. Chanodienſis in Hungaria illuſtri martyrio afficitur, 315.

Germania operâ S. Gregorii II. per S. Bonifacium ad fidem convertitur, 159.

Germanica natio in Schiſmate Baſileenſi neutralitatem amplectitur, unde *Neutrales* dicti, 600. monetur ab Hadriano VI. ne impium Lutheri dogma amplectatur, 715.

S. Ger-

S. Germanus Patriarcha Conſtantinop. ob defenſionem *SS.* Imaginum à Leone Iſaurico in exilium pellitur, 162.

Germanus quidam Epiſcopus Gregorium XI. ad repetendam Romanam ſedem feſtivo reſponſo incitat, 558.

Gieſca Hungarorum Princeps, & filius ejus Stephanus baptiſma ſuſcipiunt, 284.

Gilbertus Porretanus Epiſ. Pictavienſis de SS. Trinitate malè ſentit, 386. eapropter ab Eugenio III. damnatur, *ibid.* reſipiſcit, *ibid.*

Giſulphus Dux Beneventanus Joanni VI. ablata Eccleſiæ oppida reſtituit, 152.

Gonſalvus Magnus Dux Hiſpanus multis victoriis clarus, 684. invidia appetitus perit, *ibid.*

Græci in Concilio Florentino cum Latinis conciliantur, 613. relabuntur, *ibid.*

S. Gregorius I. cognomento Magnus Pont. 110 ejus præclara acta ſtrictim inſinuantur, *ibid.* ejus ſingularis humilitas, 111. omnibus gratus, *ibid.* ſanctiſſimè moritur, 112. Quanta doctrina & eruditione floruerit? *ibid.* ejus multiplicia Scripta, *ibid.*

S. Gregorius II. vir doctrina & ſanctitate celebris, 159. Neapolitanos in Longobardos excitat: Joannem Pſeudopatriarcham Conſtantinop. deponi curat: Eccleſias & monaſteria reparat: Germaniam per S. Bonifacium ad fidem convertit, *ibidem.* Leoni Iſaurico Imp. viriliter reſiſtit, ejusque inſidias divina virtute evadit, 160. Carolum Martellum in auxilium vocat, 161. Leonem Iſauricum excommunicat, 162. ejus obitus & Scripta, 163.

S. Gregorius III. Pont. 164. ejus elogium, *ibid.* Leonem Iſauricum Imperio privat & damnat: Cauſæ hujus privationis, *ibid.* decretum edit adverſus Iconoclaſtas, 165. Carolum Martellum ad opem ferendam incitat: eundem titulo *Chriſtianiſſimi* condecorat, *ibid.* multa alia præclarè operatur, 166. ejus obitus & Scripta, *ibid.*

Gregor. IV. Pont. mirè liberalis in pauperes & Eccleſias, 207. monachos ad gentium converſionem expedit, *ibid.* Feſtum omnium Sanctorum Calendis Novemb. peragi mandat, 208. diſſidentes Ludovicum Pium Imp. & filios pacificare ſtudet, 209. Ludovicum à filiis imperio dejectum reſtituit, *ibid.* ejus obitus, Epitaphium, & Scripta, 210.

Gregorius V. Pont. vir pius, & in pauperes apprimè munificus, 286. Clerum Ravennatem à portorio eximit, 287. Roberto Galliæ Regi incœſtas nuptias interdicit: Othonem III. Imp. coronat, *ibid.* Heriberto Archiep. Colonienſi jus pallii concedit, eumdemque in numerum Electorum aſſumit, 287. à Creſcentio Urbe exagitur, ejusque loco Philagatus Antipapa introducitur: ab Othone Imp. ſuæ ſedi reſtituitur, *ibid.* Concilium Romæ celebrat in cauſa Eccleſiæ, & electionis Impp. 288. ejus obitus, Epitaphium, & Scripta, 289.

Gregor. VI. Pont. 310. ejus præclara acta, *ibid.* omnia in melius reformat, 311. cenſuris & armis in facinoroſos agit: bona Eccleſiæ recuperat, ac pacem procurat, *ibid.* accuſatur apud Henricum III. Imp. tanquam ſimoniacus, 311. ſponte Pontificatu cedit, 312. ejus obitus, & Scripta, 314.

Gregor. VII. Pont. 334. ejus elogium, *ibidem.* Henricum IV. Imp. piè ſed fruſtrà admonet, *ibid.* Concilium adverſus Simoniacos indicit, 335. conjuratio in eum excitatur: capitur, ſed mox liberatur, *ibid.* agit anathemate in complices conjurationis, 336. ab Henrico Imp. pro depoſito declaratur: *ibid.* Henricum cum complicibus damnat: *ibid.* Gregorio favent Principes Imperii, 337 Henricum deponit, ejusque loco Rudolphum Sueviæ Ducem proponit, 338. execrationem in Henricum reiterat, eumque depoſitum declarat, *ibid.* Antipapa Gregorio opponitur, 341. fugit in arcem Hadrian. obſidetur, liberatur, 342. migrat Caſſinum ægrotat, moritur, 343. ejus elogium & Scripta, 344.

Gregor. VIII. Antipapa: vide *Mauricius Burdinus.*

Gregorius VIII. Pont. 409. ejus elogium, *ibid.* Chriſtianos Principes litteris in Sarracenos excitat, *ibid.* ejus obitus, & Scripta, 410.

Gregorius IX. Pont. 433. ejus vitæ primordia: bellum in Sarracenos promovet: Clericalem & monaſticam diſciplinam inſtaurat, *ibid.* Reipublicæ Chriſtianæ per omnia conſulit, 434. gentium converſionem curat, 435. numerum Sanctorum auget, 436. Eccleſiæ jura tuetur, *ibid.* Fridericum II. Imp. anathemate defigit, 436. ei apparet S. Franciſcus, *ibid.* à Friderico exagitatur, 437. Concilium generale indicit, & quare, 438. malis undique ingruentibus ſancto fine decedit, 439. ejus Scripta, 440.

Gregorius X. Pont. 467. ejus elogium, & vitæ primordia, *ibid.* plauſus communis ob ejus electionem, 468. Italiæ pacem curat, 470. Concilium Lugdunenſe celebrat, 471. Rudolpho Auſtriaco favet, *ibid.* Palæſtinam

repetere cogitat, *ibid.* ſanctè moritur, 472. Ejus Epitaphium & Scripta, *ibid.*

Gregorius XI. Pont. 555. ejus vitæ primordia, *ibid.* pacem inter Gallos & Anglos procurat, 556. ſacram expeditionem urget, *ibid.* Eccleſiaſticorum mores emendat, 557. pro Eccleſiaſtica libertate laborat, *ibid.* Florentinos ob immania crimina excommunicat, 558. Romanam Urbem ac ſedem repetit, *ibid.* ejus obitus, Epitaphium, & Scripta, 559.

Gregorius XII. Pont. unionis ſe ſtudioſum demonſtrat, hinc Benedictum XIII. Antip. ad ceſſionem hortatur, 575. ambo colludere videntur, 576. & 577. deſeritur à Cardd. obedientiæ ſuæ, 578. pro ceſſione ſua legatum mittit ad Concil. Conſtantienſe, *ibid.* liberè cedit pontificatu, 579. moritur, *ibid.* ejus Scripta, 580.

Gregorius XIII. Pont. 800. ejus vitæ primordia, 801. Pontificatum egregiis operibus auſpicatur, 802. Chriſtianos Principes in Turcas urget, 803. Tria & viginti Collegia condit, & fundat, *ibid.* Urbem mirè ædificiis tum ſacris, tum prophanis exornat, 804. Rei Chriſtianæ paternè conſulit, *ibid.* Calendarium emendat, 805. Japoniorum legationem excipit, *ibid.* ejus obitus, & Scripta, 806.

Gregorius XIV. Pont 822. ejus genus & vitæ primordia, 823. magnam auri vim in Galliam adverſus hæreticos mittit, 824. petit ſibi viventi ſucceſſorem dari, 825. ejus obitus, elogium, & Scripta, *ibid.*

Gregorius XV. Pont. 853. ejus primordia, *ibid.* præſagium de futuro ejus Pontificatu *ibid.* Vallis Tellinæ diſcordias componit, 854. Ferdinando Cæſari auxiliatur, *ibid.* Bavariæ Duci ad Septemviratum ſuffragatur, *ibid.* ab eodem Bibliothecam Palatinam donoaccipit, 855. Nobilem Apoſtatam ad ſaniora revocat, 856. alia præclarè agit, *ibid.* auget numerum Sanctorum, 857. diploma de cretione Pontificis edit, *ibid.* Urbem aliaque curat, *ibid.* Ejus obitus, Epitaphium, & imago, 858. Scripta, 859.

Gregorius Haimburgus: vide *Haimburgus.*

Gregorius Syracuſanus deponitur, & damnatur à Benedicto III. 221.

Grimbaldus Presbyter Anglus vir magnæ ſanctitatis moritur, 251.

Guibertus Archiepiſ. Ravennas ſeditionem adverſus Gregor. VII. excitat, 335. pejora molitur, *ibid.* anathemate notatur, 336 honoribus ſpoliatur, 338. exauctoratus declaratur, 340. Antipapa ſub nomine Clem. III. intruditur, 341. per Schiſmaticos Epiſcopos inthronizatur, 342. Templum *S.* Petri occupare tentat, ſed arcetur, 345. armis impetitur, & loco pellitur, 353. ſubito morbo correptus corruit, *ibid.* ejus corpus crematur, 354.

Guido Card. Cremenſis Antipapa, vide *Calliſtus III. Antipapa.*

H.

HAbdalus Saracenorum Princeps fideles orientales dirè perſequitur, 178.

Haimburgus à Romano Pontifice ad futurum Concilium appellans anathemate defigitur. 638.

Hadrianus I. Pont. vir incomparabilis, 184. cautè cum Deſiderio Longob. rege agit, *ibid.* eum ab Urbis obſidione abſterret, 185. Carolum Mag. honorificè excipit, & pacta cum eo renovat, 186. Urbem & Eccleſias mira liberalitate exornat, 188. ejus elogium, obitus, & Epitaphium, *ibid.* Scripta, 189.

Hadrianus II. Pont. 228. mira ejus in pauperes liberalitas, *ibid.* incredibili omnium ſtudio Pontifex eligitur, *ibid.* Nicolaum I. æmulatur, 229. ſanctis operibus intentus obit 231. ejus Scripta, *ibid.*

Hadrianus III. Pont. 238. Photium execratur, *ibid.* ejus duo inſignia decreta, 239. ejuſdem obitus, & Scripta, *ibid.*

Hadrianus IV. Pont. 391. ejus miranda vitæ primordia, *ibid.* Romanos tumultuantes cenſuris in ordinem redigit, 392. Arnaldum Brixianum Reip. perturbatorem in furcam agit, *ibid.* Regem Siciliæ anathemate ferit, 393. Frider. Cæſarem coronat, *ibid.* Legationem Orientalem ſuſcipit, 394. Siciliæ Regi conciliatur, *ibid.* eapropter Cæſarem infeſtum habet, *ibid.* moritur, 394 ejus elogium, 395. ejus de pontificatus onere querimonia, *ibid.* ejuſdem Scriptæ, *ibidem.*

Hadrianus V. Pont. 475. ejus vitæ primordia, *ibid.* Rudolphum Cæſarem adverſus Carolum Siciliæ regem Romam vocat, 476. Genueuſes ſoluit anathemate, 477. ejus notabile dictum, *ibid.* ejus obitus, Epitaphium, & Scripta, 477.

Hadrianus VI. Pont. divino potiùs, quàm humano ſuffragio Pontifex creatur, 710. ejus primordia, 711. ſcientiis omnibus excellit, *ibid.* Romam lectus Pontifex venit, 713. Rebus publicis conſulit, *ibid.* Rhodo à Turcis obſeſſæ fruſtrà ſuccurrere tentat, 714. Lutheraniſmum profligare nititur, *ibid.* Saxoniæ

xoniæ Ducem paternè monet, 715. Eccleſiam in multis collapſam reſtituere ſatagit, *ibid.* profuſiores indulgentias improbat, 716 ſuis non favet, nec provehit, *ibid.* alia præclarè operatur, 717. Numerum Sanctorum auget, 718. Sugillatur à noanullis, & defenditur, *ibid.* Principes Chriſtianos fœdere jungit adverſus Turcas, 719. ægrotat, 720, moritur, 721. ejus Epitaphium, 722. Scripta, 723.

S. Haſtæ ferrum Antiochiæ in templo S. Petri repertum fidelibus adverſus barbaros militantibus præſidio eſt, 350. mittitur dono ad Innoc. VIII. 677.

Hæreſis Sabelliana damnata à *S.* Felice, 43. Neſtoriana à S. Sixto III. 70. Berengeriana à Victore II. 324. Pauperum de Lugduno ab Innocentio III. 422. & à Gregorio IX. 434. Albigenſis à Lucio III. 422. Fraticellorum à Bonifacio VIII. 508. Waldenſium à Benedicto XII. 534. Beguinorum ab Urbano V. 550. Huſſitarum à Martino V. 602. Lutherana à Leone X. 705. & ab Hadriano VI. 715. Anabaptiſtarum exciſa ſub Paulo III. 736.

Hæretici ſub Innocentio X. converſi, 878.

Hæretici ſub Clemente IX. converſi, 895.

Hariadneus Barbaruſſa: vide *Barbaruſſa.*

Helveti circa Mediolanum à Gallis funduntur 697. à Julio II. remunerantur, ac titulo Aſſertorum Italicæ libertatis donantur, 699. ſtrage à Franciſco I. Galliæ rege afficiuntur, 703. fœdere cum Maximiliano I. Imp. junguntur, 705. iterum à Gallis funduntur, *ibid.*

Henricus I. Imp. cognomento *Auceps*; 259. Quæ geſſerit? *ibid.* moritur, 260. vide etiam 263.

S. Henricus II. Imp. cognomento *Claudus* ſuccedit Othoni III. 293. ejus vitæ ſynopſis, & elogium, *ibid.* à Benedicto VII. cum conjuge coronatur, & primus aureo pomo donatur, 301. Caſſini à calculi morbo miraculosè ſanatur, 302. ſanctè moritur, 304.

Henricus III. cognomento *Niger* Imperator dicitur, 309. apud illum accuſatur Greg. VI. tanquam Simoniacus, 311. eum abducit in Germaniam, & quare, 313. à Clemente II. coronatur, 314. moritur, 324.

Henricus IV. Imperator eligitur, 324. ſimoniæ à *S*tephano X. arguitur, 325. à Nicolao II. in jus vocatur, & quare? 332. lethali morbo laborans à Petro Anagnino curatur, *ibid.* placatus Gregorium VII. confirmat, 335. eundem pro depoſito promulgat, 336. à Greg. VII. damnatur, *ibid.* pœnitentiam ſimulat, & abſolvitur, 338. fit perjurus, & deponitur, ejusque loco Rudolphus Sueviæ dux aſſumitur, *ibid.* iteratò excommunicatur, 340. Antipapam intrudit, 341. bello ab æmulo Rudolpho petitur, & ſuperatur, *ibid.* Romam obſidet, & in poteſtatem redigit, *ibid.* Antipapam coronari curat, 342. magna clade à *S*axonibus afficitur, 346. ab Urbano II. cum Antipapa damnatur, 348. moritur, 355.

Henricus V. Imp. Romam venit, ac Simoniacos Epiſcopos confirmari poſtulat, 355 Paſchalem II. capit, abducit, ac poſtulatis ſubſcribere cogit, 356. ab eodem coronatur, *ibid.* Antipapam Gelaſio II. opponit, 360. eapropter anathemate defigitur, 361. reſipiſcit & abſolvitur, 364. inveſtituris Epiſcoporum renunciat, 365. moritur, 371.

Henricus VI. cognomento *Aſper* Imperator dicitur, 413. à Clemente III. coronatur, 414 Conſtantiam Rogerii Apuliæ ducis filiam uxorem ducit, 415. Regnum Siciliæ occupat, *ibid.* Wilhelmum Regem capit, caſtrat, & luminibus orbat, *ibid.* Meſſanæ veneno tollitur, 419.

Henricus VII. Imperator creatur, 520. coronatur à Clemente V. *ibid.* moritur; *ibidem.* an veneno? 521.

Henricus II. Angliæ Rex ob necem S. Thomæ Cantuarienſis ab Alexandro III. in jus vocatur, 401. Quæ pœna ei inflicta? *ibid.*

Henricus VIII. Angliæ Rex Julio II. adverſus Gallos opitulatur, 696. Librum contra errores Lutheri ſcribit; & *fidei defenſoris* titulo à Leone X. ornatur, 709. amore Boleniæ à fide deficit, 732. Catharina rejecta Boleniam ducit, 736. ſævit ſuppliciis in probatiſſimos viros: caput Eccleſiæ Anglicanæ ſe dicit: anathemate percutitur, 737. Boleniam capitis damnat, *ibid.* moritur, 745.

Henricus III. Gall. Rex à Sixto V. ob cædem Guiſiorum in jus vocatur, 816. occiditur, *ibid.*

Henricus IV. ſuccedit Henrico III. 816. hæreſim abjurat, & in gremium Eccleſiæ à Clemente VIII. recipitur, 834.

Henricus Hiſpanus Alphonſum fratrem in regno adverſarium habet, 663. ei favet Paulus II. *ibid.*

Henricus Lantgravius Thuringiæ ab Innocentio IV. in depoſiti Friderici II. locum Cæſar deſignatur, 445. pugnat cum Conrado Friderici filio: in obſidione Ulmæ vulneratur, ac moritur, *ibid.*

Heraclion Imp. Conſtantinum fratrem Imp.

Vene-

veneno tollit, 129. eapropter à populo Conſtantinop. naribus mutilatur, & relegatur, 130.

Heraclius Imp. Choſroëm Perſarum Ragam bello ſuperat, 123. In fœda flagitia ipſamque hæreſim Eutychianam prolabitur, 124. bello impatitur, & ſuperatur, *ibid* ſanior redditur auctore Honorio I. *ibid.* relabitur, & Monothelita moritur, 129.

Heraldus Daniæ Rex ob fidem Cath. à filio, & ſubditis, Chriſtum abdicantibus, occiditur, 281.

Harulus: vida *Odoacer Herulus.*

Hieroſolyma per Bullionium Ducem racuperatur, 350. à Saladino oppugnatur, & recipitur, 408. ajus tamplum ab Ammirato Babilonio funditus evertitur, 299. ab Ammirati matre readificatur, 300.

Hieronymi Balbi Oratoris Ungari impudentia, 718.

S. Higinus Pont. 21. ejus decreta & inſtituta, *ibid.* Cerdonem hæreſiarcham è cœtu fidelium ejicit, 22. formam Templorum, & conſecrationem eorumdem præſcribit, *ibid.* Ejus martyrium, & Scripta, *ibid.*

S. Hilarus Pont. Synodum Romæ celebrat, 76. agit da condendo Cyclo paſchali, *ibid.* Macedonianos Urbe pellit, 77. Orientales Epiſcopos in officio continet, *ibid.* Ejus obitus, elogium, & Scripta, *ibid.*

S. Hildegardis virgo, 386. ejus Scripta, & revelationas ab Eugenio III. examinantur, & approbantur, *ibid.*

Hincmarus Archiep. Rhemenſis Hincmarum Epiſcopum Laudunenſem injuſtè damnat, ſede pellit, ac luminibus orbat, 230.

Hinguar Danus, crudelis latro Angliam, Scotiam, Hiberniam ferro flämmaqua devaſtat, 230. qua occaſione ſtupendum ſacratum virginum facinus pro pudore editur, *ibid.*

Honorius I. Pont. 122. Templa reficit, atque axotnat: ejus elogium: hæreſis Monothelitarum falsò ei impingitur, *ibid.* converſioni gentium ſtudet, 123. ejus ſtudio Schiſma Iſtrianum tollitur, *ibid.* eo auctore Heraclius Imp. Pyrrum & Cyrum relegat, 124. ejus obitus, & Scripta, 125.

Honorins II. Pont. non ſine ſtrepitu eligitur, 369. ejus ſingularis modeſtia, 370. confirmatur in dignitate & coronatur: viros præſtantes colit: ejus acta ſtrictim parcurruntur, *ibid* nudis pedibus Beneventum luſtrat, 371 ejus obitus, & Scripta, 372.

Honorius III. Pont. 425 urget expeditionam ſacram, 426. pacem ubique procurat, 427. cenſuris in criminoſos indiſcriminatim agit, *ibid.* Fridericum II. Imp. coronat, 428. aundem ob varia flagitia diris devovet, ac imperio privat, *ibid.* Joannam Solymorum Regem regno pulſum ſuſcipit, *ibid.* Concilium calebrat, & quara? 429. ſupplicationes pro recuperationa terræ ſanctæ inſtituit, *ibid.* Cultum Euchariſtiæ exhibendum præſcribit, *ibid.* hæreticos comprimendos curat, 430. officium Magiſtri ſacri palatii inſtituit, *ibid.* ſacros Ordines Religionum confirmat, 431. Cruce ſignatis ſuccurrit, *ibid.* Numerum Sanctorum auget, 432. ejus obitus, & Scripta, *ibid.*

Honorius IV. Pont. 490. ajus primordia, *ibid.* Arragonium damnat, *ibid.* io Principes flagitioſos cenſuris agit, 491. Ordinem Carmelitarum confirmat, *ibid.* ejus notabile dictum, *ibid.* moritur, 491. ejus Scripta, 492.

Hormiſda Pont. memoriam hæreticorum abolet, 85. ejus manſuetudo, 86. fidem Cath. ſtrenuà propagat, *ibid.* ejus obitus, & Scripta, 87.

Hugenotti hæretici magna ſtrage à Carolo IX. afficiuntur, 797. eorum in fideles crudalitas *ibid.*

Hugo Capetus Franciæ Princeps Ludovicum IV. Galliæ regem contra jus faſque cuſtodiæ mandat, 264. ai ſtulent Proceres Franciæ, *ibid.* ut Regem libertati reſtituat, admonetur à Stephano IX. ſub anathematis interminatione, 264. ab Agapeto II. iterum, 267.

Hugo Epiſcopus Gratianopolitanus vir ſanctus, 371.

Hugo Moncata Romam occupat, ac Vaticanum diripit, 728. cum Clemente VII. paciſcitur, *ibid.*

I.

S. Jacobus Apoſtolus Hiſpaniæ Tutelaris Patronus omnibus in acie conſpicuus, Ramiro regi Hiſp. victoriam de barbaris reportat, 211.

Jacobus I. Angliæ, & VI. Scotiæ Rex Anglis Catholicis periculoſam jurisjurandi formulam præſcribit, quam improbat, & caſſat Paulus V. 850.

Jacobus II. Angliæ Rex naſcitur, 906. eidem & Britanniæ ad fidem reducendæ conſulit Innocentius XI. 913. ſuſcipit Legatum Apoſt. magnificè, *ibid.* ajus ad Legatum oratio, 914. moritur, *ibid.*

Jacobus III. Angliæ Rex naſcitur, 914. ab Anglis denegato regno exulatum mittitur, *ibid.*

Jaco-

Jacobus Cajatanus Honorati Comitis filius à Cæſare Borgia occiditur, 685.

Jacobus Clemens Dominicanus Henricum III. Galliæ regem occidit, 816. ejus regicidij pœna, *ibid.*

Jacobus Roſpilioſius pacem inter Gallum & Hiſpanum procurat, 896.

Janſenij Iprenſis Epiſcopi errores damnantur ab Innocentio X. 876. Item ab Alexandro VII. 885.

Japonica legatio ad Gregorium XIII. 805.

S. Ignatius Patriarcha Conſtantinop. Legatos Romam mittit ad Benedictum III. in cauſa Gragorij Syracuſani, ut ſententiam depoſitionis & damnationis ejus confirmet, 221. Bardam Imp. incæſtuoſum excommunicat, 224. eapropter ſeda ſua pellitur, *ibid.* Bardæ ſententiam in Ignatium latam improbat Nicolaus I. 225. ab Hadriano II. reſtituitur, 231. à Joanne VIII. dolis circumvanto iterum deponitur, 232. Sanctè moritur, & à Græcis ut ſanctus colitur, 236.

S. Ignatius de Loyola Soc. Jeſu fundator, 742. ejus Societas à Paulo III. confirmatur, *ibid.* primus Societatis Generalis exiſtit, 743. Collegium Germanicum recens à Julio III. inſtitutum ejus curæ committitur, 759. ſanctà moritur, & ſanctis adſcribitur, 778. vide etiam 857.

Ilcinum oppidum à Pio II. Epiſcopali ſede ornatur, 643.

Imago Salvatoris ab impio ſauciata miraculosè cruorem fundit, 566.

Inas Weſtſaxonum Rex religioſiſſimus ditiones ſuas Eccleſiæ Romanæ vectigales facit, 166.

Indulgentiæ profuſiores ab Hadriano VI. improbantur, & quare? 716.

S. Inquiſitionis tribunal quando, & à quo inſtitutum? 768. vide etiam 771.

INTERIM Carolinum à Paulo III. improbatur, 749.

S. Innocentius I. Pont. 63. ejus elogium, *ibid.* Palagium hæreſiarcham damnat: hæreticos Romà pellit: Ejus decreta, *ibid.* S. Chryſoſtomo patrocinatur, 64. Arcadium Imp. cum complicibus excommunicat, *ibid.* ejus obitus, & Scripta, 65.

Innocentius II. Pont. movet in Eccleſiæ hoſtes: capitur: liberatur, 372. Anacletum Antip. cum complicibus damnat, 373. ei ſuffragatur S. Bernardus, 374. Cæſarem amicum habet: Eccleſiam Genuenſem erigit in Metropolitanam: Piſanam etiam: *ibid.* Lotharium Imp. coronat, 375. reliqua ejus geſta, 377. ejus obitus, & Scripta, *ibid.*

Innocentius III. Pont. 418. ejus primordia, *ibid.* pacem Hungariæ procurat, 419. Eccleſiis conſulit: Epiſcopos exorbitantes in ordinam redigit, *ibid.* Germanos fruſtrà in officio retinere ſatagit, *ibid.* Principes Chriſtianos in Sarracenos excitat, 420. Othoni Imp. contra Philippum æmulum ſtudet: Othonem certis conditionibus coronat, 421. eundem perjurum anthemate ferit, & imperio privat, 422. Friderico II. ad imperium ſuffragatur, *ibid.* Concilium generale celebrat, & quid in eo actum? 423. ſanctà moritur, *ibid.* ejus Epitaph. elogium, & Scripta, 424.

Innocentius IV. Pont. 442. ejus elogium, *ibid.* Fridaricum II. adverſarium habet, 443. eundem citat ad Concilium Lugd. & quare? *ibid.* eundem anathematizat, & imperio privat, *ibid.* ſacram expeditionem urget, 444. Numerum Sanctorum auget, 445. rubrum galerum Cardinalibus concedit: jura Eccleſiæ defendit: Principes adverſarios in ordinem redigit, *ibid.* moritur, 446. ejus Epitaphium, 447. Scripta, 448.

Innocentius V. Pont. 473. pacem procurat: Florentinos Interdicto abſolvit, *ibid.* alia ſalubritar meditans morta obruitur, 474. ejus inſignia Scripta, *ibid.*

Innocentius VI. Pont. 543. ejus primordia, *ibid.* omnes ad pacis ſtudia hortatur, 544. Aulam Rom. reformar: Italiæ à Tyrannis ſuccurrit *ibid.* Carolum IV. Imp. coronat, 546. Romanos tumultuantes pacare ſtudet, 547. ejus obitus & encomium, *ibid.* Scripta, 548.

Innocentius VII. Pont. 571. ejus primordia: Ladislaum Siciliæ regem anathemata percurit, *ibid.* eundem regno privat, 573. ejus obitus, & epitaphium, *ibid.* lepida hiſtoria de eo narratur, 574. ejus Scripta, *ibid.*

Innocentius VIII. Pont. 672. ejus primordia, *ibid.* cum laude præeſt, 673. Leopoldum Auſtrium Sanctis adſcribit, 674. bellum cum Ferdin. Neapolitano habet, *ibid.* pacem cum eo init, 675. eundem ob pacta violata anathemate percutit, *ibid.* Romanorum diſſidia componit, 676. edicta contra facinoroſos renovat: ſuos provehit, *ibid.* Titulum S. Crucis invenit, & ſacrum haſtæ ferrum recipit, 677. Ferdinando Arragonio favet, 678. moritur, 679. Ejus Epitaph. elogium, & Scripta, 680.

Innocentius IX. Pont. 826. ejus elogium, & vitæ primordia, *ibid.* ejus præclaros animi conce-

conceptus præpropara mors diſturbat, 828. ejus obitus, *ibid.* imago & Scripta, 829.

Innocentius X. Pont. 868. ejus vitæ primordia, *ibid.* Pontificatum ab egregiis operibus auſpicatur, 869. Pontificiam auctoritatem magno animo tutatur, *ibid.* pacem Monaſterienſem improbat, & quare? 870. Juriſdictionem Eccleſiaſticam acerrimè defendit, 871. ſumma ejus juſtitia, *ibid.* præclara ejus ſacra atque profana ædificia, 872. populorum commodis ſtudet, 873. ajus providentia & pietas tempore jubilæi, 874. Neapolitanos tumultus improbat, & ſedat, 875. magno zelo rem Catholicam curat, *ibid.* & 876. bellum in hæreticos urget, *ibid.* ejus pro fide zelus, 877. & ſeq. multorum principum virorum cunverſione lætatur, *ibid.* ſanctè moritur, 879. ejus imago, 880. Scripta, *ibid.*

Innocentius XI. Pont. 907. ajus vitæ primordia, 908. ejus pietatis monumenta, alogium & vitæ ſanctitas, 909. Nepotem ſalutaribus monitis imbuit, 910. Nepotiſmum ſupprimere ſatagit, *ibid.* alia laudabiliter operatur, 911. & 912. plagas publicas precibus avertit, 913. Britanniæ conſulit, 913. & ſeq. Hæreticos domat, 915. Quietiſmum cum auctore ſuo damnat, *ibid.* jus Regaliæ ultra conceſſos terminos extendi vetat, 917. obſeſſæ à Turcis Viennæ Auſtriæ egregiè & cum amolumento conſulit, 918. ejus obitus, & Scripta, 920.

Innocentius XII. Pont. 926. ejus vitæ primordia, 927. Nepotiſmum averſatur, *ibid.* Cultum SS. Euchariſtiæ auget: gentium converſioni ſtudet: Salubria decreta divulgat: ſacrum Senatum præſtantibus viris auget, 928 ſancto fine decedit, 929. ejus elogium, *ibid.* ejus Scripta, 930.

Joanna Navarræ regina hæreſi patrocinatur, ac eapropter a Pio V. in jus vocatur, 794.

S. Joannas I. Pont. conſtruendis templis operam dat, 88. legatione fungitur pro Theodorico Rege Ariano, & quare? *ibid.* Cæcum illuminat: Primus Pontificum Cæſarem coronat: inediâ conficitur: ejus Scripta, 89.

Joannes II. Pont. Anthemium hæreticum damnat, 92. fidei profeſſionem à Juſtiniano Imp. recipit, *ibid.* ejus laus, obitus, & Scripta, 93.

Joannes III. Pont. Cœmeteriis inſtaurandis incumbit, 106. legationem ad Theodomirum Galliæ Regem mittit, *ibid.* ajus obitus, & Scripta, 106.

Joannes IV. Pont. Honorij I. Pont. famæ conſulit, 127. Ecthesim, & hæteſim Monothalitarum damnat; ejus obitus, & Scripta, *ibid.*

Joannes V. Pont. vir ſingularis eruditionis, & virtutis, 147. ejus obitus, & Scripta, *ibid.*

Joannes VI. Pont. ablata Eccleſiæ oppida à Giſulpho Duca Beneventano repetit & obtinet, 152. Alpes Cottias ab Ariperto Longob. Rege recipit, *ibid.* ejus obitus, & Scripta, 153.

Joannes VII. Pont. vir egregius, 153. renuit approbare Canones in Conciliabulo Conſtantinopolitano editos, 154. ejus obitus, & Scripta, *ibid.*

Joannes VIII. Pont. 232. Photio damnato favet: cauſæ cur faverit? *ibid.* decipitur à Baſilio Imp. 233. malè audit ob Photij reſtitutionem: *ibid.* ob animi mollitudinem Papiſſa non Papa creditur, *ibid.* Photium damnat, 234. multa præclarè agit, *ibid.* tres Imparatores Carolum Calvum, Ludovicum Balbum, & Carolum Craſſum coronat, 235. ejus obitus, Epitaphium, & Scripta, *ibid.*

Joannis VIII. figmentum, quem fœminam fuiſſe fabulantur, exploditur, 218.

Joannes IX. Pont. Formoſi Pont. cauſam defendit, 249. Stephani VII. acta reſcindit: Lamberto adverſus Berengarium ſtudet, *ibid.* Hadriani III. decreto advarſatur, & quare? 250. Eccleſiam Ovetenſem Metropolitica ſede exornat, *ibid.* ejus obitus, Epitaphium, 250. Scripta, 251.

Joannes X. Pont. 257. hic intruſus primò, accedente poſteà Cleri conſenſu pro legitimo habitus eſt, *ibid.* militiæ magis, quàm religioni deditus, 258. Græcos in Italiam erumpentes profligat, *ibid.* inſtigante Marozia, cervicali in os conjecto ſuffocatur, *ibid.* ajus Scripta, 259.

Joannes XI. Pont. Sergij III. & Maroziæ nothus intruditur, 261. munia pontificalia exercet: cum matre Marozia cuſtodiæ traditur, ac in carcere moritur, 262. ajus Scripta, *ibid.*

Joannes XII. Pont. vi intruditur, ſed accedente Cleri conſenſu legitimatur, 268. Contrà Berengarium II. Othonem Imp. in Italiam vocat, ac eundem coronat, 269. ab Othone deficiens Româ fugatur, & deponitur, *ibid.* Romanos in Othonem concitat; hinc turbæ, 270. ſedi ſuæ reſtituitur, *ibid.* crudeliter in duos Cardd. animadvertit, *ibid.* infelici morta perit, *ibid.* ajus Scripta, 272.

Joannes XIII. Pont. Othone Imp. conſentienta eligitur, 276. à Romanis Urbe pellitur, & quara? *ibid.* revocatur, 277. Othonia

favore

favora ablata à Berengario II. recuperat, *ibid.* Othonis filium coronat, *ibid.* ejus obitus, Epitaphium, & Scripta, 278.

Joannes XIV. Pont. vir pius, & doctus, 280. è Benedicto VII. ab axilio redeunte capitur, & occiditur, 283. ejus Scripta, *ibid.*

Joannes XV. Pont. reprehanditur, & quare? 283. multe egregiè operatur, 284. Romæ Synodum celebrat, & in ea S. Udalricum Epiſ. Auguſtanum ſanctis adſcribit, *ibid.* Ejus obitus, Epitaph. Scripte, 285.

Joennes XVI. vir ſcientificus, 285. urganta Creſcentio fugit, ec opem Othonis III. Imp. implorat, *ibid.* revocetur ed ſedem, *ibid.* moritur, 286. ejus Scripta, *ibid.*

Joannes XVII. Pont. Commemorationem defunctorum decreto confirmat, 296. ejus obitus & Scripte, *ibid.*

Joannes XVIII. Pont. S. Tagmonem Archiepiſ. Magdeburgenſem conſecrat, 297. Bambergenſem Epiſcopatum ad preces S. Henrici Imp. erigit, *ibid.* Eccleſiam Conſtantinop. cum Romana concordat, 297. ejus obitus, Epitaph. & Scripta, 298.

Joannes XIX. Pont. 303. circa hujus ingreſſum diverſa Auctorum opinio, *ibid.* hunc Græci muneribus corrumpere tantent, & quare? *ibid.* edmonitus, poſtulatie eorum non ſuffragatur, 304. munere ſuo ſanctè fungitur, *ibid.* à conſpiratione Romanorum, favore Conradi II. Imp. liberatur, 305. ejus obitus, & Scripta, *ibid.*

Joannes XX. dictus XXI. Pont. variantibus Auctoribus leudatur, & reprehenditur, 478. ejus laudabilia acta ſtrictim proferuntur 479 ruina cubiculi recens conſtructi opprimitur *ibid.* ejus Scripta, 480.

Joannes XXI. dictus XXII. Pont. 523. quid de ejus electione ſentiendum? *ibid.* ai Deipara virgo Pontificatum prædicit, 524. ejus geſta veria, *ibid.* converſioni gentium ſtudet, 525. turbulentum Italiæ ſtatum componera ſatagit, 526. refractarios cenſuris terret, 527. Regum ac regnorum diſſidia extinguere conatur, *ibid.* varios Epiſcopatus erigit, 528. pietate in Deiperam fervet, 529. alia præclarè operatur, *ibid.* piè moritur, 530. ejus Scripte, 531.

Joannes XXII. dictus XXIII. Pont. 585. ajus primordia, *ibid.* peſſim malè eudit, & quare? 586. bellum Ladislao Siciliæ regi indicit, 587. Conſtantiam ad Concil. tandit, *ibid.* fugit, & cauſæ hujus fugæ, 588. Conditiones pro cedendo Pontificatu proponit, 590. citatur à Concilio, 591. ſa ſe Concilio ſubmittit, *ibidem.* articuli contra eum formati, 591. ſentantia in eum pronunciatur, 592. traditur cuſtodiæ, *ibid.* confugit ad Martinum V. & Epiſcopus Tuſculanus creatur, 593. ajus obitus, Epitaphium, & Scripta, *ibid.*

Joannes III. Poloniæ Rax Vienne Auſtriæ à Turcis obſeſſæ ſuccurrit, 918. Turcas ab obſidione dimovet, magnaqua ſtraga afficit, *ibid.*

Joannes Antiſtes Ravennas ob crimina dignitata privetur, 225. ſupplex fit Nicolao I. & in gratiam recipitur, *ibid.*

Joannes Auſtriacus Turcas ad Inſulas Echinadas magne ſtrage efficit, 797.

Joannes Baptiſta de Monte Julij III. napos excurſionem egens tormenti globo occiditur, 756.

S. Joannis Baptiſtæ caput Romam transfertur, ac in monaſterio S. Silveſtri collocatur, 178.

Joannes Birallius Carthuſiianus ob vitæ probitatem in Pontificem proponitur, 543. ejus electioni obſiſtit Talairandus Cardinalis, *ibid.*

Joannes Calvinus hæreſiarche quis? 778.

Joannes Cantacuzenus Imp. Joanni Palæologo imperium aufert, 537. relagatur in monaſterium, *ibid.*

S. Joannes Capiſtranus crucis vexillo Turcas ingenti ſtrege efficit, 625.

Joannes Caraffa dux Palliani & Comes Montorij à Pio IV. Capitali ſantentia punitur, 781.

Joannes Carvagial Hiſp. Legatus in Hungaria, 625. vir invincibilis enimi, 661.

Joannes Columna loco cognati ſui per errorem occiditur, 595.

Joannes à Creticula quis? 378. Epiſc. creatur, *ibid.*

S. Joannes Eleemoſynarius moritur, 121. ajus religioſum teſtamentum, *ibid.*

Joannes Haucut Anglus, belli dux copias pontificias profligat, 552. mox profligatur ipſe, & capitur, *ibid.*

Joannes Hunniades dux cleriſſimus ingentem de Turcis victoriam conſequitur, 625.

Joennes Leidenſis Anabaptiſta Monaſterij in Waſtphalia cum ſuis aſſeclis axſcinditur, 736.

Joannes Madiceus axercitus Ecclaſiaſtici dux glende ignita trajicitur, 729.

Joannes Mincius Antipepa: vide *Mincius.*

Joannes Palæologus Imperator Orientalis dicitur, 537. ei inſidiea parat Joennes

Cantacuzenus, ſed in monaſterium relegatur, *ibid.* fidem Romanam amplectitur, 553.
Joannes Rex Solymorum litteras conſolatorias ab Honorio III. recipit, 425. Damiatâ amiſsa Romam venit, 428. Fridarico II. Imp. filiam matrimonio jungit, 429. ipſe Alphonſi IX. regis filiam in uxorem ducit, *ibid.*
Joannes à Stampis quis? 376. vixit annos trecentos ſexaginta & unum, *ibid.*
Joannes Valetta Ord. Melitenſis Magiſter Melitam Inſulam à Turcis obſeſſam fortiter defendit, 785.
Joannes Ungarus Pſeudopapa : vide *Calliſtus III.*
Joſephus I. imperator in ipſo jnventutis flore extinguitur, 937. ei ſolemni ritu exequias perſolvit Clemens XI. *ibid.*
Irena Auguſta Concilio Niceæ celebrando dat operam, 188. flagitioſum filium luminibus privat, ac carceri mancipat, 194. à Nicephoro Imp. relegatur, & moritur, *ibid.*
Iſaacius Angelus Andronico Comnano in Imperio ſubrogatur, 406. monſtrum libidinum, *ibid.* ab Alexio fratre excæcatur & throno dejicitur, 417. ab Alexio filio reſtituitur, 420. moritur, 421.
Iſaacius Comnenus Imp. abdicato Imperio fit monachus, 329. piè moritur, *ibid.*
Iſaacius Exarchus Severinum Pont. confirmat, 126. theſaurum Lateranenſem diripit, *ibid.* Ravennæ occiditur, *ibid.*
Iſidorus Agricola ſanctis adſcribitur, 857.
Iſidorus Roſatenſis Philippi Ducis Mediolanenſis orator, in Concilio Baſileenſi ineptè perorans tacere jubetur, 631. ejus vices cum admiratione ſupplet Æneas Silvius, *ibid.* eapropter Æneæ infenſus redditur, 632.
Jubilæum 100. annotum, ad quinquageſimum annum contrahit Clemens VI. 540. ad 33. annum Urbanus VI. 565. ad 25. annum Paulus II. 664.
Jubilæum Lutheranorum quale? 852.
Judæi legibus à Paulo IV. adſtringuntur, 769. à Pio V. in ordinem rediguntur, 792. ab eodam ad baptiſma & fidem amplectendam incitantur, *ibid.*
Julianus hæreticus à S. Bonifacio I. Papa damnatur, 67.
Julius I. Pont. Cœmeteria conſtruit, 54. S. Athanaſium defendit : pulſum ſede reſtituit: ejus Symbolum approbat, *ibid.* Julii obitus & Scripta, *ibid.*
Julius II. Pont. 692. ejus vitæ primordia, 693. ampliandi imperii percupidus fœdus cum Regibus adverſus Venetos init, 694. Alphonſum Eſtenſem bello petit, 695. indicit Concil. Lateranenſe, & quare? 696. auxilia petit ab Hiſpaniæ, & Angliæ Regibus contra Gallos, *ibid.* pugnat cum Gallis dubio Marte, 698. Helvatios confœderatos inſigni titulo exornat, 699. ejus obitus, elogium, & Scripta, *ibid.*
Julius III. Pont. 752. ejus vitæ primordia, 753. Parmam Octavio Farneſio concedit : Jubilæum celebrat: onera publica tollit, 754. utilia decreta edit: Concilium Bonooiâ transfert Tridentum : ad bellum Parmenſe cogitur, 755. moribus emendandis ſtudet, 756. lætus Angliam ad fidem redeuntem videt, 757. moritur, & quare? 758. Colleg. Germanicum Romæ ab eo inſtitutum, 759. ejus Scripta, *ibid.*
Julius Franciſcus Saxoniæ Dux fidem Cathol. propagare ſtudet, 896.
Jus Regaliæ quid? 917. ne iniquè à Ludovico XIV. extendatur, Innocentius XI. vetat, *ibidem.*
Juſtinianus I. Imp. fidei profeſſionem ad Pontificem mittit, 92. ejus affectus, & religio erga Romanam Eccleſiam, *ibid.* reprahenditur ab Agapeto Papa, & quare? 94. Concilium indicit, in quo tria Capitula damnantur, 101. diffidet à Vigilio Papa, eumque in exilium amandat, *ibid.* inviſibili plaga percuſſus perit, 106.
Juſtinianus II. Imp. laude caret, 147. à Leontio Patricio Conſ. naribus mutilatur, & in exilium propellitur, 151. imperium recuperat, 153. ſeverè in perſecutores ſuos animadvertit, *ibid.* Conſtantinum Pont. Conſtantinopolim accerſit, 156. ab eodem coronatur, *ibid.* à Philippico interficitur, 157.
Juſtinus Imp. vitiis quàm virtutibus clarior, Italiam perdit, 106. Tiberium ſceptri hæredem declarat, 107.
S. Juſtinus ob fidei defenſionem martyrio coronatur, 22.

L.

Lachanus Thracenſium prætor juſſu Copronymi Imp. fideles orientales perſequitur, 182.
Ladislaus Rex Neapolit. à Bonifacio IX. regno reſtituitur, & coronatur, 569. ejus acta, *ibid* doloſè agit cum Innoc. VII. 571. ab eodem anathemate defigitur, & regno privatur, 573. Romam occupat, 576. ejus regnum Ludovico Andegavenſi adjudicatur, 582. in

in eundem Crucem explicat Joannes XXIII. 587. veneno à concubino tollitur, *ibid.*

Lambertus Vuito dux Spoletanus Romam invadit, ac diripit, 229. ſexum ſequiorem militibus violandum tradit, *ibid.* eapropter Ducatu privatur à Cæſare, & proſcribitur, *ibid.*

Lambertus Dux Spoletanus à Formoſo Papa Italiæ Imperator dicitur, & coronatur, 244. eidem Joannes IX. adverſus Berengarium ſuffragatur, 249. ejus coronatio, præ Berengarii coronatione, pro legitima habetur, 250.

Lando Pont. vir bonus, & pacis amans, 257. moritur, *ibid.*

Landulphus Beneventanus Græcos ex Italia profligat, 255.

Lauretanæ domûs prodigioſa translatio, 510.

Lazarus Græcus monachus ob dapictas à ſe imagines ſacras ignita lamina aduritur, 208. miraculoſè reſtitutus, opus alacriùs proſequitur, *ibid.*

Lazarus Schuendius quis? 807. magnos contra Turcos progreſſus facit, *ibid.*

Lemni Inſulæ in Ægeo mari amiſſio, 89●

S. Leo I. Pont. Manichæos Urbe pellit, 72. Attilam oratione placat, ac fugat, *ibid.* Genſericum pariter, 73. Concilium Chalced. celebrat: S. Petrum ſibi aſſiſtentem habet, *ibid.* ſalubria inſtituta edit: Eccleſias inſtaurat, 74. Epiſcopos reos dijudicat, & emendat: ejus obitus & Scripta, *ibid.* elogia, 76.

S. Leo II. Pont. litteris Latinis & Græcis clarus, 143. ajus elogium ſingulare: Sextam Synodum Conſt. approbat, *ibid.* arrogantiam Antiſtitum Ravennat. frangit, 144. ejus obitus & Scripta, *ibid.*

S. Leo III. Pont. 191. ejus elogium: Principum legationib. honoratur: execranda in eum conſpiratio, *ibid.* oculis & lingua privatur, ſed divinitus curatur, 192. in Gallias ſubducitur, ibique honorificè ſuſcipitur: Romam redux falsò accuſatur, ſed innocens declaratur, 193. Carolum Magnum Cæſarem dicit, atque coronat: Pipinum Caroli filium in Regem Italiæ inungit, *ibid.* offenſoribus ſuis vitam exorat, 194. novis ſeditionib. exagitatur, *ibid.* ſæpiùs in die celebrat, & quare? 196. ſanctè moritur, *ibid.* ejus Epitaphium, & Scripta, 197.

S. Leo IV. Pont. 214. ejus elogium: reſiſtit Auguſtis, & quare? *ibid.* Decretum edit, ne Impp. electioni Pontificum ſeu immiſceant 214. Baſiliſcum oratione enecat, *ibid.* incendium precibus extinguit, 215. Baſilicas reparat, atque exornat: Mœnia Romana reficit: turres ædificat, *ibid.* plurium SS. corpora in Urbem transfert: Sarracenos orationa profligat, 216. inſignem de iis victoriam reportat: Urbem Leoninam condit, *ibid.* Anaſtaſium Card. damnat, & quare? 217. alia præclarè operatur, *ibid.* ſanctè decedit: ejus Scripta, 218.

Leo V. Pont. vix electus à Chriſtophoro Card. æmulo carceri mancipatur, 253. ejus obitus, & Scripta, *ibid.*

Leo VI. Pont. 259. quæ durante breviſſimo Pontificatu geſſerit? ejus obitus, & Scripta, 260.

Leo VII. Pont. Odonem Cluniacenſem è Gallia Romam evocat, & quare? 262. ejus obitus, & Scripta, 263.

Leo VIII. Pſeudòpontifex in depulſi Joannis XII. locum ab Othone Magno intruditur, 269. coronatur, 270. pellitur, *ibid.* recipitur, 273: agit contra Bened. V. legitimum Pont. 274. ſubitanea morte extinguitur. 275 ejus Conſtitutiones quales? 276.

S. Leo IX. re vera VIII. Pont. 317. ejus præclara primordia, *ibid.* Pontificatus ei prænunciatur, 318. audit angelicum concentum: Jura Eccleſia vindicat, *ibid.* Orientalem Eccleſiam ad obſequium revocat; occidentalem ipſe viſitat, 319. proficiſcitur in Germaniam, & quare? *ibid.* SS. Wolfgangum & Erardum inter Cœlites refert, 320. angelorum inviſibili miniſterio Eccleſiam quandam conſecrat: dona & proprias fortunas ad condenda ſacra ædificia confert, *ibid.* mirè liberalis in pauperes, 321. Chriſtum ſub leproſi ſpecie ſuſcipit: ſanctè moritur, *ibid.* ejus elogium, & Scripta, 321.

Leo X. Pont. 701. ejus primordia, *ibid.* magna celebritate coronatur, 702. Principes Chriſtianos ad concordiam hortatur, 703. Concilium Lateranenſe proſequitur, *ibid.* pacem cum Gallo facit, 704. Lutherum diris devovet, 705. in ſeditioſos Cardd. jure agit, 706. Principes Cath. in Turcas excitat: fœdus cum Cæſare contra Gallos init, *ibid.* ejus obitus, mores, Scripta, 708. & ſeqq.

Leo XI. Pont. 839. ejus primordia, 840. Gallorum regi gratus, *ibid.* Trimolliam Principem Eccleſiæ conciliat, *ibid.* in omnes beneficus, *ibid.* inexorabilis ad provehendum nepotem, 841. ejus obitus, *ibid.* Scripta, 842.

Leo Armenius Imperator dicitur, 194. In templo, quod ſpoliaverat, à conjuratis occiditur, 202.

Leo Iſauricus Catholicum ſe ſimulat, 160. prodit venenum perfidus, ſuritque in orthodoxos, ac ſanctas imagines, *ibid.* Longobardos in Gregorium II. concitat: mortem eidem molitur: *ibid.* anathemate ab eodem deñgitur, 162. à Gregorio III. imperio privatur, 164. Italiam armis inſeſtat, 165. naufragium facit, *ibid.* perit in hæreſi, & execratione, 166.

Leo IV. Porphyrogenitus Copronymo ſuccedit, 188. ſacrarium S. Sophiæ gemmis ſpoliat, ac perit, *ibid.*

Leo VI. Porphyrogenitus Baſilio patri ſuccedit, 241. ejus vita, & mors, *ibid.* vida etiam 255.

S. Leocritia Mahometana à S. Eulogio ad fidem converſa, cum eodem martyrio coronatur, 226.

Leonardus Cardineus juſſu Pii IV. ſecuri percutitur, 781.

S. Leopoldus Auſtriæ Marchio ab Innocentio VIII ſanctis adſcribitur, 674.

Leopoldus I. Imp. ſuceedit patri Ferdinando III. In imperio, 889. ingentes devictis Turcis progreſſus in Hungaria facit, 918. piè moritur, 937.

Liberius Pont. ſollicitatur ad damnandum S. Athanaſium, 55. in exilium relegatur: ſavet Arianis: pœnitet: pellitur ab Arianis: ſanctè moritur: defenditur, *ibid.* ejus Scripta, 58.

Liberoctus Firmi regulus à Cæſare Borgia ſtrangulatur, 686.

S. Linus Pont. multa miracula patrat, 10. cur S. Clementi in Pontificatu prælatus? 11. ejus martyrium, & Scripta, *ibid.*

Livius Odeſcalchus nepos Innocentii XI. 910. monita Innocentii ad eum ſalubria, *ibid.* Livij ſpecialis laus, *ibid.*

Lotharingia unde id nomen hauſerit? 211.

Lotharius I. Italiæ rex Romæ à Paſchali I. coronatur, & Auguſtus appellatur, 20?. ſeditionem Romæ exortam ſedat, 205. Conſtitutionem *de eligendo Pontifice* aſſentiente Eugenio II. edit, *ibid.* à patre Ludovico Pio Germaniam conſequitur, 209. à propriis filiis bello petitur, ſuperatur, & in fugam agitur, 211. pacem cum filiis init, & qualem? *ibid.* Leoni IV. obſequitur in cauſa electionis Pontificum, 214. fœdus & amicitiam cum eodem Leone redintegrat, 217. abdicato Imperio monachum profitetur, & religioſè moritur, 222.

Lotharius II. Imperator dicitur, 371. Innocentium II. exulam humanitar axcipit, 374 pacta inter eos facta, *ibid.* Innocentium Romam reducit, 375. ab aodem coronatur, *ibid.* à Romanis vexatus Urbe excedit, *ibid.* moritur, 376. ajus elogium, *ibid.*

Lotharius Lotharingiæ Rex ob repudiatam uxorem, & ſubinductam adulteram excommunicatur, 225.

Lucella nobile in valle Juraſſi montis Cœnobium Ord. Ciſterc. 368. agitur de ejus orig. *ibid.*

Lucina matrona Romana Eccleſiam hæredem ſuorum bonorum facit, 48.

Lucius I. Pont. 37. ejus decreta: martyrium: Scripta, 38.

Lucius II. Pont. 380. ejus vitæ primordia, *ibid.* Chriſtianis in oriente laborantibus ſubſidia mittit, *ibid.* ejus ocitus, & Scripta, 381.

Lucius III. Pont. cum Romanis diſcordias habet, & quare? 404. Mutinenſibus benedicit, 405. Veronæ Conventum celebrat, & quid in eo actum? *ibid.* diſcordias cum Frid. Imp, habet, & quare? *ibid.* ejus obitus, Epitaphium, & Scripta, 406.

Ludi inhoneſti à Joanne XXII. prohibentur, 5[illegible].

Ludovicus I. cognomento *Pius* à Carolo Magno patre hæres Imperij declaratur, 195. filios ſuos evehit, 202. Bernardum Italiæ regem nepotem oculis privat, 203. ſupplicium de ſeditioſis ſumit: Saxones rebelles, occiſo eorum duce, prælio ſuperat: Lotharium filium Romam ad ſuſcipiendam Italiæ coronam mittit, *ibid.* Paſchali I. donationes à Cæſaribus factas confirmat, 203. immanitatem in Bernardum nepotem commiſſam pœnitentiâ diluit, 205. ab ingratis filiis bello petitur: capitur: exauctoratur; ſed à Gregorio IV. reſtituitur, 209. diviſo filiis regno moritur, *ibid.* ejus elogium, 209.

Ludovicus II. bellum gerit adverſus patrem Lothar. I. Imp. 211. à patre Germaniam conſequitur, *ibid.* hæres Imperij ab eodem declaratur, 212. in Italiam cum exercitu depopulabundus venit, *ibid.* Romæ honorificè excipitur, & coronatur, 212. cum Bened. III. magni momenti negotia tranſigit, 222. moritur, 234.

Ludovicus III. cognom. *Balbus* patruum Carolum Calvum imperio & vita privare conatur, 234. à Jo. VIII. Imperator dicitur, & coronatur, *ibid.* Compendii vaneno tollitur, 235.

Ludovicus IV. Arnulphi Imp. filius imperii coronam, & titulum Auguſti à Bened. IV. accipit, 252, ſeditionib. & apertis bellis exagi-

exagitatur, *ibid.* in ætatis flore morbo aſſumitur, *ibid.*

Ludovicus Bavarus Imp. 529. ejus vitæ ſynopſis, *ibid.* vide etiam 524. & 541.

Ludovicus IV. Galliæ Rex ab Hugone Capeto in cuſtodia detinatur, 264. auxiliantibus Stephano IX. & Othone Imp. libaratur, *ibid.*

Ludovicus VII. Galliæ Rex hortatu S. Bernardi crucem adverſus Sarracenos induit, 384. decipitur ab Emmanuele Græcor. Imp. *ibid.* à Sarracenis claſſe concluſus libaratur à Rogerio Siciliæ rege, *ibid.* fruſtrà Damaſcum obſidet, 385. in Galliam redux Eugenium III. ſuſcipit, 385.

S. Ludovicus IX. Galliæ Rex ſuadente Innocentio IV. in Sarracenos movet, 444. Soldanum fundit, ac Damaſcum recipit, *ibid.* à Sarracenis capitur, ſed mox liberatur, 450. ſanctè moritur, *ibid.*

Ludovicus XII. Galliæ regnum conſequitur, 683. fœdus exitioſum cum Alex. VI. init, 684. regno Neapolit. pellitur, *ibid.* paciſcitur cum Julio II. contra Venatos, 694. ab ejus fœdere diſcedit Julius, hinc bellum inter utrumque, 695. moritur, 703.

Ludovicus XIV. Galliæ Rex matrimonium cum Maria Thereſia Hiſpana contrahit, 890. à Clemente IX. ad pacem Europæ dandam flectitur, 896. Hugenottos parſequitur, & idcircò laudatur, 915. ſimultatem ob jus Regaliæ cum Innocentio XI. habet, 917.

Ludovicus Hungariæ Rex à Turcis prælio ſuperatur, & interficitur, 728.

Ludovicus Boſonis filius, Rex Italiæ proclamatur, 252. à Berengario oculis ac regno privatur, *ibid.*

Ludovicus Melioratus Innoc. VII. nepos Romanos Proceres interficit, & quare? 572.

Luitprandus Longob. Rex Romam obſidet, 165. dimovetur ab ea obſidiona ſuaſu Caroli Martelli, *ibid.* Zachariæ Pont. pacem dat, 167. etiam ablata Eccleſiæ reſtituit, *ibid.* moritur, 168.

Luſitani cum Hiſpanis pacificantur, 897. à Clemente IX. in gratiam recipiuntur, 898.

Lutetia Pariſiorum in Metropolim erigitur, 856.

Lutherus: vide *Martinus Lutherus.*

M.

MAginulphus Abbas Farfenſis Antipapa creatur, 353. orta eapropter ſeditione titulis ac vita privatur, *ibid.*

Magiſtri ſacri Palatij officium ab Honorio III. inſtituitur, 430.

Mahometes per ſuam ſectam exitioſos progreſſus facit, 124. ejus interitus, 126.

Manfredus Friderici II. Imp. nothus Eccleſiam perſequitur, & ab Alexand. IV. excomm. 450. progreſſus facit, 451. ai opponitur Carolus Andegavenſis, 457. confligit cum Carolo: ſuperatur: occiditur, 462. ejus Epitaphium, 463.

Manichæi à Gelaſio I. damnantur, & pelluntur, 80. item à Leone I. 72.

S. Marcellinus Pont. rem Chriſtianam ſtrenuè curat, 47. labitur, ſed mox reſurgit, *ibid.* martyrio coronatur, *ibid.* Ejus Scripta, *ibid.*

S. Marcellus I. Pont. rem Chriſtian. promovet 48. damnatur ad catabulum, & ærumnis conficitur, *ibid.* ejus Scripta, *ibid.*

Marcellus II. Pont. 760. ejus vitæ primordia, 761. Pontificatum integerrimè adminiſtrat, 762. morum decori ſtudet, & Eccleſiæ conſulit, 763. ejus notabile dictum, 764. propinquis extollendis abſtinet, *ibid.* ejus imago, & obitus, *ibid.* Scripta, 765.

S. Marcus Pont. 53. ejus Inſtituta, obitus, & Scripta, *ibid.*

Margaritha Auſtriaca Caroli V. filia notha, ex fœdere deſpondetur Alexandro Mediceo, 731. eo interfecto nubit Octavio Farneſio, 742.

Maria Henrici VIII. filia, mortuo fratri Eduardo VI. ſuccedit in regno Angliæ, 756. Angliam ad fidem reducit, 757. Philippo Hiſpano nubit, *ibid.* ejus præmatura mors Angliæ exitioſa, & Paulo IV. gravis, 773.

Mariæ Stuartæ Scotiæ Reginæ Pius V. ſolatio, & auxilio eſt, 791.

Marinus I. Pont. 237. ejus elogium, *ibid.* Anglorum Scholam à vectigalib. eximit. *ibid.* à calumnia defenditur, *ibid.* ejus obitus, & Scripta, 238.

Marinus II. Pont. vir pacis amans, 265. rebus ordinandis dat operam, *ibid.* S. Udalrico Epiſcopatum Auguſtanum prædicit, *ibid.* ejus obitus, & Scripta, *ibid.*

Marozia Rom. nobile ſcortum cum Sergio III. impudicam vitam agit, 254. ejus inſtinctu Joannes X. in carcere ſuffocatur, 258. cum Hugona Italiæ rege inceſtas nuptias contrahit, 261. à proprio filio cuſtodiæ mandatur, & quare? *ibid.*

Martina Heraclij Imp. uxor Conſtantium Imp. privignum veneno occidit, 129. eapropter à furente plebe lingua mutilatur, & relegatur, 130.

S. Martinus I. Pont. Romæ Synodum cogit, & quare? 131. inſidias Olympij Exarchi miraculo

raculo declinat, *ibid.* capitur à Calliope, & Conſtantinop. perducitur, 132. indignè habetur, & Cherſonam relegatur, *ibid.* Cæcum illuminat, *ibid.* ſanctè moritur, & claret miraculis, 133. ejus Scripta, *ibid.*
Martinus II. dictus IV. Pont. 485. ejus primordia, *ibid.* Carolo Siciliæ regi favet, 486. Urbis ſtatum componit, *ibid.* Petrum Arragonium regno privat, 488. ſanctè obit, 489. ejus Scripta, *ibid.*
Martinus III dictus V. Pont. 594. ejus præclara vitæ primordia, 595. Benedictum XIII. Antip. ad ceſſionem hortatur, 596. elia ejus ecta, *ibid.* Concilium Conſtantienſe diſſolvit, 597. Romem feſtinat, & quare? *ibidem.* fœdam Romanæ Urbis faciem offendit, 599 indicit Concil. Beſileenſe, 600. Catholicos concitat in Huſſitas, *ibid.* Jubilæum celebret, 601. Curiæ Romanæ, & Card. leges præſcribit, *ibid.* ſublato Schiſmate multa præclare operatur, 602. Eccleſiæ jura vindicat, 603. Julianum Card. Cæſarinum ad inchoandum Concil. Baſileenſe mittit, *ibid.* ejus obitus, elogium, & Scripta, 604.
Martinus Buxerus hæreticus, 746.
Martinus Guzmanus Legatus Cæſareus ad Paulum IV. non exauditur, & quare? 772.
Martinus Lutherus ſectam ſuem ex damnatis opinionibus conſarcinat, 705. à Leone X. diris devovetur, *ibid.* intereſt Conventui Wormatienſi, 744. perit, 745.
Martyres in Japonia propter fidem, 859.
Maſius Columna monachus conjuretionis in Pont. reus quadrifariàm ſub furce dividitur, 279.
Mathias Auſtriæ dux eligitur Imp. 852. moritur, *ibid.*
Mathildis Comitiſſa, metrona laudatiſſime moritur, 356. Quæ Eccleſiæ donaverit? *ibid.*
B. Mathildis Othonis Magni mater ſanctis operib. clara moritur. 279.
Matrimonia Principum inita aſſiſtente Clemente VIII. 834.
Matrimonium Ludovici XIV. Gall. Regis cum Thereſie Maria Hiſpana, 890.
Meuritus Burdinus ſub Gregorii VIII. nomine Antipapa ab Henrico V. Imp. intruditur, 360. damnatur à Gelaſio II. 361. à Calliſto II. Sutrii obſidetur: capitur: eluditur: relegatur, 366. moritur, 367.
Mauritius Chartularius Tribunus theſaurum Lateranenſem diripit, 126. Romæ ob rebellionem occiditur, *ibid.*
Mauritius Imp. ſuccedit Tiberio, 109.
Mauritius Sexoniæ dux à Carolo V. elector Imperii in exauctorati patruelis locum deſignetur, 748. à Gallo ſeductus Carolum Imp. impugnat, & fugat, 756. victor adverſus Albertum Brandeburgenſem in prælio glande trajicitur, & moritur, *ibidem.*
Maximilianus I. Imperator eligitur, 682. fœdus cum Julio II. init adverſus Venetos, 694 conſpirat cum Gallo contra Julium II. 695. Maximil. Sfortiam in peternum Principatum reſtituit, 698. moritur, 706.
Maximilienus II. Imp. Ferdinando I. patri in Imperio ſuccedit, 785. ei edverſus Turcas militanti magno ære ſuccurrit Pius V. 795. fœdus cum Greg. XIII. contre Turcas init, 803. moritur, 807.
Maximilienus Baveriæ Dux loco Palatini Rheni rebellis, Elector Imperii declaratur, 854. Rebelles Cæſari profligat, 855. Bibliothecam Palatinam Gregorio XV. dono tranſmittit, *ibid.*
Maximilienus Sfortia favore Cæſaris paternum Principatum recuperat, 698.
Mediolanum à Frider. Æinbardo Imp. funditùs evertitur, 398. Gallis eripitur, & Maximil. Sfortiæ reſtituitur, 698. eo pulſo, rurſus à Gallis occupatur, 724. ejectis Gallis Franciſco Sfortiæ redditur, 706. è Carolo V. per deditionem recipitur, 728.
S. Melchiades Pont. 50. ejus ſtatuta, *ibid.* Donetiſtas reducere ſatagit, *ibid.* ejus obitus, & Scripta, *ibid.*
Melita Inſula è Turcis obſidetur, ſed magna mox hoſtium ſtrage liberatur, 785.
Meretrices è Pio V. Romá pelluntur, 791.
S. Methodius Moraviæ Apoſt. Romam vocatur, 236. fidei ſuæ retionem reddit, & ad opûs miniſterii ſui revertitur, *ibidem.*
Mezentius, occiſo Conſtante, Imperator acclametur, 136. interficitur è Conſtantino occiſi Conſtantis filio, 137.
S. Michaelis Archang. epparitio in monte Gargano quando facta? 80.
Micheel I. Curopelates Imperator Orient. dicitur, 194. à Leone Armenio pellitur, *ibid.*
Michael II. Balbus, occiſo Leone Armenio, imperium occupat, 20e. ejus in orthodoxos crudelitas, *ibid.* dogmata execranda, *ibid* infelix vitæ exitus, 208.
Michael III. Imp. ſuccedit patri Theophilo, 209. inſignia munera mittit ad Benedictum III. 221. etiam ed Nicolaum, I. e24.
Michael IV. Paphlago Imp. cum Zoë Auguſta dicitur, 309. ebdicat ſe imperio, *ibid.*
Michael V. Imp. Calaphates in monaſterium relegatur, 309.
Michael VI. Palæologus à Martino II. excom-

muni-

municatur, 486. fœdus cum Petro Arragonio adverſus Carolum Siciliæ regem init, *ibid.*

Michael Rex Bulgarorum à Nicolao I. ad fidem convertitur, 226. regno ac ſæculo renunciatians monachum profitetur, *ibid.* filium ad Idola prolapſum oculis ac regno privat, *ibid.* ſanctè moritur *ibid.*

Michael Poloniæ rex magnam de Turcis victoriam reportat, 906. moritur, *ibid.*

Michael Ludovicus Molinos hæreſiarcha cum ſuis erroribus damnatur ab Innocentio XI. 915. perpetuis carceribus addicitur, 916. ejus epitaphium, *ibid.*

Miecislaus Poloniæ Princeps legationem mittit ad Benedictum VII. 281. eidem fidei propagationem in ſuo Principatu ſignificar, *ibid.* Coronam ac Regis titulum poſtulat, *ibid.*

Mincius Epiſ. Velitrenſis in ſanctam ſedem ſub nomine Benedicti IX. intruditur, 326. à Nicolao II. damnatur, & exauctoratur, 327. moritur, *ibid.*

Miramolinus potentiſſ. Mahometanorum Rex ingenti ſtrage abs Chriſtianis Regibus afficitur, 421.

Molinos: vide *Michaël Ludovicus Molinos.*

Moſcoviæ Duci titulus Imperatoris a Clemente X. negatur, 905.

Murauſlus: vide *Alexius Ducas.*

Mutina Ferrariæ Duci à Carolo V. adjudicatur, 732.

Mutinenſes Lucio III. ſtudio pietatis obſequuntur, 405. ab eodem benedictione memorabili afficiuntur, *ibid.*

N.

NEapolitani tumultuant, 874. Innocentio X. ſe, & regnum dedere parant, 875. eorum ſeditionem Innocentius improbat, & ſedat, *ibid.*

Neoſelium à Turcis expugnatur & occupatur, 890. recuperatur ab exercitu Leopoldi I. 918.

Nepotiſmus ab Innocentio XI. ſupprimitur, 910. eundem averſatur Innocentius XII. 927. item Clemens XI. 934.

Neſtorius hæreſiarcha à S. Cœleſtino I. cum ſua ſecta damnatur, 68. à Theodoſio Imp. in exilium relegatur, 70. mala morte perit, *ibid.*

Nicephorus Logotheta Irenem Auguſtam ſolio deturbat, & exulatum mittit, 194. à Crunno Bulgarorum Rege occiditur, *ibid.* ajus mores, & vitia, *ibid.*

Nicephorus Phocas Imp. 273. auctus victoriis, Procerum inſidiis in palatio occiditur, 277.

Nicolaus I. Pont. 223. amicitiam cum Ludovico II. Imp. contrahit, 224. muneribus à Michaele Imp. donatur, *ibid.* Bardam Imp. redarguit, & quare? 225. Lotharium Lotharingum excommunicat, & quare? *ibidem.* Eccleſiam Hamburgenſem Bremenſi conjungit, 226. Bulgarorum Regem ad fidem convertit: item Ruthenos, *ibid.* ejus ſtatutum, & dona Eccleſij facta, *ibid.* ejus obitus, Epitaphium, Scripta, & elogium, 227.

Nicolaus II. Pont. 326. Schiſma intar illum & Mincium, *ibid.* Mincium damnat, 327. Concil. Generale celebrat, & quid in eo actum? *ibid.* agit contra concubinarios, 328. Eccleſiam Mediolan. reformat: pacem cum Northmannis facit, *ibid.* Eccleſiæ ablata recuperar, 329. alia præclarè operatur, *ibid.* ejus obitus, & Scripta, *ibid.*

Nicolaus III. Pont. 481. ejus primordia, *ibid.* Reges Chriſtianos ad pacem hortatur: preces ſolemnes indicit, *ibid.* Caroli Siculi potentiam imminuit, 482. Principibus Senatoriam in Urbe dignitatem abrogat, *ibid.* Florentinos in ordinem redigit, 482. Exarchatum Ravennatem recipit, *ibid.* Duos Italiæ Reges creare ſtudet, & quare? *ibid.* alia præclarè agit, *ibid.* quid ei vitio detur? 483. ejus obitus, elogium, & Scripta, *ibid.*

Nicolaus IV. Pont. 492. ejus primordia, *ibid.* pacem procurat, 493. Chriſtianis in Syria agonizantibus ſubſidia ſollicitat, 494. moritur, *ibid.* ejus Epitaph. & Scripta, 495.

Nicolaus V. Pont. 617. ejus elogium, *ibid.* ei prædicitur Pontificatus, 618. præeſt cum emolumento, 619. Jubilæum celebrat, *ibid.* Fridericum Imp. coronat, *ibid.* Conjuratio in eum, 620. pacem Italiæ procurat, 622. obit ex mœrore captæ Urbis Conſtantinop. *ibid.* ejus Epitaphium, 623. Scripta, 624.

Nicolaus Rentius quis? 546. Baroncellum ſui ſimilem interficit, *ibid.* à furente populo obtruncatur, *ibid.*

Novatiana hæraſis quæ? 35.

Novatianus hæreſiarcha à S. Cornelia Papa damnatur, 35.

O.

Octavius Farneſius nepos Pauli III. Margaritam Caroli V. filiam notham, Alexandri Medicei,

viduam, uxorem ducit, 742. Carolo V. adverſus Lutheranos pugnanti militat, 747. Ducatum Parmenſem, non ſine Pauli III. offenſa ambit, 749. eum à Julio III. conſequitur, 754. ob intromiſſum Gallicum præſidium, Julium extremè offendit, 756. hinc bellum Parmenſe, *ibid.*

Octavianus de Monticello Card. contra Alexandrum III. ſub Victoris IV. nomine Antipapa intruditur, 396. ejus audacia, *ibid.* fugato Alexandro Pſeudomytram ſuſcipit, 397. damnatur ab Alexandro, *ibid.* ejus interitus, 399.

Odetus Lotrechius Franciſci I. Gall. Regis Dux, liberandi Clementis VII. causâ, exercitum Romam ducit, 730.

S. Odilo Abbas Cluniacenſis moritur, 316.

Odo Abbas Cluniacenſis ſanctitate illuſtris Romam à Leone VII. vocatur, 262. item à Stephano IX. 264.

Odoacer Herulus Dux Germanus Italiam invadit, ſubjugatque, 76. Auguſtulo Cæſare abdicare coacto, Rex Italiæ proclamatur, *ibid.* anno regni ſui decimo quinto à Theodorico Goth. Rege prælio ſuperatur, & occid. *ibid.*

Offa Saxonum Orientalium Rex fit monachus, 158.

Olaus Rex Daniæ abdicato regno Monachum induit, 158.

Oleum Romæ in quadam Eccleſia per integrum annum miraculosè ſcaturit, 299. ex eo vas plenum S. Henrico Imp. à Sergio IV. tranſmittitur, *ibid.*

Olicæ Princeps Polonus, motus Pij V. ſanctitate, ejurata hæreſi, fidem Cath. amplectitur, 792.

Olympius Exarchus S. Martinum Papam interficere tentat, ſed miraculo abſterretur, 132

Olympius hæreſiarcha à S. Symmacho Papa damnatur, 84. ejus interitus, *ibid.*

Oratio 40. horarum quando, & à quo inſtituta? 836. pro ea editur Conſtitutio à Paulo V. 844.

Orbis novi inventio, 678. vide etiam *Chriſtophorus Columbus.*

Ordo Benedictinorum à Gregorio XV. Collegium Romæ conſequitur, 857.

Ordo Carmelitarum ab Honorio III. confirmatur, 431. item ab Honorio IV. 491. item à Joanne XXII. 529. vide etiam, 787.

Ordo Ciſtercienſium collapſus à Pio V. reſtituitur, 793.

Ordo Cœleſtinorum à Cœleſtino V. inſtituitur, ac mirè propagatur, 497. à Gregorio X. confirmatur, *ibid.*

Ordo S. Dominici ab Honorio III. confirmatur, 431.

Ordo infirmis ſervientium erigitur, & confirmatur, 824.

Ordo Humiliatorum à Pio V. aboletur, 793.

Ordo Joannis Dei à Paulo V. erigitur, & confirmatur, 849.

Ordo Minorum S. Franciſci ab Honorio III. confirmatur, 431. huic mirè favet Nicolaus III. 482. ejus regulam à multis impugnatam idem Nicolaus explicat, 484.

Ordo S. Pauli primi Eremitæ à Joanne XXII. confirmatur, 528.

Ordo Præmonſtratenſium quando incœperit? 367.

Ordo Templariorum à Clemente V. in Concilio Viennenſi extinguitur, 520.

Ordo Theatinorum à Clemente VII. confirmatur, 768.

Originiſtæ hæretici Eccleſiæ orientali exitioſi, 93.

Oſwinus Britanniæ Rex Baſilicam S. Petri muneribus donat, 134. ejus ſtudio Anglia in fide proficit, 135.

Otho I. Magnus ſuccedit Henrico I. Imp. 263. Stephano IX. adverſus Albericum Tyrannum opitulatur, 264. Ludovicum IV. Galliæ Regem in libertatem aſſerit, *ibid.* Boleslaum fratricidam armis ſuperatum Principatu privat, *ibid.* à Joanne XII. Romam vocatur, & quare? 268. ab eodem coronatur, 269. Berengarium II. Joannis hoſtem obſidet, *ibid.* ab eo deficit Joannes, hinc Româ ac ſede ſua pellitur, ac ejus loco Antipapa intruditur, 269. Romanos rebellantes in ordinem redigit, 270. Benedictum V. deponi curat, 273. Romam obſidet, & in poteſtatem redigit, *ibid.* Antipapæ favet, 274. redarguitur, *ibid.* Joanni XIII. ſeditione divexato auxiliatur, 277. filium Othonem Imp. conſortem declaratum coronari facit, *ibid.* moritur, 280. ejus elogium, *ibid.*

Otho II. à patre conſors Imperii declaratur, & à Joanne XIII. coronatur, 277. Theophaniam Nicephori Imp. viduam, uxorem ducit, *ibid.* dictus *Sanguinarius*, quòd Proceres Romanos in convivio occidi juſſerit, 281. moritur, *ibid.* poſt ejus mortem Romæ ſeditio, 282.

Otho III. inter arma & ſeditionem Imperator acclamatur, 282. ei ad Imperium ſuffragatur Bened. VII. *ibidem.* à Joanne XVI. in Italiam contra Creſcentium vocatur, 285. cum conjuge Maria à Greg. VII. coronatur, 287. Româ expugnat: Creſcentium occidit, Anti-

Antipapam oculis orbat, atque relegat, 288. Boleslao Poloniæ Principi coronam concedit, 292. Caſſinum adit, ac remunerat, 293. nudis pedibus ad montem Garganum peregrinatur, *ibid.* Romanos infeſtos habet, *ibid.* religioſè moritur, *ibid.*

Otho IV. contra Philippum Sueviæ ducem Imp. eligitur, 420. coronatur ab Innoc. III. 421. ejus juramenta, 422. perjurus anathemate notatur, & imperio privatur, *ibid.* in ejus locum Frid. II. eligitur, *ibid.*, ingloſius moritur, *ibid.*

P.

S. Palmatius Conſul Rom. ob fidem Chriſti, martyrio afficitur, 30.

Palonius & Cincius ſeditioſi cives Romani capite plectuntur, 595.

Pandulphus Sabellus Senator Romanus vir egregius, 490.

Parma à Frider. II. Imp. fruſtrà obſidetur, 444. eo fugato ab obſidione liberatur, *ibid.* Octavio Farneſio à Julio III. traditur, 754.

Paſchalis I Pont. 200. ejus elogium, *ibid.* Legationes fidelium recipit, Schiſmaticorum reſpuit: Iconoclaſtas redarguit, & ad ſaniora hortatur: Orthodoxos exules benignè ſuſcipit, *ibid.* Lotharium in Regem Italiæ ungit, & coronat, 203. multa ſanctè operatur, *ibid.* ejus in omnes munificentia: obitus, & Scripta, *ibid.*

Paſchalis II. Pont. 352. ejus primordia, *ibid.* movet in Antipapam, eumque loco pellit, 353. Eccleſiæ hoſtes bello perſequitur, 354. ejus ſpeciale decretum: ſeditionem comprimit, *ibid.* Ravennatum Antiſtitum auctoritatem minuit, 355. hoſtes Eccleſiæ domat, *ibid* eum Henricus V. Imp. decipit, capit, abducit, & iniquis poſtulationib. ſubſcribere cogit, 356. Henricum V. coronat: Concilium celebrat, *ibid.* ablata Eccleſiæ oppida recipit, 357. ejus obitus, & Scripta, 358.

Paſchalis III. Antipapa ſedet contra Alexandrum III. legitimum Pont. 399. Fridericum Ænob. Imp. coronat, *ibid.* impiam vitam fœdo exitu claudit, *ibid.*

Paſchalis & Campulus S. Leonem III. oculis ac lingua privant, 191. accuſantur apud Carolum Magnum, 192. relegantur, 194.

S. Pauli Apoſt. martyrium, & elogium, 4.

S. Paulus I. Pont. 177. ejus vitæ ſanctitas, *ibid.* pacem cum Pipino, & Deſiderio Longobardo ſervat: alia præclarè operatur, *ibid.* Galliam Sanctorum reliquiis donat, 177. ſanctè moritur, 178. ejus Scripta, *ibid.*

Paulus II. Pont. 655. ejus primordia, *ibid.* Pontificatus ei prædicitur à B. Virg. *ibid.* Reipublicæ invigilat, ac bellum in Turcas urget, 656. dignitati Cardd. conſulit: Triregnum inæſtimabilis precii conficit, 659. pecuniæ coacervandæ ſtudet, *ibid.* leges juratas abrogare contendit, 658. eapropter gravi oratione corripitur, 659. puniuntur, qui abrogationem conſuluerunt, 662. multa præclarè operatur, *ibid.* Henrico Hiſpano adverſus fratrem aſſiſtit, 663. Ordinem abbreviatorum abolet, hinc Platinam hoſtem habet, *ibid.* moritur, 664. ejus Epitaphium, & Scripta, 665.

Paulus III. Pont. publico ſuffragio evehitur, 734. Romanorum privilegia confirmat: Eccleſiæ commodo ſtudet, *ibid.* ſuos promovet, 735. viros præſtantes in Senatum legit, 736. Henricum VIII. Anglum anathemate ferit, 737. expeditioni Tunetanæ benè precatur, 738. Carolum V. Romæ excipit, 739. Conc. Generale indicit, 740. Carolum Gallo infenſum mitigare ſtudet, *ibid.* Bellum in Turcas urget, 741. inducias decennales inter Carolum & Gallum impetrat, 742. Societatem Jeſu confirmat, *ibid.* Tridentum celebrando Concilio deſtinat, 744. Carolum & Gallum pacificat, 745. Carolo auxiliares copias adverſus rebelles Lutheranos Principes mittit, 747. eidem victoriam de iis reportatam gratulatur, 748. eidem ſuccenſet, & quare? 749. moritur, 750. ejus Epitaph. & Scripta, 752.

Paulus IV. Pont. 765. ejus elogium, & vitæ primordia, 766. ſuaſor Tribunalis S. Inquiſitionis, 768. multa præclarè operatur, 769. & ſeqq. bellum Regi Catholico infert, 771. pacem cum eo facit, *ibid.* ſuorum crimina ulciſcitur, 772. alia laudabiliter agit, *ibid.* improbis improbatur, 772. ſanctè decedit, 774 ejus Epitaphium, & elogia, 775. Imago, 777. Scripta, *ibid.*

Paulus V. Pont, 842. ejus elogium, & vitæ primordia, 843. miro indicio futurus Pontifex præmonſtratur, 844. Ejus varia ac ſtupenda pietatis, ac ædium monumenta, 845. & ſeqq. ejuſdem in pauperes, peregrinos, ac cives Rom. munificentia ac liberalitas, 848. Tribunalia reformat: diſcordias Principum tollit: annonam publicam procurat, 849. Numerum Sanctorum auget, 850. fidelibus in Anglia proſpicit, *ibid.* ſanctè moritur, *ibid.* ejus Epitaphium, & elogium, 851. Scripta, 852.

Paulus Conſtantinop. hæreticus fruſtrà monetur, 129. ejus in Pont. Rom. inſolentia, *ibid.* S. Martinum Pont. calumniis onerat, 131. ejus interitus, 132.

Paulus Samoſatenus hæreticus à S. Dionyſio Papa damnatur, 42. item à S. Felice Papa, 43.

S. Pelagius I. Pont 102. ablegatur ad Juſtinianum Imp. 103. edicto Imperatoris adverſatur, *ibid.* redit Conſtantinopolim, *ibid.* Corpus S. Stephani Protom. Romam transfert, 104. ejus Decreta, *ibid.* obitus, & Scripta, 105.

Pelagius II. Pont. S. Gregorium Card. creat, & Legatum, 108. ſtat pro Quinta Synodo Conſtant. *ibid.* Schiſmaticos in ordinem redigit, 109. Patriarchas nominari univerſales vetat, *ibid.* ejus obitus, & Scripta, *ibid.*

Pelagius hæreſiarcha à S. Innocentio I. Papa damnatur, 63.

S. Peregrinus ad propagandam fidem à S. Sixto I. Papa in Gallias mittitur, 19.

Petra Mariana: vide *Beinvvila.*

Petruciana conjuratio in Leonem X. concipitur, 704. conjurati pœnis afficiuntur, 705.

Petrucius: vide *Alphonſus Card. Petrucius.*

Petrus Abailardus: vide *Abailardus.*

S. Petrus Apoſt. primus Rom. Pontifex, 1. cur à Chriſto Cephas vocatus? *ibid.* ejus genus & patria: uxorem ducit: ea abſtinet: eam ad martyrium hortatur, 2. Primas Apoſtolor. *ibid.* ejus in Chriſtum fides: fiducia: affectus, 3. ei à Chriſto committitur Eccleſia, *ibid* martyrio coronatur, 4. Romæ fuiſſe, ac fixam ibi ſedem habuiſſe, teſtimoniis Patrum probatur, 5. & 6. Petri primatus adſtruitur, 7. ejus Cathedra Romæ, 8. ejus imago ſeu deſcriptio, & Scripta, 9.

Petrus Aloyſius Farneſius Parmæ & Placentiæ Dux occiditur, 749.

Petrus Altiſiodorenſis Francus Imperium Græcorum conſequitur, 425.

Petrus Anagninus vir ſanctus Henricum IV. Imp. lethaliter decumbentem ſanitati reſtituit, 332.

Petrus Leonis Card. ſub Anacleti II. nomine Antipapa ſedet adverſus Innocent. II. 373. ejus execranda acta, *ibid.* damnatur, ac Româ fugatur, *ibid.* Ejus interitus, 376.

Petrus de Luna: vide Benedictus XIII. Antipapa.

Petrus Lombardus quis? 390. ejus elogium, 391.

Petrus Rex Arragoniæ regno Siciliæ inhiat, 486. fœdus cum Palæologo adverſus Carolum init, *ibid.* regnum cæſis Gallis conſequitur, 487. à Carolo ad ſingulare certamen provocatur, 488. à Martino II. regno privatur, & excommunicatur, *ibid.* item ab Honorio IV. 490.

B. Petrus Zelandrinus Pij II. animam in cœlum deferri videt, 646.

Philagatus Epiſ. Placentinus à Creſcentio Conſule Rom. in locum Gregorij V. Antipapa intruditur, 287. Romæ ab Othone Imp. obſidetur, capitur, oculis orbatur, & relegatur, 288.

Philippicus Bardanes Juſtinianum II. Imp. occidit, 157. Cæſar acclamatur: cultum SS. Imaginum proſcribit, *ibid.* Pontificem ac Senatum Rom. adverſarios habet, *ibid.* ab Anaſtaſio Arthemio oculis privatur, & relegatur, *ibid.*

Philippus Galliæ Rex ab Urbano II. excom̃unicatur, & quare? 349.

Philippus II. Hiſp. rex bellum cum Paulo IV. gerit, 771 pacem cum eo facit, *ibid.* fœdus contra Turcas cum Gregorio XIII. init, 803

Philippus III Hiſp. rex nuptias contrahit cum Margarita Auſtriaca, 834. pacem cum Henrico IV. facit, *ibid.*

Philippus Lantgravius Haſſiæ adverſus Carolum V. Imp. rebellat, 746. proſcribitur, 747. infeliciter pugnat, 748. Cæſari fit ſupplex, *ibid.*

Philippus Mediolanenſis Dux doloſè cum Eugenio IV. agit, 608.

S. Philippus Nerius manum Clementis VIII. tangens, chiragræ morbum curat, 836. ſanctis adſcribitur, 857.

Philippus Pulcher Galliæ rex regno Arragoniæ inhiat, 489. excommunicatur à Bonifacio VIII. 507. à Clemente V. varia poſtulat, ſed non obtinet, 519. Imperium Rom. affectat, ſed eluditur, 520.

Philippus Sueviæ Dux contra Othonem IV. Imperator eligitur, 420. ejus electio ab Innocentio III. improbatur, *ibid.* compoſita cum Othone pace, eidem filiam in uxorem dat, 421. occiditur, *ibid.*

Phocas Imp. occiditur, 119. falſum, quòd Eccleſia Rom. primatum ſuper alias ab eo acceperit, 117.

Phocius in ſedem Conſtantinop. à *Barda* Imp. intruditur, 225. ab Hadriano II. pellitur, 231. à Joanne VIII. reſtituitur, 233. anathemate notatur, 234.

Pipinus Caroli Magni pater regnum Franciæ ambit, 169. conſulit Zachariam Papam, *ibid.* Chilperico regnum abrogatur, & in

Digitized by Google

Pipinum transfertur, *ibid.* Stephanum III. honorifice excipit, 173. in favorem Eccleſiæ bellum Longobardis indicit : Aiſtulphum regem Papiæ obſidet, ac in ordinem redigit: *ibid.* eundem ab obſidione Urbis Romæ dimovet, 175. fundit, fugatque, & ad reſtituenda Eccleſiæ ablata compellit, *ibid.* Legatum Capronymi Imp. paucis expedit, *ibid.* ejus obitus, & elogium, 182.

Pipinus Caroli Magni filius Beneventanos bello aggreditur, & ſuperat, 193. Romæ à Leone III. in Regem Italiæ inungitur, & coronatur, *ibid.* in ipſo ætatis flore moritur, 194.

S. Pius I. Pont. Paſcha die Dominico celebrari mandat, 23. ejus martyrium, & Scripta, 24.

Pius II. Pont. 628. ejus vitæ primordia, 629. & ſeqq. Pontifex creatur, 636. Principes Chriſtianos in Turcas excitat, 638. Concilium Mantuanum celebrat, *ibid.* Appellationem ad futurum Concilium edicto improbat, & damnat, *ibid.* eapropter Haimburgum anathemate percutit, *ibid.* Academiam Baſileenſem inſtituit, 640. alia operatur, *ibid.* Carlottam Cypri Reginam exulem humaniter excipit, & ſolatur, 641. S. Andreæ caput in Vaticano collocat, 642. Georg. Pogebradium regno Bohemiæ privat, 643. Hungaris adverſus Turcas auxiliatur: fœdus adverſus eoſdem init, *ibid.* Anconæ ægrotat, 644. ibidem piè moritur, 645. ejus animam in cœlum deferri videt Eremita, 646. ejus epitaphium, & mores, 647. deſcriptio, 648. multiplicia Scripta, 650. & ſeqq.

Pius III. Pont. 689. ejus primordia, 690. egregiis operibus intentus moritur, 691. ejus Epitaphium, & Scripta, 692.

Pius IV. Pont. 778. ejus vitæ primordia, 779. mirabili indicio Pontifex deſignatur, 780. Pauli IV. nonnulla decreta antiquat, *ibid.* imperium Ferdinando Cæſari confirmat, 781. in Caraffas jure agit, *ibid.* ſuos provehit, 782. Concilii Trid. proſecutionem & finem curat, *ibid.* Societati Jeſu mirè favet, 784. ejus publica monumenta, *ibid.* pie moritur, 785. ejus imago, & Scripta, 786.

Pius V. Pont. 787. ejus ſancta vitæ primordia, 788. probis gaudio, malis mœſtitiæ eſt, 789. ejus per omnia ſanctum regimen, 790. Mariæ Stuartæ ſolatio & auxilio eſt, 791. Eliſabetham Anglicam ob hæreſim regno privatam declarat, 792. Judæos in ordinem redigit, multosque ad baptiſma reducit, *ibid.* Soc. Jeſu multis beneficiis afficit, 793. Rei Catholicæ zelosè invigilat, 794. ejus virtutes, & pietatis monnmenta, 795. Cæſari adverſus Turcas ſubſidia præſtat, *ibid.* Coſmum Mediceum titulo Ducis condecorat, *ibid.* beneficia redhibet, injurias condonat, 796. Hæreticos reprimit, 797. Turcas profligat, *ibid.* ſanctiſſimè moritur, 798. ejus Epitaphium, elogium, & Scripta, 799.

Platina ſcriptor hiſtoriæ Pontificiæ acerbus in Paulum II. & quare? 663.

S. Poutianus Pont. 32. ejus Inſtituta: martyrium: Scripta, *ibid.*

Poloni diſcordes à Clemente X. pacificantur, 905. inſignem de Turcis victoriam reportant, ſed regem amittunt, 906.

Porcarius conjurat in Nicolaum V. 620. relegatur Bononiam, *ibid.* redit Romam, capitur, & ad funem cum complicibus damnatur, 621.

Porretanus: vide *Gilbertus Porretanus.*

Præfationum in Miſſa quis auctor? 81.

Præmonſtratenſis ordinis origo, 367.

Primatus S. Petri adſtruitur, 6.

S. Priſcilla matrona Romana Cœmeterium via Salaria conſtruit, 48.

S. Privatus ulceribus plenus baptiſmo curatur, 30.

Prodigia varia, 346. item 357. item 774.

Proxeneta vir doctus lepidum Paulo III. de ætate ejus ſciſcitanti reſponſum dat, 751.

Ptolemaida à Chriſtianis capitur, 415. à Soldano obſidetur, 494. ſtrenuè defenditur, *ibid.* ob Chriſtianorum diſſidium expugnatur, & vaſtatur, *ibid.*

Pulſus meridianus à Calliſto III. inſtituitur, & quare? 625.

Pyrrus hæreticus ſimulat pœnitentiam, 129. redit ad vomitum, *ibid.* à furente plebe occiditur, 130. poſt obitum diris devovetur, *ibid.*

Q.

QUietiſmus hæreſis cum ſuis auctoribus Michaele Molinos, & Antonio de Leonibus ab Innocentio XI. damnatur, 915. & 916.

R.

RAbanus Maurus quis? 210. Gregorio IV. Pont. admirandum ingenii opus *de S. Crucis Myſteriis* dedicat, *ibid.* moritur, 222.

Rachis Longob. Rex videndi Zachariæ Pont. percupidus Romam venit, 169. abdicato regno vitam monaſticam cum uxore & filia amplectitur, *ibid.*

Ragozzius Tranſilvaniæ Princeps à Turcis occiditur, 890.

Ramirus Hiſp. rex ope S. Jacobi Apoſtoli inſignem de Sarracenis victoriam conſequitur, 211.

Reginaldus Polus Card. ad inchoandum Conc. Trid. à Paulo III. deſtinatur, 740. Angliam ad fidem revocat, 757.

S. Reginbertus quis? 271. ex aulico Othonis Imp. diſcipulus S. Benedicti, *ibid.* nobile Cœnobium ſub auſpiciis divi Blaſij in Hercynia ſilva ſuis facultatibus condit, ac fundat, *ibid.* ſanctè moritur, *ibid.*

SS. 3. Regum corpora Mediolano Coloniam ab Arnoldo Archiep. Colon. transferuntur, 398.

Rhodij equites unde ſic dicti? 520.

Rhodus Inſula à Turcis obſidetur, & in poteſtatem redigitur, 714. eo tempore ingens Romæ ſaxum prodigiosè decidit, *ibid.*

Richardus Angliæ rex Ptolemaidam expugnat, 415. diſcordias cum Galliæ rege habet, 416 Rex Hieroſolymitanus dicitur, *ibid.* fruſtrà Hieroſolymam obſidet, *ibid.* pacem cum Saladino facit, 416. bellum cum Gallo gerit, *ibid.*

Robertus Bavariæ Dux Cæſar eligitur, 568. moritur, 593.

Robertus Galliæ rex incœſtas cum Bertha nuptias contrahere à Gregorio V. prohibetur, 287. obſequitur, *ibid.*

Robertus Guiſcardus Normannorum Princeps pacem cum Nicolao II. init, 328. ejus juramentum, *ibid.* anathemate ſolvitur, 329 Calabriæ & Apuliæ Dux creatur, *ibid.* Gregorium VII. in arce Hadriani obſeſſum liberat, 342.

Robles dux ſtrenuus Melitæ Inſulæ à Turcis obſeſſæ fortiter ſuccurrit, 785.

Rofredus Normannorum Dux ad fidem convertitur, 235.

Rogerius Siculus pacem Eccleſiæ turbat, 365. Pontifici bene monenti non obtemperat, *ibid.* bellum cum Innocentio II. gerit, 373. ejus in Innocentium bello captum modeſtia, *ibid.* Rex Siciliæ ab Anacleto Antip. creatur, *ibid.* Emmanuelem Orient. Imper. bello premit, 384. Ludovicum Galliæ Regem à Sarracenis circumventum liberat, *ibid.* Venetos infeſtos habet, *ibid.* moritur, 393.

Roma ſub Clemente VII. ab exercitu Caroli V. occupatur, & diripitur, 730. Romanæ urbis fœda facies, 599.

Romanus Pont. Formoſi fautor acta Stephani VII. reſcindit, & damnat, 248. moritur non ſine veneni ſuſpicione, *ibid.* ejus Scripta, *ibid.*

Romanus Junior imperii Græcorum cupidus patrem veneno tollit, 273. monſtrum luxuriæ præeſt triennium, & moritur, *ibid.*

Romanus III. ea lege à Conſtantino IX. imperio præficitur, ut dimiſſa uxore propria Zoam quinquagenariam ducat, 305. occiditur, 309.

Romani Sergium I. contra Zachariam Exarchum defendunt, 150. Eugenio III. rebelles, 383. crudeles in peregrinos, *ibid.* Eugenio ſe dedunt, 384. ab Hadriano IV. in ordinem rediguntur, 392. ſeditionem excitant, 393. bellum cum Tuſculanis habent, 400. diſcordant cum Lucio III. & quare? 404. pacem cum Clemente III. faciunt, 411. à Cœleſtino III. Tuſculum recipiunt, atque evertunt, 515. ſeditionem ſub Innoc. VI. excitant, 545. lætantur ob adventum Gregorij XI. 559. Bonifacium IX. indigne habent, 567. Innocentio VII. rebellant, 572. eidem ſe dedunt, 573. audita Martini V. electione ſeditionem ponunt, 595. Eugenio IV. rebellant, 609. ſtratagemate ad ſaniora reducuntur, *ibidem.* furunt in ſtatuam Pauli IV. & inſignia Caraffarum, 774.

Rudolphus I. Auſtriacus Imperator eligitur, 471. Nicolao III. Exarchatum Ravennat. reſtituit, 482. moritur, 494.

Rudolphus II. Auſtriacus Imperator eligitur, 807. moritur, 851.

Rudolphus Sueviæ Dux Imp. eligitur contra Henricum IV. 338. à Gregorio VII. in imperio firmatur, 340. ab eodem Auguſtale diadema recipit, *ibid.* Henricum acie ſuperat, & ſaucius moritur, 341.

S. Ruſtenus Quintus Abbas S. Blaſij in Hercynia, advocatiam Monaſterij ab Epiſcopis Baſileenſibus transfert ad Comites Zeringanos, & quare? 272. ſanctè moritur, *ibid.*

S.

S. Sabba Abbas moritur, 93.

Sabellii hæreſiarchæ errores à S. Felice Pap. damnantur, 43.

Sabinianus Pont. 115. odio flagrat in S. Gregorium, & ejus Scripta, *ibid.* an campanas invenerit? 116. ejus obitus, & Scripta, *ibid.*

Saladinus Sarracenorum Princeps magnos progreſſus facit, 402. Hieroſolymam in poteſtatem redigit, 408. pugnat cum Chriſtianis, 411. ſtratagemate cum profectu utitur, *ibid.*

Samoſatenus hæreticus à S. Dionyſio Papa damnatur, 42. item à S. Felice Papa, 43.

Sarraceni Eccleſiam Dei perſequuntur, 178.

à S. Ja-

à S. Jacobo Ap. in Hiſp. miraculosè profligantur, 211. totam Italiam depopulantur, 212. præda onuſti ſubmerguntur, 213. à S. Leone IV. ſuperantur, 216. à Nicolao I. Italia pellunrur, 225. à Joanne VIII. è Sicilia ejiciuntur, 235. Caſſioum diripiunt, & devaſtaot, 239. Apuliam deprædantur, 249. ab Iralis repelluntur, *ibid.* Genuam capiuur, & diripiunt, 262. ab Othone III. Imp. magna ſtrage afficiuntur, 292. ab Italis è Sicilia pelluntur, 299. iterum ſub Benedicto VII. 301. ſub Victore III. iterum, 346. ſub Urbano II. in eos ſacra expeditio decernitur, 349. ſub Clemente III iterum, 410. ſub Innocentio III. iterum, 420. ſub Innoc. IV. magoos progreſſus faciunt, 444. à ſancto Ludovico Rege Galliæ retunduntur, *ibid.* ſub Calliſto III. ingenti ſtrage afficiuntur, *625.*

Sclavi à fide deficiunt, ac fideles dirè perſequuotur, 302.

Selimus I. Turcar. Tyrannus magnos progreſſus facit, 705. cancri morbo extinguitur, *ibid.*

Selimus II. Turc. Imp. ad Echinadas Ioſulas navali prælio à Chriſtianis ſuperatur, 797.

Senenſium Urbs à Pio II. in Metropolitanam erigitur, 638.

S. Sergius I. Pont. Conciliabulum Conſtantinop. damnat, 149. inſidias ſibi paratas evadit, 150. ſaoctis operibus intendit, 151. ejus Conſtituta, *ibid* Gentium converſioni ſtudet, *ibid.* ejus obitus, & Scripra, *ibid.*

Sergius II. Pont. 211. ejus elogium, *ibid.* Lodovicum Imp. excipit, 212. eundem coronat, *ibid.* damnum à Sarracenis illatum reparat, 213. ejus obitus, Epitaphium, Scripta, *ibid.*

Sergius III. Pont. vitiorum mancipium, 254. pro legitimo Pont. habetur, *ibid.* nefariam cnm Marozia vitam agir, *ibid.* Formoſi Pont. acta abolet, 254. Eccleſiam Lateran. loſtaurat, 255. veneno tollitur, *ibid.* ejus Scripta, *ibid.*

Sergius IV. Pont. 298. falsò primus mutâſſe nomen ſcribitur, *ibid.* vir magnatum virtutum, *ibid.* Imperium Occidentale ad Germanos transferre ſtudet, 299. moritur, 300. ajus Epitaphium, & Scripta, *ibid.*

S. Severinus Pont. Ecthesim Heraclii Imper. damnat, 125. ejus obitus, & Scripta, 126.

Siculum regnum ad Sueviæ Duces devolvitur, 415. Veſperæ Siculæ, 487. res Siculas Bonifacius VIII. curat, 504. ei ſe Siculi opponunt, 505. eorum geſta à Bonifacio eodem reſcinduntur, 506. idem eos bellum decernit, *ibid.* pacem cum iiſdem facit, 507.

Sigebertus Britanniæ Rex fit monachus, 130. pro fide martyrium ſubit, *ibid.*

Sigiſmundus Hung. Rex eligitur Imperator, 593. Patres in Concil. Conſtantienſi ob fugam Joannis XXIII. ſolatur, 587. Joannes ei ſupplicat, 591. lætatur ob electum Martioum V. 594. coronatur ab Eugenio IV. 608. Goozagas Marchiones creat, *ibid.* moritur, 617.

Sigiſmundus Dux Auſtriæ à Pio II. cenſuris notatur, & quare? 640. ejus Orator Haimburgus anathemate defigitur, 638.

Sigiſmundus Malateſta à Pio II. excommuoicatur, & quare? 640.

S. Silverius Pont. iu exilium mittitur, ibiqua moritur, 96. ejus Scripta, 97.

S. Silveſter I. Pont, Conſtantinum Magnum convertit, 51. miranda patrat, *ibid.* Arium damnar, *ibid.* ejus Decreta, 52. ejus in omnes liberalitas, *ibid.* obitus, & Scripta, *ibid.*

Silveſter II. Pont. 289. Baronio taote ſede indignus, & quare? 290. defeoditur à calumnia, *ibid.* liberalis in pauperes, 291. multa egregio Pontifice digna agit, *ibid.* B. Adelaidi Auguſtæ ſacros honores decernit, 292. Othonem III. in Sarracenos animat, *ibid.* Coronam, & Apoſtolatûs inſigne Stephano Hungariæ Regi defert, *ibid.* Polooiæ Regi coronationem procurat, *ibid.* ejus obitus, & Epitaphium, 293. ejus Scripta, 294.

B. Simeon Eremita à Benedicto VIII. ſanctis adſcribitur, 307.

S. Simplicius Pont. Leoni Imp. advarſatur, 76. multa præclarè agit, *ibid.* ejus obitus, & Scripta, *ibid.*

S. Simplicius Senator Rom. martyrio afficitur, 30.

Simoniaci odio ſunt S. Pontifici Deuſdedit, 120. inſigni miraculo convertuntur, 323. Coocilium contra eos celebratur, 314. item 327. & 335. decretum adverſus eoſdem, 338

Siſebutus Hiſp. Rex ſanctè moritur, 121. ejus elogium, *ibid.*

Siſinnius Pont. 154. malè à Pontificum ſeria excluditur, *ibid.* ejus vitæ ſynopſis, 155.

S. Sixtus I. Pont. 19. ejus Inſtituta, *ibid.* S. Peregrinum in Galllas ablegat, *ibid.* martyrio coronatur, 20. ejus Scripta, *ibid.*

S. Sixtus II. Pont. 40. Decretum ejus de Miſſa, 41. martyrio coronator, *ibid.* ejus Scripta, *ibid.*

S. Sixtus III. Pont. calumniis impetitur, ſed innocens declaratur, 70. Neſtorium fru-

ſtrà

ſtrà reducere ſatagit, *ibid.* Epiſcopos pulſos defendit, 71. ejus obitus, & Scripta, *ibid.*

Sixtus IV. Pont. 666. ejus primordia, *ibid.* virtutes, 667. Romam inſtaurat, *ibid.* Jubilæum celebrat, 668. Numerum Sanctorum auget, *ibid.* Regi Hiſp. contra Mauros auxiliatur, *ibid.* bellum cum Florentinis primò, deinde Venetis habet, *ibid.* favet ſententiæ ſuffraganti Immaculatæ B. V. Conceptioni, 669. S. Franciſci Seraphici corpus veneratur, 670. moritur, *ibid.* ejus Epitaphium, & Scripta, *ibid.*

Sixtus V. Pont. 808. ejus vitæ primordia, *ibid.* imperium à ſupplicationib. auſpicatur, 809. Juſtitiam admirando zelo adminiſtrat, 810. rerum geſtarum gloria, apprimè clarus, 811. ejus pietatis publica monumenta, 812. auro cumulando pro Eccleſiæ neceſſitatibus ſtudet, 813. Congregationes quindecim inſtituit, & quare? 814. numerum Cardd. definit, & tempus eorum creationis, 815. ejus nunnulla decreta, *ibid.* Henricum III. Galliæ regem ob cædem Guiſiorum in jus vocat, 816. ejus obitus, & epitaphium, *ibid.* Sctipta, 817.

Smalcaldicum fœdus contra Carolum V. 746.

Societas JEſu à S. Ignatio Loyola fundatur, 742. à Paulo III. confirmatur, *ibid* primi ejus ſocii qui? 743. fidem in Japonia propagat, 783. ei favet Pius IV. 784. eam beneficiis proſequitur Pius V. 793. ex ejus ſociia octo in India martyrio afficiuntur, 852. Venetis reconciliatur, 884.

Soldanus I. Sarracenorum Princeps ex diſcordia Principum Chriſtian. magnos progreſſus facit, 428. à S. Ludovico Galliæ rege ſuperatur, 444. aliquot Syriæ urbes occupat, 493. in caſtris moritur, 494.

Soldanus II. Ptolemaidam obſidet, 494. retunditur, *ibid.* Ptolemaidam expugnat, & vaſtat, *ibid.*

Solymannus Turc Imp. Melitam Inſulam obſidet, 785. magna ſtrage retunditur, *ibid.*

S. Soter Pont. 25. ejus Inſtituta, & decreta, 26. martyrium, & Scripta, *ibid.*

Spireneus Bohemiæ Dux ad fidem convertitur, 260.

B. Stanislaus Koska S. J. moritur, 800. à Clemente VIII. Beatis adſcribitur, *ibid.* vide etiam, 836.

S. Stephani Protomartyris corpus Conſtantinopoli Romam à Pelagio I. transfertur, 104.

S. Stephanus I. Pont. 38. ejus decreta, 39. baptiſmum iterandum vetat: Donatiſtis admirationi eſt: innumeros ad fidem convertit, *ibid* ejua martyrium, & Scripta, 40.

Stephanus II. Pont. vix electus decedit, 172. perperàm à ſerie Pontificum ob vitæ brevitatem excluditur, *ibid.*

Stephanus III. Punt. 172. Regem Longob. adverſarium habet, 173. Copronymi Imp. auxilium in caſſum implorat, *ibid.* à Pipino honorificè excipitur, *ibid.* ægrotans, divinitus à S. Dionyſiu curatur, 174. pacem Longobardo promittit, ſi ablata Eccleſiæ reſtituat, *ibid.* multa præclarè operatur, 176 ejus obitus, & Scripta, *ibid.*

Stephanus IV. Pont. 181. ejus elogium, *ibid.* Conſtantinum S. Sedis invaſorem in monaſterium relegat, 182. ejus decreta, *ibid.* Principum Gallorum opem implorat, *ibid.* ſanctè moritur, 183. ejus Scripta, *ibid.*

Stephanus V. Pont. 198. ejus inſigne elogium, 199. migrat in Galliam, & quare? *ibid.* Ludovicum Imp. cum uxore coronat: exulibus Romanis libertatem exorat: moritur, & claret miraculis, *ibid.* Quæ ſcripſerit? 200.

Stephanua VI. Pont. 240. ejus notabile elogium, *ibid.* virili animo reſcribit Baſilio Imp. eique interitum prædicit, 241. Sanctorum curpora in Urbem transfert: purgationem per ferrum candens improbat, *ibidem.* multa alia præclarè operatut, 241. miraculia clarus obit, 242. ejus Epitaphium, & Scripta, *ibidem.*

Stephanus VII. Pont. 246. ejus nefandum ſacrilegium in Formoſi Pont. cadaver, *ibid.* ſtrangulatur, 247. ejus Scripta, 248.

Stephanus VIII. Pont. vir pius & bonus, 260. Spireneum Bohemiæ Ducem, & alias gentes ad fidem convertit, *ibid.* indignè à Romania tractatur, *ibid.* ejus obitus, & Scripta, 260.

Stephanus IX. Pont. Othonis favore promovetur, 263. in ſeditione Romana vix non occiditur, 264. fruſtrà Principes Rom. ſedare tentat, *ibid.* Ludovicum Galliæ regem in libertatem aſſerit, *ibid.* ejus obitus, & Scripta, 265.

Stephanua X. Pont. vir per omnia egregiua, 324. Clerum, & populum emendat, 325. Decreta adverſus concubinarios edit, *ibid.* Henricum IV. Imp. ob ſimoniam arguit, *ibid.* ſanctè moritur, & claret miraculis, *ibid.* ejus Scripta, 326.

Stephanus Columna bellum inter Eugenium IV. & Principes Colomnenſes ferit, 606.

Stephanus Corſus ſeditionem Romæ excitat, 354. à Paſchali II. in fugam agitur, *ibid.*

Stephanus Porcarius: vide *Porcarius.*

Stepha-

Stephanus Ungariæ Rex cum patre Gieſca beptiſma ſuſcipit, 284. Coronam, & Apoſtolatus inſigne à Silveſtro II. obtinet, 292. ſanctè moritur, 309.

Stubba Danus crudelis latro Angliam, Scotiam, Hiberniam devaſtat, 230. qua occaſione admirandum ſacrarum Virginum fecinus pro pudicitia editur, *ibid.*

S. Symmachus Pont. 83. Shiſma inter illum & Laurentium quendam, *ibid.* Edicta Theodorici Regis caſſat, *ibid.* ſex Concilia celebrat, 84. ejus obitus, & Scripta, *ibid.*

Synaxis ſacra tempore Gelaſij I. ſub utraque ſpecie adminiſtratur, & quare? 78.

T.

S. Tagmo à Joanne XVIII. in Archiepiſcopum Magdeburgenſem conſecretur, 297. miraculis clarus moritur, 300.

Tancredus Rogerii Siciliæ regia nothus, mortuo Wilhelmo II. regnum invadit, 411. Clementem III. edverſarium habet, *ibid.* ob mortem filii mœrore animi moritur, 415.

S. Taleſphorus Pont. jejunium Quedrageſimale in uſum reducit, 20. auctor trium Miſſarum in nativitate Domini, *ibid.* martyrio coronatut, 21. ejus Scripta, *ibid.*

Temeſvaria ab Exercitu Caroli VI. expugnetur, & recipitur, 938.

Templariorum origo, 362. eorum otdo in Concilio Viennenſi extinguitur, 520.

Theodatus Gothorum rex S. Silverio ed Pontificatum ſuffragetur, 96. à Beliſario Romà pellitur, *ibid.*

Theodora Juſtiniani Imp. uxor à Vigilio Pape excommunicatur, 102.

Theodora Auguſta orthodoxe Theophilo Imp. piè illudit, 208. eundem in vitæ exitu Deo lucretur, 209.

Theodoricus Antipapa creatur, 353. capitur, & perpetuo carceri adjudicatur, *ibid.*

Theodoricus Rex impia edicta edit, quæ à S. Symmacho Pape caſſantur, 83. Joannem Pont. inedià conficit, 88. Ejus interitus, 89.

Theodorus I. Pont. hæreſes convellit, 128. Peulum Epiſc. Conſtuntinop. damnat, *ibid.* Pyrrum pœnitentiam ſimulantem honorificè excipit, 129. ad vomitum relepſum execratur, 130. ejus munificentia, obitus, Scripta, *ibid.*

Theodorus II. Pont. ecta Stephani VII. Pap. improbat, ejusque ſectatores perſequitur, 248. ejus obitus incertus, 249.

Theodorus Calliope Exarchus S. Martinum Pap. dolo capit, ac Conſtantinop. perducit, 132.

Theodorus Gaza Sixti IV. encomiaſtes, poſteà convitiator, & quare? 671.

Theodorus Studita Confeſſor clariſſimus, 201. miraculis coruſcans moritur, 205.

Theodoſius Con. Anaſtaſium Imp. in moneſterium amandat, 158. cultum SS. Imaginum reſtituit, *ibid.* ſpontè abdicato Imperio monachum induit, *ibid.*

Theodotus Coriarius hæreſiarchà à S. Victore I. Pap. damnatur, 28.

Theophania Auguſta à Tzimiſce duce in exilium agitur, 377. nubit Othoni II. Imper. *ibid.* mater Othonis III. 284. Principes Italiæ in officio continet, *ibid.*

Theophilus Alexandrinus Petriarcha Hadriano VI. obedientiam præſtat, 719.

Theophilus Imp. crudelis Iconoclaſta, 208. ejus in Orthodoxos immanitas, *ibid.* ei piè illudit Theodora Auguſta, *ibid.* Lazaro Monacho *SS.* Imaginum pictori manus adurit, *ibid.* ejus interitus, 209.

S. Thereſia virgo Ord. Carmelitarum inſtauret, & propaget, 787. ejus elogium, *ibidem.* ſanctis adſcribitur, 857.

Theutgardus Archiep. Trevirenſis à Nicolao I. cenſuris notatur, & ab Hadriano II. abſolvitur, 229.

S. Thomas Aquinas honores à Clemente IV. oblatos recuſat, 465. moritur, & à Joanne XXII. ſanctis adſcribitur, 529.

Thomas Palæologus à Turcis imperio dejectus Romam venit, 640. à Pio II. benignè excipitur, & honorificè habetur, *ibid.*

S. Thomas Villonovanus moritur, 778. ab Alexandro VII. inter Sanctos refertur, *ibid.* vide etiam, 887.

Tridentinum Concilium proſequitur Pius IV. eique finem imponit, 782. quot ei Patres interfuerint, & de quibus in eo actum? *ibidem.*

Tridentum urbs concilio celebrando à Peulo III. deſtinatur, 744.

Tunetana expeditio à Carolo V. ſuſcepta feliciter cedit, 738.

Tunetum à Carolo V. expugnatur, 738.

Turcæ ad Echinadas Inſulas navali prælio ſuperantur, 797. ed Tenedum Inſulam iterum, 890. Cretam oppugnant, 898. & recipiunt, 899. à Polonis magna ſtrage efficiuntur, 906. Viennam Auſtriæ obſidentea magna ſtrage depelluntur, 918. ad Pe-

trovaradinum iterum profligantur, 938. ad Albam Græcam iterum, 939.

Turenius belli dux Gallus ad fidemCath. convertitur, 895.

Tuſculani magna clade Romanos afficiunt, 400. Alexandro III. ſe dedunt, 401.

Tuſculum à Romanis funditùs evertitur, 415.

Tyberis inundatio Romanis magno damno, 224. item 599. item 732. item 835. item 873. item 912.

Tzimiſces dux clariſſimus Nicephorum Phocam Imp. occidit, 277. eidem in imperio ſuccedit, *ibid.* Theophaniam Auguſtam in exilium agit, *ibid.* primus Impp. uumos Chriſti imagine ſignat, 282. veneno tollitur, *ibid.*

V.

VAlentinus I. Pont. 206. ejus elogium, *ibid.* præmatura morte ſurripitur, 207. Scripta, *ibid.*

Vallis Tellinæ diſcordiæ à Gregorio XV. comprimunrur, 854.

Varadinum à Turcis occupatur, 890.

S. Udalricus à Marino II. Pont. vaticinium de Epiſcopatu Auguſtano accipit, 266. ſanctis à Joanne XV. adſcribitur, 284.

Veneti in Palæſtina progreſſus faciunt, 366. Rogerio Siciliæ Regi adverſantur, 384. Emmanueli Græcor. Imp. favent, *ibid.* à Genuenſibus navali prælio ſuperantur, 545. eoſdem ipſi vincunt, *ibid.* Falerium Marinum Ducem ſuum capite plectunt, 547. bellum cum Sixto IV. habent, & quare? 668. interdicto ab Innoc. VIII. ſolvuntur, 673. à Julio II. cenſuris notantur, & ad extrema bello rediguntur, 694. ab eodem in gratiam recipiuntur, *ibid.* eis Brixia à Foiſſeo Gallo adimitur, 697. diffident cum Paulo V. & quare? 850. Patres Societatis Jeſu diu exules recipiunt, 884. Turcas ad Tenedum navali prælio ſuperant, 890. Cretam amittunt, 899. eorum publica lætitia ob Alexandri VIII. promotionem, 923. Corcyrum egregiè defendunt, 938.

S. Victor I. Pont. 27. ejus decreta, & Inſtituta, 28. Theodotum hæreſiarcham damnat, *ibid.* ejus martyrium, & Scripta, *ibid*

Victor II. Pont. 322. calicem intoxicatum, ſibi ad necem porrectum divinitùs agnoſcit 323. Concilium adverſus ſimoniacos celebrat: ablata Eccleſiæ oppida recuperat, *ibid.* hæreſim Berengarii damnat, 324. ejus obitus, & Scripta, *ibid.*

Victor III. Pont. 344. ejus elogium, 345. Antipapam à Templo B. Petri arcet, *ibid.* ingenti victoria adverſus Sarracenos potitur, *ibid.* Synodum convocat, & quare? 346. ejus obitus, & Epitaphium, *ibid.* Scripta, 347.

Victor IV. Antipapa reſipiſcit, ac Schiſma tollit, 376.

Victor IV. Antipapa alius à ſuperioti ſedit contra Alexaudr. III. legitimum, 396. ejus acta 397. anathematiaatur, *ibid.* perit, 399.

Vienna Auſtriæ metropolis à Turcis obſidetur, & prodigiosè liberatur, 918.

Vigilius Pont. fidei profeſſionem à Juſtiniano Imp. recipit, 98. in cauſa trium Capitulorum vocatur Conſtantinopolim, 99. ſtat primum pro tribus Capitulis, deinde eadem damnat, *ibid.* relegatur, *ibid.* Theodoram Auguſtam excommunicat, 102. ejus obitus, & Scripta, *ibid.*

S. Vincentius Abbas Legione in Hiſpania martyrio coronatur, 125.

Viromachus rebellium Saxonum dux à Ludovico Imp. bello ſuperatur, & occiditur, 203.

Vitalianus Pont. legationem ad Cæſarem mittit, 134. muneribus à Cæſare afficitur, 135. Epiſcopos Orientales in ordinem redigit, *ibid.* multa præclare agit, *ibid.* ejus obitus, & Scripta, 136.

Vitellocius Vitellius Tipherni regulus à Cæſare Borgia ſtrangulatur, 686.

Vitiges Gothorum Rex Romam obſidet, 96.

S. Urbanus I. Pont. converſioni gentium ſtudet, 31. de bonis Eccleſiæ ſalubriter diſponit, *ibid.* ordinem Clericorum inſtaurat, *ibid.* ejus martyrium, & Scripta, 32.

Urbanus II. Pont. Concilia adverſus Henric. IV. & Antipapam celebrat, in quibus Spoliationes & anathemata in eos emanata confirmat, 347. Caſſini à D. Benedicto morbo calculi liberatur, *ibid.* à Schiſmaticis exagitatur, *ibid.* Philippum Galliæ regem excommunicat, & quare? 349. Concil. Claromontanum celebrat, in quo ſacra expeditio in Sarracenos decernitur, *ibid.* Antipapam fugat, 350. ejus obitus, & Scripta, 351.

Urbanus III. Pont. 407. ejus acta breviter indicantur, *ibid.* eamdem, quam Prædeceſſor ſuus cum Cæſare diſcordiam habet, *ibid.* minatur Cæſari anathema, *ibid.* moritur, dolore auimi ob amiſſam Hieroſolymam, 408. ejus Scripta, *ibid.*

Urbanus IV. Pont. 455. ejus primordia, & elogium, *ibid.* Gallos in Manfredum evocat, 456. in eumdem excitat Carolum Andegavenſem,

venſem, 457. alia præclarè operatur, *ibid.* ejus obitus, & Epitaphium, 458. Scripta, 459.

Urbanus V. Pont. 548. ejus elogium, *ibid.* Reges pacificat, 549. hæreſi extinguendæ ſtudet, 550. Evangelio propagando operam dat: Ordines religioſos emendat, *ibid.* alia ſalubriter agit, 551. bellum ſacrum indicit, & urget, *ibid.* Bernabovem Eccleſiæ hôſtem ſuperat, 552. Italiam luſtrat, *ibid.* Româ migrat in Gallias, & quare? 553. moritur, 554. ejus Epitaph. & Scripta, 555.

Urbanus VI. Pont. non ſine turbis eligitur, 561 ejus ante Pontificatum virtutes, *ibid.* morum auſteritas, 563. Principes offendit, *ibid.* Schiſma inter illum, & Clementem VII. Antip. *ibid.* Deiparæ Virgini addictus, 564. annum Jubilæi ad 33 annum contrahit, & quare? 565. moritur, *ibid.* ejus Scripta, 566.

Urbanus VII. Pont, 818. ejus præclara vitæ primordia, *ibid.* Sixtus V. feſtivè ei Pontificatum prædicit, 820. quanta animo agitaverit? *ibid.* ejus ſancta mors, 821. Epitaph. & Scripta, 822.

Urbanus VIII. Pont. 860. præſagium de ejus pontificatu, *ibid.* ejus primordia, 861. mavult mori, quàm Eccleſiæ inutilis præeſſe, *ibid.* Numerum Beatorum, ac Sanctorum auget, 862. Principum Cath concordiæ ſtudet, 863. ob profligatos hæreticos Deo gratias publicè agit, *ibid.* publica opera molitur, 864. ſacri Senatus honorem zelat, 865. ejus obitus, & imago, 866. oſor hæreticorum, *ibid* ejus Scripta, 867.

Urſicinus Pſeudopontifex intruditur, 58. à Valentiniano Cæſare pellitur, *ibid.*

W.

WAldrada ſcortum Lotharii Lotharingiæ regis à Nicolao I. excommunicatur, 225. pœnitentiam ſimulans ab Hadriano II. abſolvitur, 229.

Wenceslaus Bohemiæ Dux à fratre Boleslao ob regni cupiditatem occiditur, 263. ejus necem ulciſcitur Otho Imp. & fratricidam regno privat, 264.

Wilhelmus I. Siciliæ Dux quædam Eccleſiæ oppida occupat, ac eapropter anathemate notatur ab Hadriano II. 393. petit à Pontifice abſolutionam, 394. non exauditus furit, *ibid.* pacificatur, & Regis titulum conſequitur, *ibid.* moritur, 400.

Wilhelmus II. Siciliæ Rex Alexandro III. adverſus Fridericum Ænobard. ſuffragatur, 400. Chriſtianis adverſus Sarracenos pugnantibus annonam miniſtrat, 411. moritur, *ibidem.*

Wilhelmus III. Tancredi filius Siciliæ regnum apprehendit, 415. pellitur, caſtratur, & luminibus orbatur ab Henrico VI. Imp. *ibid.*

S. Willermus Abbas S. Benigni Divionenſis Joannem XIX. monet, ne munera à Græcis accipiat, neve eorum Eccleſiæ titulum *Univerſalis* concedat, 303. miraculis clarus obit, 309.

S. Wolgangus Epiſc. Ratiſponenſis à S Leone IX. in Catalogum Sanctorum ſcribitur, 320.

X.

S. Xaverius Societatis Jeſu miraculum in Sanciano moritur, 759. ejus cadaver incorruptum ſingnis cœleſtibus corruſcat, *ibid.* Sanctis adſcribitur, 857.

Z.

ZAcharias Pont. 167. ejus elogium, *ibid* Luitprandum Longob. regem placat, & pacem ab eo impetrat, *ibidem.* Carolomannum volentem in monachum tondet, 168. Monaſterium Caſſinenſe donis ac privilegiis afficit, 169. Eccleſiam Moguntinam in Metropolit. erigit, 170. alia multa præclarè operatur, *ibid.* ejus obitus, & Scripta, 171.

Zacharias Exarchus Sergium Pont. capere nititur, 150. eapropter à populo Rom. ad necem quæritur, *ibid.* ad preces Pontificis nulla moleſtia afficitur, *ibid.*

Zeno Imp. flagitioſus vivus ſepelitur, 78. ejus Enoticon damnatur, 77.

S. Zephirinus Pont. 28. rebus ſacris ſtudet, *ibid.* ejus Inſtituta, & decreta, *ibid.* Communionem Paſchalem præcipit, 29. hæreſes expugnat, *ibid.* ejus martyrium, & Scripta, *ibid.*

Zizimus Mahometis Turc. Imp. filius captivus Romam ad Innoc VIII. perducitur, 677. eum Alexander VI. Carolo VIII. Galliæ regi obſidem dat, 683. veneno potatus petit, *ibid.*

S. Zoſimus Pont. Cœleſtium hæreſiarcham damnat, 66. acta Concilii Carthag. approbat, *ibid.* ejus obitus, & Scripta, *ibid.*

TYPOGRAPHUS LECTORI.

IRrepſêre nonnulla in hoc Opus peccata typographica, quibus emendandis Auctori abſenti, longeque diſſito invigilare non licuit : Tu Lector ne hinc inde hæreas, pro tua humanitate atque prudentia, ea ſic corrige.

Fol.	Lin.		Lege.
5	29	livior	livor.
14	40	& Cherſone	è Cherſone.
29	8	conſecrato.	conſecratjo.
50	16	quo	qui.
54	41	una eſt	uſa eſt.
78	17	miſerat	amiſerat.
82	9	&	ut.
110	25	ob rem geſtarum	ob terum geſt.
144	18	&	ut.
176	9	*dele*	mœrore.
176	13	*dele*	ac.
187	20	ilivis	diris.
205	1	Pontificatum	ad Pontif.
210	23	ne	de.
228	27	& domus	ot domus.
233	16	vocio	Photio.
244	30	Quo dies	Quo in dies.
247	8	Luteranenſis	Lateranenſis.
251	34	Principes	Princeps.
259	42	fuit iu	fuit is.
271	8	& Albam	ad Albam.
271	15	& ætate	ea ætate.
274	7	& Apoſtolatus	ad Apoſtol.
275	30	956.	965.
295	19	iucubit	incubuit.
295	20	tantopere *adde*	mirabatur.
297	45	neceſliiſe	deceſliiſe.
305	27	quos	quod.
309	3	veritatis	feriratis.
317	35	faciem	in faciem.
323	32	non	in
348	28	Eo	Ea.
354	24	morti	mortui.
364	16	junctus	inunctus.
368	22	& loco	in loco.
393	16	inter ſubditos	inter & ſubd.
404	30	lucenta	luculenta.
407	42	aſſeret	aſſereret.
415	2	in vita	invita.
418	26	Nullos	Nullus.
436	43	ſpredo	ſpreto.
438	17	erat	erit.
466	26	procari	procaci.
471	23	&	ad.
471	46	inter	iter.
472	42	egitur	igitur.
473	24	eſt	&.
487	44	reſtandem	res tandem.
489	31	ſcripſit	ſcriptis.
504	23	tot	totum.
508	1	libertatem	liberatum.
509	26	interdictum eſt	interd. non eſt.
510	14	delivia	deliria.
511	24	mares	nares.
524	20	ille	illo.
524	37	ſæcularis fore	ſæcularis fori.
527	32	&	ut.
551	13	rei	reis.
561	37	exiſtit	extitit.
567	38	ſe Bonifacio	ſe pro Bonifacio.
539	7	ueneraturus	veneratus.
596	4	augendo	agendo.
648	41	flore	Floræ.
656	32	iique	iis.
662	29	in reliquiis	in reliquis.
663	15	ad	ac.
685	25	ut	&.
693	10	& bené	ut benè.
695	30	adepta	adempta.
696	38	corum *delendum*	
730	28	Et	Ea.
757	49	in victi	in victu.
761	40	&	vel.
763	7	numeri	muneri.
766	8	in	ni.
770	35	minnerentur	minnerentvè.
796	40	Tu	Tum.
798	29	Auctor	Aucto.
809	28	ad ſe *adde*	vocatis.
825	31	diſtruerit	diſtribuerit.
831	23	Adjuvaret	Adjutaret.
852	36	Deo	De.
859	17	&	è.
866	13	lectorem	lectorum.
867	40	perſuaſit	pervaſit.
895	11	id loca *dele*	id.
899	29	arbitraturus	arbitratus.
901	22	conſuluito	conſuluit.
901	23	Clementis XI.	Clem. IX.
902	7	juſſus	viſus.
902	24	eis	is.
918	56	ipſe	ipſi.
925	29	tutis	tubis.
925	31	Ludovicus XIV.	Ludovico XIV.
932	21	unus	uſus.
937	8	16.	61.
937	36	diſſemioavit	diſſeminavit.

AO1 1420062

Digitized by Google

Digitized by Google